Q. CVRTII RVFI .

ALEXANDER MAGNVS.

Q. CVRTII RVFI
ALEXANDER
MAGNVS.



ARGENTORATI
Impensis G. A. DOLHOPFII. et J. E. ZEZNERI Bibliopolarum.

УНИВ. БИБЛИОТЕКА
Р. И. Бр. 14678
П.6.4/123

Q. CVRTIVS RVFVS
DE REBVS
ALEXANDRI
REGIS MACEDONVM;
CVM
SVPPLEMENTIS, COMMENTARIIS
ET INDICE LOCVPLETISSIMO
JO. FREINSHEMII,
CONSILIARII REGII SVETICI ET ELECTORALIS PALATINI, ACADEMIÆQ. HEIDELBERGENSIS PROFESSORIS HONORARII.

Editio noua & accurata, ab ipso Auctore paulo ante beatum suum obitum adornata, & in Commentariis ac Indice dimidia amplius parte aucta.

SVBNEXA EST INDICIS IN DICTOS COMMENT. APPENDIX.

OPERA ET STVDIO
JOANNIS HENRICI RAPP.

Johannes der Jüngere Berol. 1809

Cum Priuilegio Sacr. Cæs. Maiest.

ARGENTORATI.
Sumptibus G. A. DOLHOPFFII, & J. E. ZETZNERI.
M DC LXX.

SVMMA PRIVILEGII Imperatorii.

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS gratioſiſſimo Priuilegio, die V. Iul. Anno M DC LXIII. prouiſum eſt, ne quis *ALEXANDRVM MAGNVM duobus Tomis ex QVINTO CVRTIO á IOANNE FREINSHEMIO repræſentatum*, abſque GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII, & JOH. EBERHARDI ZETZNERI, Ciuium & Bibliopolarum Argentoratenſium, eorundemque hæredum & ſucceſſorum in ſcriptis obtentâ licentiâ, per decem annorum ſpatium, à prima editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Prouinciarum Cæſareæ Maieſtatis hæreditariarum fines, ſimili aut alio quouis typo vel formâ, ſiue in toto, ſiue in parte, clam vel palam recudere, vel aliò recudendum dare, alibiue impreſſum apportare, vendere vel diſtrahere præſumat. Idque ſub pœnâ amittendorum librorum, & ſoluendarum Fiſco Cæſareo triginta Marcarum auri puri: ſicuti vberius in ipſo Priuilegii autographo definitur. A quo damno vt ſibi omnes caueant, hæc iterum iterumque viſum eſt monere.

Lectori Beneuolo S. P.

ANni ſunt triginta, cum Alexandrum Magnum, *duobus tomis repræſentatum*, JOANNES FREINSHEMIVS *edidit. Quam acceptus docto orbi labor ille fuit, id potiſſimum, præter alia, docere poteſt, quod ex multis illis exemplaribus, quæ prelo quondam erant ſubiecta, ne vnum quidem per multum tempus noſtra taberna libraria cupido emptori exhibere potuit. Ergo ſecun-*

cundam tam vtilissimi libri editionem meditati, cum facile coniicere possemus, Dn. Freinshemium, beatissimæ memoriæ, in hoc suo opere vel immutasse quædam, vel correxisse; in id incubuimus, qui illud ipsum exemplar nanciscere-mur, quod vir doctissimus suis manibus quondam tractauit. cuius voti nostri etiam compotes facti sumus. Ceterum, Beneuole Lector, licet vino vendibili, quod aiunt, non opus sit suspensa hedera; pauca tamen in vestibulo iteratæ huius editionis es monendus. Et primo quidem scias, diuisionem in capita tmemataque primæ

mæ editioni respondere; atque in Supplementis, & ipso Curtii textu, vti par erat, nihil quicquam esse mutatum, nisi quod Dn. Freinshemius lib. 4. cap. 8. vers. 15. pro piratarum scribi voluit Spartanorum. In Variis ea sunt emendata, quæ emendanda vetus editio monuit. Commentarios hinc inde auctos esse, ipsemet deprehendes. de vrbium, Curtio memoratarum descriptione (ne quid te celemus) quam vetus editio 4, 1, 15. & 4, 4, 15. promisit, in noua siletur. Vt tamen iis qui Curtium amant, etiam hac in parte satisfaceremus; duabus tabulis æneis ea lo-

ca,

ca, quorum in Curtio mentio fit, ex optimis quibusque authoribus geographice oculis subiici curauimus. Quod ad Indicem (id quod caput dicendorum est) nos minime latet, homines doctos de illius imperfectione sæpius fuisse conquestos. idque haud iniuria; quum & ipse Freinshemius *olim fassus est, sibi non licuisse eamdem diligentiam adhibere in Indice, quam in aliis adhibuit. Ceterum quod primæ editioni deesse non ignorabat, id vberrime in hac secunda suppleuit, ita vt Index in totum opus Curtianum vere nunc possit vocari locupletissimus*

mus. Sed satius est, vt ipsa res, quod dicere volumus, probet. hoc tantum monemus, quod multa vocabula in Indice sunt coniuncta, quæ forsan aliis diuisisset. Verumenimuero ne in hac quidem re quicquam immutari sumus passi, quum viro docto sua ratio constiterit, quare id ita fieri voluerit. Quod modum scribendi adtinet, seruauimus illum in omnibus, atque in iis etiam, quæ alius forsan minime curanda duxisset. Tandem subneximus appendicem Indicis, quem in dictos Commentarios confecit Jo. Henricus Rapp; *in quo tamen ea*

de industria omittuntur, quæ in Freinshemii *MS. extant, ne crambe bis adponatur. Atque hæc sunt,* Beneuole Lector, *quæ hic monere voluimus, immò debuimus. Tuum erit, de hoc nostro labore, in quo & magnos sumptus fecimus, & diligentiam nostram adhibuimus, æque iudicare; neq; male interpretari, si curiosam censuram, quæ in optimis quibusque rebus reperit quod carpat, non moramur.* Argentorati d. 7. m. Martij. M DC LXX.

GEORGIVS ANDREAS DOLHOPFFIVS
&
JOHANNES EBERHARDVS ZEZNERVS
Bibliopolæ.

Præfa-

Præfationes duæ, quarum altera ipsi Curtio; altera vero Supplementis in illum in prima editione fuit præfixa.

AMPLISSIMO VIRO JOACH. VICOFORTIO EQVITI

JOAN. FREINSHEMIVS S. P. D.

DEprehensus subitaneo Bibliopolarum nostrorum ad nundinas Francofurtenses properantium discessu, intercepti, quo Tibi gratias agere constitueram, sermonis non aliud solatium habeo, quam vt hanc velut inuidiam temporis vicissim patientia vlciscar; & tamquam ex inimico, sapientium virorum bene consulta sequutus, haud postremæ notæ hanc vtilitatem capiam optimum putare quidquid euenerit, neque bona malaue ducere, nisi quibus aut peccatum abfuisse constet, aut rationem. Enimuero quando neque diutius exspectationem eorum morari oportebat, qui promissi dudum Curtii fidem haud iniuria exigebant; neque mihi quisquam temere retro dierum otiosus abiit: culpæ suspicionem amoliri contentus, de fortuna queri superuacuum duco, cuius omne ius tantum in volentes esse, nescio qua face inter illas sæculi tenebras adlucente, iampridem seuerior philosophia sanciit. Neque sane, si bene rationem puto, nimia iactura, fortassis etiam nonnullo commodo, constare nobis poterit ista festinatio. Nam etiam otiosæ præfationis hæc nisi fallor præcipua futura erant capita: vt laudata beneuolentia Tua, & quibus rebus nostrum in procudendis auctoribus studium adiuuasses, pietatem, virtutes, eruditionem, benignitatem, magnificentiam, in rem publicam, inque literariam merita, denique dignitatem atque opes etiam tuas extollerem: vt deinde meam gratitudinem adprobarem: postremo etiam ostenderem, quid in hac editione quæsitum, quidque præsti-

præſtitum, & quid porro nobis animi ſit, in exſequenda quam ſemel ſuſcepimus, prouincia. Hæc inquam ſumma huius epiſtolæ fuerat: neque iam ſuccurrit aliud cum iis quæ dixi computandum: ſi quid enim præterea acceſſiſſet, ſententiolæ pro futuræ erant, & verba quæ in ſpeciem & oſtentationem adornata cenſeri potuiſſent: forſan etiam, vt ſumus homines, otio male vſus, aut tacite in meas laudes, aut ne tacite quidem in aliorum inſectationem luxuriante ſtylo prorupiſſem. Hoc igitur, quod circumflueret, nullo negotio poſſumus carere: illa vero non vana neque indigna relatu, ſic quoque intelligentur, ex qualicumque quod feci, indicio. Quanquam, vt ad primum reuertar, quis eſt, non modo noſtræ conditionis hominum, ſed omnino regum atque principum, qui te aut propter claritudinem non nouerit, aut propter virtutes non ſuſpiciat, aut propter officia non amet? Vt ita hæc ipſa temporis anguſtia, qua in laudes Tuas ire prohibeor, imputare Tibi poſſe videatur, quod hominem eruditione facundiaque mediocri auerterit, famæque Tuæ auxilio fuerit, ne impari commendatione tantum obſolefieret. Mihi quoque ipſi fortaſſis haud parum præſtiterit. fieri enim poteſt, vt nunc amplius atque magnificentius de me ſentiant homines, putentque ſi per otium licuiſſet, me ex dignitate argumenti omnia exſequuturum fuiſſe. Frequenter enim accidit, vt ii ipſi quos ſuſceptum negotium ineptiſſimos arguit, ſuſcipiendo maxime idonei haberentur. Igitur & mihi fortaſſe nunc licet, quantum ad iſtud, ſub inuidia præcipitati temporis, imperitiam infantiamque meam ſilentio protegere. Neque iudicio Tuo angor; neque vereor, vt apud Te notam ingratitudinis incurram, quum & prius faſſus ſim, & nunc publice profitear, ſi quid hac editione Curtii ſtudiis commodatum eſt, id omne deberi IOACHIMO VICOFORTIO, cuius ope conſilio illam ſuſcepimus: deinde quod omnibus puto & ſermonibus coram, & epiſtolis abſens, vt debui, ſpoſpondi, id denuo pollicear, factis potius quam verbis (nam

(nam illorum ſemper maiorem rationem habendam putaui) me oſtenſurum eſſe quam alte in hoc pectus huius meriti gratia deſcenderit. Facta quod dixi, nemo ſic interpretetur, quaſi quidquam in poteſtate habere credam, quo Te demereri poſſim: non enim ita ſentio. ſed quia nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab inualido (licet enim opinor, Curtii mei verbis vti) non abſurde creditur etiam maximis quibuſque interdum à multo inferioribus haud pœnitenda beneficia poſſe tribui. Verum in hæc talia maximum occaſionis eſt imperium; cui non deero, ſi eius potiri detur. ſin, feram deſiderium vt potero, ſolaque voluntas etiam Tibi vt nullus dubito, certe mihi ſufficiet. His ita mecum, vt in tanta feſtinatione diſputatis, inducor vt credam te non nolente quod ſupereſt temporis collocaturum eſſe recenſendis, quæ in hac editione procuranda ſcopus noſter, quique ſucceſſus fuerit. Ad ſummam autem de ipſius operis æſtimatione nihil habeo dicere, ſi non, eſſe, quale comparet in publico. nam & ſi quid præſtitum eſt excuſatione dignum (nec enim vltra protenditur ambitio mea) per ſe arbitrabuntur qui poterunt; & ſi peritis diſpliceat, ego illud non fruſtra modo, verum etiam inepte commendauero. Ceterum partium eius hæc eſt ratio. Quum in duo volumina tôtum opus tributum ſit, hoc quod ordine atque dignitate prius eſt, ipſa Curtianæ hiſtoriæ fragmenta; deinde lectionum variantium Syllogen; tum Supplementum nouum; denique Indicem ad vniuerſum opus pertinentem complectitur. Commentarius alterum volumen implet, & propria præfatione, quid in eo concinnando conſilii nobis fuerit, exponit. Confectus autem eſt omnium primus, ea mente, vt dum in eo occuparer, ipſe Curtii textus, quæ præcipua operis portio cenſeri debet, mihi tanto familiarior redderetur, atque inter quotidianæ tractationis vſum facilius ego deprehenderem, ſi quæ in ipſo hærerent ſordes, quæ aut librorum, aut etiam ingenii certa ope, repurgari poſſent. Igitur in eo diligenter fuimus, & niſi valde fallor,

fallor, multis locis meliorem exhibemus. Excusus autem est eo ornatu, quo ex instituto Soceri mei Amantissimi, MATTHIÆ BERNEGGERI, quem ante hos quadraginta dies rebus humanis DEVS exemit, ceteri quoque auctores, qui ab alterutro nostrum sunt editi, conspiciuntur: quoque in recensendis, quos porro, si DEVS adnuat, daturus sum, vti constitui. tanto magis quod non ad vsum modo plerisque, sed proxime in accurata Corn. Nepotis editione, etiam ad imitationem placuit Viro Clarissimo, mihique amicissimo, JOH. HENRICO BOECLERO, qui post aliquot annos Eloquentiæ, nunc etiam Historiarum Professionem, non citra magnum Argentoratensis Vrbis Academiæque ornamentum sustinet. Variæ Mss. lectiones fide eorum nituntur, quorum beneficio ad nos peruenerunt. Multis ea cura fastidiosi laboris atque etiam inepti videtur: à quibus haud dissentiam, nisi non omnino inutilem fuisse, nonnulla Curtii loca variarum ope restituta testabuntur. In Supplemento atque Indice non licuit eamdem diligentiam adhibere. Vrgebar enim penuria temporis, & subinde incidebant alia, quibus abrumpebatur intentio mea, cuius deinde damnum, non alia quam contraria maxime ratione, festinando, pensari poterat. Itaque quum istud Supplementum quantum possem elaboratissimum dare decreuissem, eo redactus sum, vt præclare mecum actum putarem, si paulo melius efficerem, quam illud erat, quod vulgo circumferebatur ex Iustini Diodorique & Arriani diuersis quandoque narrationibus, sine idoneo delectu atque ordine vnum in corpus conflatum. Vt non verear ne quis mihi me blandiri dicat, si me quod dixi adsequutum confidam. Quamuis item singulas sententias non vt optaueram expendere, & verbis Curtii non indiligentem lectorem haud dedecentibus exprimere potui: in materia certe conquirenda non segnis fui, sed omnes auctores quos nanciscì erat, ex quibus operæ precium sperabam percucurri: suis quæque temporibus adsignaui: quæ pugnare videbantur, si qua poteram conciliaui: in ceteris probatiores auctores antehabui: interdum neminem vnum sequutus sum, sed ex omnium collatione, ipsarumque etiam rerum comparatione posui, quod similimum vero videbatur. Auctores vnde petita sunt, in margine paginarum indicaui, adiectis etiam librorum capitumque numeris. licet enim quibusdam sufficiant auctorum nuda nomina; alii scire volent qua fide, quoque iudicio in illis versatus sim. Vbi res nota & vulgaris tradebatur, vnum aut alterum auctorem adduxisse satis habui. Quandoque autem etiam quos non probarem, adposui, vt iudicio, non ignorantia eos insuper habuisse constaret. v. g. lib. 2. c. 5. num. 8. Diodorum, fidum alias & diligentem historicum. Plutarcho enim ob insigne illud γνώρισμα apophthegmatis ab Alex. inter id negotium prolati, non prima luce sed sub vesperam Granicum à Maced. transmissum credidi. præsertim quum Arrianus eadem traderet. Quia vero, vt dictum est, auctores ex quibus singula deprompsi professus sum, absurde feciſse videri possum, qui sic historiam hanc concepi quasi à Curtio traderetur: quum tamen constet auctorum istorum plerosque post Curtium vixisse. Verum vt opinor apud æquos rerum æstimatores vtique facto sua constabit ratio. Quando enim quod ex Curtii historia deperditum erat, quomodocumque restituere decreuissem, consentaneum putaui, vt eius personam induerem, cuius mimum susceperam. Ipsam autem historiam vnde hausissem, nisi ex monumentis eorum, qui miseratione sortis atque temporum superare potuerunt iniurias, quibus ceteri succubuere. Et tamen vetustati rerum gestarum nihil detrahit scriptorum ætas, quos vtique necesse est, si quidem cum fide historias tradiderunt, eas à vetustioribus, vt ipsum etiam Curtium, repetiuisse. Igitur & ipse de genere, ortu, initiisque Alexandri non absimilia nostris tradere potuisset: nisi quod ille veterum scripta habens in manibus, ex ipsis fontibus omnia hausisset & vt in magna copia elegisset; quæ ego ex riuulis, & interdum lacunis, emendicare passimque corradere

radere ſum coactus. Indicem Socer meus acerbiſſimis arthritidis doloribus lecto adfixus, ante hoc biennium, vt erat Vir ille laboris patientiſſimus, exactiſſima cura collegit, quem adeo non potui, quod tamen facere conſtitueram, accurata locorum expoſitione totum illuſtrare; vt etiam vltro multa ex ipſo Indice omittere ſim coactus, non tam ob temporis penuriam, quam ipſius magnitudinem, nam ſi vniuerſum, quo cepi modo, edidiſſem, iuſtum volumen impleuiſſet. Quæ cauſſa magnopere deſiderium Indicis, quem à ſe collectum Clariſſimus, & vt res docet, Humaniſſimus JOH. ISACIVS PONTANVS, benigne offerebat: cui nihilo ſecius pro tam procliui aduerſus ſtudia noſtra fauore merito maximas gratias agimus: nec dubitamus obſeruationibus tanti Viri multis in locis admodum iuuari nos potuiſſe. Ne vero quis miretur, quum omiſſa dico multa vtilia, cur quædam haud magni momenti compareant; ſciendum eſt iſta quoque, vt vt leuia videantur non eſſe nullius vſus, quod apertius oſtenſurus eram ſi temporis ratio permiſiſſet; deinde hoc præcipue mihi per otium omnia exacte conſiderare non potuiſſe, adeoque prudentem etiam multa prætermiſiſſe, dum occaſionem moræ præcido.

Hæc ferme ſunt quæ in hoc opere conficiendo actitata memini: quibus ſi quis veniam negat, conſideret vtrum ipſe pari iure vſurus, plura & accuratiora velit exigere, vno anno, ab vno homine, eoque ab aliis curis haud immuni: ingruentibus etiam domeſticis calamitatibus, luctuque ex deſideratiſſimi Soceri obitu: impedimentiſque aliis quæ ex his talibus oriri ſolent. Quibus rebus effectum eſt, vt plerumque quæ poſt meridiem ſcribebam ante veſperam typographeum ingrederentur. ſicut hæc ipſa nunc ſcribo, primum relecturus quum à typographo redibunt imprimendarum chartarum ſpecimina. Quod non per leuitatem animi facio, neque contemptu doctiſſimorum hominum, quorum oculis hæc qualiſcumque

cumque ſcriptio nunc expoſitum itur; ſed neceſſitate: nam ecce Typographus negat plura capere chartæ ſpatium quod ſupereſt. & Bibliopola cras ſummo mane abiturus colligendas eſſe ſarcinas monet. Vale ergo Ampliſſime VICOFORTI, & ignoſce neceſſariæ feſtinationi. Dabam Argent. A.D.16. Kal. April. 1640.

AMPLISSIMO VIRO

FRID. REICHARDO MOCKELIO

SACRÆ REG. MAIEST. ET CORONÆ SVETICÆ Conſiliario &

Legato per Alſatiam

JO. FREINSHEMIVS S. P. D.

BERNHARDVM è Saxonica domo Vinarienſem principem, ad ſummorum huius ætatis Imperatorum gloriam virtute prouectum, quum interdum de Q. Curtii hiſtoria mecum loquereris, animo, atque pro ratione temporum etiam ſucceſſu Magno Alexandro, non diſparem iudicare ſolebas, Ampliſſime MOCKELI. Deinde, poſtquam in hoc Supplemento regis iſtius pueritiam, indolem, inſtitutionem, mores, tirocinia militiæ regnique non indiligenter expoſita conſideraſſes; magis etiam in illa ſententia confirmabare: niſi quod Noſter educationis ſanctiſſimæ beneficio haud pauca alterius vitia euitaſſe; virtutumque complurium, non fallacem, vt ille, ſpeciem, nec fortunæ adflatu fugituram, ſed fundatam, ſuperſtructamque pietati

tati possessionem habuisse videretur. Cuius rei fidem non modo per vniuersum orbem Christianum diffusa fama facit, semper clara, sed post acerbum Illius excessum, euanescente paulatim inuidia, purior; verum etiam, quibus plurimum tribuo, certissima de moribus Illius animoque testimonia, excepta obseruataque vulgo quoque, sed maxime ab iis quos propiori Herois consuetudini vel dignitatis honor, vel officii necessitas admouerat. A quibus sæpe conspectus est Vir ad armorum munia natus, infelicitati temporum illachrimare, per quæ pacis honestæ copia non esset: cuius equidem caussa, nec alia, bellauisse ne hostes quidem negant; nos quidem vel omnium quæ occupauisset precio redimere paratum fuisse non dubitabamus. Atque vt in compendium redigam, quæ aliquoties ex Te, quæ ex Viro Spectatissimo Michaële Ihonio, qui Principi, dum viueret, à secretioribus epistolis fuit, quæ denique ex Viro Reuerendo Daniele Rückero, Concionatore Aulico, cognoui; quoties Ille sæua miserorum damna, militum effrenem licentiam, atrocissima flagitiorum atque scelerum in morem versa detestatus, timere dixit, ne si vel maxime insons esset, contactu saltem commercioque impiorum æternum in exitium abriperetur? Quoties inter breuem morbi postremi moram fassus est, non se tantum pœna peccatorum, & quam sentiret, & quam formidandam haberet, angi; quantum pœnitentia: qui DEVM innumerabilium beneficiorum munificentissimum largitorem inobsequente ingratoque animo tot modis offendere non dubitauisset. Nam ad pœnam quidem quod pertineret, illam præsentem leuem esse, imminenti Christi meritum interuenire; at suæ ingratitudinis etsi noxam abolitam sciret, pudore tamen & pœnitentia serio indolescere. Ea inquam mens fuit Clarissimo Duci; nam facta, quæ orbis nouit, repetere quid attinet? Illud inter omnes constat, necessum esse, vt opinionem hominum virtute valde vincant, qui efficere volent, ne sequens tempus ostendat, quantum in hoc vno fuerit.

Tu igi-

Tu igitur, Vir Amplissime, qui apud Perfectissimum Heroem inter intimæ admissionis amicos locum haud postremum habuisti, vt qui Supplementum hoc Curtianum, quoddam quasi virtutum Illius speculum esse primus arbitratus es, id haberes proprium, Tibi dedicandum duxi, qui non vno merito Musarum nostrarum gratitudinem Tibi pigneratsi. Nam & liberalitatis qua BERNHARDVS Magnanimus inter medios bellorum tumultus amantissimi Soceri mei meaque studia respexit, præcipuus conciliator fuisti: & per Te multis nos beneficiis auctos ornatosque singulari humanitate complecteris. Nobis contra Tui demerendi quamquam supereresset animus, nulla dum occasio fuit: optamusque vt porro ista Tuarum rerum conditio maneat, ne nostra ope operaue quidquam indigeas. malumus enim de nostro candore dubitare Te posse, quam Tuis periculis molestiisue habere cognitum. Quisquis enim, vt suam fidem atque constantiam approbet, amico calamitatem accidere non ægre fert; dum ingratitudinis suspectus haberi non sustinet, impietatis reatum incurrit. Si qua tamen in moribus meis simplicitas animi non fraudulenti fidem apud Te reperit (effecit enim Tua comitas, vt mores meos tantum non familiariter noris; iudicium, quo polles, efficiet, ne in æstimandis illis fallare) hoc mihi crede, me neque ignorare quin quantuscumque à me honor haberi Tibi possit, ampliorem merearis; neque tamen hunc etiam habiturum fuisse, nisi Te dignum eo comperissem. Qua quidem in cognitione meo potius quam alieno iudicio vti soleo, neque vulgum auctorem sequor, neque fortunam à virtute non distinguo, si res postulare videatur. Sed vbi coniunctam vtramque reperio, & hanc gaudeo fortuna secundante melius explicare vires suas, & illi virtutem comitanti, temeritatis, cuius per homines damnari solet, infamiam decedere: præterea istorum quoque gloriæ faueo, quorum iudicio virtus honorata, famæ prosperioris exsortes non patitur: denique publicæ hominum rei gratulor, quod subinde in tanta temporum iniquitate,

tamen

tamen diuinæ prouidentiæ cura, & bonis exemplis affirmatur. Quæ si rara esse contendis, nihil abis ab opinione mea. sed eo constantius hanc Tibi Spartam ornandam existima, quo pauciores sunt qui virtuti studeant, aut vbi studuerint, fortunæ vexationem eluctati bonæ mentis fructus in publicam vtilitatem proferre possint. Nam si tanta virtutis seges esset, quanta vitiorum fertilitas est, quilibet pro se eniteretur; vt conscientiæ famæque consuleret; omnis labor aut errantes in viam reuocandi, aut resistendi contumacibus, superuacuus foret: at quoties parui penditur fides, & in verbo tantum integritas est, neque præter precium quidquam habetur in precio; ibi vero campum habet virtus, vbi exerceatur, theatrum habet, vbi spectetur, arenam habet, vbi non iam rudibus batuat, sed decretoriis decertet armis. Neque tamen hæc ita profero, quasi nescientem moneam, aut cessanti stimulos addam; sed publicorum certaminum morem exprimo, in quibus spectatorum oculi vocesque & hortatus non nisi in optimum quemque intenduntur; neque tam ad bene certandum incitamenta, quam honoris iamiam emeriti principium & partes sunt. Hoc itaque genus honorem à me tanquam spectatore Tuorum certaminum haberi Tibi putes; at solidiores à supremis illis brabeutis Tuis exspecta: meritissima inquam virtutum præmia, quantum eorum præsens ætas conferre potest, à SERENISSIMA REGINA Tua & Magnis Regni illius florentissimi proceribus, interque eos ab Heroë incomparabilis prudentiæ, cui fidem Tuam etiam coram probasti, OXENSTIERNIO: quos autem temporaria felicitas non capit, eos multiplices cumulatosque Sanctissimi Numinis æterna gratia conferet. Cuius ineffabili benignitati nos omnes, & has velut ex atrocissimo bellorum naufragio, depositi imperii tabulas, ardentibus votis suppliciter commendo. Dabam Argentorati A.D. VII. Kal. Nou. 1639.

In cla-

In clarissimi scriptoris

Q. CVRTII RVFI

Historiam de rebus gestis Alexandri, noua recensione editam.

QVI populos, qui regna ferox sibi subdidit orbis
Primus, & incubuit gentibus, Assur erat.
Prævaluit mox Persa potens; & Martia tandem
Persarum tumidas Græcia vertit opes.
Gens genti, ceu latro fuit. raptoque triumphans
Quilibet in socios miles & hostis iit.
Iste furor Pellæ dominum succendit. & enses
Strinxit, ALEXANDER sanguinolente tuos.
Noluit Emathiis claudi tua gloria terris.
Effera trans Hellen castra Ducesque rapis.
Non satis Europa est iuueni. Troësque Phrygesque
Et debellatos fubruit ira Syros.
Imperii sitis Euphratem traiecit, & ipsa
Visa minus Babylon ambitiosa tibi.
In Carras Petramque furis, Medosque Scythasque.
Et spolium dextræ Bactra fuere tuæ.
Darium Porumque premis. Regumque Ducumque
Purpura vesano rapta furore fuit.
Iamque Clytum rabies, nunc suspiciosa Philotam
Mens necat. & viuo Parmenione vales,
Exstincto minus. in terras grassaris & vrbes,
Sceptraque piratæ plurima more rapis.
Lysimachus Phythonque fauent, Perdicca, Seleucus,
Antipatrumque tui causa laboris agit.
Arrogat inuisas augusta superbia voces.
Et sobolem summi te cupit esse Iouis.

Rex me-

Rex moreris. Ducibus victus discerpitur Orbis.
Inque nouæ partis nomina mundus abit.
Hæc facunda refert laudati pagina Curtî.
Nec Macetûm ingentes vult latuisse vices.
Incrementa legit Graiæ Germania gentis,
Quoque iterum retro creditur isse gradu.
Miraturque tuos, Fortuna volubilis ausus,
Vt viguere Duces, vt periere Duces.
Et motus belli varios, peltasque rotasque,
Et superata stupet flumina, saxa, lacus.
Eripit hæc fato veteris solertia Rheni,
Et gemino gaudet vindice Pella legi.
Decedunt verbis tenebræ, & caliginis vmbrâ
Non capiunt tanti Principis arma tegi.
Rege triumphauit Magno res Thessala. magni
Scriptoris fastos belliger orbis habet.
Vos, quibus hæc Curti purgantur scrinia, Regem
Iurabo Macetis restituisse suis.

CASPAR BARLÆVS.

J. FREINSHEMII

J. FREINSHEMII

Supplementorum IN Q. CVRTIVM

LIBER PRIMVS.

ALEXANDRI qui ademptum Persis imperium in Græciam intulit, vitam atque res gestas plurimi Græcorum memorauerunt. ex quibus plerosque operum suorum spectatores; quosdam etiam socios atque ministros habuit: nonnullos, vt erat auidus mansuræ post mortem gloriæ, ad hoc ipsum euocauit, vt res suas traderent posteritati. Ceterum præter ipsam rerum magnitudinem, innata genti fabularum cupido effecit, vt eorum complures monstris quam vero similiora proderent. fide autem dignissimi videntur Ptolemæus, qui postea regnauit, & Aristobulus. Etenim exstincto iam Alexandro sua edentibus metus & adsentationis caussæ decesserant, quibus fere narrandarum rerum veritas conrumpi solet: nam Ptolemæum etiam regii nominis dignitatem mendaci historia polluere voluisse, quis crederet? Vterque autem quum multis adres Alexandri pertinentibus negotiis non interfuerint modo, verum etiam præfuerint; verissima præ aliis tradere potuisse liquet. Quoties igitur consentiunt, ceteris antehabuimus: vbi in diuersum abeunt, ex copia rerum ea potissimum secreuimus, quæ diligenter inter se composita proxime ad rerum gestarum fidem videbantur accedere. Quod etiam post ætatem Alexandri alios Græcorum sequutos video, quibus aliqua veri cura fuit; & nuper ex Sicilia Diodorum. Nam qui ex Romanis animum ad historiam adplicuerunt, ii patriis rebus contenti, externa neglectui habuere: quia victoris populi gesta componentibus neque maiestas rerum deerat; & plus vtilitatis adlatura videbantur in eadem re-publica degentibus. Quorum studium vt laude dignissimum arbitror; sic extra reprehensionem fore confido, si nostris etiam hominibus ostendam eum regem, qui vnus omnium mortalium, intra

Justin. 12, 6, 17.

Arrian. in Præfat.

Quē maxime sequi videtur Curtius.

intra breuissimum æui spatium, plurimum terrarum occupauit. quo adpareat, NON FORTE neque temere res humanas ferri; 8
sed plerumque fortunam pro moribus; neque diuturnam esse felicitatem, quæ virtute destituatur. Igitur Alexandrum omnibus 9
ingenii fortunæque dotibus abunde auctum ornatumque fuisse comperio, quibus fatalem tantæ potentiæ virum oportebat instrui. Genus ab Hercule repetebant Macedonum reges; Olym- Diodor. 17,1. Vellei.1,6.6. Oros. 3, 12. Arria. 2,1,34. Pausan. lib.1. Julian. Cæsar.
pias Alexandri mater initia suæ gentis ad Achillem referebat. Puero neque incitamenta exemplaque gloriæ; neque vir tutis ma- 10
gister aut exercitatio deerant. quippe Philippus pater continuis bellis contemptam ante Macedonum gentem extulit, & coacta in ordinem Græcia, cunctis formidabilem fecit. Denique non 11
solum operum post se gestorum fundamenta posuit; verum etiam quum decederet, Persico bello intentus, delectus habuerat, commeatus, pecuniam, exercitum parauerat; & Parmenionis opera Curt. 7,1,3.
iam Asiam aperuerat. Sed in eo rerum momento subductus est, 12
vt & maxima gerendi belli subsidia filio; & plenam gesti gloriam relinqueret: quadam fortunæ industria, quam vnus hic perpetuo Curt. 10,5, 35.
obsequentem sibi habuit. Cuius admiratione non postea modo, 13
sed statim ab initio dubitatum est, rectiusne foret, non per Æacidas aut Herculem, sed ab ipso protinus Ioue, tanto homini diuinæ
[a] 4, 7, 30. [b] Lucia. dial. mort. Silius lib. 13 Victor. in Galerio. Dio Chrysost. orat. 4. Sidon. carm. 2. & 9. Plut. c. 2. Iustin. 11, 11. & 12, 16. Solin. c. 14.
stirpis originem adferre. Ipse quidem, quum Hammonem Li- 14
bycum adiret, eius filium se adpellari voluit, vt postea [a] trademus. Ceterum [b] *draconem in cubili matris eius visum, quem Iupiter induerit, eoque genitum fuisse Alexandrum*, multi crediderunt: *insomnio etiam, vtumque responsis fidem generis factam: & quum Philippus Delphos scisciatum misisset, oraculo monitum*, vt Hammonem inprimis reuereretur. Nec desunt 15
qui *fabulosum id quidem*; *non tamen adulterium matris falso iactatum* adserant. *Quippe pulsum Aegypti regno Nectanebum, non, vt vulgo arbitrantur, in Aethiopas concessisse, sed quum aduersus vim Persicam in Philippo maxime præsidium speraret, in Macedoniam vectum, magicis præstigiis illusisse Olympiadi, thorumque hospitis temerauisse. Suspectam quidem exinde Philippo, neque alia- 16
Ἐυσεβ λέγω α. Antonin. Otto Frising. 2, 25. Cedrenus. Glycas. [c] Iust. 11, 11, 4 Texeira Hist. Pers. 1, 22. Liu. 26, 19, 6. Silius li. 9.
am tam intimam diuortij quod inter eos sequutum est, caussam, pro comperto postea fuisse. Etiam quo die Philippus Cleopatram domum deduxerat, Attalum sponsæ auunculum, Alexandro natalium decus exprobrare ausum, ipso quoque rege [c] ex sese genitum negante: denique de Olympiadis adulterio non in 17
nostro solum orbe; sed apud deuictas quoque nationes, pertinacem rumorem obtinuisse. Verum velandæ ignominiæ repetitum ex antiquis fabulis de dracone commentum: idem enim olim de Aristomene Messenios, de Aristodama Sicyonios tactauisse.* Sane apud maiores nostros de Scipione, qui Cartha- 18
ginem

ginem prior adflixit, eadem ferme fama fuit: similisque diuinita- Agell 7, 1. Valer. Max. 1,2,2. Quintil. 2, 4. Sueto. August. c. 94.
tis opinionem Romani modo principis ortus habuit. nam de conditore Vrbis Romulo quid attinet dicere; quum nulla gens tam vilis reperiatur, quæ [a] sui generis auctorem non faciat deum, aut
19 deo editum? Ceterum Nectanebi fuga temporibus hisce non congruit: sexennis enim iam erat Alexander, quum ille ab Ocho victus, auitis opibus excideret. Nec ideo minus vanum est, quod [a] Liuius in Præfat.
20 de Ioue fertur. Ipsa quidem Olympias dempto post mariti necem Plut. cap. 3.
metu, adseuerationem filii Ioue se genitum credi volentis inrisisse dicitur, missaque epistola petiuisse, *ne se nihil tale commeritam, odiis* Agel. 13, 4.
21 *Iunonis obiectare pergeret.* Antea enim ipsa maxime fabulam confir- Solin. c. 14.
masse creditur; proficiscentemque in Asiam Alexandrum monu- Plut. cap. 3.
22 isse, *vt memor originis digna tanto genitore capesseret.* Verum tamen ostentis deum variisque præsagiis inter conceptum editumque partum significatum fuisse, quantus homo nasceretur, consensu traditur.
Obsignatam Olympiadis aluum annulo, cuius sculptura leonem Plutar. c. 2.
23 præferret, per quietem Philippus vidit. Cuius rei memoriam ser- Ephorus apud Tertullian. de anima cap. 46.
uauit Alexandria, quam in Ægypto conditam, aliquamdiu Leontopolim adpellauere. Nam de Alexandri magnanimitate & robore somnium illud interpretatus erat Aristander peritissimus va- Stepha. v. Ἀλεξάνδρεια. Eustat. ad Perieget. 254.
24 tum, qui postea comes ei hæsit, sacrisque eius præfuit. Qua [b] autem [b] Plutar. c. 4.
nocte Olympias peperit, maximi per Asiam nominis templum Cicero de diuin. 1, 23. & de nat. deor. 2, 27. Solin. c. 43. Val. Mal. 8, 14. Zonaras. Hiero. aduers. Helvidium.
Ephesiæ Dianæ ignis hausit. Intulerat eum cuiusdam hominis perditi furor; qui comprehensus tortusque, non alia mente id commisisse fassus est, quam vt magno aliquo facinore memoriam sui
25 diuturnam efficeret. Ergo tam fœdi exempli cladem non istius tantum ædis damno æstimauere Magi, qui tum Ephesi degebant; verum pro maioris ruinæ præsagio habentes, totam vrbem mœstis impleuere clamoribus: *exortam alicubi facem, cuius incendio, similem ob*
26 *caussam, totus olim Oriens conflagraturus esset.* [c] Forte per idem tempus [c] Plutar. c. 4.
Potidæam Athenienſium coloniam Philippus subegerat; [d] quum [d] Iustin 12, 16, 6.
& Olympia quadrigis se vicisse cognouit: & à Parmenione, quem in Illyrios miserat, maioris momenti nuncius venit, *fusis ingenti præ-*
27 *lio barbaris, Macedonas prospere pugnauisse.* Exsultranti tam læto vbique votorum exitu etiam de Olympiadis partu renunciatum est: nec dubitauere vates, *inuictum fore, qui inter tot victoriarum palmas nasceretur.*
28 Ferunt tot simul prosperarum rerum cumulo adtonitum regem, & inuidiam deum veritum, orauisse Nemesin, *vt hoc fortunæ* Plut. consol. ad Apollo. c. 9. & apophth.
29 *obsequium, modica aliqua calamitate vlcisci contenta foret.* Proditum etiam cap. 9. * Melest memoriæ, *in oppido* * *Pella, duas aquilas in culmine domus, vbi puerum*

ad Virg. Georg. 4, 278. Antonin. *Ὀλυμπ. ἀναγραφή. Bunting. Chronol. Iac. Cappel in hist. sacra & ex Plut. cap. 4. Demosth. de corona. Agell. 17, 21. Histor. Misc. 2, 4.

enixa erat regina, tota die persedisse. gemini per Europam Asiamque imperij augurium id fuisse, POST euentum facile interpretati sunt. *Terram quoque tum mouisse, magnamque tonitruorum fulminumque vim erupisse cœlo,* auctores habeo. Natus est * autem, vt accuratiores tradunt, incipiente Olympiade sexta supra centesimam, prætore Athenis Elpine, A. D. XII. Kal. Sextil. quem tum mensem Macedones *Lotum* vocabant: quo tempore pop. Rom. quadringentesimum fere annum agens, vicinorum bellis exercebatur, & subiugando terrarum orbi quotidianis incrementis præludebat.

CAP. II.

AT Philippus auctus filio, de quo propter oblata tot omina spem amplissimam conceperat, in educationem curamque eius omnes cogitationes conuertit. Quippe vir prudens & amans patriæ, NIHIL molitionibus suis profectum facile sentiebat, si rebus vndique moris, hominem imperitum aut segnem Macedoniæ post se relinqueret. suam quoque gloriam haud durabilem futuram, si maximarum rerum instrumenta, quæ tanta industria parabat, successoris inertia conrupisset. Leguntur inter epistolas eius, venustatis & prudentiæ plenas, literæ, quas tum ad Aristotelem, qui cum Platone exercebatur, Athenas misit, in hunc fere modum scriptæ. *Philippus Aristoteli salutem dicit. Certiorem te facio, filium mihi genitum esse. Nec perinde diis gratiam habeo, quod omnino natus est; quam quod te florente nasci illum contigit. à quo educatum institutumque neque nobis indignum spero euasurum, neque successioni tantarum rerum imparem. Satius enim existimo carere liberis, quam opprobria maiorum suorum tollentem, in pœnam genuisse.* Neque fefellit eum opinio. quippe puer Aristotele doctore diu vsus, ad res in ea ætate gerendas insigne præsidium sibi comparauit. Sed hæc postea acciderunt. interim constituti sunt infanti nutritores atque pædagogi, Leonidas Olympiadis propinquus, & Lysimachus Acarnan. Philippus nationis eiusdem adiectus. qui valetudinem pueri regeret: Hellanicæ (Dropidis erat filia, ex inlustrioribus Macedonum feminis) corporis & morum recta temperie probatæ nutricis munus demandatum est. Hac cura paucos intra annos effectum est, vt iam tum polliceri videretur eum regem, quem postmodum exhibuit. nam & in puerilibus membris indomitus eminebat vigor; & eximiæ indolis argumenta ætatem longe præuenerant. Excellens natiua & genuina venustate corporis, cultum aspernabatur; *ANXIAM formæ curam feminis conuenire* dictitans, *quæ nulla alia dote* æque commendarentur: *si virtutis potiri contigisset, satis se speciosum fore.* Fuit autem quum adoleuisset, iusta membrorum proportione conspicuus, artubus robustis,

Agellius 9, 3. Curt. 3, 6, 1. Iustin. 12, 6, 10 Arria. 4. 2, 12. Curt. 8, 2, 8. Eume. Paneg. Constantini c. 17. Aelian. histor. var. 12, 14. Arrian. 7, 5, 18. Solin. c. 14

bustis, probeque compactis: vi tamen, quam specie validior; quippe corporis eius habitus intra proceritatem stetit. Cutem habuit candidam, nisi quod in malis, itemque pectore, grato rubore suffundebatur: capillum flauum, leniter intortum: nasum aquilinum: oculos varios, nam læuus glaucus fuisse traditur, altero nigerrimo. Inerat autem ipsis occulta quædam vis, vt sine veneratione atque horrore quodam intuentium non adspiceretur. Pernicitate pedum admirabili fuit; quam [a] vt magnæ in expeditionibus vtilitatis, etiam rex non omisit exercere, sæpeque cum velocissimis suorum cursu certare visus est: patientia laboris supra fidem eximia; qua sæpe vna, difficilimis temporibus, sibi exercitibusque suis salutem peperit. Exercitationibus crebris, & calidissima corporis temperie, adeo quidquid vitiosi humoris sub cute conlegi solet, expugnauit; vt suauem ex ore membrisque exhalaret odorem, eoque etiam tunicas quibus vteretur impleret: ob [b] easdem caussas, vt quidam putant, ad vinum [b] iramque procliuior. Visuntur adhuc imagines eius statuæque, summorum artificum opera. ne enim [c] vulgarium sculptorum pictorumue temeritate oris sui honor obsoleseret, studiose cauit; *pœnam* comminatus, *si quis inuisu suo conaretur.* Ergo abundante tum artificum copia, volentem vnus Apelles pinxit, sculpsit Pyrgoteles, Lysippus & Rolycletus ære duxerunt. *Citatiorem gressum Leonida vitium fuisse,* * ferunt; *ex ipsius consuetudine id hæsisse Alexandro: quod postea quum enixe vellet, corrigere non potuerit.* Equidem EDVCATIONI plurimum tribui debere non infiteor; ceterum hoc quidem naturæ potius adolescentis, quam adsuetudini deputo. etenim in homine velocissimæ mentis, necessum erat, vt ardore animi corporis etiã motus sequeretur. [d] Quem adeo non in vitio posuere successores ipsius, vt etiam studiose æmularentur; simul depressiore in læuum collo, obtutum eius vibrantem, & elatiorem vocem imitati: quum animum non exprimerent. quippe plurimorum ex illis longa vita vix quidquam habuit dignum, quod cum huius pueritia compararetur. Neque enim quidquam aut loquebatur, aut agebat humile; sed dictis factisque par fortunæ suæ, vel etiam supra erat. Nam quum esset laudis auidissimus, non vndecumq; eam adfectabat, sed optimis quibusque comparari gaudebat: INGLORIAM ex vilibus palmam intelligens, [e] tantoq; inlustriorem victoriam, quanto quos vicisset pluris haberentur. Ergo dicentibus, *quoniam cursu plurimum valeret, debere profiteri nomen suum inter eos qui Olympicis ludis certaturi essent, cognominis sibi regis exemplo; magnam eam re per Græciam sibi famam comparaturum: facerem,* inquit,

Curt. 3. 12, 16. 6, 5, 29. Solin. c. 14. Plut. c. 5. Tzetzes. Glycas. Aelia. hist. var. 12, 14. [a] Plut. de audul. & amici discrim. cap. 29. & de animi tranquil. cap. 20. Arrian. 7, 5, 18. [b] Plut. Sym. pos. 1, 6. [c] Apulei. 1. Florid. Horat. epist. 2, 1. Himerius apud Phot. Plin. 7, 37, 6. 35, 10, 25. 37, 1, 7. Cicero epist. fam. 5, 12. * Hiero. ad Lætam. Hincmar. epist. 3, 1. [d] Plut. Pyrrh. c. 14 & Alex. c. 5. & de fort. 2, 5 & Pomp. c. 2. Tzetzes Chil. 8. 200, & 11, 368. Victor in Caracalla. Hist. Misc. 10, 23. [e] Plut. c. 6. & de fort. Alex. 1, 13. & Apopht. c. 36. Herodot. 5, 22.

inquit, *si reges haberem aduersarios.* Quoties aut præclara aliqua pu- 18
Plut. c. 6. & apophth. c. 36. Gregoras li. 9. gna Philippus vicerat, aut oppidum opulentum in potestatem redegerat; lætantibus aliis, ipse haud obscure indolescebat. exceptaque vox est querentis inter æquales; *nihil reliqui facturum patrem sibi ipsique, quum adoleuissent.* quippe deperiturum gloriæ verebatur, quidquid adcessisset opibus: nec tam harum possessione quam istius cupidine mouebatur. Somni natura parcissimus, etiam arte vigilan- 19
tiã adiuuabat. si quid occurrisset, quod seria meditatione dignum videretur; comprehensa pila argentea, brachium extra lectum porrigebat, vt in subiectam peluim inlapsa, excitato sonitu, torpo-
Marcellin. 16, 6, Plut. c. 44. apophth. c. 37. Plin. 12, 14, 17. rem in somnum deficientis discuteret. Deos ab ineunte ætate ma- 20
gnifice coluit. Sacro quodam ita liberaliter thura flammis intulit, vt Leonidas vir seuerus & parcus, profusionem istam non ferens, exclamaret; *sic adolebis, quum regiones subegeris, ubi hæc nascuntur.* Cu- 21
ius vocis memor, quum postea thuriferam Arabiam pacaret, multa odorum talenta misit Leonidæ, cum mandatis; *ne posthac in deorum honoribus adstrictior esse vellet, quos intellegeret dona hilariter oblata tam larga manu rependere.* Animi sublimis & magna conaturi documen- 22
ta mature dedit. Persis ea tempestate Artaxerxes cognomento O-
Diodor. 16, 52. Curt. 6, 4, 25. chus præerat. Eum Artabazus & Menapis satrapæ, Memnonque Rhodius, egregius dux, bello lacessiuerant; sed potentia regis op- 23
pressi, deserta Asia ad Philippum profugerant. His tum Alexan-
Plut. cap. 7. der septenni minor mire delectabatur; crebroque de rebus Persicis interrogabat, nihil quidem puerile & sordidum, sed *quibus maxime firmamentis opes regiæ niterentur? quis armorum vsus, quæ audacia viris; quanta equis pernicitas esset? quot dierum itinere Macedonia distaret Susis? quæ regi morum via, quæque exercitatio corporis, atque opinio virtutis foret?* Postea, 24
quum deprecante fratre Memnonis Mentore, cuius sororem in
Diodor. 16, 52. matrimonio Artabazus habebat, cum exulibus in gratiam rediisset Ochus, eosque à Philippo repereret; Alexander legatos eximiæ in tantilla ætate indolis admiratione ita perculit, vt vnus eorum in
Plutarch. de fort. Alex. 2, 24. hæc verba prorumperet: *Hic quidem puer Magnus est Rex; noster vero diues.* Hæc autem quum merito quidem naturæ suæ debere videre- 25
Diod. 16, 96. tur, haud minus institutioni debuit. Nam pater satis gnarus, quantum Epaminondæ commercium sibi profuisset, quantoque plura eloquentia, quam vi confecisset; summa cura incubuerat, vt à te-
Quintilia. 1, 1, 20. Hieronym. ad Læta. Erasm. nera statim ætate liberalium artium studiis probe imbueretur. I- 26
gitur Aristotelem, magni nominis philosophum, ingentibus præmiis euocatum perpulit, vt etiam prima literarum elementa puero traderet. Nec abnuit Vir doctissimus, quum intelligeret, quan-

quantum esset à principio recte instrui multis imperaturum; FRV- lib. 2. de ratione concion.
STRAQVE contemni pro paruis sine quibus ad maiora profe- Dexippus apud Cedrenum. Plut. c. 70. Athenæus 1, 15. & 19. Dio orat. 2. Suidas v. Ὀχχος.
27 ctus non esset. Variis deinde magistris, vt alius alia arte excellebat, vsus, non modo mentem egregiis impleuit disciplinis; verum etiam corpus omnis generis exercitationibus, ad vsum bellorum, & patientiam laboris edomuit: ne tum quidem vacuus, quum otiari videretur; quippe pila, vel saltatione virili, non tam laxabat animum, quam seriis obsequiis membra præparabat.

CAP. III.

Postquam deinde ætas & ingenium paulisper adoleuit, iam- Laërt. in Aristot. Ὀλυμπ. ἀναγραφή. Dionys. περὶ Δημοσθένους.
que seuerioribus studiis idoneus visus est, reuocatum, qui tum a-
2 pud Mitylenæos agebat, Aristotelem continuo secum habuit, donec post mortem patris rerum potitus, in Asiam transjiceret. Quo temporis spatio quidquid à tanto præceptore tradi potuit, perdidicit. Cognoscendæ rerum naturæ tanto auidius incubuit, quanto pertinaciore spe imperium vniuersi orbis præceperat. Cuius in-
3 dagationem postea quoque adiuuit, plane regio & animo, & sumptu. Aristoteli, quo naturas animalium certius atque perspectius commentari posset, tota Asia Græciaque parere iussit, quotquot Plin. 8, 16, 5.
venatu, aucupio, piscatuve vitam tolerabant, aut aliquam in eiusmodi negotiis peritiam adsequuti fuerant. Constat in eius ope- Athenæus 9, 13.
4 ris impensas octingenta talenta philosophum accepisse. Adeo autem cognitionem illam dilexit, vt in eam sumptum faceret, curamque impenderet, cuius fructum visurus non erat. Post centum an- Plin. 8, 22, 15.
nos capti sunt cerui cum torquibus aureis, quos addiderat, vt vel posteri cognoscerent, quanta fides habenda foret iis, quæ de isto-
5 rum animalium longæuitate ferebantur. Sublimioribus quoque disciplinis, quas *acroamaticas* adpellant, eruditum fuisse, ipsius testa- Plut. c. 12. Agell. 20, 4. Zonaras.
tur epistola: qua queritur Aristotelem *dignitatem earum enulgatis præceptis prof anasse.* Et ille excusauit; rescribens, ita libros illos esse edi-
6 tos, vt haberi possint pro ineditis. nec enim quemquam sententiam ipsorum magnopere percepturum esse, nisi quæ iis continerentur, iam antea didicisset. Idem, quum Rhetorica ab eo exi- Aristot. c. 1. Rhetor. de Alex.
7 geret, solicite vetuit, ne aliorum etiam in manus peruenire pateretur. NEQVE enim minus honestis artibus, quam potentia ceteros præstare cupiebat: indignabaturque communicari laudem
8 illam cum humilimis. Medicinæ quoque studio imbutum ab Ari- Plutarch.
stotele filio medici, ex gente Asclepiadarum, fidem ipsius episto- cap. 13. Laërt. in Aristot.
9 læ faciunt. Eam autem philosophiæ partem, quæ sibi aliisque probe imperare docet, ita coluit, vt magnanimitate, prudentia, temperantia, fortitudine, quam armis & opibus instructior,

Plut. c. 13. ctior, tantam imperii Persici molem subruere adgressus censeatur.
Ipse quidem prædicauit, *non minus se debere Aristoteli, quam Philippo*: 10
cuius enim munus fuisse, quod viueret; illius, quod honeste viueret. Ingenium 11
tamen ardens ambitione, nimia honoris gloriæque prædicatione,
Ethic. 4, 7. quam inter genera bonorum referendam esse Aristoteles sciuerat,
elatum fuisse, vt non modo imperii prorogandi gratia bella ex bel-
Zamos. anal. lis sereret, verum etiam deus haberi vellet, quidam non immerito
quit. Daciæ credidere. Ceterum non solum imperante Alexandro eximio ho- 12
c. 11. nore, maximisque muneribus adfectus est Aristoteles; sed & [a] viuo
[a] Aelia. hist. adhuc Philippo ingens institutionis suæ precium tulerat: impe-
var. 12, 54. Tzetzes trato, vt in ipsius gratiam patria instauraretur. Olynthios Phi- 13
Chil. 7, 140. Dio Chrys. lippus acerrimos hostes expertus fuerat; nam vicini Macedoniæ,
orat. 2. f. Laert, in Arist. & potentia hactenus haud impares, ægerrime tulerant, sub rege
Plin. 7, 29, 3. bellicoso vafroque regni opes crescere, adcolis perniciem, aut
Val. Max. 5, 6, 5. ext. Plut. seruitium adlaturas. Ergo quo infensioribus animis certatum est; 14
c. 51. aduers. Colotem. eo asperior victoria fuit. vrbem captam direptamque solo æqua-
Plutarch. ad- uit Philippus: ciues veniere. in reliqua etiam ditionis eorum op-
uers. Colot. pida sæuitum est. Inter quæ Stagiram, vnde Aristoteles genus du-
c. 50. Laertius. cebat, par calamitas obruerat. Eam tum regis permissu atque opi- 15
bus ex integro condidit: restitutæque leges tulit, quibus postmo-
dum vsa est. Ita quam stantem florentemque tot fortium virorum
manus ab excidio prohibere non potuerant; eam incensam atque
Plutarch. a- dirutam vnius ciuis excitauit ingenium. Quanti autem Aristote- 16
pophth. cap. 35. lem fecerit Philippus, hinc etiam æstimari potest, quod sæpe filium
monuit, vt sub tam idoneo magistro sapientiæ gnauam operam
daret; ne mox multa committeret, qualium caussa ipse pudore &
Casaub. in pœnitentia angeretur. Igitur postea quoque maximis rebus in- 17
Athenæum 14, 22. Proleg. not in tentus Alexander non omisit magistrum venerari; crebroque per
Curt. cap. 4. literas compellauit hominem, nec disciplinarum modo arcana, sed
v. Alexandri. & morum remedia petiit. Atque ille rescripsit, quibus ipsius atque 18
[b] Melanch. in subditorum felicitati consultum opinabatur *meminisset*, [b] *TANTAM*
Chron. Aelian. hist. var. *ipsi concessam esse potentiam, vt prodesset hominibus, non vt eos læderet. iræ quo-*
12, 54. Rutgersius var. lect. 1, 6. *que*, in quam maxime præcipitem nouerat, *modum poneret*; *neque e-*
[c] Plut. c. 13. & 94. *nim irascendum inferioribus: parem autem ipsi esse neminem.* Ad postre- 19
[d] Plutar. de mum tamen animo iam elatior spernere eum cepit: præsertim
quum ob [c] Callisthenis exitum infestum sibi, & præter sapientiæ
præcepta, etiam vindictæ caussa, ambitione [d] humanum fastigium
despicientis, disputationibus exagitare crederet. Certe paulo ante 20
mortem, Cassandro obiecta patri suo crimina purgante, exclamas-
se fertur; *Aristotelicæ versutiæ machinationibus instructum venisse, vt iustas alio-*
rum

rum * *querelas fallacibus argutiis eluderet.* deinde *vtrique, si vera quæ defer-* profect. virt.
21 *rentur comperisset, malum* minatum esse: tam vehementi vultu, vt diu sent. cap. 10.
post eius interitum, quum forte Cassander, tum rerum in Græcia & de laude
potens, imaginem Alexandri Delphis positam intueretur, reuoca- sui cap. 19.
22 tus in periculi sui memoriam, toto corpore cohorruerit. Quæ *Plut. c. 126.
res Aristoteli etiam magnæ infamiæ occasio fuit: quippe venenum
quo Alexander periisse creditus est, non alterius ingenio equinæ Curt. 10, 10.
vngulæ inditum, & Babylonem deportatum, rumor suspicatus est. 16.
23 Adamauit & musicam, eique setiam initio operam dedit: donec Plut. Pericle
contumeliosa interrogatione patris, *ecquid puderet tam sæpe canere?* cap. 2.
velut artem suæ maiestati indecoram, negligentius tractare cepit. Gregoras
24 Quo quidem tempore magistro chordam quandam ex artis præ- lib. 9.
scripto pulsare iubenti, *quid autem referat*, inquit, *si hanc pulsauero!* in Aelian. hist.
aliam intendens digitum. At ille, *nihil referre futuri regis, futuri au-* var. 3, 32.
25 *tem citharœdi referre*, respondit. Delectatus deinceps est masculo Dio Chrys.
cantu, quum molles fractasq; modulationes vt perniciem morum orat. 2.
auersaretur. Quo nomine maxime amplexus est Timotheum,
26 artis eius professione celebrem. Ille enim adcommodata ad in- Suidas v.
genium illius scientia, modo, quem *Phrygium* adpellant, ita aliquan- Τιμόθ. Dio
do eum rapuit, vt tamquam diuino instinctu exardescret animo, pr. orat. 1.
27 &, velut propinquo iam hoste, ad arma capienda prosiliret. Elo- Erasm. adag.
quentiæ etiam sub Anaximene Lampsaceno studuit. quæ res post- *à Dorio ad*
modum incolumitatem vrbi adtulit, quum Persarum opibus stu- *phrygium.*
28 dentem Alexander diruere constituisset. * Conspicatus enim Ana- Plut. de fort.
ximenem extra mœnia prodeuntem, nec dubitans, quin pro patria Alex. 2, 4.
deprecatum veniisset, *Græcorum deos* testatus est, *non facturum se quod pe-* * Pausan.
tisset. Quo audito callidus ille rogauit, *vt Lampsacum diruere*t. Ille & lib. 6. Val.
iurisiurandi religione adstrictus, & magis etiam præceptoris olim Max. 7, 3, 4.
sui sagacitate delinitus, gratiam delictorum Lampsacenis fecit. Suidas v. Ἀναξιμ.
29 Comœdos vt instituto suo parum cõgruentia tractantes, corrum- Athen. pr.
pendisque moribus natos contempsit. Neglexit & pugiles, quam- lib. 13. Dio
quam maximi tum in Græcia fierent. forte quod otiosos & sagi- Chrysost.
næ addictos, valida membra spectaculorum potius ludibriis, orat. 2.
30 quam patriæ necessitatibus commodare, non probabat. Reliquas Plut. cap. 6.
artes, etiam quas ipse non adtigerat, impense fouit. Vnde ex toto de fort.
fere orbe passim ad ipsum confluebant, quicumque insigni aliqua Alex. orat. 2.
peritia præcellere sibi videbantur: eique vel ingenii sui monu- Schoner. c. 1.
menta dedicabant; vel exhibito artis suæ specimine, à munificen- Algebræ.
tissimo regum, & cuius animo fortuna responderet, immensas ple- Quintilia. 2,
31 rumq; diuitias consequebantur. Etiam quos procul positos præ- 20, 5. Vitruu.
praef. lib. 2.
Lucian. pro
imagin.

clara

clara eruditio aut virtus commendabat, iis ingentia munera vltro largiri consueuerat. Igitur tantus ea tempestate doctorum atq; solertium hominum prouentus fuit; vt vix vlla ætas bonis artibus copiosior exstiterit. SOLENT enim ingenia moresque componi ad principum mentem; omnisque fere temporum inclinatio regnantium infamia, vel decus est.

Laert. in Xenoc. Plutarch. aduers. Colot. c. 50. & in Phocione cap. 120. & de fort. Alex. 1, 14. & 2, 1 & 4.

CAP. IV.

Ex veterum monumentis nihil antehabuit [a] Homero; quem vnum omnem sapientiam, qua imperia constant, optime complexum esse autumabat. adeoque eum cordi habuit, vt Græco cognomento *amator-Homeri* diceretur. Libros eius semper secum ferre solitus, etiam quum quiesceret, vna cum pugione sub ceruicali reponebat; *militiæ suæ viaticum, & institutionem belli & virtutis* adpellans. *Achillem* prædicabat *felicem, quod tantum virtutis suæ præconem* inuenisset. Reperto inter Damascenam prædam materiæ curæque exquisitissimæ scrinio, & disquirentibus amicis, [b] *cuinam vsui conuenientissime destinare-tur?* ipse, *Homero*, inquit, dedicabimus; *vt preciosissimum humani ingenii monumentum, elegantissimo etiam opere seruetur.* Inde obtinuit, [c] vt emendatissima poetæ editio, quam magna cura comparauerat Alexander, *è narthecio* vocaretur. quippe scrinium illud, quum adhuc Persarum esset, vnguentis & odoribus adseruandis seruiuerat. Quidam prospere gestæ rei nuncius, quum citato cursu ad eum ferretur, dextramque porrigeret, vultu maximæ lætitiæ notas præferente: *Quid mihi nunciaturus es tanto gaudio dignum*, inquit, *nisi forsan Homerus reuixit!* Sed tum eo iam felicitatis peruenerat, vt propemodum exsatiatæ gloriæ nihil deesse putaret, præter idoneum buccinatorem. Crebra autem lectione totum fere edidicit, vt nemo neque promptius eo familiariusque vteretur; neque exactius de eo iudicaret. Ex omnibus autem eius carminibus maxime probabat versum, quo boni simul imperatoris, robustique militis laudes Agamemnoni tribuuntur; eumque præcipuum virtutis incitamentum, & veluti morum suorum magistrum habuit. His itaque disciplinis imbutus, summæ fortunæ vim atque dignitatem egregie tutatus est; superbia & licentia, qua quidam sola principes agunt, abstinuit. Cultu curaque corporis haud multum supra priuati modum eminens, virtute potius quam vestium ornatu anteire suos, imperatorium censebat: hilaris, humanus, adfabilis; vt tamen contemptum excluderet: vino deditus; sed citra ebrietatem. nam si otium nactus esset, sermonibus magis quam compotatione tempus extrahebat. Voluptates ita contempsit, vt matri curam iniiceret, ne plane ad generandum inhabilis esset.

[a] Dio Chrysost. tota orat. 2. Plut. c. 13. & de fort. Alex. 1, 4. Vopisc. pr. Probi. Cicero pro Archia cap. 10. [b] Plut. c. 44 [c] Strabo lib. 13. Plut. c. 13. Plin. 7. 29. Lucian. dial. mort. Plutarch. de fort. Alex. 1, 13 Homer. Iliad 3, 179. Curt. 3, 6, 19. Athen. 10, 10.

Illud

Illud inprimis religiose tenuit, ne cuius thorum violaret. Quibus vitæ mortumque institutis diu inhæsit; magnumque & memorabilem regem egit: donec impetu quodam, & velut torrente fortunæ conuulsus & mutatus, pristinam animi moderationem paulatim exueret. Animi robur cum insigni dexteritate, magna patris & aliorum admiratione ostendit in equo bucephala; nam id nomen bubuli capitis figura insignitus acceperat. Plurimum tum equestri laude pollebat Thessalia; nobiliumque equorum greges multis locis alebantur. Eminebat tamen inter omnes viribus & specie bucephalas, quem Philonicus ex Pharsalia oriundus, maximo in illis regionibus principe dignum existimans, ad Philippum adduxerat, sedecim talentis venalem. Quum autem velocitatem equi obsequiumque experturi in campum descendissent; nemo amicorum satellitumque regis tractare eum potuit. quin insurgebat in omnes, & conscendere conatos ferocia exterrebat. Iamque pro indomito, & ob feritatem inutili, relinquebatur; quum suspirans Alexander, *Qualem isti equum perdunt, per mollitiem animi, & tractandi imperitiam!* Quo sæpius repetito à patre increpitus, *quod ob negotium, quod emendare non posset, maiores peritioresque conuicis mœsseret*; *ego vero*, inquit, *emendabo pater, si permiseris.* Atque illo subjiciente; *frustratus autem quam pœnam pendes? equi*, inquit, *precium tuam.* exortoque omnium risu, conuenit, *vt victor equum patre emente haberet, victus amitteret pecuniam.* Tum Alexander comprehensis equi habenis, eum ita statuit, vt in aduersos solis radios conuersus, vmbram suam conspicere non posset: ea enim antea exterritum acrius ferocisse obseruauerat. quumque nihilominus æstuaret, iubam demulcens, dimissaque sensim clamyde, in sæuientem adhuc insilit. Ille parendi insolens ceruicem & calces iactare, multaque peruicacia contra frenum niti; denique proripere se conari, & ingenti violentia cursum moliri. Spatiosa & equitabilis planicies suberat, ergo ferocientem exultantemque effusis in collum habenis, adactisque calcaneis cum ingenti clamore in cursum permittit. Ingens deinde campi spatium euectus, iam lassatum & consistere volentem impellere non antea destitit, quam exhaustum cursu, & labore domitum, mansuetiorem iam mitioremque reduxisset. Descendentem manantibus gaudio lachrimis complexus est pater; osculoque capiti impresso, *maius imperium sibi circumspicere iussit, nec enim Macedonia regnum tantum indolem capere.* Posthæc bucephalas quum in ceteros ferociam suam retineret, vni Alexandro mira submissione paruit; multorumque mox laborum atque discrimi-

Plutarch. apophth. cap. 36. Schol. Arist. in nub. Plin. 8, 42. Iust. 7. 6, 8. Plin. 8, 42. Plut. c. 9. Curt. 6, 5. 18. 8, 14, 34.

*Blond. h.1. Romæ inst. Mer. Cosm. in regione vrbis sexta Ant. Lafrerus Sequanus formis æneis excudit. Bern. Gamucci lib. 3. dell'antichità di Roma. Rosi. ant. 1.6.

CAP. V.

[a] Plut. c.14.
[b] Paul. Diac. de gest. Longobard. 5.40.
[c] Stephanus v. Ἀλεξάνδρεια.
[d] Iust. 9.1.8.

criminum socius, in prœlio aduersus Porum periit. Dignum id argumentum visum est, quo inlustrarent opera sua nobilissimi artifices. * duas ex marmore statuas equum domantis ostentant; Praxitelis & Phidiæ certamen. Alexandri eas imagines esse, quamuis ambigi possit, auctores haud obscuri crediderunt. 2

His atque talibus ingenii animique experimentis eam apud Philippum existimationem nactus est,[a] vt quum ipse Byzantinos obsidione vrgeret, idoneum iam crederent filium, cui libera cum potestate Macedoniæ curam committeret, annos omnino sedecim habentem.[b] Quo comperto Medarorum quidam, Thracia 2 natio, Macedoniæ subiecta, opportunum defectioni quam dudum agitabant tempus aduenisse rati, consilia nudauere. Sed adolescens ostentandæ virtutis occasione lætus, cum ducibus à patre relictis propere in eos mouit: victisque & eiectis rebellibus, vrbem eorum varij generis conuenis habitandam dedit:[c] illi Alexandropolim ex nomine auctoris sui adpellauere. Philippus euen- 3 tu rei gaudens, ceterum solicitus ne suo arbitrio permissus adolescentis animus,[d] maiora viribus cum exitio capesseret; euocauit eum, vt se magistro, ardorem prudentia temperare disceret: & in subigendis Chersonesi oppidis, strenua promptaque opera eius vsus est. Ceterum quum ad Byzantium, validam vrbem, hæreret 4 obsidio, ciuibus egregie pro libertate pugnantibus; *ijsque Græci barbarique, quibus incrementa Philippi suspecta erant, certatim auxilio venturi* nunciarentur; desperata victoria, id vnum agitabat, quanam ratione quam minimo copiarum atque famæ damno ab obsidione discederet. Imperabat eo tempore Getis, Scythico populo, Athe- 5

Iustin. 9.2. Oros. 3.13.

as: qui armis Istrianorum pressus, auxilium à Philippo petiuerat, spe adoptionis facta, si fessis Getarum rebus succurreret. Idem quum hostium imperator decessisset, belli metu liberatus, Macedonas vacuos remiserat, negans *vel ipsorum auxilio, vel adoptione Philippi egnisse; cui aduersus hostes satis propriarum virium, & in successionem regni filius esset.* Eam barbari contumeliam vlturum ferens Philippus, 6 omisso Byzantio in Scythiam conuertit agmen. Vbi conserto

Otto Frising. 2.24. Io. Magnus hist. Goth. 3.10. Aeschines contra Ctesiphontem.

prœlio, quum numero superiores Scythæ essent, nec virtutis pœniteret, arte Philippi Macedonibus victoria cessit. Cuius omne 7 pecium pecorum equorumque maximi greges, & infirmioris ætatis sexusque captiui fuere: ceteræ prædæ nihil exceptum est. quippe opibus minime studebant Getæ; sed quotidiano victu contenti, paupertatem inter vitæ commoda numerabant. Cete- 8 rum quum ex Scythia regrediens, longo impedimentorum agmine, per

ne, per Triballos iter faceret; illi opportunis locis occupatis transi- 9 tum negabant, nisi prædæ partem accepturi. Erant in exercitu Philippi mercenarii Græcorum milites, qui & ipsi; quum in discriminis partem venissent, commodorum exsortes haberi moleste ferebant. Inde orta seditione ad manus ventum est: tam acri certamine, vt multis vtrimque cadentibus etiam rex sauciaretur; transfosso femore, eodemque vulnere interfecto equo: tanta vis 10 adacti teli, tantaque virtus inferentis ictum fuit. Ibi tum ante omnes prosiluit Alexander, iacentemque clypeo protegens, inruentium in eum alios occidit, alios auertit in fugam. Ita filii pietate seruatus est, abscedentibus qui oppressuri fuerant; eo promptius, quod interfectum crediderant: sic ipsi vulneris atrocitati vitam debuisse visus, mortis opinione mortem effugit. præda inter 11 consternationem amissa est. Ceterum ex vulnere claudicare coactus, quum initio eam corporis deformationem ægro animo ferret, memorabili ad posteritatem adolescentis voce monitus est, *non* Plutarch. 12 *irasci vulneri, cuius opera ad singulos gressus suæ virtutis admoneretur.* Satis de fort. iam gloriæ potentiæque Philippo quæsitum erat; satis etiam peri- Alex. 1, 13. culorum atque vulnerum pertulerat: *si quietem pari posset ani-* Demosth. 13 *mus ambitione vecors.* Tributarios Illyriorum Macedonas, de corona. omnium non vicinorum modò, sed etiam longe dissitorum domi- Curt. 10, nos effecerat: Triballos subegerat: Thraciam habebat in potesta- 2, 23. te: multis Græcorum populis imperabat; alios metu, aut largi- 14 tionibus tenebat obnoxios. Thessalos Daochus, Cineas, Thra- Demosth. sydæus, cum Eudico & Simo Larissæis; Arcades Cercidas, Hiero- de corona, nymus, Eucalpidas; Argiuos Myrtis, Teledamus Mnaseas; Eleos Plutar. Demosth. cap. 15 Euxitheus, Cleotimus, Aristæchmus, regio iugo subdiderant: Mes- 24. senios Philiadæ liberi, Neon & Thrasylochus; Sicyonios Aristratus & Demaratus; Megarenses Prœodorus, Helixus, Perilaus; Eu- Demosth. bœenses Hipparchus, Clitarchus, & Sosistratus, suæ quique ciui- de falsa le- tatis principes, conciliabant: Olynthum Euthycrates & Lasthe- gat. Diodor. nes prodiderant. Vna Spartanorum ciuitas veteris disciplinæ 16, 54. 16 egregie tenax, & proditionis immunis fuit. Sed quum imperio Pausan. totius Græciæ immineret, Athenienſium maxime opes morati de- lib. 7. stinata cernebat. nec deerant in ciuitate qui res ad ipsum traherent; sed populus, qui omnia poterat, impellente Demosthene contra Macedonum opes nitebatur: crebrisque vt inter potentes vicinos contentionibus, ingenium Philippi callidum, audax, & ob 17 dominationem fidei famæque negligens cognouerat. Maxime vrebat regem recens dolor, quod ad Byzantium, Athenienſium

Demosth. de corona Diodor. 16, 78.

opera, spe sua excidisset: qui non modo centum & viginti nauium classem obsessis auxilio miserant; sed & Chiis Rhodiisque eadem audendi auctores fuerant. Igitur dum percuratur vulnus 18
in Triballis acceptum, omnia occulte præparabat, quo Athenienses improuisus opprimeret. Exercitum retinenti obtentui erant
Illyriorum nationes, quæ ingenio feroces, & seruitutis insuetæ,
Cutt. 8,1. 25. impositum nuper iugum excutere tentabant. In eos Alexander 19
missus, barbaris fusis fugatisque, eam de fortuna atque virtute sua
spem, & reliquis fecit, & ipse concepit, vt iam sine patre rebus gerundis se parem existimaret. Hæc per biennium gesta. Philip- 20
pus autem præparatis omnibus, quæ olim destinauerat exsequi
maturum ratus, exoptatissima occasione oblata, ante initium ve-
Aeschines cõtra Ctesiphontem. ris cum exercitu in Græciam venit: conuocatis etiam ex Peloponneso copiis sociorum. Quippe Amphictyonum decreto creatus 21
erat imperator Græcorum, vt insolentiam Locrorum, qui Amphissam incolunt castigaret: namque Cyrrhæum agrum Apollini dicatum, Amphictyonum auctoritate contempta, colere perseuerabant; ducemque ab his creatum, interemptis quibusdam, vulnerauerant. Erat tum Philippo fœdus cum Athenien sibus, sed pa- 22
rum in eo præsidii futurum arbitrabantur, si regi violandæ fidei
merces adfulsiflet. Igitur legatos ad ipsum mittunt, petituros *vt*
pactis staret; aut certe ante ver adultum nihil hostile moliretur. deliberaturum
interea populum Atheniensem, qua ratione controuersiæ, quæ inciderant, *componi possent.* Thebas quoque legationem decernunt, quæ exposito 23
communi periculo, hortaretur *vt simul cum ipsis tutelam Græciæ susciperent.*
Demosth. de corona. Sed Philippus per hospites & amicos, quorum Timolaus, Theogitonque & Anemœtas plurimum apud ciues suos poterant; Thebanos in amicitia Macedonum continuit. Ratusque si cum solis 24
Athenienses futura res esset, facile se superiorem fore, victis ad
Plutarch. Demosth. cap. 24. Amphissam Locris eorumque sociis; in Phocidem raptim ducto
agmine, Elateam finibus Thebanorum simul Athenensiumque
imminentem occupat, impositoque præsidio, velut in belli sedem,
operibus munit. Eius rei nuncius noctu Athenas perlatus tanta 25
trepidatione vrbem impleuit; vt quum primo diluculo populus in
concionem venisset, inuitante ex more præcone, *qui salutare patriæ*
Demosth. de corona. *consilium haberet, vti diceret*, nemo surrexerit. Donec Demosthenes 26
congruentia tempori differens, persuasit, *vt è vestigio classis & exercitus*
educerentur; & legati tum ad ceteros Græcos, tum imprimis ad Thebanos mitterentur. in hanc sententiam decreto facto, Chares & Lysicles copiarum imperatores constituti; Demosthenes legationis ad Theba-
Diodor. 16, 86.

nos

27 nos princeps ire iussus est. Non fefellerat ea res Macedonis solertiam, satisque prospiciebat, quanta belli moles oritura esset, si in-
28 ter istos populos fœdus conuenisset. Quippe Athenensium ciuitas tunc etiam opibus & auctoritate satis pollebat: nec Thebanorum aut potentia contemnenda erat, aut opinio. necdum exoleuerat memoria Leuctricæ pugnæ, qua principatum Græciæ La- Probus Epaminonda.
29 cedæmoniis extorserant. Igitur vt & sociorum confirmaret animos, & diuersæ factionis machinationes præuerteret; Amyntam Plutarch Demosth. cap. 24. Diodor. 16, 86.
& Clearchum Macedonas eo misit; addito, cuius eloquentiæ plurimum fidebat, Pythone Byzantio: quem in concilio Bœotorum
ita loquutum accepimus.

SI Philippo in Macedonia desidente, Elateam Atheniensis exercitus haberet, CAP. VI.
neque vobis vllum cum rege fœderis aut amicitiæ ius esset: tamen dubitare non de-
beo, quin illius societatem effectis optaturi. quis enim illum tantæ potentiæ, tantis-
2 *que rebus gestis, ciuitati fama quam viribus validiori non præponeret? Nunc au-*
tem quum illo, qui victricibus copiis velut vestibulum vrbis vestræ obtinet, socio at-
que amico vtamini; ab Athenienses multis veteribus atque novis iniuriis adfecti
estis; horum amicitiam, neglecto rege, vobis fundere, profecto contumeliæ est. The-
3 *bani. Sed superbissimi mortalium sibi solis ingenium consiliumque superesse autu-* Iustin. 5, 3, 5.
mant; reliquos, & inprimis Bœotos (vobis enim præ ceteris insultant) ineptos & Plutarch.
4 *rudes esse, nec quæ vilia honestaque factu sint, dignoscere. Itaque quo nihil est de-* Alcibiad. cap. 4.
mentius, id se vobis persuasuros putant, vt ex ipsorum potius arbitrio, quam vti-
litate vestra hostes atque amicos habeatis; verbis confisi, in quibus omnis ipsorum
5 *vis est. Sed VERBA nemo sanus ante facta habuit, præsertim in bello: vbi res manu*
geritur; linguæ promptitudo superuacanea est. Vt sibi diserti videantur, virtus &
6 *fortuna Philippi, tantis suis sociorumque viribus subnixa plus poterit. Nec enim fa-*
cile dixerim stolidior an impudentior sit eorum postulatio. Intentatum Atticæ Liu. 25,
fulmen excipite Thebani: socio atque amico regi bellum cum exi- 20, 1.
tio vestro facite, vt nos in tuto simus: vestros agros, vestra corpora
objicite, ne iniuriarum suarum vindictam ab Athenienses Phil-
7 ippus exigat. *Hæccine sunt postulata hominum, qui aut ipsi sano iudicio vtan-*
tur, aut alios vti credant! Qui modo nullam premendi vos occasionem prætermi-
serunt; qui vos contumeliis, iniurijs, armis quantum potuerunt persequuti, ve-
stras clades atque pericula felicitatem suam rati sunt: ij nunc à vobis petere audent,
8 *vt cum ipsis perire malitis, quam cum Philippo vincere. At iste hospes & alumnus*
vester, educatus in contubernio Epaminondæ clarissimi imperatoris, sanctissimi- Iustin. 7,
que viri, cum ipsius moribus à tenera ætate caritatem vrbis vestræ imbibit: vestras 5, 3.
& Apollinis iniurias Phocensi bello vltus est; quum Athenienses odio vestri sacri- Plutarch.
9 *legis auxilia mitterent: iterum communi Amphictyonum decreto exoratus eiusdem* Demosth.
numinis contumeliam in Locros vindicauit: huc quoque profectus est, vt vestris cap. 24. Iustin. 8, 1, 11.

commo-

commodis consuleret, non absessurus, donec vos metu æmulæ inimicæque ciuitatis
Demosth. de corona. soluerit. Id siue communibus consiliis virtusque lubet exsequi; non vetat, quo 10
minus in prædæ verius quam belli societatem veniatis; siue quiescitis, transitum
concedite: ipse communium iniuriarum idoneus vltor erit. neq; minus ad vos red- 11
ibit emolumentum victoriæ: greges, armenta, mancipia quæ ex hostibus capientur,
maxima ex parte penes vos, vt vicinos, erunt: inde Phocensis belli damna sarcietis.
Id magis ex vsu vestro sit, an vestros agros vri, vestra oppida expugnari, incendi, 12
diripi, vestras denig; res agi ferrique, quod Athenienses optant, expendite. Nam
IRACVNDA res est suspectus immerito candor, quoque promior beneuolentia fu-
erit, acrioribus stimulis in vindictam agitur. Ceterum hæc ita refero, non quo vobis 13
ingratitudinem exprobrem, de qua nihil vereor; nec vt formidinem incutiam,
qua nihil opus futurum existimo: sed vt Philippi in vos beneficia, & vicissim in illum vestra cogitantes, admoneamini, EA DEMVM firma atque perpetua esse fœdera, quæ seruari vtriusque interfit. Quod si maiora sunt illius merita, vobis curæ 14
erit, vt mutuo in illum animo sitis: ille maximum laborum præmium putat, subuenisse Græciæ, pro cuius salute atque dignitate perpetua cum barbaris bella gerit.
Atque vtinam illum Athenienſium furor ingenio suo vti passus esset, iam in Asia au- 15
diretis arma ipsius esse, quæ nunc coercendis improborum motibus, inuitus per Græ-
Demosth. de Halonesso. Literæ Philippi ad Athen. apud Demosth. ciam circumferre cogitur. Poterat quidem amicis Athenienſibus vti, nisi huic De- 16
mostheni, atque aliis quibusdam, qui imperitam multitudinem, vt expositum ventis mare, orationum suarum aura, quo volunt, impellunt, vectigalem se facere indignum, vsuque & exemplo fœdum existimasset. Quippe si apud illos honestati 17
precium esset, gratuito boni forent. QVIBVS honesta vendere mos est, si eadem flagitij merces detur, vtilia à noxiis, recta ab inhonestis non distinguunt: lucro, non adfectu virtutis aut patriæ, neque deorum hominumve reuerentia ducuntur. No- 18
lite honesti aliquid aut egregij exspectare ab his hominibus: vestris vtilitatibus non mouentur, qui patriæ tam male consulunt. Implicare vos volunt ijsdem calamitatibus, ex quibus modo Macedonum virtute atque fide liberati estis: tantoque maioribus, quanto formidabilior hostis futurus esset Philippus, quam Philomelus, aut Onomarchus fuere. Nam in PRECARIO imperio etiam boni ducis conatus haud 19
minus ciues quam hostes præpedium: regum iussis nemo intercedit, nemo refragatur: vnius arbitrio cuncti reguntur. In quo, quantum in rebus bellicis momen-
Demosth. de corona. tum sit, non ignoratis. Nec iam in vno corpore Macedonibus id præsidium est. 20
Philippum etsi fatum auferret, Alexander regenerat. qui iam in adolescenti hac ætate ea animi ingenijque documenta edidit, vt prope constet, summis imperatoribus parem esse futurum. Contra apud Athenienses pacis bellique arbitrium, quia 21
penes omnes est, velut in medio positum audacissimus quisque ad se trahit; impetu magis quam consilio cuncta aguntur: homines maligni suadent, imperiti decernunt: bellum sumitur animosius, quam geritur: fœdera haud minori facilitate quam iunxere violant. Nam & cum Philippo fœdus ipsis est. quod quam sancte 22
seruent,

seruent, ve ipsa declarant. nec enim pro se fidem violasse satis habent; nisi per
23 ipsos latius serpat ista contagio. Vestra autem constantia, Thebani, qua non minus quam rebus fortiter feliciterque gestis magni clarique habemini, non sinit ambigere, quin multis experimentis cognitam regis amicitiam, semper infestæ æmulæque
24 ciuitati prælaturi sitis. Neque vero auerruncator malorum Hercules siuerit, vt quem indigenam ciuemque deum præcipua religione colitis, eius sanguinem impio iniustoque bello persequamini. Nam ceteros quidem socios, quam amicitiæ regiæ
25 non pœniteat, ex ipsis vos malo cognoscere. Hæc Python. Auditi dein sociorum legati, prolixe commendato regis animo, petiuerunt, vt ipsum potius Græciæ vindicem, quam perturbatores eius Athenienses sequeretur.

CAP. VII.

At Demosthenes facta dicendi potestate, Non ignorabam, inquit, istos Philippi mercenarios neque laudibus in ipsum, neque in nos conuiciis esse temperaturos. nam QVI PVDOREM consumpserunt, quid loquantur aut fa-
2 ciant parum pensi habent, dum cupitis potiantur. Sed illi quidem, si bene vos noui, Thebani, spe sua egregie falsi, dignum virtute vestra, Græcorumque moribus responsum ad Macedonem referent: vos autem ad ea quæ nunc agenda sunt, ani-
3 mum diligenter aduertite. nam vestrorum quoq; negotiorum summam nunc agi ipsis rerum argumentis ostendemus, non verborum præstigiis, quibus isti vereri se
4 dicunt ne capiamini. Sed quando sic pro vobis sunt soliciti, ponant metum, nihil faciemus quo eloquentiores videamur. malam quandoque causam adiuuit facundia: VBI NVDAM veritatem spectari dicentis interest, verba nemo prudens ad-
5 pendit. Nec de Philippo laboramus; sit sane per nos qualem isti fingunt: sit etiam pulcher, eloquens, atque adeo in conuiuiis etiam hilaris. nam & hinc eum com-
6 mendauere quidam; adeo inanem veræ gloriæ fatebantur. Ceterum legatos eius miror ea ciuitati nostræ coram vobis obiecisse, quæ si crimina sunt, non magis Athenienſibus, quam Thebanis defendenda esse, in confesso est. popularis enim status incommoda exagitant: quæ licet non ignoremus vtrique, tamen regio dominatui
7 merito præferimus. Atqui illi sic loquuti sunt, tamquam in circulis & conuiuijs Macedonum adulatione gratiam quærerent; non apud liberam ciuitatem officio
8 legatorum fungerentur. Scimus quidem regum regiorumque mancipiorum aduersus gentes vrbesque liberas pertinacia odia; & simpliciter fecerunt isti, qui detegunt: sed eo magis admittendum nobis est, Thebani, vt iura legesque nostras tueamur. Et optandum imprimis esset, vt qui rempublicam adtigerunt, ijs vnum, idemq;
9 pulcherrimum certamen foret, quinam rectius ciuitati suæ consulerent, aut consulta exsequerentur: nemo communia commoda posthaberet priuatis: nemo acciperet mu-
10 nera; nemo istorum exemplo patriam Philippo proderet. Verum, Thebani, NVLLI vnquã non ciuitati modo, sed etiam homini integra perfectaq; felicitas obtigit: bea-
11 tissimus habetur, cuius fortuna minimũ ex aduerso trahit. Malos autem nobis ciues esse, nemmem fugit: ne vos quidem caruistis, aut caretis, Thebani: nam sine eo esset, non iam Elateæ Philippus libertati nostræ plagas tenderet; sed de regno Ma-

cedoniæ

cedoniæ nobiscum decertaret. Habemus tamen & bonos; eosque plures malis, & potiores. Argumentum poscis? liberi sumus: non seruimus Philippo, sicut tu Python Byzantios tuos seruire voluisti; tu autem Daoche, & tu Thrasidæ Thessalos regi vendidistis. Thessaliam enim seruitute Philippi premi, videtis Thebani, & nisi fallor, iuxta nobiscum ingemiscitis: Byzantium, quantum in Pythone fuit, idem manebat exitium, quod Olynthus perpessa est: nos liberauimus. Quippe Græciam ciuitatem, cum maxime sociam atque fœderatam, ille religiosus atque venerabilis adsertor Græciæ nec opinantem opprimere adgressus fuerat. Hæc est nimirum præclara ipsius prudentia, calliditatem pro ingenio habet: periurium artem putat: perfidia tamquam virtute vtitur. Aut dicat denique quo alio pacto formidabilem illam potentiam nactus est: si Græcos fraudibus, insidiis, proditione non cepit; si barbaros etiam non auro magis quam ferro vicit; si denique cuiquam mortalium aut fidem dare grauatus est, aut datam fallere non sustinuit. Istu tamen ille Græciæ vindex, nos perturbatores sumus! Sed quid istos pudeat, qui sua crimina nobis obiectare malunt, quam non admonere vos eorum, quorum ipsi manifesti sunt? Si quis captorum munerum aut proditionis reus esset, illum tuendo, propugnando, legibus & pœnis eripiendo vestrum negotium ageretis: nunc alios accusando, in vos sententiam dicitis. Quod si ignari, quorsum ea res pertineret, id admisistis; prudentiam in vobis requiro: si scientes prudentesque; verecundiam. Pro mea, quique in eadem mecum caussa sunt, innocentia fuisse cerit, quod nos à Philippo nihil accepisse ipsi fatemini. nec enim si quid petiuissemus, vacuos abire passus esset liberalissimus rex, vt à vobis quidem prædicatur. An qui vos corrupisse operæ precium putauit, nobis, etiam petentibus, non largiretur? At Thebanos modo monuistis, ne consilium eorum sequerentur, qui patriæ male consuluerunt. Ego vero desino aduersari illis, Thebani, si ita sentiunt: in ipsorum opinionem transeo; vosque quanto maximo potest opere hortor, oro, obsecro, perque vestram & communem Græciæ salutem obtestor, vt hoc ipsorum decretum amplectamini. Id si feceritis, neque pecorum atque armentorum gratia vos ipsos venire patiemini; neque vt ergastulis ager vester frequentetur, inter cetera Philippi mancipia Pæonibus & Triballis seruietis. Nam isti greges & mancipia intueri vos iubent, egregia seruitutis præmia; vxores, liberos, parentes, libertatem, famam, fidem denique & fas Græcorum vilia habere. Hæc enim profecto perdidistis, Thebani, nisi fraudi violentiæque Philippi vna nobiscum resistitis. Quod si alienis laboribus tutos vos fore persuasum habetis, vereor ne magnopere decipiamini. Etenim (quod abominor) Philippo victore, cui dubium est, quin neque vos, neque quisquam Græcorum libertatem tueri possitis (nam in fide Philippi multum reponere, eorum est qui perire velint) at si nos Victoria respexerit, quid ab hominibus, quos in extremo salutis atque dignitatis discrimine deseruerit, exspectandum vobis putetis, considerate. Nam quæcumque vobis sententia sederit, Athenienſibus certe omnia experiri, neque libertatem prius quam vitam amittere decretum est. Quamquam

Plutarch. cap. 24.

Demosth. de coron. Ὀλυμπ. ἀναγ.

etiam viribus non diffidimus: quibus si vestras sociatis, coniuncti vtique superiores erimus hosti, cui singuli pares esse possumus. Non ignoramus potentiam eius Athenienſes, quam olim nascentem augescentemque præuidimus; &, si ceteris Græcorum eadem mens fuisset, præcaueramus. Diu enim bellum cum eo gessimus, non de Amphipoli, aut Haloneso, vt plerisque credebatur; sed pro salute & libertate Græciæ: donec destituti ab omnibus; à nonnullis etiam oppugnati, pacem necessariam magis quam honestam fecimus. Sed nunc, opinor, præses arcis nostræ Minerua, & Apollo Pythius patrium nobis numen, ceterique Græcorum dij * aperuerunt oculos, & in vindictam auitæ libertatis populorum suorum animos excitant. Certe Herculem non sine indignatione verba legatorum audiuisse arbitror, Philippo stirpem ab illo deo repetentium. Ille enim adgnoscat deus, omnium religionum contemptorem; Græcus, Macedonem; tyrannum, osor, punitor, exstirpator tyrannidis! Nullo enim alio argumento clariora sunt Herculis opera. at ille Græciam dominatu premit; quibusdam etiam ciuitatibus domesticos tyrannos imposuit, Philistidem Oreo, Hipparchum Eretriæ, Chalcidi Taurosthenem. Ergo iam [a] Euboei, Achæi, Corinthij, Megarenses, Leucadij, Corcyræi nobis fauent: alij fortunam spectant, [b] quæ hactenus vnicum Macedonicæ potentiæ vinculum fuit, quo le uiter abrupto, vltro dilabetur. Quippe Thessali, [c] vnde Philippo robur equitatus est, [d] neminem vnquam diu fouere: Illyrii ceterique Macedonum adcolentes barbari, quorum & natura ferox est animus, & indignatione recentis seruitij inritatus, si principia belli Philippo sequius euenerint, reliqua pro nobis conficient. Vos modo nobiscum acriter in hanc curam incumbite: sepositis interim contentionibus, quas inter vicinas vrbes sæpe leuis occasio concitat. odia priuata, post rem bene gestam, communis lætitia in benuolentiam vertet; aut quum porro insanire vacabit, cum dedecore forte damnoque vtrorumque, sed tamen citra exitium resumentur. Neque dolos Philippi timueritis: modo promissis eius aures occluditis; manus continete à muneribus. SI NIHIL ante libertatem habueritis, calliditas & largitiones frustra erunt. potentiam vt discordiæ Græcorum extulerunt, ita consensus obruet. Quin & ipse, vt est temerarius, excipi potest. quod si accidat, nihil à ceteris est periculi. nam ipse gloriam atque dominationem; qui sub eo sunt, quietem expetunt. Nisi forte Alexandrum veremini: quoniam isti quidem ita vos contemnunt, vt idoneos putent, quibus etiam pueri nomen formidinem possit incutere.

* Demosth. de corona. Plut. Alcib. c. 4. *Curt. 5, 8.

[a] Demosth. Philipp. 4. Dinarch. contra Demosth. [c] Demosth. de coron Plutarch. Demosth. cap. 24. [b] Demosth. ad Philippi epistolam. [c] Iust. 7, 6, 8. [d] Demosth. aduersus Aristocratem. Demosth. Olynth. 2. Plut. c. 19.

CAP. VIII.

CRederes alios repente factos Thebanos, qui modo regios legatos adtente, atque etiam cum adsensu audiuerant, adeo in contrarium mutati sunt; vt Philippum hostem iudicarent, ni quamprimum suis sociorumque finibus decederet: Macedonicæ factionis homines vrbe pellerent: & Athenienſium copias eo reciperent. At Philippus inopinata Thebanorum defectione turbatus magis quam territus, insistere destinatis non omisit. Duobus

Plutarch. Demosth. cap. 25. Iustin. 9. 4. 8. Demosth. de corona.

leuibus prœliis commiſſis, quum Athenienſes ſucceſſus non pœniteret; tandem vtrique ad Chæroneam Bœotiæ oppidum totis viribus conſedere. Græcos decora maiorum, & cura libertatis ac- 3
cendebant: Philippus egregiis copiis, totque bellorum victoribus fidebat. in ſe quoque non parum momenti conlocabat, quod imperatoriis artibus ipſe præcelleret; Grærcorum celebratiſſimi duces iam deceſſerant. Theagenes Thebanis præerat, modico mili- 4
tiæ vſu, neque ſatis firmus aduerſus pecuniam: Athenienſium quoque imperatorum virtutem atque peritiam ipſe animo vſuque rerum longe anteibat. Sed duorum potentium populorum in 5
vnum conuerſæ vires, quorum auctoritatem Corinthii quoque aliique ſequebantur; iniecerant curam, miſima vnius diei parte, de capite fortuniſque omnibus dimicaturo. Ne Thebanorum 6
quidem principes à pacis conſiliis abhorrebant; ſed Athenienſium ardor euicit, vt omnes Græciæ ſpes opeſque vnius prœlij fortunæ permitterentur. Alexander etiam immodicus * animi teſtabatur patrem, ne tantam gloriæ occaſionem è manibus elabi ſineret: eoque tandem impulſo, primus in hoſtem impetum fecit. Pugna- 7
tum eſt acriter ambigua diu victoria. donec adoleſcens, quem cum delectis alteri cornuum præfecerat pater, ſumma animi viriumque contentione connixus ſacra Thebanorum cohorte, quæ ex optimis conſtabat, loco mota, victoriæ viam aperuit. Nam & Athe- 8
nienſes ſociorum calamitate fracti, æſtuque & vulneribus fatigati, non amplius ſuſtinuere Macedonum impetum. quippe Philippus æmulatione, & pudore ſi filio adoleſcente deterior videretur, grauis intoleranduſque incubuerat. Ita de libertate Græciæ iſta pu- 9
gna decretum eſt. Ceciderunt ex Athenienſibus amplius mille, ſupra duo millia capti fuere. ſociorum quoque multi aut pugnando mortem occubuerunt, aut viui venerunt in poteſtatem victoris. Miſſus poſthæc Athenas Alexander *veniam delictorum pacemque* 10
Athenienſibus Philippum dare pronunciauit; *captiuos etiam gratis reddere*; *nec vetare, quin occiſi tumularentur.* quippe rex intentus in Perſicum bellum, Græcorum fidem atque ſtudia clementia & moderatione prouocabat. Imperio tamen maris & inſularum Athenienſes ex- 11
uit: in Thebanos immitior. quorum ſubita defectione in ſummum rerum omnium diſcrimen ſe adductum fuiſſe meminerat; nec iudicabat veteribus ſociis, poſt beneficia ſua cauſſam fuiſſe contra ipſum cum Athenienſibus ſentiendi. Ergo quum vrbem 12
dedidiſſent; præſidio * Macedonum impoſito, interfectiſque quos maxime inuiſos ſuſpectoſque habuerat, aliis ſolum vertere iuſſis;

Diodor. 16, 86.
Dinarch. contra Demoſth.
Strab. li. 9.
Aeſchines contra Cteſiph. Plut. Demoſth. cap. 25.
* Dio pr. orat, 2.
Plut. c. 14. Curt. 8, 1. 23. Arrian. 7, 2, 13. Cappellus.
Diodor. 16, 87. Pauſan. lib. 7.
Iuſtin. 9, 4, 5.
Plutarch. apophth. cap. 30.
Pauſan. lib. 1.
* Pauſan. li. 9. Diodor. 16, 88. Iuſtin. 9, 4, 6.

reduc-

reductis ſuæ factionis exſulibus magiſtratus & iudicia tradidit.
13 Reliquos deinde populos, qui aduerſus ipſum arma ceperant, eo- Aelian. 6,
dem victoriæ impetu perdomuit. Nec quiſquam tota Græcia 1, 8.
præter Spartanos & Arcades dominationis eius expers manſit: ali- Iuſtin. 9, 5,
os armis, alios impari ſocietate imperiis ſuis obnoxios habebat. 3. Arrian. 1,
14 Igitur conuentu totius Græciæ * Corinthũ indicto, *de bello Perſis in-* 1, 3. Diodo,
ferendo diſſeruit. *obuiam eundum eſſe barbaris; IMPERIUM orbis immani* 17, 3.
ſuperbiæ ſibi deſtinantibus, aut parendum ſemper; aut mature reſiſtendum eſſe. * Diodor.
Nec enim hoc agi, bellum an pacem habeant Græci; ſed vtrum in hoſtiles agros id 16, 90. Iu-
15 *transferre malint, an domi accipere. Non veteres tantum iniurias vindicandas* ſtin. 9, 5.
eſſe; ſed præſens dedecus amoliendum, ereptis ex Perſarum ſeruitute Græcis ciui-
tatibus, quæ Aſiam incolerent. Commodiſſime id fieri poſſe, dum compoſitis in
Græcia rebus, vniuerſas vires in tranſmarinum bellum conuertere liberum eſſet.
16 *DOMESTICAE etiam quieti ea ratione proſpectum iri, amotis occupatiſque lon-*
ginqua militia, qui otioſi diſcordiis & audaciares turbare conſueuiſſent. Conſti-
tuerent igitur quo imperatore, quibuſque copiis bellum iſtud adminiſtrandum vi-
17 *deretur.* Non fallebat pleroſque quantum è republica peteretur: ſed ARMIS amiſſam libertatem intempeſtiuum videbatur verbis repetere. Nihil ergo dubitatum eſt, quin fauſtis adclamationibus *Philippus imperator Græciæ ad liberandum orbem terrarum in Aſiam proficiſci* Curt. 3,
18 iuberetur. Deſcriptæ deinde ſingulorum opes; & quantum quiſ- 10, 5.
que militum frumentique & pecuniæ mitteret, in tabulas relatum eſt. Ducenta peditum, quindecim equitum millia promiſſa fuiſ- Iuſtin. 9,
ſe repetio; quum in eo numero neque Macedones, neque paren- 5, 6.
tes Macedonibus barbari cenſerentur.

Ceterum, vt SINE mixtura calamitatis nulla in rebus huma- CAP. IX.
nis felicitas eſt, res foris proſperas domeſticæ turbæ exceperunt.
Animum coniugis olim, vt diximus, alieniorem Olympias moro- 1, 1, 16.
2 ſitate & adrogantia indies magis magiſq; auertebat. Inde *repudiatam* Plut. c. 14.
nonnulli tradunt: ego in eodem matrimonio manenti Cleopa- Iuſtin. 9, 5,
tram ſuperinductam comperio. Nec enim in tanto dedecore dul- 9. Verſio
ciſſimæ matris, cuius pudor * ad ipſum quoque pertineret (nam Arriani 3,
ob ſtupri ſuſpicionem expulſam addunt) interfuiſſet nouercæ nuptiis. 1, 24.
interfuit autem, & demum poſt contentionem, quæ in eo con- * Curt. 5,
3 uiuio exarſerat, matrem abduxit. Quippe quum auunculus 2, 22.
ſponſæ Attalus, poſt longam compotationem ſpem male te- Plutarch.
gens, *orandos Macedonibus deos diceret, vt ex noua nupta legitimum re-* cap. 15. Iu-
gni ſucceſſorem Philippus tolleret; Alexander in iram alioqui præceps, ſtin. 9, 7, 5.
& tunc iniuria iritatior, *nos ergo, ſceleſte, ſpurij tibi videmur?* inquit: ſimul calicem, quem forte dextra tenebat, in os illius impe-

gitatur. Alexandrũ ob iurgiũ cum Attalo, Philippus ense stricto petit: illecum matre Olympiade ex Macedonia profugit. Reuersus amicos sibi parare studet, tucrepante patre, quam ipse iisdẽ artibus uteretur. Cre-

Athenæus pr. lib. 13.

git; ille quoque inuicem coniecit poculum. Exorto tumultu, 4
Philippus qui in alio lecto adcubuerat, eius diei lætitiam turbari
moleste ferens, ense stricto Alexandrum petit: occideratque filium, nisi claudicantem ex vulnere pridem accepto gressum, ira vi-
numque præpediuissent. Prolapsus amicis subita re exterritis spa- 5
tium dedit, vt precibus, & vtrisque medios interponendo, Alexandrum eriperent. Nec minoris operæ fuit illum exorare, vt sal- 6
uus esse vellet. multiplici iniuria adfectus sibi videbatur; & quamquam *patris regisque* nomina, *naturæque & gentium decreta* ingererentur, non abstinuit, quin insultans Philippo iuberet *intueri Macedonas egregium transmittendi in Asiam belli auctorem, qui ex lecto in lectum transiliens procidisset.* Inde sibi matrique iuxta timens, in Epiro, cui frater 7
[a] Plutarch. cap. 15. & Apophth. cap. 33.
Olympiadis præerat, eam reliquit; ipse ad Illyriorum regem profectus est. [a] Postea quoque quum reconciliatore Demarato Co- 8
rinthio in Macedoniam reuersi essent; peruicacis ingenii mulier filium, suopte ingenio potentiæ anxium, incitare non destitit, *vt quos posset, humanitate aut pecunia in amicitiam inliceret; & aduersus iracundiam patris, etiam adfinitate potentium hominum se muniret.* [b] Sane olim mo- 9
[b] Plutarch. apophth. cap. 31.
nuerat Philippus, vt adfabilitate sibi conciliaret hominum studia; largitiones autem non vsquequaque probauerat: etiam per literas increpito [c] instituto eius, *quod beniuolentiam auderet sperare ab hominibus, quos muneribus corrupisset. FALLI qui regium id putaret: ministri & diribitoris officium esse.* Verum quum ipse *pecuniæ omnia penetrabilia* iactaret, ea- 10
[c] Cicero de offic. 2, 15. Val. Max. 7, 2, 8.
que [d] haud minus sæpe quam armis vteretur; non tam recta præcipiendi studio ita scripsisse visus est, quam metu, ne ab adolescente
[d] Diodor. 16, 55. Plut. apophth. cap. 31. Demost. de corona.
filio suis artibus oppugnaretur. Idem obiurgauit Alexandrum, 11
quod Pexodori filiam, quam Aridæo destinauerat pater, ambiuisset. [e] *degenerem, & fortunæ, in cuius spem educaretur, indignum* adpellando, *qui Carem barbarum, barbaroque regi subiectum, socerum optaret.* Sed [f] ipse 12
[e] Plutarch. cap. 16.
vt potentiam suam firmaret, nullam condicionem aspernatus erat, quin ex asperrima barbarie Illyrias Geticasque mulieres matrimonio iungeret. quamquam ex aliis etiam vxoribus pellicibusque
[f] Athenæus pr. lib. 13. Stephanus v. Ἰστρία Aelian. hist. var. 13, 36. Iornand. de reb. Get. c. 10. Io. Magnus. 3, 11. Plutarch. apophth. c. 33.
complures liberos suscepisset. Quod quum Alexandro molestum 13
adcideret, vrbane adolescentem coripuit; hortatus, *VT MVLTOS imperii æmulos habituros, operam daret, quo omnibus melior præstantiorque, non ob Philippum patrem, sed ex suo merito rerum potiri videretur.* Quum autem 14
ob has similesque causas crebra inciderent iurgia, nec abrupta semel beniuolentia iido adfectu coalesceret; ad extrema prolapsi sunt. præcipua Olympiadis violentia, in qua contumaciam sexus ingenium vastum & vehemens virili scelere in vindictam armabat.

Stimu-

bra inter eos iurgia ob quæ Olympias marito bellum struit. ille id auertit, filia Alexandro Epirotæ data, in quibus nuptiis à Pausania quod ã proprio dolori, & instinctu Olympiadis insenso, theatrũ, (vbi suã imaginẽ

Stimulauerat ea fratrem Alexandrum, vt Philippo bellum faceret. Iustin. 9,
15 Id ne alieno tempore excipere cogeretur, callidus rex, quamquam 7, 7.
vitibus plus poterat, firmata per nouam adfinitatem gratia præuenire studuit, desponsa Epirotæ, Alexandri germana, Cleopatra.
16 Ad istas nuptias celebrandas finitimarum gentium reguli, Græca- Diodor.
rumque ciuitatum legati frequentes Ægas conuenerant. id oppi- 16, 93.
dum elegerat Philippus, non sine quodam omine eorum quæ post-
17 ea adcidere: nam ibi Macedonum reges sepeliri mos erat. Fe- Plin. 4, 10,
runt etiam Apollinem Delphicum de bello Persico consulenti ma- 3 Athen.
turum interitum cecinisse. Sed ambiguum, vt mos oraculis, re- 4, 14.
sponsum Philippus ad barbarorum exitium blanda interpretatio- Tacit. 2,
ne traxerat. Alia quoque præsagia, quæ tum nemo animaduerte- 54, 5.
Pausa. li. 8.
18 rat, euentus monstrauit. Erat inter custodes regii corporis Pau- Arrian. 1,
sanias quidam, quem in solatium acceptæ ab Attalo iniuriæ, rex in 3, 25.
eum dignitatis gradum prouexerat. Quippe Pausaniam Attalus
19 mero onustum nefariis conuiuarum ludibriis exposuerat. Huius
vltionem quum à rege peteret, honorem accepit. Etenim Philippus virum spectatæ in bello fortitudinis, ad hoc nuper propinqua
adfinitate coniunctum punire adeo non sustinuit; vt insuper co- Diodor.
piarum parti præfectum cum Parmenione & Amynta in Asiam 16, 92. Iu-
20 præmitteret, opera eius vsurus in expeditione Persica. Pausani- stin. 9, 5, 8.
am autem rogatum, *vt ipsi temporibusque reipublicæ dolorem suum condonaret*, comitate adloquii & honestiore stipendio placare conatus est.
Sed adolescens maiorem contumeliæ, quam beneficii rationem
habuit: odiumque ab auctore iniuriæ, in negligentem eius vindi-
21 cem conuertit. Cum iis etiam, quos infensos Attali domui, nec Plutarch.
Philippo concordes esse nouerat, consilia communicasse non præ- cap. 17.
ter rationem creditum est; postquam ab Olympiade parricidæ in
cruce pendenti coronam auream impositam nemo dubitauit, alia- Iustin. 9,
que facinora perpetrata sunt, ex quibus totius sceleris ordo caus- 7, 10.
22 sæque haud obscure perspicerentur. Dubia adhuc luce theatrum Diodor.
ingens hominum multitudo impleuerat, spectatura ludos, qui su- 16, 93.
periorum dierum spectacula luxu & magnificentia longe supera-
23 turi dicebantur. Inter alia quibus diuitiis inludere solent opulenti reges, & fortunæ suæ magnitudinem non capientes, duodecim deorum effigies eminebant, in quibus artificum industria cum
materiæ dignitate certauerat. Tertiadecima Philippi thensa ad-
24 cesserat; nulla in re ceteris vilior. Id mortalitatis fastidium matura vltio consequuta est: & successu rerum insolescentem, seque
diis immortalibus æquantem, priusquam indebito honore fruere-

tur,

tur, fatum occupauit. Pausanias theatrum intrare volentem ob- 25
seruauerat: vtque præmissis amicis qui eum deduxerant, relictis-
que à tergo satellitibus (nam in tanta omnium beniuolentia nihil
iis opus esse volebat ostendere) solus ingrediebatur; percussor im-
prouisus adsilit, gladioque barbarico, quem sub veste habuerat,
latus nihil tale exspectantis haurit. Hic fuit exitus maximi ætatis
suæ regum. Macedoniæ regnum magnum ex inopi reddiderat: 26
circumiectam barbariem domuerat: Græciæ imposuerat iugum:
tum etiam Persico imperio imminebat. iam auxilia Græcorum 27
coibant; iam in Asiam transiecerant præmissi ab eo duces; quum
in ipso rerum gerendarum articulo, prolixum victoriæ fructum si-
bi pollicentem vita destituit. Ita MAXIMA quæque in lubrico 28
sunt; & audacissimas spes hominum quiliber ex improuiso casus
eludit. Olympias comperta morte regis Cleopatram Attali so- 29
rore genitam ad suspendium adegit; natum ex ea paucis ante pa-
tris necem diebus puerum in ænea pelui torruit: in clientes etiam
propinquosque eius atrocibus suppliciis sæuiit, & occasione vin-
dictæ per muliebrem impotentiam crudelissime vsa est.

Iustin. 9, 7, 12. Diodor. 17, 2. Pausan. lib. 8.

CAP. X.

SED Alexander, per cuius absentiam mater ista perpetraue- 1
rat, tamquam salutare sidus, componendis tantis fluctibus tem-
pestiuus adfulsit. Quippe erectis in spem libertatis Græcorum 2
animis, quos Philippus oppresserat; & tumultuantibus in vicinia
barbaris; ne Macedoniæ quidem tranquillæ res erant. Attalus 3
haud spernendi exercitus prætor, ambitioso [a] imperio mirum sibi
fauorem apud milites vulgus conciliauerat: principibus Mace-
donum propinquitate innexus, etiam Philotæ [b] sororem sibi de-
sponderat: neque post tantas vtrimque offensas inuiso infestoque
fides haberi poterat. Amyntas, quem fratre Perdicca genitum, 4
data in matrimonium Cyna Philippus [c] generum legerat, ad pater-
ni regni successionem per Alexandri cædem adspirabat. Populi 5
magna pars Olympiadis tyrannidem exosa, alii rerum nouarum
cupidine, varie in hunc aut illum inclinabant studiis: nec deerant
qui *Alexandro AEropi filio [d] restituendum dicerent fastigium, quod exclusо legi-
timo regni hærede, Amyntas prius, deinde Philippus, vi ac fraude inuasissent.* Ex- 6
ercitus quoque variis ex nationibus compositus, vt cuique animus
aut spes erat, discordibus consiliis & sermonibus agitabatur.
Contra Alexandro nouum imperium, ac subito Philippi casu nihil 7
aduersus ingruentes motus prouisum erat: & quamquam indolis
haud pœniteret; ætas spernebatur. [e] Viginti annorum adolescen-
tem tantæ rerum moli humeros subiecturum; aut si recepisset, pa-
rem

[a] Diodor. 17, 2. [b] Curtius 6, 9, 17. [c] 1, 12, 15. Plutar. de fort. Alex. 1, 3. Curt. 6, 9, 17. [d] Plutar. de fort. Alex. 1, 3. Arrian. 1, 3, 6. Iustin. 11, 1, 1. [e] Iustin. 11, 1, 9. Arrian. 1, 1, 7. 7, 5, 17 Suidas v. Ἀλέξαν-δρος.

8 rem futurum non arbitrabantur. Etiam neruus gerendarum
rerum pecunia defecerat; qua abundantes Persæ in omnem fere
Græciam conruptores miserant: & ne quid malis deesset, Mace- Plutar. de
9 doniæ maritima* Tusci piratæ deprædabantur. Conuocatis ami- fort. Alex. 1, 3. Iustin, 11, 2, 7. Ar-
cis,* quum de præsenti rerum statu deliberatio instituta esset; non rian. 2, 3, 8.
defuerunt qui censerent, *omissa Græciæ cura, quanta posset lenitate deficien-* Diod. 17, 4.
tes barbaros in officio continendos esse: POSTQVAM intestini motus consedis- * Strabo
10 *sent, longinqua facilius compositurum.* Verum adolescens insigni animi lib. 5.
magnitudine, cauta consilia pro ignauis fastidiebat. *perpetuo omni-* * Plutarch.
um contemptui obnoxium fore, si in principio regni impune se sperni pateretur. c. 18. Iustin.
AD OMNEM deinceps vitam pertinere, qualem de se opinionem in animis homi- 11, 1, 5.
11 *num incipiens imperator excitet. Philippi necem haud magis sibi, quam rebel-*
libus inexspectatam adcidisse: trepidantes adhuc, & consilij incertos nullo negо-
tio opprimi posse: per Macedonum cunctationem erigi seditionis auctores; & qui
nunc etiam mutarent animis, tumultuantibus adcessuros. ita contra paratos con-
firmatosque anceps discrimen subeundum: nunc celeritatis magis, quam virium
12 *certamen esse. QVOD si aduersus singulos audacia non esset; quid deinde futu-*
13 *rum, si metum confesso omnes vno impetu superfunderentur?* His deinde con-
gruentia ad populum loquutus, adiecit; *effecturum se, vt ciues hostesq;*
fateri cogerentur, erepto patre corpus nomenque regis mutatum esse; consilium am- Diod. 17,
14 *mumq; non desiderari. Eam rerum conuersionem nonnullos occasionem tumultu-* 2. Iustin. 11,
15 *andi putauisse; sed breui pœnas daturos. modo Macedones eosdem animos, eosdem* 1, 10.
lacertos sibi commodarent, quos tanta cum ipsorum gloria, tantoq; victoriæ fructu,
16 *patri suo per tot annos præstitissent. Id quo promptius alacriusque facerent; omni-* Iustin. 11,
17 *um præter militiæ vacationem ipsis concedere.* Consilium regis fortuna 1, 8.
comprobauit. Non segnius quam loquutus fuerat, singula ad-
gressum felicissimus omnium exitus sequutus est. Et Amyntam
quidem, patefactis quas ille struxerat insidiis, occupauit: Attalum Diod. 17, 2,
18 per Hecatæum & Parmenionem sustulit. Ex iis quos in Philippi & 5. Curt.
necem consensisse rumor arguebat, vnum Alexandrum Lyncestem 7, 1, 3.
exemit supplicio, quod imperium suscipienti adfuisset, primusque Arrian. 1,
19 *regem* saluasset: ceteros occidit. Ea seueritate suam salutem in 8, 2. Curt.
vindicta Philippi muniri credebat; simul aboleri famam, qua vt 7, 1, 6. Iu-
20 conscius paternæ cædis notabatur. Crebræ inter eos discordiæ stin. 11, 2, 2.
fidem suspicioni fecerant; & questum iniurias Pausaniam ad faci-
nus confirmasse ferebatur: prolato ex Tragœdia carmine, quo Plutarch.
Medea *pariter pellici suæ, quique eam in matrimonium Iasoni tradidisset, & cu-* cap. 17.
21 *ius in manum conuenisset, idem exitium* minabatur. Verum ipse quum Arrian. 2,
aliquando Darii epistolæ responderet, inuidiam in Persas transfer- 3, 18. Curt.
22 re conatus est; *illorum auro percussores Philippo comparatos fuisse.* Quoque 4, 1, 12.

claros occidit: ad delendã suspicionẽ, qua conscius ipsi fuisse putabatur. Thessaliã invadit, in qua Tempe describuntur. Achillẽ commendatiõnẽ optat, in concilio Pylaeo imperator Graeciae creatur, apud Corinthii cõuentum

magis omnem culpæ suspicionem extergeret, postremo vitæ tempore magnificum Philippo templum extruere cogitauerat: id, inter alia in commentariis eius reperta, successores neglexere.

Diodor. 18, 4.

CAP. XI. Qvum autem ad perficienda quæ animo agitabat, maximum in eo momentum positum arbitraretur, vt Græciæ principatum, quem Philippus comparauerat, retineret; raptim exercitu ducto Thessaliam improuisus inrupit. Sustulerant animos Thessalorum quidam, & insessis ad Tempe angustiis iter ex Macedonia venienti occludebant. Quippe eas regiones Olympus atque Ossa celebrati montes diuidunt: per quorum conualles Peneus amnis labitur, [a] mira amœnitate solennia gentis sacrificia meritus. Lætis vtrinque nemoribus obumbratus incedit; multoque cum fremitu ruenti, [b] ex vicinis arboribus auicularum garritus obstrepit. Angusta semita per quinq; fere millia passuum protenditur, vix [c] onusto iumento sufficiens iter præbens: quod aduersus quemcumque numerum hominum vel decem armati sepiant. Sed ille qua minime peruiæ rupes existimabantur, scalarum [d] in modum exciso montis Ossæ latere, circumitu penetrauit; adeoque celeritate sua cunctos exterruit, vt [e] *omnia ei vectigalia redituſque, simul vniuersæ gentis imperium, quibus id legibus Philippus habuisset,* nullo iam repugnante decernerentur. Phthiam, [f] quæ generis sui auctorem Achillem *protulisset, immunem esse iussit. eumque heroëm expeditionis aduersus Persas socium atque commilitonem eligere se* dixit. Ex Thessalia [g] Thermopylas petiit, publicum Græciæ concilium, [h] *Pylaicum* adpellant. ibi quum frequens per eos dies conuentus esset, in locum patris Amphictyonum decreto summus [i] Græcorum imperator creatus; *Ambraciotis ratam esse libertatem* iussit, quam nuper expulso Macedonum præsidio receperant: *vltro redditurum fuisse* dictitans, *ni paucis diebus ipsum anteuertissent.* Exinde [k] Thebis admoto exercitu, fractaque Bœotorum & Athenienſium contumacia, qui populi maxime suis consiliis obstiterant; [l] *apud Corinthum Græcorum legatos occurrere sibi* iussit. Ibi confirmato Amphictyonum decreto, communi omnium sententia, in Philippi patris locum imperator Græciæ suffectus est: & in bellum Persicum auxilia decreta. Forte in eadem vrbe Diogenes degebat, qui Cynico instituto spontaneam paupertatem amplexus, liberum & sui iuris animum opibus curisque prætulerat. Apricabatur ille in Craneo, [m] Corinthi suburbio, vbi cupressorũ lucus est. eo quum Alexander videndi eius desiderio veniſſet, optionemque faceret [n] *quæ vellet ab ipso petendi; paruum per discedere* iussit regem, *ne solem interciperet.* Inopinatum responsum, hominemque, in quem in tan-

[a] Maxim. Tyr. orat. 38.
[b] Plin. 4, 8.
[c] Liu. 44, 6, 5.
[d] Polyæn. 4, 3, 23.
[e] Iustin. 11, 3, 2.
[f] Philostrat. in Heroicis.
[g] Plin 35, 9, 3.
[h] Liu. 31, 32, 3. 33, 21, 4.
[i] Diodor. 17, 4. Diodor. 17, 3.
[k] Diodor. 17, 4.
[l] Iustin. 11, 2, 4. Arrian. 1, 1, 2.
[m] Pausan. lib. 2.
[n] Plutarch. c. 22. & ad pr. indoct. cap. 7. Dio orat. 4. Seneca de benef. 5, 4. & 6. Laert. in Diog. Iuuenal. 14, 309. Arrian 7, 1, 6. Val. Max. 4, 3. f.

eudicit, vbi cum Diogene congreditur, mox Delphos profectus Pythiam vi cogit ad responsum reddendũ. In Thraciã mouet: hostes qui summũ montis Æmi cacumen occupauerant, superat. in Bacchi honorem sacrificat.

in tanta sua fortuna ne beneficii quidem ius haberet, admiratus
14 Macedo dixisse fertur, *Diogenem esse voluisse, ni Alexander esset.* Scilicet magnitudo animi, qui ex alto despiceret omnia, quorum caussa reliqui mortales semetipsos cupide perdunt, non plane fallebat mentem acerrimi iuuenis; sed obcæcata cupiditatibus peruidere non poterat, quanto MELIUS esset carere supernacuis opibus,
15 quam habere necessarias. Ex Peloponneso Delphos inuisit; Apollinem de euentu belli, quod moliebatur, consulturus. Sed virgo fatidica negabat *per eos dies adiri deum fas esse:* donec ipse eo profe- Plutarch.
16 ctus, vi conripuit virginem, & ad templum traxit. Sed quum in- cap. 22.
ter eundum illa patrium morem pertinacia regis victum reputans, exclamasset, *inuictus es, fili; accipere omen,* dixit, *nec alio oraculo sibi opus* Diodor.
17 *esse.* His rebus celeriter confectis in regnum regressus, summo 17, 93.
studio in vindictam spretæ Macedonum maiestatis incubuit. Iamque præparatis omnibus, vere nouo ex Amphipoli mouens, aduer- Arrian. 1,
sus liberas Thraciæ gentes, decimis castris ad montem Æmum 1, 5,
18 peruenit. Magna Thracum manus iugum occupauerat, transitu prohibitura regem. castra plaustris in modum ualli circumdede-
19 rant; propulsuri in hostem, si vis inferretur. Alexander barbaro- Polyæn. 4,
rum astu cognito edixit militibus, *vt plaustris inruentibus, diducta pha-* 3, 11.
lange innoxia dilabi paterentur; aut, si deprehensi essent, humi strati, clypeis ar-
20 *cte commissis, testudine se protegerent.* Ita hostium dolus inritus fuit. magna plaustrorum pars per interualla ordinum deuoluta est; quæ armatis incidere, clypeis impacta, suoque impetu subsilientia nihil ponderis ad obterendum habuere: omnisque illa tempestas citra
21 noxam detonuit. Quo metu liberati Macedones, alacri clamo- Arrian. 1,
re edito, impressionem faciunt. Procurrentes barbaros prægres- 1, 13.
si à dextro cornu sagittarii frequentibus telis incessebant. ita sine periculo phalanx in verticem enisa, vt primum æquo loco consistere potuit, haud ambigua victoria hostem nudum aut leuiter armа-
22 tum diiecit. Sed eadem res quæ barbaros in prælio prodiderat; in fuga adiuuit. armis haud sane onerati per nota loca facile dilapsi sunt. ira desideratis ex omni numero mille quingentis, ceteros fuga abstulit: mulierum puerorumque ingenti multitudine, prædaque pro locorum conditione satis ampla, victor potitus est.
23 Sic aperto montis Æmi transitu, in interiora Thraciæ penetratum est. Lucus est in iis gentibus, quem Libero Patri dicatum prisca Sueton.
24 religione colunt. ibi quum Alexander barbaro ritu sacrificans, vi- August.
num aris infunderet, tanta flammæ vis erupit, vt superato ædis 94, 7.
culmine, in cœlum emicare videretur. *eosdem gloriæ fines regi ostendi,*

omnes credidere. Alia subinde res nunciata prioris prodigii fi- 25
Tzetzes Chil. 7, 91. dem adfirmauit. In Thracibus qui *Odryssæ* adpellantur, Libethrus
mons & ciuitas est, Orphei natalibus incluta: *eius sacram effigiem ex*
Plutarch. cap. 22. *cupresso fabricatam multo sudore manasse*, qui viderant, ad regem retule-
re. De interpretatione solicitis Aristander exemit metum, *ad res* 26
Arrian. 1, 1, 17. *Alexandri pertinere* adseuerans, *quibus decantandis alumni filiique Musarum*
multum desudaturi essent. Triballi valida natio trans montem Æmum 27
colunt. in eos quum descenderet Alexander, rex gentis Syrmus in
Peucen Istri insulam confugerat, expeditione Macedonis multo
Strabo lib. 7. ante comperta; seque & quidquid ætate vel sexu inualidum erat,
Arrian. 1, 1, 28. obiecto amnis munimento tuebatur. Quippe Alexandro pau- 28
cæ naues erant; & in aspera præruptaque ripa difficilis excensio,
ab hoste intento validoque haud ægre impediebatur. Ita Mace- 29
Plut. c. 19. dones re infecta discesserunt, contenti inlata paucis ante diebus
Arrian. 1, 1, 25. clade. nam priusquam eo processissent alium Triballorum exercitum adorti, vix quinquaginta suorum amissis, tria hominum mil-
lia occiderant.

CA. XII. Syrmo rege nequidquam oppugnato, in Getas conuertit im-
Io. Magnus hist. Goth 3, 12. petum, qui in vlteriore ripa quatuor equitum, decẽ peditum millia
instruxerant. Id periculum non tam ex vsu belli sumpsit, quam cu- 2
pidine famæ; vt * *maximum Europæ flumen, defendẽtibus ferocissimis gentibus,*
* Arrian. 1, 1, 29. *transuisse* gloriari posset. Igitur equitibus quotquot capere nauigia 3
poterant impositis, pedestrium copiarum partem lintribus, quo-
rum ibi magna erat copia, alios vtribus transduxit. Improuisa 4
Macedonum impressione (quippe transmittentes nox, & in ripa
quam petebant, densa frumenti seges texerat) territi Getæ vix pri-
mum emissi equitatus impetum tulere. Vt deinde cum phalange 5
Nicanor successit; effuso cursu vrbem quatuor ferme passuum
millibus à flumine distantem petiuerunt: mox, instante Alexandro,
auectis coniugibus liberisque, quod eorum equis eripere potu-
erant, ceteros reliquere victori. Eos rex Meleagro & Philippo 6
Strabo lib. 7. abducendos dedit: excisaque vrbe, & in ripa fluminis Ioui Her-
Arrian. 1, 1, 35. culique & ipsi Istro, qui transeunti propitius fuisset, aris consecra-
tis eodem die reduxit exercitum, incruenta victoria potitus. Ve- 7
nerunt deinde finitimarum gentium, Syrmique regis oratores cum
donis, quæ apud ipsos in precio habentur. Germani quoque, qui
vsque à fontibus Istri terras ad sinum Adriaticum spectantes habi-
Tacit. Germ. 1, 4. tant, legatos miserant. Nam Ister in Germania oritur; ipsi pa-
trio vocabulo *Danubium* adpellant. Magnitudinem corporum 8
animorumque alacritatem admiratus Alexander interrogauit,
quid-

quidnam omnium maxime verentur? putans suam potentiam formida- Arrian. 1,
bilem ipsis esse, eamque se confessionem expressurum. illi *nihil se ma-* 1, 37.
gnopere vereri responderunt, *nisi forte, ne cœlum in ipsos rueret. ceterum vi-*
9 *rorum fortium amicitiam plurimi facere.* Perculsus improuiso respon-
so paulum reticuit; deinde hoc vnum effatus, *Germanos adrogantes*
esse, fœdus, vt petiere, iunxit; Syrmoque & reliquis pacem dedit:
satis gloriæ ea expeditione partum existimans, & in Persicum bel-
lum animo conuersus, vnde cum leuiori discrimine longe maius
10 operæ precium exspectabatur. Taxasse id auunculum eius Alex- Liu, 9, 19,
andrum constat, quum paulo post bello in Italia gerendo fatigare- 11. Agell.
tur; nam *inæqualem vtriusque sortem questus, sibi cum viris pugnam euenisse di-* 17, 21.
11 xit, *Macedoni cum mulieribus.* Ceterum regulos Thracum, quique alii Frontin.
ad res nouandas opibus aut animis idonei videbantur, specie ho- strateg. 2,
noris, tamquam commilitones aduersus Persas adscisceret, abdu- 11, 3. Iu-
xit; capitaque ademit factionibus, sine principibus nihil ausuris. stin. 11, 5, 3.
12 Per Agrianos & Pæonas Macedoniam repetenti Illyriorum motus Arrian. 1,
nunciatur. Bardylis ex carbonario [a] multarum in eo tractu natio- 2, 1.
num rex, etiam Macedoniæ grauis incubuerat; donec magno [a] Hellad. apud Photium.
prœlio à Philippo victus, atque instaurato [b] deinde bello fractis [b] Diodor.
13 omnino viribus, in ditionem victoris concederet. Atque ille iam 16, 4. & 22.
obierat, [c] vita ad nonagesimum ætatis annum producta: ceterum Iustin. 7,
filius eius Clitus *opportunum recuperandæ libertatis tempus aduenisse* dicti- 6, 7.
tans, *dum asperrimarum gentium armis Alexander trans Istrum admoueretur*; [c] Lucian. in
populares ad arma capienda impulit: inita societate cum Glau- Macrob.
14 cia rege Illyriorum, qui Taulantii vocantur. Autariatæ alia na- Arrian. 1,
tio iter facientes Macedonas adgressuri fuerant: Sed Langarus 2, 2.
Agrianorum rex Alexandro fidus, petiit *vt sibi curam eam permitteret: sese domi eorum tantum negotij ipsis comparaturum, vt animum à vexandis Mace-*
15 *donibus ad sua tuenda conuersuri essent.* Conlaudatum donisque magni-
fice cultum iuuenem dimisit rex; etiam sororis Cynæ nuptias pol-
licitus, quam ex Illyria muliere susceptam Amyntæ in matrimoni- 1, 10, 4.
16 um dederat pater. Et Agrianus quidem promissam operam præ- Arrian. 1,
stitit; sed morbo conreptum, ne pacta mercede frueretur, breui 2, 3.
17 consequuta mors præuenit. Ita cohibitis Autariatis sine certami- Liuius 31,
ne Pelium peruentum est. Dessaretiæ oppidum, Eordaico flumi- 40, 1.
18 ni imminens. Speciem pugnam expetentium præbebant hostes, Arrian. 1,
& velut manus conserturi extra præsidia sua ferociter procurre- 2, 6.
rant. sed priusquam prœlium committi posset, refugerunt; licet
19 opportuna loca, syluisque & callibus impedita præcepissent. Fœ-
dum ibi spectaculum Macedonum oculis obiectum est. tres pueri,

totidemque puellæ cum tribus nigris arietibus confuſa ſtrage iacebant; quos barbari ſacrilego ſacro diis ſuis immolauerant, quo pugnaturis audaciam inſpirarent. Sed vindex numen ſceleſtis mentibus pro virtute vecordiam iniecit. Rex intra mœnia com- 20
puſſos ducto exteriore muro intercludere ſtatuerat; quum poſtridie cum magnis Taulantiorum copiis Glaucias aduenit. ita ſpe capiendæ vrbis abiecta, quomodo tuto diſcederet, cogitabat. Interim Philota cum iumentis caſtrenſibus, & præſidio equitum 21
frumentatum miſſo, comperit *ſuos in diſcrimine verſari*; quippe Glaucias colles campo circumdatos occupauerat, in occaſionem gerendæ rei intentus. Igitur aduerſus oppidanorum eruptionem 22
parte exercitus in caſtris relicta, cum ceteris copiis impigre profectus eſt; territiſque Illyriis, ſuos recepit incolumes. Ceterum 23
iter facturo maximum periculum imminebat. hinc flumen, inde prærupti arduique colles viam coarctabant, relicto itinere quod multis locis vix quaternos armatos caperet: montium iugis Clitus atque Glaucias ſagittariorum & funditorum cohortes magnamque grauis armaturæ manum impoſuerant. Alexander ducentis 24
equitibus ante vtrumque phalangis cornu conlocatis, imperat *vt erigerent haſtas; mox ſigno dato verſus hoſtes tamquam impetum facturi, infeſtas protenderent, modo in dextrum, modo in ſiniſtrum latus inuicem conuerſi.* Suſ- 25
penſis eo commento hoſtibus, phalangem raptim progreſſam nunc in plures acies diducit, nunc diuiſam conligit; ad extremum cuneo facto, in læua Illyriorum præſidia ſtrenue infert. Illi cele- 26
ritate & peritia Macedonum in ſtuporem verſi, deſertis quos tenuerant montibus, verſus vrbem refugerunt. Pauci reſtiterant 27
in edito colle, qua iam tranſierat Macedonum agmen: iis deiectis, Alexander duobus fere millibus Agrianorum ſagittariorumque locum capit; phalangi quam flumen tranſmittere iuſſerat, præſidio futurus. Ea re conſpecta vniuerſa hoſtium multitudo iter ad 28
montes adripuit; eo conſilio, vt tranſiecta graui armatura, extremum agmen, in quo ipſe rex tranſiturus erat, adorirentur. Ille 29
nihil territus venientes fortiter excipit: ſimul phalanx ſublato clamore, quaſi iterum tranſmiſſo amne ſubſidio ſuis itura, metum incuſſit hoſti. nam rex quæ euenerunt futura ratus, præceperat vt in 30
aduerſam ripam delati ſtatim aciem inſtruerent, læuum cornu, quod à flumine hoſtibuſque propius aberat, in ſpeciem multitudinis quantum poſſent explicantes. Itaque quum vniuerſum exercitum incumbere ſibi putarent Taulantii, pauliſper retroceſſerunt. Id ſpatium nactus Alexander, ſuos raptim ad flumen du- 31
cit:

cit: quo vbi ventum eſt, ipſe inter primos tranſgreditur; & quum eos qui agmen claudebant reuerſus hoſtis vrgeret, machinis diſpoſitis quæ trans amnem miſſilia ſpargerent, cum ſubmouit: ſimul qui iam ingreſſi flumen erant, è mediis aquis tela coniecere. ita
32 nemine deſiderato ceterum iter quietum habuit. Triduum interceſſerat: quum *hoſtes tamquam fugato Macedone metu vacuos, paſſim nullo ordine tendere, neque more militari vallum foſſamve pro caſtris habere, ne-*
33 *que vigilias & ſtationes obire* nunciatur. Igitur adſumptis ſagittariis Agrianiſque, & ea Macedonum militum manu, quam Perdiccas & Cœnos ducebant, noctu ſuperato flumine, celeriter ad eos con-
34 tendit; reliquo exercitu ſequi iuſſo. nec exſpectato eo, ne occaſionem mora conſumeret, leuis armaturæ militem præmittit: mox ipſe cum ceteris impetu facto ſemiſomnos & inermes magna ſtrage adficiunt; multos vinos capiunt; reliquos conjiciunt in fugam, &
35 ad Taulantiorum vſque montes perſequuntur. Clitus in ea conſternatione in oppidum Pelium ſe recepit; deinde ſiue munimentis vrbis, ſiue ſuorum animis diffiſus, incenſa vrbe, in Taulantios exſulatum abiit.

Interea per vniuerſam Græciam diffuſus rumor, *Alexandrum in Triballis cecidiſſe*, omnes Macedonicis opibus aduerſos in ſpem re- C A . XIII. Iuſtin. 11, 2, 8.
2 rum nouandarum erexit. EA QVOQVE in rebus humanis haud poſtrema calamitas eſt, quod vtcumque leui auctori, quæ facta optamus, tam enixe creduntur, quaſi veritati vim adferre poſſit
3 pertinax & impatiens rationis opinio. Repertus eſt qui *ſe inſpicionte circumuentum regem, & quo minus ambigeretur, ſe in ea pugna vulneratum eſſe* adfirmaret: id pronis auribus acceptum vulgatumque, ciuitati
4 Thebanorum extremæ calamitatis initium exſtitit. Quippe eo nuncio exciti quidam exſulum, quos à Philippo eiectos diximus, ducibus Phœnice & Prothyte, præfectos Macedonum qui Cadmeam obtinebant, quum nulla doli ſuſpicione extra arcem progreſſi eſſent, obtruncant: ciuibus ad ſpecioſum liberandæ patriæ titulum [a] ſtrenue concurrentibus, præſidium obſident; & duplici vallo foſſaque, ne commeatus aut auxilia ſubmitti poſſent, circum-
5 dant. Legatis deinde ſupplicum habitu circum ciuitates Græciæ miſſis orabant, *ne deeſſe vellent indigne ereptam libertatem repetentibus.* Et Demoſthenes [b] quidem veteri in Macedonas odio Athenienſes permouit, vt auxilia prompte decernerent. miſſa tamen non ſunt, quia ſubito Alexandri aduentu perculſis exſpectanda fortunæ in-
6 clinatio videbatur. Demoſthenes [c] priuatis copiis Thebanos adiuuit, magnumque armorum numerum gratis ſubminiſtrauit. quibus

Arrian. 1, 3, 1. Plutarch. cap. 19. [a] Diodor. 17, 8. Arrian. 1, 3, 10. Dinarch. contra Demoſth. [b] Diod. 17, 8. [c] Plutarch. Demoſth. cap. 32. & in X Oratorib 8, 9.

bus perarmati qui Philippo adimente ſua amiſerant, Cadmeæ præſidiariis acriter inſtiterunt. Peloponneſiorum haud inualida manus ad Iſthmum conuenerat. ad quos quum Antipater, quem interim dum abeſſet, Macedoniæ præfecerat rex, miſiſſet petitum, *ne contra commune Græciæ decretum cum profeſſis Alexandri hoſtibus conſilia miſcerent*; nihilominus Thebanorum oratores admiſerunt. Quumque vulgus militum miſericordia permoueretur, dux eorum Aſtylus, Arcas genere, moras nectebat; non tam incepti difficultate territus, quam per auaritiam, vt à feſtinantibus & neceſſitate anxiis maius ſtipendium acciperet. Decem talenta poſcebantur; ea quum Thebani non conficerent, à Macedonicæ factionis hominibus oblata ſunt, vt quieſceret. Ita de Arcadum auxiliis Thebanorum ſpes in nihilum recidit. Alias tamen ex Peloponneſo copias ne aduerſus Thebas militarent, pecunia Demoſthenes auertit. Namque trecenta talenta à Perſis accepiſſe dicebatur, quis ad faceſſendum Alexandro negotium vteretur. His ita nunciatis, Alexander præter Eordæam & Elymiotin, rupeſque Stymphæas & Paryæas rapit exercitum; ſeptimoque poſt die quam à Pelio moueſſet, Pellenen Theſſaliæ oppidum peruenit. Poſt ſextum deinde diem in Bœotiam venit; mox Oncheſtum, ſex circiter paſſuum millibus à Thebis diſtantem proceſſit. Inter hæc Thebani maiore animo quam conſilio adminiſtratis rebus, omnium ignari agebant; nec dum intra Pylas eſſe credebant Macedonum copias: ipſum vero regem aduentare adeo fidem ſuperabat, vt *potius alium Alexandrum Aeropi filium exercitui præeſſe* contenderent. Rex ad fanum Iolai poſitis caſtris, quod ante Prœtidem portam eſt, pœnitentiæ eorum locum dare conſtituerat; quum illi eruptione facta, in ſtationes Macedonum inuecti, quoſdam interficiunt, alios loco pellunt. donec ad ipſa iam caſtra ſuggreſſos emiſſa regis iuſſu leuis armatura reiecit. Poſtero die ad portas, quibus in Atticam eunti-bus iter eſt, promoto exercitu, vt ſuis in arce concluſis præſto eſſet; adhuc contabatur, & ſi pœniteret erroris, veniam oſtentabat. Sed quibus pax placebat, potentia exſulum eorumque per quos reuocati fuerant, opprimebantur: qui nulla ſpe ſalutis reliqua ſi Macedones vrbe potirentur, patriæ ruinis obrui malebant, quam illius incolumitatem ſuo interitu emere: & ex Bœotarchis nonnullos in conſilium traxerant. Quantaque hominum vecordia fuerit, vel hinc cognoſci poteſt, quod Alexandro poſtulante, *vt defectionis auctores dederent, duobus capitibus omnem ciuitatis noxam expiaturi*; ipſi viciſſim Philotam & Antipatrum principes amicorum regis depo-

Dinarch. contra Demoſt Diodor. 17, 8.

Plutarch. in X. Oratorib. 11, 2. Dinarch. contra Demoſth. Iuſtin. 11, 2, 7. Arrian. 1, 3, 5.

Pauſan. lib. 9.

Arrian. 1, 3, 5.

Pauſan. lib. 9. Arrian. 1, 3, 8.

Plutarch. cap. 19.

depoſcere ſint auſi, & per præconem pronunciare, *ſi qui cum magno rege & Thebanis Græcorum libertatem aduerſus tyrannum adſerere vellent, eos apud Thebas perfugium habituros.* Nec tamen Alexandri imperio oppugnata vrbs eſt; ſed, vt Ptolemæus tradidit (nam quidam aliter narrant) Perdiccas, qui in ea caſtrorum parte curabat, quæ vallo hoſtium, quo Cadmeam incluſerant, obuerſa erat, non exſpectato ſigno impetum in eos fecit: ſuperatoque munimento manus cum hoſte conſerere cepit; & Amyntam, qui cum ſua cohorte iuxta ipſum tendebat, vt idem auderet, exemplo permouit. Mox Alexander ſuis timens, cum tota copiarum mole adfuit, & *leuiter armatis perrumpere, ſuiſque auxilio ire* iuſſis, ipſe cum reliquis pro vallo ſubſtitit. Acri conſerto prœlio Perdiccas dum interius vallum molitur, grauiter ſaucius pugna effertur; & Cretenſium ſagittariorum multi, cum Eurybota duce ſuo cadunt. Thebani perculſis inſtant, & ad Alexandrum refugientes inſequuntur. Ibi quum rex inſtructa phalange diſperſos & turbatos hoſtium ordines inuaderet; ſtatim verſa pugnæ fortuna, tanta Thebanorum trepidatio fuit; vt ne ad portas quidem, per quas in vrbem ſe receperant, occludendas mente competerent: ſimul qui Cadmeam tenebant, in ſubiectos arci vicos excurrerunt. Ita nobiliſſima Græciæ vrbs intra eumdem diem oppugnata & capta eſt. Nullum in ea crudelitatis exemplum prætermiſſum conſtat: viros feminaſque promiſcua ſtrages hauſit; nec ab impuberum cæde temperatum eſt. Phocenſium [a] Plataeenſiumque & Orchomeniorum & Theſpienſium ea infamia fuit; quibus olim, dum Thebana res valebat, vicinæ ciuitatis opulentia exitioſa fuerat: Macedones vltra fas belli non ſæuiere. Tandem [b] *vt cadibus abſtineretur*, proclamatum eſt, quum iam ſex hominum millia periiſſent: ceteris captis, ad triginta millia liberorum capitum venierunt. Ex [c] *omni præda quadringenta & quadraginta talenta redacta fuiſſe* Clitarchus tradidit. alii, [d] *ex precio captiuorum id pecuniæ effectum.* Centum talenta quæ Thebanis Theſſali debebant, Alexander [e] ſociis accepto tulit. Pauci * quos bellum diſſuaſiſſe conſtabat, ſeruitutem effugerunt: item ſacerdotes, & quorum hoſpitio rex paterue eius vſus eſſet. Ex reliquis Timoclea nobilis facinoris mercedem, cum præſenti libertate, famam apud poſteros tulit. Inter Thracas, qui Alexandro militabant, quidam * equitum ductor poſt vim mulieri inlatam, *vbi pretioſiſſima quæque oculuiſſet*, minitabundus interrogabat. Illa non tam opum quam pudoris damno mœſta, auaritiam barbari in occaſionem vindictæ conuertit: oſtenſoque puteo, in quem mundum ſuum

Diodor. 17, 9. Arrian. 1, 3, 12. Polyæn. 4, 3, 12. Sabellic. ex Plut. c. 19. Diodor. 17, 11. Arrian. 1, 3, 13.

[a] Diodor. 17, 13. Arrian. 1, 3, 17. [b] Plutar. de virtut. mulier. c 48. Diodor. 17, 14. [c] Athenæus. lib. 4. [d] Diodor. 17, 14. [e] Grotius de iur. bel. 3, 8. f. ex Quintiliano. * Plut. cap. 20. Aelian. hiſt. var 13, 7. Arrian. 3, 1, 26. * Polyæn. ſtrate. 8, 39. Plutarch. c. 20. & de virtut. mulier. c. 46.

coniecisse simulabat, hominem cupide eo despicientem subductis pedibus impulit; coniectisque desuper saxis, quum ex angusto profundoque loco adscensum frustra moliretur, obruit. Compræhensa à turmalibus occisi, ad Alexandrum trahitur, vt interfecti ducis pœnas daret. Ibi interrogante rege, *quænam esset, & ob quod delictum adduceretur?* intrepido vultu & voce, *Theagenis*, inquit, *soror sum: eius, qui pro libertate Græciæ Thebanorum imperator occubuit. Iniuriam meam vlta castitatis meæ prædonem interemi. cui si meo supplicio parentari iubeas, scies HONESTAE mulieri post extortam pudicitiam spiritu nihil vltius esse. quem vtcumque expellere festinaueris, sero moriar, pudori patriæque superstes.* Alexander cognita caussa *Thracem iure cæsum* pronunciauit; *neque sibi placere ingenuis mulieribus vim fieri:* conlaudatamque *feminam cum omnibus qui cognatione ipsam adtingerent, liberam esse* iussit; *& quo quisque vellet discedendi* potestatem fecit. Pepercit & Pindari posteris, in honorem vatis, qui proauum regis Alexandrum carminibus suis inseruerat: ipsiusque domum cremari vetuit. Non enim præsentem tantum virtutem admirati; verum etiam memoriam magnorum virorum reuerentia, & progeniem illorum beneficiis prosequuntus est. Nam & postea quum postremo prælio Darium vicisset, Crotoniatis prædæ partem misit, quod Xerxis bello, ceteris Græcorum coloniis de Græcia desperantibus, Phayllo duce triremem vnam ad Salaminem misissent: & Platæenses honore donisque adfecit, quia maiores eorum Græcis aduersus Mardonium prœliantibus agrum suum dono dederant.

Arrian 1.5, 26. Aelian. histor. var. 13, 7. Dio Chrysost. orat. 4. Tzetzes Chil. 7,139. Plutarch. cap. 63. Herodot. 8, 47.

Plut. Aristide c.25.

CA. XIV. Hanc Thebanorum cladem multa ostenta præcesserunt. Tribus ante mensibus quam Alexander adueniisset, in fano Cereris, quæ *Thesmophoros* adpellatur, conspecta est araneæ tela nigra; quum circa tempus Leuctricæ pugnæ, qua res Thebana ad summum felicitatis euecta fuit, candida comparuisset. Adhæc sub aduentum Macedonum sudantes in foro statuæ, èque lacu apud Oncheſtum tristis mugitus, & prodigioso sanguine fluens Dirce, terrere obstinatos poterant, nisi destinatos sorti suæ superbia perdidisset. Quippe maiorum gloriam intuentes, à quorum moribus longe recesserant, & in disparibus artibus eamdem sibi fortunam polliciti, patriæ ruinam adcelerauerunt; quum aduersus [a] triginta peditum, tria equitum millia, eumque veteranum & toties victorem exercitum, paulo plus decem armatorum millibus opponere non essent veriti. Ceterum Alexander [b] vrbe capta ad consilium sociorum retulit, *quomodo ea vtendum videretur.* Erant [c] inter eos Phocenses, multique ex Bœotis, quibus antiquissimæ cum Theba-

[a] Diodor. 17, 9. Iulian. in Cæsar.
[b] Arrian. 1, 3, 26.
[c] 1,13,24. Iustin. 11, 3, 8. Diodor. 17, 14. Plutarch. c. 20.

Thebanis discordiæ grauibus læpe damnis constiterant: neque dum Thebæ starent, aut odiis suis satisfactum, aut securitati prospectum rebantur. Horum auctoritas valuit, vt muri atque ædificia diruerentur; ager arbitrio regis inter victores diuideretur. Ita nobilissimam vrbem, non hominum modo clarissimorum, verum etiam * deorum natales adsérentem sibi, è media * Græcia vna dies eripuit. postquam octingentos fere annos post oraculum ** de coruis, eosdem incolas habuisset. Olim enim pulsis à gente Thracum atque Pelasgorum Bœotis edita sors fuerat, *post quartam demum ætatem patrias sedes recepturi, considerent interim, quo loco coruos albos conspicati forent.* Ita quum ad Arnen Thessaliæ oppidum venissent, coruis conspectis, quos pueri gypso inleuerant, ibi substiterunt. Diruta vrbs est ad tibiæ * cantum; quomodo sexagesimum ante annum Athenas * Lysander deleuerat. Templis tamen aliisque sacris ædificiis abstineri iussit Alexander; etiam ne quod [a] per incuriam damnum iis daretur, solicitus. præter insitam in deos [b] venerationē recens religio permouerat: quia militum quosdam Cabirorum fanum, quod ante vrbem est, spoliare adgressos, subita tempestas fulminibus & flamma cœlesti consumpserat. Relictæ sunt etiam effigies statuæque, diis, vel hominibus virtute præcellentibus, per loca publica positæ. proditumque est memoriæ, fuisse qui inter consternationem captæ direptæque vrbis aurum in sinus aut amicula statuarum abdiderint; idque saluum repererint, [c] quum vigesimo post anno Cassander Antipatri filius Thebas instauraret. Quod quidem non tam misericordia in profugos feciſſe creditur; quam vt Alexandri, quem oderat, gloriam detrectaret. Quamquam autem veterem murorum ambitum vrbi restituisset; neque mores antiquos, neque fortunam reddere potuit. nunquam postea resurrexit, vt conualesceret: sed multis subinde calamitatibus vexata, vix tenuis oppidi speciem ad memoriam nostram retinuit. Pœnituisse postea ferunt Alexandrum, quod excisis Thebis velut alterum Græciæ * oculum eruisset. vtique postquam Cliti cædem, & Macedonum ignauiam, expeditionem in penitiores Indos pertinaciter recusantium, *iram Liberi patris* interpretatus est, *ob adflictam patriam eiusmodi pœnas repetentis.* & reperti sunt, * qui ipsam regis mortem, non sine vindicta Bacchi, ab ebrietate & vino profectam crederent. His ita perpetratis, Athenas misit, nunciatum * *vt oratores qui populum aduersus Macedonas concitare non desinerent, traderentur; aut si illos amittere grauarentur, eadem contumaciæ præmia exspectarent, quorum exemplum in Thebanorum calamitate conspicerent.* Ibi quum Phocion, cu-

* Iustin. 11, 4, 4.
* Aeschin. contra Ctesiph. Dinarchus contra Demosth. Agatarchides apud Photium.
** Diodor. 19, 51. Ὀνομακ. ἀναγρ. Strab. li. 9. Cœlius Lect. Ant. 17, 11.
* Tzetzes Chil. 7,139.
* Plutarch. Lys. c. 28.
[a] Suidas ex Polyb. 5, 10.
[b] Pausanias lib. 9. Plin. 34, 8, 15. Athen. 1, 15,
[c] Emmii Græcia. Diod. 19, 53. Pausan. lib. 9. Plut. De mettio c. 53. Strab. li. 9. Emmii Græcia.
* Agathar. apud Phot. Plut. c. 21. Arrian. 4, 2, 13.
* Athenæus 10, 9.
* Diodor. 17, 15. Arrian. 1, 4, 29.

tradi petit. Id suadenti Phocioni repugnat Demosthenes sibi metuens, ob comissa in Macedonas. Alexander iratus Athenienſibus, maxime ob Thebanos receptos, per Demadem placatur. Charidemus in exilium pel-

Plutarch. Phoc. c. 21.
[a] Plutarch. Demosth. cap. 33.
[b] Aeſchines contra Cteſiphon.
[c] Iuſtin. 11, 3, 4 Suidas Μαγίτης Plutarch. Demosth. cap. 32. Eraſmi adag. *in Margites.*
*Curt. 6, 9, 17.
* Diodor. 17, 5.
[d] Dio orat. 38.
[e] Aeſchines contra Cteſiph. Pauſan. lib. 9. Plut. c. 19. & Camillo cap. 31.
[f] Diod. 17, 35 Plutar. Demosth. cap. 33.
[g] Plut. in X. Orat. 7, 2. 8, 9. Demoſth. epiſt. 3. Artian. 1, 13, 31. Iuſtin. 11, 4, 12. Dinarch. contra Demoſt.
*Curt. 3, 2, 10.
* Diod. 17, 25. Curt. 3, 13, 15.
* Dio. orat. 64.

ius ob integritatem vitæ maxima ad populum auctoritas erat, *non inritandum adoleſcentis victoriſque animum* diceret, hortareturque eos ad quos periculum maxime pertinebat, *vt Lei & Erechtei filias imitati, ſpiritum pro patriæ ſalute profundere ne dubitarent*; Demoſthenes, qui nominatim petebatur, ſurrexit, docuitque *falli Athenienſes, ſi paucorum deditione periculo defungi poſſe crederent: callidos Macedonas eos expoſcere, quorum vigilantiam atque virtutem maxime inuiſam ſuſpectamque haberent. amotis publicæ libertatis cuſtodibus, in orbam indefenſamque ciuitatem, [a] tamquam lupos in oues canibus deſtitutas, impetum facturos eſſe.* Multa commiſerat in Macedonas Demoſthenes, ob quæ haud iniuria nullum apud eos veniæ locum relictum arbitrabatur. Philippo occiſo auctor exſtiterat, [b] vt Pauſaniæ ſacellum exſtrueretur; apud puluinaria deum ſupplicationes haberentur; aliaque ob inſignem lætitiam decerni ſolita curarentur. Alexandrum [c] alias *puerum*, alias prodigioſæ vecordiæ vocabulo *Margiten* adpellauerat: Perſico auro conruptus, omnium fere bellorum, quæ contra Alexandrum patremque eius Philippum Græci depugnauerunt, fax atque conciror fuerat. Atalum, quo grauiorem * aduerſarium non habuerat Alexander, Athenienſium * ſocietatem pollicitus, ad bellum regi palam inferendum exſtimulauerat. Neque ciuitas Athenienſium mediocriter deliquerat, detractis Philippi ſtatuis, [d] earumq; materia in fœdos vſus conuerſa: aliiſque admiſſis, quæ vulgus imperitum & mobile, nulla futuri cura, ex arbitrio ſuaſuque paucorum animoſe perpetrat. Sed nihil ex iis quæ præfracte & contumaciter fecerant æque commouit regem, [e] quam in Thebanos humanitas. quos inter patriæ ruinam elapſos, contra ipſius edictum receperant; tantum ob eorum vicem doloris præ ſe ferentes, vt etiam myſteriorum ſolennia, quæ in honorem Liberi Patris præcipua religione quotannis celebrant, ob publicam mœſtitiam intermitterent. Verum cupidine belli Perſici, condonare Græcis iniurias ſuas, quam exſequi malebat. Igitur quum [f] Demades, qui Philippo quoque gratus acceptuſque fuerat, preces ciuitatis ad eum detuliſſet, Athenienſibus [g] indulſit; *vt Demoſthene, Lycurgoque, & aliis quos depoposcerat retentis, vnum Charidemum in exſilium mitterent.* Ille ad Perſas ſe contulit; magnoque ipſis vſui fuit, donec ob libertatem * linguæ Darii iuſſu interfectus eſt. Alii quoque non poſtremi nominis viri, odio regis vrbe deſerta, ad hoſtes illius * profecti, multum negocii Macedonibus exhibuerunt. Poſt eum rerum impetum curſumque, nemo ſupererat in Græcia, qui aut viribus ſuis poſt Thebanos (quorum grauis * armatura celebris olim fuerat) aut occupata Leuca-

litur. Leucadia aſſu Alexandri fame expugnatur. Acader, Elei, Ætoli, veniam impetrant. Megarenſes regem ciuitate donant: qui ſe Græciam nihil contando ſubegiſſe fatetur.

24 Leucadia, munimẽtis confideret. Namq; Leucadios ſitu oppidi, & prouiſo in longam obſidionem commeatu feroces, fame domuit; quum expugnatis quæ circa erant caſtellis, homines Leucadiam abire paſſus, adaucta per ſingulos dies multitudine; omnem eorum
25 penum exhauſiſſet. Igitur ex Peloponneſo quoque legationes venerunt, gratulatum quod confectis ex animi ſententia barbaricis bellis, etiam Græcorum quorumdam inſolentiam & temeritatem
26 caſtigaſſet. Arcades, qui Thebanis auxilio futuri ſe commouerant, *duces, quorum inſtinctu ad eum furorem prolapſi eſſent, capitis ſe conde-*
27 *mnauiſſe* exponebant. Elei *exſulibus ſuis reditum conceſſiſſe, non ob aliud, niſi*
28 *quod Alexandro charos accepiſſent.* Et Ætoli excuſauerunt, *quod in tantis Græciæ turbis, ipſorum quoque gens nouorum conſiliorum expers non fuiſſet.*
29 Megarenſes noui generis honore riſum regi, quique circa eum erant, commouerant, referentes *ob ſtudium & beneficia Alexandri in Græcos, Megarenſis populi ſcito ciuitatem illi decretam eſſe*: donec intellecto
30 *nemini ad eum diem, excepto Hercule, id honoris habitum*; lætus accepit. Ceteris reſpondit, *nihil ſibi quiete & incolumitate Græciæ antiquius eſſe; modo*
31 *in poſterum nouis rebus abſtinerent: præteritorum veniam facile conceſſere.* Verum Spartanis maxime diffiſus, Philiadæ liberos Meſſenen, vnde pulſi fuerant, reſtituit: Pellenen Achæorum Chæroni tradidit: Sicyonem, aliaque Peloponneſi oppida per clientes ſuos habuit,
32 qui conſilia Lacedæmoniorum ex propinquo ſpecularentur. *Tot tantiſque rebus perficiendis pauci menſes ſuffecerunt. intra quos tam graue atque multiplex bellum leuiore negotio confecit, quam
33 alius parauiſſet. Ipſe quidem eam victoriam *celeritati ſe debere confeſſus, interroganti, *quonam maxime modo Græciam ſubegiſſet? nihil contando*, reſpondit.

Plutar. de monarch. c. 2. Seneca de benef. 1, 13.
Demoſth. de Alexandreo fœdere. Pauſ. fin. lib. 7.
*Capell. in hiſt. ſacra & exotica.
* Homeri Scholia Ix, 8.

J. FREINSHEMII Supplementorum IN Q. CVRTIVM

LIBER SECVNDVS.

Diod. 17, 7. Diodorus 17, 5. Arria. 2, 3, 18. Curtius 6, 3, 12. Strabo fin. lib. 15.

PERSARVM ea tempeſtate Darius rex erat, paulo ante Philippi necem euectus in id faſtigium à Bagoa ſpadone; qui Ochon rege, & deinde filio eius Arſe, cum tota eorum domo exſtinctis, imperium quod ſibi vindicare non poterat, ſui beneficii fecit, perenem

nem sibi gratiam pollicitus apud eum quem tanto munere deuinxisset. Nec tamen indignus ea fortuna Darius apud populares habebatur; nam etiam à gente regia non alienus erat. quippe Ostanes Ochi patruus Arsanen genuerat, Arsanes Codmannum. Sic enim vocabatur, dum priuatus esset; sed in Cyri solium conlocatus, more quodam Persarum, eiurato veteri nomine, Darius appellari voluit. Bello quoque spectatus, cæso ex prouocatione hoste, * quum aduersus Cadusios bellum gereret Ochus, magnam virtutis opinionem pepererat. Hic à conditore regni * Cyro decimus imperio Persarum præfuit. Nam Ochus Artaxerxem patrem; ille Darium exceperat. Huic Artaxerxes regnum reliquit, Xerxis filius. Xerxes Dario patri successit, qui Hystaspe genitus, post exstinctum in Cambyse Cyri sanguinem, inlustri septem * Persarum conspiratione, imperium Magis extorsit. Sub his regibus per ducentos & triginta ferme annos res Persarum mira felicitate floruit: acribus initiis, dum rudis ad voluptates natio pro libertate, gloriaque, & opibus animose [a] dimicabat. procedente tempore, postquam præmia virtutis adepti videbantur, ipsam posthabuere; non tam suis viribus tuti, quam fama potentiæ à maioribus partæ, vsuque diuitiarum, [b] quibus haud paulo felicius contra Græcos, quam armis decertauere. Ad postremum itaque, quum aduersus Alexandri vim auro parum proficeretur, omnique externa ope abscedente sibimet ipsis innitendum esset; animi deliciis & mollitie fracti effeminatique fortunæ ruentis impetum non sustinuerunt. Quippe INDVSTRIAM egestas acuit; adfluentiam rerum luxus & inertia sequitur. Igitur [c] audito fine Philippi, cuius fortuna & adparatibus exterriti fuerant, metu soluti, Alexandri adolescentiam despiciebant; contentum fore arbitrati, [d] si securo Pellæ obambulare liceret. Verum quum de bellis ipsius victoriisque alia super alia nunciarentur; contemptum hactenus iuuenem impensius formidantes, summa cura, vt in bellum atrox atque diuturnum, auxilia comparabant. Et quoniam superiorum prælio-rum experimentis imparem Asiaticum militem Europæo didicerant, missis in Græciam conquisitoribus, ad quinquaginta millia egregiæ iuuentutis mercede conduxerunt. His copiis Memnon Rhodius prætor datus est; qui multis ante bellis fidem virtutemque suam Persis abunde probauerat. Is ad occupandam Cyzicum missus, citatis itineribus, per Phrygiam, qua Troadi committitur, ad Idam montem peruenit, ipso nomine naturam situs sui præferentem. nam condensa arboribus loca *Idas* antiqui dixere. Exsurgit

Scalig. de emendat. temporum lib. 6. Curt. 4, 1, 10.
* Iustin. 10. 3, 3. Diod. 17, 6.
* Sleidan. lib. 1. de 4. monarch. Scalig lib. 6. de emen. tempor. Schubert. lib. 2. de scrupulis. chronol.
* Herodot. 3, 70. Iusti. 1, 9, 19.
[a] Xenoph. ἀναβ. lib. 1. Arrian. 5, 1, 19.
[b] Plutarch. Agesilao cap. 24. & Artoxerxe cap. 30.
[c] Diodor. 17, 7.
[d] Aeschin. contra Ctesiph.
Curt. 5, 11, 5.
Curt. 3, 2, 9.
Diodor. 17, 7. Pausan. lib. 10.

git iste celsiore cacumine, quam ceteri ad Hellespontum montes. In medio specũ habet religioso horrore famã in fabulis nactum, vt *ibi dearum formas arbiter Trojanus spectasse* prædicetur, quum imperio patris expositus, in Ida monte adoleuisset. Eadem Idæorum Dactylorum patria esse fertur, [a] qui primi, Magna Matre docente, ambiguum ferri vsum, neque [b] minus vtile necessitatis laborisque solatium, quam acerrimum furoris instrumentum, inuexerint vitæ. [c] Illud etiam admiratione dignum proditur, quod circa canis exortum, ventis depressiora turbantibus in summo Idæi iugi cacumine quietus aër est: quodque *multa adhuc nocte terris incubante, solem* aiunt *conspici, non globi figura: sed in amplissimam latitudinem sparsum, & velut diuersis ignium agminibus vtrumque* [d] *montis latus amplexum, coire paulatim, & propinquante iam luce* [e] *iugera paulo maius spatium implere; pauloque post in solitum orbem conlectum destinatum iter percurrere.* Credo per aërem nocturno gelu adstrictum, nullisque ventorum flatibus dissectum, solis orientis, adhuc imperfecta imagine late sparsa, fallax oculis miraculum adparere; donec eo paulatim vi caloris absumpto dissipatoque, liber ad ipsum sideris orbem adspectus permittatur. nam sereno liquidoque cœlo radii transinittuntur: vbi coactus aër est, sistit exceptos, & tamquam in speculum ineidentes cum incremento splendoris diffundit. Sub Idæ radicibus Cyzicenus ager in Propontidem excurrit: ipsum oppidum in mediocri insula situm gemino ponte continenti adnectitur. Sed [f] id opus paulo post Alexander molitus est: sub [g] Memnonis expeditionem nauibus commeabatur. Qui quum Cyzicenos improuiso impetu nequidquam terruisset, muros gnauiter tuentibus oppidanis; eorum regionem Macedonum ducibus cessabatur: Parmenio Grynium Æolidis oppidum expugnat, incolas seruituti addicit. deinde Caicum amnem transgressus, Pitanen adoritur, vrbem opulentam, & duplici portu accipiendis ab Europa copiis opportunam. sed propero aduentu Memnonis statim soluta obsidio est. Calas deinde, qui cum modicis Macedonum atque mercenariorum copiis in Troade res gerebat, cum Persis prælio certauit: & impar hostium multitudini in Rhœteum se recepit.

Diodor. 17, 7.
[a] Apollod. lib. 2.
[b] Diodor. 17, 7.
[c] Plinius. 34, 14.
[d] Diodor. 17, 7.
[e] Lucretius 5, 662. Mela 1, 18.
[f] Plinius 2, 11, 3.
[g] Diod. 17, 7. Strabo lib. 13. Plinius 5, 32, 2. Diodor. 17, 7. Strabo lib. 13.

Interea Alexander constitutis in Græcia rebus, in Macedoniam reuersus, *quæ tantam belli molem adgressuro cauenda vel administranda essent*, cum amicis deliberabat. Antipater ac Parmenio ætate & dignitate præcipui obtestabantur, *NE IN VNO corpore totius imperij salutem fortunæ insidiis exponeret: quin prius operam daret liberis; & incolumitate*

CAP. II. Diodor. 17, 16.

patriæ

patriæ firmata, ita demum de incremento eius cogitaret. Quippe præter
Alexandrum nemo exPhilippi sanguine dignus imperio superetat,
1, 9, 29. Comment. in Curt. 10, 7, 2. Cleopatræ sobole per Olympiadem intercepta: Aridæus sordibus
materni generis, & turbata mente Macedoniam dedecere putaba-
tur. Verum ille quietis impatiens, nihil nisi bellum, & ex victo-
ria gloriam adsidua cogitatione voluebat. Igitur, *Vos quidem*, in-
quit, *vt probos & amantes patriæ viros decet, de commodis adversisque illius*
haud sine caussa soliciti estis. Arduum enim, quis neget? opus ordimur, quod se-
mel temere ceptum, si euentus arguat, sera pœnitentia nequaquam emendauerit.
Nam antequam vela soluamus, nauigare velimus an quiescere, nostra consultatio
est: quum ventis fluctibusque nos crediderimus, in ipsorum arbitrio omnis noster
cursus erit. Itaque non moleste fero vestram opinionem à sententia mea dissidere;
quin potius simplicitatem laudo, vosque precor vt in iis etiam de quibus porro refe-
retur, eodem instituto vtamini. AMICI regum, si qui eo nomine digni sunt, non
tam gratiam eorum, quam vtilitatem atque decus in consilio habent. QVI ALI-
TER fieri censet, quam ipse facturus erat, non instruit consultorem, sed decipit. Ce-
terum vt & vobis consilij mei ratio pateat; certum habeo nihil minus conuenire
rebus meis, quam dilationem. Omni quæ circa Macedoniam colit barbarie pa-
cata, exstinctisque Græcorum motibus, fortissimum florentissimumque exercitum
ocio & desidia dilabi patimur: an potius in opulentissimas Asiæ regiones inducimus,
olim possessionem eius spe complexum, & præmia laborum, quos diu sub patre
meo, deinde nobis imperantibus tertium iam annum exhausit, ex Persarum spoli-
Zosimus. lib. 1. Curt. 6, 4, 10. Diod. 17, 5. *is expetentem? Nouum adhuc imperium Darij est, & interfecto Bagoa, cuius be-*
neficio regnat, crudelitatis & ingratitudinis suspicionem apud suos incurrit: quæ
res optimos eorum qui parent, odio aduersus imperantes implent, & ad obsequia
segniores, aut etiam præfractos reddunt. Numquid sedebimus dum auctoritas
eius confirmetur, & rebus domi per otium compositis, vltro bellum in Macedoniam
transferat? MVLTA celeritatis præmia sunt, quæ nobis cessantibus ad hostem per-
tinebunt. MAGNVM in eiusmodi negotiis momentum posti se trahit prima ani-
morum inclinatio: at illa semper occupanti parata est. quippe NEMO contanter
adpetit fortioris gratiam: porro FORTIOR habetur, qui infert bellum, quam
qui excipit. Quanto autem existimationis nostræ periculo fallemus spem eorum,
qui adolescentibus nobis eum honorem deferendum iudicauerunt, quem maximus
imperator, pater meus, post tot virtutis experimenta paulo ante obitum obtinuit?
Diodor. 17, 16. *Non enim ideo Græcorum concilium imperium nobis decreuit, vt in Macedonia de-*
sides & ignauis voluptatibus addicti, iniurias olim & nuper Græco nomini illatas
negligeremus; sed vt eorum, quæ per summam superbiam improbe & petulanter
Plutarch. aduers. Coloten cap. 30. in nos commiserunt, pœnas penderent. Quid dicam de iis Græcorum nationibus,
quas late per Asiam diffusas impotentium barbarorum intoleranda seruitus pre-
*mit. Equidem *quibus nuper precibus, quibusque argumentis caussam eorum De-*

17 *lius Ephesius egerit, quum ipsi memineritis, non repetam. Id sane constat, eos*
omnes, vt primum signa nostra conspexerint, protinus ad nos esse transituros, &
pro liberatoribus adsertoribusque suis aduersus graues iniquosque dominos quod-
18 *libet periculum impigre suscepturos. Quamquam quid nostri pariter hostium-*
que obliti auxilia circumspicimus aduersus gentes, quas etiam paulo lentius vicisse
19 *à pudore quam gloria propius abfuerit? Patrum auo in Asiam profectis Lacedæ-*
moniorum paucis ingentes hostium exercitus frustra restiterunt: Phrygiam, Lydi- Plutarch. Agesil. c. 8.
am, Paphlagoniam, agi ferrique passi; aut quoties vetare voluerunt, ad hostium & seqq.
satietatem cæsi sunt: donec à suis reuocatus Agesilaus, ob exortos in Græcia tu-
multus, trepidantibus & consilij incertis animi ex tanto terrore recipiendi spatium
20 *concederet. Paucis ante istum annis vix decem Græcorum millia, sine ducibus,* Xenoph. ἀναβάσεως lib. 2. & seqq.
sine commeatu, ex intimis Persici imperij partibus, per tot infestas nationes iter in
patriam ferro aperuerunt. quum eos persequeretur vniuersus regis exercitus, quo
modo cum Cyro fratre de regno dimicauerat, victorque exstiterat: quem illi qui-
21 *dem vbicumque congressum fuderunt fugaueruntque. Nos igitur, quibus vni-*
uersa Græcia tot victoriis edomita paret, qui eorum fortissimos aut in acie cecidi-
mus, aut habemus in castris; timebimus scilicet Asiam, quam eorum quos vicimus
22 *pauci pudendis cladibus adfecerunt? Aliis deinde in eamdem sententiam*
adiectis, adeo permouit animos, vt omnibus adsentientibus etiam
Parmenio, qui maxime bellum differri voluerat, maxime adcele-
23 randum censeret, vltroque iam Alexandrum hortaretur. Itaque
omni cura ad maturandam profectionem cōuersa, ad Dium Ma-
cedoniæ vrbem Ioui Olympio sacrum fecit, institutum ab Arche-
lao, qui post Perdiccam Alexandri filium regnauit. Musis quo-
que ludos scenicos fecit, per nouem dies, pro numero dearum.
24 Post hæc conuiuium summa magnificentia celebratum est; taber-
naculo quod centum lectos caperet, adornato. ibi cum amicis du-
25 cibusque, & ciuitatum legatis adcubuit. per exercitum quoque
victimas diuidi iussit, aliaque præberi, quibus destinatus hilarita-
ti dies festiuis epulis, & faustis instantis belli ominibus transige-
retur.

CAP. III.

Vere nouo contractis vndique copiis in Asiam transiecit; ex-
ercitum robore quam numero validiorem ducens. Triginta pe-
ditum millia Parmenio ducebat: quorum Macedones tredecim
expleuerant; quinque erant mercede militantium; ceteram mul-
titudinem socii fœderatique miserant. Has copias Illyrii Thra-
cesque & Triballi, ad quinque hominum millia sequebantur; ad-
2 ditis mille Agrianorum sagittariis. Equitatum Macedonum mil-
le octingentorum *Philotas ducebat; & totidem ex Thessalia Ca-
las: à reliqua Græcia sexcenti omnino equites venerunt, quibus

[a] Plut. Alex. cap. 88. [b] Diod. 17. 16. Arrian. 1, 4, 1. Iustin. 11, 5, 6. [c] Diodor. 17, 16. [d] Arria. 1, 4, 3. Plut. c. 23. & de fort. Alex. 1, 3. Iustin 11, 6, 2. Polyb. 12, 10. Liu. 9, 19, 4. & 42, 51, 11. Front. 4, 2, 4. Paneg. Constantino dictus Diod. 17, 17. *Curt. 6, 9, 21. Diodor.

uiuiæ celebrat. deinde in Asiã trajicit. Exercitus eius. Antipatrũ Macedoniæ & Græciæ præfecit. amicis priuatũ patrimoniũ diuidit, sibi ipsi reseruat: haud imprudenter. quãquã haud sane abundans pecunia, cuius

Erigyium præposuit: agmen ducebat Cassander cum nongentis
Plut. c. 23. & de fort. Alex. 1, 3. 2, 24. [a] Curt. 3, 2, 13. 3, 3, 27. [b] Arrian 14, 3. Diodor. 17, 17. [c] Curtius 5, 1, 39. [d] Iustin. 11, 5, 5. Plut. c. 23. & de fort. Alex. 2, 24. Marcellin. 25, 14.
Thracum atque Pæonum antecursoribus. Hunc exercitum, non 3
vltra quam in triginta dies prouiso commeatu, infinitis barbaro-
rum copiis opponere non dubitauit; virtute suorum fretus, [a] qui
vincendo senes facti, robore animorum armorumque vsu cuilibet
multitudini hostium insuperabiles erant. Antipatro, [b] quem cum 4
duodecim millibus peditum, & mille quingentis equitibus Mace-
doniæ Græciæque rebus præfecerat, iniunctum, vt continuos in
Europa delectus ageret, [c] quibus aduersus præliorum fatique de-
trimenta exercitus subinde nouaretur. Hoc vnum sibi exceperat,
quum cetera amicis largiretur. Quidquid enim salua maiestate 5
regni abesse poterat, [d] priusquam naues conscenderet, inter suos
distribuit. Perdiccas prædium quod dabatur non accepit, interro-
gato rege, *quid tandem sibi ipsi reliqui faceret?* atque illo subjiciente, *spes:*
earundem ergo, inquit, *& nos participes erimus, qui tuis auspiciis militamus.*
// Pauci hunc sequuti sunt: per cetera non stetit; quin interrogatus, 6
// *vbi thesauri ipsius essent?* [e] vere responderet, *apud amicos.* Sane de sum- 7
ma rerum alea iacta, non absurde conlocasse videtur opes quas ha-
bebat: quippe aut victor multo maiores adepturus erat; aut si
victus esset, istas quoque amissurus. atque interim alacrioribus mi-
nistris vtebatur. neq; multum abscedebat præsentibus necessitati- 8
bus, quum agros & prædia, & reditus quorum dies multo post
venturi erant, donaret: pecunia in belli vsum sepositа, cuius
quanto minor copia erat, diligentius administrabatur. Quippe 9
[f] Arrian. 7, 2, 15. Philippo [f] interfecto, minus saxaginta talentis pecuniæ signatæ,
paucaque ex auro & argento pocula in thesauris eius reperta sunt:
[g] Curt. 10, 2, 24. Plutar. c. 23. & de fort. Alex. 1, 3 & 2, 24. [h] Diod. 16, 8. [i] Athen. 4, 14. & 6, 4. [k] Athenæus 12, 2. [l] Arrian. 7, 2, 15. Plut. c. 23. & de fort. Alex. 1, 3. & 2, 24.
quum [g] æris alieni quingenta ferme talenta relinqueret. Quam- 10
quam enim iste rem Macedonicam insignibus incrementis auxis-
set, auri quoq; metallis apud Crenidas (ipse Philippos adpellauit)
ita excultis, [h] vt inde mille talenta annui prouentus cogerentur;
continuis bellis, neque minus largitionibus, ærarium exhauserat.
Macedoniæ etiam instaurandæ ornandæque magnos sumptus fe- 11
cerat, quum pauperrimam accepisset. Ipsum inter initia regni
tenuem fuisse, [i] & quum ex quinquaginta drachmis auri poculum
haberet, id cubitum euntem capiti subiecisse plerique meminе-
rant. Huius ergo filius bello lacessiuit regem Persarum, [k] cui so- 12
mnum capienti quinque talentorum auri millia pro ceruicali, tria
argenti pro scabello, sub capite pedibusque lectuli, peculiaribus
cubiculis seruabantur: quamquam ad [l] paternum æs alienum
octingenta insuper talenta, quæ ipse mutuo sumpserat, adiecisset.

ex qui-

ex quibus vix decima portio supererat. Soluisse autem dicitur 13
Timotheo * tibiis concinente, summaque militum alacritate, opes * Himerius apud Photium.
barbarorum quos oppugnatum irent, * certa fiducia sibi destinan- * Iustin. 11, 5, 8.
tium. Hoc modo per lacum quem à vicini montis nomine *Cercи-* 14
niten vocant, vbi classem habebat, in Strymonem inuectus; Am-
phipolin, & deinde ad ostia Strymonis processit: quo traiecto, Arrian. 1, 4, 3.
præter montem Pangæum, viam ingressus est, quæ Abderam &
Maroneam ducit. Nam in litore iter facere instituerat, vt nauи- 15
bus suis, quæ iuxta ducebantur, præsidio esset, si Persæ forte oc- Arrian. 7, 2, 15.
currissent; quippe isti tum etiam maris imperium obtinebant. * Ipsi * Iustin 11, 6, 2. Oros. 3, 16. Otto Frising. 2, 25. Diodor. 17, 22. Plut. in X. Orator. 8, 9. & 9, 1. Arrian. 1, 4, 4.
enim modica classis; at apud hostes Cypriæ Phœniciæque naues,
adsuetique maritimis rebus classiarii, & exercitatissimi remiges
erant. Nam Macedonia nuper tentato maris imperio, nondum 16
abundabat nauibus; & à sociis maligne præbebantur. Etiam
Athenienses, quum ab ipsis triremes peterentur, tantum XX. mi-
serunt: suggerentibus eorum oratoribus, *periculum esse, ne classe acce-*
pta contra eos qui misissent, vteretur. Ex iis locis ad Hebrum fluuium 17
contendit: quo haud difficulter transmisso, in Pæticam Thraciæ re-
gionem peruenit: inde superato amne quem *Melanem* adpellant, vi-
gesimo postquam à domo profectus fuerat die, Sestonadrigit in
extremis continentis finibus Hellesponto imminentem, qua angu-
stis fluctibus insinuatum mare Asiam ab Europa dirimit. Quip- 18
pe Macedonia Thraciam coniunctam habet; quæ procurrens in
ortum duobus capitibus Asiam tangeret, nisi intercedente pelago
submoueretur: dextra Hellespontus arcet; vlterius Bosphorus,
quem Thracium adpellant, Byzantium à Chalcedone separat. In- 19
ter has angustias intercepta Propontis iam laxiore spatio iuxta Bi-
thyniam & Ponticas regiones diffunditur. Infra Bithyniam My-
sia est; deinde Phrygia, Phrygiamque contingens Lydia, longius
à mari remotæ. Interius spatiosas regiones celebratæ fecundita- 20
tis & opulentiæ gentes habitant. Litora quæ Thraciæ Græciæ-
que obuersa sunt, Hellespontii; deinde Troës colunt, calamitati-
bus incluti. Infra hos Æolis & Ionia per longa litorum spatia Ly-
diæ prætenduntur. Caria deinde cum adnexa Doride, magna
ex parte mari circumfusa, non minus amplo tractu introrsum rece- 21
dit. His terris nobilissimæ insulæ adiacent: Lesbus Æolica,
Chius & Samus Ioniæ, & Dorica Rhodus, aliæque multæ quarum
nomina Græcorum monumentis inclaruerunt. Nam antiquis 22
temporibus omnem hanc oram Græcia frequentibus coloniis inse-
derat: quæ tum quoque manebant; sed Persarum regi satrapisque

simulq; adiacentium regionum situs breuiter enarratur. Ili copiarum parte cum Parmenione transmissa, ipse Eleuntē petit, Protesilao inferias daturus. In medio Hellesponto diu mari-

[a] Arrian. 1, 4. 4.
[b] Curt. 7, 1, 2. 2, 4, 13. Arrian. 1, 4, 6.
[c] Herod. 9, 115. Pausan. lib. 1. & 3.
[d] Philostrati Heroica.
[e] Arrian. 1, 4, 6. Diodor. 17, 17. Arrian. 1, 4, 7. Plin. 5, 30, 7. Mela 1, 18.
[f] Herod. 7, 54.
[g] Diodo. 17, 17. Arrian. 1, 4, 8. Iustin. 11, 5, 10.

subiectæ, priscam gentis libertatē barbarica seruitute mutauerant. Alexander [a] vbi Sestō peruenit, maximam copiarum partem Parmenione [b] duce, Abydum in aduerso litore sitam petere iubet, adtributis ad hoc centum sexaginta triremibus, multisque onerariis: ipse cum reliquis Eleuntem proficiscitur, [c] Protesilao sacrum, cuius ibi sepulchrum adgesto tumulo tegitur. Circa tumulum crebræ vlmi sunt, quarum mira natura est, quippe ramis [d] qui Ilium spectant matutino diei tempore enata folia statim defluunt; quum ceteris stabilis viriditas sit: ita acerbum herois fatum exprimere creduntur; qui in ipso ætatis flore cum Græcis in Asiam profectus, prima Troiani belli victima fuit. Huic tum [e] Alexander inferias dedit; precatus, *vt melioribus auspiciis hostile litus tangeret.* Inde cum quinquaginta longis nauibus Sigeum petiit, portumque nomen ab Achiuis nactum, quorum classem Troianis temporibus exceperat. Quum iam in mediis Hellespōti fluctibus nauigaret (namque suæ nauis ipse gubernator erat) taurum Neptuno ac Nereidibus immolat, aureamque phialam, ex qua libauerat, diis marinis donum, in pelagus abjicit. Iam in portu erat classis; [f] quum rex iecta in litus hasta, primus è naui librato corpore terrā saltu contigit; [g] testatus, *se possessionem Asiæ diis bene iuuantibus iusto pioque bello sibi adserere.* Aræ deinde constitutæ sunt, vbi exscensionem fecerat, Ioui descensori, Mineruæque & Herculi: *eo quoque loco, vnde ex Europa soluerat, aras exstrui* iussit.

CAP. IV.

[a] Plut. c. 24. & de fort. Alex. 1, 14. Aelian. histor. var. 9, 38.
[b] Plut. c. 24. Arrian. 1, 4, 10. Cicero pro Archia c. 10, & ep. 5, 12. Vopiscus pr. Probi.
[c] Aelian. hist. var. 12, 7.
[d] Iustin. 11, 5, 12.
[e] Arrian. 1, 4, 9.
[f] Iust. 17, 3, 6. Strab. l. 13.

INde processit in campos vbi veteris Ilii sedes monstrabatur. Ibi dum heroicorum operum monumenta auide perlustrat, quidam [a] ex incolis, Paridis ei lyram pollicitus est. At ille, *nihil*, inquit, *moror imbellium deliciarum vile instrumentum: at Achillis lyram cedo, fortium virorum laudes eadem personantis manu, qua facta superabat.* Nam Achillem cuius origine gloriabatur, inprimis mirari [b] solitus, etiam circum cippum eius cum amicis nudus decucurrit, vnctoque coronam imposuit. Hephæstion [c] Patrocli tumulum coronauit: eumdem amicitiæ locum apud Alexandrum sibi esse significans, quem is apud Achillem habuisset. Inter multos de Achille sermones *duplici nomine beatum sibi videri* dixit rex, *quod viuus fidum amicum nactus esset; exstinctus magnum præconem.* Ceteris [d] etiam heroibus, quorum iis in terris sepulchra ostenduntur, parentauit. Sacrificauit & [e] Priamo ad Hercii aram, siue vt placaret manes ab Æacida interempti; siue ob cognationem, [f] quam sibi cum Ilienſibus intercedere arbitrabatur, quia viduam Hectoris Andromachen Neoptolemus in matrimonio habuerat. Mineruæ, quam præcipua religione venerabatur,

nius sacrum facit. Achillu tumulū coronat: Hephæstion Patrocli. Ceteris etiā heroibus, & Priamo inferias dat. Alex. ex templo Mineruæ arma depromit; sua suspendit. Armaturæ eius describitur; qua & postea diu

[a] Commēt. in Curt. 3, 7, 3.
[b] Plut. c. 25.
[c] Arrian. 1, 4, 9. 6, 2, 8. & 13.
[d] Diodor. 17, 18. & 21.
[e] Plutarch. cap. 25.
[f] Plutarch. cap. 60.

tur,[a] studiose sacrum facit: suspensisque in templo armis suis, alia 6 detraxit,[b] quæ *à Troiani belli temporibus dur auisse* dicebantur. *Hec ab armigeris præferri* [c] iubebat, *tamquam à propitio numine ad subigendam Asiam* 7 *commodata: ipsque indutum*[d] ferunt *ad Granicum cum satrapis decertasse.* Alioquin elegantibus armis gaudebat; nullius mundiciei studiosior. Cetra [e] vsum reperio splendida; galea eleganter cristata, vtrimque dependentibus pinnis candore & magnitudine insignibus: thorace lineo duplici. [f] galeam habebat ferream quidem, sed in purissimi 8 argenti speciem splendoremque politam. Theophili opus. collare ferreum intermitentes gemmæ distinguebant. gladio cingebatur acumine & duritie in paucis notabili, augebatque pretium eius, quod in tanto ferri robore, leuis & tractanti habilis erat. Huic armaturæ interdum amiculum militare injiciebat, quod genus tum 9 *Siculum* adpellabatur. Ceterum quibusdam horum post id tempus potitus est: nam thorax, quem diximus, inter spolia pugnati ad Issum prælii fuit; gladium Citieorum rex Cyprius dono dedit; Rhodii balteum, quem incomparabili industria conspicuum Hero 10 licon fecerat, egregius inter priscos artifices. Neque pœnitet talia memorare, quæ veteribus scriptoribus digna relatu videbantur; & alioqui magnorum regum dicta factaque, etiam quæ leuiora habe 11 ri solent, non sine fructu aut voluptate recoluntur. Certe arma Alexandri sequens ætas diu venerata est: quibus adeo pepercit vetustas, vt ex Romanis imperatoribus alius post subactā Pontica regna chlamyde illius triumphum suum ornaret; alius thoracem Alexandri indutus percurreret pontem, quem æmulatione Darii 12 Xerxisque in pelago struxerat. Posthæc Alexander à Mineruæ fano digressus Arisben processit, vbi castra habebant Macedones qui 13 cum Parmenione transierant. Postero die [g] præter Percoten & Lampsacon ad Practium flumen contendit; quod ex Idæis montibus ortum, [h] Lampsacenum Abydenumq; agrum interfluit, deinde 14 paulisper ad Septemtrionem flexum, in Propontidem exit. Inde Hermotum [i] prætergressus rex, ad Colonas duxit, in mediterraneis Lampsacenorum situm oppidum. Omnibus istis in deditionem acceptis (nam & [k] Lampsacenis ignouerat) Panegorum misit, qui 15 Priapenorum vrbem, quam incolæ dedebant, reciperet: Amyntas Arrabæi filius cum quatuor antecursorum turmis, vna Apollonia tum, quam Socrates ducebat, speculatum ire iussus est; quippe hostes in propinquo versabantur, summa solicitudine curaque bel 16 lum instruentes. Inter eos [l] rei militaris peritia longe eminebat Memnon. is magnopere suadebat, *vt retrocedentes, omne quod vsui hosti-*

[a] Appian. de bellis Mithridaticis. Dio lib. 59. Zonaras tomo 2.
[b] Arrian. 1, 5, 16.
[c] 2, 3, 23. Arrian. 1, 5, 16.
[d] Strabo. lib. 13
[e] Arrian. 1, 5, 16. Strabo lib. 13.
[f] 1, 3, 27. Arrian. 1, 5, 17.
[g] Curt. 3, 4, 3. Diodor. 17, 18. Arrian. 1, 5, 19.

bus

in precio. Alexandri progressus & itinera: Asiæ, Persæ, Lampsacus, Coloniæ in deditionē accipiuntur. Inter hæc Satrapis consultantibus Memnon Rhodius suadet, vt amplare-

bus esse posset, longe lateque conrumperent: quidquid in campo herbidum esset, equitatu conculcarent: vicos vrbesque incenderent, nihil præter nudum solum relicturi.
2, 3, 3. Vix vnius mensis commeatu instructum venisse Macedonem, deinceps rapto victu- 17
rum. ea copia si eripiatur, breui recessurum esse. ita paruo impendio toti Asiæ salutem quæri. Triste id quidem: sed IN OMNI negotio, vbi periculum immineat, id 18
Commēt. in Curt. 5, 9, 3. Strabo lib. 13. spectare prudentes, vt quam minimo damno defungantur. ita medicos si conrepta parte corporis morbum in cetera transiicā videant, vnius membri iactura pro reliqui corporis incolumitate pacisci. Neque id sine exemplo facturos Persas. Sic olim 19
Darium regem ipsas illas regiones vrbesque vastauisse, ne Scythis isthac transituris receptus esset. At si prælio contenderent, de summa rerum aleam iaci, pulsis semel 20
Persis, omnem eam oram Alexandri fore: victores nihil amplius habituros. Ne- 21
Arrian. 1, 5, 19. Commēt. in Curt. 3, 6, 3. Arrian. 1, 5, 19. que hercule paruum discrimen impendere ob vim Macedonicæ phalangis, cui suum peditatum, quamquam numero superiorem frustra oppositurī essent. Ipsius dein- 22
de regis præsentiam haud parum valere ad victoriam; stimulari milites spe, pudore, gloria, in conspectu imperatoris dimicantes: quæ omnia haberent Macedones; ipsis abesse Darium. Neminem ambigere quin BELLVM in aliena terra gerere 23
2, 5, 10. præstet, quam in sua: id commodum adepturos, si consilium suum sequuti de inuadenda Macedonia cogitarent. Nulli ceterorum ducum grata oratio fuit. 24
Arrian. 1, 5, 20. Diodor. 17, 18. Id fortasse Memnoni Rhodio probari posse, cui expediat bellum trahi, quo diutius honoribus, stipendiisque regiis perfrueretur; Persis commissos fidei suæ populos prodere pudendum videri: neque apud regem excusari posse, qui longe aliam belli gerendi rationem præscripsisset. Quippe Darius audito Alexandrum ex 25
Commēt. in Curt. 3, 5, 12. Macedonia mouisse, literas ad præfectos suos miserat, imperans vt insanientem Philippi adolescentulum puerili verbere ætatis & conditionis admonitum, deinde purpurea veste indutum, qui primum sibi vinctum adducerent: naues ipsius vna cum nautis mari demergerent: milites omnes ad vltima maris Erythræi loca deportarēt. adeo præ superbia futuri securus, & ignarus sor- 26
Herod. 7, 150. Plato. in Alcibiade. tis suæ omnem humanæ imbecillitatis sensum exuerat, consanguineum deum, se ferens, magis quod potentia nō dispar ipsis videretur; quam ob veterem fabulam, qua Persarum reges à Perseo Iouis filio nomen atque genus traxisse ferebatur. Eodem fastu plenam 27
Aeschines contra Ctesiph. epistolam ad Athenienses paulo ante scribi iusserat, addideratque, quando Macedonis amicitiam prætulissent, à se deinceps aurum ne peterent, non enim missurum esse, etiam rogantibus.

CAP. V. AT Alexander quum inter progrediendum agrum à rege Persarum Memnoni dono datum adtigisset, maleficio abstineri iubet, colonisque & fructibus parci: callido commento suspectum facturus hominem industrium, & quem ex omnibus hostium ducibus vnum non contemneret; si in suas partes transducere nequiuisset. Quumque 2
Polyæn. 4, 3, 15. Curtius. 3, 1, 21. lenitatem regis admirati quidam, acerrimum callidissimumque Macedonum hostem,

gione vastata, hosti cōmeditatem progrediendi adimeret, illi non audient; etiā superbis Darij literis ad prælia concrendia incitati. Memnonem ex hostibus Memnonem non cōtemnent, vafro strategemate suspectū Persis reddere nititur. progressus ad Granicum amnem, ad prælia se parat, milites adloquio & cōmentacio prædicto

hostem, quamprimum in potestatem redactus esset, interficiendum; atque interim quibus posset cladibus vexandum esse dicerent: quin, inquit, potius beneficiis supplantamus hominem, & amicum ex inimico facimus, eadem virtute & solertia
3 pro nobis staturum. Ventum erat in campos Adrasteæ, per quæ Granicus amnis præcipiti cursu voluitur. Ibi quidam ex speculatoribus quos cum Hegelocho præmiserat, reuersi nunciant; Persas instructis
4 ad prælium ordinibus in vlteriore ripa consistere. Paulisper commoratus, dum de transitu consilium caperet, duces conuocari iubet. Plerisque præcipitis & inriti conatus videbatur; fluuium profundum perrumpere, ripam sua natura arduam atq, impeditam obtinentibus tot * equitum peditumque millibus. nec deerant qui ingererent * Dæsium mensem (is enim agebatur
5 Iunio respondens) infaustum res gerentibus apud Macedonas haberi. De periculo non anxius, superstitionem haud contempsit: gnarus QVANTVM in rudibus animis valeret etiam vanæ religionis opinio. Igitur edixit, vt repetito prioris mensis nomine, pro Dæsio al-
6 ter Artemisius haberetur. Et quo efficacius confirmarentur adtonitæ mentes, Aristandrum (nam is forte pro transitu sacrificabat) secreto moneri iubet, vt exceptum ex exta manum inscriberet medicamento, literis inuersis, quasi impositum iecur recenti adhuc calore adtraheret, rectasque ex-
7 primeret. iis significabatur, Alexandro victoriam concedere deos. Vulgatum id miraculum tanta futuri spe omnes impleuit, vt post hæc tam certa cælestis fauoris pignora nihil dubitandum conclamarent. ita in maximam
8 bene gerendæ rei fiduciam æstu inducti, victoriam quia suam esse arbitrabantur, rapuerunt. Rex IMPETV animorū vtendum ratus quamquam monente Parmenione, vt saltem proximam lucem operiretur (iam enim maior diei pars effluxerat) statim transduxit copias, Parmenionis solicitudinem ioco prosequutus; erubescendum Hellespōto
9 fore, si illo superato riuum hunc transire contarentur. Tredecim equitum turmæ cum ipso rege per obluctantes vndas vix enisæ, priusquam stabile certumque solum adtigissent, aut ordines inter transeundum luxatos instaurassent; circumfuso Persarum equitatu vrge-
10 bantur. Quippe quum repudiato Memnonis consilio pugnare placuisset (nam Arsites Phrygiæ satrapa ne vnum quidem tugurium eorum qui sibi subesset incendi se passurum adfirmauerat; inque eius sententiam à ceteris itum erat) ad Granicum amnem cum centum peditum millibus, viginti equitum confederant; flumine pro munimento vsuri, & vicissim eam velut Asiæ portam venienti Alexandro obsi-
11 raturi. Cuius aduentu cognito, equitatum in quo robur erat virium, ita conlocant vt contra dextrum Macedonum cornu, quod ipse rex ducebat (* nam sinistrum Parmenioni commiserat) Me-

Themist. orat. 9. Strabo. lib. 13. Plutarch. cap. 25. Arrian. 1, 5, 2. Plutarch. cap. 24. *Curtius. 4, 9, 22. *Plutarch. cap. 24. Scalig. de emendat. temporum lib. 1. Frontin. strateg. 1, 11, 14. Plut. c. 25. Arrian. 1, 5, 3. Diod. 17, 19. 2, 4, 24. Arrian. 1, 4, 20. Diod. 17, 19. Iustin. 11, 6, 10. Plutarch. cap. 24. *Diod. 17, 19. Arrian. 1, 5, 15.

mnon

Diod. 17, 20. & 21. Arrian. 1, 4, 18.

mnon cum filiis & Arsane Persa cõsisterent: in eadem parte Arsites
curabat cum Paphlagonum equitum auxiliis: in subsidiis Spithri-
dates erat gener regis. Lybiæ Ioniæque satrapa Rhœsace fratre, &
Hyrcanis equitibus comitatus. In dextra *acie Rheomithrem duo 12
Medorum millia, totidemque Bactriani sequebantur: Medium
agmen Pharnaces reginæ frater, Arbupalesque Artaxerxis ex Dario
nepos, & Mithrobarzanes Cappadociæ prætor regebant: iis Ni-
phates Petanesque, cum Arsace & Atizye variarum gentium tur-
mas adplicuerant. Ii tum multitudine & loco potiores grauiter 13
premebant hostem acrisque pugna conserebatur; maximo omniũ
regis periculo, quem armis manuque & imperiis conspicuum plu-
res petebant. Sed tragula quidem, quæ in promiscuo pugnæ ardo- 14
re desinentis loricæ plicis inciderat, vulnus haud intulit: ceterum à
Rhœsace & Spithridate fortissimis ducum simul impetitus, extre-
mum discrimen adiit. Dum enim lancea in thorace Spithridatis 15
confracta, conatumque destituente, gladium stringit; frater illius à
latere adequitans acinacem incauto impingit, tanto nisu, vt cri-
stam galeæ & pinnarum alteram decuteret, aciesque gladii sum-
mos regis capillos perstringeret. Iamque repetito ictu, qua discus- 16
sa cassis nudum caput ostendebat, descendere parabat; quum il-
lum Clitus occupat, qui animaduerso regis periculo amenti simi-
lis aduolauerat, interceptumque barbari brachium cum ipso gla-
dio dejicit. simul Alexandri ense Spithridates occubuit. Nihilo ta- 17
men segnius repugnabant Persæ: donec interitu ducum quorum
plerique iam ceciderant, consternati, & quia iam etiam phalanx
Macedonum transierat amnem, equos in fugam auerterunt. Ne- 18
que pedestris acies diu restitit. equitatum suum ad obterendum
hostem satis superque validum arbitrati, potius de præda quam de
discrimine cogitabant. ita subito euentu deprehensorum cædes
magis quam prœlium fuit. Mercenarii tamen, quibus Omares 19
præerat, occupato quodam tumulo strenue se tuebantur: quia
conditionibus in fidem venturos ille non receperat. Ergo Mace- 20
donum plures in eo conflictu desiderati sunt, quam equestri prœ-
lio ceciderant: ipse quoque rex, dum inter primos impetum in eos
facit, tam propinquus discrimini fuit, vt equum cui tum insidebat,
ictu gladii per latus adacto confossum amiserit. Quibus rebus ve- 21
hementer inritatus, equitatu simul & phalange circumdatos occi-
dione occidit; *exceptis duobus fere millibus, qui in deditionem
venerunt. In vniuersum cæsa sunt ex hostibus viginti peditum 22
millia, duo equitum: captorum par ferme numerus fuit. Ex duci-

Cutt. 8, 1, 41. Arrian. 4, 2, 8.

Diodor. 17, 21. Plutarch. cap. 26.

Arrian. 1, 5, 25. Plutarch. cap. 26.

*Arrian. 1, 5, 24. Diod. 16, 21. Plutar. cap. 26. Arrian. 2, 2, 37.

bus

Arrian. 1, 5, 10. Plut. cap. 25.

Diod. 17, 20. Arrian. 1, 5, 20. Plutarch. c. 25.

bus Memnon effugit, cum Arsace, Rheomithre & Atizye; ceteri
honestis vulneribus occubuerunt. Arsites, quum in Phrygiam se Arrian. 2,
recepisset, pudore & pœnitentia, quod huius cladis causa non im- 5, 25.
23 merito haberetur, sibi manus intulit. Alexander paucos quidem,
sed promptissimos eo prœlio perdidit. triginta admodum pedites,
septuaginta quinque equites ceciderant. Igitur vt ostenderet
omnibus in vtraque fortuna apud se virtuti præmium fore; super- Iustin. 11,
stites Persarum spoliis ditat: occisorum corpora cum armis cetero- 6, 13. Dio-
que cultu magnifice sepelit: parentibus eorum liberisque vacatio- dor. 17, 21.
24 nem munerum concedit. vulneratorum etiam cura ambitiose acta Arrian. 1,
est; quum ipse rex obeundo tentoria & inspiciendo singulos solici- 5, 27.
tudinem suam pro gregariis etiam militibus ostentaret, ac grauem
cuiusque casum munificentia laudibusque aut promissis solaretur.
25 Quæ comitas in omnia deinceps pericula fidissimos ei præstitit:
nec quisquam recusauit spiritum pro eo rege profundere, qui ne-
que vitam suorum inopem neque mortem inhonoratam patere-
26 tur. Insignis præ ceteris honor fuit viginti quinque equitum ex
turma amicorum; quos primo statim congressu ex iniquo loco pu-
27 gnantes multitudo Persarum oppresserat. Nam Lysippo, à quo Val. Max.
vno, propter hominis peritiam, in ære fingi voluerat, imperauit, vt 8, 11.
equestres ipsis statuas faceret: quas apud Dion[a] Macedoniæ oppi- [1, 2, 13.
dum conlocatas post longam ætatem abolito Macedonum regno, [a] Plut. c. 26.
28 Q. Metellus Romam transtulit. Primum huius victoriæ decus Arrian. 1, 5,
penes ipsum regem fuit. aciem optime instruxerat, obseruataque 26. Liu. 44.
loci natura, [b] obliquos per flumẽ ordines duxerat, ne statim quum 7, 2. Vell.
ex aqua euasissent, à Persis inuaderentur. Turbatos deinde, terri- 1, 11, 4. Plin.
tosq; excitauit, hortatus [c] *vt saltem semel adhuc strenue adorirentur hostes.* 34, 8, 20.
29 Neque minus manu fortiter vsus erat, multos lancea, alios ense [b] Arrian. 1,
confecerat: primique ex hostibus fugam [d] adripuerunt, qui contra 5, 13. Po-
30 ipsum constiterant. Consilium quoque ipsius audaci specie, plus lyæn. 4,
tamen rationis quam temeritatis habuit. pugnaturos aduersus ho- 3, 16.
stem nouum, numeroque longe superiorem, etiam desperatione [c] Polyæn.
armare voluerat, [e] vt præcisam obiectu fluminis fugam conspicati, 4, 3, 8.
31 omnem salutis spem in victoria conlocarent. Thessalorum etiam, [d] Diodor.
nam [f] id robur equitatus erat, insignis eo die opera exstitit. neque 17, 21.
cereri officio suo defuerunt: præsertim equites, nam equestri potis- [e] Diodor.
32 simum prœlio transacta res est; pedites è vestigio cesserunt. Cete- 17, 23.
rum Alexander [g] Persarũ etiam nobilissimos sepulturæ tradidit; & [f] Liu. 9, 19,
quotquot ex Græcis mercenariis hostibus merentes ceciderant: 4. Diodor.
qui autem eorum viui in potestatem redacti fuerant, *eos per Macedo-* 16, 4. 17, 21.
[g] Arrian. 1,
5, 29.

niam in ergastula distribui iussit, *quod contra commune Græcorum decretum, pro barbarorum dominatione aduersus patriam pugnauissent.* Thebanos tamen 3 3
Plutarch. apophth. cap. 40. dimisit, qui exciſa vrbe, ademptis agris neceſſitate magis quam ſponte peccaſſent. iam enim tot illorum calamitatibus expleta odia miſericordiæ locum fecerant. Poſthæc de manubiis trecen- 3 4
Arrian. 1, 5, 30. Plutar. cap. 26. tos clypeos ſelegit, qui Mineruæ Athenienſi dedicarentur, ſuperbo cum titulo: *Alexandrum Philippi F. Græcoſque, exceptis Lacedæmoniis, de barbaris Aſiam incolentibus ſuſpendiſſe.* Id eo fecerat, vt communicata vi- 3 5
ctoriæ laude Græcis ad ceteras belli neceſſitates obſequentioribus vteretur: ſimul Lacedæmoniorum contumaciam traducebat, qui ſeorſum initis conſiliis à cetero Græciæ corpore abrupti, tantique decoris expertes manſiſſent. Neque matris, quam eximia pietate 3 6
Curtius 10, 5. Plut. c. 26. ſemper coluit, oblitus, pocula, purpuram, aliaque id genus precioſa ſpolia, paucis demptis, ad illam tranſmiſit.

CAP. VI.

POſt hoc prælium denuo ad Ilium profectus Alexander, deæ gratias egit, quæ grauiſſimi belli diſcrimen aditurum, armis & o-
Strabo lib. 13. minibus iuuiſſet. Quippe ſuperiori tempore quum ſtatim poſt 2
2, 4, 5. tranſmiſſum Helleſpontum eo contendiſſet, vti ſupra retulimus, ante fanum Mineruæ ſtatuam equeſtrem humi proſtratam vidit, Ariobarzanis ora referentem, qui Phrygiæ quondam ſatrapa fue-
Diodor. 17, 17. rat. Idq; omen interpretatus Ariſtander *inluſtrem ex equeſtri pugna* 3
victoriam promiſerat Alexandro, *maxime, ſi haud procul Phrygia dimicaretur: ipſius etiam dextra nobilem hoſtium ducem caſurum.* Neq; fefellit ſpem
2, 5, 16. vatis euentus prælii, ſtratuſq; regis enſe Spithridates prædictionis fidem impleuit. Igitur & templum donariis exquiſite coluit; & 4
Strabo lib. 13. Ilio, quod tum haud multum ſupra modici pagi ſpeciem eminebat, nomen vrbis addidit: vtq; id cum dignitate tueretur, reliquit qui inſtaurandæ eius ampliandæq; curam agerent: liberamq; &
Diodor. 18, 4. immunem eſſe iuſſit. Quumq; delubrum deæ pro religione loci 5
1, 10, 22. Strabo lib. 13. nimis anguſtum neglectumq; videret; eximium illi templum exſtruere poſtea ſtatuit. ſed hoc aliaq; magnifica meditantem, fatum occupauit: neque ſucceſſores exſequuti ſunt. Ceterum illa victoria 6
totam Aſiam cis Taurum & Euphraten aperuit regi. Adtoniti inſperata clade, non copiis modo, ſed & ducibus amiſſis, nullam præterquam in clementia victoris ſpem habebant; eamq; feſtinata deditione certatim promereri ſatagebant. Phrygiam Arſites vo- 7
Arrian. 1, 6, 1. 1, 5, 8. luntario exitu vacuam fecerat; ei Calas Theſſalorum ductor præponitur. Ex montanis quoq; locis pleriq; deſcenderunt ſeq; & ſua dedentes Alexandro. eos in fidem acceptos domum remiſit: Zelitiſque ignouit, quos à Perſis coactos aduerſus ipſum militaſſe cognoue-

8 gnouerat. Tributum omnibus impoſitum eſt, quod Dario pendere conſueuiſſent: idq; poſtea conſtanter ſeruauit, quum ceteras Aſiæ regiones ſubigeret. OMNE peregrinum imperium inuidiæ ſubiectum eſſe nouerat, etiam quum domeſtico mitius eſt; at ſi ve- Curtius 6, 3, 10.
tera ſubditorum onera nouis cumulentur, intolerandum haberi. 6, 3, 10.
9 Igitur monenti cuidam *longe plus tributorum vectigaliumq; ex tanto impe-* Hippol. à
rio redigi poſſe; reſpondit, *etiam olitorem ſe odiſſe, qui radicitus exſcinderet* Collibus
10 *olera, quæ carpere debuiſſet.* Daſcyleum præſidio Perſarum teneri au- Princeps cap. 33 ex Maximo Tyrio.
diuerat. eo [a] Parmenionem miſit, quę oppidani ſtatim receperunt; quum audito Macedonum aduentu, Perſæ exceſſiſſent. ipſe Sardes [a] Arrian. 1,
proceſſit, [b] caput omnium quæ præfectis oræ maritimæ Perſarum 6, 2.
11 reges parere iuſſerant. Iamq; haud amplius ſeptuaginta ſtadiis ab [b] Plut. c. 27. Pauſanias lib. 3.
vrbe aberat; quum ad eum Mithrenes venit, cui tutelam arcis Sardianæ [c] Darius crediderat, cum principibus Sardianorum, vrbem [c] Arrian. 1,
12 arcemque, & pecuniam quæ in ea cuſtodiebatur, tradituri. Qui- 6, 3. Diod. 17, 21.
bus benigne exceptis ad Hermum fluuium progreditur, viginti ſe-
re ſtadiis ab vrbe diſtãtem. ibi caſtris poſitis [d] Amyntam Androme- [d] Arrian. 1,
13 nis filium ad recipiendam arcem præmittit. Ea præcelſo loco ſita, 6, 4.
difficili vndiquaq; aditu, adverſus quamcumq; vim teneri potuerat, etiam ſi murus, qui triplici munimento illam circumibat, abfuiſſet. Ergo felicitati ſuæ gratulatus, quod ampliſſimas res animo voluentem, arx munitiſſima longa obſidione non implicaſſet; Ioui
14 Olympio templum ibi ponere decreuit. Quumq; ſolicite circumſpiceret, quinam locus accipiendæ ædi maxime opportunus foret, confeſtim exorta vehemens tempeſtas multo imbre partem arcis perfudit, vbi vetus Lydorum regia fuerat. Eam itaque ſedem nutu
15 deorum deſtinari credens, *templum ibi conſtitui* iuſſit. Arci deinde Pauſaniam ex amicorum cohorte præponit; adtributis Argiuorum auxiliis: ceteras ſociorum copias cum Cala & Alexandro Æropi filio in Memnonis præfecturam immittit. vectigalibus tributiſque conligendis Niciam quemdam præficit; Aſandrum Philotæ filium Lydię, quibus finibus Spithridates tenuiſſet. dati ad id equites cum
16 expeditis cohortibus, quot in præſentia ſuffecturi putabantur. Lydos omnes ſuis legibus libere vti permiſit: & quia Sardianos Dianæ quam *Coloënen* vocãt, *cultui deditos cognouerat, illius templo ius aſyli gratificatus eſt. Mithrenen honorifice ſecum habuit, vt eius exemplo & alios ad proditionem inliceret: procedente tempore &
17 Armeniam homini regendam commiſit. Ceterum repertis in arce libellis, in quibus inter cetera perſcriptæ erant largitiones, ob bellum Macedonibus in Græcia conflandum à ſatrapis factæ, cognouit

*Strabo lib. 13. Tacit. 3, 63, 4. Curt. 5, 8, 9. Curt. 5, 1, 44. Arrian. 3, 3, 17. Diodor. 17, 64.

nat. vrbi regimique præfectos imponit: Demosthenis consilia cognoscit; eoq; Phocionem rebus tranquillis studentem colere constituit: ille maximis a rege muneribus missis ablatisq;, nihil accipit. Ephesum ab Amyntiae transfuga deserta rex occupat. & reip. administratione populo tradit. idemq; in reliquis Ionia Æoli dissq; ciuitatibus fieri iubet. Apellem frequenter inuisit, & dilectissima pellice donat. Ephesiis templum S. 2, 6, 26.

Plutarch. Demosth. cap. 28.

uit Demosthenem eam ob caussam magnum auri pondus accepisse; cuius etiam epistolæ ibi seruabantur. Sed quia pace cum Atheni- 18
ensibus inita transacta res erat, nihil ea de re palam conquestus est; ceterum intentiore cura agitandum censuit, quomodo aduersus efficacem viri eloquentiam Athenæ in officio continerentur, sua defectione vniuersam Græciam in partes tracturæ. nemo occurre-
bat Phocione dignior, cuius mira innocentia, & ob constantiam virtutis honorata paupertas erat. Eum ergo, primum ob vsum, de- 19
inde vt hominis magnanimitatē multis experimentis cognovit, admiratione virtutis ita coluit, vt quum post euersum Darii imperium animo elatus, neminem iam salute dignaretur, ad quem scribebat; eximium eum honorem duobus tantum, Antipatro & Pho-
Plut. Phocione c. 22. Aeliā. hist. var. 1, 25. cioni habuerit. Constat huic aliquando centum talenta dono mi- 20
sisse regem: deinde optionem fecisse inter quatuor haud ignobiles Asiæ vrbes vnam eligendi. Cius, Elæa, Mylassaq; & Gergetho fue-
Plut. Phocione c. 23. re: quidam vltimo loco * Patara nominant. At ille nihil horum ac- 21
Plut. Phocion. c. 24. *Aeliā. hist. var. 1, 25. cepit: sed ne tanti regis amicitiam fastidiose spreuisse videretur, petiit, *vt Echecratides sophista, & Athenodorus Imbrius, cum Demarato & Spartone Rhodiis*, qui in arce Sardiana captiui tenebantur, *custodia liberarentur.*
Arrian. 1, 6, 6. Curtius. 3, 11, 18. Sed hæc in sequens tempus excurrere. tum ad Ephesum itum est, 22
quam accepto cladis Persicæ nuncio præsidiarii deseruerant, duabus Ephesiorum triremibus auecti. Erat inter eos Amyntas Antio-
chi filius, qui ex Macedonia profugerat, nulla quidem iniuria adfectus, sed quod periculum à rege metueret: quem quia inuisum
Arrian. 1, 6, 7. exosumq; habebat, illius animum ex suo metiebatur. Quarto post- 23
quam Sardibus mouisset die, Ephesum introiit Alexander: restitutisq; exulibus, qui paucorum dominatione pulsi fuerant, rempubli-
cam populo tradidit. Ille libertatis diu desideratæ compos, eos qui Memnonem aduocauissent, quiq; templum Dianæ spoliassent, in-
que eo Philippi statuam deiecissent, aut Heropythi monumentum effodissent, quod liberatori ciuitatis in foro positum fuerat, ad sup-
plicium poscit. Ex quibus Pelagon cum fratre Syrphace & patrue- 24
libus, ex ipsa æde in quam confugerant, rapti sunt, statimq; lapidibus obruti. Iamq; in cædes & iniurias ibatur; quum Alexander in-
hibita vulgi licentia, vlterius eo de negotio inquiri, aut cuiq; molestiam exhiberi vetuit. id optimis quibusque saluti fuit; quos per
caussam veri fictiue criminis, ipsorum dignitas aut opulentia, furibundæ plebis odiis auaritiæq; obiecisset. Inter hæc Magnetes & 25
Tralliani legatos mittunt, imperium accepturi. eo *Parmenione cum quinq; peditum millibus, equitibusq; ducentis ire* iusso: Alcimalum cum pa-
2, 7, 9. ribus fere copiis circum Æolicas Ionicasq; Persici iuris vrbes mit-
26 tit. vtriq; iniunctum, *vt abolito paucorum dominatu, popularem vbiq; statum introduceret.* quippe multitudinem suis rebus studere compere-
27 rat: obq; eam rem tyrannos à barbaris impositos, per quos coer-
ceretur. Per eos dies, dum Ephesi commoratur Alexander, vt ex instantibus curis recrearet animum, frequenter in officinam Apel- Plin. 35, 10,
lis ventitauit, à quo vno effigiem suam penicillo exprimi volebat: 25. 1, 2, 13.
tanto fauore complexus, vt dilectissimam pellicum, amore eius de-
28 perire sentiens artificem, dono dederit. Pancasta vocabatur, ex Larissa nobili Thessaliæ vrbe genus ducens: amabatq; eam rex ar- Aelian. hist. var. 12, 34.
denti adfectu, ob formæ pulchritudinem; & quoniam adolescenti
29 prima mulierum ad libidinem placuerat. Hoc vt magnanimitatem Alexandri non dedecet; ita non crediderim, *in officina imperite multa differentem ab Apelle mordaci dicterio repressum fuisse.* nam id neq; maiestati Plin. 35, 10, 25. Aelian. histor. var. 2, 3.
tanti regis, neq; modestiæ pictoris, hominis non stupidi nec indo-
cti, conueniisset: & Alexander liberalibus studiis ab extrema ætate Plutarch. de animi tranquil. c. 21. Aelian. hist. var. 2, 2.
imbutus, etiam de artibus quas non calleret, haud inepte iudicare
30 didicerat. Illud propius vero est, quod alii tradiderunt; *quemdam ex Ephesiæ Dianæ sacerdotibus, quos* Megabyzos * *adpellari mos erat, reprehensum:* quum quidem ei diceret Apelles, *quoad tacuisti, aurum hoc atque purpura venerabilem te faciebant imperitis; at nunc de rebus quas non intellegis*
31 *incipientem loqui, etiam pueri rident qui colores terunt.* In ea vrbe longe * Strabo l. 14. Quintilian. 5, 12.
celeberrimam ædem, vt supra * relatum est, Herostratus incende-
rat. Ea tum summa Ephesiorum cura, maximisq; impensis instaura-
32 batur. Quorum studiis iuuandis Alexander *tributa quæ Persis dare con-* Plin. 35, 10, 34. & 35, 11, 14. Laertius in Xenophonte.
sueuerant, Dianæ pendi iussit: cōfirmauitq; ** ius asyli, quod antiquitus
etiam Liberum patrem Herculemq; seruauisse cognouerat; addito
33 etiam spatio, vt quaquauersum in vnius stadii amplitudinem ex-
tenderetur. postea quoque, quum Asiam perpacasset, scripsit Ephe- *1, 1, 24. Arrian. 1, 6, 7.
siis, *se omnes sumptus qui in id ædificium facti essent, restituturum; quiq; porro* **Tacitus. 3, 61, 3. Pausan. lib 7. Strabo lib. 14.
requirerentur, præbiturum de suo. ita tamen vt ipsius nomen instaurato operi in-
34 *scriberetur.* idq; deprecati sunt Ephesii. quo tempore, quia Alexandro petenti aliquid denegare arduum erat, legatus eorum ad adulatio-
nem confugit, qua maxime expugnabilem norat, dixitq; *dedecere cul-*
men ipsius, si diis aliquid consecraret, quum ipse deus esset. nam eum honorem ab
35 *hominibus haberi potiori naturæ.* Ea gloriæ contentio inter maximum regem, & vnam ciuitatem fuit. obtinuerunt Ephesii; & maluerunt ingenti pecunia carere, quam instaurati templi titulo regi cedere.
36 Nam quantos in id opus sumptus contulerint, vel ex vna tabula æstimare licet, quam ibi dedicauerunt, viginti talentis auri re-

demptam. Alexander erat, fulmen tenens, quem inimitabili dexteritate Apelles expresserat; quatuor tantum coloribus vsus, quo maius peritis miraculum esset.

Plinius 35, 10, 33.

CA. VII.

Svb idem tempus antiqui splendoris sedem Smyrnæi receperunt, postquam Lydorum armis excisa vetere Smyrna, quadringentos per annos vicatim habitauissent. Restituit eam rex viginti ferme stadiis à solo antiquæ vrbis, somnio monitus. Solebat Alexander quum à maioribus negotiis vacaret, otium venando eximere. forte exercito corpore fessus in Pago monte obdormierat: ibi per quietem visus est audire Nemeses (quarũ in proximo fanum erat) imperantes *vt eo ipso loco vrbem conderet, ingã eam Smyrnæos deduceret.* Id insomnium mox Clarii Apollinis oraculum confirmauit, Smyrnæis consulentibus *prosperè cessuram migrationem* promittens. Ita fundamenta nouæ vrbis imperio regis iacta sunt; absolutæ gloriam Antigonus tulit, quum ipsum paulo post Alexander Lydiæ Phrygiæque, & vicinis regionibus præposuisset. In Smyrnæo sinu Clazomenii habitant, qua angustissimum est solum; quod procurrentes in mare terras per sexaginta ferme stadia continenti adnectens, peninsulæ speciem efficit. Alterum isthmi latus ex aduerso Clazomeniorum Teos occupat. in extremo peninsulæ cornu Erythræ sunt, tum quoq; fatidicis mulieribus inclutæ: iuxta quas mons altissimus Mimas, insulæ Chiorum oppositus mare prospectat; deinde paulatim depressior, haud procul angustiis Clazomeniorum in æquales campos desinit. Eam loci naturam contemplatus Alexander, faucibus intercisis auferre continenti decreuit, vt Erythris & Mimanti mare circumfunderet, ac superiorem inferioremq; finum coniungere. Id vnum regi ex sententia successisse negant, quum ceteros eius conatus fortuna enixe iuuaret. abiitq; res in religionem, *nec fas esse mortalibus* existimatum *est. mutare faciem, quam natura locis indiderit:* vtique postquam alios similia molitos vbique successus destituit. Clazomenas tamen, mole duorum stadiorum adgesta continenti iunxit, quas olim metu Persarum Clazomenii in insulam transtulerant. Sed hæc quidem opera regiis præfectis commissa sunt. Ipse sacrificiis Ephesi magnifice celebratis, in honorem deæ cum vniuerso exercitu qui aderat, in armis decucurrit; postero deinde die cum peditatu quem secum habebat, adsumptis Thracum equitibus, & quatuor amicorum turmis, inter quas & regia erat, Miletum contendit. Quippe Hegesistratus præsidii præfectus literis ad eum missis, spem deditionis fecerat: sed postquam Persarum classem in propinquo versari cognouerat, mutata sententia

Strabo lib. 14. Plutarch. cap. 39. Pausanias lib. 7. Strabo lib. 14. Curt. 4, 4, 35. Arrian. 1, 8, 27. Plinius 5, 29, 21. Strabo lib. 14. Pausanias. li. 7. Aeliã. histor. var. 5, 27. Plinius 5, 29, 21. Pausanias lib. 2. Herodot. 1, 174. Plin. 4, 4, 4. Plinius 5, 29, 22. Arrian. 1, 6, 11. 2, 6, 25. Arrian. 1, 6, 12.

tentia oppidum Dario cõseruare nitebatur. nam & commeatuum telorumque, & si qua alia ad tolerandam obsidionem requiruntur, magnam habebat copiam; & propugnatorum multitudine abundabat: quia Memnon quum ex prælio Miletum perfugisset, multis ibi suorum relictis præsidium firmauerat. Igitur infesto agmine suggressus, exteriorem vrbem, vt ipsi vocabant, ex itinere cepit: nam oppidani militesque, ne vires spargerent, in interiorem vrbem concesserant, auxilium suorum, quod haud procul abesse rebantur, opperituri. Verum vanam exspectationem fecit Macedoniæ classis aduentus, quæ Nicanore duce Laden insulam supra Miletum sitam occupauit: deinde quum iam hostium classis ad Mycalen montem hæreret; ipsum Milesiorum portum ingressa Persici auxilii spem oppidanis ademit. Neque prohibebant barbari, quamquam numero nauium longe præstarent: quippe paulo minus quadringentis habebant, quum Nicanor tantum sexaginta supra centum adduxisset. Interea Glaucippus princeps ciuitatis ad Alexandrum missus, petito, *vt vrbem & portus Macedonibus Persisque communes esse pateretur*; triste responsum retulerat: *Non se venisse in Asiam, vt acciperet, quod alij concederent; sed vt quisque haberet, quod ipse reliquisset. itaque scirent omnium fortunarum arbitrium meliori permittendum; aut in proximam lucem de eo certandum esse.* Sed qui in ciuitate erant, primum inuadentium impetum fortiter retuderunt, cæsis inter alios duobus Hellanicæ filiis, quæ nutrix Alexandri fuerat, & Clitum, qui rege seruato eximium decus meruit, fratrem habebat: Sed quum dolore iraque incensi hostes machinis admotis magnam murorum partem deiecissent, iamque in oppidum inrupturi viderentur, conspectisque in portu Macedonum triremibus, nouus terror ingrueret; pars scutis incubantes in paruam insulam vrbi obiacentem enatauerunt, alii scaphis conscensis, quum idem molirentur, in ipso portus aditu ab hostium nauigiis intercepti sunt. Alexander oppido in potestatem redacto; contra eos qui insulam tenebant, naues expediri iussit, quibus impositæ proris scalæ ferebantur, vt in abruptam insulæ oram, velut in muros hostilis oppidi transscenderet miles. At quum mercenarios Græcos qui eo confugerant, quamuis haud plures trecentis essent, vltima pati paratos conspiceret, misertus virorum fortium, & qui pro fide in eos à quibus conducti erant, haud procul exitio abessent, iis pepercit, & *secum militare* iussit. Barbaros in vrbe deprehensos in seruitutem redegit; Milesiis [a] qui superfuerant, libertatem restituit, ob veterem vrbis gloriam. Tantum enim [b] aliquando opibus gloriaque Miletus floruerat, vt per vicina

Diodor. 17, 22. Arrian. 1, 6, 12. Herodot. 6, 7. Strabo lib. 14. Arrian. 1, 6, 22. Seneca epist. 53, 10. Arrian. 1, 6, 20. Curt. 8, 2, 8. Arrian. 4. 2, 12. 2, 8, 4. Arrian. 2, 6, 23.

[a] Diodor. 17, 22.
[b] Strabo li. 14. Plin. 5, 29, 15. Seneca consol. ad Helviam 6, 14.

frustra tentatis, postquã acerrime restitissent, expugnantur. Graci milites in fidem accipiuntur: oppidanu libertas restituitur, ob veterẽ urbis gloriã. In statuã athletarum iocatur Alex. Ceteris famũ à damone defenditur. Seleucus apud Didyma notabile responsum accipit. Fuer delphine

vicina maria supra septuaginta colonias deduxerit. multis quoque 21
ciuibus nobilis, qui in sacris certaminibus palmam adepti, patriæ
celebritatem auxerant: nam eiusmodi victoriæ, more quodam
Lucian. de gymnasiis. Plutarch. apophth. cap. 37. Græcorum inter prima virtutis decora censentur. In quem ioca- 22
tus, Alexander, magna multitudine statuarum conspecta; *vbi erant*
istorum lacerti, inquit, *quum Persarum iugum recepistis?* quippe vir stre-
nuus, & ad bellandi vsum cuncta referens, ignominiosum ducebat
debitum seriis certaminibus robur, ad voluptatem inertis vulgi,
inani ostentatione consumere. Interea milites, quia vi introitum 23
Strabo lib. 14. Val. Max. 1, 1, 5. ext. Lactantius 2, 8. //erat, obuia quæque diripientes, ad fanum Cereris peruenerant:
//quod quum exspoliaturi quidam inrupissent, ignis ex penetralibus
//ædis repente emicans, sacrilegorum oculos exstinxit. Hic etiam 24
progenitorum suorum monumenta Alexander reperit, inspecto
*Athenæus 2, 6. fonte, cuius aqua ex ipso scaturiginis labro hausta salsum saporem
habet, eadem dulcissima, quum profluxit in riuulos. *Achilleum* Mi-
Parthenius in Eroticis. Comment. in Curt. 5, 7, 28. lesii nominant, inque eo lustratum heroëm rumor tenuit, quum
Strambelum Telamonis filium Lesbiis auxilium ferentem oppres-
sisset. Apud Milesios Didymei Apollinis oraculum erat, diuitiis 25
famaque celebre. Id tum Seleucus, cuius maximæ post Alexan-
drum opes fuere, de reditu *in Macedoniam consuluisse dicitur, &
*Appiani Syriaca sub fin. responsum accepisse, *vt Europa valere iussa, Asiam complecteretur.* Aliud 26
subinde miraculum adtentum habuit regem, cuius curiosum inge-
nium, & cognoscendi auidum, nouitate rerum mire adficiebatur.
Strabo lib. 14. Plinius 9, 8, 10. *Amatum à delphine puerum ex Iasso*, quod haud procul Mileto in insula
situm oppidum est, acceperat; *eiusq; vocem agnouisse piscem, & quoties euo-
caretur, vbi cupientem excepisse dorso.* Igitur gratum acceptumque
Neptuno hominem interpretatus rex, sacerdotio eius dei illum
præfecit.

CA. VIII. Occupata hunc in modum Mileto, quum adhuc barbarorum
Arrian. 1, 6, 25. numerosa classis in mari vagaretur, & fiducia multitudinis suæ,
quodque peritia rei nauticæ Macedonas anteiret, hostem ad naua-
le prælium prouocaret, obque ipsum vrbis portum, in quem naues
suas abduxerat rex, frequenter obuersaretur; Alexander Philotam 2
cum equitatu & tribus peditum cohortibus ad Mycalen montem
mittit, vbi Persicarum nauium statio erat, vt exscendere volentes
submoueret, neque aquari lignariue, aut cetera necessaria è terra
petere permitteret. Ea res barbaros in maximas angustias coniecit: 3
obsessis similes hærebant in portu, neque terram vbi volebant ca-
pere, aut necessariis rebus reici poterant. itaque consilio habito,
Samum auerterunt cursum, petitoque inde commeatu, Miletum
reuecti

uectus. Persarum classis ad Mycalen obsessa similis Miletum nauigat; & inde nullare succedente, recedit. Alexander suã classem dissoluit, quamquã dissuadente Parmenione. cuius argumenta rex confutat, ostendit, suã classem Persica nõ esse parem; & si nauali pro lio vincatur, eam cladẽ rebus suis aduersissimã fore.

4 reuecti ante ostium portus instructa acie constiterunt. Inter hæc,
quinque Persarum naues in portu quodam qui inter paruam illam
insulam, de qua supra dictum est, & stationem Macedonicæ class- 2, 7, 17.
sis medius erat, multa hostium nauigia conspicati, plenis velis eo
ferebantur: nam maximam sociorum naualium partem ob varios
vsus abesse coniecerant; vacuarumq; nauium haud difficilem oc-
5 cupationem fore arbitrabantur. At rex iis qui aderant celeriter in
decem triremes impositis, *obuiam ire hostibus* iubet. illi tum numero
nauium, tum inopinata re perterriti, quum vltro se peti conspice-
rent ab iis, quos imparatos oppressuri venerant, terga vertunt: vna
tamen nauis quæ lassios vehebat deprehensa est; ceteræ velocio-
res ad suam classem effugerunt. ita nullo eorum quæ intenderant
6 effecto, Mileto discessum est. Alexander, quum suam classem
neque hostili parem, & ad alios vsus superuacuam sibi cerneret, Diod. 17,
multique & graues ad eam sumptus requirerentur, dimittere eam, 23. Arrian.
statuit; paucis *nauium retentis, quibus ad obsidiones vrbium ma- 1, 6, 31.
7 chinæ tormentaque portarentur. Dissuaserat illud Parmenio, * 2, 9, 1.
monueratque vt nauali prœlio contenderetur. *Macedonibus enim* Arrian. 1,
*victoribus magnum ad cetera emolumentum adcessurum esse: at victos nihil sane 6, 16.
amissuros, nam imperium maris iam tum esse penes Persas; & litora facile tuta-
8 turos, qui pedestribus copiis plus possent.* quoque expeditius quod videba-
tur obtineret; idem qui consilium dederat, *exsequi illud paratum*
ostendebat, *conscensisque nauibus quam rex iussisset discriminis partem capes-
sere.* Confirmabatur etiam augurio, quod superioribus diebus à
9 tergo regiæ classis aquila in litore consistens adparuisset. Contra
Alexander *falli Parmenionem* adseuerabat, *quæ paucas suorum naues tantæ
hostium multitudini, imperitosque remiges & rudes classiarios, exercitatissimis
10 hominibus, reique nauticæ peritissimis obiiciendos duceret. se quidem virtuti suo-
rum non diffidere, ceterum scire illam in naualibus pugnis minimum conferre ad
victoriam. multo enim plura ventorum fluctuumque ludibriis permitti, quæ gu-
bernatorum atque remigum peritia vitaret, aut suis partibus opportuna redigeret.
11 nec in ipsarum nauium constructione nihil aut parum situm: ita Macedonum co-
natus vanos fore, quum eos barbari impune aut eludere; aut etiam, si casus da-
12 retur, opprimere possent. Neque vero exiguum id detrimentum futurum. totam
Asiam adrecturam animos, si inter initia belli clades accepta foret. PLEROS-
QVE mortalium ita comparatos esse, vt eum rerum euentum exspectandum putent,
quem ex principio successuum spe aut formidine præceperunt. Et ne de Asia dubi-
temus*, inquit, *quis mihi præstabit Græcos in fide mansuros, si felicitatem illam
13 exspirauisse credant, quam, si verum amamus, vnam in nobis reuerentur. Plane
ad fortunam meam pertinere arbitror, quod aquila pone classem conspecta est, id-

que

que boni successus omen accipio. sed hoc manifesto promittit augurium, nos hostium naues è continenti expugnaturos esse. nam præsaga victoriæ ales, non in nauibus, sed in litore constitit; nec magis euentum, quam locum ostendit belli. Nam
14 *si vt cepimus, maritimas vrbes nostri iuris efficimus, Persarum classis vltro dilabetur. neque enim supplementum, aut commeatus, aut securæ etiam stationes in promptu erunt; & si hæc adimas, quo plus in mari habent virium, eo celerius consumentur. Atque sic implebimus fidem vaticinij, quod æreæ tabulæ inscriptum nuper ex quodam in Lycia fonte ebullisse comperimus, instare terminum Persici*
15 *imperij.* Ita dissoluta classe, Pontum adiacentesque Ponto regiones prætoribus suis subjugandas reliquit; ipse institutum iter prosequutus, in Cariam mouit: nam *eo magnam vim hostium confluxisse* cognouerat. Quippe Halicarnassus * natura loci munitissima, du-
16 plicique * arce tuta, spem præbebat Macedonem torrentis more ruentem, ea vrbe tamquam crepidine oppositа coërceri posse. Maxima in Memnone spes erat, [a] qui omnia ad ferendam obsidionem opportuna summa cura præparabat. Nuper enim à Dario [b] maritimæ oræ totiusque classis prætor creatus erat. Nam homo cal-
17 lidus temporumque prudens, quum se omnes Persicos duces bellicis artibus superantem, vnam ob caussam infra meritum honorari intellegeret, quod Græcus genere, & olim [c] Macedonicæ regiæ hospes de proditione suspectus haberi poterat; vxorem suam liberosque ad Darium misit, quasi de securitate illorum solicitus, reuera vt his velut obsidibus fiduciam regis obligaret. Ceterum
18 Alexander Cariam introgressus, omnia inter Miletum & Halicarnassum oppida breui in potestatem redegit. Pleraque enim Græcis incolis habitabantur, quibus immunitatem suasque leges restituere consueuerat, *ob liberandos eos in Asiam venisse* professus. Neque
19 minorem mox à barbaris iniit gratiam, comiter excepta Ada, regii generis muliere, quæ iter per ea loca facientem conuenerat, illiusque fidem implorans *in regnum restitui* orauerat. Nam Hecatomnus Cariæ rex tres filios habuit, duas filias: ex quis maximus natu Mausolus Artemisiam duxerat. minor ex fororibus Ada fratri Hidrieo nupsit. Sed Mausolo quidem soror eademque coniunx
20 successit, more gentis, quo in matrimonium regnumque sociari fas est iisdem parentibus genitos. at postquam Artemisia desiderio defuncti extabuit; Hidrieus regno potitus, & sine subole mortuus, Adæ reliquit imperium. Hanc Pexodarus expulit, qui vnus
21 de Hecatomni filiis superarat: & quamquam is decessisset, exclusa manebat; quia Orontobaten nobilem Persam Pexodarus generum adsciuerat, vt in nouo & vi parto imperio illius opibus & gratia

2, 11, 1. Arrian 1, 6, 31.

Plutarch. cap. 27. Appian. de bello Mithrid. Iustin 38. 7, 2. Curt. 6, 3, 3. & 10, 10, 3.

* Vitruu. 2, 8.

* Strabo lib. 14.

[a] Diodor. 17, 23.

[b] Arrian. 1, 7, 2.

[c] 1, 2, 22.

Comment. in Curt. 3, 13, 4.

Arrian. 1, 7, 1.

Diodor. 17, 23. Strabo lib. 14.

Tacitus 2, 3, 5. Strabo lib. 14.

Arrian. 1, 7, 26.

tia protegeretur. atque ille exstincto socero, velut dotale regnum
22 retinebat. Eam iniuriam deplorans mulier, simul Alindis deditis (munitissimum id castellum erat) impetrauit, vt nomen filii quod deferebat, lubens acciperet; strenuamque ei operam ad antiquæ dignitatis decus mature recipiendum polliceretur. Neque promisso fides defuit; expugnataque deinde Halicarnasso totam illi
23 Cariam parere iussit. Interim fama benigne exceptæ reginæ per omnem illum tractum diffusa, multas ciuitates Alexandro conciliauit; nam pleræque à necessariis aut familiaribus Adæ tenebantur: ii per legatos obtulerunt aureas coronas, *futurosque in fide ac po-*
24 *testate regis, & imperata facturos* promiserunt. Dum hæc ita geruntur, exquisitæ artis saporisque cibos atque bellaria solicite confici curabat Ada, eaque cum ipsis coquis & cupediariis regi dono mitte-
25 bat; tamquam benemerenti gratiam relatura, si munitis armorum fessum fatigatumque Asiatici luxus deliciis exciperet. At ille prudens INTEMPERANTIAM gulæ seria tractanti intempestiuam esse, beniuolentiæ quidem muliebri comiter gratias egit; ceterum *non adtinuisse* respondit, *vt pro ipso solicita esset, meliores habente coquos, quibus ipsum olim pædagogus suus Leonidas instruxisset; ad prandium iter antelucanum, ad cœnam frugale prandium.*

Arrian. 1, 7, 26.

Plutarch. cap. 38.

Arrian. 1, 7, 26.

Strabo lib. 14. Diodor. 17, 24. Plutarch. cap. 38. & apophth. c. 37. & in non posse suauiter viui secundum Epicurum cap. 40.

IAm tota ferme Caria in ditionem Alexandri concesserat; sed caput regni Halicarnassus firmo præsidio tenebatur. Itaque diutur-
1 nam obsidionem fore coniectans, *commeatum, & machinas quæ ad oppugnationem pertinerent, *nauibus eo deportari* iubet; ipse *cum pedestri
2 exercitu quinto ab vrbe stadio castra communit. Deinde muros adortum iuxta portam qua Mylassa iter est, improuisa oppidanorum eruptio excepit: sed Macedonibus fortiter conserentibus manum, quibusdam suorum amissis haud magno negotio reiecti
3 sunt. Pauci deinde dies interceserant; quũ Alexander obiecta spe Myndensium oppido per proditionem potiundi, nocte intempesta cum parte copiarum proficiscitur. Sed nihil quoquam mouente, admota graui armatura murum suffodi imperat: neque enim scalas aut machinas adtulerat, quum oppugnandi consilio vrbem non
4 adcessisset. Et illi quidem vna turrium deiecta, nihil tamen aperuerũt loci, quo intra perrumperent. nam forte ita prociderat turris, vt quam murorum partem stans protexerat, non minus ruina
5 sepiret. ciuesque summa ope resistebant: & ab Halicarnassensibus adiuuabantur, quos audito vicinæ ciuitatis periculo, maritimo itinere Memnon submiserat. Ita conatus Macedonum inritus
6 fuit. Alexander ad obsidionem Halicarnassi reuersus, ante omnia

Cap. IX.

Diodor. 17, 24.

* 2, 8, 6.

* Arrian. 1, 7, 1.

fossam triginta maxime cubitos latam, altam quindecim, quam
Diodor. 17, 24. hostes pro vrbe duxerant, expleturus, tres testudines adparat, qui-
bus protectus miles materiam terramque sine noxa congereret.
Vitruuius 10, 20. & 21. Æquata fossa, *turres machinasque quibus muri sternuntur, admoueri* iussit. 7
Iamque strata mœniorum parte, qua ruinæ viam aperiebant, in vr-
bem penetrare nitebantur; sed hostes, quum ob multitudinem in-
tegri subinde fessis succederent, ducumque præsentia ad omnia
audenda confirmarentur, strenue repugnabant. Luce per varia 8
certamina consumpta, quum diurno labore fatigatos hostes Me-
Arrian. 1, 7, 8. mnon segnius custodias agere crederet, cum valida manu prorum-
pit oppido, ignemq; operibus injicit. Sed Macedonibus ad incen-
dium concurrentibus, quum hi exstinguere flammas conarentur,
illi augerent, & prohibentibus vim intentarent, acte prœlium co-
ortum est. quippe Macedones robore virtutis & adsuetudine pe- 9
riculorum longe præstantes hostibus, numero adparatuque Per-
sarum vrgebantur: & quia haud procul muris res gerebatur, bal-
listis catapultisque per mœnia dispositis eminus impetiti, inulta
vulnera accipiebant. Atrox inter hæc vtrimque clamor, hortan- 10
tium suos, increpantium aduersos; tum sauciorum & morientium
gemitus, inter nocturnas tenebras omnia terrore tumultuque im-
pleuerant: augebantur hæc vocibus ceteræ multitudinis, quæ
Diodor. 17, 25. dum alii pugnant, operi intenta, muris qui pulsu machinarum con-
tuerant, reparandis occupabatur. Tandem acrius adnisi Mace- 11
Arrian. 1, 7, 9. dones hostem intra mœnia redegerunt; centum septuaginta inter-
fectis, inter quos & Neoptolemus, qui cum Amynta fratre ad Da-
rium perfugerat, occubuit. Macedonum non quidem vltra sede- 12
cim perierunt, sed trecenti ferme vulnerati sunt; quia nocturna
pugna fuerat, neque aduersus cæcos ictus & incidentia temere te-
Arrian. 1, 7, 13. la quidquam satis prouideri potuerat. Post aliquot deinde dies, 13
leuis & ludicra res ingenti certamini caussam præbuit, orto initio
à duobus veteranis ex Perdiccæ agmine. Ii contubernales quum
Diodor. 17, 25. essent, vnaque genio indulsissent, vt fit inter sermones familiares,
iactantia militari sua fortia facta vicissim extollentes, altercari ce-
Cæsar. de bell. Gall. 5, 44. perant, vter alteri anteferretur; quum alter eorum, *quid mani fre-* 14
pitu verborum fœdamus honestissimam contentionem? inquit. *non cui lingua,*
sed cui dextra sit melior, hoc agitur. & adest occasio: ea optime de controversiis
nostris iudicabit. age si vir es, & exeuntem sequere. Vino & ambitione in- 15
Arrian. 1, 7, 10. caluerant; itaque priuato consilio arma capiunt, & ad muros iuxta
arcem quæ Mylassis obuersa est, excurrunt. Horum temeritate
animaduersa, statim ex oppido globus hostium effunditur. Illi
firmato

firmato gradu certamen conserunt, propius incurrentes gladiis ex-
16 cipiunt, in recedentes tela conjiciunt. sed aduersus multos, & ex
superiore loco dimicantes haud diu impunita duorum audacia
fuisset; nisi conspecto ipsorum periculo, commilitonum pauci
primo, deinde alii atque alii laborantibus subuenissent: eodem
modo & oppidanis subinde ad locum vbi pugnabatur confluenti-
17 bus. Ita nunc his, nunc illis robore numeroq; superioribus, varie
pugnatum est: donec Alexander cum manu quæ circa ipsum erat Diodor.
progressus, metum hostibus incussit, statimque intra munimenta 17, 25.
compulsi sunt: nec multum abfuit, quin hostes simul inrumperent.
18 Forte enim intentis omnibus in ea quæ ante vrbem gerebantur,
mœnia negligenter seruari contigerat: & duæ turres cum conti- Arrian. 1,
nenti murorum parte crebris arietum ictibus cesserant; tertia quo- 7, 13.
que laxata iam & concussa compage, fodientibus haud in longum
19 resistere potuisset. At quia tumultuarium id prœlium, neque vni-
uersus exercitus instructus fuerat, opportunitas eius rei è manibus
20 amissa est. Alexander quamquam ea res opinione Græcorum de Iustin. 6,
victoria concedentis videretur; corpora suorum, qui sub ipsis mœ- 6, 9.
nibus oppetierant, induciis postulatis ab hoste repetere, quam in-
21 humata dimittere maluit. At qui cum Persis erant, Ephialtes & Diodor.
Thrasybulus Athenienses, quum plus apud ipsos odium aduersus 17, 25.
Macedonas, quam humanitatis ratio valeret, negabant *indulgendum*
22 *hoc esse infestissimis hostibus.* Non tamen permouerunt Memnonem,
quin *Græcorum moribus indignum esse* diceret, *sepulturam inuidere cæsis hosti-*
bus. ARMIS ET viribus in aduersos & obsistentes vtendum: neq; contumeliis pu-
23 *gnandum in eos, quos bonis malisque nostris sua dies exemisset.* Sane præter
// alias Memnonis virtutes, etiam moderatio eius insignis fuit. neque
// enim per vecordiam conuiciis insectari hostem pulchrum duce-
// bat; sed virtute & consiliis vires illius animosque contundere.
24 Igitur quum aliquando in agmine quemdam ex mercenariis non- Plutarch.
// nulla contumelioſe & petulanter in Alexandrum iacientem audis- apophth.
// set, conuersa hasta hominem pulsans, *non te conduxi,* inquit, *vt male-* cap. 12.
// *diceres Alexandro, sed vt aduersus illum dimicares.*

CAP. X.

INterea obsessi summo studio securitati suæ prouidentes, pro Arrian. 1,
diruto muro alium interiorem ex cocto latere eduxerunt, non 7, 14.
recta regione, sed in nascentis lunæ figuram sinuatum. eaque res, 2, 10, 4.
quum inter multos distributum munus esset, celerrime confecta
2 est. Hunc murum Alexander postero statim die machinis quassare
cepit, quo minore negotio recens adhuc opus labefactaret. in eo
labore occupatis Macedonibus, iterum ex vrbe valida eruptio fa-

cta est : cratiumque quibus opera tegebantur nonnihil, & vnius
turris ligneæ partem flamma comprehendit. ne ad cetera opera 3
Arrian. 1, 7, 14. transiret incendium Philotas & Hellanicus obstiterunt, quibus in
eam diem machinarum custodia cesserat : & Alexander mature
conspectus, tantum trepidationis iniecit hostium animis, vt omis-
sis facibus quibus armati procurrerant, quidam etiam arma iaci-
entes, effusa fuga oppidum repeterent. Inde vim facile propelle- 4
bant, adiuti commoditate loci, quem multo æquiorem obtine-
2, 10, 1. bant; & quia murus, sicut diximus, ita constructus erat, vt quam-
cumque partem inuasisset hostis, non à fronte tantum, sed ex vtro-
que laterum missilibus adpeti posset. Posthæc Persarum duces, 5
quum omnia sibi in dies arctiora esse viderent, constaretque non
abscessurum Macedonem donec vrbis potiretur; de summa rerum
Diodor. 17, 26. consilium habebant. ibi Ephialtes vir animi corporisq; robore in
paucis conspicuus, incommoda longa obsidionis disseruit: nega- 6
batq; *exspectandum, donec paulatim adcisis viribus exhausti fractique cum ipsa vrbe in victoris arbitrium concederent; sed dum aliquid virium supereſſet, cum robore conducti militis erumpendum, & alacribus animis cum hoste confligendum esse. Consilium suum quo in speciem audacius esset, eo plus in exsequendo facilitatis habiturum. hostibus enim alia omnia exspectantibus, & aduersus casum de quo nihil dubitarent imparatis superfusum iri suos.* Neq; Memnon, quamquam 8
cauta consilia speciosis præferre solitus, restitit. nam etiamsi nihil
nouaretur, nulla propinqua auxilii spe, tristem obsidionis exitum
fore prospiciebat; &, vt in tanto discrimine, non inconsultum re-
batur, experiri virum acrem, & qui velut instinctu quodam ad ex-
trema audenda ageretur. Igitur Ephialtes duobus millibus ex 9
omni mercenariorum numero delectis, *faces mille parare* iubet, *pri-*
Arrian. 1, 7, 16. *maque luce adesse, & armatos exspectare imperium.* Cepta die quum Alex-
ander iterum muro lateritio machinas admouisset, instarentque
Diodor. 17, 26. Macedones operi ; Ephialtes porta subito patefacta dimidium
suorum immittit cum facibus, ipse cum ceteris denso agmine sub- 10
sequitur, vt hostes incendium prohibituros submoueret. Alexan-
der intellecto quid ageretur aciem celeriter instruit, subsidia dele-
cto milite firmat. *quumque alios ad exstinguendum ignem ire* iussisset, in
eos qui cum Ephialte aduenerant impetum facit. At ille insigni 11
corporis robore, quotquot conferre pedem audebant, obtrun-
cans, suos voce, nutu, & inprimis exemplo ad virtutem animabat.
neque parum molestiæ è muris exhibebatur hosti. quippe turrem
centum cubitorum obsessi erexerant, tormentisque commode dis-
positis hastas & saxa iaculabantur. Inter hæc ex diuersa parte vr- 12

bis

bis (ipsi *Tripylon* vocabant) duce Memnone alius oppidanorum glo- Arrian. 1,
bus, qua minime exspectabatur, erupit. tantusque tumultus incef- 7, 16.
sit castris, vt ipse etiam rex consilii incertus efficeretur. Sed animi Diodor.
magnitudine, & opportunis imperiis omnia pericula propulsabat; 17, 26.
13 & fortuna in tempore subuenit. Igitur & qui machinas incende-
rant, à Macedonibus qui ibi curabant, quique à rege missi subsidio
venerant, cum magna clade repulsi sunt: & Memnonem Ptole-
mæus excepit Philippi filius, regii corporis custos, præter propri- Arrian. 1, 5,
14 am manum Addæi Timandrique cohortibus stipatus. eaque parte 12. 1, 7, 18.
egregie vicerunt Macedones, quamquam Ptolemæum Addæum-
que, & sagittariorum ducem Clearchum cum quadraginta ferme
manipularibus amisissent; & hostes cum tanta trepidatione reces-
serunt, vt angustum pontem, quem ad fossam superandam con-
struxerant, multitudo festinantium ruperit, iis qui superstiterant
15 in præceps deuolutis. ex quibus nonnulli à suis conculcati interie-
runt; alios Macedones ex superiore loco telis confixere. multi
quibus ista calamitas pepercerat, sub ipsa vrbis porta necem inue-
nerunt: quippe exterritis omnibus, metuentibusq; ne vna Mace-
dones inrumperent, porta præpropere occlusa, magnam oppida-
16 norum partem ad exitium hosti tradidit. Inter hæc Ephialtes non
spe magis quam desperatione formidabilis, cum regiis ferociter
dimicabat: & ancipitem fecisset victoriam, ni laborantibus suis
seniores Macedonum mature succurrissent. Ii in castris habeban- Diodor.
tur immunes operum periculorumque, nisi vbi necessitas exigeret; 17, 27.
quum stipendiis præmiisque nihilominus perfruerentur. meru-
erant eum honorem fortibus factis, & sub superioribus regibus
17 ipsoque Alexandro bellicis laboribus ætate exacta. Ii quum suos
periculis territos detrectare pugnam, & receptui locum circum-
spicere intellegerent, Atharia quodam duce, in primam aciem Curtius 5,
prouolant; adcensoque quod elanguerat prœlio, iuniores conui- 2, 5. 8, 1, 36.
18 ciis & pudore flagitii ad resumendos animos compellunt. Ita si-
mul acerrimo nisu incumbentibus omnibus, quum æmulationem
suam hostium damnis exercerent, momento temporis inclinata
fortuna; Ephialtes cum plurimis fortissimisque suorum cæsus, re- Diodor.
19 liqui in vrbem repulsi sunt. Introierant etiam Macedonum multi, 17, 27.
& oppidum vi capiebatur; quum receptui cani rex iussit, siue vt
vrbi parceret; siue præcipiti iam in vesperam die, noctem, & oc- Arrian. 1,
20 cultas ignotis locis insidias metuebat. Hoc prœlium præcipuas 7, 20.
obsessorum vires consumpsit. Igitur Memnon re cum Orontobare qui vrbem tenebat, ceteriſque ducibus deliberata, nocte in-

tempesta

tempeſta turrim ligneam & porticus vbi tela ſeruabantur, incendunt, ædificiiſque muro vicinis ignem ſupponunt: quo celeriter concepto, quum & ex porticibus turrique flamma vento agitata adcederet, late fuderunt incendium. Oppidanorum militumque 21
validiſſima pars arcem in inſula ſitam occupauit; alii in Salmacidem ſe contulere: alterius arcis id nomen, inditum à fonte, qui ibi eſt; vulgatiſſimæ famæ. Reliquam multitudinem reſque pretioſas duces auexerunt in Con inſulam. Alexander indicio trans- 22
fugarum, & obiecta oculis ſpecie, quæ in vrbe geſta fuiſſent cognitis, quamquam media nocte, Macedonas *in vrbem inruere, & quos incendium augentes deprehendiſſent, interficere; ſi qui domi ſe continerent, ab eorum cæde temperare* iubet. Luce oborta arces à Perſis & mercenariis 23
infeſſas contemplatus, quum obſidionem earum longi operis futuram ſuſpicaretur, neque precium putaret capite gentis expugnato, duabus arcibus adſidentem, agendi tempus per otium & inertiam terere; vrbem ipſam exſcindit, arces muro foſſaque circum- 24
ſeptas Ptolemæum obſeruare iubet, quem cum tribus millibus peregrinorum militum, & equitibus ducentis ad Cariam tuendam relinquebat. Is non longo poſt tempore, copiis cum Aſandro Lydiæ prætore coniunctis Orontobatem acie vicit: & Macedonibus ira tædioque diuturnioris moræ, oppugnationi acriter incumbentibus, arces in poteſtatem redactæ ſunt. At rex Phrygiam conti- 25
nenteſq; prouincias animo complexus, Parmenionem [a] cum amicorum turmis & auxiliariis equitibus, Theſſaliſque quibus Alexander Lynceſtes [b] præerat, Sardes mittit; *vt inde in Phrygiam inrueret, venturoq; exercitui commeatum & pabulum ex hoſtico pararet.* data [c] ad hoc
plauſtra, quæ ſimul ducerentur. Quum deinde multos Macedo- 26
num paulo ante eam expeditionem ductis vxoribus, deſiderium earum impatienter ferre cognouiſſet; Ptolemæum Seleuci filium corporis cuſtodem iis præfecit, *domumque deducere* iuſſit, *cum vxoribus hybernaturos.* duo quoque ex ducibus Cœnos atque Meleager ob eamdem cauſſam vna profecti ſunt. Id regi magnæ apud milites 27
commendationi fuit, promptioreſque deinde eos ad longinquam militiam reddidit, quum ſui rationem habitam viderent, ſperarentque deinceps etiam ad ſuos viſendos ſubinde commeatum impetraturos eſſe. Ducibus iniunctum eſt, *vt interim, dum in Macedonia morarentur, ſtrenue delectus agerent; quantaſque maximas poſſent equitum peditumque copias, cum iis qui tum abibant ſub initium veris adducerent.* Anim- 28 29
aduerſo autem exercitum Aſiaticis moribus infici, magnamque vulgo per caſtra impudicorum multitudinem haberi, probroſos omnes

Arrian. 1, 7, 21.

Vitruuius 2, 8. Diodor. 17, 27. Arrian. 1, 7, 23.

Diodor. 17, 27. Arrian. 1, 7, 25. Arrian. 1, 6, 5. Curt 3, 7, 4. Arrian. 2, 1, 32. Strabo lib. 14.

[a] Arrian. 1, 7, 29.

[b] 2, 11, 10. 2, 11, 15. Diodor. 7, 27.

[c] Arrian. 1, 7, 29.

omnes conquiri iuſſit, & in paruam quamdam Ceramici ſinus in- Plinius 5, ſulam ſepoſuit: hæſitque infamia loco, & ob eius rei memoriam 31, 11. Cinædopolis adpellatur.

His ita geſtis inſiſtens conſilio ſuo, vt omni maritima ora ſui CAP. XI.
iuris effecta, claſſem hoſtium inutilem redderet, Hyparnis rece- 2, 8, 14.
ptis, quæ arcem tenentes mercenarii dediderant, in Lyciam con- Arrian. 1,
2 tendit. Ibi pacta cum Telmiſſenſibus amicitia, Xanthoque flumi- 7, 30.
ne tranſmiſſo, cognominem amni vrbem, Pinaraque & Patara, nobilia iis regionibus oppida, cum aliis minoribus circiter triginta, in fidem accipit: rebuſque ſatis in præſens compoſitis; in My- Diodor.
3 liada procedit. Phrygiæ maioris portio Mylias eſt; ſed Perſarum 17, 27. Arrian. 1, regibus placuerat Lyciæ eam contribui. Eam dum recipit, adfue- 7, 31.
re Phaſelitarum legati, amicitiam orantes, aureamque coronam hoſpitale donum adferebant: idem petebant multarum vrbium
4 oratores ex inferiore Lycia. Itaque rex præmiſſis, quibus oppida ſua Phaſelitæ Lyciique traderent; paucis poſt diebus, Phaſelin profectus eſt. oppugnabant illi tum maxime validum præſidium, quod in ipſorum ditione Piſidæ conſtruxerant, multaſque inde iniurias intulerant adcolis. id aduentu Alexandri breui captum fuit.
5 Apud Phaſelitas pluſculos dies, vt ſeque & exercitum reficeret, Plutarch. quieti dedit. inuitabat etiam tempus anni; quippe media iam hy- cap. 28.
6 ems difficiles progredienti vias effecerat. Ibi per hilaritatem & Arrian. 1, epulas laxato animo, quum ſtatuam Theodecti à ciuibus ſuis in fo- 7, 31. Plutarch.
ro poſitam vidiſſet, vt à cœna temulentus ſurrexerat, ſaltabundus cap. 28.
eo proceſſit, frequenteſque ei coronas iniecit. Nam Theodecten, Suidas v.
quum Ariſtotelem vna audiret, familiarem gratumque habuerat. Theodectes.
7 Sed otioſos iuuenilis animi luſus atrox à Parmenione nuncius cito diſcuſſit. Compræhenderat ille Perſam quemdam Aſiſinem no- Arrian. 1,
mine, à rege Dario palam quidem ad Aryziem Phrygiæ ſatrapam 8, 4.
miſſum; ſed cum occultis mandatis, *vt Alexandrum Lynceſten captata occaſione ſecreto conueniret, eique ſi deſtinata effeciſſet, Macedoniæ regnum &*
8 *mille inſuper auri talenta polliceretur.* Nam is cum Amynta transfuga ſceleſto conſilio inito, occidendi regis partes ſibi ſumpſerat. Oderat eum tum aliis de cauſſis; tum quod Heromenem & Arrabæum, Arrian. 1,
fratres huius Alexandri, inter paternæ necis conſcios ſupplicio ad- 8, 1.
9 feciſſet. Et quamquam ipſe pœna exemptus, multiſque poſtea 1, 9, 18. honoribus ornatus, non ſimplex beneficium regi deberet; inſita animo ferocia & dominandi cupidine nihil nefas putabat, per
10 quod ad regnum via ſterneretur. Re in conſilium deducta *facili-* Arrian. 1,
tatem regis arguebant amici, *quod hominem in manifeſto maleficio depre-* 8, 4.

henſum,

Arrian. 1, 7, 21.

tempesta turrim ligneam & porticus vbi tela seruabantur, incendunt, ædificiisque muro vicinis ignem supponunt: quo celeriter concepto, quum & ex porticibus turrique flamma vento agitata adcederet, late fuderunt incendium. Oppidanorum militumque validissima pars arcem in insula sitam occupauit; alii in Salmacidem se contulere: alterius arcis id nomen, inditum à fonte, qui ibi est; vulgatissimæ famæ. Reliquam multitudinem resque preciosas duces auexerunt in Con insulam. Alexander indicio transfugarum, & obiecta oculis specie, quæ in vrbe gesta fuissent cognitis, quamquam media nocte, Macedonas *in vrbem inruere, & quos incendium augentes deprehendissent, interficere; si qui domi se continerent, ab eorum cæde temperare* iubet. Luce oborta arces à Persis & mercenariis infessas contemplatus, quum obsidionem earum longi operis futuram suspicaretur, neque precium putaret capite gentis expugnato, duabus arcibus adsidentem, agendi tempus per otium & inertiam terere; vrbem ipsam exscindit, arces muro fossaque circumseptas Ptolemæum obseruare iubet, quem cum tribus millibus peregrinorum militum, & equitibus ducentis ad Cariam tuendam relinquebat. Is non longo post tempore, copiis cum Asandro Lydiæ prætore coniunctis Orontobatem acie vicit: & Macedonibus ira tædioque diuturnioris moræ, oppugnationi acriter incumbentibus, arces in potestatem redactæ sunt. At rex Phrygiam continentesq; prouincias animo complexus, Parmenionem [a] cum amicorum turmis & auxiliariis equitibus, Thessalisque quibus Alexander Lyncestes [b] præerat, Sardes mittit; *vt inde in Phrygiam inrueret, venturoq; exercitui commeatum & pabulum ex hostico pararet.* data [c] ad hoc plaustra, quæ simul ducerentur. Quum deinde multos Macedonum paulo ante eam expeditionem ductis vxoribus, desiderium earum impatienter ferre cognouisset; Ptolemæum Seleuci filium corporis custodem iis præfecit, *domumque deducere* iussit, *cum vxoribus hybernaturos.* duo quoque ex ducibus Cœnos atque Meleager ob eamdem caussam vna profecti sunt. Id regi magnæ apud milites commendationi fuit, promptioresque deinde eos ad longinquam militiam reddidit, quum sui rationem habitam viderent, sperarentque deinceps etiam ad suos visendos subinde commeatum impetraturos esse. Ducibus iniunctum est, *vt interim, dum in Macedonia morarentur, strenue delectus agerent; quantasque maximas possent equitum peditumque copias, cum iis qui tum abibant sub initium veris adducerent.* Animaduerso autem exercitum Asiaticis moribus infici, magnamque vulgo per castra impudicorum multitudinem haberi, probrosos omnes

Vitruuius 2, 8. Diodor. 17, 27. Arrian. 1, 7, 23.

Diodor. 17, 27. Arrian. 1, 7, 25. Arrian. 1, 6, 5. Curt. 3, 7, 4. Arrian. 2, 1, 32. Strabo lib. 14.

[a] Arrian. 1, 7, 29.

[b] 2, 11, 10. 2, 11, 15. Diodor. 7, 27.

[c] Arrian. 1, 7, 29.

omnes conquiri iussit, & in paruam quamdam Ceramici sinus insulam sepositi: hæsitque infamia loco, & ob eius rei memoriam Cinædopolis adpellatur. Plinius 5, 31, 11.

CAP. XI.

His ita gestis insistens consilio suo, vt omni maritima ora sui iuris effecta, classem hostium inutilem redderet, Hyparnis receptis, quæ arcem tenentes mercenarii dediderant, in Lyciam contendit. Ibi pacta cum Telmissensibus amicitia, Xanthoque flumine transmisso, cognominem amni vrbem, Pinaraque & Patara, nobilia iis regionibus oppida, cum aliis minoribus circiter triginta, in fidem accipit: rebusque satis in præsens compositis; in Myliada procedit. Phrygiæ maioris portio Mylias est; sed Persarum regibus placuerat Lyciæ eam contribui. Eam dum recipit, adfuere Phaselitarum legati, amicitiam orantes, aureamque coronam hospitale donum adferebant: idem petebant multarum vrbium oratores ex inferiore Lycia. Itaque rex præmissis, quibus oppida sua Phaselitæ Lyciique tradetent; paucis post diebus, Phaselin profectus est. oppugnabant illi tum maxime validum præsidium, quod in ipsorum ditione Pisidæ constituerant, multasque inde iniurias intulerant adcolis. id aduentu Alexandri breui captum fuit. Apud Phaselitas plusculos dies, vt seque & exercitum reficeret, quieti dedit. inuitabat etiam tempus anni; quippe media iam hyems difficiles progredienti vias effecerat. Ibi per hilaritatem & epulas laxato animo, quum statuam Theodecti à ciuibus suis in foro positam vidisset, vt à cœna remulentus surrexerat, saltabundus eo processit, frequentesque ei coronas iniecit. Nam Theodecten, quum Aristotelem vna audiret, familiarem gratumque habuerat. Sed otiosos iuuenilis animi lusus atrox à Parmenione nuncius cito discussit. Comprehenderat ille Persam quemdam Asinem nomine, à rege Dario palam quidem ad Atyziem Phrygiæ satrapam missum; sed cum occultis mandatis, *vt Alexandrum Lyncesten captata occasione secreto conueniret, eique si destinata effecisset, Macedoniæ regnum & mille insuper auri talenta polliceretur.* Nam is cum Amynta transfuga scelesto consilio inito, occidendi regis partes sibi sumpserat. Oderat eum tum aliis de caussis; tum quod Heromenem & Arrabæum, fratres huius Alexandri, inter paternæ necis conscios supplicio adfecisset. Et quamquam ipse pœna exemptus, multisque postea honoribus ornatus, non simplex beneficium regi deberet; insita animo ferocia & dominandi cupidine nihil nefas putabat, per quod ad regnum via sterneretur. Re in consilium deducta *facilitatem regis* arguebant amici, *quod hominem in manifesto maleficio deprehensum,*

Plutarch. cap. 28. Arrian. 1, 7, 31. Plutarch. cap. 28. Suidas. Theodectes.

Arrian. 1, 8, 4.

Arrian. 1, 8, 1.

1, 9, 18.

Arrian. 1, 8, 4.

hensum,

Lynceſtē inſidiari ſibi moneturque ab amicis, vt cōfeſtim opprimeret parricidā. Ea conſpiratio regi Halicarnaſſum ob fidei augurio oſtenſa creditur, Ariſtandro interpr. ete. Rex Amphoterū ad Parmenionē mittit; par-

henſionē, non modo punire non ſuſtinuiſſet; verum etiam præmiis & honoribus auctum optimæ equitatus parti præpoſuiſſet. Quem deinceps ei fidum futurum, ſi præter impunitatem propior amicitiæ gradus, maximæ dignitates, honorificæ præfecturæ parricidij merces eſſent? Igitur mature emendandum, quod nimia le- 11
2,9,25. 1,7,32. *nitate peccatum eſſet: priuſquam ille, conſilium emanaſſe ſentiens, Theſſalorum mobiles animos ad res nouandas induceret. Non contemnendum eſſe periculum, quo maius ne excogitari quidem poſſit: neque ſpernenda deorum oſtenta, qui regem de cauendis inſidiis euidenter monuiſſent.* Nuper enim, dum Halicar- 12
Aelian. hiſt. anim. 10, 34. Arrian. 1, 8,5. naſſum obſidens, poſt longos magnoſque labores meridiatione reficitur, hirundo, nota auſpiciis auis, magno cum garritu, circum caput quieſcentis volitauerat, & modo in hoc modo illud lecti latus ſe demiſerat, turbulentiorem ſolito cantum exorſa. Et rex 13
quidem defatigato corpore non penitus excuſſit ſomnum, ſed tamen auem continuo ſtrepitu moleſtam ſentiens manu obiter repulit. Illa adeo non exterrita eſt, vt etiam in ipſius capite conſederit, neque prius ſtrepere deſierit, quam ab experrecto demum abacta eſt. Idque ſic interpretatus fuerat Ariſtander, vt *inſtare periculum* di- 14
ceret *ab amico regis; ſed inſidias in occulto non manſuras. hoc enim monere naturam auis, quæ præ ceteris homini familiaris, eademque ſupra modum garrula eſſet.* His itaque diligenter expenſis, quum indicium Aſiſinis cum 15
Diodor. 17,32. 2,9,25. vatis reſponſo conuenire cerneret, meminiſſetque ſe matris literis anxie monitum, *vt ab hoc homine ſibi caueret*; nihil vltra differendum ratus, quid fieri vellet, Parmenioni ſignificat: nam vt diximus, cum ipſo in Phrygiam iuerat Lynceſtes Alexander. Sed ne quo ca- 16
ſu conſilium regis parum in tempore proderetur, literas ſcribi non placuit; ſed per hominem fidum atque honoratum mandata perferri. electus eſt Amphotetus Crateri frater, qui quum Macedonicum habitum Phrygio mutaſſet, adſumptis Pergenſibus aliquot itineris gnaris, ad Parmenionem occultus penetrat. Ita Alexan- 17
Comment. in Curt. 7, 1, 8. Arrian. 1, 8, 8. der compræhenditur: & quum ob veterem ſuam familiæque dignitatem & gratiam diu dilatus eſſet; tertio poſt anno, dum à Philotæ conſciis ſupplicium ſumitur, ſocietate criminis, & pœna ſontium in exitium abreptus periit. Regi ex Phaſelide mouenti, ſupra 18
Strabo lib. 14. Curt. 5, 3, 22. 6, 3, 16. Artemon in Senecæ ſuaſor. 1. detectas inſidias, propitius numinis fauor alio ſtatim beneficio patuit. Parte exercitus ad Pergenſium vrbem per montes præmiſſa; ceteros ipſe per litus ducebat, qua Climax mons Pamphylio mari imminens anguſtam euntibus ſemitam relinquit, quoties mare tranquillum eſt; at quum æſtus incubuit, fluctibus operitur. idque hyeme frequens & prope perpetuum eſt. At Alexander nihil 19
æque ac moram metuens, exercitum per æqua, per iniqua, eodem

ardore

vicida cōprehenditur. Pamphyliā ſummo cū exercit diſtrinxit, perdifficili itinere ingreſſus: aulæa cōſir-*
ma aq; fiducia ex tot ominibus. Inter quæ ſomnii reſe tur; ob quod deinde Iudæis quos perdituros venerat,

ardore atque impetu rapiebat. Continui per eos dies Auſtri flaue- Arrian. 1, 8,
rant, qui mare in litus propellentes, omnia itineris veſtigia altis pa- 8. Euſtath.
ludibus opplent: adſiduæ etiam magnæque pluuiæ, vt ventis iſtis in Dionyſ.
20 ſpirantibus ſolet, ruebant. ſed aduentante Alexandro ſubito ex- v. 855 & 865.
ortus Aquilo cœlum purgauit imbribus, vndas reiecit in mare, & Appian. li.
Macedonibus tranſitum aperuit. Sic quoque vnius * diei itinere 2, de bell.
per incerta vada emergendum fuit; aqua ad vmbilicum ferme per- ciuil. Ioſeph. antiquit. lib. 2.
21 tingente. Tantam in periculis Alexandri fiduciam, vt ab ipſius extremo.
ingenio profectam non dubito; ita frequentibus prodigiis & Plutarch.
ominibus auctam confirmatamque fuiſſe crediderim: poſtquam c. 27. & 28.
decreto numinis, clariſſimis maximiſque rebus ſe deſtinari conie- * Strabo
22 cit. Adhuc * in Macedonia degenti ſpecies humana auguſtior ad- lib. 14.
paruiſſe dicitur, monentis *vt ad euertendum imperium Perſicum quam pri-* * Ioſeph. 11,
mum in Aſiam ſequeretur: atque in memoriam inſomnii reuocatum eſ- 8. Schikar.
ſe regem, quum in Phœnice res gereret; obuio Iudæorum ſacer- in procem.
dote in quo recognouit ornatum, quem pridem in obiecta imagi- Tarich.
23 ne per quietem viderat. Nam inter obſidionem Tyri vicinis regi- reg. Perſiæ.
bus populiſque deditionem & delectus imperauerat. ſed Iudæi, Zonaras
qui Hieroſolyma famoſam vrbem tenebant, fœdus cum Dario tom. 1.
24 cauſſati, Macedonum amicitiam detrectabant. Eam gentis con- Tacit. H
tumaciam puniturus, in Iudæam infeſto agmine perrexit. At 5, 2, 1.
Hieroſolymitani vt regis iram lenirent, cum vxoribus liberiſque Ioſeph. 11,
ſupplices in occurſum venientis effunduntur. Sacerdotes primi 8. Ἐνσέβ. λόγ. A.
ibant tenuiſſima byſſo amicti: hos deinde populus candido & ipſe veſtitu ſequebatur. Agmen ducebat Iaddus ſummus ſacrorum an-
25 tiſtes cum ſolenni ornatu. Adpropinquantis pompæ venuſtatem ſpeciemque miratus rex, equo deſiliens, ſolus proceſſit, adoratoque DEI nomine, quod aureæ laminæ inſculptum cidaris pontifi-
26 cia præferebat, ipſum quoque reuerenter ſalutauit. Improuiſa res omnium qui cum eo aduenerant animos in ſtuporem dedit. Iudæi ex propinqui exitii metu non in ſpem incolumitatis modo, ſed inopinatæ gratiæ fiduciam erecti circumibant regem, laudes
27 gratulationemque & vota miſcentes. Contra Syrorum reguli, qui ob crebras acerbaſque cum Iudæis ſimultates Alexandrum ſequuti fuerant, inimicorum ſuppliciis, vt rebantur, infeſti animi libidinem expleturi, ſtupebant; dubii verane eſſent quæ intuerentur, an aliquod oculorum ludibrium vana imagine ſopitos ſenſus falleret.
28 Neque minus Macedonas inſolentia ſpectaculi ſuſpenſos habuit: donec propius accedens Parmenion interrogare auſus eſt, *quid ita externis cæremoniis honorem deferret, quem à tam fœda gente etiam recipere vix*

pepercit, & in templo DEI sacrificia obtulit. inspectisq; libris sacris vaticinia de Persarū impe-rio euertendo reperit. Sed aliquanto prius Aspendiū in fidē acceptū, Sidetq; Pamphyliæ me-tropolim occupat. Aspendios rebellantes ad duriores conditiones adigit in Phrygiā ducturus. Telmissenses Pisidas, qui antea sic seruientes ab fide non deturbat. Selgensiū legatos audit; Sagalassenses Telmissenses q;

Ὀλυμπ. ἀναχ. Cedrenus. Glycas. Sulpic. Seuer. lib. 2.

*tanto rege dignum esset? Atque ille insomnium suum retulit. Deinde vrbem ingressus in pulcherrima æde ritu recepto sacrum DEO fecit, & dona templo intulit. Inspexit etiam sacros gentis codices, quibus cōtinebantur diu ante perscripta vaticinia. inter quæ * Tyrum Macedonibus cessuram, & Persas à Græco quodam debellatum iri clare significabatur. eum se fore interpretatus, Iudæis concessit, vt domi forisque suis legibus ritibusque libere vterentur; & quia septimum quemque annum agricultura exsortem agunt, etiam tributorum ista portione soluerentur.* Naturam quoque regionis admiratus, quæ aliis fructibus inter præstantissimas diues, opobalsamum sola producit, Andromachum iis regionibus præposuit: quem * Samaritani perpetui Iudæorum hostes, paulo post atrociter necauerunt. Sed hæc quidem post Tyrum Gazamque expugnatas gesta sunt: nos per occasionem præcepimus.

*Cedrenus. *Curtius 4. 8, 9. Iosephus 11, 8.

CAP. XII.

Arrian. 1, 8, 9.

Ceterum angustiis ad mare Pamphylium superatis, Alexander Pergis profectus in itinere obuios habuit Aspendiorum legatos, ex principibus ciuitatis, ii petentes *ne præsidium recipere cogerentur, quinquaginta talenta in stipendium militum, & quantum equorum tributi nomine regi Persarum alere consueuerant,* promiserunt. Inde rex ad Sidetas qui Melanem amnem adcolunt, progressus est; Cumæorum ex Æolide genus, sed sermone barbaro: nam Græcus exoleuerat, non diuturnitate temporis vt accidit; verum *maiores suos, vt in eas regiones venerunt, repente oblitos patriæ linguæ nouam & antea inauditam sonuisse* memorabant. Side recepta, quæ Pamphyliæ metropolis erat, Syllium ibatur, rutum natura situs oppidum, & tam peregrino milite, quā barbarorum adcolentium firma manu egregie munitum. Ea res, & quia *Aspendios rebellare* nunciabatur, auertit iter: Aspendumque ductus est exercitus. Illi subita Macedonum inruptione territi, desertis quæ in plano erant ædificiis, in arcem concessere. Alexander vacua vrbe potitus sub ipsa arce castra communit; & quum peritissimos architectos haberet, adparatu oppugnationis obsessos ad pacem prioribus conditionibus repetendam compulit. Nihil ad maiora properanti optatius adcidere potuisset, quam loci haud contemnendi longa obsidione non detineretur; ne tamen impunita defectorum temeritas esset, *potissimos ciuium obsides tradi, pecuniæque imperatæ nec exsolutæ summam duplicari* præcepit: adiectum est, *vt satrapæ quem Alexander præfecisset, obedirent, annua Macedonibus tributa soluerent; & de agro,* vnde vicinos vi eiecisse arguebantur, *iudicio contenderent.* His ita gestis remensus iter, quod ad Pergensium oppidum ferebat, inde perrexit in Phrygiam. Sed per ista loca ducenti superandæ erant

Pausanias lib. 8. Arrian. 1, 8, 10. Suidas v. Σίδη. Arrian. 1, 3, 11. Vitruuius 10, 19. Arrian. 1, 3, 13. Strabo lib. 14.

erant angustiæ, quas iuxta Telmissum vrbem Pisidarum, duo montes ex aduerso concurrentes efficiunt; ita strictis faucibus vt portarum similitudinem referant: easque barbari armata manu vtrimq; insederant. Alexander in ipso aditu castra poni iubet, ratus, quod euenit, Telmissenses castris locatis periculum differri credentes non diu hæsuros in angustiis, sed modico in illis relicto præsidio ceteros in vrbem recessuros esse. Igitur occasione haud segniter vsus, protinus sagittarios & funditores, quod q; ex graui armatura maxime expeditum erat, inducit; & præsidio barbarorum deturbato, ante ipsam vrbem castra conlocat. Ibi legatos Selgensium audit, qui ob vetustas cum vicinis Telmissensibus simultates quā quam eiusdem nationis essent, amicitiam ac auxilia offerebant regi. Quibus perbenigne exceptis ne in obsidione vnius vrbis tempus tereret, Sagalassum castra mouit: validam vrbem & iuuentutis robore firmatam, quum enim omnes Pisidæ bellicosi sint; Sagalassenses præ ceteris pugnaces habentur. Ii, quum etiam à Telmisso fœderatæ sociæq; copiæ venissent, viris magis quam mœnibus confisi, in vicino colle instruxerant aciem; & præmissos ab Alexandro velites opportunitate loci adiuti repulerant: sed Agriani resistebant, quis propinqua iam Macedonum phalanx, & ante prima signa rex conspectus audaciam addiderat. Maximus militi labor fuit per ardua conniti: postquam æquioribus paulo locis consistere datum est, semermum montanorum vulgus haud ægre diffiecere. Ex Macedonum ducibus Cleander desideratus est, cum viginti ferme militibus; barbarorum ad quingentos cecidere: ceteros expedita fuga, & locorum notitia protexit. Fugientibus tamen institit rex contentione quanta poterat tam graue agmen: eodemque impetu vrbs eorum capta est. Per cetera deinde Pisidiæ munita loca circumtulit bellum: quorum nonnulla pugnando cepit; alia conditionibus in fidem venerunt. Telmissum expugnatam, ob pertinaciam ciuium, solo æquauit; populo libertatem ademit; & paulo post cum aliis quibusdam Pisidiæ ciuitatibus, Celænarum præfecturæ contribuit. Pacatis hunc in modum asperrimis nationibus, in Phrygiam processit, qua Ascanius lacus est, cuius aqua sua sponte concrescens, necessitate salis è longinquo petendi soluit adcolas. Dum ea geruntur, Memnon suarum partium reliquiis vndiq; conlectis, vt inhærentem Asiæ Alexandrum extorqueret, ad bellum Græciæ Macedoniæq; inferendum cogitationes conuertit. Quippe Darius in hoc vno spem reponens, qui victoris impetum sua virtute suaq; prudentia diutissime ad Halicarnassum moratus esset, sum-

Arrian. 1, 8, 15. Strabo lib. 14. Arrian. 1, 8, 19. Strabo lib. 14. Arrian. 1, 8, 24. Strabo lib. 14. Plinius 5, 29, 6. Arrian. 1, 8, 25. Arrian. 2, 1, 1. 2, 9. Diodor. 17, 29.

prælio vincit; & fugientibus immixtus Sagalassum capit: Telmissum expugnat. Interea Memnon belli molem in Macedoniã trãsferre conatus, Chium, & plerasq; Lesbiorum oppida occupat: sed in obsidione Mitylenæorum morbo moritur. vbi nihilominus à Persis capitur.

summæ rerum præfecerat eum, magnamq; pecuniæ vim transmiserat. Itaque mercenariorum manu quanta poterat conducta, cum trecentarum nauium classe libero mari vagabatur; & quæ tantis conatibus aduersa vel æqua futura essent, solerti æstimatione pensabat. Interea locis quæ minus anxie custodiebantur occupatis (inter quæ & Lampsacus fuerat) insulas adgressus est, quibus Macedones, quamquam vtrimque continenti potirentur, ob inopiam nauium auxilium ferre non poterant. Iuuit consilium ducis animorum mira vbiq; dissensio; quum aliis ad Alexandrum libertatis auctorem res trahentibus, non deessent qui Persicis opibus aucti, propriam sub veteribus dominis potentiam, quam liberata repub. eamdem omnium æqualitatem mallent. Igitur Athenagoras & Apollonides ex Chiorum optimatibus, re cum Phisino Megareoque, & aliis suæ factionis hominibus cõunicata, Memnonem arcessunt. Ita Chius proditione capitur, & præsidio ibi conlocato, vrbanarum rerum administratio Apollonidi sociisque traditur. Inde Lesbum petens Antissam, Pyrrham & Eressum nullo negotio capit; Methymnæ * Aristonicum tyrannum imponit; totamq; insulam excepta Mitylene nobilissima vrbe, in potestatem redigit. Ea multis diebus obsidionem constanter pertulit: nec ab ipso Memnone capta est. Ille enim quum iam magnis operibus vrbem circumuallasset, & occluso portu, nauiumq; stationibus per opportuna loca dispositis, ne qua subsidio venientibus aditus pateret, prouidisset; pestilenti morbo conreptus præclaram Persarũ spem, inreparabili cum ipsorum damno, deseruit. Sed quum se iam morti vicinum intellegeret, Pharnabazo sororis suæ filio, quem Artabazo pepererat, imperium suum tradidit, donec Darius re comperta, aliter statueret. Hic cum Autophradate classis præfecto munia partitus, eo tandem obsessos adegit, vt securo præsidii discessu pacto, columnas quis fœderis cum Alexandro leges insculptæ erant, subuerterent; Darioque fidem polliciti, dimidiam exsulum suorũ partem reciperent. At Persæ non integra fide pactis stetere; sed introductis in vrbem militibus Lycomedem Rhodium præsse iusserunt: Diogeni, qui ob studia in Persas exsulauerat, patriæ tyrannis tradita est. Pecunia deinceps priuatim ab opulentissimo quoque per vim ablata: neque eo minus imperatum tributum, quod commune Mitylenæorum penderet.

Aristot. ἐικονομ. lib. 2.

2, 6, 26.

Curtius 4, 5, 15. Arria. 3, 1, 7.

Arrian. 2, 1. 1.

Diodor. 17, 29.

* Curtius 4, 5, 19.

Arrian. 2, 1, 3. contra Diodorus 17, 29.

1, 2, 24.

Arrian. 2, 1, 4.

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI
DE REBVS ALEXANDRI
Regis Macedonum
LIBER TERTIVS.

INTER hæc Alexander, ad conducendum ex Peloponneso militem, Cleandro cum pecunia misso, Lyciæ Pamphiliæque rebus compositis, ad vrbem Celænas exercitum admouit. Mediam illa tempestate interfluebat Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclutus. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens, in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit: inde diffusus circumiectos rigat campos, liquidus, & suas duntaxat vndas trahens. Itaq; color eius placido mari similis, locum poëtarum mendacio fecit: quippe traditum est, *Nymphas amore amnis retentas, in illa rupe considere.* Ceterum quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet: at quum extra munimenta se euoluit, maiore vi ac mole agentem vndas *Lycum* appellant. Alexander quidem vrbem destitutam à suis intrat: arcem vero, in quam confugerant, oppugnare adortus; caduceatorem præmisit, qui denunciaret, *ni dederent, ipsos vltima esse passuros.* Illi caduceatorem in turrim, & situ & opere multum editam perductum; *quanta esset altitudo, intueri* iubent, *ac nunciare Alexandro, non eadem ipsum & incolas æstimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles esse. ad vltimum, pro fide morituros.* Ceterum vt circumsideri arcem, & omnia sibi indies arctiora viderunt esse; *sexaginta dierum inducias* pacti, *vt nisi intra eos auxilium Darius ipsis misisset, dederent vrbem;*

lib. 4. cap. 3. num. 11.

4, 6, 30.

3, 4, 9.

5, 8, 15.

vrbem: postquam nihil inde præsidii mittebatur, ad præstitutam diem permisere se regi. Superueniunt deinde legati 9
Athenienſium, petentes, *vt capti apud Granicum amnem*
4, 8, 12. *redderentur ſibi.* Ille *non hos modo, ſed etiam ceteros Græcos reſtitui ſuis iuſſurum* reſpondit, *finito Perſico bello.* Cete- 10
rum Dario imminens, quem nondum Euphratem ſuperaſſe cognouerat; vndique omnes copias contrahit: totis viribus tanti belli diſcrimen aditurus. Phrygia erat, per 11
quam ducebatur exercitus; pluribus vicis, quam vrbibus frequens. Tunc habebat quondam nobilem Midæ regiam; 12
Gordium nomen eſt vrbi, quam Sangarius amnis interfluit, pari interuallo Pontico & Cilicio mari diſtantem. Inter hæc maria anguſtiſſimum Aſiæ ſpatium eſſe compe- 13
rimus, vtroque in arctas fauces compellente terram. Quæ quia continenti adhæret, ſed magna ex parte cingitur fluctibus, ſpeciem inſulæ præbet; ac niſi tenue diſcrimen obiiceret, maria, quæ nunc diuidit, committeret. Alex- 14
ander vrbe in ſuam ditionem redacta, Iouis templum intrat. Vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum eſſe conſtabat, adſpexit, cultu haud ſane à vilioribus, vulgatiſque vſu abhorrens. Notabile erat iugum adſtrictum 15
compluribus nodis in ſemetipſos implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde adfirmantibus; *editam eſſe oracu-* 16
lo ſortem; Aſiæ potiturum, qui inexplicabile vinculum ſoluiſſet: cupido inceſſit animo ſortis eius implendæ. Cir- 17
ca regem erat & Phrygum turba, & Macedonum: illa exſpectatione ſuſpenſa, hæc ſolicita ex temeraria regis fiducia. Quippe ſeries vinculorum ita adſtricta, vt vnde nexus inciperet, quoue ſe conderet, nec ratione, nec viſu percipi poſſet; ſoluere adgreſſo iniecerat curam, ne in omen verteretur inritum inceptum. Ille nequaquam diu luctatus cum 18
latentibus nodis; *nihil*, inquit, *intereſt quomodo ſoluatur*: gladioque ruptis omnibus loris, oraculi ſortem vel eluſit,

19 eluſit, vel impleuit. Cum deinde Darium, vbicumque eſſet, occupare ſtatuiſſet; vt à tergo tuta relinqueret, Amphote- 8, 5, 1.
rum claſſi ad oram Helleſponti, copiis autem præfecit Hegelochum; Lesbum, & Chium, & Con præſidiis hoſtium libera-
20 turos. His talenta ad belli vſum quingenta adtributa: ad Antipatrum, & eos qui Græcas vrbes tuebantur, ſexcenta miſſa: ex fœdere naues ſociis imperatæ, quæ Helleſponto præſide-
21 rent. Nondum enim Memnonem vita exceſſiſſe cognouerat: in quem omnes intenderat curas; ſatis gnarus cuncta in 3, 13, 14.
22 expedito fore, ſi nihil ab eo moueretur. Iamque ad vrbem Ancyram ventum erat, vbi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat: huic iuncti erant Eneti, vnde quidam Vene-
23 tos trahere originem credunt. omniſque hæc regio paruit regi: datiſque obſidibus, *tributum, quod ne Perſis quidem tu-*
24 *liſſent, pendere ne cogerentur*, impetrauerunt. Calas huic regioni præpoſitus eſt: ipſe, adſumptis qui ex Macedonia nuper aduenerant, Cappadociam petiit.

AT Darius, nunciata Memnonis morte haud ſecus quam CAP. II.
par erat, motus; omiſſa omni alia ſpe, ſtatuit ipſe decernere: quippe quæ per duces ſuos acta erant, cuncta damnabat; ra- 5, 9, 4.
2 tus pluribus curam, omnibus abfuiſſe fortunam. Igitur caſtris ad Babylonem poſitis, quo maiore animo capeſſerent bellum, vniuerſas vires in conſpectum dedit: & circumdato 3, 8, 9.
vallo, quod decem millium armatorum multitudinem cape-
3 ret, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit. Orto ſole ad 3, 3, 8.
noctem agmina, ſicut deſcripta erant, intrauere vallum. inde occupauerunt emiſſa Meſopotamiæ campos: equitum pe- 4, 9, 6.
ditumque propemodum innumerabilis turba, maiorem
4 quam pro numero ſpeciem gerens. Perſarum erant centum millia: in quis eques triginta millia implebat. Medi decem
5 equitum; quinquaginta millia peditum habebant. Barcanorum equitum duo millia fuere; armati bipennibus, leuibuſque ſcutis cetræ maxime ſpeciem reddentibus: peditum

Armen. &c. reperta ad 311200. Cui multitudini ipse cum suis fidit. Charidemus autem imparem docet Macedonib. ob horum

decem millia pari armatu sequebantur. Armenii quadragin- 6
ta millia miserant peditum; additis septem millibus equitum.
Hyrcani egregii, vt inter illas gentes, sex millia expleuerant, e-
quis militatura. Derbices quadraginta millia peditum ar- 7
mauerant: pluribus hærebant ferro præfixæ hastæ; quidam
3,2,16. lignum igni durauerant. hos quoque duo millia equitum ex
eadem gente comitata sunt. A Caspio mari octo millium 8
pedester exercitus venerat; ducenti equites. Cum his erant
ignobiles Asiæ gentes: duo millia peditum; equitum du-
plicem paraverant numerum. His copiis triginta millia 9
3,5,1. 3,8,1. Græcorum mercede conducta, egregiæ iuuentutis, adiecta
5,9,2. sunt. Nam Bactrianos, & Sogdianos, & Indos, ceterosque
4,12,9. rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festi-
natio prohibebat acciri. Nec quidquam illi minus quam 10
multitudo militum defuit. cuius tum vniuersæ adspectu ad-
8,5,6. modum lætus, purpuratis solita vanitate spem eius inflantibus;
conuersus ad Charidemum Athenien sem belli peritum, & ob
exilium infestum Alexandro (quippe Athenis iubente eo fu-
erat expulsus) percontari cepit; *satisne ei videretur instru-*
3,3,28. *ctus ad obterendum hostem?* At ille & suæ sortis, & regiæ 11
6,10,26. superbiæ oblitus; *Verum*, inquit, *& tu forsan audire nolis;*
1,4,3. *& ego, nisi nunc dixero, alias nequidquam confitebor. Hic* 12
tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium, & totius Orientis
3,10,9. *excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis: nitet*
purpura auroque, fulget armis & opulentia, quantam qui ocu-
5,10,9. *lis non subiecere, animis concipere non possunt. Sed Macedo-* 13
3,3,27. *num acies torua sane & inculta, clypeis hastisque immobiles*
5,4,12.
3,9,7. 3,11,1. *cuneos, & conferta robora virorum teget. Ipsi* phalangem
vocant peditum stabile agmen. vir viro, armis arma conferta
3,3,27. *sunt: ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines seruare*
didicere. Quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, cir- 14
cumire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis,
quam milites callent. Et ne auri argentique studio teneri 15
putes,

disciplinam. Ideo necatur. Thymodes Pharnabazo; hic Memnoni succedit. Darij somnium, eiusq; varia

putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. fatiga-
tis humus cubile est: cibus quem occupant satiat: tempora so- 6,2,3.
16 *mni arctiora, quam noctis sunt. Iam Thessali equites, & Acar-* 3,11,3.
nanes, Aetolique, inuicta bello manus, fundis credo, & hastis 3,2,7.
igne duratis repellentur? pari robore opus est. in illa terra, quæ
hos genuit, auxilia quærenda sunt: argentum istud atque au-
17 *rum ad conducendum militem mitte.* Erat Dario mite ac tra-
ctabile ingenium, NISI suam naturam plerumque fortuna* 3,8,5. 4,16,9.
corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospitem ac suppli- 5,10,14.
* 4,7,29.
cem, tunc maxime vtilia suadentem *abstrahi* iussit *ad capitale* 10,1,40.
18 *supplicium.* Ille ne tum quidem libertatis oblitus, *habeo*, inquit, 3,8,6. 7,4,9.
paratum mortis meæ vltorem: expetet pœnas mei consilij spre-
ti is ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni tam
subito mutatus, documentum eris posteris, HOMINES, cum
19 *se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere.* Hæc voci- 5,7,11.
ferantem, quibus erat imperatum, iugulant. Sera deinde pœ-
nitentia subiit regem, ac *vera dixisse* confessus, *eum sepeli-*
ri iussit.

THymodes* erat, Mentoris filius, impiger iuuenis: cui CAP. III.
præceptum est à rege; *vt omnes peregrinos milites*, in quis* 3,8,1.
plurimum habebat spei, *à Pharnabazo acciperet*; opera eo-
rum vsurus in bello: ipsi Pharnabazo tradit imperium, quod 3,13,14. 4,
2 ante Memnoni dederat. Anxium de instantibus curis, agi- 1,37.
tabant etiam per somnum species imminentium rerum: siue
3 illas ægritudo; siue diuinatio animi præsagientis accersit. Ca-
// stra Alexandri magno ignis fulgore conlucere ei visa sunt: &
// paulo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo
// ipse fuisset: equo deinde per Babylonem vectus, subito cum
4 // ipso equo oculis esse subductus. Ad hæc vates varia interpre-
tatione curam distrinxerant: alii *Letum id regi somnium esse*
dicebant; *quod castra hostium arsissent, quod Alexandrum,*
depositâ regiâ veste, in Persico & vulgari habitu perductum
5 *esse vidisset.* Quidam contra augurabantur: *quippe inlustria*


Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere: quem regnum Asiæ occupaturum esse, haud ambigere; quoniam in eodem habitu Darius fuisset, quum appellatus est rex. Vetera quoque omina, vt fit, solicitudo reuocauerat: *Da-* 6
rium enim in principio imperij vaginam acinacis Persicam
iussisse mutari in eam formam, qua Græci vterentur; protinus-
6, 6, 4. *que Chaldæos interpretatos; imperium Persarum ad eos transi-*
turum, quorum arma esset imitatus. Ceterum ipse & vatum 7
responso quod edebatur in vulgus; & specie quæ per somnum
oblata erat, admodum lætus; castra ad Euphratem moueri
3, 2, 3. iubet. Patrio more Persarum traditum est, orto sole demum 8
procedere. die iam inlustri, signum è tabernaculo regis buc-
5, 2, 7. cina dabatur. Super tabernaculum, vnde ab omnibus con-
spici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo 9
4, 13, 12. autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi *sacrum* & *æter-*
4, 14, 24. *num* vocabant, argenteis altaribus præferebatur. Magi pro-
5, 1, 20. ximi patrium * carmen canebant. Magos trecenti & sexa- 10
*5, 1, 22. ginta quinque iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati,
diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in
totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Ioui sa- 11
cratum albentes vehebant equi: hos eximiæ magnitudinis
equus, quem *Solis* appellabant, sequebatur. aureæ virgæ, &
albæ vestes, regentes equos adornabant. Haud procul erant 12
10, 1, 24. vehicula decem, multo auro argentoque cælata. Sequebatur
hæc equitatus duodecim gentium variis armis & moribus.
Proximi ibant quos Persæ *Immortales* vocant, ad decem mil- 13
lia. cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat:
illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, ma-
nicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. Exiguo inter- 14
uallo, quos *cognatos regis* appellant, decem & quinque mil-
lia hominum. Hæc vero turba muliebriter propemodum
culta, luxu magis quam decoris armis conspicua erat. *Dory-* 15
phori vocabantur proximum his agmen, soliti vestem excipe-
re rega-



cus; &

veteris cuiusdã eminiu. Darius ad Euphratem castra mouere iubet. Ordo agmi-
rus Ioui. Equus Solis. Vehicula. Fenitatus. Immortales. Cognati regis. Dory-

ra visa, fulgorem Alexandro portendere:
ſiæ occupaturum eſſe, haud ambigere; quo-
ſitu Darius fuiſſet, quum appellatus eſt rex.
omina, vt fit, ſolicitudo reuocauerat: *Da-* 6
ncipio imperij vaginam acinacis Perſicam
am formam, qua Græci vterentur; protinus-
pretatos; imperium Perſarum ad eos transi-
ma eſſet imitatus. Ceterum ipſe & vatum 7
ebatur in vulgus; & ſpecie quæ per ſomnum
odum lætus; caſtra ad Euphratem moueri
re Perſarum traditum eſt, orto ſole demum 8
n inluſtri, ſignum è tabernaculo regis buc-
per tabernaculum, vnde ab omnibus con-
go ſolis cryſtallo incluſa fulgebat. Ordo 9
at talis. Ignis, quem ipſi *ſacrum* & *eter-*
rgenteis altaribus præferebatur. Magi pro-
rmen canebant. Magos trecenti & ſexa- 10
uenes ſequebantur, puniceis amiculis velati,
i pares numero: quippe Perſis quoque in
riptus eſt annus. Currum deinde Ioui ſa- 11
vehebant equi: hos eximiæ magnitudinis
s appellabant, ſequebatur. aureæ virgæ, &
tes equos adornabant. Haud procul erant 12
multo auro argentoque cælata. Sequebatur
odecim gentium variis armis & moribus.
os Perſæ *Immortales* vocant, ad decem mil- 13
ntiæ barbaræ non alios magis honeſtabat:
s, illi veſtem auro diſtinctam habebant, ma-
s, gemmis etiam adornatas. Exiguo inter- 14
atos regis appellant, decem & quinque mil-
Iæc vero turba muliebriter propemodum
quam decoris armis conſpicua erat. *Dory-* 15
proximum his agmen, ſoliti veſtem excipe-
re rega-



cus; &

6, 6, 4.

3, 2, 3.

5, 2, 7.

4, 13, 12.
4, 14, 24
5, 1, 20.
*5, 1, 22

10, 1, 24

re regalem. hi currum regis anteibant; quo ipse eminens ve- 3, 11, 7. 4, 1, 1.
16 hebatur. Vtrumque currus latus deorum simulacra ex auro ar- 4, 14, 26. 5, 10, 12.
gentoque expressa decorabant: distinguebant internitentes
gemmæ iugum; ex quo eminebant duo aurea simulacra cubi-
talia, quorum alterum Nini alterum Beli gerebat effigiem. in-
ter hæc auream aquilam pinnas extendenti similem sacraue-
17 rant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur. purpureæ
18 tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam
aurei accipitres, velut rostris inter se conruerent, adornabant,
& zona aurea muliebriter cinctus acinacem sustinderat, cui ex
19 gemma erat vagina. *Cidarim* Persæ regium capitis vocabant
20 insigne; hoc cœrulea fascia albo distincta circumibat. Cur-
rum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento
21 exornatas; spicula auro præfixa gestabant. Dextra lævaque
regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitaban-
tur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum,
22 quos equi regis quadringenti sequebantur. Interuallo dein-
de vnius stadii, matrem Darii Sisygambim currus vehebat: &
in alio erat coniunx. turba feminarum reginas comitantium
23 equis vectabatur. Quindecim inde, quas *armamaxas* appel-
lant, sequebantur. in his erant liberi regis, & qui educabant
24 eos, spadonumque grex, haud sane illis gentibus vilis. Tum
regiæ pellices trecentæ sexaginta vehebantur, & ipsæ regali
cultu ornatuque. Post quas pecuniam regis sexcenti muli, &
trecenti cameli vehebant; præsidio sagittariorum prose-
25 quente. Propinquorum, amicorumque coniuges huic agmi-
ni proximæ; lixarumque & calonum greges vehebantur.
Vltimi erant cum suis quisque ducibus qui cogerent agmen,
26 leuiter armati. Contra si quis aciem Macedonum intuere- 3, 2, 13.
tur, dispar acies erat: equis virisque non auro, non discolori
27 veste; sed ferro, atque ære fulgentibus Agmen & stare pa-
ratum, & sequi: nec turba; nec sarcinis prægraue: intentum 4, 14, 16. 5, 1, 6.
ad ducis, non signum modo; sed etiam nutum. & castris lo- 3, 2, 13.
cus; &

cus; & exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro 28
3,7,9. 3,8,1. in acie miles non defuit: Darius tantæ multitudinis rex, lo-
*3,2,10. 4,14,8. ci, in quo pugnauit, * angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

CAP. IV. Interea Alexander Abistamene Cappadociæ præposito, Ciliciam petens cum omnibus copiis, regionem quæ *castra Cyri* appellatur, peruenerat. stativa ibi habuerat Cyrus, quum aduersum Crœsum in Lydiam duceret. Aberat ea regio quin- 2
quaginta stadia ab aditu quo Ciliciam intramus: *Pylas* incolæ
3,4,12. 3,8,13. dicunt; arctissimas fauces, munimenta quæ manu ponimus,
5,3,22. 6,3,16. naturali situ imitante. Igitur Arsanes qui Ciliciæ præerat, re- 3
3,2,11. putans quid initio belli Memnon suasisset; quondam salubre
3,4,14. consilium sero exsequi statuit: igni ferroque Ciliciam vastat,
4,9,8. 4,14, 2. vt hosti solitudinem faciat: quidquid vsui esse potest, corrumpit; sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus. Sed longe vtilius fuit angustias aditus, qui Ciliciam aperit, va- 4
3,4,12. lido occupare præsidio, iugumque opportune itineri imminens obtinere; vnde inultus subeuntem aut prohibere, aut opprimere hostem potuisset. Nunc paucis qui callibus præ- 5
siderent, relictis, retro ipse concessit; populator terræ, quam à populationibus vindicare debuerat. Ergo qui relicti erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere voluerunt; cum vel pauciores locum obtinere potuissent. Namque 6
perpetuo iugo montis asperi ac prærupti Cilicia includitur: quod quum à mari surgat; veluti sinu quodam, flexuque curuatum, rursus altero cornu in diuersum litus excurrit. Per 7
hoc dorsum, qua maxime introrsum mari cedit; asperi tres aditus, & perangusti sunt: quorum vno Cilicia intranda est. campestris eadem qua vergit ad mare, planiciem eius crebris
3,4,12. distinguentibus riuis: Pyramus & Cydnus inclyti amnes flu-
3,5,14 unt. Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: 8
3,1,3. quippe leni tractu è fontibus labens puro solo excipitur. nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alueum turbent.

Itaque

9 Itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa ri- 5,4,8.
parum amœnitate inumbratus, vbique fontibus suis similis
10 in mare euadit. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus, vetustas exederat. Monstrabantur vrbium sedes, 5,1,34.
Lyrnessi & Thebes; Typhonis quoque specus, & Corycium 4,8,3.
nemus, vbi crocum gignitur: ceteraque in quibus nihil præ-
11 ter famam durauerat. Alexander fauces iugi, quæ *Pylæ* ap- 3,4,2.
pellantur, intrauit. Contemplatus locorum situs, non alias
magis dicitur admiratus esse *felicitatem suam: obrui potuisse* 3,4,5. 4,9,
vel saxis confitebatur, *si * fuissent, qui in subeuntes propelle-* 22. 4,12,15.
12 *rent.* Iter vix * quaternos capiebat armatos: dorsum mon- 5,3,22. *5,
tis imminebat viæ, non angustæ modo, sed plerumque præru- 1,39. 5,3,
ptæ, crebris oberrantibus riuis, qui ex radicibus montium ma- 18. 8,11,13.
13 nant. Thracas tamen leuiter armatos *præcedere* iusserat, *scru- *3,4,2.
tarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet.* sagit- 3,4,7.
tariorum quoque manus occupauerat iugum; intentos arcus
14 habebant, moniti, *non iter ipsos inire, sed prælium.* Hoc
modo agmen peruenit ad vrbem Tarson, cui tum maxime 3,4,3. 4,14,2.
Persæ subiiciebant ignem; ne opulentum oppidum hostis
15 inuaderet. At ille Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu præmisso; postquam barbaros aduentu suorum fugatos esse cognouit, vrbem à se conseruatam 4,10,11. 9,4,7.
intrat.

MEdiam Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum est, CAP. V.
interfluit; & tunc æstas erat, cuius calor non aliam magis 3,4,8.
quam Ciliciæ oram vapore solis accendit: & diei feruidissi-
2 mum tempus ceperat. puluere ac sudore simul perfusum regem inuitauit liquor fluminis, vt calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita in conspectu agminis; decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis leui ac parabili cultu
3 corporis se esse contentum; descendit in flumen. vixque in- 3,6,19.
gressi subito horrore artus rigere ceperunt: pallor deinde suffusus est, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.

Exspi-

arripitur cum ingenti solicitudine suorum. Ipse mora impatiens, strenue curari vult: vel cum discrimine: Sed

Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis com- 4
potem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens solicitudo,
& pene iam luctus, in castris erat. Flentes querebantur *in tan-* 5
to impetu cursuq; rerum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum
3, 5, 10. *regem non in acie saltem, non ab hoste deiectum; sed abluen-*
tem aqua corpus, ereptum esse & extinctum. Instare Darium, 6
victorem antequam vidisset hostem. sibi easdem terras, quas
victores peragrassent, repetendas. omnia aut ipsos, aut hostes
3, 4, 3. *populatos. per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit,*
euntes, fame atque inopia debellari posse. Quem signum da- 7
turum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iam
vt ad Hellespontum fuga penetrarent; classem qua transeant,
quem præparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia 8
versa; *illum florem iuuentæ, illam vim animi, eumdem regem*
3, 11, 7. *& commilitonem, diuelli à se & abripi,* immemores sui quere-
3, 11, 25. & 26. contra 4, 16, 12. bantur. Inter hæc liberius meare spiritus ceperat: adleuabat 9
rex oculos, & paulatim redeunte animo circumstantes amicos
agnouerat. laxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia
magnitudinem mali sentiebat. Animum autem ægritudo 10
corporis vrgebat; quippe *Darium quinto die in Ciliciam fo-*
re nunciabatur. *vinctum ergo se tradi, & tantam victoriam*
3, 5, 5. *eripi sibi è manibus; obscuraque & ignobili morte in taberna-*
culo suo extingui se querebatur. Admissisque amicis pariter 11
& medicis, *in quo me,* inquit, *articulo rerum mearum fortuna*
deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum ex-
audire mihi videor, & qui vltro intuli bellum, iam prouocor.
4, 1, 7. *Darius ergo quum tam superbas literas scriberet, fortunam* 12
meam in consilio habuit: sed nequidquam, si mihi arbitrio meo
3, 6, 2. *curari licet. Lenta remedia & segnes medicos non expetunt* 13
tempora mea. vel mori strenue, quam tarde conualescere mi-
hi melius est. Proinde si quid opis, si quid artis in medicis est;
sciant me non tam mortis, quam belli remedium quærere. In- 14
3, 6, 18. gentem omnibus incusserat curam tam præceps temeritas eius.

ergo

ergo pro se quisque precari cepere; *ne festinatione periculum*
15 *augeret, sed esset in potestate medentium. inexperta remedia*
haud iniuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem eius etiam
16 *à latere ipsius pecunia solicitaret hostis* (quippe Darius *mille* 3, 6, 4. 4, 1, 12. 4, 10, 16. 4, 11, 18.
talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari ius-
serat) *itaque ne ausurum quidem quemquam* arbitrabatur *ex-*
periri remedium, quod propter nouitatem posset esse suspectum.

Erat inter nobiles medicos è Macedonia regem sequu- Cap. VI.
tus Philippus natione Acarnan, fidus admodum regi: puero
comes & custos salutis datus, non vt regem modo, sed etiam vt
2 alumnum, eximia caritate diligebat. Is *non præceps se, sed stre-*
nuum remedium afferre; tantamq; vim morbi potione medi-
cata leuaturum esse promisit. Nulli promissumeius placebat,
3 præter ipsum, cuius periculo pollicebatur. Omnia quippe faci- 3, 5, 13. 4, 1, 12.
lius quam morā perpeti poterat: arma & acies in oculis erant;
& victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante si-
gna stare potuisset: id ipsum, *quod post diem tertium medica-*
mentum sumpturus esset (ita enim medicus prædixerat) ægre
4 ferens. Inter hæc à Parmenione fidissimo purpuratorū literas 6, 10, 34.
accipit, quibus ei denunciabat, *ne salutem suam Philippo com-*
mitteret. mille talentis à Dario, & spe nuptiarum sororis eius 3, 5, 15.
5 *esse corruptum.* Ingentem animo solicitudinem literæ incus-
serant; & quidquid in vtramque partem aut metus, aut spes
6 subiecerat, secreta æstimatione pensabat. *Bibere perseuerem?*
vt si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quidquid
acciderit, euenisse videatur? Damnem medici fidem? in ta-
bernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mo-
7 *ri scelere, quam metu meo.* Diu animo in diuersa versato, 5, 11, 11. 5, 12, 11.
nulli quid scriptum esset enunciat: epistolamque sigillo an-
8 nuli sui impressam puluino, cui incumbebat, subiecit. Inter
has cogitationes biduo absumpto, inluxit à medico destinatus
dies. & ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat,
9 intrauit. Quo viso Alexander leuato corpore in cubitum,

epistolam à Parmenione missam siniſtra manu tenens, accipit poculum, & haurit interritus; tum *epistolam* Philippum *legere* iubet: nec à vultu legentis mouit oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore posse deprehendere. Ille epi- 10
stola perlecta, plus indignationis quam pauoris ostendit: proiectisque amiculo & literis ante lectum; *Rex*, inquit, *semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere, arbitror, sacro & venerabili ore trahitur. Crimen parricidij quod* 11
mihi obiectum est, tua salus diluet. seruatus à me vitam mihi dederis, oro, quæsoque, amissoque metu patere medicamentum concipi venis. laxa paulisper animum, quem intempestiua so-
3, 6, 16. *licitudine amici sane fideles, sed molestè seduli turbant.* Non 12
securum modo hæc vox, sed etiam lætum regem, ac plenum bonæ spei fecit. Itaque, *si dij*, inquit, *Philippe tibi permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum; alio profecto voluisses: sed certiorem quam expertus es, ne optasses quidem. hac epistola accepta, tamen quod diluer as bibi.* 13
& nunc credo te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse solicitum. Hæc eloquutus dextram Philippo offert. Ceterum tanta vis medicaminis fuit, vt quæ sequuta sunt cri- 14
minationem Parmenionis adiuuerint. intercluſus spiritus arcte meabat. Nec Philippus quidquam inexpertum omisit. ille fomenta corpori admouit; ille torpentem nunc cibi,
3, 2, 22. nunc vini odore excitauit. Atque vt primum mentis com- 15
6, 3, 5. 10, 5. potem esse sensit; modo *matris, sororumque*; modo *tantæ*
30. *victoriæ adpropinquantis* admonere non destitit. Vt vero 16
3, 6, 11. medicamentum se diffudit in venas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit; primo animus vigorem suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperauit: quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec auidius ipsum regem, quam 17
Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque dextram eius amplexi grates habebant velut præsenti deo. Namque haud facile

facile dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos 10, 3, 3.
venerationem, quantum huius quoque regis vel admiratio-
18 ni dediti fuerint, vel caritate flagrauerint. Iam primum ni- 3, 13, 4. 10, 5.
hil nisi diuina ope adgredi videbatur. nam quum esset præ- 35.
19 sto vbique fortuna, temeritas * in gloriam cesserat. Ætas * 3, 5, 14.
quoque vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam eius opera honestabat. Et quæ leuiora haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos; cultus habitusque paululum 3, 5, 3.
20 à priuato abhorrens; militaris vigor: quis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, vt pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

AT Darius nuncio de aduersa valitudine accepto, cele- CAP. VII.
ritate, quantam capere tam graue agmen poterat, ad Euphratem contendit: iunctoque eo pontibus, quinque tamen die-
2 bus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. Iamque 4, 9, 9.
Alexander viribus corporis receptis, ad vrbem Solos perue- 5, 8, 11.
nerat: cuius potitus, ducentis talentis nomine mulctæ exa-
3 ctis, arci præsidium militum imposuit. Vota deinde pro salute suscepta per ludum atque ocium reddens, ostendit quanta fiducia barbaros sperneret. Æsculapio & Mineruæ ludos 3, 12, 29.
4 celebrauit. Spectanti nuncius lætus adfertur ex Halicarnasso; *Persas acie à suis esse superatos: Myndios quoque, & Cau-*
5 *nios, & pleraque tractus eius suæ facta ditionis.* Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, & Pyramo amne ponte iuncto, ad vrbem Mallon peruenit: inde alteris castris ad op-
6 pidum Castabalum. Ibi Parmenio regi occurrit, quem præmiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad vrbem *Issum*
7 nomine penetrandum erat. Atque ille angustiis eius occupatis, & præsidio modico relicto, Isson quoque desertam à barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, præsidiis cuncta firmauit: occupatoque itinere, sicut paulo ante dictum est, idem & auctor, &

vbi ex consilio Parmenionis, inter angustias saltus hostem operiri statuit. Sisinis casus. Græcorum

nuncius venit. Isson inde rex copias admouit: vbi consilio habito, *vtrumne vltra progrediendum foret; an ibi oppe-*
3, 9, 10. *riendi essent milites noui, quos ex Macedonia aduentare constabat:* Parmenio *non alium locum prælio aptiorem esse* censebat. *quippe illic vtriusque regis copias numero futuras*
3, 3, 28. *pares, quum angustiæ multitudinem non caperent. planitiem*
4, 13, 6. 4, 14, 12. *ipsis camposque esse vitandos. vbi circumiri, vbi ancipiti acie opprimi possent. Timere ne non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur. Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent.* Facile ratio tam salubris consilii accepta est. itaque
3, 8, 10. & 19. *inter angustias saltus hostem opperiri* statuit. Erat in exercitu regis Sisines Perses: quondam à prætore Ægypti missus ad Philippum, donisque & omni honore cultus; exilium patria sede mutauerat: sequutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cuius signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes prætor Darii miserat eam, hortabaturque Sisinem; *vt dignum*
5, 8, 16. *aliquid nobilitate, ac moribus suis ederet: magno id ei apud regem honori fore.* Has literas Sisines, vtpote innoxius, ad Alexandrum sæpe deferre tentauit: sed quum tot curis apparatuque belli regem videret vrgeri; aptius subinde tempus exspectans, suspicionem initi scelesti consilii præbuit. Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri peruenerat, lectamque eam, ignoti annuli sigillo impresso, *Sisini dari* iusserat, ad æstimandam fidem barbari. Qui quia per complures dies non adierat regem; scelesto consilio eam visus est suppressisse, & in agmine à Cretensibus, haud dubie iussu regis occisus est.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15

CAP. IIX. Iam Græci milites, quos Thymodes à Pharnabazo acceperat; præcipua spes & propemodum vnica, ad Darium peruenerant. Hi magnopere suadebant, *vt retro abiret,*
3, 2, 9. *spatiosoque Mesopotamiæ campos repeteret. Si id consilium damna-*

militum consilium Perse proditorium rentur; Darius tantum vt inutile refutat, magnifica magis oratione, quam vera.

damnaret; at ille diuideret saltem copias innumerabiles, neu sub vnum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur.
3 Minus hoc consilium regi, quam purpuratis eius displicebat:
ancipitem fidem, & mercede venalem proditionem immine-
5, 12, 2. *re; & diuidi non ob aliud copias velle, quam vt ipsi in diuersa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro.*
4 *Nihil tutius esse, quam circumdatos eos exercitu toto ob-*
5 *rui telis, documentum non inultæ perfidiæ futuros.* At Da-
3, 2, 17. rius, vt erat sanctus & mitis, *se vero tantum facinus* negat *esse facturum, vt suam sequutos fidem, suos milites iubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam creditурum sibi, si tot militum sanguine imbuisset*
6 *manus? Neminem stolidum consilium capite luere debere.*
3, 2, 18. 7, 4, 9. *defuturos enim, qui suaderent, si suasisse periculum esset. Denique ipsos quotidie ad se vocari in consilium, variasque sententias dicere; nec tamen melioris fidei haberi qui prudenti-*
7 *us suaserint.* Itaque *Græcis nunciari* iubet; *ipsum quidem beneuolentiæ illorum gratias agere; ceterum si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum. fama bella sta-*
4, 4, 2. 5, 13, 14. 8, 8, 15. *re, & eum qui recedat, fugere credi. Trahendi vero belli*
8 *vix vllam esse rationem. tantæ enim multitudini, vtique quum iam hyems instaret, in regione vasta, & inuicem à suis*
9 *atque hoste vexata, non suffectura alimenta. Ne diuidi quidem copias posse seruato more maiorum, qui vniuersas*
3, 2, 2. 10 *vires semper discrimini bellorum obtulerint. Et hercule terribilem antea regem, & absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam aduentare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus ritu ignobi-*
3, 7, 10. 5, 4, 19. *lium ferarum, quæ strepitu prætereuntium audito, syluarum*
11 *latebris se occuluerunt. Iam etiam valitudinis simulatio-*
3, 7, 2. *ne frustrari suos milites. sed non amplius ipsum esse passurum detrectare certamen. in illo specu, in quem pauidi recessissent, oppressurum esse cunctantes.* Hæc magnificentius iactata

Pecunia Damascum missa. Ciliciam intrat. Macedones exceptos circumduci iubet, vt copias suas noscerent. Alexander aduentu Darij varie

ctata quam verius. Ceterum pecunia omni rebusque pre- 12
3,12,27. ciosissimis Damascum Syriæ cum modico præsidio militum
missis, reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more
4,14,11. patrio agmen coniuge & matre. virgines quoque cum par-
uo filio comitabantur patrem. Forte eadem nocte & Ale- 13
3,4,2. xander ad fauces, quibus Syria aditur, & Darius ad eum lo-
cum, quem *Amanicas Pylas* vocant, peruenit. Nec dubita- 14
3,7,7. uere Persæ, quin Isso relicta, quam ceperant, Macedones fu-
3,8,24. gerent. Nam etiam saucii quidam & inualidi, qui agmen
non poterant persequi, excepti erant. Quos omnes instin- 15
5,5,6. ctu purpuratorum, barbara feritate sæuientium, *præcisis adu-*
3,1,7. *stisque manibus circumduci, vt copias suas noscerent; satisque omnibus spectatis, nunciare quæ vidissent regi suo*, iussit.
Motis ergo castris, superat Pinarum amnem, in tergis, vt cre- 16
debat, fugientium hæsurus. At illi, quorum amputauerat
manus, ad castra Macedonum penetrant, *Darium quam maximo cursu posset, sequi* nunciantes. Vix fides habebatur. 17
itaque speculatores in maritimas regiones præmissos *explo-*
4,10,10. *rare* iubet, *ipsene adesset, an præfectorum aliquis speciem præbuisset vniuersi venientis exercitus.* Sed quum speculato- 18
res reuerterentur, procul ingens multitudo conspecta est.
ignes deinde totis campis conlucere ceperunt, omniaque vel-
ut continenti incendio ardere visa: quum incondita multi-
tudo maxime propter iumenta laxius tenderet. Itaque *eo* 19
ipso loco metari suos castra iusserat; lætus, quod omni expe-
3,7,10. 3,8, tiuerat voto, in illis potissimum angustiis decernendum esse.
10.
4,13,1. 7,2, Ceterum, vt solet fieri, quum vltimi discriminis tempus ad- 20
12. uentat; in solicitudinem versa fiducia est. Illam ipsam for-
4,5,2. 5,8, tunam, qua adspirante res tam prospere gesserat, verebatur;
15. 7,8,25. nec iniuria, ex his quæ tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputabat. *vnam superesse noctem quæ tanti discriminis moraretur euentum.* rursus occurrebat, *maiora periculis præ-* 21
mia: & sicut dubium esset, an vinceret; ita illud vtique certum

adfectui, obuiam it nec opinanti: hic tamen nonnulla bene disponit. sed destinata salubriter fortuna discussit. Acies

22 *tum esse, honeste, & cum magna laude moriturum.* Itaque 5, 8, 6. 11.
corpora milites curare iussit, *ac deinde tertia vigilia instruc-* & 15.
tos & armatos esse. ipse in iugum editi montis adscendit,
multisque conlucentibus facibus patrio more sacrificium diis
23 præsidibus loci fecit. Iamque tertium, sicut præceptum erat, 4, 6, 18. 4,
signum tuba miles acceperat. itineri simul paratus & prælio: 13, 16.
strenueque iussi *procedere*, oriente luce peruenerunt ad an- 3, 4, 13. 3, 8,
24 gustias, quas occupare decreuerant. *Darium triginta inde* 25. 5, 1, 19.
stadia abesse præmissi indicabant. tunc *consistere agmen* iu- 5, 11, 1. 5, 13,
bet; armisque ipse sumptis, aciem ordinabat. Dario ad- 10. 6, 4, 14.
uentum hostium pauidi agrestes nunciauerunt, vix cre- 4, 13, 25.
25 denti occurrere etiam, quos vt fugientes sequebatur. Er- 3, 8, 14.
go non mediocris omnium animos formido incesse-
rat: quippe itineri quam prœlio aptiores erant, raptim- 3, 8, 22.
que arma capiebant. sed ipsa festinatio discurrentium, suos-
26 que ad arma vocantium, maiorem metum incussit. Alii in
iugum montis euaserant; vt hostium agmen inde prospice-
rent: equos plerique frenabant. discors exercitus, nec ad v- 5, 9, 14.
num intentus imperium, vario tumultu cuncta turbauerat.
27 Darius initio montis iugum cum parte copiarum occupare 3, 9, 18.
statuit; & à fronte, & à tergo circumiturus hostem: à mari
quoque quo dextrum eius cornu tegebatur, alios obiectu-
28 rus, vt vndique vrgeret. Præter hæc viginti millia præmissa
cum sagittariorum manu, *Pinarum amnem*, qui duo agmina
interfluebat, *transire, & obiicere sese Macedonum copiis iusserat; si id præstare non possent, retrocedere in montes, & oc-*
29 *culte circumire vltimos hostium.* Ceterum destinata salu-
briter OMNI ratione potentior fortuna discussit: quippe 3, 9, 12.
alii præ metu imperium exsequi non audebant, alii frustra
30 exsequebantur: quia VBI partes labant, summa turbatur.

Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equitatu CAP. IX.
dextrum cornu tuebatur; additis funditorum, sagittariorum-
2 que viginti fere millibus. In eodem Thymodes erat Græ-

cis peditibus mercede conductis triginta millibus præpositus. hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicæ phalangi acies. In læuo cornu Aristomedes Thessalus vi- 3
ginti millia barbarorum peditum habebat. In subsidiis pugnacissimas locauerat gentes. Ipsum regem in eodem cor- 4
nu dimicaturum tria millia delectorum equitum adsueta corporis custodiæ; & pedestris acies quadraginta millia sequebantur. Hyrcani deinde, Medique equites: his proximi ce- 5
terarum gentium, dextra læuaque dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex millia iaculatorum funditorumque antecedebant. Quidquid in illis angustiis adiri pot- 6
erat, impleuerant copiæ; cornuaque hinc à iugo, illinc à mari stabant: vxorem matremque regis, & alium feminarum gregem in medium agmen acceperant. Alexander phalan- 7
gem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit. dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Cœnos, & Perdiccas, & Meleager, & Ptolemæus, & Amyntas, sui quisque agminis duces. in læ- 8
uo, quod ad mare pertinebat, Craterus & Parmenio erant; sed Craterus Parmenioni parere iussus. Equites ab vtroque cornu locati: dextrum Macedones Thessalis adiunctis; læuum Peloponnenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat 9
funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque & Cretenses ante agmen ibant, & ipsi leuiter armati. At iis 10
qui præmissi à Dario iugum montis insederant, Agrianos oppositi ex Græcia nuper aduectos. Parmenioni autem præceperat, *vt quantum posset, agmen ad mare extenderet; quo longius abesset montibus quos occupauerant barbari.* At 11
illi neque obstare venientibus, nec circumire prætergressos ausi; funditorum maxime adspectu profugerant territi: eaque res tutum Alexandro agminis latus, quod ne superne incesseretur timuerat, præstitit. Triginta & duo armatorum 12
ordines ibant; neque enim latius extendi aciem patiebantur angu-

angustiæ. paulatim deinde se laxare sinus montium, & maius spatium aperire ceperant; ita vt non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam à lateribus circumfundi posset equitatus.

Iam in conspectu, sed extra teli iactum vtraque acies CAP. X.
erat; quum priores Persæ inconditum & trucem sustulere 4, 12, 23.
2 clamorem. Redditur & à Macedonibus maior, exercitus impar numero, sed iugis montium vastisque saltibus repercussus: quippe semper circumiecta nemora petræque quantamcumque accepere vocem, multiplicato sono referunt.
3 Alexander ante prima signa ibat, idemtidem manu suos inhibens; ne suspensi, acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, capesserent bellum. Cumque agmen obequitaret, varia oratione, vt cuiusque animis aptum erat, milites adloquebatur. Macedones *tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam atque vltima Orientis, non ipsius magis, quam suo ductu profecti, inueteratæ virtutis* admone-
5 bantur. *Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim* 3, 12, 18.
Herculis & Liberi patris terminos, non Persis modo, 9, 2, 29.
sed etiam omnibus gentibus imposituros iugum: Macedonum Bactra & Indos fore. minima esse, quæ nunc intuerentur; sed omnia victoria parari. Non præruptis petris Illyriorum & Thraciæ saxis sterilem laborem fore; spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus; totam aciem
7 *suo pauore fluctuantem vmbonibus posse propelli.* *Victor ad* 8, 1, 32.
hæc Athenienſium Philippus pater inuocabatur: *domitæque nuper Bœotiæ; & vrbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ,* species repræsentabatur animis. *iam Granicum amnem; iam tot vrbes, aut expugnatas, aut in fidem acceptas; omniaque quæ post tergum erant, strata, & pedibus ipsorum subiecta*
8 memorabat. Quum adierat Græcos; admonebat *ab iis gentibus illata Græciæ bella Darij prius, deinde Xerxis insolentia,* 4, 1, 10.
aquam ipsam terramque postulantium: vt neque fon-

tium

varie temperata. Pugna à Persarum equitibus committitur, admodum cruenta, & aliquamdiu anceps.

tium hauſtum, nec ſolitos cibos relinquerent. Dein *deum* 9
7, 5, 28. *templa ruinis & ignibus eſſe deleta: vrbes eorum expugnatas: fœdera humani diuinique iuris violata* referebat. Illyrios vero & Thracas rapto viuere adſuetos *aciem hoſtium*
3, 2, 12. *auro purpuraque fulgentem intueri* iubebat; *prædam, non arma geſtantem. Irent, & imbellibus feminis aurum viri* 10
8, 1, 37. *eriperent. aſpera montium ſuorum iuga, nudoſque calles; & perpetuo rigentes gelu, ditibus Perſarum campis agriſque mutarent.*

CAP. XI. Iam ad teli iactum peruenerant; quum Perſarum equites ferociter in læuum cornu hoſtium inuecti ſunt. Quippe Darius equeſtri prœlio decernere optabat, phalangem
3, 2, 13. 3, 9. Macedonici exercitus robur eſſe coniectans. iamque etiam
7. dextrum Alexandri cornu circumibatur. Quod vbi Macedo 2
conſpexit; duabus alis equitum *ad iugum montis* iuſſis *ſubſiſtere*, ceteros in medium belli diſcrimen ſtrenue transfert.
3, 2, 16. Subductis deinde ex acie Theſſalis equitibus, præfectũ eorum 3
occulte circumire tergum ſuorum iubet, *Parmenioniq; coniungi, & quod is imperaſſet, impigre exſequi.* Iamque ipſi in 4
medium Perſarum vndiq; circumfuſi egregie ſe tuebantur; ſed conſerti, & quaſi cohærentes, tela vibrare non poterant: ſimul erant emiſſa, in eoſdem concurrentia implicabantur, leuique & vano ictu pauca in hoſtem, plura in humum innoxia cadebant. ergo cominus pugnam coacti conſerere, gladios impigre ſtringunt. Tum vero multum ſanguinis 5
fuſum eſt. duæ quippe acies ita cohærebant, vt armis arma pulſarent; mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignauo ceſſare tum licuit: conlato pede, quaſi ſinguli inter ſe dimicarent, in eodem veſtigio ſtabant, donec vincendo locum ſibi facerent. Tum demum ergo promouebant gra- 6
dum, quum hoſtem proſtrauerant. At illos nouus excipiebat aduerſarius fatigatos: nec vulnerati, vt alias ſolent, acie poterant excedere, quum hoſtis inſtaret à fronte, à tergo ſui vrge-

7 vrgerent. Alexander non ducis magis, quam militis mune- 3, 5, 8.
ra exſequebatur; opimum decus cæſo rege expetens. quippe Darius curru ſublimis eminebat; & ſuis ad ſe tuendum, 3, 3, 16.
8 & hoſtibus ad inceſſendum, ingens incitamentum. Ergo 3, 13, 15. 6,
frater eius Oxathres, quum Alexandrum inſtare ei cerneret, 2, 9.
equites quibus præerat, ante ipſum currum regis obiecit: armis & robore corporis multum ſuper ceteros eminens; animo vero & pietate in pauciſſimis. illo vtique prœlio clarus, alios improuide inſtantes proſtrauit, alios in fugam
9 auertit. At Macedones vt circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipſo in equitum agmen inrumpunt. Tum vero ſimilis ruinæ ſtrages erat. Circa currum Darii iacebant nobiliſſimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, ſicut dimicantes procubu-
10 erant, aduerſo corpore vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes, & Rheomitres, & Sabaces prætor Ægypti, magno- 4, 1, 28.
rum exercituum præfecti, noſcitabantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obſcurior turba. Macedo- 3, 11, 27.
num quoque non quidem multi, ſed promptiſſimi tamen cæſi ſunt: inter quos Alexandri dextrum femur leuiter 5, 12, 6.
11 mucrone perſtrictum eſt. Iamque qui Darium vehebant equi, confoſſi haſtis & dolore efferati, iugum quatere, & regem curru excutere ceperant; quum ille, veritus ne viuus 5, 8, 8.
veniret in hoſtium poteſtatem, deſilit, & in equum qui ad hoc ſequebatur, imponitur: inſignibus quoque imperii, ne 3, 12, 5.
12 fugam proderent, indecore abiectis. Tum vero ceteri diſſipantur metu; & qua cuique patebat ad fugam via, erum- 5, 6, 2. 5,
punt, arma iacientes, quæ paulo ante ad tutelam corporum 13, 18.
13 ſumpſerant: adeo pauor etiam auxilia formidabat. Inſtabat fugientibus eques à Parmenione miſſus, & forte in id cornu omnes fuga abſtulerat. At in dextro Perſæ Theſſa-
14 los equites vehementer vrgebant. iamque vna ala ipſo impetu proculcata erat: quum Theſſali ſtrenue circumactis

in fugam alios insequitur. Graci tamen seruatis ordinibus discedunt. Castra Darij capta, cum

quis dilapsi, rursus in prœlium redeunt; sparsosque & in-
compositos victoriæ fiducia barbaros ingenti cæde prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum graues, agmen quod celeritate maxime constat, ægre moliebantur. quippe in circumagendis equis suis Thessali multos occupauerant. Hac tam prospera pugna nunciata, Alexander non ante ausus persequi barbaros, vtrimq; iam victor instare fugientibus cepit. Haud amplius regem quam mille equites sequebantur; quum ingens multitudo hostium caderet. sed quis aut in victoria, aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo à tam paucis pecorũ modo; & idem metus qui cogebat // fugere, fugientes morabatur. At Græci qui in Darii partibus steterant, Amynta duce (prætor hic Alexandri fuit, nunc transfuga.) abrupti à ceteris, haud sane fugientibus similes euaserant. Barbari longe diuersam fugam intenderunt: alii, qua rectum iter in Persidem ducebat; quidam circumitu rupes, saltusque montium occultos petiuere; pauci castra Darii. Sed iam illa quoque hostis victor intrauerat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri argentique pondus, non belli, sed luxuriæ apparatum, diripuerant milites. quumque plus raperent, passim strata erant itinera vilioribus farcinis, quas in comparatione meliorum auaritia contempserat. Iamque ad feminas peruentum erat; quibus quo cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur: nec corporibus quidem vis ac libido parcebat. Omnia planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, castra repleuerant, nec vlla facies mali deerat, quum per omnes ordines ætatesque, victoris crudelitas ac licentia vagaretur. Tunc vero imporentis fortunæ species conspici potuit: quum ii, qui tum Dario tabernaculum exornauerant, omni luxu & opulentia instructum; eadem illa Alexandro, quasi veteri domino seruabant. namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, vt victorem victi regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos animosque in semet conuerterant captiuæ, mater, coniunxque Darii: illa non maiestate solum, sed etiam ætate venerabilis; hæc formæ pulchritudine, nec illa quidem forte corrupta. Acceperat in sinum filium nondum sextum ætatis annum egressum, in spem tantæ fortunæ, quantam paulo ante pater eius amiserat, genitum. At in gremio anus auiæ iacebant adultæ virgines duæ, non suo tantum, *sed etiam illius mœrore confectæ. ingens circa eam nobilium feminarum turba constiterat, laceratis * crinibus, abscissaque veste, * pristini decoris immemores, *reginas, dominasque*, * veris quondam, tunc alienis nominibus ** inuocantes. Illæ suæ *calamitatis oblitæ, *vtro cornu Darius stetisset; quæ fortuna discriminis fuisset?* requirebant. negabant *se captas, si viueret rex.* sed illum equos subinde mutantẽ longius fuga abstulerat. In acie autẽ cæsa sunt Persarum peditum centum millia, decẽ vero millia interfecta equitum. At ex parte Alexandri quatuor & quingenti saucii fuere; triginta omnino & duo ex peditibus desiderati sunt: equitum centum quinquaginta interfecti. tantulo impendio ingens victoria stetit.

4, 1, 32. 6, 3, 11. 4, 9, 3. 4, 16, 19. 5, 13, 13. & 22. 5, 4, 19. 5, 13, 19. 4, 1, 27. & 33. 4, 7, 1. 4, 1, 2. 3, 12, 1. 5, 6, 3. 3, 15, 10. 5, 6, 4.

Rex diu Darium persequendo fatigatus, posteaquam & nox appetebat, & eum adsequendi spes non erat; in castra paulo ante à suis capta peruenit. *Inuitari deinde amicos*, quibus maxime adsueuerat, iussit: quippe summa duntaxat cutis in femore perstricta non prohibebat interesse conuiuio: quum repente è proximo tabernaculo lugubris clamor, barbaro vlulatu planctuque permistus, epulantes conterruit. Cohors quoque quæ excubabat ad tabernaculum regis, verita ne maioris motus principium esset, armare se ceperat. Caussa pauoris subiti fuit, quod mater vxorque Darii cum captiuis mulieribus nobilibus, regem, quem interfectum esse credebant, ingenti gemitu eiulatuque deflebant. Vnus namque è captiuis spadonibus, qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum, quod Darius, sicut paulo ante dictum est, ne

CAP. XIII.

3, 11, 20. 3, 11, 10. 8, 6, 3. 4, 14, 22. 3, 12, 21. 4, 10, 24. 10, 5, 20. 10, *3, 5. 8. 10, 5, 21. * 4, 10, 25. 5, 12, 12. 10, 5, 19. *3, 12. 8. ** 4, 16. 15. 5, 10, 2. *3, 5, 8. 3, 12, 17. 4, 10, 18. & 25. 3, 11, 11.

est, ne cultu proderetur, abiecerat; in manibus eius qui repertum ferebat, adgnouit: ratusque interfecto detractum esse, falsum nuncium mortis eius attulerat. Hoc mulierum er- 6
4, 10, 20. 5, 13, 31. rore comperto, Alexander fortunæ Darii, & pietati earum in-
5, 1, 43. lachrimasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardeis prodiderat, peritum Persicæ linguæ, *ire ad consolandas eas* iusserat. veritus deinde ne proditor captiuarum iram dolorem- 7
que grauaret; Leonnatum ex purpuratis suis misit, iussum indicare *falso lamentari eas Darium vivum.* Ille cum paucis armigeris in tabernaculum in quo captiuæ erant, peruenit, *missumque à rege se* nunciari iubet. At ii qui in vestibu- 8
3, 11, 25. lo erant, vt armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes *adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas.* Itaque vt quæ nec 9
prohibere possent, nec admittere auderent; nullo responso dato, tacitæ opperiebantur victoris arbitrium. Leonnatus ex- 10
spectato diu qui se intromitteret, posteaquam nemo producere audebat; relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbauerat feminas, quod inrupisse non admissus videbatur. Itaque mater & coniunx prouolu- 11
tæ ad pedes, orare ceperunt; *vt prius quam interficerentur,*
3, 12, 13. 4, 10, 23. *Darij corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio se impigre morituras.* Leonnatus, 12
& viuere Darium; & ipsas non incolumes modo, sed etiam
3, 12, 23. *adparatu pristinæ fortunæ reginas fore.* Tum mater Darii
5, 4, 3. adleuari se passa est. Alexander postera die cum cura sepultis 13
militibus, quorum corpora inuenerat; *Persarum quoque no-*
3, 12, 11. *bilissimis eumdem honorem haberi* iubet, *matrique Darij permitti, quos vellet, patrio more sepeliret.* Illa paucos arcta 14
propinquitate coniunctos, *pro habitu præsentis fortunæ humari* iussit; *adparatum funerum, quo Persæ suprema officia celebrarent, inuidiosum fore* existimans, *quum victores haud preciose cremarentur.* Iamque iustis defunctorum corpori- 15
bus so-

bus solutis præmittit ad captiuas, qui nunciarent *ipsum venire*: inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum 4, 10, 24.
16 Hephæstione intrat. Is longe omnium amicorum carissi- 10, 4, 11.
mus erat regi, cum ipso pariter educatus; secretorum omnium arbiter: libertatis quoq; in admonendo eo non alius ius 6, 8, 11.
habebat; quod tamen ita vsurpabat, vt magis à rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur: & sicut ætate par
17 erat regi; ita corporis habitu præstabat. Ergo reginæ illum 5, 2, 13. 6, 5, 29. 7, 8, 9. 7, 9, 19.
regem esse ratæ, suo more * veneratæ sunt. inde ex spadoni- * 5, 2, 22.
bus * captiuis, quis Alexander esset monstrantibus, Sysigambis aduoluta est pedibus eius, *ignorationem nunquam antea* 5, 10, 14. 5, 12, 16. 8, 5,
visi regis excusans. quam manu adleuans rex *non errasti*, in- 6. 11. 12. &
18 quit * *mater; nam & hic Alexander est.* Equidem si hac 21. * 3, 12, 5.
continentia animi ad vltimum vitæ perseuerare potuisset; fe- * 3, 12, 25. 5,
liciorem fuisse crederem, quam visus est esse, quum Liberi pa- 2, 22.
tris imitaretur triumphum, ab Hellesponto vsque ad Ocea- 3, 10, 5. 9, 10, 24.
19 num omnes gentes victoria emensus. Vicisset profecto su- 4, 2, 5. 8,
perbiam atque iram mala inuicta: abstinuisset inter epulas 5, 22.
* cædibus amicorum: egregiosque bello viros, * & tot gen- * 8, 1, 51. * 7, 2, 27.
tium secum domitores, indicta caussa veritus esset occidere.
20 Sed nondum fortuna se animo eius infuderat. itaque orien- 10, 1, 40.
tem eam moderate & prudenter tulit; ad vltimum ma- 4, 5, 3. 8,
21 gnitudinem eius non cepit. Tum quidem ita se gessit, vt 4, 24.
omnes ante eum reges & continentia, & clementia vincerentur. Virgines enim regias excellentis formæ tam sancte ha- 3, 11, 24. &
22 buit, quam si eodem quo ipse parente genitæ forent: Con- 25.
iugem eiusdem quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit; adeo ipse non violauit, vt summam adhibuerit cu-
23 ram, ne quis captiuo corpori inluderet: *Omnem cultum red-* 4, 10, 33.
di feminis iussit, nec quidquam ex pristinæ fortunæ magni- 5, 6, 8.
24 ficentia captiuis, præter fiduciam defuit. Itaque Sysigam- 3, 12, 12.
bis, *rex*, inquit, *mereris vt ea precemur tibi, quæ Dario nostro quondam precatæ sumus. & vt video dignus es, qui tantum*
regem

4,10,34. *regem non felicitate solum, sed etiam æquitate superaueris.*
3,12,17. *Tu quidem* matrem *me, &* reginam *vocas: sed ego me tuam* 25
famulam esse confiteor. & præteritæ fortunæ fastigium ca-
pio; & præsentis iugum pati possum: tua interest, quantum
in nos licuerit, si id potius clementia, quam sæuitia vis esse
testatum. Rex *bonum animum habere* eas iussit. Darii dein- 26
de filium collo suo admouit. atque nihil ille conspectu tunc
primum à se visi conterritus, ceruicem eius manibus ample-
ctitur: motus ergo rex constantia pueri, Hephæstionem in-
tuens, *quam vellem*, inquit, *Darius aliquid ex hac indole hau-*
sisset. Tum tabernaculo egressus, tribus aris in ripa Pinari 27
9,3,19. amnis, Ioui atque Herculi Mineruæque sacratis, Syriam pe-
3,7,3. tit; Damascum, vbi regis gaza erat, Parmenione præmisso.
3,8,12.

CAP. XIII. ATque is, quum præcessisse Darii satrapam comperis-
set; veritus ne paucitas suorum sperneretur, accersere maio- 2
rem manum statuit. Sed forte in exploratores ab eo præ-
missos incidit natione Mardus, qui ad Parmenionem perduc-
tus, literas ad Alexandrum à præfecto Damasci missas tra-
dit ei; *nec dubitare eum, quin omnem regiam supellectilem*
cum pecunia traderet, adiecit. Parmenio *adseruari eo* ius- 3
4,13,37. 5, so; literas aperit: in quis erat scriptum; *vt mature Alexan-*
4,19. 9,9, *der aliquem ex ducibus suis mitteret, cum manu exigua.* Ita-
1. que re cognita Mardum datis comitibus ad proditorem re-
mittit. Ille è manibus custodientium lapsus, Damascum an- 4
te lucem intrat. Turbauerat ea res Parmenionis animum in-
sidias timentis; & ignotũ iter sine duce non audebat ingredi:
3,6,18. felicitati tamen regis sui confisus, *agrestes, qui duces itineris*
essent, excipi iussit. quibus celeriter repertis, quarto die ad
vrbem peruenit: iam metuente præfecto, ne sibi fides habita
non esset. Igitur quasi parum munimentis oppidi fidens; 5
ante solis ortum *pecuniam regiam*, quam *gazam* Persæ vo-
cant, *cum pretiosissimis rerum efferri* iubet: fugam simulans;
3,13,16. re vera, vt prædam hosti offerret. Multa millia virorum fe- 6

mina-

minarumque excedentem oppido sequebantur; omnibus
miserabilis turba, præter eum, cuius fidei commissa fuerat.
quippe quo maior proditoris merces foret, obiicere hosti
parabat gratiorem omni pecunia prædam, nobiles viros, præ-
torum Darii coniuges, liberosque; præter hos vrbium Græ-
carum legatos: quos Darius velut in arce tutissima, in prodi-
7 toris reliquerat manibus. *Gangabas* Persæ vocant humeris
onera portantes: hi quum frigus tolerare nõ possent (quippe
& procella subito niuẽ effuderat; & humus rigebat gelu) tum
adstrictas vestes, quas cum pecunia portabant auro & pur-
pura insignes, induunt: nullo prohibere ausо; quum fortu- 3,13,17. 6,
8 na regis etiam humilimis in ipsum licentiam faceret. Præ- 2,8.
buere ergo Parmenioni non spernendi agminis speciem: qui
intentiore cura suos, quasi ad iustum prœlium, paucis adhor-
tatus; *equis calcaria subdere* iubet, *& acri impetu in hostem*
9 *inuehi.* At illi qui sub oneribus erant, omissis per metum,
capessunt fugam: armati quoque qui eos persequebantur,
eodem metu arma iactare, ac nota diuerticula petere cepe-
10 runt. Præfectus quasi & ipse conterritus simulans, cuncta pa-
uore compleuerat. Iacebant totis campis opes regiæ: illa pe- 3,11,20.
cunia stipendio ingenti militũ præparata: ille cultus tot no-
bilium virorum; tot inlustrium feminarum: aurea vasa: au-
11 rei fræni: tabernacula regali magnificentia ornata: vehicula
quoq; à suis destituta, ingentis opulentiæ plena. facies etiam
prædantibus tristis, SI QVA res auaritiam moraretur. Quip-
pe tot annorum incredibili & fidem excedente fortuna cu-
mulata, tunc alia stirpibus lacerata; alia in cœnum demer-
sa eruebantur: non sufficiebant prædantium manus prædæ.
12 Iamq; etiam ad eos qui primi fugerant ventũ erat: feminæ
pleræq; paruos trahentes liberos ibant. inter quas tres fuere
virgines, Ochi qui ante Darium regnauerat, filiæ, olim qui- 6,2,7.
dem ex fastigio paterno rerum mutatione detractæ; sed tum
13 sortem earum crudelius adgrauante fortuna. In eodem gre-

& vxor: Item Oxathrii, Artabazi, Pharn. Mentoris, Memnonis: cum legatis Græcis. Proditor tamen interficitur.

ge vxor quoque eiusdem Ochi fuit, Oxathrisque (frater hic
6, 5, 4. erat Darii) filia, & coniux Artabazi * principis purpuratorum,
*5, 9, 1. & filius, cui *Ilioneo* fuit nomen. Pharnabazi quoque, 14
3, 3, 2. cui summum imperium maritimæ oræ rex dederat, vxor cum
3, 1, 21. filio excepta est: Mentoris filiæ tres: ac nobilissimi ducis Memnonis coniux & filius. vixque vlla domus purpurati fuit
6, 5, 7. tantæ cladis expers. Lacedæmonii quoque & Athenienses 15
4, 8, 12. societatis fide violata Persas sequuti; Aristogiton, Dropides & Iphicrates, inter Athenienses genere famaque longe clarissimi. Lacedæmonii, Pausippus & Onomastorides, cum Monimo & Callicratide, ii quoque domi nobiles. Summa 16
pecuniæ signatæ fuit talentorum duo millia & sexaginta;
3, 13, 6. facti argenti pondus quingenta æquabat. Præterea triginta millia hominum, cum septem millibus iumentorum dorso onera portantium capta sunt. Ceterum dii tantæ fortunæ 17
proditorem sepulturæ celeriter debita pœna persequuti sunt.
3, 13, 7. namque vnus è consciis eius, credo, regis vicem, etiam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito: quippe & vltus inimicum erat; & nondum in omnium animis memoriam maiestatis suæ exoleuisse cernebat.

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI

DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER QVARTVS.

3, 11, 7. DArius tanti modo exercitus rex, qui triumphantis magis, quam dimicantis more, curru sublimis inierat præ-

Alexander post fugam Darij, Cœlesyriam subigens, superbas ab illo litteras accipit, quibus magnifice

prœlium; per loca, quæ prope immensis agminibus compleuerat, iam inania & ingenti solitudine vasta fugiebat.
2 Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam 3, 11, 19.
intenderant; & deficientibus equis, cursum eorum, quos rex
3 subinde mutabat, æquare non poterant. Vnchas deinde peruenit, vbi excepere eum Græcorum quatuor millia: cum qui- 5, 8, 3.
bus ad Euphratem contendit; id demum credens fore ipsius,
4 quod celeritate præripere potuisset. At Alexander Parmenionem, per quem apud Damascum recepta erat præda, iussum *eam ipsam, & captiuos, diligenti adseruare custodia,* Sy- 3, 13.
5 riæ, quam *Cælen* vocant, præfecit. Nouum imperium Syri 4, 5, 9.
nondum belli cladibus satis domiti aspernabantur: sed cele- 5, 7, 2. 6, 3, 6. 10, 5, 12.
riter subacti obedienter imperata fecerunt. Aradus quoque
6 insula deditur regi. Maritimam tum oram, & pleraque longius etiam à mari recedentia, rex eius insulæ Strato possidebat: quo in fidem accepto, castra mouit ad vrbem Mara-
7 thon. Ibi illi literæ à Dario redduntur: quibus vt superbe 4, 5, 1. 4, 11. 1. 3, 5, 12.
scriptis vehementer offensus est. præcipue eum mouit, quod
Darius sibi *regis* titulum, nec eumdem Alexandri nomini ad- 4, 1, 14. 4, 5, 1.
8 scripserat. Postulabat autem magis quam petebat; *vt accepta pecunia, quantamcumque tota Macedonia caperet, matrem sibi ac coniugem liberosque restitueret: de regno, æquo,*
9 *si vellet, Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati potuisset; contentus patrio, cederet alieni imperii finibus: socius amicusque esset. in ea se fidem & dare paratum &*
10 *accipere.* Contra Alexander in hunc maxime modum rescripsit: *Rex Alexander Dario. Celes, cuius nomen sumpsisti Darius, Græcos qui oram Hellesponti tenent, coloniasque* 3, 10, 1.
Græcorum Ionias, omni clade vastauit: cum magno deinde exercitu mare traiecit, inlato Macedoniæ & Græciæ bello.
11 *Rursus rex Xerxes gentis eiusdem, ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copiis venit: qui nauali prælio victus, Mardonium tamen reliquit in Græcia; vt absens quoq;*

popularetur vrbes, agros vreret. Philippum vero parentem 12
meum quis ignorat ab iis interfectum esse, quos ingentis pe-
4, 3, 18. *cuniæ spe solicitauerant vestri? impia enim bella suscipitis,*
& quum habeatis arma, licitamini hostium capita. sicut tu
3, 5, 15. 3, *proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in*
6, 4. *me emere voluisti. Repello igitur bellum, non infero: & diis* 13
quoque pro meliore stantibus caussa; magnam partem Asiæ
in ditionem redegi meam: te ipsum acie vici. Quem etsi
nihil à me impetrare oportebat; vtpote qui ne belli quidem
4, 5, 6. *in me iura seruaueris: tamen si veneris supplex; & matrem,*
& coniugem, & liberos sine precio recepturum te esse promit-
to. & vincere & consulere victis scio. Quod si te nobis 14
6, 4, 14. 6, *committere times; dabimus fidem impune venturum. De*
5, 2, & 4. *cetero quum mihi scribes, memento non solum regi* te; sed*
4, 1, 7. etiam tuo scribere. Ad hanc perferendam Thersippus mis- 15
sus. Ipse in Phœnicem deinde descendit: & oppidum Bi-
blon traditum recepit. Inde ad Sidona ventum est, vrbem
4, 4, 15. vetustate famaque conditorum inclutam. Regnabat in ea 16
Strato Darii opibus adiutus; sed quia deditionem magis po-
4, 4, 15. pularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus; He-
phæstionique permissum, *vt quem eo fastigio Sidones digniſsimum arbitrarentur, constitueret regem.* Erant Hephæ- 17
stioni hospites clari inter suos iuuenes, qui facta ipsis po-
testate regnandi, negauerunt *quemquam patrio more in id*
8, 7, 15. *fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum.* Admiratus Hephæ- 18
stio magnitudinem animi spernentis quod alii per ignes
ferrumque peterent; *Vos quidem macti virtute,* inquit, *este,*
qui primi intellexistis, quanto maius esset regnum fastidi-
re quam accipere. Ceterum date aliquem regiæ stirpis, qui
meminerit à vobis acceptum habere se regnum. At illi, quum 19
multos imminere tantæ spei cernerent, singulis amicorum
Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes; statuunt
neminem esse potiorem quam Abdolominum quemdam, longa
qui-

quidem cognatione stirpi regiæ adnexum, sed ob inopiam sub-
20 *urbanum hortū exigua colentem stipe.* Caussa ei paupertatis,
sicut plerisque, probitas erat: intentusq; operi diurno, strepi-
tum armorū, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat.
21 Subito deinde, de quibus ante dictū est, cum regiæ vestis in-
signibus hortum intrant, quē forte steriles herbas eligens Ab-
22 dolominus repurgabat. Tunc *rege* eo salutato, alter ex his; *ha-*
bitus, inquit, *hic quem cernis in meis manibus, cum isto squa-*
lore permutandus tibi est. Ablue corpus inluuie, eterniſque
sordibus squalidum: cape regis animum, & in eam fortu- 5, 9, 17.
nam, qua dignus es, istam continentiam profer. Et quum in 4, 1, 25.
regali solio residebis, vitæ neciſque omnium ciuium domi-
nus, caue obliuiscaris huius status, in quo accipis regnum;
23 *immo hercule, propter quem.* Somnio similis res Abdolo-
mino videbatur: interdum, *satisne sani essent, qui tam pro-*
terue sibi inluderent, percontabatur. Sed vt contanti squa-
lor ablutus est; & iniecta vestis purpura auroque distincta, &
fides à iurantibus facta; serio iam rex, iisdem comitantibus
24 in regiam peruenit. Fama vt solet, strenue tota vrbe discur-
rit: aliorum studium; aliorum indignatio eminebat: ditis-
simus quisque *humilitatem inopiamque eius* apud amicos
25 Alexandri criminabatur. *Admitti eum* rex *protinus* iussit;
diuque contemplatus, *corporis*, inquit, *habitu famæ generis*
non repugnat: sed libet scire, inopiam quæ patientia tuleris?
Tum ille, *vtinam*, inquit, *eodem animo regnum pati possim.*
hæ manus sufficere desiderio meo: nihil habenti nihil de- 4, 1, 22.
26 *fuit.* Magnæ indolis specimen ex hoc sermone Abdolo-
mini cepit. Itaque non *Stratonis* modo *regiam supellecti-*
lem adtribui ei iussit; *sed pleraque etiam ex Persica præda:*
27 regionem quoque vrbi adpositam ditioni eius adiecit. In-
terea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro transfugisse 3, 11, 18.
diximus; cum quatuor millibus Græcorum, ipsum ex acie
persequutis, fuga Tripolim peruenit. inde in naues militi-

Ægyptum petit, eam sibi vindicaturus: sed post lata principia, apud Memphin interficitur. Inter hæc alibi quoque

bus impositis Cyprum transmisit: & quum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur,
3, 11, 18. velut certo iure possessum; Ægyptum petere decreuit: vtri-
4, 5, 11. 5, 3. que regi hostis, & semper ex ancipiti mutatione temporum
4. 6, 1, 17. pendens. hortatusque milites ad spem tantæ rei, docet *Sa-* 28
3, 11, 10. *bacem prætorem Aegypti cecidisse in acie: Persarum præsidium & sine duce esse, & inualidum: Aegyptios semper prætoribus eorum infensos, pro sociis ipsos, non pro hostibus æstimaturos.* Omnia experiri necessitas cogebat: quippe 29
QVVM primas spes fortuna destituit; futura præsentibus vi-
6, 4, 1. 9. dentur esse potiora. igitur conclamant, *duceret quo vide-*
4, 23.
*4, 10, 8. *retur.* Atque ille VTENDVM * animis dum spe calerent
ratus; ad Pelusii ostium penetrat: simulans *à Dario se esse præmissum.* Potitus ergo Pelusii Memphim copias promo- 30
4, 7, 1. uit: ad cuius famam Ægyptii, vana gens, & nouandis quam
gerendis aptior rebus, ex suis quisq; vicis vrbibusque, ad hoc
ipsum concurrunt, ad delenda præsidia Persarum. qui ter-
ti, tamen spem obtinendi Ægyptum non amiserunt. Sed 31
eos Amyntas prœlio superatos, in vrbem compellit; ca-
strisque positis, victores ad populandos agros eduxit: ac vel-
ut in medio positis omnibus hostium cuncta agebantur.
Itaque Mazaces quamquam infelici prœlio suorum animos 32
3, 11, 14. territos ei cognouerat; tamen *palantes, & victoriæ fiducia*
incautos ostentans, perpulit *ne dubitarent ex vrbe erumpere, & res amissas recuperare.* Id consilium non ratione 33
prudentius, quam euentu felicius fuit: ad vnum omnes cum
3, 11, 18. ipso duce occisi sunt. Has pœnas Amyntas vtrique regi
dedit; nihilo magis ei ad quem transfugerat fidus, quam il-
li quem deseruerat. Darii prætores, qui prœlio apud Isson 34
superfuerant, cum omni manu, quæ fugientes sequuta erat,
adsumpta etiam Cappadocum & Paphlagonum iuuentute,
4, 5, 13. Lydiam recuperare tentabant. Antigonus prætor Alexan- 35
dri Lydiæ præerat: qui, quamquam plerosque militum ex

præsi-

terra mari, vincuntur Persæ. Pharnabazi expeditio, & Spartanorum molitiones. Tyrij, Alexandro dona & commeatus præbent: introitum in vrbem negant.

præsidiis ad regem dimiserat; tamen Barbaris spretis in aciem suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna partium fuit:
tribus prœliis alia atque alia regione commissis, Persæ fun-
36 duntur. Eodem tempore classis Macedonum ex Græcia ac-
cita, Aristomenem, qui ad Hellesponti oram recuperandam
à Dario erat missus, captis eius aut mersis nauibus superat.
37 A Milesiis deinde Pharnabazus præfectus Persicæ classis pe- 3, 3, 2.
cunia exacta, & præsidio in vrbem Chium introducto, cen-
tum nauibus Andrum, & inde Syphnum petiit. eas quo-
38 que insulas præsidiis occupat; pecunia multat. Magnitudo 4, 8, 15.
belli quod ab opulentissimis Europæ Asiæque regibus, in
spem totius orbis occupandi gerebatur; Græciæ quoque &
39 Cretæ arma commouerat. Agis Lacedæmoniorum rex,
octo millibus Græcorum, qui ex Cilicia profugi domos re-
petierant, contractis; bellum Antipatro Macedoniæ præfe- 6, 1, 1.
40 cto moliebatur. Cretenses has aut illas partes sequuti nunc
Spartanorum; nunc Macedonum præsidiis occupabantur.
Sed leuiora inter illos fuere discrimina; vnum certamen, ex
quo cetera pendebant, intuente fortuna.

Iam tota Syria, iam Phœnice quoque excepta Tyro, CAP. II.
Macedonum erant; habebatque rex castra in continenti, à
2 quo vrbem angustum fretum dirimit. Tyrus & claritate, 4, 4, 19.
& magnitudine ante omnes vrbes Syriæ Phœnicesque me-
morabilis, facilius societatem Alexandri acceptura videba-
tur, quam imperium. Coronam igitur auream legati do- 4, 5, 11.
num adferebant; commeatusque large & hospitaliter ex op-
3 pido adduxerant. Ille *dona, vt ab amicis, accipi* iussit; be-
nigneque legatos adloquutus, *Herculi, quem præcipue Tyrij* 4, 3, 22.
colerent, sacrificare velle se dixit. *Macedonum reges credere, ab illo deo ipsos genus ducere: se vero vt id faceret*
4 *etiam oraculo monitum.* Legati respondent *esse templum*
Herculis extra vrbem, in eam sedem quam Palætyron ipsi 4, 2, 18.
5 *vocant: ibi regem deo sacrum rite facturum.* Non tenuit

iram

Ergo rex obsidionem minatur, at illi contemnunt, confisi vr-bu robore, & Panorum promissis. Ergo strenue bellum parant:

3, 12, 19. iram Alexander, cuius alioquin potens non erat. Itaque
vos quidem, inquit, *fiducia loci, quod insulam incolitis, pe-*
destrem hunc exercitum spernitis: sed breui ostendam in
continenti vos esse. proinde sciatis licet, aut intraturum
me vrbem; aut oppugnaturum. Cum hoc responso dimis- 6
sos monere amici ceperunt, *vt regem, quem Syria, quem*
Phœnice recepisset; ipsi quoque vrbem intrare paterentur.
At illi loco satis fisi obsidionem ferre decreuerunt. Nam- 7
que vrbem à continenti quatuor stadiorum fretum diuidit,
4, 2, 16. 4, 3, 6. Africo maxime obiectum, crebros ex alto fluctus in litus
euoluens. Nec accipiendo operi, quo Macedones conti- 8
nenti insulam iungere parabant, quidquam magis, quam
ille ventus obstabat. quippe vix leni & tranquillo mari mo-
les agi possunt; Africus vero prima quæque congesta pulsu
inlisa mari subruit: nec vlla tam firma moles est, quam non
exedant vndæ per nexus operum manantes; & vbi acrior
flatus exstitit, summi operis fastigio superfusæ. Præter hanc 9
4, 2, 16, & 19. difficultatem haud minor alia erat; muros turresque vrbis
præaltum mare ambiebat: non tormenta, nisi è nauibus pro-
cul excussa, emitti; non scalæ mœnibus adplicari poterant:
præceps in salum murus pedestre interceperat iter: naues
nec habebat rex; & si admouisset, pendentes & instabiles
missilibus arceri poterant. Inter quæ parua dictu res Tyrio- 10
4, 3, 19. 4, 4, 18. rum fiduciam accendit. Carthaginensium legati ad cele-
brandum anniuersarium sacrum more patrio tunc vene-
4, 3, 23. 4, 4, 20. * 4, 3, 22. rant: quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, semper pa-
rentum * loco culti. Hortari ergo Pœni ceperunt, *vt obsi-* 11
dionem forti animo paterentur; breui Carthagine auxi-
4, 3, 19. *lia ventura.* namque ea tempestate magna ex parte Puni-
cis classibus maria obsidebantur. Igitur bello decreto per 12
muros turresque tormenta disponunt: arma iunioribus di-
uidunt: opificesque quorum copia vrbs abundabat, in offi-
cinas distribuunt. Omnia belli adparatu strepunt: ferreæ
quo-

omen negligunt: caduceatores Alexandri necant. Quæ res exacerbatus Alexander, molem persuasit arte militibus.

quoque manus (*Harpagonas* vocant) quas operibus hostium 4, 3, 24.
iniicerent, coruique & alia tuendis vrbibus excogitata, præ-
13 parabantur. Sed quum fornacibus ferrum, quod excudi
oportebat, impositum esset, admotisque follibus ignem flatu
accenderent; *sanguinis riui sub ipsis flammis exstitisse* di-
cuntur: idque omen in Macedonum metum verterunt Ty- 4, 4, 5.
14 rii. Apud Macedonas quoque quum forte panem quidam
militum frangeret, manantis sanguinis guttas notauerunt.
territoque rege, Aristander peritissimus vatum respondit; *si* 4, 6, 12. 5, 4, 2. 7, 7, 8.
extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum:
contra, quum ab interiore parte manauerit, vrbi quam obsi-
15 *dere destinassent, exitium portendere.* Alexander quum & 4, 3, 11.
classem procul haberet, & longam obsidionem magno sibi 4, 3, 1. 4, 4, 1.
ad cetera impedimento videret fore; caduceatores, qui ad
pacem eos compellerent, misit: quos Tyrii contra ius gen-
tium occisos præcipitauerunt in altum. atque ille suorum
16 tam indigna nece commotus, vrbem obsidere statuit. Sed
ante iacienda moles erat, quæ vrbem continenti committe-
ret. Ingens ergo animos militum desperatio incessit, cernen-
tium *profundum mare, quod vix diuina ope posset impleri:* 4, 2, 9.
quæ saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse repe-
riri? exhauriendas esse regiones, vt illud spatium aggerare-
tur. & exæstuare semper fretum, quoque arctius volutetur 4, 2, 7.
17 *inter insulam & continentem, hoc acrius furere.* At ille 5, 1, 30. 6,
haudquaquam rudis * tractandi militares animos, *speciem* 4, 5. * 4, 10, 4.
sibi Herculis in somno oblatam esse pronunciat, *dextram por-* 6, 2, 21. 6,
rigentis: illo duce, illo aperiente in vrbem intrare se visum. 6, 16. 7, 5, 9.
Inter hæc *caduceatores interfectos; gentium iura violata* re-
ferebat: *vnam esse vrbem, quæ cursum victoris morari ausa* 4, 6, 13. 6,
18 *esset.* Ducibus deinde negotium datur, *vt suos quisque ca-* 5, 11.
stiget: satisque omnibus stimulatis opus orsus est. Magna
vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere præbente: materies 4, 2, 4.
ex Libano monte ratibus & turribus faciendis vehebatur. 4, 2, 24.

ingentis operis iacit: inridentibus Tyriis, & quum opus crescere, serio impedientibus. Qui & incendiaria naue fabricata,

Iamque à fundo maris in altitudinem montis opus excre- 19
uerat, nondum tamen aquæ fastigium æquabat; & quo longius moles agebatur à litore, hoc magis quidquid ingerebatur præaltum absorbebat mare: quum Tyrii paruis nauigiis 20
4, 2, 9. admotis, per ludibrium exprobrabant *illos armis inclutos, dorso sicut iumenta onera gestare*: interrogabant etiam *num maior Neptuno esset Alexander?* hæc ipsa insectatio alacritatem militum accendit. Iamque paululum moles aquam 21
eminebat, & simul aggeris latitudo crescebat, vbique admouebatur; quum Tyrii magnitudine molis, cuius incrementum eos ante fefellerat, conspecta; leuibus nauigiis nondum commissum opus circumire ceperunt: missilibus eos quoque, qui pro opere stabant, incessere. Multis ergo im- 22
pune vulneratis, quum & remouere, & adpellere scaphas in expedito esset; ad curam semet ipsos tuendi ab opere conuerterant. Igitur rex *munientibus coria velaque* iussit *ob-* 23
5, 3, 7. *tendi, vt extra teli ictum essent*: duasque turres ex capite molis erexit, è quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra Tyrii nauigia procul à conspectu hostium li- 24
tori adpellunt, expositisque militibus, eos qui saxa gestabant,
4, 2, 18. obtruncant. In Libano quoque Arabum agrestes incompositos Macedonas adgressi, triginta fere interficiunt, paucioribus captis.

CAP. III. EA res Alexandrum diuidere copias coegit: & ne segniter adsidere vni vrbi videretur, operi Perdiccam Craterumque præfecit; ipse cum expedita manu Arabiam petiit. Inter hæc Tyrii nauem magnitudine eximia, saxis arenaque 2
à puppi oncratam, ita vt multum prora emineret, bitumine ac sulphure inlitam remis concitauerunt; & quum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad molem successit: tunc prora eius accensa, remiges desiliere in sca- 3
phas, quæ ad hoc ipsum præparatæ sequebantur. nauis autem igne concepto latius fundere incendium cepit: quod, priusquam

opera Maced. comburunt. simul vnda ventique molem subruunt. Rex noui operis molem orditur: quam & ipsam Tyrij, præsertim per uenatores,

priusquam posset occurri, turres & cetera opera in capite
4 molis posita comprehendit. At qui desilierant in parua nauigia, faces, & quidquid alendo igni aptum erat; in eadem opera ingerunt. Iamque non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem: quum ii qui in turribus erant, partim haurirentur incendio; partim ar-
5 mis omissis, in mare semet ipsi immitterent. At Tyrii, qui capere eos, quam interficere mallent; natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati, impune nauigiis excipi possent. Nec incendio solum opera consumpta;
6 sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare inlisit in molem, crebrisque fluctibus compa- 4, 2, 7.
ges operis verberatæ se laxauere, saxaque interluens vnda
7 medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus iniecta terra sustinebatur; præceps in profundum ruit: tantæque molis vix vlla vestigia inuenit Arabia rediens Alexander. Hic, quod in aduersis rebus solet fieri, ALIVS in alium culpam referebat; quum omnes verius de sæuitia
8 maris queri possent. Rex noui operis molem orsus, in aduersum ventum non latere, sed recta fronte direxit; quod cetera opera, velut sub ipso latentia, tuebatur: latitudinem quoque aggeri adiecit, vt turres in medio erectæ procul teli
9 iactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ra- 6, 5, 20.
mis in altum iaciebant; deinde saxis onerabant; rursus cumulo eorum alias arbores iniiciebant: tum humus adgerebatur; superque alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus iunxerant. Nec Tyrii quidquid ad impediendam molem excogitari poterat, se-
10 gniter exsequebantur. Præcipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem vsque penetrabant; falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes: quæ vbi sequutæ erant, pleraque secum in profundum dabant; tum leuatos onere stipites

truncosque arborum haud ægre moliebantur: deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso sequebatur. Ægro animi Alexandro, & vtrum perseueraret, 11
4, 2, 15. 4. 2, 14. 3, 1. 1. an abiret, satis incerto, classis Cypro aduenit: eodemque tempore Cleander cum Græcis militibus in Asiam nuper aduectus. Centum & octoginta nauium classem in duo diuidit cornua: læuum Pnytagoras rex Cypriorum cum Cratero tuebatur; Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat. Nec Tyrii, quamquam classem habebant, ausi na- 12
uale inire certamen; triremes omnes ante ipsa mœnia opposuerunt: quibus rex inuectus ipsas demersit. Postera die 13
classe ad mœnia admota; vndique tormentis, & maxime
4, 4, 12. arietum pulsu muros quatit: quos Tyrii raptim obstructis saxis refecerunt; interiorem quoque murum, vt si prior fe-
4, 4, 10. fellisset, illo se tuerentur, vndique orsi. Sed vndique vis ma- 14
li vrgebat: moles intra teli iactum erat; classis mœnia circumibat: terrestri simul naualique clade obruebantur. Quippe binas quadriremes Macedones inter se ita iunxerant, vt proræ cohærerent; puppes interuallo quantum capere poterant distarent. hoc puppium interuallum antennis asseri- 15
busque validis deligatis, superque eos pontibus stratis, qui militem sustinerent, impleuerant: sic instructas quadriremes ad vrbem agebant: inde missilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, 16
quum classem sicuti dictum est, paratam, *circumire vrbem* iubet: iamque naues vrbi vndique admouebantur, & Tyrii desperatione torpebant; quum subito spissæ nubes intendere se cœlo, & quidquid lucis internitebat, effusa caligine exstinctum est. Tum inhorrescens mare paulatim leuari, de- 17
inde acriori vento concitatum, fluctus ciere, & inter se nauigia conlidere. Iamque scindi ceperant vincula, quibus connexæ quadriremes erant ruere tabulata, & cum ingenti fragore in profundum secum milites trahere. neque enim 18
conserta

conserta nauigia vlla ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum; remiges militis officia turbabant: &, quod in huiusmodi casu accidit, periti ignaris parebant. quippe gubernatores alias imperare soliti, tum metu mortis iussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, veluti eripientibus nauigia classicis cessit: adpulsaque sunt
19 litori, lacerata pleraque. Iisdem diebus forte Carthaginen- 4, 2, 10. 4. 4, 18.
sium legati triginta superueniunt, maius obsessis solatium, quam auxilium: quippe *domestico bello Pœnos impediri; nec*
20 *de imperio, sed pro salute dimicare* nunciabant. Syracusani tunc Africam vrebant; & haud procul Carthaginis muris locauerant castra. Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant; sed coniuges liberosque deuehendos Carthaginem tradiderunt: fortius quidquid accideret laturi, si carissimam sui partem extra com-
21 munis periculi sortem habuissent. Quumque vnus è ciuibus concioni indicasset; *oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis*, quem eximia religione colerent, *vrbem deserentis; molemque à Macedonibus iactam in salo, in syluestrem sal-*
22 *tum esse mutatam*: quamquam auctor leuis erat, tamen ad 6, 7, 35.
deteriora credenda proni metu, aurea catena deuinxere simulacrum, aræque Herculis, cuius numini vrbem dica- 4, 2, 3.
uerant, inseruere vinculum; quasi illo deo Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant patria: multisque aliis spoliis vrbium à semet captarum, non Carthaginem magis, quam Tyrum or- 4, 2, 10.
23 nauerant. Sacrum quoque quod quidem diis minime cordi esse crediderim, multis sæculis intermissum repetendi auctores quidam erant, *vt ingenuus puer Saturno immolaretur*: quod sacrilegium verius quam sacrum, Carthaginen- 4, 2, 10.
ses à conditoribus traditum, vsque ad excidium vrbis suæ fecisse dicuntur. ac nisi Seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur; humanitatem dira superstitio vicisset.

aduersus oppugnantes noua machinæ excogitantur. Bellua marina conspecta iuxta molem varie interpretantibus. Nauali

Ceterum efficacior omni arte imminens necessitas, non 24
5, 4, 31. vsitata modo præsidia, sed quædam etiam noua admonuit. Namque ad implicanda nauigia, quæ muros subibant, vali-
4, 2, 12. dis asseribus, coruos & ferreas manus, cum vncis ac falcibus inligauerant; vt quum tormento asseres promouissent, subito laxatis funibus iniicerent. Vnci quoque & falces ex iis- 25
dem asseribus dependentes, aut propugnatores, aut ipsa nauigia lacerabant. Clypeos vero æneos multo igne torrebant, quos repletos feruida arena, cœnoque decocto, è muris subito deuoluebant. nec vlla pestis magis timebatur; quip- 26
pe vbi loricam corpusque feruens arena penetrauerat, nec vlla vi excuti poterat, & quidquid adtigerat, perurebat: iacientesque arma, laceratis omnibus quis protegi poterant, vulneribus inulti patebant: corui vero & ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.

CAP. IV. Hic rex fatigatus statuerat soluta obsidione Ægyptum petere. quippe quum Asiam ingenti celeritate percurrisset;
4, 2, 15. circa muros vnius vrbis hærebat, tot maximarum rerum opportunitate dimissa. Ceterum tam discedere inritum, quam 2
3, 8, [illegible] morari pudebat. Famam quoque, qua plura, quam armis,
6, 5, 11. euerterat, ratus leuiorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret; *plures naues admoueri* iubet, *delectosque militum imponi.* Et forte bellua inusitatæ magnitudinis, super ipsos fluctus 3
dorso eminens, ad molem quam Macedones iecerant, ingens corpus adplicuit; diuerberatisque fluctibus adleuans semet, vtrimque conspecta est: deinde à capite molis rursus 4
alto se immersit; ac modo super vndas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis vrbis emersit. Vtrisque lætus fuit belluæ adspe- 5
ctus: Macedones *iter iaciendo operi monstrasse eam* augura-
4, 2, 13. bantur; Tyrii, *Neptunum occupati maris vindicem arripuisse belluam, ac molem breui profecto ruituram.* lætique omine

certamine superati Tyrij, post biduum, instante magna vi, nec minori periculo rege.

omine eo ad epulas dilapsi onerauere se vino; quo graues, orto sole nauigia conscendunt, redimita coronis floribusque: adeo victoriæ non omen modo; sed etiam gratula-
6 tionem præceperant. Forte rex *classem in diuersam partem agi* iusserat, *triginta minoribus nauigiis relictis in litore*; è quibus Tyrii duobus captis, cetera ingenti terruerant metu: donec suorum clamore audito Alexander classem litori, è
7 quo fremitus acciderat, admouit. Prima à Macedonum nauibus quinqueremis velocitate inter ceteras eminens occurrit: quam vt conspexere Tyrii, duæ è diuerso in latera eius inuectæ sunt; in quarum alteram quinqueremis eadem con-
8 citata, & ipsa rostro icta est, & illam inuicem tenuit. Iamque ea quæ non cohærebat, libero impetu euecta, in aliud quinqueremis latus inuehebatur; quum opportunitate mira triremis è classe Alexandri in eam ipsam, quæ quinqueremi imminebat, tanta vi impulsa est, vt Tyrius gubernator in ma-
9 re excuteretur è puppi. Plures deinde Macedonum naues superueniunt, & rex quoque aderat; quum Tyrii inhibentes remis, ægre euellere nauem quæ hærebat, portumque omnia simul nauigia repetunt. Confestim rex insequutus, portum quidem intrare non potuit, quum procul è muris missilibus submoueretur; naues autem omnes fere aut de-
10 mersit, aut cepit. Biduo deinde ad quietem dato militibus, iussisq; *& classem, & machinas pariter admouere, vt vtrim-* 4, 3, 14.
que territis instaret; ipse in altissimam turrem adscendit,
11 ingenti animo, periculo maiore. quippe regio insigni & armis fulgentibus conspicuus, vnus præcipue telis petebatur. & digna prorsus spectaculo edidit: multos è muris propugnantes hasta transfixit; quosdam etiam cominus gladio clypeoque impulsos præcipitauit: quippe turris ex qua dimi- 3, 10, 6.
12 cabat, muris hostium propemodum cohærebat. Iamque crebris arietibus saxorum compage laxata, munimenta de- 4, 3, 13.
fecerant; & classis intrauerat portum, & quidam Macedonum

expugnantur. ciues nisi quos templa, vel Sidonij protexerant; varie pereunt. Carthaginens. legatis parcitur. Tyri claritas, colonia,

num in turres hostium desertas euaserant: quum Tyrii tot simul malis victi, alij supplices in templa confugiunt; alij foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium:
5, 3, 19. nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri. ma- 13
gna pars summa rectorum obtinebat, saxa & quidquid manibus fors dederat ingerentes subeuntibus. Alexander *exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemq; tectis iniici* iubet. His per præcones pronunciatis, nemo 14
tamen armatus opem à diis petere sustinuit: pueri virgineſque templa compleuerant; viri in vestibulo suarum quisque ædium stabant, parata sæuientibus turba. Multis tamen sa- 15
luti fuere Sidonii, qui intra Macedonum præsidia erant. hi vrbem quidem inter victores intrauerant, sed cognationis
4, 1, 15. cum Tyriis memores (quippe vtramque vrbem Agenorem condidisse credebant) multos Tyriorum, etiam protegentes, ad sua perduxere nauigia: quibus occultatis, Sidona deuecti sunt. quindecim millia hoc furto subducta sæuitiæ sunt. quantumque sanguinis fusum sit, vel ex hoc existimari pot- 16
est, quod intra munimenta vrbis sex millia armatorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum victoribus ira præ- 17
buit regis. duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies; crucibus adfixi per ingens litoris spatium pependerunt. Car- 18
4, 2, 10. thaginensium legatis pepercit; addita denunciatione *belli*,
10, 1, 17. *quod præsentium rerum necessitas moraretur.* Tyrus se- 19
ptimo mense, quam oppugnari cepta erat, capta est; vrbs &
4, 2, 2. vetustate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam posteritatis insignis. Condita ab Agenore, diu mare, non vicinum modo, sed quodcumque classes eius adierunt, ditionis suæ fecit. &, si famæ libet credere, hæc gens litteras prima
4, 2, 10. aut docuit, aut didicit. Coloniæ certe eius pene orbe toto 20
diffusæ sunt: Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari, sæpiusque adeundo ceteris incognitas terras; elegisse sedes iuuentuti

status sub Rom. Darij litteræ modestiores, quibus Alexandro filiam cum pecunia, & parte regni offert. At hic nullam

tuti qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terræ, nam hoc quoque traditur, cultores eius fatigati, noua &
21 terna domicilia armis sibimet quærere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, & post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refouente, sub tutela Romanæ manſuetu- 10, 9, 5.
dinis adquieſcit.

Iisdem ferme diebus Darii litteræ adlatæ sunt, tandem CAP. V.
vt regi scriptæ. Petebat *vti filiam suam*, Statyræ erat no- 4, 1, 7.
men, *nuptiis Alexander sibi adiungeret. Dotem fore omnem regionem inter Hellespontum & Halyn amnem sitam*; *inde* 4, 11, 5.
2 *Orientem spectantibus terris contentum se fore. Si forte dubitaret quod offerretur accipere: nunquam diu eodem vestigio stare fortunam; semperque homines, quantamcumque* 3, 8, 20.
3 *felicitatem habeant, inuidiam tamen sentire maiorem. Vereri, ne se auium modo, quas naturalis leuitas ageret ad sidera, inani ac puerili mentis adfectu efferret. Nihil diffici-* 11
4 *lius esse, quam in illa ætate tantam capere fortunam. Mul-* 3, 12, 20.
tas se adhuc reliquias habere; nec semper in angustiis posse deprehendi: transeundum esse Alexandro Euphratem, Ti- 3, 8, 19.
*grimque & Araxem, & Hydaspem, magna munimenta regni sui. veniendum in campos vbi paucitate * suorum erube-* 4, 14, 10. 7.
5 *scendum sit. Mediam, Hyrcaniam, Bactra, & Indos Oceani-* 4, 5.
accolas quando aditurum? vel Sogdianos & Arachosios, nomine tantum notos, ceteraſque gentes ad Caucasum & Ta- 4, 14, 13.
naim pertinentes? Senescendum fore tantum terrarum vel
6 *sine prælio obeunti. Se vero ad ipsum vocare desineret: nam-* 4, 1, 13. 9,
7 *que illius exitio esse venturum.* Alexander iis illis, qui li- 1, 8.
teras adtulerant, respondit *Darium sibi aliena promittere:* 4, 11, 19.
quod totum amiserit, velle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ioniam, Aeolidem, Hellespontiaram, victoriæ suæ præmia. Leges autem à victoribus dici; accipi à victis. In vtro statu 4, 11, 21. 6,
ambo essent, si solus ignoraret, quamprimum Marte decerne- 7, 8.
8 *ret. Se quoque quum transisset mare, non Ciliciam, aut Ly-*

diam

conditionem admittit. Rhodum in fidem accipit. Græcorum adulatio. Prætorum Alexandri victoria de Persis. Chius capitur

diam (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem) sed Persepolim caput regni eius, Bactra deinde, & Ecbatana,
7,4,15, *vltimique Orientis oram imperio suo destinasse. Quocumq; ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse.* Reges quidem in- 9
uicem hæc scripserant. Sed Rhodii vrbem suam portusque dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat: Philota *regioni circa Tyrum* iusso *præsidere.* Syriam quæ *Cœle*
4,8,9. adpellatur, Andromacho Parmenio tradiderat, bello quod 10
supererat interfuturus. Rex Hephæstione *Phœnicis oram classe præteruehi* iusso, ad vrbem Gazam cum omnibus copiis venit. Iisdem fere diebus solenne erat ludicrum 11
Isthmiorum, quod conuentu totius Græciæ celebratur. In eo
6,1,17. concilio, vt sunt Græcorum temporaria ingenia, decernunt *vt duodecim legarentur ad regem, qui ob res pro salute Gra-*
4,2,2. *ciæ ac libertate gestas, coronam auream donum victoriæ*
4,1,28. *ferrent.* Iidem paulo ante incertæ famæ captauerant au- 12
ram, vt, quocumque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur. Ceterum non ipse modo rex obibat vrbes im- 13
perii iugum adhuc recusantes; sed prætores quoque ipsius,
4,1,34. egregii duces, pleraque inuaserant. Calas Paphlagoniam; Antigonus Lycaoniam: Balacrus Idarne prætore Darii superato Miletum cepit: Amphoterus & Hegelochus centum 14
sexaginta nauium classe insulas inter Achaiam atque Asiam in ditionem Alexandri redegerunt. Tenedon quoque receptum, incolis vltro vocantibus. Statuerant & Chion oc- 15
cupare: sed Pharnabazus Darii prætor, comprehensis qui res ad Macedones trahebant; rursus Apollonidi & Athanagoræ suarum partium viris, vrbem cum modico præsidio militum tradit. Præfecti Alexandri in obsidione vrbis perse- 16
uerabant; non tam suis viribus, quam ipsorum qui obsidebantur voluntate. Nec fefellit opinio. namque inter Apollonidem & duces militum orta seditio, inrumpendi in vrbem oc-

inaque Pharnabazus & notabili casu Aristonicus Methymnæus. Mitylenen quoque occupant Macedones. Sed Darius Bessum

17 bem occasionem dedit. Quumque porta effracta cohors Macedonum intrasset; oppidani, olim consilio proditionis agitato, adgregant se Amphotero & Hegelocho; Persarumque præsidio cæso, Pharnabazus cum Apollonide & Atha-
18 nagora vincti traduntur. Duodecim triremes cum suo milite ac remige; præter eas triginta naues & piratici lembi, Græcorumque tria millia à Persis mercede conducta. his in supplementum copiarum suarum distributis; piratisque sup-
19 plicio adfectis: captiuos remiges adiecere classi suæ. Forte 4,8,11.
Aristonicus Methymnæorum tyrannus cum piraticis nauibus, ignarus omnium quæ ad Chium acta erant, prima vigilia ad portus claustra successit: interrogatusque à custodibus *quis esset? Aristonicum ad Pharnabazum venire* re-
20 spondit. Illi *Pharnabazum quidem iam quiescere, & non posse tum adiri; ceterum patere socio atque hospiti portum, & postero die Pharnabazi copiam fore* adfirmant. Nec dubitauit Aristonicus primus intrare: sequuti sunt ducem
21 piratici lembi. ac dum adplicant nauigia crepidini portus, obiicitur à vigilibus claustrum; & qui proximi excubabant, ab iisdem excitantur: nulloque ex his auso repugnare, omnibus catenæ iectæ sunt. Amphotero deinde Hegelocho-
22 que traduntur. Hinc Macedones transiere Mitylenem, quam Chares Athenienses nuper occupatam, duorum millium Persarum præsidio tenebat: sed quum obsidionem tolerare non posset; vrbe tradita pactus *vt incolumi abire liceret*, Imbrum petit. deditis Macedones pepercerunt.

Darius desperata pace quam per literas legatosque im- CAP. VI.
petrari posse crediderat; ad reparandas vires, bellumque im-
2 pigre renouandum intendit animum. *Duces* ergo *copia-* 4,9,2.
rum Babyloniam conuenire; Bessum quoque Bactrianorum ducem, perquam maxumo posset exercitu coacto, descendere
3 *ad se* iubet. Sunt autem Bactriani inter illas gentes promptissimi; horridis ingeniis, multumque à Persarum luxu

alioſque duces Babylonem euocat. id ſumma fide tegitur. Ergo Macedo omnium ignarus, Gazam obſidens, augurium videt;

abhorrentibus: ſiti haud procul Scytharum bellicoſiſſima gente, & rapto viuere adſueta: ſemperque in armis errant. Sed Beſſus ſuſpecta perfidia, haud ſane æquo animo in ſe- 4
cundo ſe continens gradu, regem terrebat. nam quum regnum adfectaret; proditio, qua ſola id adſequi poterat, timebatur. Ceterum Alexander quam regionem Darius petiſſet omni cura veſtigans, tamen explorare non poterat: 5
more quodam Perſarum, arcana regum mira celantium fide. non metus, non ſpes elicit vocem qua prodantur occulta. vetus diſciplina regum ſilentium vitæ periculo ſanxerat. lingua grauius caſtigatur quam vllum probrum: NEC 6
magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo cui tacere graue ſit; quod homini facilimum voluerit eſſe natura. Ob 7
hanc cauſſam Alexander omnium, quæ apud hoſtem gererentur, ignarus, vrbem Gazam obſidebat. Præerat ei Betis eximiæ in regem ſuum fidei; modicoque præſidio muros ingentis operis tuebatur. Alexander æſtimato locorum ſi- 8
tu, *agi cuniculos* iuſſit; facili ac leui humo acceptante occultum opus: quippe multam arenam vicinum mare euomit: nec ſaxa coteſque, quæ interpellent ſpecus, obſtabant.
6, 4, 4. Igitur ab ea parte quam oppidani conſpicere non poſſent, 9
opus orſus; vt à ſenſu eius auerteret, *turres muris admoueri* iubet. Sed eadem humus admouendis inutilis turribus, deſidente ſabulo agilitatem rotarum morabatur, & tabulata turrium perfringebat; multiq; vulnerabantur impune, quum idem recipiendis, qui admouendis turribus labor eos fatigaret. Ergo receptui ſigno dato, *poſtero die muros corona* 10
circumdari iuſſit. Ortoque ſole, priuſquam admoueret exercitum; opem deum expoſcens, ſacrum patrio more faciebat. Forte præteruolans coruus glebam, quam vnguibus 11
3, 8, 22. ferebat, ſubito amiſit; quæ quum regis capiti incidiſſet reſoluta defluxit: ipſa autem auis in proxima turre conſedit. Inlita erat turris bitumine ac ſulphure: in qua alis hærentibus,

bus, fruſtra ſe adleuare conatus à circumſtantibus capitur.
12 Digna res viſa, de qua vates conſulerentur. & erat non in- 5, 4, 1. 7,
tactus ea ſuperſtitione mentis. Ergo Ariſtander, cui maxi- 7, 8. 4, 2, 14.
ma fides habebatur, *vrbis quidem excidium augurio illo portendi, ceterum periculum eſſe* inquit, *ne rex vulnus accipe-*
13 *ret*. itaque monuit, *ne quid eo die inciperet*. Ille quam- 4, 2, 17.
quam vnam vrbem ſibi, quo minus ſecurus Ægyptum intraret, obſtare ægre ferebat, tamen paruit vati, ſignumque receptui dedit. Hinc animus creuit obſeſſis: egreſſique porta recedentibus inferunt ſigna; cunctationem hoſtium
14 fore ſuam occaſionem rati. Sed acrius, quam conſtantius prœlium inierunt: quippe vt Macedonum ſigna circumagi videre; repente ſiſtunt gradum. Iamque ad regem prœliantium clamor peruenerat; quum denunciati periculi haud ſane memor, loricam tamen, quam raro induebat, amicis 4, 13, 25.
15 orantibus ſumpſit; & ad prima ſigna peruenit. Quo conſpecto Arabs quidam Darii miles, maius fortuna ſua facinus auſus; clypeo gladium tegens, quaſi transfuga genibus regis aduoluitur. ille *adſurgere ſupplicem, recipique inter ſuos* iuſ-
16 ſit. At gladio barbarus ſtrenue in dextram translato ceruicem adpetit regis: qui exigua corporis declinatione euitato ictu, in vanum manum barbari lapſam amputat gladio; 6, 1, 4. 9,
denunciato in illum diem periculo, vt arbitrabatur ipſe, de 7, 2,
17 functus. Sed vt opinor, INEVITABILE eſt fatum. quippe 5, 11, 10.
dum inter primores promptius dimicat, ſagitta ictus eſt: quam per loricam adactam, ſtantem in humero medicus
18 eius Philippus euellit. Plurimus deinde ſanguis manare cepit; omnibus territis, quia nunquam tam alte penetraſſe telum, lorica obſtante, cognouerant. ipſe nec oris quidem colore mutato, *ſupprimi ſanguinem, & vulnus obligari* iuſ-
19 ſit. Diu ante ipſa ſigna vel diſſimulato, vel victo dolore perſtiterat; quum ſuppreſſus paulo ante ſanguis medicamento, manare latius cepit: & vulnus quod recens adhuc dolorem

dein capta cuniculo vrbe, alterum vulnus accipit: vnde supra modum iratus, Betim quasi Hectorem, circa captam vrbem trahit.

non mouerat, frigente sanguine intumuit. Linqui deinde 20
animo, & submitti genu cepit: quem proximi exceptum in
castra receperunt. & Betis interfectum ratus vrbem ouans
victoria repetit. At Alexander nondum percurato vulnere, 21
aggerem quo mœnium altitudinem æquaret, exstruxit; &
pluribus cuniculis muros subrui iussit. Oppidani ad pristi- 22
num fastigium mœnium nouum exstruxere munimentum:
sed ne id quidem turres aggeri impositas æquare poterat.
itaque interiora quoque vrbis infesta telis erant. Vltima 23
7, 6, 23. pestis vrbis fuit cuniculo subrutus murus; per cuius ruinas
hostis intrauit. Ducebat ipse rex antesignanos; & dum in-
cautius subit, saxo crus eius adfligitur. innixus tamen telo 24
nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores
dimicat: ira quoque accensus, quod duo in obsidione vrbis
eius acceperat vulnera. Betim egregia edita pugna, multis- 25
que vulneribus confectum deseruerant sui: nec tamen se-
gnius prœlium capessebat, lubricis armis suo pariter atque
hostium sanguine. Sed quum vndique*** adducto, inso- 26
8, 14, 46. lenti gaudio iuuenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mi-
rator, *non vt voluisti*, inquit, *morieris Beti: sed quidquid tor-
mentorum in captiuum inueniri potest, passurum esse te co-
gita.* Ille non interrito modo, sed contumaci quoque vul- 27
tu intuens regem, nullam ad minas eius reddidit vocem.
Tum Alexander; *videtisne obstinatum ad tacendum?* in- 28
quit. *num genu posuit? num supplicem vocem misit? Vincam
tamen silentium, & si nihil aliud, certe gemitu interpolabo.*
5, 3, 20. 10, Ira deinde vertit in rabiem: iam tum peregrinos ritus *no- 29
4, 2. *6, 6, 5. ua subeunte fortuna. Per talos enim spirantis lora traiecta
sunt; religatumque ad currum traxere circa vrbem equi:
8, 4, 26. gloriante rege *Achillem, à quo genus ipse deduceret, imita-
tum se esse pœna in hostem capienda.* Cecidere Persarum 30
Arabumque circa decem millia: nec Macedonibus incruen-
ta victoria fuit. Obsidio certe non tam claritate vrbis no-
bilitata

Inde petit Ægyptum, valentibus incolumi ne Persis quidem repugnantibus. Hinc itineris difficultate spreta.

bilitata est; quam geminato periculo regis. qui Ægyptum
adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Mace- 5, 1, 40. 7,
31 doniam ad inquisitionem nouorum militum misit. Nam- 1, 37.
que prœliis etiam secundis adterebantur copiæ; deuictarum- 3, 1, 1.
que gentium militi minor quam domestico fides habe-
batur.

Ægyptii olim Persarum opibus infensi, QVIPPE CAP. VII.
auare & superbe imperitatum sibi esse credebant; ad spem ad- 4, 1, 28.
uentus eius erexerant animos: vtpote qui Amyntam quo-
que transfugam, & cum precario imperio venientem, læti 3, 11, 18.
2 recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, qua intra- 4, 1, 30.
turus rex videbatur, conuenerat. Atque ille septimo die,
posteaquam à Gaza copias mouerat, in regionem Ægypti,
3 quam nunc *Castra Alexandri* vocant, peruenit. Deinde pe-
destribus copiis *Pelusium petere* iussis, ipse cum expedita de-
lectorum manu Nilo amne vectus est: nec sustinuere aduen-
4 tum eius Persæ; defectione quoque perterriti. Iamque
haud procul Memphi erat: in cuius præsidio Mazaces præ-
tor Darii relictus, Orio amne superato, octingenta talenta
5 Alexandro, omnemque regiam supellectilem tradidit. A
Memphi eodem flumine vectus ad interiora Ægypti pene-
trat, compositisque rebus ita, vt nihil ex patrio Ægyptio-
rum more mutaret; adire Iouis Hammonis oraculum sta-
6 tuit. Iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingredi-
endum erat: terra cœloque aquarum penuria est: steriles 7, 5, 2. & 3.
arenæ iacent; quas vbi vapor solis accendit, feruido solo
7 exurente vestigia, intolerabilis æstus existit. luctandumque
est, non tantum cum ardore & siccitate regionis; sed etiam
cum tenacissimo sabulo, quod prætritum, & vestigio cedens,
8 ægre moliuntur pedes. Hæc Ægyptii vero maiora iacta-
bant. Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Io-
uem, quem generis sui auctorem, haud contentus mortali
9 fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat. Ergo cum iis 4, 7, 30. 8, 5, 5.

quos

Hammonem adit. Exercitus sitiens opportuno imbre recreatur: mox corui agmen antecedentibus, ad sedem oraculi perueniunt. Ea

quos ducere secum statuerat, secundo amne descendit ad Mareotim paludem. eo legati Cyrenensium dona adtulere; *pacem, & vt adiret vrbes suas*, petentes. Ille donis acceptis, amicitiaque coniuncta, destinata exsequi pergit. Ac primo quidem & sequenti die tolerabilis labor visus: nondum tam vastis nudisq; solitudinibus aditis; iam tamen sterili & emoriente terra. Sed vt aperuere se campi alto obruti sabulo; haud secus quam profundum æquor ingressi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant: & in arido solo ac feruido sabulo nulla erat. Ad hæc sol omnia incenderat, siccaque & adusta erant omnia; quum repente, siue illud deorum munus, siue casus fuit; obductæ cœlo nubes condidere solem: ingens æstu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. Enimuero vt largum quoque imbrem excusserunt procellæ; pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hianti captare ceperunt. Quatriduum per vastas solitudines absumptum est. Iamque haud procul oraculi sede aberant; quum complures corui agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes: & modo humi residebant, quum lentius agmen incederet; modo se pennis leuabant, antecedentium iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita, vndique ambientibus ramis, vix in densam vmbram cadente sole contecta est: multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt syluas. Cœli quoque mira temperies, verno tempori maxime similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolæ sedis sunt ab Oriente proximi Æthiopum: in meridiem versus Arabes spectant, *Troglodytis* cognomen est: quorum regio vsque ad rubrum mare excurrit. at qua vergit ad Occidentem, alii Æthiopes colunt, quos *Scenitas* vocant: à Septentrione

describitur: itemq; fons Solis admirabili natura. item insignita Hammonis effigies: atque responsa Alexandro.

trione Nasamones sunt, gens Syrtica, nauigiorum spoliis quæstuosa. quippe obsident litora, & æstu destituta nauigia notis sibi vadis occupant. Incolæ nemoris quos *Hammonios* vocant, dispersis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circumdatum. Prima munitio tyrannorum veterem regiam clausit: in proxima coniuges eorum cum liberis & pellicibus habitant; hic quoque dei oraculum est: vltima munimenta satellitum armigerorumque sedes erant. Est etiam aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, *aquam Solis* vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, quum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit; inclinato in vesperam calescit; media nocte feruida exæstuat; quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit; donec sub ipsum diei ortum adsueto tepore langueſcat. Id quod pro deo colitur, non eamdem effigiem habet, quam vulgo diis artifices adcommodauerunt: vmbilico maxime similis est habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc quum responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes; multis argenteis pateris ab vtroque nauigii latere pendentibus. sequuntur matronæ virgineſque, patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo *propitiari Iouem* credunt, *vt certum edat oraculum*. At tum quidem regem propius adeuntem maximus natu è sacerdotibus *filium* adpellat; *hoc nomen illi parentem Iouem reddere* adfirmans. Ille *se vero* ait, *& accipere, & adgnoscere*; HVMANÆ sortis oblitus. Consuluit deinde *an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater?* vates æque in adulationem compositus, *terrarum omnium rectorem fore* ostendit. Post hæc institit quærere, *an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent?* Sacerdos *parentem eius* negat *vllius scelere posse violari: Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia.* adiecit; *inuictum fore, donec excederet ad deos.* Sacrificio deinde

6, 9, 18. 6, 10, 28.

Contra 6, 11, 26. 7, 1, 6.

deinde facto, dona & sacerdotibus, & deo data sunt; permissumque amicis, *vt ipsi quoque consulerent Iouem.* Nihil amplius quæsiuerunt, quam *an auctor esset sibi diuinis honoribus colendi suum regem? Hoc quoque acceptum fore Ioui* vates respondit; *vt ipsi victorem regem diuino honore colerent.* Vere & salubriter æstimanti fidem oracli vana profecto responsa videri potuissent: sed FORTVNA, quos vni sibi credere cogit, magna ex parte auidos gloriæ magis, quam capaces facit. *Iouis* igitur *filium* se non solum adpellari passus est; sed etiam iussit: rerumque gestarum famam, dum augere vult tali adpellatione, corrumpit. Et Macedones adsueti quidem regio imperio, sed maiore libertatis vmbra quam ceteræ gentes; immortalitatem adfectantem contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, auersati sunt. Sed hæc suo quæque tempori reseruentur. nunc cetera exsequi pergam.

CAP. IIX. ALexander ab Hammone rediens, vt à mari ad Mareotim paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit; contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat vrbem nouam condere. Inde vt adparuit magnæ sedis insulam haud capacem; elegit vrbi locum vbi nunc est Alexandria, adpellationem trahens ex nomine auctoris. Complexus quidquid loci est inter paludem & mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat; & qui ædificandæ vrbi præessent, relictis, Memphim petit. Cupido haud iniusta quidem, ceterum intempestiua incesserat, non interiora modo Ægypti, sed etiam Æthiopiam inuisere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoscendæ vetustatis auidum trahebat pene extra terminos solis. Sed imminens bellum, cuius multo maior supererat moles; otiosæ peregrinationi tempora exemerat. Itaque Ægypto præfecit Æschylum Rhodium, & Peucesten Macedonem; quatuor millibus militum in præsidium regionis eus datis. *claustra Nili fluminis*

nis Polemonem tueri iubet: triginta ad hoc triremes datæ.
Africæ deinde quæ Ægypto iuncta est, præpositus Apollonius: vectigalibus eiusdem Africæ, Ægyptique, Cleomenes.
Ex finitimis vrbibus commigrare Alexandriam iussis, nouam vrbem magna multitudine impleuit. Fama est; *quum rex vrbis futuris muris polentam, vt Macedonum mos est, destinasset; auium greges aduolasse, & polenta esse pastas: quumque id omen pro tristi à plerisque esset acceptum; respondisse vates, magnam illam vrbem aduenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta præbituram.*
Regem, quum secundo amne defluxeret: adsequi cupiens Hector Parmenionis filius, eximio ætatis flore, in paucis Alexandro carus, paruum nauigium conscendit, pluribus quam capere posset, impositis. itaque mersa nauis omnes destituit:
Hector diu flumini obluctatus, quum madens vestis, & adstricti crepidis pedes natare prohiberent, in ripam tamen semianimis euasit; & vt primum fatigatus spiritum laxauit, quem metus & periculum intenderant, nullo adiuuante
(quippe in diuersum euaserant alii) exanimatus est. Rex amissi eius desiderio vehementer adflictus est: repertumque corpus magnifico extulit funere. Onerauit hunc dolorem nuncius mortis Andromachi, quem præfecerat Syriæ: viuum
Samaritæ cremauerant. Ad cuius interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit. aduenientique
sunt traditi tanti sceleris auctores. Andromacho deinde Memnona substituit: adfectis supplicio, qui prætorem interemerant. Tyrannos; inter eos Methymnæorum Aristonicum, & Chrysolaum popularibus suis tradidit: quos
illi è muris ob iniurias tortos necauerunt. Athenienſium deinde, Rhodiorumque & Chiorum legatos audit. Athenienses *victoriam* gratulabantur; & *vt captiui Græcorum suis restituerentur*, orabant: Rhodii & Chii *de præsidio* quærebantur. omnes æqua desiderare visi, impetrauerunt. Mitylenæis

Creta à Persis & Spartanis liberatur. Interea Darius Babyloniam copias contrahit: emendataque armatura, & falcatis curribus

tylenæis quoque ob egregiam in partes suas fidem & pecuniam, quam in bellum impenderant; obsides reddidit: & magnam regionem finibus eorum adiecit. Cypriorum quo- 14
que regibus, qui & à Dario defecerant ad ipsum; & oppu-
4, 3, 11. gnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habitus
3, 1, 19. est. Amphoterus deinde classis præfectus ad liberandam 15
Cretam missus (namque & Persarum, & Spartanorum armis pleraque eius insulæ obsidebantur) *ante omnia mare à piraticis classibus vindicare* iussus: quippe obnoxium prædo-
4, 1, 38. nibus erat; in bellum vtroque rege conuerso. His com- 16
positis Herculi Tyrio ex auro crateram, cum triginta pateris dicauit: imminensque Dario, *iter ad Euphratem pronunciari* iussit.

CAP. IX. AT Darius, quum ab Ægypto diuertisse in Africam hostem comperisset; dubitauerat vtrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret: haud dubie potentior auctor præsens futurus vltimis gentibus impigre bellum capessendi, quas ægre per præfectos suos moliebatur. Sed vt idoneis auctoribus fama vulgauit, *Alexandrum cum* 2
omnibus copiis, quamcumq; ipse adisset regionem, petiturum: haud ignarus quam cum strenuo res esset; *omnia longin-*
4, 6, 2. 5, 1, 10. *quarum gentium auxilia Babyloniam contrahi* iussit. Bactriani, Scythæque, & Indi conuenerant: nam & ceterarum gentium copiæ partibus simul adfuerunt. Ceterum quum 3
dimidio ferme maior esset exercitus, quam in Cilicia fuerat; multis arma deerant: quæ summa cura comparabantur.
3, 11, 15. 4, 13, 1. Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis: quis antea præter iacula nihil dederat, scuta gladiique adiiciebantur: equorumque domandi greges 4
peditibus distributi sunt, vt maior pristino esset equitatus:
4, 13, 33. 14, 14. 15, 3. ingensque, vt crediderat, terror hostium, ducentæ falcatæ quadrigæ, vnicum illarum gentium auxilium sequutæ sunt. Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant: vtrim- 5
que

paratus, obuiam procedit hosti. vastari regionem hosti proximam; campos circa Arbela aquari iubet. Alexander Euphrate superato

que à iugo ternos direxerant gladios: & inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum: aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant; & aliæ in terram dimissæ, quidquid obuium concitatis equis fuisset, ampu-
6 taturæ. Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Babylone copias mouit. A parte dextra erat Tigris nobilis fluuius; læuam tegebat Euphrates: agmen Mesopotamiæ
7 campos impleuerat. Tigri deinde superato, quum audisset 3, 2, 3. *haud procul abesse hostem*; Satropatem equitum præfectum cum mille delectis præmisit. Mazæo prætori sex millia data,
8 quibus transitu amnis arceret. eidem mandatum, *vt regionem quam Alexander esset aditurus, popularetur atque vre-* 3, 4, 5. *ret.* quippe credebat inopia debellari posse nihil habentem, nisi quod rapiendo occupasset: ipsi autem commeatus alii
9 terra, alii Tigri amne subuehebantur. Iam peruenerat ad Arbela vicum, nobilem sua clade facturus. hic commea- 5, 1, 10.
tuum sarcinarumque maiore parte deposita, Lycum amnem 4, 16, 8.
ponte iunxit, & per dies quinque, sicut ante Euphratem, 3, 7, 1.
10 traiecit exercitum. Inde octoginta fere stadia progressus, ad alterum amnem, *Bumado* nomen est, castra posuit. Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis & vasta planicies. ne stirpes quidem & breuia virgulta operiunt solum: liberque prospectus oculorum etiam quæ procul recessere, permittitur: Itaque si qua campi eminebant, iussit
11 *æquari, totumque fastigium extendi.* Alexandro, qui numerum copiarum eius, quantum procul coniectari poterant, æstimabant; vix fecerunt fidem, tot millibus cæsis, ma-
12 iores copias esse reparatas. Ceterum omnis periculi, & 4, 10, 4.
maxime multitudinis contemptor, vndecimis castris peruenit ad Euphratem: quo pontibus iuncto *equites primos ire, phalangem sequi* iubet: Mazæo, qui ad inhibendum transitum eius, cum sex millibus equitum occurrerat; non auso
13 periculum sui facere. Paucis deinde, non ad quietem, sed

penetrat ad Tigrim. Eum quoque, licet non ausо prohibere Mazæo, difficulter transit:

ad reparandos animos diebus datis militi; strenue hostem
insequi cepit: metuens ne interiora regni sui peteret; se-
quendusque esset per loca omni solitudine atque inopia
vasta. Igitur quarto die præter Arbela penetrat ad Tigrim. 14
Tota regio vltra amnem recenti fumabat incendio: quip-
3, 4, 3. pe Mazæus quæcumque adierat, haud secus quam hostis vre-
bat. Ac primo caligine, quam fumus effuderat, obscuran-
te lucem; insidiarum metu substitit: deinde vt speculatores 15
præmissi *tuta omnia* nunciauerunt; paucos equitum ad ten-
tandum vadum fluminis præmisit: cuius altitudo primo
summa equorum pectora; mox, vt in medium alueum
ventum est, ceruices quoque æquabat. Nec sane alius ad 16
Orientis plagam tam violentus inuehitur; multorum tor-
rentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens.
itaque à celeritate qua defluit *Tigri* nomen est inditum:
quia Persica lingua *Tigrim* sagittam adpellant. Igitur pe- 17
des velut diuisus in cornua, circumdato equitatu, leuatis
super capita armis, haud ægre ad ipsum alueum penetrat.
Primus inter pedites rex egressus in ripam, vadum militi- 18
bus manu, quando vox exaudiri non poterat; ostendit. sed
gradum firmare vix poterant, quum modo saxa lubrica ve-
stigium fallerent; modo rapidior vnda subduceret. Præci- 19
puus erat labor eorum, qui humeris onera portabant: quip-
pe quum semetipsos regere non possent; in rapidos gurgites
incommodo onere auferebantur. & dum sua quisque spo-
lia consequi studet; maior inter ipsos, quam cum amne or-
5, 11, 1. ta luctatio est: cumulique sarcinarum passim fluitantes ple-
rosque perculerant. Rex monere *vt satis haberent, arma* 20
retinere; cetera se redditurum. Sed neque consilium, ne-
que imperium accipi poterat: obstrepebat hinc metus; præ-
ter hunc inuicem natantium mutuus clamor. Tandem qua 21
leniore tractu amnis aperit vadum, emersere: nec quidquam
præter paucas sarcinas desideratum est. Deleri potuit exer- 22
citus,

citus, si quis ausus esset vincere: sed perpetua fortuna regis 9, 10, 27.
auerrit inde hostem. Sic Granicum tot millibus equitum
peditumque in vlteriore stantibus ripa superauit: sic angu-
23 stis in Ciliciæ callibus tantam multitudinem hostium. Au- 3, 4, 11.
daciæ quoque qua maxime viguit, ratio minui potest; quia
nunquam in discrimen venit, an temere fecisset. Mazæus,
qui, si transeuntibus flumen superueniisset, haud dubie op- 4, 12, 15.
pressurus fuit incompositos; in ripa demum, & iam perar-
24 matos, adequitare cepit. Mille admodum equites præmi-
serat. quorum paucitate Alexander explorata, deinde con-
tempta; præfectum Pæonum equitum Aristona *laxatis ha-*
25 *benis inuehi* iussit. Insignis eo die pugna equitum, & præ-
cipue Aristonis fuit: præfectum equitatus Persarum Satro-
patem, directa in gutture hasta transfixit; fugientemque per 7, 4, 36.
medios hostes consequutus, ex equo præcipitauit, & oblu-
ctanti caput gladio demptit: quod relatum magna cum
laude ante regis pedes posuit.

Biduo ibi rex statiua habuit: in proximum deinde CAP. X.
2 iter pronunciari iussit. Sed prima fere vigilia luna defici-
ens, primum nitorem sideris sui condidit; deinde sanguinis
colore suffuso lumen omne fœdauit: solicitisque sub ipsum
tanti discriminis casum ingens religio, & ex ea formido
3 quædam incussa est. *Diis inuitis in vltimas terras trahi* 9, 4, 18.
se querebantur. *iam nec flumina posse adiri; nec sidera pri-*
stinum præstare fulgorem: vastas terras, deserta omnia oc-
currere: in vnius hominis iactationem tot millium sangui-
nem impendi. fastidio esse patriam; abdicari Philippum pa- 6, 11, 23.
4 *trem; cælum vanis cogitationibus peti.* Iam pro seditione 4, 2, 17. 4,
res erat; quum ad omnia interritus, *duces principesque* 9, 12. 6, 7, 1.
militum frequentes adesse prætorio; Ægyptiosque va-
tes, quos cœli ac siderum peritissimos esse credebat, *quid*
5 *sentirent, expromere* iubet. At illi, qui satis scirent, tem-
porum orbes implere destinatas vices: lunamque deficere
quum

vatum responsa eriguntur: vt est vulgus in superstitionem pronum. Persa vastatores fugantur, priusquam omnem commeatum corrumperent.

quum aut terram subiret; aut sole premeretur: rationem quidem ipsis perceptam non edocent vulgus; ceterum ad- 6
firmant *solem Græcorum, lunam esse Persarum: quoties illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi.* veteraque exempla percensent *Persidis regum, quos aduersis diis pugnasse, lunæ ostendisset defectio.* Nulla res efficacius mul- 7
titudinem regit, quam superstitio: alioqui impotens, sæua, mutabilis; vbi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret. Igitur edita in vulgus Ægyptiorum responsa rursus ad spem & fiduciam erexere torpentes.
4, 1, 29. Rex impetu animorum vtendum ratus, secunda vigilia ca- 8
stra mouit: dextra Tigrim habebat; à læua montes, quos *Gordæos* vocant. Hoc ingresso iter speculatores qui præ- 9
missi erant, sub lucis ortum, *Darium aduentare* nunciauerunt. Instructo igitur milite, & composito agmine antecedebat. Sed Persarum exploratores erant mille ferme, qui 10
3, 8, 17. speciem agminis magni fecerant. quippe vbi explorari vera non possunt, falsa per metum augurantur. His cogni- 11
tis rex cum paucis suorum assequutus agmen refugientium ad suos; alios cecidit, alios cepit: equitesque præmisit simul speculatum; simul vt ignem, quo barbari cre-
3, 5, 1. mauerant vicos, exstinguerent. quippe fugientes raptim te- 12
ctis accruisque frumenti iniecerant flammas: quæ quum in summo hæsissent, ad inferiora nondum penetrauerant. Ex- 13
stincto igitur igne, plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoque rerum abundare ceperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit. quippe vrente & populante eo terram, festinandum erat, ne incendio cuncta præriperet. In rationem ergo necessitas versa; 14
quippe Mazæus, qui antea per otium vicos incenderat; iam fugere contentus, pleraque inuiolata hosti reliquit. Alexan 15
der *haud longius centum quinquaginta stadiis Darium abesse* compererat. itaque ad satietatem quoque copia commea-

16 meatuum instructus, quatriduo in eodem loco substitit. In- 3, 5, 15. 4,
terceptæ deinde Darii literæ sunt; quibus Græci milites so- 11, 18.
licitabantur, *vt regem interficerent, aut proderent:* dubitauitque *an eas pro concione recitaret?* satis confisus Græco-
17 rum quoque erga se beneuolentiæ ac fidei. Sed Parmenio deterruit; *non esse talibus promissis imbuendas aures militum: patere vel vnius insidiis regem: nihil nefas esse aua-*
18 *ritiæ.* Sequutus consilii auctorem, castra mouit. Iter facienti spado vnus ex captiuis, qui Darii vxorem comitaban- 3, 12, 5.
19 tur, *deficere eam* nunciat; *& vix spiritum ducere.* Itineris continui labore, animique ægritudine fatigata, inter socrus & virginum filiarum manus collapsa erat; deinde & extin-
20 cta. id ipsum nuncians alius superuenit. Et rex haud secus, quam si parentis suæ mors nunciata esset, crebros edidit gemitus: lachrimisque obortis, quales Darius profudis- 3, 12, 6.
set; in tabernaculum, in quo mater erat Darii, defuncto ad-
21 sidens corpori, venit. Hic vero renouatus est mœror, vt prostratam humi vidit. recenti malo priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris solatia; sed quibus ipsa deberet esse so- 3, 11, 25.
22 latio. In conspectu erat nepos paruulus, ob id ipsum miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem, maxima ex
23 parte ad ipsum redundantem. Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere, & solatia non adhibere, sed quærere. cibo certe abstinuit: omnemque honorem funeri, pa- 3, 12, 11.
trio Persarum more seruauit: dignus hercule, qui nunc quoque tantum mansuetudinis & continentiæ ferat fructum.
24 Semel omnino eam viderat, quo die capta est; nec vt ipsam, 3, 12, 15.
sed vt Darii matrem videret: eximiamque pulchritudinem formæ eius non libidinis habuerat inciramentum, sed glo- 3, 11, 24.
25 riæ. E spadonibus qui circa reginam erant, Tyriotes inter 3, 12, 5.
trepidationem lugentium, elapsus per eam portam quæ, quia ab hoste auersa erat, leuius custodiebatur; ad Darii ca-

 stra per-

stra peruenit: exceptusque à vigilibus, in tabernaculum re-
3, 11, 25. gis perducitur; gemens & veste lacerata. Quem vt con- 26
spexit Darius, multiplici doloris exspectatione commotus, &
quid potissimum timeret, incertus; *Vultus tuus*, inquit, *ne-
scio quod ingens malum præfert: sed caue miseri hominis
auribus parcas. didici enim esse infelix: & sæpe calamita-*
4, 10, 32. *tis solatium est nosse sortem suam. Num, quod maxime* 27
*suspicor, & loqui timeo, ludibria meorum nunciaturus es;
mihi, & vt credo, ipsis quoque, omni grauiora supplicio?* Ad 28
hæc Tyriotes, *istud quidem procul abest*, inquit: *quantuscum-
que enim reginis honor ab iis qui parent haberi potest;
tuis à victore seruatus est: sed vxor tua paulo ante exces-*
5, 12, 12. *sit è vita.* Tum vero non gemitus modo, sed etiam eiu- 29
latus, totis castris exaudiebantur: nec dubitauit Darius, quin
interfecta esset, quia nequisset contumeliam pati. exclamat-
6, 7, 30. que amens dolore; *quod ego tantum nefas commisi, Alexan-
der? quem tuorum propinquorum necaui, vt hanc vicem
sæuitiæ meæ reddas? Odisti me non quidem prouocatus:
sed finge iustum intulisse te bellum; cum feminis ergo age-*
4, 11, 17. *re debueras?* Tyriotes adfirmare *per deos patrios, nihil in* 30
*eam grauius esse consultum: ingemuisse etiam Alexandrum
morti, & non parcius fleuisse, quam ipse lachrimaretur.* Ob 31
hæc ipsa amantis animus in solicitudinem suspicionemque
reuolutus est; desiderium captiuæ profecto à consuetudine
stupri ortum esse coniectans. Submotis igitur arbitris, vno 32
duntaxat Tyriote retento, iam non flens, sed suspirans; *vi-
desne in te Tyriote locum mendacio non esse? tormenta iam
hic erunt, sed ne exspectaueris per deos; si quid tui tibi re-
gis reuerentiæ est: num, quod & scire expeto, & quærere*
4, 10, 27. *pudet; ausus est & dominus, & iuuenis?* Ille *quæstioni cor-* 33
6, 11, 35. *pus* offerre; *deos testes* inuocare; *caste sancteque habitam esse*
3, 12, 22. *reginam.* Tandem vt fides facta est, vera esse quæ adfir- 34
5, 12, 8. maret spado; capite velato diu fleuit: manantibusque adhuc
lachri-

lachrimis, veste ab ore reiecta, ad cœlum manus tendens;
dii patrii, inquit, *primum mihi stabilite regnum: deinde, si* 6, 7, 28.
*de me iam transactum est; precor, ne quis Asiæ rex sit, quam
iste tam iustus hostis, tam misericors victor.* 3, 12, 24.

Itaque quamquam pace frustra bis* petita, omnia in CAP. XI.
bellum consilia conuerterat; victus tamen continentia ho- *4, 1, 7. 4,
stis, ad nouas pacis conditiones ferendas decem legatos co- 5, 1.
gnatorum principes misit: quos Alexander consilio aduo-
2 cato, *introduci* iussit. E quibus maximus natu; *Darium*, 7, 8, 12.
inquit, *vt pacem à te iam hoc tertio peteret, nulla vis sube-*
3 *git: sed iustitia & continentia tua expressit. Matrem, con-
iugem, liberosque eius, nisi quod sine illo sunt, captos esse non
sensit: pudicitiæ earum quæ supersunt, curam haud secus
quam parens agens,* reginas *adpellas: speciem pristinæ fortu-*
4 *næ retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit
quum dimitteremur ab eo: & ille tamen vxorem; tu hostem
luges. Iam in acie stares, nisi cura te sepulturæ eius mora-
retur. Et quid mirum est, si tam ab amico animo pacem*
5 *petit? quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Ant-* 4, 5, 1.
*ea imperio tuo destinabat Halyn amnem, qui Lydiam ter-
minat. Nunc quidquid inter Hellespontum & Euphraten*
6 *est, in dotem filiæ offert, quam tibi tradit: Ochum filium*, 3, 12, 24.
*quem habes, pacis & fidei obsidem retine: matrem & duas
virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia*
7 *talentum auri precatur accipias. Nisi moderationem animi
tui notam haberem; non dicerem hoc esse tempus, quo pa-
cem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice*
8 *quantum post te reliqueris: intuere quantum petas! PERI-
CVLOSVM est prægraue imperium: difficile est continere,
quod capere non possis. Videsne vt nauigia, quæ modum ex-*
9 *cedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa* 7, 8, 13,
*amiserit, quia NIMIAE opes magnæ iacturæ locum faciunt.
FACILIVS est quædam vincere, quam tueri: quam* hercu- 6, 3, 5.

le ex-

offert. Parmenio conditionem accipiendam censet: eoq; nomine increpatur ab Alexand. Qui legatis respondet;

le expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent. Ipsa mors vxoris Darii te admonere potest minus iam misericordiæ tuæ licere, quam licuit. Alexander, legatis *excedere tabernaculo* iussis, *quid placeret*, ad consilium refert. Diu nemo quid sentiret ausus est dicere: incerta regis voluntate. Tandem Parmenio, *ante suasissem*, ait, *vt captiuos apud Damascum redimentibus redderes. ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occupauerant manus. Et nunc magnopere censerem, vt vnam anum, & duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta millib. talentis auri permutes. Opimum regnum occupari posse conditione, non bello: nec quemquam alium inter Istrum & Euphraten possedisse terras ingenti spatio interualloque discretas. Macedoniam quoque respiceret potius; quam Bactra & Indos intueretur.* Ingrata oratio regi fuit. Itaque vt finem dicendi fecit; *& ego*, inquit, *pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem.* [*Nunc Alexander de paupertate securus sum: & me non mercatorem memini esse, sed regem.*] *Nihil quidem habeo venale; sed fortunam meam vtique non vendo. Captiuos si placet reddi; honestius dono dabimus, quam precio remittemus.* Introductis deinde legatis ad hunc modum respondit: *Nunciate Dario, [gratiarum actionem apud hostem superuacaneam esse: &] me quæ fecerim clementer & liberaliter, non amicitiæ eius tribuisse; sed naturæ meæ: [nec aduersus calamitates; sed aduersus hostium vires contendere.] Bellum cum captiuis & feminis gerere non soleo. armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem pacem bona fide peteret; deliberarem forsitan an darem. verumenimuero, quum modo milites meos literis ad proditionem; modo amicos ad perniciem meam pecunia solicitet: ad internicionem mihi persequendus est, non vt iustus hostis; sed vt percussor veneficus. Conditiones vero pacis quas fertis, si accepero; victorem eum faciunt.*

10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

6, 9, 29. 4, 13, 8. 4, 10, 30. 4, 10, 16. 3, 5, 15.

de summa imperii, prælio in posteram diem esse decernendum. Igitur vtrimque progressis exercitibus, Darius

ciunt. Quæ post Euphraten sunt, liberaliter donat: vbi igitur me adfamini? nempe vltra Euphraten sum. Summum ergo dotis quam promittit terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, vt sciam vestrum esse, quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam: nempe quam scio alicui seruorum suorum nupturam. multum vero mihi præstat, si me Mazæo generum præponit! Ite, nunciate regi vestro; & quæ amisit, & quæ adhuc habet, præmia esse belli: hoc regente vtriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis adsignatura fortuna est. [Et me in Asiam non venisse, vt ab aliis acciperem; sed vt aliis darem. Si secundus, & non par mihi vellet haberi; facerem forsitan quæ petit. ceterum, nec mundus duobus solibus potest regi: nec duo summa regna saluo statu terrarum potest habere. Proinde aut deditionem hodie; aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi quam expertus est, polliceatur fortunam.] Legati respondent; *quum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur. ipsos petere, quamprimum dimittantur ad regem: eum quoque bellum parare debere.* Dimissi nunciant, *adesse certamen.*

4, 5, 7. 4, 5, 7.

Ille quidem confestim Mazæum cum tribus millibus equitum, ad itinera quæ hostis petiturus erat, occupanda præmisit. Alexander corpori vxoris eius iustis persolutis, omnique grauiore comitatu intra eadem munimenta cum modico præsidio relicto; ad hostem contendit. In duo cornua diuiserat peditem; in vtrumque latus equite circumdato: impedimenta sequebantur agmen. Præmissum deinde concitis equitibus Menidam iubet *explorare, vbi Darius esset.* At ille quum Mazæus haud procul consedisset, non ausus vltra procedere; nihil aliud, quam *fremitum hominum, hinnitumque equorum exaudisse* nunciat. Mazæus quoque, conspectis procul exploratoribus, in castra se recipit; aduentus hostium nuncius. Igitur Darius, qui in patentibus

CAP. XII.

4, 12, 23.

campis decernere optabat; *armari militem* iubet, aciemque
disponit. In læuo cornu Bactriani ibant equites, mille ad- 6
modum; Dahæ totidem: & Arachosii Susiique quatuor
millia explebant. Hos quinquaginta falcati currus sequebantur. proximus quadrigis erat Bessus, cum octo millibus
equitum item Bactrianis. Massagetæ duobus millibus a- 7
gmen eius claudebant. Pedites his plurium gentium non
mixtas, sed suæ quisque nationis iunxerant copias. Persas
deinde cum Mardis Sogdianisque Ariobarzanes & Orobates ducebant. Illi partibus copiarum; summæ Orsines præ- 8
erat; à septem Persis oriundus, ad Cyrum quoque nobilis-
10, 1, 23. simum regem originem sui referens. Hos aliæ gentes ne 9
3, 2, 9. 7, 5, 6. sociis quidem satis notæ sequebantur. Post quas quinquaginta quadrigas Phradates magno Caspianorum agmine antecedebat. Indi, ceterique rubri maris accolæ, nomina verius quam auxilia, post currus erant. Claudebatur hoc 10
agmen aliis falcatis curribus quinquaginta: quis peregrinum militem adiunxerat. Hunc Armenii quos minores vocant; Armenios Babylonii; vtrosque Belitæ, & qui montes Cossæorum incolebant, sequebantur. Post hos ibant 11
7, 5, 28. Gortuæ, gentes quidem Euboicæ, Medos quondam sequuti; sed iam degeneres, & patrii moris ignari. Adplicuerat
6, 2, 12. his Phrygas & Cataonas. Parthorum deinde gens, incolentium terras quas nunc Parthi Scythia profecti tenent, claudebant agmen. Hæc sinistri cornu acies fuit. Dextrum tene- 12
bat natio maioris Armeniæ, Cadusiique, Cappadoces, & Syri, & Medi. his quoque falcati currus erant quinquaginta. Summa totius exercitus, equites quadraginta quinque mil- 13
lia: pedestris acies ducenta millia expleuerat. Hoc modo instructi decem stadia procedunt: iussique *subsistere*, armati
4, 13, 13. hostem exspectabant. Alexandri exercitum pauor, cuius 14
causa non suberat, inuasit: quippe lymphati trepidare ceperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Cœli
fulgor

fulgor tempore æstiuo ardenti similis internitens, ignis præbuit speciem; flammasque ex Darii castris splendere, velut
15 inlati temere præsidiis, credebant. Quod si perculsis Ma- 4, 9, 23.
zæus, qui præsidebat itineri, superuenisset; ingens clades accipi potuit. ille segnis in eo quem occupauerat tumulo se- 3, 4, 11.
16 det: contentus non lacessi. Alexander cognito pauore exercitus, *signum vt consisterent dari; ipsos arma deponere ac leuare corpora* iubet: admonens *nullam subiti caussam esse*
17 *timoris; hostem procul stare.* Tandem compotes sui pariter arma & animos recepere: nec quidquam ex præsentibus
18 tutius visum est, quam eodem loco castra munire. Postero die Mazæus, qui cum delectis equitum in edito colle ex quo Macedonum prospiciebantur castra, consederat; siue metu,
19 siue quia *speculari modo* iussus erat, ad Darium rediit. Macedones eum ipsum collem quem deseruerat occupauerunt: nam & tutior planicie erat; & inde acies hostium, quæ in
20 campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes; vniuersam quidem rei faciem non abstulit: ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. Multitudo inundauerat campos: fremitusque tot millium etiam procul stantium aures im-
21 pleuerat. Fluctuari animo rex, & modo suum; modo Parmenionis consilium sera æstimatione perpendere. quippe eo ventum erat, vnde recipi exercitus nisi victor, aut sine clade non posset. [Mouebat etiam eum multitudo hostium,
22 respectu paucitatis suæ gentis: sed interdum reputabat, quantas res cum hac gente gessisset, quantosque populos fudisset. Itaque, quum spes metum vinceret, periculosius bellum differre ratus, ne desperatio suis cresceret;] dissimulato eo,
23 *mercenarium equitem ex Pæonia præcedere* iubet. Ipse pha- 4, 12, 3.
langem, sicut antea dictum est, in duo cornua extenderat: vtrumque cornu equites tegebant. Iamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat: & Macedones,
siue

mutuus clamor. Parmenionis consilium, vt intempesta nocte hostes adgrederentur; ceteris ducibus probatur: at regi

siue alacritate; siue tædio exspectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem. redditus & à Persis, nemora
3, 10, 1. vallesque circumiectas terribili sono impleuerat. Nec iam 24
contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent. Melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire; *vallum iaci* iussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit.
7, 8, 2.

CAP. XIII. Tvm vero vniuersa futuri* discriminis facies in oculis erat: armis insignibus * equi virique splendebant: &
3, 8, 20. * 4, 9, 3. omnia intentiore cura præparari apud hostem, solicitudo
4, 13, 5. 7, 11, 25. prætorum agmina sua interequitantium ostendebat. ac pleraque inania; sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor; solicitam exspectatione mentem turbauerant. Igitur siue dubius animi, siue vt suos; 2
experiretur; consilium adhibet: *quid optimum factu esset*, exquirens. Parmenio peritissimus inter duces artium bel- 4
li, *furto, non prælio opus esse* censebat: *intempesta nocte opprimi posse hostes. discordes moribus, linguis; adhæc somno, & improuiso periculo territos, quando in nocturna trepidatione coituros? At interdiu primum terribiles occursuras* 5
5, 6, 18. 7, 4, 6. 7, 11, 25. *facies Scytharum Bactrianorumque: hirta illis ora, & intonsas comas esse; præterea eximiam vastorum magnitudinem corporum. vanis & inanibus militem magis quam iustis formidinis caussis moueri. Deinde tantam multitudinem* 6
3, 7, 9. 3, 8, 19. 7, 4, 4. *circumfundi paucioribus posse. non in Ciliciæ angustiis, & inuiis callibus; sed in aperta & lata planicie dimicandum fore.* Omnes ferme Parmenioni adsentiebant: Polypercon 7
haud dubie in eo consilio positam victoriam arbitrabatur. quem intuens rex; namque Parmenionem nuper acrius 8
4, 11, 14. quam vellet increpitum, rursus castigare non sustinebat: *latrunculorum*, inquit, *& furum ista solertia est, quam præcipitis mihi: quippe illorum votum vnicum est fallere. Mea* 9

vero

displicet. Darius tamen impressionem nocturnam metuens, circuit suos, & ad virtutem hortatur. Nec minus solicitus Alexander sacra facit: deinde ad multam lucem

vero gloriæ semper aut absentiam Darii; aut angustias locorum; aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce adgredi certum est. malo me fortunæ pœniteat; quam victo-
10 *riæ pudeat. Ad hæc illud quoque accedit, vigilias agere barbaros, & in armis stare, vt ne decipi quidem possint, compertum habeo. itaque ad prælium vos parate.* Sic incitatos
11 ad corpora curanda dimisit. Darius illud quod Parmenio suaserat, hostem facturum esse coniectans; *frenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura seruari* iusserat. ergo ignibus tota eius ca-
12 stra fulgebant. Ipse cum ducibus propinquisque agmina in armis stantium circumibat; *Solem Mithren, sacrumque & æternum* inuocans *ignem, vt illis dignam vetere gloria,* 3, 3, 9. 4, 14, 24. 5,
13 *maiorumque monumentis fortitudinem inspirarent. Et pro-* 8, 16. 6, 1.
fecto si qua diuinæ opis auguria humana mente concipi possent; deos stare secum. illos nuper Macedonum animis subi- 8. 4, 12, 14.
tam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique, arma iacientes: expetere præsides Persarum imperii deos
14 *debitas è vecordibus pœnas. Nec ipsum ducem saniorem esse. quippe ritu ferarum prædam modo, quam expeteret intuentem; in perniciem, quæ ante prædam posita esset, incurrere.* Similis apud Macedones quoque solicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt.
15 Alexander non alias magis territus, *ad vota & preces Aristandrum vocari* iubet. ille in candida veste verbenas manu præferens, capite velato præibat preces regi Iouem Miner- 5, 4, 1.
16 uam Victoriamque propitianti. Tunc quidem sacrificio rite perpetrato, reliquum noctis adquieturus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum capere, nec quietem pati 3, 8, 22. 3, 8, 20.
poterat. modo è iugo montis aciem in dextrum Persarum cornu demittere agitabat; modo recta fronte concurrere hosti: interdum hæsitare, an potius in læuum torque-
17 ret agmen? tandem grauatum animi anxietate corpus al-

dormientem excitat Parmenio: cui miranti rex ait; se ob instans prælium latum, secure quieuisse. Posthac

tior somnus oppressit. Iamq; luce orta duces ad accipienda imperia conuenerant; insolito circa prætorium silentio adtoniti. quippe alias accersere ipsos, & interdum morantes 18
castigare adsueuerat: tunc ne vltimo quidem rerum discrimine excitatum esse mirabantur; & non somno quiescere, sed pauore marcere credebant. Non tamen quisquam è 19
custodibus corporis intrare tabernaculum audebat: & iam
tempus instabat; nec miles iniussu ducis, aut arma capere
poterat, aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus, *cibum* 20
vt caperent, ipse pronunciat. Iamque exire necesse erat:
tunc demum intrat tabernaculum: sæpiusque nomine compellatum, quum voce non posset; tactu excitauit. *Multa* 21
lux, inquit, *est, instructam aciem hostis admouit: tuus miles adhuc inermis exspectat imperium. Vbi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles.* Ad hæc Alexander; 22
credisne me prius somnum capere potuisse, quam exonerarem animum solicitudine quæ quietem morabatur? signumque pugnæ tuba dari iussit. Et quum in eadem admiratione 23
Parmenio perseueraret [*quod securus somnum cepisset;*]
minime, inquit, *mirum est. ego enim, quum Darius terras*
Contra 4, 14, 2. *vreret, vicos exciderent, alimenta corrumperet, potens mei non eram: nunc vero quid metuam, quum acie decernere* 24
paret? Hercule votum meum impleuit. Sed huius quoque consilii ratio postea reddetur: vos ite ad copias, quibus quisque præst. ego iam adero, & quid fieri velim, exponam.
4, 6, 14. Raro admodum admonitu amicorum, quum metus discri- 25
minis aderat, vti solebat. Tunc quoque munimento cor-
3, 8, 24. poris sumpto processit ad milites. Haud alias tam alacrem viderant regem: & vultu eius interrito, certam spem victoriæ augurabantur. Atque ille *prorupto vallo exire copias* 26
iubet, aciemque disponit. In dextro cornu locati sunt equi-
5, 4, 21. tes, quos *agema* adpellant. præerat his Clitus: cui iunxit Philotæ turmas, ceteroſque præfectos equitum lateri eius

adpli-

aciem solertissime disposuit: vt à fronte, tergo, & lateribus habilis esset. Suos contra falcatos currus instruxit

27 adplicuit. Vltima Meleagri ala stabat: quam phalanx sequebatur. Post phalangem Argyraspides erant. his Nicanor
28 Parmenionis filius præerat. In subsidiis cum manu sua Cœnos: post eum Orestes Lyncestesque. Post illos Polypercon dux peregrini militis. huius agminis Amyntas princeps erat. Philagus Balacros regebat, in societatem nuper
29 adscitos. Hæc dextri cornu facies erat. In læuo, Craterus Peloponnensium equites habebat Achæorumque: & Locrensium, & Maleon turmis sibi adiunctis. hos Thessali equites claudebant, Philippo duce. Peditum acies equitatu
30 tegebatur. frons læui cornu hæc erat. Sed ne circumiri posset à multitudine; vltimum agmen valida manu cinxerat. cornua quoque subsidiis firmauit, non recta fronte; sed à latere positis: vt si hostis circumuenire aciem tentasset,
31 parata pugnæ forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus præerat; adiunctis sagittariis Cretensibus. Vltimos ordines auertit à fronte, vt totam aciem orbe muniret. Illyrii 4, 14, 14.
hic erant: adiuncto milite mercede conducto. Thracas
32 quoque simul obiecerat leuiter armatos. adeoque aciem versatilem posuit, vt qui vltimi stabant, ne circumirentur; verti tamen, & in frontem circumagi possent. Itaque non prima quam latera; non latera munitiora fuere, quam terga.
33 His ita ordinatis, præcipit *vt, si falcatos currus cum fremitu* 4, 9, 4.
barbari emitterent; ipsi laxatis ordinibus impetum occurrentium silentio exciperent: haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. *sin autem sine fremitu immississent; eos ipsi clamore terrerent: pauidosq; equos telis*
34 *vtrimque suffoderent.* Qui cornibus præerant, *extendere ea* iussi, *ita vt nec circumuenirentur, si arctius starent; nec*
35 *tamen mediam aciem exinanirent.* Impedimenta cum captiuis, inter quos mater liberique Darii custodiebantur, haud procul acie in edito colle constituit; modico præsidio relicto. Læuum cornu, sicut alias, Parmenioni tuen- 4, 15, 6, 4, 16, 1.

dum

dum datum: ipse in dextro stabat. Nondum ad teli iactum 36
peruenerant, quum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem peruenit: nuncians *murices ferreos in terram defodisse Darium, qua hostem equites emissurum esse credebat: notatumque certo signo locum, vt fraus euitari à suis posset. Adseruari* transfuga iusso, du- 37
ces conuocat: expositoque quod nunciatum erat, monet; *vt regionem monstratam declinent, equitemque periculum edoceant.* Ceterum hoc tantus exercitus exaudire non pot- 38
erat; vsum aurium intercipiente fremitu duorum agminum: sed in conspectu omnium duces & proximum quemque interequitans adloquebatur.

CA. XIV. *EMensis tot terras in spem victoriæ, de qua dimicandum foret, hoc vnum superesse discrimen. Granicum* hic *amnem, Ciliciæque montes, & Syriam Aegyptumque præeuntibus raptas*, ingentia spei gloriæque incitamenta, referebat. *Reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non* 2.
possent. tertium diem iam metu exsangues, armis suis oneratos, in eodem vestigio hærere. nullum desperationis illo- Contra 4, 13, 23.
rum maius indicium esse, quam quod vrbes, * *quod agros* *3, 4, 3. & 14.
suos vrerent; quidquid non corrupissent, hostium esse confessi. Nomina modo vana gentium ignotarum ne extime- 3
scerent. neque enim ad belli discrimen pertinere, qui ab his Scythæ, quive Caduſii adpellentur. Ob id ipsum, quod ignoti essent, ignobiles esse. nunquam ignorari viros fortes: 4
at imbelles ex latebris suis erutos, nihil præter nomina adferre. Macedones virtute adsequutos, ne quis toto orbe locus esset, qui taleis viros ignoraret. Intuerentur barbaro- 5
rum inconditum agmen: alium nihil præter iaculum habere; alium funda saxa librare: paucis iusta arma esse. Itaque illinc plures stare: hinc plures dimicaturos. Nec postulare se, 6
vt fortiter capesserent prælium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum. se ante prima signa dimicaturum spon-
dere.

dere. pro se, quot cicatrices, totidem corporis decora: scire ipsos vnum pene se prædæ communis exsortem, in illis colen-
7 *dis ornandisque vsurpare victoriæ præmia. Hæc se fortibus viris dicere. si qui dissimiles eorum essent; illa fuisse dictu-*
rum: peruenisse eo, vnde fugere non possent. tot terrarum 4, 14, 11.
spatia emensis; tot amnibus montibusque post tergum obie- & 15.
ctis; iter in patriam & penates manu esse faciendum. Sic 4, 13, 38.
8 duces, sic proximi militum instincti sunt. Darius in læuo 4, 15, 1.
cornu erat; magno suorum agmine, delectis equitum pe-
ditumque stipatus: contempseratque paucitatem hostis; va- 3, 3, 28.
9 nam aciem esse, extentis cornibus ratus. Ceterum sicut 7, 4, 2.
curru eminebat, dextra læuaque ad circumstantium agmina 4, 14, 14.
oculos manusque circumferens; *Terrarum*, inquit, *quas Oceanus hinc adluit, illinc claudit Hellespontus, paulo ante domini, iam non de gloria, sed de salute; &, quod saluti præponitis, de libertate pugnandum est. Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet; aut finiet.*
10 *Apud Granicum minima virium parte cum hoste certauimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere: magna mu-*
11 *nimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est* 4, 5, 4.
eo, vnde pulsis ne fugæ quidem locus est. omnia tam diu- 7, 4, 5.
tino bello exhausta post tergum sunt: non incolas suos vr- 4, 14, 7.
bes; non cultores habent terræ. Coniuges quoque & liberi 3, 8, 12.
sequuntur hanc aciem: parata hostibus præda, nisi pro caris-
12 *simis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit*
partium; exercitum, quem pene immensa planicies vix ca-
peret, comparaui: equos, arma distribui: commeatus, ne tan-
tæ multitudini deessent, prouidi: locum in quo acies expli- 4, 7, 9.
13 *cari posset, elegi. Cetera in vestra potestate sunt: audete*
modo vincere; famamque, *infirmissimum aduersus fortes* 4, 9, 22.
viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro *9, 2, 15.
virtute timuistis: quæ vbi primum impetum effudit, velut
14 *quædam animalia amisso aculeo torpet. Hi vero campi de-* 4, 5, 4.

hosti in quum. priores clades fortunæ imputandas; quam necesse sit virtute corrigi. Regis

prehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes abscónderant.
4, 13, 31. videtis ordines raros; cornua extenta; mediam aciem va-
4, 15, 3. nam & exhaustam. nam vltimi, quos locauit auersos, terga
iam præbent. Obteri mehercule equorum vngulis possunt;
4, 9, 4. 4, 15, 3. etiamsi nil præter falcatos currus emisero. Et bello vice-
rimus, si vincimus prælio: nam ne illis quidem ad fugam
4, 14, 7. locus est. hinc Euphrates; illinc Tigris prohibet inclusos. Et
quæ antea pro illis erant, in contrarium conuersa sunt. No-
3, 3, 27. strum mobile & expeditum agmen est; illud præda graue.
implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus: eademque res
& caussa victoriæ erit, & fructus. Quod si quem è vobis
nomen gentis mouet; cogitet Macedonum illic arma esse, non
corpora. multum enim sanguinis inuicem hausimus; & sem-
per grauior in paucitate iactura est. Nam Alexander,
quantuscumque ignauis & timidis videri potest; vnum a-
nimal est: & si quid mihi creditis, temerarium & vecors;
adhuc nostro pauore, quam sua virtute felicius. NIHIL au-
tem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. licet felici-
tas adspirare videatur; tamen AD vltimum temeritati
non sufficit. Præterea BREVES & mutabiles vices rerum
sunt: & fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan
ita dii fata ordinauerunt, vt Persarum imperium, quod se-
6, 4, 9. cundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fasti-
gium euexerant; magno motu concuterent magis, quam ad-
8, 4, 24. 10, 1, 40. fligerent: admonerentque nos fragilitatis humanæ, CVIVS
nimia in prosperis rebus obliuio est. Modo Græcis vltro
bellum inferebamus: nunc in sedibus nostris propulsamus in-
latum. iactamur inuicem varietate fortunæ. Videlicet im-
perium, quod mutuo adfectamus, vna gens non capit. Cete-
rum etiamsi spes non subesset; necessitas tamen stimulare de-
beret: ad extrema peruentum est. matrem meam; duas
3, 11, 24. filiis; Ochum in spem huius imperii genitum; illos principes;
illam subolem regiæ stirpis; duces vestros regum instar, vin-

ctos

ctos habet: nisi quod in vobis est, ipse ego maiore parte captiuus sum. Eripite viscera mea ex vinculis: restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso; parentem,
5, 5, 18. 23 liberos, nam coniugem in illo carcere amisi. Credite nunc
6, 7, 28. omnes tendere ad vos manus; implorare patrios deos; opem
vestram, misericordiam, fidem expostcere: vt seruitute; vt
compedibus; vt precario victu ipsos liberetis. An creditis
24 æquo animo iis seruire, quorum reges esse fastidiunt? Video
admoueri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo;
hoc minus iis quæ dixi, possum esse contentus. Precor vos
3, 3, 9. per deos patrios; æternumque ignem, qui præfertur altari-
bus; fulgoremque Solis intra fines regni mei orientis; per
4, 13, 12. æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisque im-
perium primus in Persidem intulit: vindicate ab vltimo de-
25 decore nomen gentemque Persarum. Ite alacres & spe pleni, vt quam gloriam accepistis à maioribus vestris, posteris
relinquatis. In dextris vestris iam libertatem, opem, spem
futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contem-
26 pserit: timidissimum quemque consequitur. Ipse non patrio
3, 3, 15. more solum, sed etiam vt conspici possim, curru vehor: nec re-
cuso, quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum;
4, 14, 6. siue ignauiæ fuero.

Interim Alexander, vt & demonstratum à transfuga in- Cap. XV.
4, 13, 36. fidiarum locum circumiret; & Dario, qui læuum cornu tue-
4, 14, 8. 2 batur, occurreret: agmen *obliquum incedere* iubet. Darius
quoque eodem suum obuertit; Besso admonito, *vt Massagetas equites in læuum Alexandri cornu à latere inuehi*
4, 9, 4. 3 *iuberet.* Ipse ante se falcatos currus habebat: quos signo
dato vniuersos in hostem effudit. ruebant laxatis habenis
aurigæ, quo plures nondum satis prouiso impetu obtererent.
4, 15, 17. 4 Alios ergo hastæ multum vltra temones eminentes; alios
ab vtroque latere dimissæ falces laceruere. nec sensim Ma-
4, 15, 4. 5 cedones cedebant; sed effusa turbauerant fuga ordines. Ma-

zæus.

Magus impedimenta hostium diripit: ea Alexand. negligi iubet. Sysigambis Letis in specie rebus non mouetur.

zæus quoque perculsis metum incussit: mille equitibus *ad diripienda hostis impedimenta circumuehi* iussis: ratus captiuos quoque qui simul adseruabantur, rupturos vincula,
4, 13, 35. quum suos adpropinquantes vidissent. Non fefellerat Par- 6
7, 2, 10. menionem, qui in læuo cornu erat: propere igitur Polydamanta mittit ad regem, qui & periculum ostenderet, & *quid fieri iuberet*, consuleret. Ille audito Polydamante, *abi nuncia*, inquit, *Parmenioni, si acie vicerimus, non nostra solum*
5, 2, 10. *nos recuperaturos; sed omnia quæ hostium sunt occupaturos. Proinde non est quod quidquam virium subducat ex acie:* 8 *sed vt me & Philippo patre dignum est, contempto sarcinarum damno fortiter dimicet.* Interim barbari impedimen- 9 ta turbauerant; cæsisque plerisque custodum, captiui vinculis ruptis, quidquid obuium erat, quo armari possent, rapiunt: & adgregati suorum equitibus Macedonas ancipiti circumuentos malo inuadunt. lætique circa Sysigambim *vicisse* 10 *Darium: ingenti cæde prostratos hostes; ad vltimum etiam impedimentis exutos esse* nunciant. quippe eamdem fortunam vbique esse credebant, & victores Persas ad prædam discurrisse. Sysigambis hortantibus captiuis, *vt animum à* 11 *mœrore adleuaret*; in eodem, quo antea fuit, perseuerauit. non vox vlla excidit ei: non oris color, vultusue mutatus est: sed sedit immobilis (credo præcoque gaudio verita fortunam inritare) adeo vt quid mallet, intuentibus fuerit incertum. Inter hæc Amyntas præfectus equitum Alexan- 12 dri cum paucis turmis opem impedimentis laturus aduenerat; incertum suone consilio, an regis imperio. sed non sustinuit Cadusiorum Scytharumque impetum: quippe vix tentato certamine effugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis, quam vindex. Iam consilium Alexan- 13 dri vicerat dolor: & ne cura recuperandi sua militem à prœlio auerteret; non immerito verebatur. Itaque Areten, ducem hastatorum quos *sarissophoros* vocabant, aduersus

Currus falcati in phalangem inuehuntur: cum vtrorumque damno. Ad impedimenta acriter pugnatur. Alexandri virtus, & periculum.

14 sus Scythas mittit. Inter hæc currus, qui circa prima signa 4, 15, 4.
turbauerant aciem; in phalangem inuecti erant. Macedo-
15 nes confirmatis animis in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies erat: iunxerant hastas; & ab vtroq; latere temere incurrentium ilia suffodiebant. circumire deinde currus, &
16 propugnatores præcipitare ceperunt. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem compleuerat. hi territos regere non poterant: equi crebra iactatione ceruicum non iugum modo excusserant; sed etiam currus euerterant. vulnerati interfectos trahebant: nec consistere territi; nec progredi de-
17 biles poterant. Paucæ tamen euasere quadrigæ in vltimam aciem, iis quibus inciderunt, miserabili morte consumptis. 4, 15, 4.
quippe amputata virorum membra humi iacebant; & quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque & de- 8, 10, 29.
biles arma non omittebant: donec multo sanguine effu-
18 so, exanimati procumberent. Interim Aretes Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso; grauius territis instabat. Superuenere deinde missi à Dario Bactriani, pugnæque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt: plures ad Alexandrum refugerunt.
19 Tum Persæ clamore sublato, qualem victores solent edere; ferociter in hostem, quasi vbique profligatum, incurrunt. Alexander territos castigare; adhortari: prœlium, quod iam languerat, solus accendere: confirmatisq; tandem animis, *ire*
20 *in hostem* iubet. Rarior acies erat in dextro cornu Persarum; namque inde Bactriani decesserant ad opprimenda impedimenta. itaq; Alexander laxatos ordines inuadit, & multa cæ-
21 de hostium inuehitur. At qui in læuo cornu erant Persæ, spe posse eum includi, agmen suum à tergo dimicantis opponunt: ingensque periculum in medio hærens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos regi barbaros adorti essent, auersosque cædendo in se obuerti coegissent.
22 Turbata erat vtraque acies. Alexander à fronte, & à tergo

vtriusq; regis. Aquila in partibus Alexandri conſpecta, victoriæ omen. quo confirmati Macedones hoſtibus acrius inſtant: donec

hoſtem habebat: qui auerſo ei inſtabant, ab Agrianis militibus premebantur: Bactriani impedimentis hoſtium direptis reuerſi, ordines ſuos recuperare non poterant: plura ſimul abrupta à ceteris agmina, vbicumque alium alii fors miſcuerat, dimicabant. Duo reges iunctis prope agminibus præ- 23
lium accendebant. plures Perſæ cadebant; par ferme vtrimq; numerus vulnerabatur: curru Darius; Alexander equo vehe- 24
batur: vtrumq; delecti tuebantur ſui immemores. quippe amiſſo rege nec volebant ſalui eſſe, nec poterant. ante oculos ſui quiſque regis mortem occumbere ducebant egregium. maximum tamen periculum adibant, qui maxime tueban- 25
tur; quippe ſibi quiſq; cæſi regis expetebat decus. Ceterum 26
ſiue ludibrium oculorum, ſiue vera ſpecies fuit; qui circa Alexandrum erant, vidiſſe ſe crediderunt, paululum ſuper caput regis placide volantem aquilam, non ſonitu armorum, non gemitu morientium territam: diuq; circa equum Alexandri pendenti magis, quam volanti ſimilis adparuit. Certe vates 27
Ariſtander alba veſte indutus, & dextra præferens lauream, militibus in pugnam intentis auem monſtrauit, *haud dubium victoriæ auſpicium.* Ingens ergo alacritas ac fiducia 28
paulo ante territos, accendit ad pugnam. vtique poſtquam auriga Darii, qui ante ipſum ſedens equos regebat, haſta transfixus eſt. nec aut Perſæ, aut Macedones dubitauere, quin ipſe rex eſſet occiſus. Lugubri ergo vlulatu & incondito 29
clamore gemituque totam fere aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbauere cognati Darii & armigeri; læuoque cornu in fugam effuſo, deſtituerant currum: quem à dextra parte ſtipati in medium agmen receperunt. Dicitur acina- 30
ce ſtricto Darius dubitaſſe, an fugæ dedecus honeſta morte vitaret. Sed eminens curru nondum omnem ſuorum aciem prœlio excedentem deſtituere erubeſcebat. Dum in- 31
ter ſpem & deſperationem hæſitat, ſenſim Perſæ cedebant, & laxauerant ordines. Alexander mutato equo, quippe plures fa-

ipſe etiam Darius in fugam ageretur. At leuum Macedonum cornu Mazæus premit: ſed regis ſui fuga comperta, remiſſius inſtat: denique & ipſe

res fatigauerat, reſiſtentium aduerſa ora fodiebat, fugientium
32 terga. Iamque non pugna; ſed cædes erat: cum Darius quoque currum ſuum in fugam vertit. Hærebat in tergis 5, 8, 8.
fugientium victor: ſed proſpectum oculorum nubes pul- 5, 13, 12.
33 ueris, quæ ad cœlum ferebatur, abſtulerat. ergo haud ſecus quam in tenebris errabant; ad ſonitum notæ vocis, vt ſignum ſubinde coeuntes. Exaudiebantur tantum ſtrepitus habenarum, quibus equi currum trahentes idemtidem verberabantur: hæc ſola fugientis veſtigia excepta ſunt.

CA. XVI.

AT in læuo Macedonum cornu, quod Parmenio, ſic- 4, 13, 35.
ut ante dictum eſt, tuebatur; longe alia fortuna vtriuſque partis res gerebatur. Mazæus cum omni ſuorum equitatu
2 vehementer inuectus vrgebat Macedonum alas; iamque abundans multitudine aciem circumuehi ceperat; quum Parmenio equites *nunciare* iubet *Alexandro, in quo diſcrimine ipſi eſſent, niſi mature ſubueniretur; non poſſe ſiſti fugam.*
3 Iam multum viæ proceſſerat Rex, imminens fugientium tergis; quum à Parmenione triſtis nuncius venit. *refrenare equos* iuſſi, qui vehebantur, agmenque conſtitit: Fren- 4, 16, 16.
dente Alexandro, *eripi ſibi victoriam è manibus; & Da-*
4 *rium felicius fugere quam ſequi* ſe. Interim ad Mazæum ſuperati regis fama peruenerat. Itaque quamquam validior erat; fortuna tamen partium territus, perculſis languidius 5, 4, 28.
inſtabat. Parmenio ignorabat quidem cauſſam ſua ſponte pugnæ remiſſæ; ſed occaſione vincendi ſtrenue eſt vſus.
5 Theſſalos equites ad ſe vocari iubet. *Ecquid*, inquit, *videtis iſtos, qui ferociter modo inſtabant, pedem referre, ſubito pauore perterritos? Nimirum nobis quoque regis noſtri fortuna vincit. omnia Perſarum cæde ſtrata ſunt. quid ceſſa-*
6 *tis? an ne fugientibus quidem pares eſtis?* Vera dicere videbatur, & ſpes languentes quoque erexerat. ſubditis calcaribus prorüere in hoſtem. & illi iam non ſenſim, ſed citato gradu recedebant, nec quidquam fugæ, niſi quod terga

nondum verterant, deerat. Parmenio tamen, ignarus quæ- 7
nam in dextro cornu fortuna regis eſſet; repreſſit ſuos:
Mazæus dato fugæ ſpatio, non recto itinere; ſed maiore &
5,1,17. ob id tutiore circumitu Tigrim ſuperat: & Babylonem cum
reliquiis deuicti exercitus intrat. Darius paucis fugæ co- 8
mitibus ad Lycum amnem contenderat, quo trajecto dubi-
4,9,9. tauit an ſolueret pontem, quippe *hoſtem iam adfore* nuncia-
batur. Sed tot millia ſuorum, quæ nondum ad amnem
peruenerant, ponte reciſo, prædam hoſtis fore videbat. Ab- 9
3,2,17. euntem, quum intactum ſineret pontem, dixiſſe conſtat, *Malle inſequentibus iter dare; quam auferre fugientibus.* Ipſe in-
gens ſpatium fuga emenſus media fere nocte Arbela perue-
nit. Quis tot ludibria fortunæ, ducum agminumque cæ- 10
dem multiplicem; deuictorum fugam; clades nunc ſingulo-
rum; nunc vniuerſorum, aut animo adſequi queat, aut ora-
tione complecti? Propemodum ſæculi res in vnum illum
diem fortuna cumulauit. Alii qua breuiſſimum patebat 11
iter; alii diuerſos ſaltus, & ignotos ſequentibus calles pete-
bant. Equesque pedeſque confuſi ſine duce, armatis inermes,
5,6,15. 8,11, integris debiles implicabantur. Deinde miſericordia in me- 12
12. & 23. 9, tum verſa, qui ſequi non poterant, inter mutuos gemitus
10,15. con- deſerebantur. Sitis præcipue fatigatos & faucios perurebat,
tra 3,5,8. paſſimque omnibus riuis proſtrauerant corpora, præter-
fluentem aquam hianti ore captantes, quam quum diu aui- 13
7,5,8. di turbidam hauſiſſent, tendebantur extemplo præcordia pre-
mente limo; reſolutiſque & torpentibus membris; quum
ſuperueniſſet hoſtis, nouis vulneribus excitabantur. Qui- 14
dam, occupatis proximis riuis, diuerterant longius, vt quid-
quid occulti humoris vſquam manaret, exciperent. nec vlla
adeo auia & ſicca lacuna erat, quæ veſtigantium ſitim falle-
ret. E proximis vero itineri vicis ſenum vlulatus femina- 15
3,11,25. rumque exaudiebantur, barbaro ritu *Darium* adhuc *regem*
4,16,3. clamantium. Alexander, vt ſupra dictum eſt, inhibito ſuo- 16
rum cur-

rum curſu ad Lycum amnem peruenerat. vbi ingens mul-
titudo fugientium onerauerat pontem, & plerique quum
hoſtis vrgeret, in flumen ſe præcipitauerant, graueſque ar-
mis & prœlio ac fuga defatigati gurgitibus hauriebantur.
17 Iamque non pons modo fugientes; ſed ne amnis quidem
capiebat, agmina ſua improuide ſubinde cumulantes. quip-
pe vbi intrauit animos pauor; id ſolum metuunt, quod pri- 5,10,15. 6, 9,23.
18 mũ formidare ceperunt. Alexander inſtantibus ſuis, *impune abeuntem hoſtem ſequi permitteret; hebetia tela eſſe, & manus fatigatas; tantoq, curſu corpora exhauſta, & præceps in*
19 *noctem diei tempus* cauſſatus eſt. Re vera de læuo cornu, 3,11,6.
quod adhuc in acie ſtare credebat, ſolicitus, reuerti ad ferendam opem ſuis ſtatuit. Iamque ſigna conuerterat; quum
equites à Parmenione miſſi illius quoque partis victoriam
20 nunciant. Sed nullum eo die maius periculum adiit, quam
dum copias reducit in caſtra. Pauci eum & incompoſiti ſe-
quebantur ouantes victoria. quippe omnes hoſtes aut in
21 fugam effuſos, aut in acie credebant cecidiſſe; quum repen-
te ex aduerſo adparuit agmen equitum, qui primo inhibue-
re curſum, deinde Macedonum paucitate conſpecta turmas
22 in obuios concitauerunt. Ante ſigna rex ibat diſſimulato
magis periculo, quam ſpreto: nec defuit ei perpetua in du-
23 biis rebus felicitas. namque præfectum equitatus auidum
certaminis, & ob id ipſum incautius in ſe ruentem haſta
transfixit. quo ex equo lapſo, proximum, ac deinde plures
24 eodem telo confodit. Inuaſere turbatos amici quoque;
nec Perſæ inulti cadebant: quippe non vniuerſæ acies, quam
25 hæ tumultuariæ manus vehementius iniere certamen. Tan-
dem barbari quum obſcura luce, fuga tutior videretur eſſe
quam pugna, diuerſis agminibus abiere. Rex extraordina-
rio periculo defunctus, incolumes ſuos reduxit in caſtra.
26 Cecidere Perſarum, quorum numerum victores finire po-
tuerunt, millia XL; Macedonum minus quam CCC deſide-

cui victoriam hanc potius quam fortunæ debuisse videtur; sed & suorum fortitudini.

3,12,27. rati sunt. Ceterum hanc victoriam rex maiore ex parte 27
virtuti quam fortunæ suæ debuit; animo, non vt antea loco
vicit. Nam & aciem peritissime instruxit: & promptissi- 28
me ipse pugnauit: & magno consilio iacturam sarcinarum
impedimentorumque contempsit, quum in ipsa acie sum-
mum rei videret esse discrimen: dubioque adhuc pugnæ
euentu pro victore se gessit, perculsos deinde hostes fudit:
fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, pru- 29
dentius quam auidius persequutus est. Nam si parte exer- 30
citus adhuc in acie stante, instare cedentibus perseueraſſet;
aut sua culpa victus esset: aut aliena virtute vicisset. iam si
multitudinem equitum occurrentium extimuisset; victori
aut fœde fugiendum, aut miserabiliter cadendum fuit. Ne 31
duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt; quippe
vulnera, quæ quisque excepit, indicia virtutis sunt. Hephæ- 32
stionis brachium hasta ictum est: Perdiccas, ac Cœnus, &
Menidas sagittis prope occisi. Et si vere æstimare Mace- 33
donas, qui tunc erant, volumus: fatebimur & regem tali-
bus ministris; & illos tanto rege fuisse dignissimos.

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI
DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER QVINTVS.

7,4,32. QVæ interim ductu imperioque ~~Alexandri~~ Antipatri vel in Græcia, vel in Illyriis ac Thracia gesta sunt; si quæque suis temporibus reddere voluero; interrumpendæ sunt res Asiæ. Quas vtique ad fugam mortemque Darii 2
vniuer-

vniuersas in conspectu dari; & sicut inter se cohærent tempore, ita opere ipso coniungi; haud paulo aptius videri potest. Igitur ante, quæ prœlio apud Arbela coniuncta sunt, or- 3
diar dicere. Darius media fere nocte Arbela peruenit: eodemque magnæ partis amicorum eius ac militum fugam 4
fortuna compulerat. quibus conuocatis exponit; *haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas vrbes, agrosq; omni copia rerum abundantes petiturus esset. prædam opimam* 5 *paratamque ipsum & milites eius spectare. Id suis rebus* 5,2,8.
tali in statu saluti fore, quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta esse; inde bello 5,9,5. & 16.
6 *vires haud ægre reparaturum. Occuparet sane gazam auidissima gens, & ex longa fame satiaret se auro, mox futura prædæ sibi; didicisse vsu preciosam supellectilem, pellicesq; & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quam onera & im-* 3,3,27.
pedimenta. eadem trahentem Alexandrum, quibus antea 7 *vicisset, inferiorem fore.* Plena omnibus desperationis videbatur oratio; quippe Babylonem vrbem opulentissimam dedi cernentibus. iam Susa, iam cetera ornamenta regni, 8 caussamque belli victorem occupaturum. At ille docere pergit; *non speciosa dictu, sed vsu necessaria in rebus aduersis sequenda esse. Ferro geri bella, non auro: viris, non vrbium tectis. omnia sequi armatos. Sic maiores suos perculsos in principio rerum, celeriter pristinam reparasse for-* 9 *tunam.* Igitur, siue confirmatis eorum animis, siue imperium magis quam consilium sequentibus; Mediæ fines in- 10 gressus est. Paulo post Alexandro traduntur Arbela regia supellectili, ditique gaza repleta. quatuor millia talentum fuere: præterea preciosæ vestes: totius, vt supra dictum est, 11 exercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus 4,9,2. & 9.
deinde morbis, quos odor cadauerum totis iacentium campis vulgauerat, maturius castra mouit. Euntibus à parte læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter
est.

eſt. Inter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberi & pin- 12
gui ſolo ſunt, vt à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas
perimat. Cauſſa fertilitatis eſt humor, qui ex vtroque amne
manat, toto fere ſolo propter venas aquarum reſudante.
Ipſi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno de- 13
inde aquarum diuortio iter, quod cepere percurrunt. duo
millia, & D. ſtadia emenſi ſunt, qui ampliſſimum interual-
lum circa Armeniæ montes notauerunt. Iidem quum Me- 14
diæ & Gordianorum terras ſecare ceperunt, paulatim in ar-
ctius coeunt, & quo longius manant, hoc anguſtius inter ſe
ſpatium terræ relinquunt. Vicini maxime ſunt his cam- 15
pis, quos incolæ *Meſopotamiam* adpellant, mediam namque
ab vtroque latere concludunt. Iidem per Babyloniorum
fines in Rubrum mare prorumpunt. Alexander quartis 16
caſtris ad Mennim vrbem peruenit. Cauerna ibi eſt, ex
qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeo, vt ſatis
5,1,25. & 29. conſtet, Babylonios muros ingentis operis huius fontis
bitumine interlitos eſſe. Ceterum Babylonem proceden- 17
4,16,7. ti Alexandro Mazæus, qui ex acie in vrbem eam confuge-
rat; cum adultis liberis ſupplex occurrit, vrbem ſeque de-
dens. Gratus aduentus eius fuit regi. quippe magni operis
6,4,14. 7. futura erat obſidio tam munitæ vrbis. Ad hoc vir illuſtris, 18
9,18. 9,1, & manu promptus; famaque etiam proximo prœlio cele-
23.
5.8.9. 6,4, bris, & ceteros ad deditionem ſui inciturus exemplo vi-
24.
6,4,14. debatur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excepit:
ceterum *quadrato agmine*, quod ipſe ducebat, *velut in a-* 19
3,8,23. *ciem irent*, *ingredi* ſuos iubet. Magna pars Babyloniorum
conſtiterat in muris, auida cognoſcendi nouum regem: plu-
5,1,44. 5, res obuiam egreſſi ſunt. Inter quos Bagophanes arcis & 20
-5,2.
9,10.25. regiæ pecuniæ cuſtos, ne ſtudio à Mazæo vinceretur, totum
*3,3,9. iter floribus coroniſque conſtrauerat; argenteis * altaribus
8,5,10. vtroque latere diſpoſitis, quæ non thure modo, ſed omni-
9,8,1. bus odoribus cumulauerat. Eum dona ſequebantur, gre- 21

ges pe-



DESCRIPTIO BABYLONIS EX HERODO

*Primùm omnium illud obſeruetur, cubitum regium continere 27 partes, quæ digiti
uatem ſedecim digitos, ſtadium denique pedes ſexcentos quos menſuras obſeruare prop
magnitudinem in ſtiuſmodi ſpatio non licuit. Extra vrbem in planitie ad occiden
ſitam Nitoeris, quadratã, centenim in ſingulæ latera ſtadiorum, BQ. RS, ST, &
altum, lateribus bituminatis vndiq; circumcinctam in quam ipſa primùm Euphr
tem in vrbe ædificatura, & eundem etiam Cyrus, vt vrbem obſeſſam, ſecato flaminis a
via deducendo alueo fluminis, V, V, V, Latera foſſæ bituminata, X.
Circuitus vrbis quadratus erat ex lateribus extructus, cuius ſingula latera
ſtadia protenderebantur. A B primum latus, B C ſecundum, C D tertium, A
Altitudo murorum, cubit. 200, E B. Cruſs itudo eorundem, cubit. 50 B F
Mœnibus ſuperſtructæ erant domunculæ unius contignationis, ſoribus inter ſe
ſpatio interſe diſsitæ quantum quadrigæ tranſeunti ſufficiat.
Euphrates vrbem in duas æquales partes ſecabat, introitu & exitu vtrinque a*

num. 12. *mox Babylen ipsa traditur. vbi Mazæum sibi occurrentem benigne excipit: multisque honoribus atque donis auctus, Darij pecuniam recognoscit. Vrbis eius*

ter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberi & pin- 12
lo sunt, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas
at. Caussa fertilitatis est humor, qui ex vtroque amne
, toto fere solo propter venas aquarum resudante.
nnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno de- 13
quarum diuortio iter, quod cepere percurrunt. duo
, & D stadia emensi sunt, qui amplissimum interual-
irca Armeniæ montes notauerunt. Iidem quum Me- 14
Gordianorum terras secare ceperunt, paulatim in ar-
cocunt, & quo longius manant, hoc angustius inter se
m terræ relinquunt. Vicini maxime sunt his cam- 15
nos incolæ *Mesopotamiam* adpellant, mediam namque
oque latere concludunt. Iidem per Babyloniorum
in Rubrum mare prorumpunt. Alexander quartis 16
ad Mennim vrbem peruenit. Cauerna ibi est, ex
ons ingentem vim bituminis effundit, adeo, vt satis
et, Babylonios muros ingentis operis huius fontis
ine interlitos esse. Ceterum Babylonem proceden- 17
xandro Mazæus, qui ex acie in vrbem eam confuge-
um adultis liberis supplex occurrit, vrbem seque de-
Gratus aduentus eius fuit regi. quippe magni operis
erat obsidio tam munitæ vrbis. Ad hoc vir illustris, 18
nu promptus; famaque etiam proximo prœlio cele-
& ceteros ad deditionem sui incitaturus exemplo vi-
ur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excepit:
m *quadrato agmine*, quod ipse ducebat, *velut in a-* 19
irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum
iterat in muris, auida cognoscendi nouum regem: plu-
ouiam egressi sunt. Inter quos Bagophanes arcis & 20
pecuniæ custos, ne studio à Mazæo vinceretur, totum
oribus coronisque constrauerat; argenteis * altaribus
ue latere dispositis, quæ non thure modo, sed omni-
doribus cumulauerat. Eum dona sequebantur, gre- 21
ges pe-



DESCRIPTIO BABYLONIS EX HERODOTO, ADDITIS ETIAM QUIBUSDAM EX DIODORO SICULO.

Primùm omnium illud obseruetur, cubitum regium contorere 29 partes, quæ digiti vocâtur: pedem autem sedecim dactyos, stadium denique pedes sexcentos quos mensuras obseruare propter tantæ vrbis magnitudinem in stadiorum spatio non licuit. Extra vrbem in proximo ad occidentem deprehendit sepulcrum Nitocris, quadratâ, eademque in singula latera stadiorum, BQ. R S, & T, & TQ 25 pedes altum, lateribus bituminatis undiq; circumcinctum: in quam ipsa primùm Euphratem deriuauit, postea in vrbe ædificatura, & eodem etiam Cyrus, vt vrbem obsessam, fossato fluminis alueo, inuaderet. Via deducendo eiusdem fluminis, V, V, V. Littera fossæ bituminatæ, X.

Circuitus orbis quadratus erat ex lateribus extructus, cuius singula latera ad centum viginti stadia protendebantur. A B primum latus, B C secundum, C D tertium, A D quartum.

Altitudo murorum, cubit. 200. E B. Crassitudo eorundem, cubit. 50 B Y.

Mœnibus superstructæ erant domunculæ unius contignationis, foribus inter se oppositis, tanto spatio interse dissitæ quantum quadriga transeunti sufficiat.

Euphrates urbem in duas æquales partes secabat, introitu & exitu utrinque ad duo stadia per-

medios muros patente. Fossa lata, profunda, mœnibus obiecta, G.

Hunc aggerem terminabat humilis murus lateritius, fluminis ripam utrinque coercens, H.

Pons sublicius, foxeis pilis, Euphrati impositus, cuius descriptio à Diodoro Siculo traditur, I.

Vias omnes rectis tramitibus directi, transuersis lineis mutuò se intersecabant. sed multo plures erant transuersi recta ad fluuium tendentes. Hi porrò ad fluuij ripam usque non pertinebant, vacuo aggere inter ædificia & fluuium ipsum intercedente, quem littera L designat.

Singulos transuersorum vicorum exitus ad aggerem desinentes, æneæ portæ, planis tectis, & aggeribus munitæ claudebant, L.

Turris in altera urbis parte, M.

Palatium regium, N. Horti pensiles seorsim à Diodoro descripti, O.

Urbis portæ centum erant, pari interuallo collocatæ. urbis porta insignis structuræ, cui impositum erat regina Nitocris sepulchrum, addita inscriptione, SI REX PECUNIAE EGUERIT, APERITO, ET QUANTAM VOLET SUMITO. P.

Pomœria nuda erant aggere ducentos pedes lato, inter ædificia & muros interiecto, Y.

AD CURTII lib. 5. Cap. 1. num. 24.

ges pecorum equorumque, leones quoque & pardales ca-
22 ueis præferebantur. Magi deinde suo more patrium car-
men canentes. Post hos Chaldæi, Babyloniorumque non 3, 3, 9.
vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant.
Laudes ii regum canere soliti: Chaldæi siderum motus &
23 statas temporum vices ostendere. Equites deinde Babylo-
nii suo atque equorum cultu ad luxuriam magis, quam ad
magnificentiam exacto, vltimi ibant. Rex armatis stipatus
oppidanorum turbam post vltimos pedites ire iussit: Ipse
cum curru vrbem; ac deinde regiam intrauit. Postero die 5, 1, 31.
24 supellectilem Darii, & omnem pecuniam recognouit. Ce-
terum ipsius vrbis pulchritudo ac vetustas, non regis modo,
sed etiam omnium oculos in semet haud immerito con-
uertit. Semiramis eam condiderat; vel, vt plerique credide-
25 re, Belus, cuius regia ostenditur. Murus instructus laterculo 5, 1, 16.
coctili, bitumine interlitus, spatium XXX. & duorum pedum
latitudinem amplectitur: quadrigæ inter se occurrentes sine
26 periculo commeare dicuntur. Altitudo muri C. cubitorum
eminet spatio: turres denis pedibus quam murus altiores sunt.
Totius operis ambitus CCCLXVIII. stadia complectitur:
singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam
esse memoriæ proditum est. Ædificia non sunt admota
27 muris, sed fere spatium vnius iugeris absunt. Ac ne totam
quidem vrbem tectis occupauerunt; per XC stadia habita-
tur: nec omnia continua sunt: credo, quia tutius visum est,
pluribus locis spargi cetera ferunt coluntque, vt si externa
vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius vrbis solo submini-
28 strentur. Euphrates interfluit, magnæque molis crepidini-
bus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem cir-
cumueniunt cauernæ ingentes in altitudinem pressæ ad
accipiendum impetum fluminis; quod vbi adpositæ crepi-
dinis fastigium excessit, vrbis tecta corriperet, nisi essent spe-
29 cus lacusque, qui exciperent. Coctili laterculo structi sunt,

5,1,16. & 25. totum opus bitumine adstringitur. Pons lapideus flumini impositus iungit vrbem. hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix sufficiendo operi firmum reperiunt solum. arenæ autem 30
subinde cumulatæ, & saxis, quibus pons sustinetur adnexæ,
4,2,16. morantur amnem; qui retentus acrius, quam si libero cursu
5,1,23. mearet, inliditur. Arcem quoque ambitu XX stadia com- 31
plexam habet. XXX pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad LXXX. summum munimenti fastigium peruenit. Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculum, 32
pensiles horti sunt; summam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum vmbra, & proceritate amœni. Saxo pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt: super 33
pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ, quam altam iniiciunt; & humoris, quo rigant terras: adeoque validas arbores sustinent moles, vt stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine æquent, in L. pedum altitudinem emineant, & frugiferæ sint, vt si terra sua alerentur. Et quum 34
3,4,10. vetustas non opera solum manu facta; sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat: hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est; inuiolata durat. quippe XX lati parietes sustinent, vndecim pedum interuallo distantes, vt procul viscentibus syluæ montibus suis imminere videantur. Syriæ re- 35
gem Babylone regnantem, hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore coniugis victum: quæ desiderio nemorum syluarumque in campestribus locis, virum compu-
5,1,39. lit amœnitatem naturæ genere huius operis imitari. Diu- 36
tius in hac vrbe quam vsquam constitit rex: nec vllus lo-
6,2,1. & 5. cus disciplinæ militari magis nocuit. Nihil vrbis eius corruptius moribus; nec ad inritandas inliciendasque immodicas voluptates instructius. Liberos coniugesque cum ho- 37
spitibus

spitibus stupro coire, modo precium flagitii detur; parentes maritique patiuntur. Conuiuales ludi tota Persidе regib. 6,2,6. 8,4, purpuratisque cordi sunt: Babylonii maxime in vinum, & 23. & 29. 8, 6,14.
38 quæ ebrietatem sequuntur effusi sunt. Feminarum con- 5,7,2.
uiuia ineuntium in principio modestus est habitus; dein summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant: ad vltimum (honos auribus sit) ima corporum velamenta proiiciunt. nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginumque, apud quas comitas habetur
39 vulgati corporis vilitas. Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Asiæ per XXXIV dies saginatus, ad ea quæ se- 5,1,36.
quebantur discrimina haud dubie debilior futurus fuit, si 3,4,11.
hostem habuisset. Ceterum quo minus damnum sentiret,
40 idemtidem incremento nouabatur. Namque Amyntas 7,1,40.
Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia
41 adduxit: D. præterea eiusdem generis equites. Cum his 5,2,6.
DC. Thracas, adiunctis peditibus suæ gentis III. millibus, &
D. & ex Peloponneso mercenarius miles ad IV. millia adue-
42 nerat, cum CCCLXXX. equitibus. Idem Amyntas adduxe- 8,6,2.
rat L. principum Macedoniæ liberos adultos ad custodiam corporis. quippe inter epulas hi sunt regis ministri: iidemque equos ineunti prœlium admouent, venantemque comitantur; & vigiliarum vices ante cubiculi fores seruant: magnorumque præfectorum, & ducum hæc incrementa
43 sunt & rudimenta. Igitur arci Babyloniæ rex Agathone præsidere iusso cum DCC Macedonum, trecentisque mercede conductis; prætores, qui regioni Babyloniæ & ciuitati præessent, Menetem & Apollodorum reliquit. His duo millia peditum dat cum mille talentis: vtrique præceptum,
44 *vt in supplementum milites legerent.* Mazæum transfu- 5,8,12.
gam Satrapea Babyloniæ donat, Bagophanem, qui arcem 5,1,20.
tradiderat, se sequi iussit: Armenia Mithreni Sardium pro-
45 ditori data est. Ex pecunia deinde Babyloniæ Macedoni- 3,12,6.

Præmia proponit de virtute militari certantibus, aliaq; vtiliter instituit, aut mutat. Susa deinde profecto Abulites vrbem eam tradit.

6,2,17. bus equitibus sexceni denarii tributi; peregrinus eques quingenos accepit: Ducenis pedestrium stipendium mensum est.

CAP. II. His ita compositis, in regionem quæ *Satrapene* vocatur, peruenit. fertilis terra, copia rerum & omni commeatu abundans. Itaque diutius ibi substitit; ac ne desides otio di- 2
8,9,1. mitteret animos, iudices dedit, præmiaque proposuit de virtute militari certantibus. Nouem, qui fortissimi iudi- 3
cati essent, singulis militum millibus præfuturi erant, *Chiliarchas* vocabant; tum primum in hunc numerum copiis distributis: namque antea quingenariæ cohortes erant; nec fortitudinis præmia gesserant. Ingens militum turba 4
conuenerat egregio interfutura certamini, testis eadem cuiusque factorum, & de iudicibus latura sententiam. quippe verone, an falso honos cuique haberetur; ignorari non poterat. Primus omnium virtutis causa donatus est Adarchias 5
8,1,36. senior, qui omissum apud Halicarnasson à iunioribus prælium vnus maxime accenderat. proximus ei Antigenes visus est: tertium locum Philotas Angeus obtinuit: quartus Amyntæ datus est: post hos Antigonus, & ab eo Lyncestes Amyntas fuit: septimum locum Theodotus: * vltimum obtinuit Hellanicus. In disciplina quoque militaris rei 6
5,1,40. pleraque à maioribus tradita vtiliter mutauit Nam quum ante equites in suam quisque gentem describerentur seorsum à ceteris; exempto nationum discrimine, præfectis,
5,4,17. non vtique suarum gentium, sed delectis adtribuit. Tuba 7
quum castra mouere vellet, signum dabat, cuius sonus plerumque tumultuantium fremitu exoriente haud satis exau-
4,13,38. diebatur: ergo perticam, quæ vndique conspici posset, su-
3,3,8. pra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum, obseruabatur ignis noctu, fumus interdiu. Iamque Susa adituro Abulites regionis eius præ- 8
5,2,5. fectus, siue Darii iussu, vt Alexandrum præda retineret; siue sponte filium obuiam misit, *traditurum se vrbem* promittens.

cum antiqua opulentia thesauris. Vbi in regia sella. Sisygambi purpuram ad vestes conficiendas

9 mittens. Benigne iuuenem excepit rex, & eo duce ad Choaspen amnem peruenit, delicatam, vt fama est, vehentem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentiæ
10 occurrit Dromades cameli inter dona erant velocitatis eximiæ; XI Elephanti à Dario ex India acciti, non iam terror, vt speraverant, Macedonum; sed auxilium: opes 6,1,4,15,7.
11 cti ad victorem transferente fortuna. Vt vero vrbem intrauit, incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessit. L millia talentum argenti non signati forma, sed rudi pon-
12 dere. Multi reges tantas opes longa ætate cumulauerant liberis posterisque, vt arbitrabantur quas vna hora in ex-
13 terni regis manus intulit. Consedit deinde in regia sella 5,7,11.
" multo excelsiore, quam pro habitu corporis. Itaque pe- 3,12,16.
" des quum imum gradum non contingerent, vnus ex regiis
14 pueris mensam subdidit pedibus. & quum spadonem, qui
" Darii fuerat, ingemiscentem conspexisset Rex; *caussam*
" *mœstitiæ* requisiuit. Ille indicat *Darium vesci in ea soli-*
" *tum*: *seque sacram eius mensam ad ludibrium recidentem*
15 *sine lachrimis conspicere non posse*. Subiit ergo regem ve-
" recundia violandi hospitales Deos. Iamque *subduci* iube-
" bat: cum Philotas; *minime vero hæc feceris rex, sed*
" *omen quoque accipe*; *mensam, ex qua libauit hostis epulas,*
16 *tuis pedibus esse subiectam*. Rex Persidis fines aditurus, Susa vrbem Archelao & præsidium III millium tradidit: Xenophilo arcis cura mandata est: Macedonum ætate gra- 7,3,23.
17 ues, præsidere arcis custodiæ iussi. Thesaurorum Calli- 9,4,2.
crati tutela permissa: Satrapia regionis Susiæ restituta Abuliti. Matrem quoque Darii & liberos in eadem vrbe de- 5,3,16.
18 ponit Ac forte Macedonicas vestes, multamque purpuram dono ex Macedonia sibi missam cum his, quæ eam confecerant, tradi *Sisygambi* iussit. Omni namque honore eam,
19 & filii quoque pietate prosequebatur. *Admonerique* iussit;
" *vt si cordi quoque vestis esset*; *conficere eam neptes suas*

dona mittit: eoque munere in contumeliam accepto, tristem consolatur. Mox ad Pasitigrim proficiscitur: inde in Vxiorum regionem peruenit:

adsuefaceret, donoque doceret dare. ad hanc vocem lachrimæ obortæ prodidere animum aspernantis id munus. quippe non aliud magis in contumeliam Persarum feminæ accipiunt, quam admouere lanæ manus. Nunciant qui 20
dona tulerant, *tristem esse Sisygambim*; dignaque res excusatione & solatio visa. Ipse ergo peruenit ad eam, & *mater* inquit, *hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus vides. nostri decepere me mores. Caue, obsecro, in contumeliam accipias ignorationem meam. Quæ tui moris esse cognoui, vt spero, abunde seruata sunt. Scio apud vos filium in conspectu* 21 22
8, 6, 5. *matris nefas esse considere, nisi cum illa permisit: Quotiescumque ad te veni, donec, vt considerem, annueres; re-*
3, 6, 15. 3. *stiti. Procumbens venerari me sæpe voluisti; inhibui. Dul-*
12, 17. *cissimæ matri Olympiadi nomen debitum, tibi reddo.*

CAP. III. Mitigato animo eius, rex quartis castris peruenit ad fluuium: Pasitigrim incolæ vocant, oritur in montibus Vxiorum, & per L stadia syluestribus ripis præceps inter saxa deuoluitur. Accipiunt deinde eum campi, quos cle- 2
mentiore alueo præterit, iam nauium patiens. DC stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. Alexander amne superato cum IX millibus peditum, & Agrianis atque Græcorum mercenariis millibus III, additis millibus Thracum, in regionem Vxiorum peruenit. Finitima Susis est, & in primam Persidem excurrit, arctum inter se & Susianos aditum relinquens.
4, 1, 28. 4. Madates erat huius regionis præfectus, haud sane tempo- 4
5, 11. rum multorum homo. quippe vltima, pro fide experiri decreuerat. Sed periti locorum Alexandrum docent, *occultum iter esse per calles, & auersum ab vrbe. si paucos misisset leniter armatos, super capita hostium euasuros.* Cum 6
consilium placuisset, iidem itinerum fuerunt duces. M & D mercede conducti, & Agriani fere M. Tauroni præfecto dati,

e uius fauces asperas & impeditas, propugnante Madate, vire forti & regi suo fido, vix tandem occupat. Madati tamen ceterisq; omnibus, deprecante pro ipsis Sisygambi,

7 dati, ac post *solis occasum iter ingredi* iussi. Ipse tertia vigilia castris motis circa lucis ortum superauerat angustias, cæsaque materia cratibus & pluteis faciendis, vt qui turres admouerent, extra teli ictum essent, vrbem obsidere cepit. 4, 2, 23.
8 Prærupta erant omnia, saxis & cotibus impedita. multis ergo vulneribus depulsi, vt quibus non cum hoste solum, sed
9 etiam cum loco dimicandum esset, subibant tamen: quia 4, 14, 6. 7, 9, 5.
rex inter primos constiterat, interrogans tot vrbium victores; *an erubescerent hærere in obsidione castelli exigui & ignobilis?* simul iam inter hæc eminus petebatur, quum testudine obiecta milites, qui vt inde discederet, perpellere 5, 3, 21. & 23.
10 nequiuerant, tuebantur. Tandem Tauron super arcem vrbis se cum suo agmine ostendit: ad cuius conspectum & animi hostium labare; & Macedones acrius prœlium inire
11 ceperunt. Anceps oppidanos malum vrgebat, nec sisti vis hostium poterat. paucis ad moriendum; pluribus ad fugam animus fuit: magna pars in arcem concessit. Inde XXX oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum
12 à rege redditur; *non esse veniæ locum.* Itaque suppliciorum metu perculsi, ad Sisygambim Darii matrem occulto #
itinere ignotoque hostibus mittunt, qui peterent, *vt ipsa regem mitigaret:* haud ignari parentis eam loco diligi colique. & Madates sororis filiam secum matrimonio iunxe-
13 rat: Darium propinqua cognatione contingens. Diu Sisygambis supplicum precibus repugnauit, abnuens *deprecationem pro illis conuenire fortunæ, in qua esset: adiecitq; metuere sese ne victoris indulgentiam fatigaret. sæpius co-*
14 *gitare captiuam esse se, quam reginam fuisse.* Ad vltimum victa, literis Alexandrum ita deprecata est; *vt ipsam excusaret quod deprecaretur. petere se vt illis quoque; si minus, sibi ignosceret. pro necessario ac propinquo suo, iam non*
15 *hoste; sed supplice tantum vitam precari.* Moderationem clementiamque regis quæ tunc fuit, vel vna hæc res possit

ostendere

veniam concedit. Deinde Persidis angustias, quas Susidas Pylas vocant, Ariobarzane impigre defendente, frustra oppugnat.

ostendere, non Madati modo ignouit; sed omnes & deditos & captiuos libertate atque immunitate donauit: vrbem reliquit intactam: agros sine tributo colere permisit. A victore Dario plura mater non impetrasset. Vxiorum 16
5,2,17. deinde gentem subactam Susianorum Satrapiæ contribuit: diuisisque cum Parmenione copiis, illum *campestri itinere procedere* iubet; ipse cum expedito agmine iugum montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Omni hac regione vastata tertio die Persidem; 17
quinto angustias, quas illi *Susidas Pylas* vocant, intrat. Ariobarzanes has cum XXV millibus peditum occupauerat rupes, abscissas & vndique præruptas, in quarum cacuminibus extra teli iactum barbari stabant, de industria quieti & pauentibus similes; donec in arctissimas fauces penetraret agmen. Quod vbi contemptu sui pergere vident; tum 18
vero ingentis magnitudinis saxa per montium prona deuoluunt: quæ incussa sæpius subiacentibus petris maiore vi incidebant, nec singulos modo, sed agmina proterebant. Fundis quoque excussi lapides & sagittæ ingerebantur vndi- 19
7,4,12. 7,37. *5,3,19. que. nec id miserrimum fortibus viris erat; sed quod inulti ferarum ritu * velut in fouea deprehensi cæderentur. Ira 20
*4,6,29. & 10,4,2. igitur in rabiem * versa, eminentia saxa complexi, vt ad hostem perueniant, alius alium leuantes ** conabantur
**7,11,15. adscendere. ea ipsa multorum simul manibus correpta & conuulsa, in eos qui commouerant, recidebant. Nec stare 21
5,3,9. ergo, nec niti, nec testudine quidem protegi poterant, quum tantæ molis onera propellerent barbari. Regem non dolor modo, sed etiam pudor temere in illas angustias coniecti exercitus angebat. Inuictus ad eam diem fuerat, 22
3,4,2. nihil frustra ausus, impune Ciliciæ fauces intrauerat: mari
6,3,16. quoque nouum iter in Pamphyliam aperuerat: tunc hæsitabat deprehensa felicitas; nec aliud remedium erat, quam reuerti qua venerat. Itaque signo receptui dato *den-* 23

satis

tentatisq; post apertam vim sacrorum suffragiis, tandem captiuos conuocat: ex quibus Lycius quidam totum regionum earum situm naturamq; diligenter exponit;

satis agminibus, scutisque super capita consertis, retro euadere ex angustiis iubet. XXX fuere stadia, quæ remensi sunt. 5,3,9.

TVM castris vndique aperto loco positis, non con- CAP. IV.
sultare modo *quid agendum esset*; sed vates quoque adhi- 4,6,12,4.
2 bere cepit à superstitione animi. Sed quid tunc prædicere 13,15.
Aristander, cui tum plurimum credebatur ex vatibus, poterat? Itaque damnatis intempestiuis sacrificiis, *peritos locorum conuocari* iubet. *Per Mediam iter* ostendebant
3 *tutum apertumque*; sed rex dimittere milites insepultos 3,12,13. 7. 9,21.
erubescebat: ita tradito more, vt vix vllum militiæ tam
4 solenne esset munus, quam humandi suos. *Captiuos* ergo, *quos nuper exceperat, vocari* iubet; inter quos erat quidam Græcæ Persicæque linguæ peritus, qui *frustra eum in* 5,7,12.
Persidem montium dorso exercitum ducere adfirmat; *syluestres esse calles vix singulis peruios: omnia contegi frondi-*
5 *bus, implexosque arborum ramos syluas committere.* Nam- 5,4,24?
que Persis ab altero latere perpetuis montium iugis claditur, quod in longitudinē MDC stadia, in latitudinem CLXX procurrit. Hoc dorsum à Caucaso monte ad rubrum mare pertinet; quaque deficit mons, aliud munimentum, fre-
6 tum obiectum est. Planicies deinde sub radicibus montium spatiosa procumbit, fertilis terra multisque vicis atque
7 vrbibus frequens. Araxes amnis per hos campos multorum aquas torrentium euoluit in Medum: Medus à mari, & ad Meridiem versus, minor amnis eo quem accepit, euehitur; gignendæque herbæ non alius est aptior, quidquid ad-
8 luit floribus vestiens. Platani quoque & populi contegunt ripas; ita vt procul visentibus continuata videantur montibus nemora riparum. quippe obumbratus amnis presso in 3,4,9.
solum dilabitur alueo; imminentque colles ipsi quoque
9 frondibus læti, radices eorum humore subeunte. Regio non alia tota Asia salubrior habetur; temperatum cœlum: hinc perpetuum iugum opacum & vmbrosum, quod æstus leuat:

adeuntem, se monstraturum promittit. Eum quamuis arduum & periculosum cupide tentat ipse Alexander.

illinc mare adiunctum, quod modico tepore terras fouet. His expositis captiuus interrogatus à rege *auditu ne an oculis comperta haberet, quæ diceret? pastorem se fuisse, & omnes eos calles percurrisse* respondit: *bis captum, semel à Persis in Lycia; iterum ab ipso.* Subit animum memoria regis oraculo editæ sortis, quippe consulenti responsum erat, *ducem in Persidem ferentis viæ Lycium ciuem fore.* Igitur promissis, quanta & præsens necessitas exigebat, & ipsius fortuna capiebat, oneratum; *armari* iubet *Macedonum more, & quod bene verteret, monstraret iter; quamuis arduum & præceps euasurum se esse cum paucis. nisi forte crederet, quo ipse pecoris causa isset; Alexandrum pro gloria & perpetua laude ire non posse.* Etiam atque etiam docere captiuus *quam difficile iter esset, maxime armatis.* tum rex; *prædem me,* inquit, *accipe, neminem eorum, qui sequuntur, recusaturum ire qua duces.* Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum peditibus, quis adsueuerat; & iis copiis, quas Meleager ducebat; & sagittariis equitibus M. præcepit; *vt castrorum specie manente, plures de industria ignes fieri imperet: quo magis barbari crederent ipsum regem in castris esse. Ceterum si forte Ariobarzanes cognouisset per callium amfractus eum intrare, & ad occupandum iter suum partem copiarum tentasset opponere; Craterus in eum inlato terrore retineret ad propius periculum conuersum agmen: sin autem ipse hostem fefellisset, & saltum occupasset; quum trepidantium barbarorum tumultum exaudisset persequentium regem, id ipsum iter, quo pridie pulsi fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe vacuum fore, hostibus in semet auersis.* Ipse tertia vigilia silenti agmine, ac ne tuba quidem dato signo, pergit ad demonstratum iter callium. *tridui alimenta portare* militem iusserat leuiter armatum. Sed præter inuias rupes ac prærupta saxa vestigium subinde fallentia, nix cumulata vento ingredientes fatigabat: quippe velut in foueas delati

delati hauriebantur; & quum à commilitonibus leuarentur, trahebant magis adiuuantes, quam sequebantur. Nox quoque, & ignota regio, ac dux incertum an satis fidus, multiplicabant metum: *si custodes fefellissent; quasi feras * bestias ipsos posse deprehendi. ex vnius captiui vel fide, vel anima pendere & regis salutem, & suam.* Tandem venere in iugum. à dextera iter ad ipsum Ariobarzanem erat: hic Philotam & Cœnon cum Amynta & Polyperconte expeditam habentes manum reliquit, monitos *vt quia eques pediti erat mixtus; qua pinguissimum esset solum, & pabuli fertile, sensim procederent:* duces itineris de captiuis dati. Ipse cum armigeris & ala, quam *Agema* adpellant, ardua semita, sed longius à stationibus hostium remota; multa cum vexatione processit. Medius erat dies, & fatigatis necessaria quies quippe tantumdem itineris supererat, quantum emensi erant; sed minus præcipitis atque ardui. Itaque refectis cibo somnoque militibus, secunda vigilia surgit, & cetera quidem haud ægre præteriit: ceterum qua se iugum montium paulatim ad planiora demittit, ingens vorago concursu cauata torrentium iterat ruperat. ad hæc arborum rami alius alio implicati & coeuntes, vt perpetuam obiecerant sepem. Desperatio igitur ingens, adeo, vt vix lachrimis abstinerent, incesserat. Præcipue obscuritas terrori erat: nam etiam si qua sidera internitebant, continenti fronde tectæ arbores conspicere prohibebant. ne aurium quidem vsus supererat, syluas quatiente vento; quæ concutientibus ramis maiorem quam pro flatu sonum reddebant. Tandem exspectata lux omnia, quæ terribiliora nox fecerat, minuit: circumiri breui spatio potest clunies; & sibi quisq; dux itineris ceperat fieri. Euadunt ergo in editum verticem: ex quo hostium statione conspecta, strenue armati, à tergo se ostendunt nihil tale metuentibus; quorum pauci, qui congredi ausi erant, cæsi sunt. Itaq; hinc morientium gemitus; hinc ad suos recurrentium

reliquis in fugã coniectis, quos & ipsos insequuti, cum præfecto Ariobarzane occidunt. interea ex vrbe Persepolis Tiridates ad gazam occupandam cum vocat. Quo profectus

4,16,4. miserabilis facies ; integros quoque antea quam discrimen
experirentur, in fugam auertit. Fremitu deinde in castra, 29
quis Craterus præerat, inlato ; ad occupandas angustias, in
quibus pridie hæsitarat, miles educitur. simul & Philotas 30
cum Polyperconte Amyntaque & Cœno diuersum iter in-
gredi iussus, alium terrorem intulit barbaris. Ergo vndi- 31
que Macedonum armis fulgentibus ancipiti malo oppressi,
4,3,24. 9, memorabile tamen prœlium edunt. vt opinor, ignauiam
5,6.7,5,18. quoque necessitas acuit ; & sæpe desperatio spei causa est.
8,2,16.8,
4,11. Nudi complectebantur armatos, & ingenti corporum mole 32
secum ad terram detrahentes, ipsorum telis pleroſque fodie-
bant. Ariobarzanes tamen XL ferme equitibus & quinque 33
millibus peditum stipatus per mediam aciem Macedonum
cum multo suorum atque hostium sanguine erupit ; Perse-
polim vrbem caput regionis occupare festinans. Sed à cu- 34
stodibus vrbis exclusus, consequutis strenue hostibus, cum
omnibus fugæ comitibus renouato prœlio cecidit. Crate-
rus quoque raptim agmine acto superuenit.

CAP. V. REX eodem loco, quo hostium copias fuderat ; castra communiuit. Quamquam enim vndique fugati hostes victoriam concesserant ; tamen præaltæ præcipitesque fossæ
5,4,23. pluribus locis obiectæ, abruperant iter : sensimque & caute
7,7,34. progrediendum erat ; iam non hostium, sed locorum fraude
suspecta. Procedenti ei literæ redduntur à Tiridate custo- 2
5,1,20. de regiæ pecuniæ, indicantes *eos, qui in vrbe essent, audito eius aduentu diripere velle thesauros ; properaret occupare : expeditum iter esse, quamquam Araxes amnis interfluat.* Nullam virtutem regis istius magis, quam celeritatem lau- 3
5,8,1. 7,4, dauerim. relictis enim pedestribus copiis, tota nocte cum
14. 7,7,7. equitibus itineris tanto spatio fatigatis ad Araxem prima lu-
ce pervenit. Vici erant in propinquo ; quibus direptis ac 4
dirutis pontem ex materia eorum subditis saxis strenue in-
duxit. Iamque haud procul vrbe erant ; quum miserabile 5
agmen

obuios habet mutilatis corporibus 4000 Græcorum, quibus optione data, reuerti in patriam, an iis in regionibus accipere agros mallent ; manendum Euthymon.

agmen inter pauca fortunæ exempla memorandum, regi occurrit. Captiui erant Græci ad quatuor millia fere, quos
6 Persæ vario suppliciorum modo adfecerant. alios pedibus ; 3,8,15.
quosdam manibus auribusque amputatis, inustisque barba- 7,5,40.
rarum literarum notis, in longum sui ludibrium reseruaue-
rant ; & quum se quoque alienæ ditionis esse cernerent ; vo-
7 lentes regi occurrere non prohibuerant. Inusitata simula-
chra non homines videbantur ; nec quidquam in illis præter
vocem poterat adgnosci. plures igitur lachrimas commo-
uere, quam profuderant ipsi. quippe in tam multiplici va-
riaque fortuna singulorum, intuentibus similes quidem, sed
tamen dispares pœnas ; quis maxime miserabilis esset, liquere
8 non poterat. Vt vero *Iouem* illi *tandem Græciæ vltorem aperuisse oculos* conclamauere ; omnes pari supplicio adfecti sibi videbantur. Rex absterſis, quas profuderat, lachrimis
bonum habere animum iubet ; *visuros vrbes suas coniuges-*
9 *que :* & castra inde duo ab vrbe stadia communit. Græci
excesserant vallo, deliberaturi quid potissimum à rege pete-
rent : quumque aliis *sedes in Asia rogare*, aliis *reuerti domos*
10 placeret ; Euthymon Cymæus ita locutus ad eos fertur. *Hi*
qui modo ad opem petendam ex tenebris & carcere procede-
re erubuimus ; vt nunc est, supplicia, (quorum nos pudeat ma-
gis an pœniteat, incertum est) ostentare Græciæ velut lætum
11 *spectaculum cupimus. At ij optime miserias ferunt, qui abs-*
condunt : nec vlla est tam familiaris infelicibus patria,
quam solitudo & status prioris obliuio. Nam qui multum
in suorum misericordia ponunt ; ignorant quam celeriter la-
12 *chrimæ inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit,*
nam & calamitas querula est ; & superba felicitas. Ita su-
am quisque fortunam in consilio habet, quum de aliena deli-
berat : & nisi mutuo essemus miseri, olim alius alij potuisse-
mus esse fastidio : Quid mirum est fortunatos semper pa-
13 *rem quærere ? Obsecro vos, olim vita defuncti, quæramus*

 locum

patriam repetendam Theaetetus Atheniensis suadens; Huic tamen pauci admodum adsentiuntur; reliqui

locum, in quo hæc semesa membra obruamus: vbi horribiles cicatrices cælet exilium. Grati prorsus coniugibus, quas iuuenes duximus, reuertemur! Liberi in flore & ætatis & rerum adgnoscent, & fratres ergastuli detrimenta? Et 14
quota pars nostri tot obire terras potest? procul Europa in vltima Orientis relegati, senes, debiles, maiore membrorum parte mulctati, tolerabimus scilicet, quæ armatos & victores fatigauerunt. Coniuges deinde, quas captis sors & necessi- 15
tas vnicum solatium adplicuit, paruosque liberos, trahimus nobiscum, an relinquimus? cum his venientes nemo adgnoscere volet. relinquemus ergo extemplo præsentia pignora, 16
quum incertum sit, an visuri simus ea quæ petimus? Inter hos latendum est, qui nos miseros nosse ceperunt. Hæc Euthymon. Contra Theætetus Athenienſis orsus est dicere. 17
Neminem pium habitu corporis suos æstimaturum; vtique 4, 14, 22.
sæuitia hostis, non natura calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortuita: tristem enim de mortalitate ferre sententiam; & desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus sit. Deos, quod ipsi nunquam ausi optare fo- 18
rent; offerre patriam, coniuges, liberos, & quidquid homines vel vita æstimant, vel morte redimunt. Quin illi ex hoc 19
carcere erumperent, alium domi esse cæli haustum; alium lucis adspectum: mores, sacra, linguæ commercium etiam à barbaris expeti; quæ ingenita ipsi omissuri sint sua sponte; non ob aliud tam calamitosi, quam quod illis carere coacti essent. Se certe rediturum ad penates & in patriam; tanto- 20
que beneficio regis vsurum: si quos contubernij, liberorumque quos seruitus coegisset adgnoscere, amor detineret; relinquerent, quibus nil patria carius est. Pauci huius sententiæ fuere: ceteros consuetudo natura potentior vicit. Consensêrunt *petendum esse à rege, vt aliquam ipsis adtribueret sedem.* Centum ad hoc electi sunt: quos Alexander ratus, 22
quod ipse præstare cogitabat, petituros, *iumenta*, inquit, *adsignari*

munera à rege, & agros accipiunt. Postero die milites hortatus, regiam Orientis Persepolim occupat. militum non auaritia solum, sed etiam crudelitas,

gnari quæ vos veherent: & singulis vestrum mille denarium dari iussi. Quum redieritis in Græciam præstabo, ne quis statum suum, si hæc calamitas absit, vestro credat esse 6, 2, 6. 6, 9, 2. 9, 3, 2.
23 *meliorem.* Illi obortis lachrimis terram intuebantur, nec aut erigere vultus; aut loqui audebant: tandem rege tristitiæ causſam exigente, Euthymon similia iis, quæ in consilio di-
24 xerat, respondit. Atque ille non fortunæ solum eorum, sed etiam pœnitentiæ misertus; *terna millia denarium singulis dari* iussit: denæ vestes adiectæ sunt; & armenta cum pecoribus ac frumento data: vt coli serique adtributus iis ager posset.

Postero die conuocatos duces copiarum docet; *nul-* CAP. VI.
lam infestiorem vrbem Græcis esse quam regiam veterum Persidis regum. hinc illa immensa agmina infusa: hinc Darium prius; deinde Xerxem Europæ impium intulisse bellum. 5, 7, 4.
2 *excidio illius parentandum esse maioribus.* Iamque barba- 3, 11, 12.
ri deserto oppido, qua quemque metus agebat, diffugerant; quum rex phalangem nil contatus inducit. Multas vrbes refertas opulentia regia partim expugnauerat; partim in
3 fidem acceperat: sed vrbis huius diuitiæ vicere præterita. In hanc totius Persidis opes congesserant barbari. aurum argentumque cumulatum erat: vestis ingens modus: supellex non ad vsum modo, sed ad ostentationem luxus comparata. 5, 11, 20.
4 Itaque inter ipsos victores ferro dimicabatur; pro hoste erat, qui preciosiorem occupauerat prædam: & quum omnia quæ reperiebantur, capere non possent; iam res non occupa-
5 bantur, sed æstimabantur. Lacerabant regias vestes, ad se 3, 11, 20.
quisque partem trahentes: dolabris preciosæ artis vasa cædebant: nihil neque intactum erat, nec integrum ferebatur; abrupta simulachrorum membra, vt quisque auellerat, trahebat.
6 Neque auaritia solum, sed etiam crudelitas in capta vrbe grassata est: auro argentoque onusti vilia captivorum corpora trucidabant; passimque obuii cædebantur, quos antea pre-

cium

cium sui miserabiles fecerat. Multi ergo hostium manus 7
5, 9, 1. voluntaria morte occupauerunt; precioſiſſima vestium induti, è muris semetipsos cum coniugibus ac liberis in præceps iactantes. Quidam ignes, quod paulopost facturus hostis videbatur, subiecerant ædibus, vt cum suis viui cremarentur. Tandem *suis* rex *corporibus, & cultu feminarum abs-* 8
5, 13, 19. 3, 12, 23. *tinere* iussit. Ingens pecuniæ captiuæ modus traditur, prope vt fidem excedat. ceterum aut de aliis quoque dubitamus; aut credimus in huius vrbis gaza fuisse C & XX millia 9
talenta: ad quæ vehenda (namque ad vsus belli secum portare decreuerat) *iumenta & camelos à Susis & Babylone*
8, 7, 11. *contrahi* iussit. Accessere ad hanc pecuniæ summam ca- 10
ptis Persagadis sex millia talentorum. Cyrus Persagadum vrbem condiderat, quam Alexandro præfectus eius Gobares tradidit. Rex arcem Persepolis III millibus Macedonum 11
præsidio relictis *Nicarthidem tueri* iubet: Tyridati quoque,
5, 5, 2. qui gazam tradiderat, seruatus est honos, quem apud Darium habuerat: magnaque exercitus parte, & impedimentis ibi relictis Parmenionem Craterumque præfecit. Ipse cum 12
mille equitibus peditumque expedita manu, interiorem Persidis regionem, sub ipsum Vergiliarum sidus petiit: multisque imbribus & prope intolerabili tempestate vexatus, pro-
6, 3, 16. 7, 3, 11. 7, 11, 8. cedere tamen, quo intenderat, perseuerauit. Ventum erat 13
ad iter perpetuis obsitum niuibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat. Locorum squalor & solitudines inuiæ fatigatum militem terrebant, *humanarum rerum terminos se videre*
9, 9, 4. credentem. Omnia vasta, atque sine vllo humani cultus
9, 1, 3 vestigio adtoniti intuebantur; & *antequam lux quoque & cælum ipsos deficerent* reuerti iubebant. Rex castigare ter- 14
ritos supersedit: ceterum ipse equo desiliit, pedesque per niuem & concretam glaciem ingredi cepit. erubuerunt non sequi, primum amici, deinde copiarum duces; ad vltimum milites. Primusque rex dolabra glaciem perfringens iter sibi

15 sibi fecit: exemplum regis ceteri imitati sunt. Tandem propemodum inuias syluas emensi, humani cultus rara vestigia & passim errantes pecorum greges reperere: & incolæ, qui sparsis tuguriis habitabant, quum se callibus inuiis septos esse credidissent; vt conspexere hostium agmen, interfectis, 4, 16, 12. 8, 11, 23. 9,
qui comitari fugientes non poterant; deuios montes, & ob- 10, 15.
16 sitos niuibus petiuerunt. Inde per colloquia captiuorum paulatim feritate mitigata tradidere se regi. nec in deditos
17 grauius consultum. Vastatis deinde agris Persidis, viciſque compluribus redactis in potestatem; ventum est in Mardorum gentem bellicosissimam, & multum à ceteris Persis cul- 6, 5, 11.
tu vitæ abhorrentem. Specus in montibus fodiunt, in quos seque ac coniuges & liberos condunt: pecorum, aut fera- 7, 4, 25. 9,
18 rum carne vescuntur. Ne feminis quidem pro naturæ habitu molliora ingenia sunt: comæ prominent hirtæ: vestis 10, 11. 4, 13, 5.
super genua est: funda vinciunt frontem; hoc & ornamen-
19 tum capitis & telum est. Sed hanc quoque gentem idem fortunæ impetus domuit. Itaque trigesimo die, posteaquam 10, 5, 28.
20 à Persepoli profectus erat, eodem rediit. Dona deinde amicis ceterisque pro cuiusque merito dedit. propemodum omnia, quæ in ea vrbe ceperat, distributa.

Ceterum ingentia animi bona, illam indolem, qua Cap. VII.
omnes reges anteceſſit, illam in subeundis periculis constantiam; in rebus moliendis efficiendisque velocitatem; in deditis fidem; in captiuis clementiam; in voluptatibus per- 10, 5, 27.
missis quoque & vsitatis temperantiam, haud tolerabili vini
2 cupiditate fœdauit. Hoste & æmulo regni reparante tum quum maxime bellum, nuper subactis, quos vicerat, nouum- 4, 1, 5 6, 3, 6.
que imperium aspernantibus; de die *inibat conuiuia, qui- 10, 5, 12.
bus feminæ intererant: non quidem quas violari nefas esset; *6, 2, 2.
5, 1, 38.
quippe pellices licentius quam decebat cum armato viuere
3 adsuetæ. Ex his vna Thais & ipsa temulenta, *maximam apud omnes Græcorum initurum gratiam* adfirmat, *si re-*

giam Persarum iussisset incendi. expectare hoc eos, quorum vrbes barbari delessent. Ebrio scorto de tanta re ferente 4
sententiam, vnus & alter, & ipsi mero onerati adsentiunt. rex
quoq; fuit auidior, quam patientior: *quin igitur vlciscimur*
5,6,1. *Græciam, & vrbi faces subdimus.* Omnes incaluerant me- 5
ro: itaque surgunt temulenti ad incendendam vrbem; cui
armati pepercerant. Primus rex ignem regiæ iniecit; tum
conuiuæ & ministri pelliceſque. Multa cedro ædificata erat
8,10,8. regia: quæ celeriter igne concepto, late fudit incendium.
Quod vbi exercitus, qui haud procul ab vrbe tendebat, con- 6
spexit; fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. Sed 7
vt ad vestibulum regiæ ventum est; vident regem ipsum ad-
huc adgerentem faces. Omissa igitur, quam portauerant a-
qua, aridam materiam in incendium iacere ceperunt. Hunc 8
exitum habuit regia totius Orientis, vnde tot gentes ante iu-
ra petebant: patria tot regum; vnicus quondam Græciæ ter-
5,8,16. 9, ror; molita mille nauium classem, & exercitus, quibus Eu-
3,22. ropa inundata est; contabulato mari molibus, perfossisque
montibus, in quorum specus fretum immissum est. Ac ne 9
longa quidem ætate, quæ excidium eius sequuta est, resurre-
xit. Alias vrbes habuere Macedonum reges, quas nunc ha-
bent Parthi, huius vestigium non inueniretur, nisi Araxes
amnis ostenderet. haud procul mœnibus fluxerat, inde vr-
bem fuisse XX stadiis distantem credunt magis quam sciunt
accolæ. Pudebat Macedones tam præclaram vrbem à com- 10
essabundo rege deletam esse. Itaque res in serium versa
est; & imperauerunt sibi, vt crederent *illo potissimum modo*
fuisse delendam. Ipsum vt primum grauatam ebrietate 11
3,2,19. mentem quies reddidit, pœnituisse constat, & dixisse; *maio-*
5,2,13. *res pœnas Persas Græcis daturos fuisse, si ipsum in solio regia-*
que Xerxis respicere coacti essent. Postero die Lycio itine- 12
5,4,4. ris, quo Persidem intrauerat, duci, XXX talenta dono dedit.
Hinc in regionem Mediæ transiit, vbi supplementum nouo-
rum mi-

rum militum è Cilicia occurrit. peditum erant quinque
millia, equites mille: vtrisque Plato Athenienſis præerat.
his copiis auctus, Darium persequi statuit.

Ille iam Ecbatana peruenerat caput Mediæ. vrbem CAP. IIX.
hanc nunc tenent Parthi, eaque æstiua agentibus sedes est.
Adire deinde Bactra decreuerat: sed veritus ne celeritate
2 Alexandri occuparetur; consilium iterque mutauit. Aberat 4, 8, 9. 5,
ab eo Alexander stadia MD, sed iam nullum interuallum ad- 5, 3.
uersus celeritatem eius satis longum videbatur. Itaque præ-
3 lio magis, quam fugæ se præparabat. XXX millia peditum se- 5, 12, 4. 4,
quebantur, in quibus Græcorum erant quatuor millia fide 1, 3.
4 erga regem ad vltimum inuicta. funditorum quoque & sa-
gittariorum manus quatuor millia expleuerat, præter hos III
millia & CCC equites erant, maxime Bactrianorum. Bessus
5 præerat, Bactrianæ vrbis regionisque præfectus. Cum hoc
agmine Darius paulum declinauit via militari, iussis præce-
6 dere lixis impedimentorum custodibus. Consilio deinde
aduocato; *si me cum ignauis*, inquit, *& pluris qualemcumque*
vitam honesta morte æstimantibus, fortuna iunxisset; tace- 5, 8, 11. 7, 7,
7 *rem potius, quam frustra verba consumerem. Sed maiore* 34. 7, 10, 6.
quam vellem, documento, & virtutem vestram, & fidem ex-
pertus; magis etiam conniti debeo, vt dignus talibus amicis
8 *sim, quam dubitare an vestri similes adhuc sitis. Ex tot mil-*
libus, quæ sub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugien-
tem persequuti estis. Fides vestra & constantia, vt regem me 3, 11, 11. 4,
9 *esse credam, facit. Proditores & transfugæ in vrbibus meis* 15, 32.
regnant: non hercule qui tanto honore digni habeantur;
sed vt præmiis eorum vestri solicitentur animi. meam ta- 5, 1, 18.
men fortunã quam victoris maluistis sequi; dignissimi quibus,
si ego non possim, dij pro me gratiam referant. & mehercule 5, 13, 30.
10 *referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata*
fama; quæ non in cælum vos debitis laudibus ferat. Itaq; et-
iamsi consilium fugæ, à qua multum abhorret animus, agitas-

 sem;

turpi vitæ præferant, nec Macedonũ seruitũ experiri velint. At illi metu animos perstringẽte silent: Artabazus tamẽ torpentes, ad omnẽ casum cũ rege secundi incitat.

sem; vestra tamen virtute fretus obuiam issem hosti. Quousq; 11
enim in regno exsulabo, & per fines imperii mei fugiam ex-
ternum & aduenam regem? quum liceat experto belli for-
tunam, aut reparare quæ amisi; aut honesta morte defungi.
3, 8, 21. *Nisi forte satius est exspectare victoris arbitrium, &* *Mazæi* 12.
5, 1, 43. *& Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis*
vnius. vt iam malit ille gloriæ suæ, quam iræ obsequi. Nec 13
dij fuerint, vt hoc decus mei capitis aut demere mihi quis-
9, 1, 7. *quam aut condonare possit: nec hoc imperium vnus amit-*
tam, idemque erit regni mei, qui & spiritus finis. Si hic 14
animus, si hæc lex; nulli non parta libertas est: nemo è vo-
bis fastidium Macedonum; nemo vultum superbum ferre
cogetur. Sua cuique dextra aut vltionem tot malorum pa-
3, 8, 20. *riet; aut finem. Equidem quam versabilis fortuna sit, do-* 15
cumentum ipse sum. nec immerito mitiores vices eius ex-
3, 8, 21. *specto. Sed si iusta ac pia bella dij auersantur; fortibus ta-*
4, 13, 12. *men viris licebit honeste mori. Per ego vos decora maio-* 16
rum, qui totius Orientis regna cum memorabili laude te-
5, 7, 8. *nuerunt; per illos viros, quibus stipendium Macedonia quon-*
dam tulit; per tot nauium classes in Græciam missas; per
3, 7, 12. *tot trophæa regum oro & obtestor, vt nobilitate vestra gen-*
tisque dignos spiritus capiatis: vt eadem constantia animo- 17
rum, qua præterita toleraſtis, experiamini, quidquid deinde
fors tulerit. Me certe in perpetuum aut victoria egregia
nobilitabit; aut pugna.

CAP. IX. Hæc dicente Dario præsentis periculi species omnium
3, 5, 12. simul corda animosque horrore perstrinxerat, nec aut consi-
3, 13, 13. lium suppetebat, aut vox; quum Artabazus vetustissimus ami-
6, 5, 2. corum, quem hospitem fuisse Philippi sæpe diximus, *Nos*
5, 6, 7. *vero*, inquit; *preciosissima vestium induti, armisque quanto*
maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur:
ea quidem mente, victoriam vt speremus; mortem non re-
cusemus. Adsensu excepere ceteri hanc vocem. sed Na-

barza-

Verum Nabarzanes Darium monet imperio interim cedere, Bessoa, id committere, pace parta recipiendum. Eum Darius

barzanes, qui in eodem consilio erat cum Besso, inauditi
antea facinoris societate inita, regem suum per milites, qui- 4, 9, 16. 5,
bus ambo præerant, comprehendere & vincire decreuerant: 10, 2. 6, 4, 9.
ea mente, vt si Alexander ipsos insequutus foret, tradito re-
ge viuo, inirent gratiam victoris, magni profecto cepisse 5, 10, 5. 5,
Darium æstimaturi; sin autem eum effugere potuissent, inter- 12, 1.
fecto Dario, regnum sibi occuparent, bellumq; renouarent.
3 Hoc parricidium cum diu volutassent, Nabarzanes aditum 5, 10, 4.
nefariæ spei præparans, *Scio me*, inquit, *sententiam esse di-* 6, 4, 8.
cturum prima specie haud quaquam auribus tuis gratam. Sed 6, 10, 26.
medici quoque grauiores morbos asperis remediis curant; & 6, 3, 11.
gubernator, vbi naufragium timet, iactura quidquid seruari
4 *potest, redimit. Ego tamen, non vt damnum quidem fa-*
cias, suadeo; sed vt te, ac regnum tuum salubri ratione con-
serues. Dijs aduersis bellum inimus; & pertinax fortuna
Persas vrgere non desinit. nouis initijs & ominibus opus est.
Auspicium & imperium alij trade interim, qui tamdiu rex 3, 2, 1.
adpelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde regnum
5 *tibi reddat. Hoc autem breui futurum ratio promittit.*
Bactra intacta sunt: Indi & Sagæ in tua potestate: tot po- 5, 1, 5.
puli, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad reno-
uandum bellum vires paratas habent; vt maior belli moles
6 *supersit, quam exhausta sit. Quid ruimus belluarum ritu in*
perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis
7 *mortem contemnere; quam odisse vitam. Sæpe tædio labo-*
ris ad vilitatem sui compelluntur ignaui: At virtus nihil
inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors est,
8 *ad quam non pigre ire satis est. Proinde si Bactra, quod*
tutissimum receptaculum est, petimus; præfectum regionis
eius Bessum, regem temporis gratia statuamus. Compositis
9 *rebus iusto regi tibi fiduciarium restituet imperium.* Haud
mirum est Darium non temperasse animo, quamquam tam
impiæ voci quantum nefas subesset, latebat. itaque *pessimum*,

 inquit,

inquit, *mancipium reperisti optatum tibi tempus, quo parri-*
7,4,19. 7, *cidium aperires!* strictoque acinace interfecturus videbatur: 10
5,24. ni propere Bessus Bactrianique tristium specie; ceterum si
perseueraret, vincturi, circumstetissent. Nabarzanes interim 11
elapsus, mox & Bessus sequutus, copias quibus præerant *à ce-*
tero exercitu secedere iubent; secretum inituri consilium.
Artabazus conuenientem præsenti fortunæ sententiam or- 12
sus, mitigare Darium temporum identidem admonens cepit.
Ferret æquo animo qualiumcumque, suorum tamen, vel stul-
titiam, vel errorem. Instare Alexandrum grauem, etiam
si omnes præsto essent: quid futurum, si persequuti fugam
ipsius alienentur à rege? Ea re paruit Artabazo; & quam- 13
quam mouere castra statuerat, turbatis tamen omnium ani-
mis, eodem in loco substitit. sed adtonitus mœstitia simul
3,8,26. 8, & desperatione, tabernaculo se inclusit. Ergo in castris, quæ 14
14,20. nullius regebantur imperio, varii animorum motus erant;
nec in commune vt antea consulebatur. Dux Græcorum 15
militum Patron *arma capere* suos iubet, *paratosque esse ad*
5,11,1. *exsequendum imperium.* Persæ secesserant: Bessus cum Ba- 16
5,1,5. ctrianis erat; tentabatque Persas abducere, *Bactra, & intactæ*
regionis opulentiam, simulque quæ manentibus instarent
pericula, ostentans. Persarum omnium eadem fere fuit vox,
4,9,2. *nefas esse deseri regem.* Inter hæc Artabazus omnibus 17
5,10,10. imperatoriis fungebatur officiis. ille Persarum tabernacula
circumire, hortari, monere nunc singulos, nunc vniuersos
non ante destitit; quam satis constaret imperata facturos.
4,1,22. Idem ægre à Dario impetrauit, *vt cibum caperet, animum-*
que regis.

CAP. X. AT Bessus & Nabarzanes olim agitatum scelus exse-
qui statuunt, regni cupiditate accensi: Dario autem incolu-
5,9,2. 3, mi tantas opes sperare non poterant. Quippe in illis gen- 2
11,25. tibus regum eximia maiestas est, ad nomen quoque barba-
ri conueniunt; & pristinæ veneratio fortunæ sequitur ad-
uersam.

3 uersam. Inflabat impios animos regio cui præerant, armis
virisque & spatio locorum nulli earum gentium secunda.
tertiam partem Asiæ tenet: multitudo iuniorum exercitus
4 quos amiserat Darius, æquabat. Itaque non illum modo;
sed etiam Alexandrum spernebant: inde vires imperii re- 5,9,2.
5 petituri, si regionis potiri contigisset. Diu omnibus cogi-
tatis placuit per milites Bactrianos ad omne obsequium de-
stinatos regem comprehendere; mittique nuncium ad
6 Alexandrum, qui indicaret *viuum adseruari eum.* si id quod 5,9,2.
timebant, proditionem aspernatus esset; occisuri Darium, & 5,12,5.
7 Bactra cum suarum gentium manu petituri. Ceterum pro-
palam comprehendi Darius non poterat; tot Persarum mil-
libus laturis opem regi: Græcorum quoque fides timeba-
8 tur. Itaque quod non poterant vi; fraude adsequi tentant:
pœnitentiam secessionis simulare decreuerant, & excusare
9 apud regem consternationem suam. Interim qui Persas so-
licitarent mittuntur: hinc spe, hinc metu militares animos
versant; *ruinæ rerum illos subdere capita; in perniciem tra-*
hi; quum Bactra pateant exceptura eos donis & opulentia, 3,2,12.
10 *quantam animis concipere non possint.* Hæc agitantibus 5,9,17.
Artabazus superuenit siue regis iussu, siue sua sponte; adfir-
mans *mitigatum esse Darium & eumdem illis amicitiæ gra-*
11 *dum patere apud regem.* Illi lachrimantes nunc purgare
se, nunc Artabazum orare, *vt causam ipsorum tueretur, pre-*
12 *cesque perferret.* Sic peracta nocte sub lucis ortu Nabar- 7,1,14.
zanes cum Bactrianis militibus in vestibulo prætorii aderat,
titulum solennis officii occulto sceleri præferens. Darius
signo ad eundum dato, currum pristino more conscendit.
13 Nabarzanes ceterique parricidæ procumbentes humi, quem 3,3,15.
paulopost in vinculis habituri erant, substinuere venerari, la- 6,6,36.
chrimas etiam pœnitentiæ indices profuderunt, adeo huma- 3,12,17.
14 nis ingeniis parata simulatio est. Preces deinde suppliciter 8,4,30. 8,
admotæ Darium natura simplicem & mitem non credere 5,6. 3,2,17.

modo

& impetrant. Sed Patron Græcorum dux, qui Bessi facinus præsenserat, Darium de periculo monitum in Græcorum castra transire orat:

modo quæ adfirmabant, sed etiam flere coegerunt. Ac ne 15
tum quidem cogitati sceleris pœnituit, quum intuerentur
qualem & regem & virum fallerent. Ille quidem securus pe-
4, 16, 17. riculi quod instabat; Alexandri manus, quas solas timebat,
effugere properabat.

CAP. XI. PATRON autem Græcorum dux, præcepit suis, *vt arma*
3, 8, 23. 4, 9, 19. 5, 9, 15. *quæ in sarcinis antea ferebantur, induerent; ad omne imperium suum parati & intenti.* Ipse currum regis seque- 2
batur, occasioni imminens adloquendi eum: quippe Bessi
facinus præsenserat. sed Bessus id ipsum metuens, custos ve-
rius, quam comes à curru non recedebat. Diu ergo Pa- 3
tron cunctatus, ac sæpius sermone reuocato inter fidem ti-
moremque hæsitans, regem intuebatur. qui vt tandem ad- 4
uertit oculos; Bubacem spadonem inter proximos cur-
rum sequentem *percontari* iubet, *numquid ipse velit dicere.*
Patron *se vero; sed remotis arbitris loqui velle cum eo* re-
spondit. Iussusque *propius accedere*, sine interprete, nam 5
haud rudis Græcæ linguæ Darius erat; *Rex* inquit *ex*
millibus Græcorum supersumus pauci, omnis fortunæ tuæ
comites; & in hoc tuo statu ydem, qui florente te fuimus:
quascumque sedes elegeris, pro patria & domesticis rebus pe-
tituri. Secundæ aduersæque res tuæ copulauere nos tecum.
Per hanc fidem inuictam oro & obtestor, in nostris castris 6
tibi tabernaculum statue, nos corporis tui custodes esse pa-
tiaris. Amisimus Græciam, nulla Bactra sunt nobis; spes omnis
in te, vtinam & in ceteris esset. Plura dici non adtinet.
custodiam corporis tui externus & alienigena non deposce-
6, 7, 16. *rem, si crederem alium posse præstare.* Bessus, quamquam 7
erat Græci sermonis ignarus, tamen stimulante conscientia
indicium profecto Patronem detulisse credebat: & interpre-
6, 7, 3. 18. & tis Græci relato sermone exempta dubitatio. Darius autem, 8
33. 6, 9, 1. 8, 6, 16. quantum ex vultu concipi poterat, haud sane territus, per-
contari Patrona *caussam consilij, quod afferret*, cepit. Ille
non

Ille respondet, difficilius sibi esse dãnare suos, quã ab ipsis decipi. Bessus negotio cognito, laudat quod homini externo fidẽ nõ adhibeat: simul suã innocentiã commendat, quã nec

non vltra differendum ratus, *Bessus*, inquit, *& Nabarzanes*
insidiantur tibi, in vltimo discrimine & fortunæ tuæ &
vitæ. Hic dies aut parricidis, aut tibi futurus vltimus.
9 Et Patron quidem egregiam conseruati regis gloriam tule-
10 rat. Eludant licet, quibus forte ac temere humana negotia volui agique persuasum est. Equidem æterna constitutione crediderim nexuque caussarum latentium, & multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili
11 lege percurrere. Darius certe respondit; *quamquam sibi Græ-* 4, 6, 17.
corum militum fides nota sit; nunquam tamen à popularibus 3, 6, 6.
suis recessurum. difficilius sibi esse damnare, quam de-
cipi, quicquid fors tulisset, inter suos perpeti malle, quam 5, 12, 3.
transfugam fieri. Sero se perire, si saluum esse sui milites 6, 9, 24.
12 *nollent.* Patron desperata salute regis ad eos, quibus præ-
erat, rediit; omnia pro fide experiri paratus.

AT Bessus occidendi protinus regis impetum conce- CAP. XII.
perat. sed veritus ne gratiam Alexandri, ni viuum eum 5, 9, 2.
tradidisset, inire nõ posset; dilato in proximam noctem sce-
leris consilio, agere gratias incipit, *quod perfidi hominis in-*
sidias, iam Alexandri opes spectantis prudenter cauteque
2 *vitasset. donum eum hosti laturum fuisse regis caput. nec*
mirari, hominem mercede conductum omnia habere vena-
lia: sine pignore; sine lare; terrarum orbis exsulem; anci- 3, 8, 3.
3 *pitem hostem; ad nutum licentium circumferri.* Purganti
deinde se, *deosque patrios testes fidei suæ* inuocanti Darius
vultu adsentiebat; haud dubius quin vera deferrentur à Græ-
cis; sed eo rerum ventum erat, vt tam periculosum esset non 5, 11, 11.
4 credere suis: quam decipi. XXX millia erant, quorum incli- 5, 8, 3.
nata in scelus leuitas timebatur; IV millia Patron habebat:
quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium
5 fide, parricidio excusationem videbat offerri. Itaque præ-
optabat immerito, quam iure violari. Besso tamen insidia-
rum consilium purganti respondit; *Alexandri sibi non mi-*

nus iu-

regi persuadet, nec Artabazo Darius salute ad vltimum desperata suos alscedere, sibique prospicere iubet:

5,10,6. 5,13,28. *nus iustitiam, quam virtutem esse perspectam. Falli eos, qui proditionis ab eo præmium exspectent : violatæ fidei neminem acriorem fore vindicem vltoremque.* Iamque nox ad- 6
petebat; quum Persæ more solito armis positis ad necessaria ex proximo vico ferenda discurrunt. At Bactriani, vt imperatum erat à Besso, armati stabant. Inter hæc Darius *Artabazum acciri* iubet; expositisque, quæ Patron detulerat, *haud dubitare* Artabazus *quin transeundum esset in castra Græcorum. Persas quoque periculo vulgato sequuturos.* De- 8
stinatus sorti suæ, & iam nullius salubris consilii patiens, vnicam in illa fortuna opem Artabazum vltimum illum visurus amplectitur; perfusisque mutuis lachrimis *inhærentem*
4,10,34. *sibi auelli* iubet: *capite deinde velato*, ne inter gemitus digredientem velut à rege intueretur; in humum pronum corpus abiecit. Tum vero custodiæ eius adsueti, quos regis 9
salutem vel periculo vitæ tueri oportebat, dilapsi sunt; cum armatis, quos iam aduentare credebant, haud rati se futuros pares. Ingens ergo in tabernaculo solitudo erat, paucis spadonibus, quia quo discederent, non habebant, circumstantibus regem. At ille remotis arbitris, diu aliud atque 10
aliud consilium animo volutabat. Iamque solitudinem, quam paulo ante pro solatio petiuerat, perosus; *Bubacem vocari* iubet. quem intuens, *Ite*, inquit, *consulite vobis, ad* 11
vltimum regi vestro, vt decebat, fide exhibita. ego hic legem fati mei exspecto. forsitan mireris quod vitam non fi-
3,6,6. 4,10,28. *niam? alieno scelere, quam meo mori malo.* Post hanc vo- 12
cem spado gemitu non modo tabernaculum; sed etiam
3,11,25. castra compleuit. Inrupere deinde alii, laceratisque vestibus lugubri & barbaro vlulatu regem deplorare ceperunt. Per- 13
sæ ad illos clamore perlato adtoniti metu, nec arma capere, ne in Bactrianos inciderent; nec quiescere audebant, ne impie deserere regem viderentur. Varius ac dissonus clamor 14
6,1,8. 7,4, 10,6,8. sine duce ac sine imperio totis castris referebatur. Besso &

Nabar-

Nabarzani nunciauerant sui *regem à semetipso interem-*
15 *ptum esse*. planctus eos deceperat. Itaque citatis equis aduolant, sequentibus quos ad ministerium sceleris delegerant: & quum tabernaculum intrassent, *quia regem viuere* spa-
16 dones indicabant, *comprehendi vincirique* iusserunt. Rex 8,1,47.
curru paulo ante vectus, & deorum à suis honoribus cultus, 3,12,17. 6.
nulla externa ope admota, captiuus seruorum suorum in 6,2. 8,5,11.
sordidum vehiculum pellibus vndique contectum imponi- 5,13,25.
17 tur. Pecunia regis & supellex, quasi iure belli diripitur, onustique præda per scelus vltimum parta, fugam intendunt. Artabazus cum iis, qui imperio parebant, Græcis-
18 que militibus Parthienem petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus. Persæ promissis Bessi onerati: ma-
19 xime quia nemo alius erat, quem sequerentur; coniunxere 6,3,12.
se Bactrianis, agmen eorum tertio adsequuti die. Ne tamen
20 honos regi non haberetur; aureis compedibus Darium vinciunt: noua ludibria subinde excogitante fortuna. Et ne forte cultu regio posset adgnosci; sordidis pellibus vehiculum intexerant: ignoti iumenta agebant, ne percontantibus in agmine monstrari posset: custodes procul sequebantur.

Alexander audito Darium mouisse ab Ecbatanis; CAP. XIII.
omisso itinere, quod patebat in Mediam, fugientem inse-
2 qui pergit strenue. Tabas oppidum est in Parætacene vltima: ibi transfugæ nunciant *præcipitem fuga Bactra petere*
3 *Darium*. Certiora deinde cognoscit ex Bagysthene Babylonio, *non equidem vinctum regem; sed in periculo esse*
4 *aut mortis, aut vinculorum.* Rex ducibus convocatis; *maximum*, inquit, *opus, sed labor breuissimus superest; Darius haud procul destitutus à suis, aut oppressus. In illo corpore posita est victoria nostra: & tanta res celeritatis est præ-*
5 *mium*. Omnes pariter conclamant *paratos ipsos sequi, nec laborí, nec periculo parceret*. Igitur raptim agmen cursus magis

 quam

celeritate ad opprimendos parricidas contendit, multisq; subinde transfugas iter monstrantibus, tandem illos consequitur.

quam itineris modo ducit: ne nocturna quidem quiete diurnum laborem relaxante. Itaque quingenta stadia pro- 6
cessit: peruentumque erat in vicum, in quo Darium Bes-
sus comprehenderat. Ibi Melon Darii interpres excipi- 7
tur. corpore æger non potuerat agmen sequi, & depræ-
hensus celeritate regis transfugam se esse simulabat. Ex
3.4.22. hoc acta cognouit. sed fatigatis necessaria quies erat. Itaq; 8
delectis equitum sex millibus trecentos quos *Dimachas* ap-
pellant, adiungit: dorso hi grauiora arma portabant, cete-
rum equis vehebantur; quum res locusque posceret, pedestris
acies erat. Hæc agentem Alexandrum adeunt Orsillos & 9
Mythracenes, qui Bessi parricidium exosi transfugerant;
nunciabantque *stadia D. abesse Persas; ipsos breuius iter mon-*
straturos. Gratus regi aduentus transfugarum fuit. Ita- 10
que prima vespera ducibus iisdem cum expedita equitum
manu monstratam viam ingreditur; Phalange, *quantum*
3.8.23. *festinare posset, sequi* iussa. Ipse quadrato agmine incedens
ita cursum regebat, vt primi coniungi vltimis possent. CCC 11
stadia processerant, quum occurrit Brocubelus Mazæi filius,
Syriæ quondam prætor. is quoque transfuga nunciabat,
Bessum haud amplius quam CC stadia abesse. Exercitum,
vtpote qui nihil præcaueret, incompositum inordinatumque
procedere. Hyrcaniam videri petituros si festinaret sequi,
palantibus superuenturum. Darium adhuc viuere. Stre- 12
nuo alioqui cupiditatem consequendi transfugæ iniecerat.
itaque calcaribus subditis effuso cursu eunt. Iamque fremi-
tus hostium iter ingredientium exaudiebatur; sed prospectum
4.15.32. ademerat pulueris nubes. paulisper ergo inhibuit cursum,
donec consideret puluis. Iamque conspecti à barbaris erant, 13
& abeuntium agmen conspexerant; nequaquam futuri pa-
3.11.17. res, si Besso tantum animi fuisset ad prœlium, quantum ad
parricidium fuerat. Namque & numero barbari præstabant,
& robore: ad hoc refecti cum fatigatis certamen inituri
erant.

14 erant. Sed nomen Alexandri, & fama, maximum in bello 3.8.7.
15 vtique momentum, pauidos in fugam conuertit. Bessus &
ceteri facinoris eius participes, vehiculum Darii adsequuti,
ceperunt hortari eum, *vt conscenderet equum, & se hosti*
16 *fuga eriperet*. Ille *deos vltores adesse* testatur, & *Alexandri*
fidem implorans, negat *se parricidas velle comitari*. Tum
vero ira quoque accensi, tela iniiciunt in regem; multis-
17 que confossum vulneribus relinquunt. Iumenta quoque,
ne longius prosequi possent, conuulnerantur; duobus ser-
18 uis, qui regem comitabantur, occisis. Hoc edito facinore,
vt vestigia fugæ spargerent, Nabarzanes Hircaniam; Bessus 6.3.9.
Bactra paucis equitum comitantibus petebant: barbari du- 3.11.12.
cibus destituti, qua quemque aut spes ducebat, aut pauor,
dissipabantur: D tantum equites congregauerant se, incer-
19 ti adhuc, resistere ne melius esset, an fugere. Alexander ho-
stium trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum par-
te ad inhibendam fugam præmittit: Ipse cum ceteris sequi-
tur. III ferme millia resistentium occisa sunt; reliquum 3.11.17.
agmen more pecudum intactum agebatur, iubente rege, *vt*
20 *cædibus abstineretur*. Nemo captiuorum erat, qui monstra- 5.6.8.
re Darii vehiculum posset: singuli, vt quæque prehende-
rant, scrutabantur; nec tamen vllum vestigium fugæ regis
21 exstabat. Festinantem Alexandrum vix tria millia equitum
persequuta sunt. at in eos, qui lentius sequebantur, incide-
22 bant vniuersa fugientium agmina. vix credibile dictu, plu-
res captiui, quam qui caperent, erant: adeo omnem sensum 3.11.17.
territis fortuna penitus excusserat, vt nec hostium paucita-
23 tem nec multitudinem suam satis cernerent. Interim iu-
menta, quæ Darium vehebant, nullo regente decesserant
militari via, & errore delata per IV stadia, in quadam valle
24 constiterant, æstu, simulque vulneribus fatigata. Haud pro-
cul erat fons, ad quem monstratum à peritis Polystratus
Macedo siti maceratus accessit: ac dum galea haustam

aquam sorbet, tela iumentorum deficientium corporibus infixa conspexit. Miratusque confossa potius, quam abacta esse semiuiui ***

Veteres scripti cusique hic deficiunt. quæ in recentioribus adtexuntur, vt à genuinis dignosci possint, minori typo subjiciemus. Et quamquam alibi noua supplementa suis quæque locis inserenda promiserim: quum ob alias causas; tum etiam inprimis, ne si recepta mutarentur, plus ex ea re confusionis, quam commodi nasceretur; quando etiam versiculi & Index ad recentiora exemplaria responderent: supplementa nostra in calce Curtiani operis separatim proponi, consultius visum est: Inde, qui volet, petat.

* hominis corpus, cum propius accessisset, in sordido vehiculo pellibus contecto
5, 12, 16. situm reperit: atque Darium, multis quidem vulneribus confossum, adhuc tamen spirantem, esse cognouit. Qui adplicito captiuo, quum ciuem ex voce cognouisset, 26
id saltem præsentis fortunæ solatium se habere dixit, quod apud intellecturum loquuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus. Hæque Alexandro 27
perferri iubet: Se nullis in eum meritorum officijs, maximorum autem illi debitorem mori. Agere tamen ei maximas gratias pro beneficijs in matrem, coniugem liberosq; suos impensis: iis enim vitam, & pristini status reuerentiam dignitatemq; concessam: sibi autem à cognatis atq; amicis, quibus & regna & vitam dederit, illa omnia
erepta esse. precari se, vt illi victori terrarum omnium imperium contingat. Vltio- 28
5, 12, 5. 6, 3, 14. *nem sceleris erga se perpetrati, non solum sua, sed exempli, omniumque regum causa, non negligere, illi quum decorum, tum vtile futurum.* Iamque deficiens aquam 29
popoſcit: quam adlatam postquam bibit, Polystrato, qui eam tulerat: *Quisquis es mortalium*, inquit, *hoc mihi extremum vniuersæ calamitatis genus accidit,*
5, 8, 9. 6, 7, 8. & 35. *vt pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam; at referat Alexander: Alexandro vero dij, pro eius summa in meos humanitate ac clementia. Cui* 30
6, 10, 11. 8, 12, 10. *hoc fides regia vnicum dextra pignus, pro me dabis.* Hæc dicentem, accepta Polystrati manu, vita destituit. Quibus Alexandro nunciatis, ad corpus demortui 31
perueniens, tam indignam illo fastigio mortem, lachrimis prosequutus est. demptaque sibi chlamyde, corpus illius contexit: atque regio ornatum cultu, ad
3, 12, 6. matrem Sysigambim, patrio regioque more sepeliendum, atque regiis maiorum suorum tumulis inferendum, misit.

FRAG-

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI

DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER SEXTVS.

PVGNÆ discrimen immisit, obtruncatisque, qui promptius resistebant, magnam partem hostium propulit. 4, 1, 39.
2 Ceperant fugere victores: & donec auidius sequentes in planum deduxere, multi cadebant; sed vt primum locus, in quo
3 stare posset, fuit, æquis viribus dimicatum est. Inter omnes tamen Lacedæmonios rex eminebat, non armorum modo & corporis specie; sed etiam magnitudine animi, quo vno
4 vinci non potuit. Vndique nunc cominus, nunc eminus petebatur; diuque arma circumferens alia tela clypeo excipiebat, corpore alia vitabat: donec hasta femora perfossa 4, 6, 16.
5 plurimo sanguine effuso destituere pugnantem. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, ia-
6 ctationem vulnerum haud facile tolerantem. Non tamen 7, 7, 6.
omisere Lacedæmonii pugnam; & vt primum sibi quam hosti æquiorem locum capere potuerunt; densatis ordini-
7 bus effuse fluentem in se aciem excepere. Non aliud discrimen vehementius fuisse memoriæ proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugna-
8 bant. Lacedæmonii vetera; Macedones præsentia decora 4, 13, 12.
intuebantur: illi pro libertate; hi pro dominatione pugna-
9 bant: Lacedæmoniis dux; Macedonibus locus decrat. Diei 5, 12, 14.
quoque vnius tam multiplex casus modo spem; modo metum vtriusque partis augebat: velut de industria inter for-
10 tissimos viros certamen æquante fortuna. Ceterum angu-

stiæ

Lacones vincuntur; ipso Rege inter egregia virtutis opera occiso. Ea victoria Græcos imperio Macedonum audientes fecit.

stiæ loci, in quo hæserat pugna, non patiebantur totis con-
3, 3, 8. gredi viribus. spectabant ergo plures, quam inierant prœ-
lium, & qui extra teli iactum erant, clamore inuicem suos
accendebant. Tandem Laconum acies languescere, lubrica 11
8, 4, 5. arma sudore vix sustinens; pedem deinde referre cepit vr-
gente hoste, ac apertius fugere. Insequebatur dissipatos vi- 12
ctor, & emensus cursu omne spacium, quod acies Laconum
obtinuerat, ipsum Agim persequebatur. Ille vt fugam suo- 13
rum, & proximos hostium conspexit, *deponi* se iussit: exper-
tusque membra an impetum animi sequi possent, postquam 14
deficere se sensit, poplitibus semet excepit; galeaque strenue
sumpta, clypeo protegens corpus hastam dextra vibrabat,
vltro vocans hostem, *siquis iacenti spolia demere auderet.*
9, 5, 12. Nec quisquam fuit, qui sustineret cominus congredi; procul 15
missilibus adpetebatur, ea ipsa in hostem retorquens: donec
lancea nudo pectori infixa est: qua ex vulnere euulsa incli-
natum ac deficiens caput clypeo paulisper excepit; deinde
linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma
procubuit. Cecidere Lacedæmoniorum V millia, & CCCLX: 16
ex Macedonibus haud amplius CCC ceterum vix quis-
quam nisi saucius reuertit in castra. Hæc victoria non Spar-
tam modo, sociosque eius; sed etiam omnes, qui fortunam
belli spectauerant, fregit. Nec fallebat Antipatrum dissen- 17
4, 5, 11. tire ab animis * gratulantium vultus; sed bellum finire cu-
* 4, 8, 12. pienti opus erat decipi. & quamquam fortuna rerum pla-
cebat; inuidiam tamen, quia maiores res erant, quam quas
præfecti modus caperet, metuebat. quippe Alexander hostes 18
vinci voluerat; Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indi-
10, 10, 14. gnabatur: suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessis-
3, 14, 46. set alienæ. Itaque Antipater, qui probe nosset spiritum eius, 19
non est ausus ipse agere arbitria victoriæ: sed concilium
Græcorum, *quid fieri placeret*, consuluit. A quo Lace- 20
dæmonii *nihil aliud quam vt oratores mittere ad regem*
liceret

Alexander instantibus curis laxatum animum voluptatib. adiicit. feminis in conuiuio cantantibus, Ochi neptis adgnoscitur,

liceret precati, veniam defectionis præter auctores impetra- 6, 6, 34.
uerunt. Megalopolitanis quorum vrbs erat obsessa à defe-
21 ctione, Achæi & Elei CXX talenta dare iussi sunt. Hic fuit
exitus belli, quod repente ortum, prius tamen finitum est,
quam Darium Alexander apud Arbela superaret.

Sed vt primum instantibus curis laxatus est animus, CAP. II.
militarium rerum quam quietis otiique patientior; excepere 8, 9, 2.
eum voluptates: & quem arma Persarum non fregerant,
2 vitia vicerunt. Intempestiua * conuiuia, & perpotandi per- 5, 1, 36. * 5, 7, 2. 8, 1.
uigilandique insana dulcedo, ludique, & greges * pellicum, 22.
omnia in externum lapsa sunt morem. quem æmulatus * 6, 6, 8.
quasi potiorem suo, ita popularium animos oculosque pa-
riter offendit; vt à plerisque amicorum pro hoste habere-
3 tur. Tenaces quippe disciplinæ suæ, solitosque parco ac pa- 3, 2, 15.
rabili victu ad implenda naturæ desideria defungi, in pere-
4 grina & deuictarum gentium mala impulerat. Hinc sæpius 6, 7, &c.
comparatæ in caput eius insidiæ: secessio militum: & libe-
rior inter mutuas querelas dolor: ipsius deinde nunc ira;
nunc suspiciones; quas excitabat inconsultus pauor: ceteraq;
5 his similia, quæ deinde dicentur. Igitur quum intempestiuis 5, 1, 36.
conuiuiis dies pariter noctesque consumeret; satietatem epu-
larum ludis interpolabat: non contentus artificum, quos
è Græcia excitauerat, turba. quippe captiuæ feminarum iu-
bebantur *suo ritu canere*, inconditum & abhorrens peregri-
6 nis auribus carmen. Inter quas vnam rex ipse conspexit
mœstiorem quam ceteras; & producentibus eam verecunde
reluctantem. excellens erat forma, & formam pudor hone-
stabat; deiectis in terram oculis, & quantum licebat, ore 5, 5, 23.
velato, suspicionem præbuit regi, nobiliorem esse, quam
7 vt inter conuiuales ludos deberet ostendi. Ergo interrogata 5, 1, 37.
quæ nam esset? neptem se Ochi, qui nuper regnasset in Per- 3, 13, 12.
sis, filio eius genitam esse, respondit; *vxorem Histaspis fuisse.*
propinquus hic Darii fuerat, magni & ipse exercitus prætor.

Adhuc in animo regis tenues reliquiæ priſtini moris hære- 8
3,13,7. bant. itaque fortunam regia ſtirpe genitæ , & tam celebre
nomen reueritus ; *non dimitti modo captiuam , ſed etiam*
reſtitui ei ſuas opes iuſſit : *virum quoque requiri, vt reper-*
to coniugem redderet. Poſtero autem die præcepit Hephæ- 9
ſtioni, *vt omnes captiuos in regiam iuberet adduci.* vbi ſin-
gulorum nobilitate ſpectata, ſecreuit à vulgo, quorum emi-
nebat genus. Decem hi fuerunt ; inter quos repertus eſt
3,11,8. Oxathres Darii frater, non illius fortuna, quam indole ani- 10
mi ſui clarior. Sex & viginti millia talentum proxima præ-
da redacta erant : è quis duodecim millia in congiarium
militum abſumpta ſunt. par huic pecuniæ ſumma cuſtodum
fraude ſubtracta eſt. Oxydates erat nobilis Perſes, qui à Da- 11
rio capitali ſupplicio deſtinatus cohibebatur in vinculis; huic
3,3,17. liberato ſatrapeam Mediæ adtribuit : fratremque Darii re-
7,5,40. cepit in cohortem amicorum , omni vetuſtæ claritatis ho-
nore ſeruato. Hinc in Parthienem peruentum eſt , tunc 12
4,12,11. ignobilem gentem; nunc caput omnium, qui poſt Euphra-
tem & Tigrim amnes ſiti rubro mari terminantur. Scythæ 13
regionem campeſtrem ac fertilem occupauerunt; graues ad-
huc accolæ. ſedes habent & in Europa, & in Aſia : qui ſu-
7,8,30. per Boſphorum colunt, adſcribuntur Aſiæ ; at qui in Euro-
pa ſunt, à læuo Thraciæ latere ad Boryſthenem, atque inde
ad Tanaim alium amnem , recta plaga adtinent. Tanais 14
Europam & Aſiam medius interfluit. nec dubitatur , quin
Scythæ, qui Parthos condidere ; non à Boſphoro , ſed ex
regione Europæ penetrauerint. Vrbs erat ea tempeſtate 15
clara Hecatompylos , condita à Græcis : ibi ſtatiua rex ha-
buit commeatibus vndique aduectis. Itaque rumor otioſi
6,6,11. 7,1, militis vitium ſine auctore percrebruit ; *regem contentum*
4. 8,9,1. *rebus, quas geſſiſſet, in Macedoniam protinus redire ſtatuiſſe.*
Diſcurrunt lymphatis ſimiles in tabernacula, & itineri ſarci- 16
nas aptant : ſignum datum crederes , vt vaſa colligerent.

Totis

Totis caſtris tumultus hinc cõtubernales ſuos requirentium,
17 hinc onerantium plauſtra, perfertur ad regem. Fecerant fidem
rumori temere vulgato Græci milites , *redire* iuſſi *domos*, 7,5,27. 10,
quorum equitibus ſingulis denariorum ſena millia dono de- 2,8.
18 derat. Ipſis quoq; finem militiæ adeſſe credebant. Haud ſe 5,1,45.
cus quam par erat territus Alexander, qui Indos atq; vltima 6,9,29.
Orientis peragrare ſtatuiſſet ; præfectos copiarum in præto-
rium contrahit: obortiſque lachrimis , *ex medio gloriæ ſpa-*
tio reuocari ſe, victi magis , quam victoris fortunam in pa-
19 *triam relaturum* conqueſtus eſt. *nec ſibi ignauiam militum*
obſtare , ſed deorum inuidiam ; qui fortiſſimis viris ſubitum 7,7,7.
patriæ deſiderium admouiſſent, paulo poſt in eandem cum ma-
20 *iore laude famaque redituris.* Tum vero pro ſe quiſque
operam ſuam offerre ; difficilima quæque poſcere ; polliceri
militum quoque obſequium , ſi animos eorum leni & apta 6,4,1. 6,
6,17.
21 *oratione permulcere voluiſſet. Nunquam infractos & abie-*
ctos receſſiſſe, quoties ipſius alacritatem & tanti animi ſpi- 4,2,17. 7,
8,4.
ritus haurire potuiſſent. Ita ſe facturum eſſe reſpondit. *Illi*
vulgi aures præparent ſibi. ſatiſque omnibus , quæ in rem
videbantur eſſe , compoſitis ; *vocari ad concionem exerci-*
tum iuſſit, apud quem talem orationem habuit.

Magnitudinem rerum, quas geſimus milites , intuen- CAP. III.
tibus vobis, minime mirum eſt & deſiderium quietis, & ſa-
2 *tietatem gloriæ occurrere. Vt omittam Illyrios , Triballos,*
Bœotiam , Thraciam , Spartam , Achæos , Peloponneſum : quo-
3 *rum alia ductu meo; alia imperio auſpicioque perdomui. ecce* 6,6,33. 8,
orſi bellum ad Helleſpontum, Ionas, Aeolidem ſeruitio barbariæ 1,29.
3,10,5.
impotentis exemimus : Cariam , Lydiam , Cappadociam, Phry-
giam , Paphlagoniam , Pamphyliam , Piſidas, Ciliciam, Syriam,
Phœnicem, Armeniam, Perſidem, Medos, Parthienem habemus
4 *in poteſtate. plures prouincias complexus ſum , quam alij vr-*
bes ceperunt : & neſcio an enumeranti mihi , quædam ipſa-
5 *rum rerum multitudo ſubduxerit. Itaque ſi crederem ſatis* 4,11,9.

non immerito patriam suos cogitare; verum id immaturum adhuc esse: nationibus, quas subegerint, nondum perpacatis.

certam esse possessionẽ terrarum, quas tanta velocitate domui-
3,6,15. mus; ego vero milites ad penates meos, ad parentem sororesq;, & ceteros ciues, vel renitentibus vobis erumperem: vt ibi potissimũ parta vobiscum laude & gloria fruerer; vbi nos vberrima victoriæ præmia exspectant: liberorum, coniugum, parentumq; lætitia; pax; quies; rerum per virtutem partarum
5,7,2. secura possessio. Sed in nouo, & (si verum fateri volumus) 6
precario imperio, adhuc iugum eius rigida ceruice subeuntibus barbaris, tempore milites opus est; dum mitioribus ingeniis imbuantur, & efferatos mollior consuetudo permulceat. Fruges quoque maturitatem statuto tempore exspectant: 7
adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid? creditis tot gentes alterius imperio ac no- 8
mine adsuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ nobiscum cohærentes; eodem prælio domitas esse, quo victæ sunt? Vestris armis continentur, non suis moribus; &
8,9,1. qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cum feris bestiis res est, quas captas & inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat. Et adhuc sic ago tamquam 9
omnia subacta sint armis, quæ fuerunt in ditione Darÿ.
5,13,18. Hyrcaniam Nabarzanes occupauit; Bactra non possidet solum parricida Bessus; sed etiam minatur: Sogdiani, Dahæ, Massagetæ, Sacæ, Indi sui iuris sunt. Omnes hi, simul terga
nostra viderint, sequentur. Illi enim eiusdem nationis sunt; 10
7,8,21. nos alienigenæ & externi. suis autem quique parent placidius: etiam quum is præest, qui magis timeri potest. Proinde, aut quæ cepimus, omittenda sunt; aut quæ non habemus, occupanda. Sicut in corporibus ægris, milites, nihil 11
5,9,3. quod nociturum est, medici relinquunt; sic nos quidquid obstat imperio, recidamus. Parua sæpe scintilla contempta magnum excitauit incendium. Nihil tuto in hoste despicitur: quem spreueris, valentiorem negligentia facies. Ne 12
Darius quidem hereditarium Persarum accepit imperium.

sed

præterea Besi scelus quod inultum relinqui, nec honestũ, nec tutum foret, nullo labore vindicari posse: ita persuasis militibus, ad fines Hyrcaniæ penetrat.

sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus, 6,4,10.
ne vos magno labore credatis Bessum vacuum regnum occu- 5,12,19.
13 paturum. Nos vero peccauimus milites, si Darium ob hoc vicimus, vt seruo eius traderemus imperium. qui vltimum ausus scelus, regem suum etiam externæ opis egentem, certe, cui nos victores pepercissemus; quasi captiuum in vinculis habuit: ad vltimum, ne à nobis conseruari posset, occidit.
14 Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci adfixum videre festino; omnibus regibus gentibusque fidei, quam vio- 7,5,40.
15 lauit, meritas pœnas soluentem. At hercule si mox eumdem 5,13,28.
Græcorum vrbes, aut Hellespontum vastare nunciatum erit vobis; quo dolore adficiemini, Bessum præmia vestræ occupasse victoriæ? Tunc ad repetendas res festinabitis; tunc arma capietis. Quanto autem præstat territum adhuc & vix
16 mentis suæ compotem opprimere. Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcauimus niues; tot amnes superauimus, 5,6,15.
tot montium iuga transcurrimus. Non mare illud, quod 5,3,22.
exæstuans iter fluctibus occupat, euntes nos moratur; non Ciliciæ fauces, & angustiæ includunt: plana omnia & pro- 3,4,2.
17 na sunt. In ipso limine victoriæ stamus. pauci nobis fugitiui & domini sui interfectores supersunt. Egregium me hercule opus, & inter prima gloriæ vestræ numerandum posteritati famæque tradetis, Darÿ quoque hostis, finito post mortem eius odio parricidas esse vos vltos, neminem impi-
18 um effugisse manus vestras. Hoc perpetrato, quanto creditis Persas obsequentiores fore quum intellexerint vos pia 4,1,12.
bella suscipere; & Besi sceleri, non nomini suo irasci?

Svmma militum alacritate iubentium *quocumque vel-* CAP. IV.
2 let, duceret, oratio excepta est. nec rex moratus impetum; 4,1,29. 6,
tertioque per Parthienem die ad fines Hyrcaniæ penetrat; 2,20.
Cratero relicto cum iis copiis, quibus præerat, & ea manu, 5,4,14.
quam Amyntas ducebat, additis sexcentis equitibus, & totidem sagittariis: vt ab incursione barbarorum Parthienem

amnemque Zioberim mira natura. Ibi literas Nabarzanis accipit, scelus in Darium excusantis,

6,4,23. tueretur. Erigyium *impedimenta*, modico præsidio dato, 3
campestri itinere ducere iubet. Ipse cum phalange & equi-
6,4,16. 19. tatu CL stadia emensus, castra in valle, qua Hyrcaniam ade-
unt, communit. Nemus prælatis densisque arboribus vm-
brosum est, pingue vallis solum rigantibus aquis, quæ ex
3,4,12. petris imminentibus manant. Ex ipsis radicibus montium 4
Zioberis amnis effunditur, qui tria fere stadia in longitudi-
4,6,8. nem vniuersus fluit; deinde saxo, quod alueolum interpel-
lat, repercussus, duo itinera velut dispensatis aquis aperit.
4,2,6. Inde torrens & saxorum, per quæ incurrit asperitate violen- 5
7,10,3. tior, terram præceps subit. Per CCC stadia conditus labi-
tur: rursusque velut ex alio fonte conceptus editur, & no-
uum alueum intendit; priore sui parte spatiosior. quippe in 6
latitudinem XIII stadiorum diffunditur: rursusque angustiori-
bus coercitus ripis iter cogit; tandem in alterum amnem
cadit, cui *Rhidago* nomen est. Incolæ adfirmabant *quæcum-* 7
*que dimissa essent in cauernam, quæ propior est fonti; rur-
sus vbi aliud os amnis aperit, existere.* Itaque Alexander
duos tauros, qua subeunt aquæ terram, præcipitari iubet,
quorum corpora vbi rursus erumpit, expulsa videre, qui
missi erant, vt exciperent. Quartum iam diem eodem lo- 8
co quietem militi dederat; quum literas Nabarzanis, qui
Darium cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia
hæc erat. *Se Dario non fuisse inimicum; immo etiam quæ
credidisset vtilia esse suasisse: & quia fidele consilium regi*
5,9,3. *dedisset prope occisum ab eo. Agitasse Darium custodiam* 9
corporis sui, contra ius fasque, peregrino militi tradere,
5,9,2. *damnata popularium fide, quam per ducentos & triginta
annos inuiolatam regibus suis præstitissent. Se in præcipiti* 10
& lubrico stantem consilium à præsenti necessitate repetisse.
6,3,12. *Darium quoque cum occidisset Bagoan, hac excusatione sa-
tis fecisse popularibus*, quod insidiantem sibi interemisset.
NIHIL esse miseris mortalibus spiritu carius. amore eius ad 11

vltima

& acceptæ fide se dedituri: eius petitioni Alexander annuit.

nec eo segnius regiones ad Caspium mare peruenit, quod

*vltima esse propulsum. sed ea magis esse sequutum, quæ coë-
gisset necessitas, quam quæ optasset. In communi calamita-*
12 *te suam quemque habere fortunam. Si venire se iuberet,
sine metu esse venturum. Non timere, ne fidem datam*
13 *tantus rex violaret: deos à deo falli non solere. Ceterum si,
cui fidem daret, videretur indignus, multa exilia patere fu-
gienti: patriam esse, vbicumque vir fortis sedem elegerit.*
14 Nec dubitauit Alexander fidem quo Persæ modo accipie- 5,1,18.
bant, dare, *Inuiolatum, si venisset, fore.* Quadrato tamen *4,1,14. 6,7.
35. 8, 12, 10.
agmine, & composito ibat; speculatores subinde præmit- *3,8,23.
15 tens, qui explorarent loca. leuis armatura ducebat agmen;
phalanx eam sequebatur; post pedites erant impedimenta.
& gens bellicosa, & natura situs difficilis aditu, curam regis
16 intenderat. Namque perpetua vallis iacet, vsque ad mare 6,4,3. 19.
Caspium patens. Duo terræ eius velut brachia excurrunt:
media flexu modico sinum faciunt, lunæ maxime similem,
quum eminent cornua nondum totum orbem sydere im-
17 plente. Cercetæ, Mosyni, & Chalybes à læua sunt: ab al- 6,5,24.
tera parte Leucosyri, & Amazonum campi; & illos qua
vergit ad Septemtrionem; hos ad occasum conuersa prospe-
18 ctat. Mare Caspium dulcius ceteris, ingentis magnitudinis
serpentes alit: pisces longe diuersi ab aliis coloris. quidam
Caspium, quidam *Hyrcanum* adpellant: alii sunt qui *Mæo-
tim paludem in id cadere* putent: & argumentum adferunt;
aquam, quo dulcior sit quam cetera maria, infuso paludis
19 *humore mitescere.* A Septemtrione ingens in litus mare in- 9,9,9.
cumbit, longeque agit fluctus, & magna parte exæstuans
stagnat. idem alio cœli statu recipit in se fretum, eodem-
que impetu, quo effusum est, relabens, terram naturæ suæ
reddit. & quidam credidere non Caspium mare esse; sed
ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium, vt supra di- 6,4,3. 16.
20 ctum est, perpetua valle submittitur. Hinc rex XX stadia
processit semita propemodum inuia, cui sylua imminebat,

torren-

torrentesque & eluuies iter morabantur. nullo tamen hoste obuio, penetrauit; tandemque ad cultiora peruentum est. Præter alios commeatus quorum tum copia regio abunda- 21
bat, pomorum quoque ingens modus nascitur, & vberrimum gignendis vuis solum est. Frequens arbor faciem 22
quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur: sed nisi solis ortum incolæ occupauerint; vel modico tepore succus extinguitur. XXX hinc stadia processerat; quum Phrata- 23
phernes ei occurrit, seque & eos, qui post Darii mortem profugerant, dedens: quibus benigne exceptis ad oppidum
6,4,2. & 3. Aruas peruenit. hic ei Craterus & Erigyius occurrunt. Præ- 24
fectum Tapurorum gentis Phradatem adduxerant. hic quo-
5,1,18. que in fidem receptus, multis exemplo fuit experiendi clementiam regis. Satrapem deinde Hyrcaniæ dedit Mena- 25
6,5,2. pim. exul hic regnante Ocho ad Philippum peruenerat: Tapurorum quoque gentem Phradati reddidit.

CAP. V. IAmque rex vltima Hyrcaniæ intrauerat, quum Artabazus (quem Dario fidissimum fuisse supra diximus) cum
5,12,8. 4,1,14. propinquis Darii ac suis liberis modicaque Græcorum mi-
5,9,1. litum manu occurrit. Dextram venienti obtulit rex; quip- 2
6,4,25. pe & hospes Philippi fuerat, quum Ocho regnante exularet; & hospitii pignora in regem suum ad vltimum fides conseruata vincebat. Comiter igitur exceptus, *Tu quidem,* 3
inquit, *rex perpetua felicitate floreas. ego ceteris lætus, hoc vno torqueor, quod præcipiti senectute, diu frui tua bonitate non possum.* nonagesimum & quintum annum agebat.
3,13,13. Nouem iuuenes eadem matre geniti patrem comitabantur: 4
4,1,14. hos Artabazus dextræ regis admouit, precatus *vt tam diu viuerent, donec vtiles Alexandro essent.* Rex pedibus iter 5
plerumque faciebat: tunc *admoueri sibi & Artabazo equos* iussit; ne ipso ingrediente pedibus, senex equo vehi erubesceret. Deinde vt castra sunt posita; *Græcos,* quos Artaba- 6
zus adduxerat, *conuocari* iubet: at illi, *nisi Lacedæmoniis fides daretur,*

daretur, respondent, *se quid agendum ipsis foret, deliberaturos.* Legati erant Lacedæmoniorum missi ad Darium, 7 3,13,15.
quo victo adplicauerant se Græcis mercede apud Persas mi-
litantibus. Rex *omissis sponsionum fideique pignoribus, venire eos* iussit, *fortunam quam ipse dedisset habituros.* Diu 8 4,5,7.
cunctantes, plerisque consilia variantibus, tandem *venturos se* pollicentur. At Democrates Athenienses, qui maxime 9
Macedonum opibus semper obstiterat; venia desperata, gladio se transfigit. ceteri, sicut constituerant, ditioni Alexan-
dri se ipsos permittunt. mille & D milites erant. præter hos 10
legati ad Darium missi XC. In supplementum distributus miles: ceteri remissi domum, præter Lacedæmonios, quos
tradi in custodiam iussit. Mardorum erat gens confinis 11 5,6,17.
Hyrcaniæ, cultu vitæ aspera, & latrociniis adsueta. hæc sola nec legatos miserat; nec videbatur imperata factura. Itaque rex indignatus, si vna gens posset efficere, ne inuictus esset; 4,2,17. 4,
impedimentis cum præsidio relictis, inuicta manu comi- 4,2.
tante procedit. 12 Noctu iter fecerat, & prima luce hostis in conspectu erat: tumultus magis quam prælium fuit. Deturbati ex collibus, quos occupauerant, barbari profugiunt;
proximique vici ab incolis deserti capiuntur. 13 Interiora regionis eius haud sane adire sine magna vexatione exercitus poterat. Iuga montium prealtæ syluæ, rupesque inuiæ sepiunt; ea quæ plana sunt, nouo munimenti genere impedierant barbari. 14 Arbores densæ sunt ex industria consitæ, 9,1,10.
quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inserunt terræ; inde velut ex alia radice lætiores
virent trunci. 15 hos qua natura fert, adolescere non sinunt: quippe alium alii quasi nexu conserunt, qui vbi multa fronde vestiti sunt, operiunt terram. itaque occulti nexus ramorum velut laquei perpetua sepe iter cludunt. 16 Vna ratio erat cædendo aperire saltum: sed hoc quoque magni operis. crebri namque nodi durauerant stipites, & in se implicati

arborum rami suspensis circulis similes, lento vimine fru-
strabantur ictus. Incolæ autem ritu ferarum virgulta subire 17
soliti; tum quoque intrauerant saltum, occultisque telis ho-
stem lacessebant. Ille venantium modo latibula scrutatus,
plerosque confodit: ad vltimum *circumire saltum milites*
iubet, *vt si qua pateret, inrumperent.* Sed ignotis locis ple- 18
rique oberrabant. excepti sunt quidam; inter quos equus
regis, *Bucephalam* vocabant: quem Alexander non eodem
quo ceteras pecudes animo æstimabat. nam ille nec in dor-
so insidere suo patiebatur alium; & regem, quum vellet ad-
scendere, sponte sua genua submittens excipiebat, credeba-
turque sentire quem veheret. Maiore ergo quam decebat, 19
ira simul ac dolore stimulatus, *equum vestigari* iubet; *&*
per interpretem pronunciari, ni reddidissent, neminem esse
victurum. Hac denunciatione territi, cum ceteris donis
equum adducunt. Sed ne sic quidem mitigatus, *cædi sylvas* 20
iubet, *adgestaque humo è montibus planitiem ramis impe-*
4,3,9. 8, 11,8. *ditam exaggerari.* Iam aliquantulum altitudinis opus cre- 21
uerat quum barbari desperato regionem, quam occupaue-
rant, posse retineri, gentem suam dedidere. Rex obsidibus
acceptis *Phradati tradere eos* iussit. Inde quinto die in sta-
tiua reuertitur. Artabazum deinde geminato honore, quam 22
Darius habuerat ei, remittit domum. Iam ad vrbem Hyrca-
niæ, in qua regia Darii fuit, ventum erat. ibi Nabarzanes
accepta fide occurrit, dona ingentia ferens. inter quæ Bago- 23
as erat specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiæ;
10,1,25. 7, 9,19. cui & Darius fuerat adsuetus, & mox Alexander adsueuit:
eiusque maxime precibus motus Nabarzani ignouit. Erat 24
6,4,16. vt supra dictum est, Hyrcaniæ finitima gens Amazonum,
circa Thermodoonta amnem Themiscyræ incolentium
campos. Reginam habebant Thalestrim, omnibus inter 25
Caucasum montem & Phasim amnem imperitantem. Hæc
cupidine visendi regis accensa finibus regni sui excessit; &
quum

quum haud procul abesset, præmisit indicantes *venisse re-*
26 *ginam adeundi eius, cognoscendique auidam.* Protinus fa-
cta potestate veniendi, ceteris iussis subsistere, CCC femi-
narum comitata processit. Atque vt primum rex in con-
spectu fuit, equo ipsa desiliit duas lanceas dextra præferens.
27 Vestis non toto Amazonum corpore obducitur; nam læ-
ua pars ad pectus est nuda, cetera deinde velantur. nec ta-
men sinus vestis, quem nodo conligunt, infra genua de-
28 scendit. Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus
liberos alant: aduritur dextra, vt arcus facilius intendant, &
29 tela vibrent. Interrito vultu regem Thalestris intuebatur,
habitum eius haudquaquam rerum famæ parem oculis 3,12,16.
perlustrans. quippe hominibus barbaris in corporum maie- 9,1,26.
state veneratio est; magnorumque operum non alios capa-
ces putant, quam quos eximia specie donare natura digna-
30 ta est. Ceterum interrogata *num aliquid petere vellet:* haud
dubitauit fateri *ad communicandos cum rege liberos se ve-*
nisse: dignam ex qua ipse regni generaret heredes. femini-
31 *ni sexus se retenturam; marem reddituram patri.* Alexan-
der, *an cum ipso militare vellet?* interrogat: & illa caussata
sine custode regnum reliquisse; petere perseuerabat, *ne se in-*
32 *ritam spei pateretur abire.* Acrior ad Venerem feminæ cu-
pido quam regis, vt paucos dies subsisteret, perpulit. XIII
dies in obsequium desiderii eius absumpti sunt. Tum illa
regnum suum; rex Parthienem petiuerunt.

Hic vero palam cupiditates suas soluit; continentiam- CAP. VI.
que & moderationem in altissima quaque fortuna eminen-
2 tia bona, in superbiam ac lasciuiam vertit. Patrios mores
disciplinamque Macedonum regum salubriter temperatam,
& ciuilem habitum, velut leuiora magnitudine sua ducens;
Persicæ regiæ, par deorum potentiæ fastigium æmulabatur. 5,12,16.
3 Iacere humi venerabundos pati cepit: paulatimque seruili- 8,5,6.
bus ministeriis tot victores gentium imbuere; & captiuis

pares facere expetebat. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, ve- 4
3,3,6. 8. 5,19. stemque Persicam sumpsit; ne omen quidem veritus, quod à victoris insignibus in deuicti transiret habitum. & ille se 5
quidem Persarum spolia gestare dicebat: sed cum illis quo-
4,6,29. que mores induerat; superbiamque habitus animi insolentia sequebatur. Literas quoque quas in Europam mitteret, 6
8,5,21. veteris annuli gemma obsignabat: iis quas in Asiam scriberet, Darii annulus imprimebatur; vt appareret vnum animum duorum non capere fortunam. Amicos vero & equi- 7
tes, cumque his principes militum, aspernantes quidem, sed
3,3,24. 6, 6,2. recusare non ausos, Persicis ornauerat vestibus. Pellices 8
CCC & LX, totidem quot Darii fuerant, regiam implebant; quas spadonum greges & ipsi muliebria pati adsueti sequebantur. Hæc luxu & peregrinis infecta moribus vete- 9
res Philippi milites, rudis natio ad voluptates palam auersabantur; totisque castris vnus omnium sensus ac sermo
erat, *plus amissum victoria, quam bello quæsitum esse. Tum* 10
maxime vinci ipsos, dedique alienis moribus & externis: tantæ moræ precium, domos quasi in captiuo habitu reuersuros. pudere iam sui. regem victis quam victoribus similiorem ex Macedoniæ imperatore Darij Satrapen factum. Ille 11
non ignarus & principes amicorum, & exercitum grauiter offendi, gratiam liberalitate donisque recuperare tentabat.
sed opinor, liberis precium seruitutis ingratum est. Igitur 12
6,2,15. 8, 9,1. ne in seditionem res verteretur; otium interpellandum
erat bello; cuius materia opportune alebatur. Namque Bes- 13
sus veste regia sumpta, *Artaxerxen adpellari se* iusserat; Scythasque & ceteros Tanais accolas contrahebat. Hæc Satibarzanes nunciabat: quem receptum in fidem regioni,
quam antea obtinuerat, præfecit. Et quum graue spoliis 14
adparatuque luxuriæ agmen vix moueretur; *suas primum, deinde totius exercitus sarcinas, exceptis admodum necessariis,*

15 *sariis, conferri* iussit *in medium.* Planicies spatiosa erat, in
quam vehicula onusta perduxerant. Exspectantibus cunctis,
quid deinde esset imperaturus; *iumenta* iussit *abduci; suisque primum sarcinis face subdita, ceteras incendi* præcepit.
16 Flagrabant exurentibus dominis, quæ vt intacta ex vrbibus
hostium raperent, sæpe flammas restinxerant; nullo sanguinis precium audente deflere, quum regias opes idem ignis
17 exureret. Breuis deinde oratio mitigauit dolorem; habilesque militiæ & ad omnia parati, lætabantur *sarcinarum po-* 4,2,17. 6, 2,20.
18 *tius, quam disciplinæ feciſſe iacturam.* Igitur Bactrianam
regionem petebant. Sed Nicanor Parmenionis filius subita 6,9,27.
morte correptus, magno desiderio sui adfecerat cunctos.
19 Rex ante omnes mœstus, cupiebat quidem subsistere funeri
adfuturus; sed penuria commeatuum festinare cogebat. Itaque Philotas cum II millibus & DC relictus vt iusta fratri
20 persolueret: ipse contendit ad Bessum. Iter facienti literæ ei
adferuntur à finitimis Satraparum; è quibus cognoscit *Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu: ceterum Satibarzanem, quem Satrapem Ariorum ipse præfeciſſet, de-*
21 *feciſſe ab eo.* Itaque quamquam Besso imminebat, tamen ad
Satibarzanem opprimendum præuerti optimum ratus leuem armaturam & equestres copias educit, totaque nocte
22 strenue facto itinere improuisus hosti superuenit. Cuius
cognito aduentu Satibarzanes cum II millibus equitum (nec enim plures subito contrahi poterant) Bactra perfugit,
23 ceteri proximos montes occupauerunt. Prærupta rupes erat,
qua spectat Occidentem: eadem qua vergit ad Orientem leniore submissa fastigio, multis arboribus obsita, perennem
24 habet fontem, ex quo largæ aquæ manant. Circumitus
eius XXX & II stadia comprehendit. in vertice herbidus campus. *In hoc multitudinem imbellem considere* iubent:
ipsi qua rupes erat, arborum truncos & saxa obmoliuntur.
25 XIII millia armata erant. In horum obsidione Cratero re- 6,6,33.

licto, ipse Satibarzanem sequi festinat. & quia longius eum abesse cognouerat; ad expugnandos eos, qui edita montium occupauerant, redit. Ac primo *repurgari* iubet, *quidquid* 26
ingredi possent: deinde vt occurrebant inuiæ cotes præruptæque rupes; inritus labor videbatur obstante natura. Ille 27
vt erat animi semper obluctantis difficultatibus; quum &
8, 6, 5. progredi arduum, & reuerti periculosum esset, versabat se
ad omnes cogitationes, aliud atque aliud, ita vt fieri solet
vbi prima quæque damnamus, subiiciente animo. hæsitanti, quod ratio non potuit; fortuna consilium subministrauit. Vehemens Fauonius erat, & multam materiam cæci- 28
derat miles aditum per saxa molitus. hæc vapore torrida inaruerat. Ergo *adgeri alias arbores* iubet; *& igni dari ali-* 29
menta: celeriterque stipitibus cumulatis fastigium montis æquatum est. tunc vndique ignis iniectus cuncta compræ- 30
hendit. flammam in ora hostium ventus ferebat; fumus ingens velut quadam nube absconderat cœlum. sonabant in- 31
cendio syluæ, atque ea quoque quæ non incenderat miles concepto igne proxima quæq; adurebant. Barbari suppliciorum vltimum, siqua intermoreretur ignis, effugere tentabant; sed qua flamma dederat locum, hostis obstabat. Varia igi- 32
tur cæde consumpti sunt. alii in medios ignes; alii in petras præcipitauere se; quidam manibus hostium se obtulerunt: pauci semiustulati venere in potestatem. Hinc ad Crate- 33
6, 6, 25. rum, qui Artacacna obsidebat, redit. Ille omnibus præpa-
6, 1, 19. ratis, regis exspectabat aduentum, captæ vrbis titulo, sicut
par erat, cedens. Igitur Alexander *turres admoueri* iubet; 34
ipsoque adspectu territi barbari, è muris supinas manus ten-
7, 4, 38. dentes, orare ceperunt *iram in Satibarzanem defectionis*
*6, 1, 20. * auctorem reservaret; supplicibus semet dedentibus parceret.*
Rex data venia non obsidionem modo soluit, sed omnia sua incolis reddidit. Ab hac vrbe digresso supplementum 35
nouorum militum occurrit. Zoilus D equites ex Græcia adduxe-

adduxerat: III millia ex Illyrico Antipater miserat. Thessali equites C & XXX cum Philippo erant: Ex Lydia II millia, & DC peregrinus miles aduenerant: CCC equites gen-
3 6 tis eiusdem sequebantur. Hac manu adiecta Drangas peruenit. bellicosa natio est. Satrapes erat Barzaëntes, sceleris in regem suum particeps Besso. Is suppliciorum quæ meru- 5, 10, 13.
erat metu profugit in Indiam.

IAM nonum diem statiua erant, quum externa vi non CAP. VII.
interritus modo rex, sed inuictus, intestino facinore pete- 4, 10, 4.
2 batur. Dymnus modicæ apud regem auctoritatis & gratiæ, 6, 2, 4.
exoleti, cui *Nicomacho* erat nomen, amore flagrabat; ob- 8, 6, 8.
3 sequio vni sibi dediti corporis victus. Is quod ex vultu quo- 5, 10, 8.
que perspici poterat, similis adtonito, remotis arbitris cum iuuene secessit in templum, *arcana se & silenda adferre præ-*
4 *fatus:* suspensumque expectatione *per mutuam caritatem*
& pignora vtriusque animi rogat, *vt adfirmet iureiurando,*
5 *quæ commississet, silentio esse tecturum.* Et ille ratus nihil quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum,
6 *per præsentes deos* iurat. Tum Dymnus aperit *in tertium diem insidias regi comparatas, seque eius consilij fortibus vi-*
7 *ris & illustribus esse participem.* Quibus iuuenis auditis, *se vero fidem in parricidio dedisse* constanter abnuit, *nec vlla*
8 *religione, vt scelus tegat, posse constringi.* Dymnus & amore & metu amens, dextram exoleti complexus, & lachri-
9 mans, orare primum, *vt particeps consilij operisque fieret. si id sustinere non posset; attamen ne proderet se, cuius erga*
ipsum beneuolentiæ præter alia hoc quoque haberet fortissimum pignus, quod caput suum permisisset fidei adhuc inex-
10 *pertæ.* Ad vltimum auersari scelus perseuerantem metu mortis terret: *ab illo capite coniuratos pulcherrimum faci-*
11 *nus inchoaturos.* Alias deinde *effeminatum & muliebriter timidum, alias proditorem amatoris* adpellans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quoque, versabat animum

silentium pollicitus nihilominus rem defert ad fratrem suum Cebalinum: qui aditum ad regem, elusis a Philota,

mum tanto facinore procul abhorrentem. Strictum de- 12
inde gladium modo illius, modo suo admouens iugulo;
supplex idem & infestus expressit tandem, *vt non solum silentium, sed etiam operam* polliceretur. namque abunde 13
constantis animi, & dignus, qui pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutauerat. sed *se captum Dymni amore* simulabat *nihil recusare.* Scisciteri inde pergit, *cum quibus* 14
tantæ rei societatem iniisset. plurimum referre quales viri tam memorabili operi admoturi manus essent. Ille & amo- 15
re & scelere male sanus, simul gratias agit, simul gratulatur;
quod fortissimus iuuenum non dubitasset se iungere Demetrio corporis custodi, Peucolaõ, Nicanori. adiecit his Aphœbetum, Loceum, Dioxenum, Archepolim, & Amyntam. Ab 16
hoc sermone dimissus Nicomachus ad fratrem, *Cebalino* erat nomen, quæ acceperat, defert. Placet *ipsum subsistere in tabernaculo; ne si regiam intrasset, non adsuetus adire*
5, 11, 7. *regem, coniurati proditos se esse resciscerent.* Ipse Cebali- 17
nus ante vestibulum regiæ, neque enim propius aditus ei patebat, consistit; operiens aliquem ex prima cohorte amicorum, quo introduceretur ad regem. Forte ceteris dimis- 18
sis, vnus Philotas Parmenionis filius, incertum quam ob caussam, substiterat in regia. huic Cebalinus ore confuso magnæ perturbationis notas præ se ferens, aperit, quæ ex
5, 11, 8. fratre compererat; & *sine cunctatione nunciari regi* iubet. Philotas laudato eo, protinus intrat ad Alexandrum; mul- 19
toque inuicem de aliis rebus consumpto sermone, nihil eorum quæ ex Cebalino cognouerat, nunciat. Sub vesperam 20
eum prodeuntem in vestibulo regiæ excipit iuuenis; *an*
6, 8, 11. *mandatum exsequutus foret* requirens. Ille, *non vacasse sermoni suo regem* caussatus, discessit. Postero die Cebalinus 21
venienti in regiam præsto est: intrantemque admonet *pridie communicatæ cum ipso rei.* Ille *curæ sibi esse* respondit: ac ne tum quidem regi, quæ audierat, aperit. Ceperat Ce- 22

balino

per Metronem impetrat. Cuius indicio cognito, rex Dymnum accersiri iubet: at ipse conscientia sceleris sibi manus infert. Philotas autem

balino esse suspectus. Itaque non vltra interpellandum ratus, nobili iuueni, *Metron* erat ei nomen, super arma- 23
mentarium posito, *quod scelus pararetur,* indicat. Ille Cebalino in armamentario abscondito, protinus regi corpus 24
forte curanti, *quid ei index detulisset,* ostendit. Rex ad 6, 9, 9.
comprehendendum Dymnum missis satellitibus armamentarium intrat. ibi Cebalinus gaudio elatus, *habeo te,* inquit, 25
incolumem ex impiorum manibus ereptum. Percontatus deinde Alexander quæ noscenda erant, ordine cuncta cognoscit. Rursusque institit quærere *quotus dies esset, ex* 26
quo Nicomachus ad eum detulisset indicium? Atque illo fatente *iam tertium esse;* existimans haud incorrupta fide tan- 27
to post deferre quæ audierat, *vinciri eum* iussit. Ille clamitare cepit, *eodem temporis momento quo audisset, ad Phi-* 28
lotam decurrisse: ab eo percontaretur. Rex item quærens, *an Philotam adisset? an institisset ei, vt perueniret ad se?* persceuerante eo affirmare quæ dixerat; manus ad cœlum 4, 10, 34. 4,
tendens, manantibus lachrimis, *hanc sibi à carissimo quon-* 14, 23.
dam amicorum relatam gratiam querebatur. Inter hæc 29
Dymnus haud ignarus quam ob caussam accerseretur à rege; gladio, quo forte erat cinctus, grauiter se vulnerat, oc- 30
cursuque satellitum inhibitus, perfertur in regiam. Quem
intuens rex, *quod,* inquit, *in te Dymne tantum cogitaut ne-* 4, 10, 29.
fas; vt tibi Macedonum regno dignior Philotas me quoque ipso videretur? Illum iam defecerat vox. itaque edito gemitu, vultuque à conspectu regis auerso, subinde conlapsus 31
exstinguitur. Rex Philota *venire in regiam* iusso *Cebalinus,* inquit, *vltimum supplicium meritus, si in caput meum præparatas insidias biduo texit; huius criminis reum Philotam substituit: ad quem protinus indicium detulisse se ad-* 32
firmat. quo propiore gradu amicitiæ me contingis, hoc maius est dissimulationis tuæ facinus; & ego Cebalino magis, quam Philotæ id conuenire fateor. Fauentem habes iudi-

cem, si quod admitti non oportuit, saltem negari potest.
5,11,8. Ad hoc Philotas haud sane trepidus si animus vultu æstima- 33
4,3 22. retur, *Cebalinum quidem scorti sermonem ad se detulisse; sed ipsum tam leui auctori nihil credidisse* respondit; *veritum*
6,8,13. 6, *ne iurgium inter amatorem & exoletum, non sine * risu*
10,16. *aliorum, detulisset. Quum Dymnus * interemerit se ipsum,* 34
*6,10,35. *qualiacumque erant, non fuisse reticenda.* complexusque
*6,9,8. regem orare cepit, *vt præteritam vitam potius quam cul-*
pam, silentij tamen, non facti vllius, intueretur. Haud 35
facile dixerim, crediderit ne ei rex, an altius iram suppresse-
6,10,11.6. rit; dextram reconciliatæ gratiæ pignus obtulit; & *contem-*
4,14. *ptum magis, quam celatum indicium esse videri sibi* dixit.

CAP. IIX. Aduocato tamen consilio amicorum, cui tum Philo-
tas adhibitus non est, *Nicomachum introduci* iubet. Is
eadem, quæ detulerat ad regem, ordine exposuit. Erat 2
6,11,14. Craterus regi carus in paucis, & eo Philotæ ob æmulatio-
nem dignitatis aduersus. neque ignorabat sæpe Alexandri 3
auribus nimia iactatione virtutis atque operæ grauem fuisse:
& ob ea non quidem sceleris, sed contumaciæ tamen su-
8,6,1. spectum. Non aliam premendi inimici occasionem aptio- 4
rem futuram ratus, odio suo pietatis præferens speciem;
Vtinam, inquit, *in principio quoque huius rei nobiscum de-*
liberasses. Suasissemus, si Philotæ velles ignoscere, patereris 5
potius ignorare eum quantum deberet tibi; quam vsque ad
mortis metum adductum, cogeres potius de periculo suo,
7,2,8. *quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim semper insidiari*
tibi poterit; tu non semper Philotæ poteris ignoscere. Nec 6
est quod existimes, eum, qui tantum facinus ausus est, venia
10,8,1. *posse mutari. Scit eos, qui misericordiam consumpserunt,*
amplius sperare non posse. At ego etiam si ipse vel pœniten- 7
tia, vel beneficio tuo victus quiescere volet; patrem eius
Parmenionem tanti ducem exercitus, & inueterata apud
milites tuos auctoritate, haud multum infra magnitudinis
tuæ

tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filij sui
8 *debiturum tibi. QVAEDAM beneficia odimus. meruisse* 8,1,25. & 41.
mortem confiteri pudet. Superest vt malit videri iniuri-
am accepisse, quam vitam. proinde scio tibi cum illis de sa-
9 *lute esse pugnandum. Satis hostium superest, ad quos per-*
sequendos ituri sumus: latus à domesticis hostibus muni. 9,6,24.
hos si submoues, nihil metuo ab externo. Hæc Craterus.
10 Nec ceteri dubitabant, *quin coniurationis indicium suppres-*
surus non fuisset, nisi auctor aut particeps. Quem enim
pium & bonæ mentis non amicum modo, sed ex vltima
plebe; auditis quæ ad eum delata erant, non protinus
11 *ad regem fuisse cursurum? Ne Cebalini quidem exem-*
plo qui ex fratre comperta ipsi nunciasset, Parmenio-
nis filium, præfectum equitatus, omnium arcanorum re- 3,12,16.
gis arbitrum? simulasse etiam non vacasse sermoni suo re- 6,7,20.
12 *gem, ne index alium internuncium quæreret. Nicoma-*
chum religione quoque deum adstrictum, conscientiam suam
exonerare properasse: Philotam consumpto per ludum io-
cumque pene toto die, grauatum esse pauca verba ad caput
regis pertinentia, tam longo & forsitan supernacuo inferere
13 *sermoni. At enim non credidisse talia deferentibus pueris!* 6,7,33.
cur igitur extraxisset biduum, tanquam indicio haberet fi-
dem. dimittendum fuisse Cebalinum, si delationem eius da-
14 *mnabat. IN SVO quemq; periculo magnum animum habere;*
quum de salute regis timeretur, credulos esse debere; vana
15 *quoque deferentes admittere.* Omnes igitur *quæstionem*
de eo, vt participes sceleris indicare cogeretur, habendam
esse decernunt. Rex admonitos *vt consilium silentio pre-*
merent, dimittit. *Pronunciari* deinde *iter in posterum di-*
16 *em* iubet, ne qua noui iniuti consilii daretur nota. Inuita-
tus est etiam Philotas ad vltimas ipsi epulas, & non cœna-
re modo, sed etiam familiariter conloqui cum eo, quem
17 damnauerat, sustinuit. Secunda deinde vigilia luminibus 9,10,21.

 post quam in regiam coëuntes amici ad coniuratos capiendos mittuntur. Postero die Philotas in concionem productus accusatur à rege;

exstinctis cum paucis in regiam coeunt Hephæstion, & Craterus, & Cœnus, & Erigyius: hi ex amicis, ex armigeris autem Perdiccas & Leonnatus. Per hos imperatum, *vt qui ad prætorium excubabant, armati vigilarent.* Iam ad 18
omnes aditus dispositi milites, *equites quoque itinera obsidere* iussi; ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediæ magnisque copiis præerat, occultus euaderet. Attarras autem 19
cum trecentis armatis intrauerat regiam: huic decem satellites traduntur, quorum singulos deni armigeri sequebantur. Ii ad alios coniuratos comprehendendos distributi sunt: At- 20
tarras cum trecentis ad Philotam missus clausum aditum domus moliebatur, quinquaginta iuuenum promptissimis stipatus. nam ceteros cingere vndique domum iusserat, ne occulto aditu Philotas posset elabi. Illum siue securitate 21
6, 10, 13. animi, siue fatigatione resolutum somnus oppresserat; quem Attarras torpentem adhuc occupat. Tandem ei so- 22
6, 10, 14. pore discusso quum iniicerentur catenæ; *VICIT*, inquit, *bonitatem tuam rex, inimicorum acerbitas.* nec plura loquutum capite velato in regiam adducunt. Postero die rex 23
edixit, *omnes armati coirent.* Sex millia fere militum venerant: præterea turba lixarum calonumque impleuerant regiam. Philotam armigeri agmine suo tegebant, ne ante 24
conspici posset à vulgo, quam rex adloquutus milites esset.
8, 1, 18. De capitalibus rebus vetusto Macedonum modo inquirebat 25
exercitus: in pace erat vulgi. nihil potestas regum valebat; nisi prius valuisset auctoritas. Igitur primum Dymni ca- 26
dauer infertur, plerisque, quid patrasset, quoue casu exstinctus esset, ignaris.

CAP. IX. REX deinde in concionem procedit, vultu præferens
5, 11, 8. dolorem animi. Amicorum quoque mœstitia exspecta-
5, 5, 23. tionem haud paruam rei fecerat. Diu rex dimisso in ter- 2
ram vultu adronito stupentique simili stetit. tandem recepto animo; *Pene*, inquit, *milites, paucorum hominum scelere*

 magno cum fremitu militum: & quamuis à nullo coniuratorum particeps sceleris nominaretur; dissimulati indicii arguitur.

lere vobis ereptus sum. Deum prouidentia & misericordia viuo. Conspectusque vestri venerabilis cogit, vt vehementius parricidis irascerer; quoniam spiritus, immo vnus vitæ meæ fructus est, tot fortissimis viris, & de me optime meri- 9, 6, 17.
3 *tis referre adhuc gratiam posse.* Interrupit orationem militum gemitus, obortæque sunt omnibus lachrimæ. Tum rex, *quanto*, inquit, *maiorem in animis vestris motum excitabo, quum tanti sceleris auctores ostendero: quorum mentionem adhuc reformido; & tamquam salui esse possint, no-*
4 *minibus abstineo. Sed vincenda est memoria pristinæ caritatis, & coniuratio impiorum ciuium detegenda. Quomodo autem tantum nefas fileam? Parmenio illa ætate, tot meis, tot parentis mei meritis deuinctus, omnium nobis amicorum*
5 *vetustissimus, ducem tanto sceleri se præbuit. Minister eius Philotas Peucolaum, & Demetrium, & hunc Dymnum, cuius corpus adspicitis, ceteroque eius amentia in caput meum*
6 *subornauit.* Fremitus vndique indignantium querentiumque tota concione obstrepebat: qualis solet esse multitudi-
7 nis & maxime militaris; vbi aut studio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, & Metron, & Cebalinus producti, quæ quisque detulerat, exponunt. Nullius eorum indicio Philotas particeps sceleris destinabatur. itaq; indignatione pressa vox indicum silentio excepta est. Tum rex, *qualis*, in-
8 quit, *ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum indicium ad ipsum suppresit? Quod non fuisse vanum Dymni* 6, 7, 29.
9 *exitus declarat. Incertam rem deferens tormenta non timuit Cebalinus: Metron ne momentum quidem temporis*
10 *distulit exonerare se, vt eo, ubi laudabar inrumperet. Phi-* 6, 7, 23.
lotas solus nihil timuit, nihil credidit. ò magni animi virum! Iste, si regis periculo commoueretur, vultum non mutaret? indicem tantæ rei solicitus non audiret?
11 *Subest nimirum silentio facinus, & auida spes regni præcipitem animum ad vltimum nefas impulit. Pater Mediæ*

præest. ipse apud multos copiarum duces meis præpotens viribus, maiora, quam capit, spirat. Orbitas quoque mea, 12
quod sine liberis sum, spernitur. Sed errat Philotas. in vobis liberos, parentes, consanguineos habeo: VOBIS saluis orbus esse non possum. Epistolam deinde Parmenionis in- 13
terceptam, quam ad filios Nicanorem & Philotam scripserat, recitat; haud sane indicium grauioris consilii præferentem. Namque summa eius hæc erat: *primum vestri* 14
curam agite: deinde vestrorum: sic enim quæ destinauimus efficiemus. Adiecitque rex, *sic esse scriptam, vt siue ad fi-* 15
lios peruenisset; à conscijs posset intelligi: siue intercepta esset; falleret ignaros. At enim Dymnus quum ceteros par- 16
6, 10, 9. *ticipes sceleris indicaret, Philotam non nominauit! hoc quidem illius non innocentiæ; sed potentiæ indicium est, quod sic ab iis timetur etiam, à quibus prodi potest, vt quum de se fateantur, illum tamen cælent. Ceterum Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntæ, qui mihi consobrinus fuit,* 17
& in Macedonia capiti meo impias comparauit insidias, so-
8, 8, 7. *cium se & consilium adiunxit. Hic Attalo, quo grauiorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic quum scripsissem ei, pro iure tam familiaris* 18
4, 7, 25. *vsus atque amicitiæ, qualis sors edita esset Iouis Hammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi:* se quidem gratulari quod
6, 10, 26. in numerum deorum receptus essem: ceterum misereri eorum, quibus viuendum esset sub eo, qui modum hominis excederet. *Hæc sunt etiam animi pridem alienati à me &* 19
inuidentis gloriæ meæ indicia; quæ quidem milites quamdiu licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere; si in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed iam non verba 20
7, 1, 16. *& punienda sunt; linguæ temeritas peruenit ad gladios. Hos,*
26. *si mihi creditis, Philotas in me acuit. Id si ipse admisit, quo me conferam milites? cui caput meum credam? Equi-* 21
tatui,

tatui, optimæ exercitus parti, principibus nobilissimæ iuuentutis vnum præfeci: salutem, spem, victoriam meam fidei
22 *eius tutelæque commisi. Patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, admoui: Mediam, qua nulla opulentior regio est; tot ciuium sociorumque millia imperio eius ditionique subieci. VNDE præsidium petieram, periculum exstitit.*
23 *Quam feliciter in acie occidissem potius hostis præda; quam* 3, 5, 5.
ciuis victima? nunc seruatus ex periculis, quæ sola timui, 4, 16, 17.
24 *in hæc incidi, quæ timere non debui. Soletis idemtidem à me milites petere, vt saluti meæ parcam. Ipsi mihi præsta-* 9, 6, 6.
re potestis, quod suadetis vt faciam. ad vestras manus, ad vestra arma confugio: inuitis vobis saluus esse nolo; volen- 5, 11, 11.
25 *tibus, non possum, nisi vindicor.* Tum *Philotam* religatis post tergum manibus obsoleto amiculo velatum iussit *induci.* facile adparebat motos esse tam miserabili habitu, non 7, 11, 1.
26 sine inuidia paulo ante conspecti. Ducem equitatus pridie viderant; sciebant regis interfuisse conuiuio. repente non reum modo, sed etiam damnatum, immo vinctum intue- 6, 10, 4. 7.
27 bantur. Subibat animos Parmenionis quoque, tanti du- 1, 20.
cis, tam clari ciuis fortuna: qui modo duobus filiis Hectore 4, 8, 7. 6, 6.
& Nicanore orbatus; cum eo quem reliquum calamitas fe- 18. 6, 10, 30.
28 cerat, absens diceret caussam. Itaque Amyntas regis prætor inclinatam ad misericordiam concionem rursus aspera in Philotam oratione commouit. *Proditos eos esse barbaris:* 3, 5, 6. 9, 6.
neminem ad coniugem suam, neminem in patriam, & ad 9, 10, 8. 10.
parentes fuisse rediturum. velut truncum corpus dempto 9, 5, 30. 9.
capite, sine spiritu, sine nomine, aliena terra ludibrium ho- 6, 8.
29 *stis futuros.* Haudquaquam pro spe ipsius, Amyntæ oratio grata regi fuit: quod coniugum, quod patriæ admoni- 4, 11, 14.
30 tos, pigriores ad cetera munia exsequenda fecisset. Tunc 6, 2, 18.
Cœnus, quamquam Philotæ sororem matrimonio secum coniunxerat; tamen acrius quam quisquam in Philotam inuectus est: *parricidam esse regis, patriæ, exercitus* clamitans:

Philotam tormentis eripere conatur: At rex prius reum iubet causſam dicere. qui à querelis orſus, crimen

tans: ſaxumque, quod forte ante pedes iacebat, eripuit, 31
6,11,8. & 10. emiſſurus in eum; vt plerique credidere, tormentis ſubtrahere cupiens. ſed rex manum eius inhibuit, *dicendi prius cauſſam debere fieri poteſtatem reo, nec aliter iudicari paſſurum ſe* adfirmans. Tum dicere iuſſus Philotas ſiue conſcientia ſceleris, ſiue periculi magnitudine amens & adtonitus; non adtollere oculos, non hiſcere audebat. Lachri- 32 33
6,11,37. mis deinde manantibus, linquente animo in eum, à quo tenebatur, incubuit: abſterſisque amiculo eius oculis, paulatim recipiens ſpiritum ac vocem, dicturus videbatur. Iamque rex intuens eum, *Macedones*, inquit, *de te iudicaturi ſunt: quæro an patrio ſermone ſis apud eos vſurus?* Tum Philotas *præter Macedonas*, inquit, *plerique adſunt, quos facilius, quæ dicam, percepturos arbitror, ſi eadem lingua fuero vſus, qua tu egiſti. non ob aliud credo, quam vt oratio tua intelligi poſſet à pluribus.* Tum rex, *ecquid videtis odio etiam ſermonis patrii Philotam teneri? ſolus quippe faſtidit eum dicere. Sed dicat ſane vtcumque cordi eſt;* 34 35 36
6,10,23. *dum memineritis æque illum à noſtro more, atque ſermone abhorrere.* Atque ita concione exceſſit.

CAP X. Tum Philotas, *VERBA*, inquit, *innocenti reperire facile eſt; modum verborum miſero tenere difficile. Itaque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunam deſtitutus, ignoro quomodo & animo meo, & tempari parcam. Abeſt quidem optimus cauſſæ meæ iudex: qui cur me ipſe audire noluerit, non me hercule excogito; quum illi vtrimque cognita cauſſa tam damnare me liceat quam abſoluere; non cognita vero liberari ab abſente non poſſum qui à præſente damnatus ſum. Sed quamquam VIN-* 2 3 4
6,9,26. *CTI hominis non ſuperuacua ſolum, ſed etiam inuiſa defenſio eſt, quæ iudicem non docere videtur, ſed arguere; tamen vtcumque licet dicere, memet ipſe non deſeram, nec committam, vt damnatus etiam mea ſententia videar. Equi-* 5

dem

intrepide negat: nec enim ſi conſcius fuiſſet, potuiſſe, quin ab aliquo nominaretur. etiam ſomnum aduocat in teſtimonium innocentiæ:

dem cuius criminis reus ſim, non video. inter coniuratos nemo me nominat: de me Nicomachus nihil dixit: Cebali- 6 *nus plus quam audierat, ſcire non potuit. Atqui coniurationis caput me fuiſſe credit rex! potuit ergo Dymnus eum præterire, quem ſequebatur? præſertim quum quærenti ſocios, vel falſo fuerim nominandus; quo facilius, qui verebatur, poſſet impelli. Non enim detecto facinore nomen meum præteriit, vt poſſet videri ſocio peperciſſe; ſed Nicomacho, quem taciturum arcana de ſemetipſo credebat confeſſus, aliis nominatis, me vnum ſubtrahebat. Quæſo commilitones ſi Cebalinus me non adiſſet, nihil me de coniuratis ſcire voluiſſet; num hodie dicerem cauſſam nullo me no-* 7 8 9
6,9,16. *minante? Dymnus ſane & viuat adhuc, & velit mihi parcere. quid ceteri? qui de ſe confitebuntur, me videlicet ſubtrahent! MALIGNA eſt calamitas; & fere noxius quum ſuo ſupplicio crucietur, adquieſcit alieno. Tot conſcij, ne in equuleum quidem impoſiti verum fatebuntur? Atqui nemo parcit morituro; nec cuiquam moriturus vt opinor.* 10
6,10,22. *Ad verum crimen & ad vnum reuertendum mihi eſt. Cur rem delatam ad te tacuiſti? cur tam ſecurus audiſti? hoc qualecumque eſt, confeſſo mihi vbicumque es Alexander, remiſiſti: dextram tuam amplexus reconciliati pignus ani-* 11
6,7,35. *mi, conuiuio quoque interfui. Si credidiſti mihi; abſolutus ſum: ſi pepercisti; dimiſſus. vel iudicium tuum ſerua. Quid hac proxima nocte, qua digreſſus ſum à menſa tua, feci? quod nouum facinus delatum ad te, mutauit animum tuum? graui ſopore adquieſcebam quum me malis indor-* 12 13
6,8,21. *mientem meis inimici vinciendo excitarunt. Vnde & paricidæ & proditori tam alti quies ſomni? SCELERATI conſcientia obſtrepente quum dormire non poſſint; agitant eos furiæ, non cogitato modo, ſed & conſummato parricidio. At mihi ſecuritatem primum innocentia mea; deinde dextra tua obtulerant: non timui ne plus alienæ crudelitati* 14
6,8,22.

dissimulati indicij veniam & caussa habuisse: si scelus agitasset occasionem non defuisse: denique alia

apud te liceret, quam clementiæ tuæ. Sed ne te mihi credidisse pœniteat, res ad me deferebatur à puero, qui non testem, non pignus indicij exhibere poterat, impleturus omnes metu, si cepisset audiri. Amatorij & scorti iurgio interponi aures meas credidi infelix; & fidem eius suspectam habui, quod non ipse deferret, sed fratrem potius subornaret. timui, ne negaret mandasse se Cebalino; & ego vi-derer multis amicorum regis fuisse periculi caussa. Sic quoque quum læserim neminem, inueni, qui mallet perire me, quam incolumem esse; quid inimicitiarum creditis excepturum fuisse, si insontes lacessissem? At enim Dymnus se occidit? num igitur facturum eum diuinare potui? minime. Ita quod solum indicio fidem fecit, id me quum à Cebalino interpellatus sum, mouere non poterat. At hercule si conscius Dymno tanti sceleris fuissem, biduo illo proditos esse nos dissimulare non debui: Cebalinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit. Deinde post delatum indicium, quo periturus eram; cubiculum regis solus intraui, ferro quidem cinctus. cur distuli facinus? an sine Dymno non sum ausus? ille igitur princeps coniurationis fuit. sub illius umbra Philotas latebam, qui regnum Macedonum adfecto. Et quis è vobis corruptus est donis? quem ducem, quem præfectum impensius colui? mihi quidem obijcitur, quod societatem patrij sermonis asperner; quod Macedonum mores fastidiam. sic ego imperio, quod dedignor, immineo. Iam pridem natiuus ille sermo commercio aliarum gentium exoleuit; tam victoribus, quam victis peregrina lingua discenda est. Non me hercule ista me magis lædunt, quam quod Amyntas Perdiccæ filius insidiatus est regi; cum quo quod amicitia fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem regis non oportuit diligi à nobis. sin autem IN ILLO fortunæ gradu positum etiam venerari necesse erat; vtrum quæso quod non diuinaui reus sum? an impiorum amicis insontibus quoque

moriendum est? Quod si æquum est, cur tamdiu viuo? si iniustum, cur nunc demum occidor? At enim scripsi, misereri me eorum, quibus vivendum esset, sub eo qui se Iouis filium crederet! Fides amicitiæ, veri consilij periculosa libertas, vos me decepistis! vos, quæ sentiebam, ne reticerem, impulistis. scripsisse me hæc fateor regi, non de rege scripsisse. non enim faciebam inuidiam, sed pro eo timebam. dignior mihi Alexander videbatur, qui Iouis stirpem tacitus adgnosceret; quam qui prædicatione iactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est; sit deus caussa mea testis. retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon in arcanum & occultum scelus. Interim qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ insidiati sunt latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse tormenta; ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. duos fratres ego nuper amisi; patrem nec ostendere possum, nec inuocare audeo: quum & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim tot modo liberorum parentem in vnico filio adquiescentem, eo quoque orbari, ni ipse in rogum meum imponitur. Ergo carissime pater, & propter me morieris, & mecum. Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam exstinguo! Quid enim me procreabas infelicem aduersantibus diis? an vt hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio adolescentia mea miserior sit, an senectus tua: ego in ipso robore ætatis eripior; tibi carnifex spiritum adimet, quem si fortuna exspectare voluisset, natura reposcebat. Admonuit me patris mei mentio, quam timide & contanter, quæ Cebalinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim quum audisset venenum à Philippo medico regi parari, deterrere eum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo? num vllam auctoritatem eius li-

huius exemplo causſa ſuæ patrocinium quærit. ei Belon quidam ſuperbiam exprobrans; milites in eum concitat.

teræ habuerunt? Ego ipſe quoties quæ audieram detuli,
6, 7, 33. *cum ludibrio credulitatis repulſus ſum. Si & quum indi-*
camus, inuiſi; & quum tacemus, ſuſpecti ſumus; quid fa-
cere nos oportet? Quumque vnus è circumſtantium turba 36
exclamaſſet, *BENE MERITIS non inſidiari:* Philotas *re-*
cte, inquit, *quiſquis es dicis. Itaque ſi inſidiatus ſum, pœnam* 37
non deprecor; & finem facio dicendi, quoniam vltima ver-
ba grauia ſunt viſa auribus veſtris. Abducitur deinde ab
iis qui cuſtodiebant eum.

CAP. XI. Erat inter duces manu ſtrenuus Belon quidam, pacis artium & civilis habitus rudis, vetus miles; ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat promotus: qui ta- 2
centibus ceteris ſtolida audacia ferox, admonere eos cepit;
quoties quiſque diuerſoriis, quæ occupaſſent, proturbatus eſ-
ſet, vt purgamenta ſeruorum Philotæ reciperentur eo vnde
commilitones expuliſſet. Auro argentoque vehicula eius 3
onuſta totis vicis ſtetiſſe: ac ne in vicina quidem diuerſorij
quemquam commilitonum receptum eſſe; ſed per diſpoſitos,
quos ad ſomnum habebat, omnes procul relegatos, ne femi-
na illa murmurantium inter ſe ſilentio verius, quam ſono
excitaretur. Ludibrio ei fuiſſe ruſticos homines, Phrygaſ- 4
que & Paphlagonas *adpellatos: qui non erubeſceret, Ma-*
cedo natus, homines linguæ ſuæ per interpretem audire. Cur 5
Hammonem conſuli vellet? eumdem Iouis arguiſſe menda-
cium Alexandrum filium adgnoſcentis: ſcilicet veritum ne
6, 10, 27. *inuidioſum eſſet, quod dij offerrent. Quum inſidiaretur* 6
capiti regis & amici, non conſuluiſſe eum Iouem: nunc ad
oraculum mittere, dum pater eius ſolicitaretur, qui præſit
in Media; & pecunia, cuius cuſtodia commiſſa ſit, perditos
homines ad ſocietatem ſceleris impellat. Ipſos miſſuros ad 7
oraculum, non qui Iouem interrogent, quod ex rege cogno-
uerint; ſed qui gratias agant: qui vota pro incolumitate
regis optimi perſoluant. Tum vero vniuerſa concio accen- 8
ſa eſt;

Rex Philotam abduci iubet, conſilioque habito tormentis ſubrici. Quibus crudeliſſime vexatus;

ſa eſt; & à corporis cuſtodibus initium factum, clamantibus,
diſcerpendum eſſe parricidam manibus eorum. Id quidem
Philotas, qui grauiora ſupplicia metueret, haud ſane ini- 6, 9, 31.
9 quo animo audiebat. Rex in concionem reuerſus, ſiue vt
in cuſtodia quoque torqueret, ſiue vt diligentius cuncta co-
gnoſceret; concilium in poſterum diem diſtulit: & quam-
quam in veſperam inclinabat dies, tamen *amicos conuocari*
10 iubet. & ceteris quidem placebat *Macedonum more obrui* 6, 11, 38. 7
ſaxis; Hephæſtion autem & Craterus & Cœnus * *tormen-* 2, 1.
tis veritatem exprimendam eſſe dixerunt: & illi quoque, * 6, 9, 31.
11 qui aliud ſuaſerant, in horum ſententiam tranſeunt. Con-
ſilio ergo dimiſſo, Hephæſtion cum Cratero & Cœno ad
12 quæſtionem de Philota habendam conſurgunt. Rex Cra-
tero accerſito, & ſermone habito, cuius ſumma non edita
eſt; in intimam diuerſorii partem ſeceſſit, & remotis arbi-
tris in multam noctem quæſtionis exſpectauit euentum.
13 Tortores in conſpectu Philotæ omnia crudelitatis inſtru-
14 menta proponunt. Et ille vltro *quid ceſſatis*, inquit, *re-*
gis inimicum, interfectorem, confitentem occidere? quid
quæſtione opus eſt? cogitaui, volui. Craterus exigere, *vt* 6, 8, 2.
15 *quæ confiteretur, in tormentis quoque diceret.* Dum cor-
ripitur, dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, *deos pa-*
trios, gentium iura, nequidquam apud ſurdas aures inuo-
cabat. Per vltimos deinde cruciatus, vtpote damnatus, &
16 inimicis in gratiam regis torquentibus laceratur. Ac pri-
mo quamquam hinc ignis, illinc verbera, iam non ad quæ-
ſtionem, ſed ad pœnam ingerebantur; non vocem modo,
17 ſed etiam gemitus habuit in poteſtate: ſed poſtquam intu-
meſcens corpus vlceribus, flagellorum ictus nudis oſſibus
incuſſos ferre non poterat; *ſi tormentis adhibituri modum*
18 *eſſent, dicturum ſe, quæ ſcire expeterent*, pollicetur. *ſed fi-*
nem quæſtioni fore, iurare eos per Alexandri ſalutem vole-
bat, *remouerique tortores.* Et vtroque impetrato, Cratero

 inquit,

tandem indicium profitetur, nec præfat: donec reuocatis tortoribus. Hegelochum, dubium an falso, fomitem coniurationis fuisse refert;

inquit, *dic quid me velis dicere.* Illo indignante *ludificari* 19
eum, rursusque reuocante tortores; *tempus petere* cepit,
dum reciperet spiritum, cuncta quæ sciret, indicaturus. In- 20
terim equites, nobilissimus quisque, & ii maxime, qui Par-
menionem propinqua cognatione contingebant, postquam
Philotam torqueri fama vulgauerat, legem Macedonum
8.6,28. 8. veriti, qua cautum erat, vt propinqui eorum, qui regi insi-
7. 16. 8,8. diati erant, cum ipsis necarentur; alii se interficiunt; alii in
18. deuios montes vastasque solitudines fugiunt: ingenti per
tota castra terrore diffuso, donec rex tumultu cognito *le-*
gem se supplicio coniunctis sontium remittere edixit. Phi- 21
7,2,34. lotas verone an mendacio liberare se à cruciatu voluerit, an-
ceps coniectura est, quoniam & vera confessis, & falsa di-
centibus idem doloris finis ostenditur. Ceterum, *Pater,* 22
inquit, *meus Hegelocho quam familiariter vsus sit, non*
ignoratis. Illum dico Hegelochum, qui in acie cecidit:
ille omnium malorum nobis caussa fuit. Nam quum primum 23
4,10,3. Iouis filium *se salutari iussit rex, id indigne ferens ille,*
hunc igitur regem agnoscimus, *inquit,* qui Philippum de-
dignatur patrem? actum est de nobis, si ista perpeti possu-
mus. NON HOMINES solum, sed etiam deos despicit, 24
qui postulat deus credi. Amisimus Alexandrum, amisi-
mus regem: incidimus in superbiam, nec diis, quibus se
exæquat; nec hominibus, quibus se eximit, tolerabilem.
Nostrone sanguine deum fecimus, qui nos fastidiat, qui 25
grauetur mortalium adire concilium? Credite mihi, ET
NOS, si viri sumus, à diis adoptabimur. Quis proauum 26
huius Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam
4,7,27. occisos vltus est? hic quidem interfectoribus patris ignouit.
Hæc Hegelochus dixit supra cænam: & postera die prima 27
luce à patre accersor. Tristis erat, & me mœstum videbat.
audieramus enim, quæ solicitudinem incuterent. Itaque 28
vt experiremur, vtrumne vino grauatus effudisset illa, an
altiore

ab eo Parmenionem & se inductum. De Dymno negat se quidquam scire.
tandem ea quoque confessio extorquetur. Quæ etiam Demetrius & Calis

altiore concepta consilio; accersiri eum placuit. Venit: eo- 8,2,2.
demque sermone vltro repetito adiecit, se siue auderemus
duces esse, proximas à nobis partes vindicaturum; siue de-
29 esset animus, consilium silentio esse tecturum. *Parmenioni*
viuo adhuc Dario intempestiua res *videbatur*; non enim
sibi, sed hosti esse occisuros Alexandrum: Dario vero sub-
lato præmium regis occisi Asiam, & totum Orientem inter-
fectoribus esse cessurum. *Adprobatoque consilio, in hæc si-*
30 *des data est & accepta. Quod ad Dymnum pertinet, nihil*
scio; & hæc confessus intelligo non prodesse mihi, quod pror-
31 *sus sceleris expers sum.* Illi rursus tormentis admotis, quum
ipsi quoque hastis os oculosque eius euerberarent; vt hoc
32 quoque crimen confiteretur, expressere. Exigentibus de-
inde *vt ordinem cogitati sceleris exponeret; quum diu Ba-*
ctra retentura regem viderentur, timuisse respondit, *ne*
pater LXX natus annos, tanti exercitus dux, tantæ pecu- 7,4,2.
niæ custos, interim exstingueretur, ipsique spoliato tantis vi-
33 *ribus, occidendi regis caussa non esset. Festinasse ergo se,*
DVM præmium haberet in manibus. Repræsentasse consi-
lium, cuius patrem fuisse auctorem nisi crederent, tormenta
34 *quamquam tolerare non posset, tamen non recusaret.* Illi
conlocuti *satis quæsitum videri*; ad regem reuertuntur. qui
postero die & *quæ confessus erat Philotas recitari; & ipsum,*
35 quia ingredi non poterat, iussit *adferri.* Omnia adgno-
scente eodem, Demetrius, qui proximi sceleris particeps es-
se arguebatur, producitur: multa adfirmatione, animique
pariter constantia, & vultu abnuens *quidquam sibi in regem*
cogitatum esse. tormenta etiam deposcebat *in semetipsum;* 4,10,33.
36 quum Philotas circumlatis oculis incideret in Calin quen-
dam, haud procul stantem, *propius eum* iussit *accedere.* Illo
perturbato, & recusante transire ad eum, *patieris*, inquit,
37 *Demetrium mentiri, rursusque me excruciari?* Calin vox 6,9,33.7,11.
sanguisque defecerant; & Macedones Philotam inquinare 9.7,7,26.
inno-

conscij deprehendantur. Qui omnes lapidibus obruuntur. Sera militum in Philotam misericordia, ob patris præcipue merita,

innoxios velle suspicabantur: quia nec à Nicomacho, nec ab ipso Philota, quum torqueretur, nominatus esset adolescens. qui vt præfectos regis circumstantes se vidit, *Demetrium & semetipsum id facinus cogitasse* confessus est.
6, 11, 10. Omnes ergo à Nicomacho nominatos, more patrio, dato 38
signo, saxis obruerunt. Magno non modo salutis, sed 39
etiam vitæ periculo liberatus erat Alexander: quippe Parmenio & Philotas principes amicorum nisi palam fontes sine indignatione totius exercitus non potuissent damnari. Itaque anceps quæstio fuit: dum inficiatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur; post confessionem, Philotas ne 40
amicorum quidem misericordiam meruit.

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI

DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER SEPTIMVS.

PHILOTAM sicut recentibus sceleris eius vestigiis iure adfectũ supplicio censuerant milites; ita POSTQVAM
6, 9, 25. 7, 2, 3. desierat esse quem odissent, inuidia in misericordiam
6, 11, 32. vertit. Mouerat & claritas iuuenis; & patris eius senectus 2
*6, 10, 31. atque * orbitas. Primus Asiam aperuerat regi; omnium 3
3, 9, 8. 4, 13, 35. periculorum eius particeps; semper alterum in acie cornu defenderat: Philippo quoque ante omnes amicus; & ipsi
8, 1, 42. 8, 7, 5. Alexandro tam fidus, vt occidendi Attalum non alio ministro vti mallet. Horum cogitatio subibat exercitum; se- 4
ditio-

nauo irę stimulo obiecto discutitur, quippe Alexander Lynceste, olim parricidij reus lan ceis confoditur. Debine Amyntas & Simmias amici Philotæ, tamquam consilii eius

ditiosæque voces referebantur ad regem. quis ille haud sane motus, satisque prudens, OTII vitia negotio discuti, edicit, 6, 2, 15.
5 *vt omnes in vestibulo regiæ præsto adforent.* quos vbi frequentes adesse cognouit; in concionem processit. Haud dubie ex composito Apharias postulare cepit, *vt Lynceste Alexander, qui multo antequam Philotas regem voluisset*
6 *occidere, exhiberetur.* A duobus indicibus, sicut supra diximus, delatus, tertium iam annum custodiebatur in vin- 8, 8, 6.
culis. eumdem in Philippi quoque cædem coniurasse cum 10, 1, 40.
Pausania pro comperto fuit: sed quia primus Alexandrum 4, 7, 27.
Regem salutauerat; supplicio magis quam crimini fuerat
7 exemptus. Tum quoque Antipatri soceri eius preces iustam regis iram morabantur. Ceterum recruduit soporatus dolor. quippe veteris periculi memoriam præsentis cu-
8 ra renouabat. Igitur Alexander ex custodia educitur, iussusque dicere quam toto triennio meditatus erat defensionem, hæsitans & trepidus pauca ex iis, quæ composuerat, protulit: ad vltimum non memoria solum; sed etiam mens,
9 eum destituit. Nulli erat dubium, quin TREPIDATIO 6, 11, 37.
conscientiæ indicium esset, non memoriæ vitium. itaque ex iis, qui proxime adstiterant, obluctantem adhuc obliuio-
10 ni lanceis confoderunt. Cuius corpore sublato, rex *introduci iussit Amyntam & Simmiam:* nam Polemon mi- 7, 2, 1.
nimus ex fratribus, quum Philotam torqueri comperisset,
11 profugerat. Omnium Philotæ amicorum hi carissimi fuerant: ad magna & honorata ministeria illius maxime suf- 7, 1, 28.
fragatione producti: memineratque rex summo studio ab eo conciliatos sibi. nec dubitabat *huius quoque vltimi con-*
12 *silij fuisse participes.* Igitur *olim esse sibi suspectos matris* 7, 1, 36.
suæ literis, quibus esset admonitus, vt ab his salutem suam tueretur. ceterum se inuitum deteriora credentem, nunc
13 *manifestis indiciis victum, iussisse vinciri. Nam pridie* 7, 1, 31.
quam detegeretur Philotæ scelus, quin in secreto cum ipso

fuissent,

participes accusantur: Verum Amyntas egregia oratione culpam amoliturinspectato, vt sine praeiudicio causam diceret.

fuissent, non posse dubitari. fratrem vero, qui profugerit,
5,10,12. *quum Philotas torqueretur, aperuisse fugæ causam. Nuper* 14
præter consuetudinem, officij specie, amotis longius ceteris,
admouisse semetipsos lateri suo, nulla probabili causa: se-
8,6,3. *que mirantem quod non vice sua, tali fungerentur officio;*
& ipsa trepidatione eorum perterritum; strenue ad armi-
geros, qui proximi sequebantur, recessisse. Ad hoc accede- 15
re, quod quum Antiphanes scriba equitum Amyntæ denun-
7,1,32. *ciasset, pridie quam Philotæ scelus deprehensum esset,* vt ex
suis equis more solito daret iis, qui amisissent suos; *superbe*
respondisse, nisi incepto desisteret, breui sciturum quis
6,9,20. ipse esset. *Iam linguæ violentiam, temeritatemque verbo-* 16
rum, quæ in semetipsum iacularentur, nihil aliud esse, quam
scelesti animi indicem ac testem. quæ si vera essent, idem
meruisse eos, quod Philotam; si falsa, exigere ipsum vt re-
fellant. Productus deinde Antiphanes *de equis non tra-* 17
ditis, & adiectis etiam superbe minis, indicat. Tum Amyn- 18
tas facta dicendi potestate; *si nihil*, inquit, *interest regis:*
peto, vt dum dico, vinculis liberer. Rex *solui vtrumque*
iubet: desiderantique Amyntæ, *vt habitus quoque redde-*
retur armigeri, lanceam dari iussit. Quam vt læua com- 19
prehendit, cuitato eo loco in quo Alexandri corpus paulo
ante iacuerat; *Qualiscumque*, inquit, *exitus nos manet, rex:*
confitemur prosperum euentum tibi debituros; tristiorem
fortunæ imputaturos. Sine præiudicio dicimus causam, li- 20
6,9,26. *beris corporibus animisque. habitum etiam quo te comitari*
solemus, reddidisti. Causam non possumus; fortunam ti-
mere desinemus. Te quæso permittas mihi id primum de- 21
fendere, quod à te vltimum obiectum est. Nos, rex, sermo-
nis aduersus maiestatem tuam habiti nullius conscij sumus
nobis. Dicerem iampridem vicisse te inuidiam, nisi peri-
culum esset, NE ALIA maligne dicta crederes blanda ora-
tione purgari. Ceterum etiam si militis tui vel in agmine 22
defici-

verba qua excepta in crimen deforquerentur, more militari per eam aut tadium temere talia fuisse: amicitiam Philotæ voluisse.

deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in ta-
bernaculo ægri & vulnera curantis, aliqua vox asperior es-
set accepta; meruerimus fortibus factis, vt malles ea tem-
23 *pori nostro imputare, quam animo. Quum quid accidit*
tristius, omnes rei sumus: corporibus nostris, quæ vtique non
odimus, infestas admouemus manus; parentes liberis si oc-
currant, & ingrati & inuisi sunt. Quum donis honora-
mur; quum præmiis onusti reuertimur, quis ferre nos pot-
est? quis illam animorum alacritatem continere? MILI-
24 *TANTUM nec indignatio, nec lætitia moderata est. ad*
omnes adfectus impetu rapimur. vituperamus, laudamus,
miseremur, irascimur, vtcumque præsens mouit adfectio.
Modo Indiam adire & Oceanum libet; modo coniugum &
25 *liberorum patriæque memoria occurrit. Sed has cogitatio-*
nes, has inter se conloquentium voces, signum tuba datum
finit: in suos ordines quisque currimus, & quidquid ira-
rum in tabernaculo conceptum est, in hostium effunditur
26 *capita. Vtinam Philotas quoque intra verba peccasset. Pro-* 6,9,20.
inde ad id reuertar, propter quod rei sumus. Amicitiam
quæ nobis cum Philota fuit, adeo non eo insicias, vt expe-
27 *tisse confitear. An vero Parmenionis, quem tibi proximum*
esse voluisti, filium, omnes pene amicos tuos dignatione vin-
28 *centem, cultum à nobis esse miraris? Tu hercule, si verum* 6,10,25.
audire vis, rex, huius nobis periculi causa es. Quis enim
alius effecit, vt ad Philotam decurrerent, qui placere vel-
lent tibi? Ab illo traditi ad hunc gradum amicitiæ tuæ ad- 7,1,11.
scendimus. Is apud te fuit, cuius gratiam expetere; &
29 *iram timere possemus. Annon propemodum in tua verba,*
tui omnes te præeunte iurauimus, eosdem nos inimicos
amicosque habituros esse, quos tu haberes? *hoc sacramento*
pietatis obstricti auersaremur scilicet, quem tu omnibus præ-
30 *ferebas. Igitur si hoc crimen est; tu paucos innocentes ha-*
bes: immo hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici

esse voluerunt: sed totidem, quot volebant esse non poterant. ita si à conscijs amicos non diuidis; nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt. Quod 31
7,1,13. igitur conscientiæ adfertur indicium? vt opinor, quia pridie familiariter & sine arbitris loquutus est nobiscum! At ego purgare non possem, si pridie quidquam ex vetere vita ac more mutassem. nunc vero si vt omnibus diebus, illo quoque, qui suspectus est, fecimus, CONSVETVDO diluet crimen. Sed equos Antiphani non dedimus! & pridie quam 32
7,1,15. Philotas detectus est, hæc mihi cum Antiphane res erat! qui si nos suspectos facere vult, quod illo die equos non dederimus, semetipsum, quod eos desiderauerit, purgare non poterit. Anceps enim crimen est inter retinentem & exigentem; 33
nisi quod MELIOR est caussa suum non tradentis, quam poscentis alienum. Cetcrum, rex, equos decem habui, è 34
quis Antiphanes octo iam distribuerat iis, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam: quos quum vellet abducere homo superbissimus, certe iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebar. Nec inficis eo liberi ho- 35
minis animo loquutum esse me cum ignauissimo, & hoc vnum militiæ suæ vsurpante, vt alienos equos pugnaturis distribuat. Huc enim malorum ventum est, vt verba mea eodem tempore, & Alexandro excusem, & Antiphani. At 36
7,1,12. hercule mater de nobis inimicis tuis scripsit! Vtinam PRVDENTIVS esset solicita pro filio, & non inanes quoque species anxio animo figuraret. Quare enim non adscribit metus sui caussam? Denique non ostendit auctorem, quo facto dictoue nostro mota tam trepidas tibi literas scripsit. O 37
miseram conditionem meam, cui forsitan non periculosius est tacere quam dicere. Sed vtcumque cessura res est, MALO tibi defensionem meam displicere, quam caussam. Ad-
4,6,30. gnosces autem quæ dicturus sum; quippe meminisli, quum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te mul-

te multos integros iuuenes in domo tuæ matris abscondi.
38 præcepisti igitur mihi, ne quem præter te intuerer; sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, & liberius, quam expediebat mihi, exsequutus sum imperium tuum. Gorgian, Hecateum & Gorgatan; quorum bo-
39 na opera vteris, inde perduxi. QVID igitur iniquius est, quam me, qui si tibi non paruissem, iure daturus fui pœnas; nunc perire quia parui? Neque enim vlla alia matri tuæ persequendi nos caussa est, quam quod vtilitatem tuam mu-
40 liebri præposuimus gratiæ. Sex millia Macedonum pedi- 5,1,40.
tum, & DC equites adduxi, quorum pars sequutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem. Sequitur ergo, vt quia ila propter hanc caussam irascitur nobis; tu mitiges metrem, qui iræ eius nos obtulisti.

Dvm hæc Amyntas agit, forte superuenerunt, qui fra- CAP. II.
trem eius Polemonem, de quo ante dictum est, fugientem 7,1,10.
consequuti vinctum reducebant. Infesta concio vix inhiberi potuit; quin protinus suo more saxa in eum iaceret. 6,11,10.
2 Atque ille sane interritus *nihil*, inquit, *pro me deprecor; modo ne fratrum innocentiæ fuga imputetur mea. Hæc si defendi non potest, meum crimen sit. horum ob idipsum me-*
3 *lior est caussa, quod ego, qui profugi, suspectus sum.* At hæc eloquuto vniuersa concio adsensa est. Lachrimæ deinde omnibus manare ceperunt, adeo in contrarium repente mutatis; vt solum pro eo esset, quod maxime læserat. 7,1,1. 9.
4 Iuuenis erat primo ætatis flore pubescens, quem inter equi- 4,22.
tes tormentis Philotæ conturbatos alienus terror abstulerat. Desertum eum à comitibus, & hæsitantem inter reuertendi fugiendique consilium, qui sequuti erant occupa-
5 uerunt. Is tum flere cepit, & os suum conuerberare: mœ- 8,2,5.
stus non suam vicem; sed propter ipsum periclitantium fra- 3,5,8. 10.
6 trum. Moueratque iam regem, non concionem modo: 5,21.
sed vnus erat implacabilis frater; qui terribili vultu intuens

cum; *Tum*, ait, *demens, lachrimare debueras, quum equo calcaria subderes, fratrum desertor, & desertorum comes. Miser quo, & vnde fugiebas? Effeci ſti vt reus capitis accuſatoris vterer verbis.* Ille *peccaſſe ſe; ſed grauius in fratres, quam in ſemetipſum* fatebatur. Tum vero neque lachrimis, neque adclamationibus, quibus ſtudia ſua multitudo profitetur, temperauerunt. Vna vox erat pari emiſſa conſenſu, *vt inſontibus & fortibus viris parceret.* Amici quoque data miſericordiæ occaſione conſurgunt, flenteſque regem deprecantur. Ille ſilentio facto, *& ipſe*, in-
quit, *Amyntam mea ſententia fratreſque eius abſoluo. Vos*
6, 8, 5. *autem iuuenes MALO beneficij mei obliuiſci, quam periculi veſtri meminiſſe. Eadem fide redite in gratiam mecum; qua ipſe vobiſcum reuertor. Niſi qua delata eſſent, excuſ-*
ſiſſem; valde diſſimulatio mea ſuſpecta eſſe potuiſſet. Sed
ſatius eſt purgatos eſſe, quam ſuſpectos. Cogitate neminem abſolui poſſe, niſi qui dixerit cauſſam. Tu Amynta ignoſce
fratri tuo. erit hoc ſimpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus. Concione deinde dimiſſa, *Polydamanta*
vocari iubet. Longe acceptiſſimus Parmenioni erat, pro-
4, 15, 6. ximus lateri in acie ſtare ſolitus. Et quamquam conſcien-
tia fretus in regiam venerat; tamen vt iuſſus eſt *fratres*
ſuos exhibere, admodum iuuenes, & regi ignotos ob æta-
3, 8, 20. tem: fiducia in ſolicitudinem verſa trepidare cepit, ſæpius quæ nocere poſſent, quam quibus eluderet reputans. Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos; quum exſanguem metu Polydamanta *propius accedere* iubet. ſubmotiſque omnibus, *ſcelere*, inquit, *Parmenionis omnes pariter adpetiti ſumus, maxime ego ac tu, quos AMICITIAE ſpecie fefellit. ad quem perſequendum puniendumque (vide quantum fidei tuæ credam) te miniſtro vti ſtatui, obſides, dum hoc peragis, erunt fratres tui. Proficiſcere in Mediam, & ad præfectos meos literas ſcriptas manu mea perfer. ve-*

locitate

locitate opus eſt, qua celeritatem famæ antecedas. noctu
peruenire illuc te volo, poſtero die, quæ ſcripta erunt, exſe-
16 *qui. Ad Parmenionem quoque epiſtolas feres; vnam à*
me; alteram Philotæ nomine ſcriptam. ſignum annuli eius
in mea poteſtate eſt. ſic pater credens à filio impreſſum,
17 *quum te viderit, nihil metuet.* Polydamas tanto liberatus metu impenſius etiam, quam exigebatur, promittit operam. 7, 5, 21.
Conlaudatuſque & promiſſis oneratus depoſita veſte quam
18 habebat, Arabica induitur. Duo Arabes, quorum interim coniuges ac liberi, vinculum fidei obſides apud regem erant, dati comites. Per deſerta etiam ob ſiccitatem loca
19 camelis, vndecima die, quo deſtinauerat, perueniunt. Et prius quam ipſius nunciaretur aduentus, rurſus Polydamas veſtem Macedonicam ſumit, & in tabernaculum Cleandri
20 (prætor hic regius erat) quarta vigilia peruenit. Redditis deinde literis conſtituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Namque ceteris quoque literas regis adtulerat. Iam ad eum venturi erant, quum Parmenioni *Polydamanta ve-*
21 *niſſe* nunciauerunt. qui dum lætatur aduentu amici, ſimulque noſcendi, quæ rex ageret, auidus (quippe longo interuallo nullam ab eo epiſtolam acceperat) *Polydamanta re-*
22 *quiri* iubet. Diuerſoria regionis illius magnos receſſus habent, amœnoſque nemoribus manu conſitis, ea præcipue 8, 1, 11.
23 regum ſatraparumque voluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenion medius inter duces, quibus erat imperatum literis Regis, vt occiderent. Agendæ autem rei conſtituerant tempus, *quum Parmenion à Polydamante literas*
24 *traditas legere cepiſſet.* Polydamas procul veniens, vt à Parmenione conſpectus, vultu lætitiæ ſpeciem præferente, ad complectendum eum cucurrit; mutuaque gratulatione functi, Polydamas epiſtolam ab rege ſcriptam ei tradidit.
25 Parmenion vinculum epiſtolæ ſoluens *quidnam rex ageret?* requirebat. Ille *ex ipſis literis cogniturum eſſe* reſpon-
dit.

dit. Quibus Parmenion lectis; *Rex*, inquit, *expeditionem* 26
parat in Arachosios. Strenuum hominem & nunquam cessantem! Sed tempus saluti suæ tanta iam parta gloria parcere. Alteram deinde epistolam Philotæ nomine scri- 27
ptam lætus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum
3, 12, 19. eius latus gladio haurit Cleander, deinde iugulum ferit; ce-
teri exanimem quoque confodiunt. Et armigeri, qui ad 28
aditum nemoris adstiterant, cognita cæde, cuius causa ignorabatur, in castra perueniunt; & tumultuoso nuncio milites concitant. Illi armati ad nemus, in quo perpetrata cædes 29
erat, coeunt: & *ni Polydamas, ceterique eiusdem noxæ par-*
8, 1, 12. *ticipes dedantur; murum circumdatum nemori euersuros* denunciant; *omniumque sanguine duci parentaturos.* Cle- 30
ander *primores eorum intromitti* iubet; literasque regis scriptas ad milites recitat, quibus *insidiæ Parmenionis in regem, precesque vt ipsum vindicarent*, continebantur. Igitur 31
cognita regis voluntate, non quidem indignatio; sed tamen seditio compressa est. Dilapsis pluribus pauci remanserunt, qui, *saltem vt corpus ipsius sepelire permitterent*, precabantur. Diu id negatum est Cleandri metu, ne of- 32
fenderet regem: pertinacius deinde precantibus, materiem consternationis subtrahendam ratus, capite decisо truncum humare permisit. ad regem caput missum est. Hic exitus 33
Parmenionis fuit militiæ domique clari viri. Multa sine rege prospere; rex sine illo nihil magnæ rei gesserat. feli-
6, 11, 32. 7, cissimo regi & omnia ad fortunæ suæ exigenti modum sa-
4, 34. tisfecit. LXX natus annos, iuuenis ducis, & sæpe etiam gregarii militis munia expleuit. acer consilio; manu strenuus; carus principibus; vulgo militum acceptior. Hæc impu- 34
lerint illum ad regni cupiditatem; an tantum suspectum fecerint, ambigi potest. quia Philotas vltimis cruciatibus victus verane dixerit, quæ facta probari non poterant; an
6, 11, 21. falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti cum magis

35 magis posset liquere, dubitatum est. Alexander quos mortem Parmenionis conquestos esse compererat, separandos à cetero exercitu ratus; in vnam cohortem secreuit, ducemque his Leonidam dedit: & ipsum Parmenioni quondam
36 intima familiaritate coniunctum. Fere iidem erant, quos alioqui rex habuerat inuisos. nam quum experiri vellet militum animos; admonuit, *qui literas in Macedoniam ad suos scripsisset, iis, quos ipse mittebat, perlaturis cum fide traderet.* Simpliciter ad necessarios suos quisque scripserat, quæ sentiebat: aliis grauis erat; plerisque non ingrata militia. Ita & agentium gratias; & querentium literæ exceptæ
37 sunt. Et qui forte tædium laboris per literas erant questi, *hanc seorsum cohortem à ceteris tendere ignominiæ caussa* iubet: fortitudine vsurus in bello; libertatem linguæ ab auribus credulis remoturus. Et consilium temerarium forsitan (quippe fortissimi iuuenes contumeliis inritati erant)
38 sicut omnia alia felicitas regis excepit. nihil illis ad bella promptius fuit. incitabat virtutem & ignominiæ demendæ cupido; & quia fortiora facta in paucis latere non poterant.

His ita compositis, Alexander Arianorum Satrape constituto, *iter pronunciari* iubet *in Agriaspas*, quos iam tunc mutato nomine *Euergetas* adpellabant; ex quo frigore victusque penuria Cyri exercitum adfectum, tectis & 2 commeatibus iuuerant. Quintus dies erat, vt in eam regionem peruenerat. cognoscit *Satibarzanem, qui ad Bes-* 6, 6, 20.
sum defecerat, cum equitum manu inrupisse rursus in Arios. Itaque Caranum, & Erigyium cum Artabazo & Andronico, 7, 4, 32.
& sex millibus Græcorum peditum, DC equites sequeban-
3 tur. Ipse LX diebus gentem Euergetarum ordinauit, ma-
4 gna pecunia ob egregiam in Cyrum fidem donata. Relicto deinde, qui iis præesset, Amenide (scriba is Darii fuerat.) Arachosios, quorum regio ad Ponticum mare pertinet, sub-

Cap. III.

egit. Ibi exercitum, qui sub Parmenione fuerat, occupauit. sex millia Macedonum erant, & CC nobiles, & quinque millia Græcorum cum equitibus ducentis; haud dubie
9,10,20. robur omnium virium regis. Arachosiis datus Menon prætor IV millibus peditum, & DC equitibus in præsidium re-
4, 12, 9. 9, lictis. Ipse rex nationem ne finitimis quidem satis notam,
10, 8. quippe nullo commercio volentem mutuos vsus, cum exercitu intrauit. *Parapamisadæ* adpellantur, agreste homi- 6
num genus, & inter barbaros maxime inconditum. loco-
8, 9, 20. 9, rum asperitas, hominum quoque ingenia durauerat. geli- 7
10, 9. dissimum Septemtrionis axem ex magna parte spectant;
7, 4, 20. Bactrianis ad Occidentem coniuncti sunt: Meridiana regio
ad mare Indicum vergit. Tuguria latere primo struunt, 8
& quia sterilis est terra materiæ, in nudo etiam montis dorso, vsque ad summum ædificiorum fastigium eodem laterculo vtuntur. Ceterum structura latior ab imo, paulatim 9
incremento operis in arctius cogitur: ad vltimum in carinæ maxime modum coit. ibi foramine relicto superne lumen accipiunt ad medium. Vites & arbores, si quæ in tan- 10
to terræ rigore durare potuerunt, obruunt. Penitus hyeme defossæ latent. quum niue discussa aperiri humus cepit, cœ-
5, 6, 13. lo solique redduntur. Ceterum adeo altæ niues premunt 11
terram, gelu & perpetuo penè rigore constrictæ, vt ne animum quidem, feræue vllius vestigium exstet. Obscura cœli verius vmbra, quam lux, nocti similis premit terram; vix
vt quæ prope sunt conspici possint. In hac tamen omnis 12
humani cultus solitudine destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari potest, pertulit; inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimauit rigor insolitus niuis; 13
multorum adussit pedes: plurimorum oculis præcipue perniciabilis fuit. fatigati quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant; quæ quum moueri desissent, vis frigoris ita adstringebat, vt rursus ad surgendum conniti non possent.

14 sent. A commilitonibus torpentes excitabantur. neque
aliud remedium erat, quam vt ingredi cogerentur. Tum demum vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor.
15 Si qui tuguria barbarorum adire potuerunt, celeriter refecti
sunt. sed tanta caligo erat, vt ædificia nulla alia res quam
16 fumus ostenderet. Illi numquam ante in terris suis aduena 8, 4, 13.
viso, quum armatos repente conspicerent; exanimati metu, quidquid in tuguriis erat, adferebant: *vt corporibus ipsorum*
17 *parceretur* orantes. Rex agmen circumibat pedes, iacen- 7, 11, 8. 8,
tes quosdam erigens, & alios, quum ægre sequerentur, ad- 4, 9.
miniculo corporis sui excipiens. nunc ad prima signa; nunc 6, 4, 20.
in medium; nunc in vltimo agmine itineris multiplicato
18 labore aderat. Tandem ad cultiora peruentum loca est,
commeatuque largo recreatus exercitus: simul & qui con-
19 sequi non potuerant, in illa castra venerunt. Inde agmen
processit ad Caucasum montem, cuius dorsum Asiam perpetuo iugo diuidit: hinc simul mare, quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum, & amnem Araxem, aliaque regionis
20 Scythiæ deserta spectat. Taurus secundæ magnitudinis
mons committitur Caucaso, à Cappadocia se adtollens Ci-
21 liciam præterit, Armeniæque montibus iungitur. Sic inter se tot iuga velut serie cohærentia perpetuum habent dorsum, ex quo Asiæ omnia fere flumina, alia in Rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanum & Ponticum de-
22 cidunt. XVII dierum spatio Caucasum superauit exercitus. 7, 4, 22.
Rupes in eo X in circumitu stadia complectitur, quatuor in altitudinem excedit, in qua *vinctum Promethea fuisse* anti-
23 quitas tradit. Condendæ in radicibus montis vrbi sedes electa est. VII millibus seniorum Macedonum & præterea militibus, quorum opera vti desisset, permissum, in nouam vr- 5, 2, 16.
bem considere. Hanc quoque *Alexandriam* incolæ adpellauerunt.

At Bessus Alexandri celeritate * perterritus, diis patriis CAP. IV.
sacri- * 5, 5, 3.

Interea Bessus cum amicis ducibusque copiarum inter epulas de bello consultat: Cobares unus sententiam eius (in Sogdianos recedere constituerat)

sacrificio rite facto; sicut illis gentibus mos est, cum amicis ducibusq; copiarum inter epulas de bello consultabat. Graues 2
4,14,8. mero *suas vires* extollere: *hostium* nunc *temeritatem*; nunc *paucitatem* spernere. præcipue Bessus ferox verbis, & parto 3
per scelus regno superbus; ac vix potens mentis, dicere; *Socor-*
4,13,6. *dia Darij creuisse hostium famam. occurrisse enim in Ciliciæ* 4
angustissimis faucibus; quum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturæ situ inuia, tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis, ne fugæ quidem, ne dum resistendi occasionem fuerit habiturus. Sibi 5
placere in Sogdianos recedere, Oxum amnem velut murum
4,5,4. 4,14,10. *obiecturum hosti; dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent. Venturos autem Chorasmios, & Dahas, Sa-* 6
7 4,15,& 32. *casque; & Indos, & vltra Tanaim amnem colentes Scythas; quorum neminem adeo humilem esse, vt humeri eius*
4,13,5. *non possent Macedonis militis verticem æquare.* Con- 7
clamant temulenti *vnam hanc sententiam salubrem esse*: & Bessus *circumferri merum largius* iubet, debellaturus super mensam Alexandrum. Erat in eo conuiuio Cobares 8
natione Medus, sed magicæ artis, (si modo ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium,) magis professione, quam scientia celeber; alioquin moderatus & probus. Is quum 9
præfatus esset; *scire seruo vtilius parere dicto, quam adferre consilium, quum illos, qui pareant, idem quod ceteros*
3,2,18. *maneat: qui vero suadeant, proprium periculum.* poculum ei, quod habebat in manu, tradidit. quo accepto Cobares: *Natura*, inquit, *mortalium hoc quoque nomine praua & si-* 10
nistra dici potest; quod in suo quisque negocio hebetior est, quam in alieno. turbida sunt consilia eorum, qui sibi suadent. obstat metus; aliis cupiditas; nonnumquam natura- 11
lis eorum, quæ cogitaueris, amor. nam in te superbia non cadit. expertus es vnumquemque, quod ipse repererit, aut solum aut optimum ducere. Magnum onus sustines capite, re- 12

gium

impugnaturis, decendi veniam accepit. Ceterum deditionem suadentem Bessus occidere vult. Bactriani audito Macedonum aduentu, dilabuntur.

gium insigne. hoc aut moderate perferendum est; aut quod
13 *abominor, in te ruet. consilio, non impetu opus est.* Adji- 9,1,31.
cit deinde quod apud Bactrianos vulgo vsurpabant: *canem timidum vehementius latrare, quam mordere. altissima quæque flumina minimo sono labi.* Quæ inserui, vt qualis- 7,8,10. 8,
14 cumque inter Barbaros potuit esse prudentia, traderetur. In 13,7.
his audientium suspensam dederat exspectationem sui. Tum
consilium aperit; vtilius Besso quam gratius. *In vestibulo,* 5,5,3.
inquit, *regiæ tuæ velocissimus consistit rex. Ante ille a-*
15 *gmen, quam tu mensam istam mouebis. Nunc ab Tanai* 7,4,6.
exercitum accersis, & armis flumina oppones. scilicet qua tu fugiturus es, hostis sequi non potest? iter vtrique commu- 4,5,8.
ne est; victori tutius. Licet strenuum metum putes esse;
16 *velocior tamen spes est. Quin validioris occupas gratiam,*
dedisque te, vtcumque cesserit, meliorem fortunam deditus
17 *quam hostis habiturus. Alienum habes regnum, quo facilius eo careas. incipies forsitan iustus esse rex, quum ipse fe-*
18 *cerit, qui tibi & dare potest regnum & eripere. Consilium habes fidele, quod diutius exsequi superuacuum est. Nobilis equus vmbra quoque virgæ regitur: ignauus ne calcari*
19 *quidem concitari potest.* Bessus & ingenio & multo mero 8,1,33. &
ferox, adeo exarsit, vt vix ab amicis, quo minus occideret 4,3.
eum, (nam strinxerat quoque acinacem) contineretur. Cer- 5,10,10.
te è conuiuio prosiluit haudquaquam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus ad Alexandrum transfugit.
20 VIII millia Bactrianorum habebat armata Bessus, quæ quam- 7,3,7.
diu propter cœli intemperiem, Indiam potius Macedonas
21 petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt: post-
quam aduentare Alexandrum compertum est; in suos quisque vicos dilapsi, Bessum reliquerunt. Ille cum clientium manu, qui non mutauerant fidem, Oxo amne superato, 7,5,17.
22 exustisque nauigiis, quibus transierat, ne iisdem hostis vte-
retur; nouas copias in Sogdianis contrahebat. Alexander

At Alexander Caucasum transgressus inopia laborat: donec in Bactrianam peruenit. qua regio obiter describitur. Ibi nunctum

7,3,22. Caucasum quidem, vt supra dictum est, transierat; sed
23 inopia frumenti prope ad famem ventum erat. Succo ex se-
sama expresso, haud secus, quam oleo artus perungebant.
Sed huius succi ducenis quadragenis denariis amphoræ sin-
gulæ; mellis, denariis trecenis nonagenis; trecenis vini æ-
stimabantur; tritici nihil aut admodum exiguum reperie-
batur. *Siros* vocabant barbari: quos ita solerter abscon-
24 dunt, vt nisi qui defoderunt, inuenire non possint. In iis
conditæ fruges erant. In quarum penuria milites fluuia-
tili pisce, & herbis sustinebantur. Iamque hæc ipsa alimen-
25 9,10,12. ta defecerant; quum iumenta, quibus onera portabant, cæ-
5,6,17. dere iussi sunt: horum carne dum in Bactrianos peruen-
tum, traxere vitam. Bactrianæ terræ multiplex & varia
26 natura est. alibi multa arbor & vitis largos miteſque fru-
ctus alit: solum pingue crebri fontes rigant: quæ mitiora
sunt, frumento conseruntur, cetera armentorum pabulo ce-
dunt. Magnam deinde partem eiusdem terræ steriles are-
27 7,5,2. næ tenent: squalida siccitate regio non hominem, non
4,7,11. frugem alit: quum vero venti à Pontico mari spirant, quid-
quid sabuli in campis iacet, conuerrunt. Quod vbi cumu-
latum est, magnorum collium procul species est, omniaque
pristini itineris vestigia intercunt. Itaque qui transeunt cam-
28 pos, nauigantium modo noctu sidera obseruant, ad quo-
rum cursum iter dirigunt, & propemodum clarior est noctis
7,5,1. vmbra, quam lux. ergo interdiu inuia est regio, quia nec
29 vestigium, quod sequantur, inueniunt; & nitor siderum
caligine absconditur. Ceterum si quos ille ventus, qui à
mari exoritur, deprehendit, arena obruit. Sed qua mitior
30 terra est, ingens hominum equorumque multitudo gignitur. [Itaque Bactriani equites XXX millia expleuerant.] Ipsa
31 Bactra regionis eius caput, sita sunt sub monte Parapamis-
so. Bactrus amnis præterit mœnia. is vrbi & regioni de-
dit nomen. Hic regi statiua habenti nunciatur ex Græcia
32

Pelo-

accipit de Laconum defectione, deq; Erigyii victoria, qui Satibarzanem prouocantem, post egregiam pugnam interfecerat, eiusq; copias in potestatem redegerat.

Peloponnensium Laconumque defectio. nondum enim victi 5,5,1.
erant, quum proficiscerentur tumultus eius principia nun-
ciaturi. & alius præsens terror affertur; *Scythas qui vltra*
Tanaim amnem colunt, aduentare Besso ferentis opem. Eo- 7,4,6.
dem tempore, *quæ in gente Ariorum Caranus & Erigyius* 7,3,2.
33 *gesserant*, perferuntur. Commissum erat prœlium inter
Macedones Arioscque. Transfuga Satibarzanes barbaris
præerat; qui quum pugnam segnem vtrimque æquis viri-
bus stare vidisset, in primos ordines adequitauit, dempta-
que galea, inhibitis qui tela iaciebant; si quis *viritim dimi-*
care vellet, prouocauit ad pugnam, *nudum se caput in cer-*
34 *tamine habiturum.* Non tulit ferociam barbari dux exer-
citus Erigyius, grauis quidem ætate; sed & animi & corpo- 7,2,33.
ris robore nulli iuuenum postferendus. Is galea dempta
caniciem ostentans; *venit*, inquit, *dies, quo aut victoria,*
aut morte honestissima, quales amicos & milites Alexander
35 *habeat, ostendam.* Nec plura eloquutus equum in hostem
egit. Crederes imperatum, vt acies vtræque tela cohibe-
rent. protinus certe recesserunt dato libero spatio; intenti
in euentum, non duorum modo, sed etiam suæ sortis, quip-
36 pe alienum discrimen sequuturi. Prior barbarus emisit ha-
stam, quam Erigyius modica capitis declinatione vitauit.
At ipse infestam sarissam equo calcaribus concito in medio 9,7,22.
37 barbari gutture ita fixit, vt per ceruicem emineret. Præci- 4,9,25.
pitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat. Sed
ille extractam ex vulnere hastam rursus in os dirigit. Sati-
barzanes hastam manu complexus, quo maturius interiret,
38 ictum hostis adiuuit. & barbari duce amisso, quem magis 5,12,14.
necessitate quam sponte sequuti erant, tunc haud imme- 6,6,34. 7,6,
39 mores meritorum Alexandri arma Erigyio tradunt. Rex 14. & 24.
his quidem lætus, de Spartanis haudquaquam securus, ma-
gno tamen animo defectionem eorum tulit; dicens *non*
ante ausos consilia nudare, quam ipsum ad fines Indiæ per-

ueniſſe

ueniſſe cognouiſſent. Ipſe Beſſum perſequens copias mouit: 40
cui Erigyius ſpolia barbari, ceu opimum belli decus, præferens, occurrit.

CAP. V. Igitur Bactrianorum regione * Artabazo tradita; ſarcinas & impedimenta ibi cum præſidio reliquit. Ipſe cum
*8,1,19. expedito agmine loca deſerta Sogdianorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens. Aquarum, vt ante dictum 2
7,4,29. eſt, penuria, prius deſperatione, quam deſiderio bibendi ſi-
7,4,27. tim accendit. Per CCCC ſtadia, ne modicus quidem hu-
4,7,6. 8. mor exſiſtit. Arenas vapor æſtiui ſolis accendit, quæ vbi 3
4,6. flagrare ceperunt, haud ſecus quam continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ feruo- 4
re excitata, lucem tegit: camporumque non alia quam vaſti & profundi æquoris ſpecies eſt. Nocturnum iter tole- 5
rabile videbatur, quia rore & matutino frigore corpora leuabantur. Ceterum cum ipſa luce æſtus oritur: omnemque naturalem abſorbet humorem ſiccitas; ora viſceraque
penitus vruntur. Itaque primum animi; deinde corpora 6
1,4,4. deficere ceperunt. pigebat & conſiſtere & progredi. Pauci 7
à peritis regionis admoniti præpararant aquam. hæc pauliſper repreſſit ſitim: deinde creſcente æſtu rurſum deſiderium humoris accenſum eſt. Ergo quidquid vini oleique
erat, hominibus ingerebatur. tantaque dulcedo bibendi fu-
4,6,13. it, vt in poſterum ſitis non timeretur. Graues deinde aui- 8
de hauſto humore non ſuſtinere arma; non ingredi poterant; & feliciores videbantur, quos aqua defecerat, quum ipſi ſine modo infuſam vomitu cogerentur egerere. Anxi- 9
um regem tantis malis, circumfuſi amici *vt meminiſſet ſui*,
4,2,17. orabant; *animi ſui magnitudinem vnicum remedium deficientis exercitus eſſe:* quum ex iis qui præceſſerant ad ca- 10
piendum locum caſtris, duo occurrunt vtribus aquam geſtantes, vt filiis ſuis, quos in eodem agmine eſſe, & ægre pati ſitim non ignorabant, occurrerent: qui quum in regem in- 11
cidiſſent;

cidiſſent; alter ex iis utre reſoluto vas, quod ſimul ferebat, implet porrigens regi. Ille accipit: percontatus *quibus*
12 *aquam portarent, filiis ferre* cognoſcit. Tunc poculo pleno, ſicut oblatum eſt, reddito; *nec ſolus*, inquit, *bibere ſuſtineo; nec tam exiguum diuidere omnibus poſſum. Vos currite, & liberis veſtris, quod propter illos adtuliſtis, date.*
13 Tandem ad flumen Oxum ipſe peruenit prima fere veſpera. ſed exercitus magna pars non potuerat conſequi: *in edito monte ignes* iubet *fieri, vt ij, qui agre ſequebantur,*
14 *haud procul caſtris ſe abeſſe cognoſcerent. Eos* autem, *qui primi agminis erant, mature cibo ac potione firmatos, implere alios vtres, alios vaſa, quibuscumque aqua poſſit portari,*
15 iuſſit, *ac ſuis opem ferre.* Sed qui intemperantius hauſerant, intercluſo ſpiritu exſtincti ſunt: multoque maior ho-
16 rum numerus fuit, quam vllo amiſerat prœlio. At ille thoracem adhuc indutus, nec aut cibo refectus aut potu; qua veniebat exercitus, conſtitit. nec ante ad curandum corpus receſſit, quam præterierant, qui agmen ſequebantur: totamque eam noctem cum magno animi motu perpetuis
17 vigiliis egit. Nec poſtero die lætior erat, quia nec nauigia habebat; nec pons erigi poterat circum amnem nudo ſo- 7,4,21.
lo, & materia maxime ſterili. Conſilium igitur quod vnum 5,4,31.
18 neceſſitas ſubiecerat, init. vtres quamplurimos ſtramentis 7,7,16. 7, refertos diuidit. his incubantes tranſnauere amnem: qui- 8,6.7,9.4.
que primi tranſierant, in ſtatione erant, dum trajicerent ceteri. Hoc modo ſexto demum die in vlteriore ripa totum
19 exercitum expoſuit. Iamque ad perſequendum Beſſum ſtatuerat progredi; quum ea quæ in Sogdianis erant, cogno- 7,6,13.
ſcit. Spitamenes erat inter omnes amicos præcipuo ho-
20 nore cultus à Beſſo. ſed nullis meritis perfidia mitigari poteſt. quæ tamen iam minus in eo inuiſa eſſe poterat, quia nihil vlli nefaſtum in Beſſum interfectorem regis ſui videbatur. Titulus facinoris ſpecioſus præferebatur, *vindicta*

Darij : sed fortunam non scelus oderant Bessi. Nam vt 21
Alexandrum flumen Oxum superasse cognovit; Dataphernem & Catenem, quibus à Besso maxima fides habebatur,
7, 2, 17. in societatem rei adsciscit. Illi promptius adeunt, quam rogabantur; adsumptisque octo fortissimis iuuenibus, talem dolum intendunt. Spitamenes pergit ad Bessum, & remo- 22
tis arbitris, *comperisse* ait *se, insidiari ei Dataphernem & Catenem: vt vivum Alexandro traderent agitantes, à semet occupatos esse, & vinctos teneri.* Bessus tanto me- 23
rito, vt credebat, obligatus partim gratias agit, partim auidus explendi supplicii *adduci eos* iubet. Illi manibus sua 24
sponte religatis à participibus consilii trahebantur: quos
5, 10, 10. Bessus truci vultu intuens consurgit, manibus non temperaturus. At illi simulatione omissa circumsistunt eum, & frustra repugnantem vinciunt; direpto ex capite regni insigni, laceratāque veste, quam spoliis occisi regis induerat. Ille *deos sui sceleris vltores adesse* confessus, adiecit, *non* 25
Dario iniquos fuisse, quem sic vlciscerentur; sed Alexandro propitios, cuius victoriam semper etiam hostis adiuuisset. Multitudo an vindicatura Bessum fuerit, incertum est; nisi 26
illi, qui vinxerant, *iussu Alexandri feciisse ipsos* ementiti, dubios adhuc animi terruissent. In equum impositum Alex-
7, 6, 14. andro tradituri ducunt. Inter hæc rex, quibus matura erat 27
6, 2, 17. missio, electis DCCCC fere, equiti bina talenta dedit; pediti terna denarium millia: monitosque *vt liberos generarent*, remisit domum. Ceteris gratiæ actæ, quod *ad reliqua belli nauaturos operam* pollicebantur. [Tum Bessus perducitur] Peruentum erat in paruulum oppidum, Bran- 28
chidæ eius incolæ erant. Mileto quondam iussu Xerxis,
4, 12, 11. quum è Græcia rediret, transierant, & in ea sede constite-
3, 10, 9. rant, quia templum, quod Didymeon adpellatur, in gratiam Xerxis violauerant. Mores patrii nondum exoleue- 29
4, 12, 11. rant; sed iam bilingues erant, paulatim à domestico externoque

noque sermone degeneres. Magno igitur gaudio regem excipiunt, vrbem seque dedentes. Ille *Milesios, qui apud* 30
ipsum militarent, conuocari iubet. Vetus odium Milesii gerebant in Branchidarum gentem. Proditis ergo, *siue iniuriæ, siue originis meminisse mallent; liberum de Branchi-* 31
dis permittit *arbitrium.* Variantibus deinde sententiis *seipsum consideraturum quod optimum factu esset*, ostendit. Postero die occurrentibus *Branchidas secum procedere* iubet. Quumque ad vrbem ventum esset; ipse cum expedi- 32
ta manu portam intrat. Phalanx *mœnia oppidi circumire* iussa; *& dato signo diripere vrbem proditorum receptacu-* 7, 6, 22.
lum, ipsosque ad vnum cædere. Illi inermes passim trucidantur, nec aut commercio linguæ, aut supplicum velamentis precibusque inhiberi crudelitas potest. Tandem vt de- 33
jicerent, fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod 8, 10, 6.
vrbis vestigium exstaret. Nec mora, lucos quoque sacros 34
non cædunt modo; sed etiam exstirpant: vt vasta solitudo & sterilis humus, excussis etiam radicibus, linqueretur. Quæ si in ipsos proditionis auctores excogitata essent; iu- 35
sta vltio esse, non crudelitas videretur: nunc culpam maiorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerant prodere. Inde processit ad Tanaim 36
amnem. Quo perductus est Bessus non vinctus modo; sed etiam omni velamento corporis spoliatus. Spitamenes eum tenebat collo inserta catena; tam barbaris, quam Ma- 37
cedonibus gratum spectaculum. Tum Spitamenes, *& te,* inquit, *& Darium reges meos vltus, interfectorem domini sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exemplum.* 7, 7, 16.
Aperiat ad hoc spectaculum oculos Darius. Exsistat ab inferis, qui illo supplicio indignus fuit; & hoc solatio dignus 38
est. Alexander multum conlaudato Spitamene conuersus ad Bessum, *Cuius*, inquit; *feræ rabies occupauit animum tuum, quum regem de te optime meritum prius vincire; de-*

inde occidere sustinuisti? Sed huius parricidij mercedem falso regis nomine persoluisti. Ibi ille facinus purgare non 39
ausus; *regis titulum se vsurpare dixit, vt gentem suam tradere ipsi posset: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum.* At Alexander Oxathrem fratrem Darii, quem inter 40
6, 2, 11. 7, 10, 10. corporis custodes habebat, *propius* iussit *accedere; tradique*
6, 3, 14. *Bessum ei, vt cruci adfixum mutilatis* * *auribus naribusque*
*5, 5, 6. *sagittis configerent barbari; adseruarentque corpus, vt ne aues quidem contingerent.* Oxathres *cetera sibi curæ fore* 41
pollicetur. Aues non ab alio, quam à Catene posse prohiberi adijcit; eximiam eius artem cupiens ostendere. namque adeo certo ictu destinata feriebat, vt aues quoque exciperet. Nam etsi forsitan sagittandi tam celebri vsu minus admira- 42
bilis videri hæc ars possit; tamen ingens visentibus miraculum, magnoque honori Cateni fuit. Dona deinde omni- 43
bus, qui Bessum adduxerant, data sunt. Ceterum supplicium eius distulit, *vt eo loco, in quo Darium ipse occiderat, necaretur.*

CAP. VI. Interea Macedones ad petendum pabulum incomposito agmine egressi, à barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur; pluresque capti sunt quam occisi. barbari autem captiuos præ se agentes, rursus in mon- 2
tem recesserunt. XX millia latronum erant. fundis sagittisque pugnam inuadunt. Quos dum obsidet rex, inter- 3
promptissimos dimicans sagitta ictus est, quæ in medio crure fixa reliquerat spiculum. Illum quidem mœsti & adto- 4
niti Macedones in castra referebant: sed nec barbaros fefellit subductus ex acie rex; quippe ex edito monte cuncta prospexerant. Itaque postero die misere legatos ad regem, 5
quos ille *protinus* iussit *admitti*; solutisque fasciis magnitudinem vulneris dissimulans, crus barbaris ostendit. Illi iussi 6
7, 8, 9. *considere* adfirmant *non Macedonas, quam ipsos fuisse tristiores cognito vulnere ipsius: cuius si auctorem reperissent, deditu-*

dituros fuisse. cum diis enim pugnare sacrilegos tantum- 7
que Ceterum se gentem in fidem dedere, superatos virtute illius. Rex fide data, & captiuis receptis, gentem in dedi- 8
tionem accepit. Castris inde motis lectica militari ferebatur, quam pro se quisque eques pedesque subire certabant. Equites, 9, 2, 32.
cum quibus rex prælia inire solitus erat, sui muneris id esse censebant. Pedites contra *quum saucios commilitones ipsi gestare adsueuissent; eripi sibi proprium officium tum potissi-* 9
mum, quum rex gestandus esset, querebantur. Rex in tanto vtriusque partis certamine, & sibi difficilem, & præteritis grauem electionem futuram ratus; *inuicem subire eos* iussit. 10
Hinc quarto die ad vrbem Maracanda peruentum est. LXX stadia murus vrbis amplectitur. arx nullo cingitur muro. Præsidio vrbi relicto, proximos vicos depopulatur, atque vrit. 11
Legati deinde Abiorum Scytharum superueniunt; liberi ex quo decesserat Cyrus; tum imperata facturi. Iustissimos barbarorum constabat: armis abstinebant nisi lacessiti: Libertatis modico & æquali vsu, principibus humiliores pares 12
fecerunt. Hos benigne adloquutus, ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Penidam quemdam misit ex amicis, qui denunciaret eis, *ne Tanaim amnem regionis iniussu regis transirent.* eidem mandatum, *vt contemplaretur locorum situm; & illos quoque Scythas, qui super Bosphoro incolunt,* 8, 1, 12.
13 *viseret. Condendæ vrbis sedem super ripam Tanais elegerat; claustrum & iam perdomitorum, & quos deinde adire* 7, 10, 16. 10, *decreuerat.* Sed consilium distulit *Sogdianorum* nunciata 2, 8.
14 *defectio,* quæ Bactrianos quoque traxit. VII millia equitum 7, 5, 19. 7, 8, 21. erant, quorum auctoritatem ceteri sequebantur. Alexander 7, 4, 38. 7, *Spitamenem & Catenem,* à quibus ei traditus erat Bessus, 5, 27. haud dubius quin eorum opera redigi possent in potestatem
15 coercendo eos, qui nouauerant res, iussit accersiri. At illi defectionis, ad quam coercendam euocabantur, auctores, vulgauerant famam; *Bactrianos equites à rege omnes, vt*

cui comprimenda Alexander cum ducibus suis Cyropolim & Memacenorum urbem obsidet, & accepto vulnere,

occiderentur accersiri: idque imperatum ipsis, non sustinuisse tamen exsequi; ne in populares facinus admitterent. Non magis Alexandri sœuitiam; quam Bessi parricidium ferre potuisse. Itaque sua sponte iam motos, metu pœnæ haud difficulter concitauerunt ad arma. Alex- 16
7,9,22. ander transfugarum defectione comperta, *Craterum obsidere Cyropolim* iubet: ipse aliam vrbem regionis eiusdem corona capit; signoque, vt puberes interficerentur, dato, reliqui in prædam cessere victoris: vrbs diruta est, vt ceteri cladis exemplo continerentur. Memaceni valida gens obsi- 17
9,1,23. dionem non vt honestiorem modo, sed etiam vt tutiorem ferre decreuerant. Ad quorum pertinaciam mitigandam rex L equites præmisit; qui *clementiam ipsius in deditos, simulque inexorabilem animum in deuictos* ostenderent. Illi 18
nec de fide, nec de potentia regis ipsos dubitare respondent; equitesque *tendere extra munimenta vrbis* iubent. Hospitaliter deinde exceptos, graueque epulis & somno, intempesta nocte adorti interfecerunt. Alexander haud secus, 19
quam par erat motus, vrbem corona circumdedit; munitiorem, quam vt primo impetu capi posset. Itaque Meleagrum & Perdiccam in obsidionem iungit, Cyropolim vt
7,6,16. ante dictum est, obsidentes. Statuerat autem parcere vrbi 20
conditæ à Cyro: quippe non alium gentium illarum magis
9,6,23. admiratus est, quam hunc regem, & Semiramim, in quis *& magnitudinem animi, & claritatem rerum longe emicuisse credebat.* Ceterum pertinacia oppidanorũ eius iram accendit. 21
7,5,32. Itaque *captam vrbem diripere* iussit *delectos Macedones*, haud iniuria infestos; & ad Meleagrum & Perdiccam redit. Sed 22
non alia vrbs fortius obsidionem tulit: quippe & militum promptissimi cecidere; & ipse rex ad vltimum periculum venit. namque ceruix eius saxo ita icta est, vt oculis caligine offusa conlaberetur, ne mentis quidem compos. exercitus certe velut erepto eo ingemuit. Sed inuictus aduersus 23

ea, quæ

ea, quæ ceteros terrent, nondum percurato vulnere, acrius obsidioni institit, naturalem celeritatem ira concitante. Cu- 5,5,3.
niculo ergo suffossa mœnia ingens nudauere spatium; per 4,6,30.
24 quod inrupit, victorque vrbem dirui iussit. Hinc Menede- 9,5,20.
mum cum III millibus peditum, & DCCC equitibus ad 7,7,31.
vrbem Maracanda misit. Spitamenes transfuga præsidio Macedonum inde deiecto, muris vrbis eius incluserat se: haud oppidanis consilium defectionis adprobantibus. sequi
25 tamen videbantur, quia prohibere non poterant. Interim 7,4,38.
Alexander ad Tanaim amnem redit, & quantum soli occupauerant castris, muro circumdedit. LX stadiorum vrbis murus fuit, hanc quoque vrbem *Alexandriam* adpellari iussit.
26 Opus tanta celeritate perfectum est, vt decimo septimo die, qua munimenta excitata erant, tecta quoque vrbis absoluerentur. Ingens militum certamen inter ipsos fuerat, vt suum quisque munus (nam diuisum erat) primus ostenderet.
27 Incolæ nouæ vrbi dati captiui, quos reddito precio dominis liberauit, quorum posteri nunc quoque non apud eos tam longa ætate propter memoriam Alexandri exoleuerunt.

Rex Scytharum, cuius tum vltra Tanaim imperium CAP. VII.
erat, ratus eam vrbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse ceruicibus; fratrem Cartasim 7,10,16. 10,
nomine cum magna equitum manu misit *ad diruendam* 2,8.
2 *eam, proculque amne submouendas Macedonum copias.* Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europæos vocant, diuidit.
3 Idem Asiam & Europam finis interfluit. Ceterum Scytharum gens haud procul Thracia sita ab Oriente ad Septemtrionem se vertit; Sarmatarumque, vt quidam credidere,
4 non finitima, sed pars est. Recta deinde regionem aliam vltra Istrum iacentem colit: vltima Asiæ, quæ Bactra sunt, stringit. quæ Septemtrioni proxima sunt. profundæ inde syluæ, vastæque solitudines excipiunt. Rursus quæ ad Tanaim & Bactra spectant, humano cultu haud disparia sunt.

Primus

Alexander adhuc ex vulnere debilis, aruspices consuluit: amicos præsentia exponit: bellum Scythicum sine pudore

Primus cum hac gente non prouisum bellum Alexander
gesturus, quum in conspectu eius obequitaret hostis, adhuc
æger ex vulnere, præcipue voce deficiens, quam & modi-
cus cibus & ceruicis extenuabat dolor, *amicos in consilium*
aduocari iubet. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas
temporis. Bactriani defecerant: Scythæ etiam lacessebant:
ipse non insistere in terra; non equo vehi, non docere, non
hortari suos poterat. Ancipiti periculo implicitus, deos
quoque incusans, querebatur, *se iacere segnem, cuius velo-*
citatem nemo antea valuisset effugere. vix suos credere non
simulari valetudinem. Itaque qui post Darium victum
ariolos & vates consulere desierat; rursus ad superstitionem,
humanarum gentium ludibria reuolutus, *Aristandrum*, cui
credulitatem suam addixerat, *explorare eventum rerum sa-*
crificiis iubet. Mos erat aruspicibus exta sine rege spectare;
& quæ portenderentur, referre. Inter hæc Rex dum
fibris pecudum explorantur euentus latentium rerum, *pro-*
pius ipsum considere amicos iubet, *ne contentione vocis ci-*
catricem infirmam adhuc rumperet. Hephæstion, Crate-
rus, & Erigyius erant cum Custodibus in tabernaculum ad-
missi. *Discrimen*, inquit, *me occupauit meliore hostium,*
quam meo tempore. Sed necessitas ante rationem est: ma-
xime in bello, quo raro permittitur tempora eligere. De-
fecere Bactriani, in quorum ceruicibus stamus; & quantum
in nobis animi sit, alieno Marte experiuntur: Haud dubie
si omiserimus Scythas vltro arma inferentes; contempti ad
illos, qui defecerunt, reuertemur. Si vero Tanaim trans-
ierimus, & vbique inuictos esse nos Scytharum pernicie ac
sanguine ostenderimus; quis dubitabit patere etiam Euro-
pam victoribus? Fallitur, qui terminos gloriæ nostræ meti-
tur spatio, quod transituri sumus. Vnus amnis interfluit,
quem si traiecimus, in Europam arma proferimus. Et quan-
ti æstimandum est, dum Asiam subigimus, in alio quodam-
modo

6, 1, 5. 7, 7, 18. 6, 2, 19. 5, 5, 3. 3, 8, 11. 4, 6, 12. 7, 1. 4, 2, 14. 7, 7, 20. 7, 9, 11. 8, 6, 22. 9, 6, 4. 8, 4, 11. 9, 6, 21.

modo orbe tropæa statuere: & quæ tam longo interuallo na-
tura videtur diremisse, vna victoria subito committere?
15 *At hercule si paululum cessauerimus; in tergis nostris Scythæ*
hærebunt. An soli sumus qui flumina transnare possumus?
16 *Multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc vicimus. For-*
tuna, belli artem victos quoque docet. Vtribus amnem tra- 7, 5, 18.
jiciendi exemplum fecimus nuper: hoc vt Scythæ imitari 7, 5, 37.
17 *nesciant, Bactriani docebunt. Præterea vnus gentis huius*
adhuc exercitus venit, ceteri exspectantur. Ita bellum vi-
tando alemus; & quod inferre possemus, accipere cogemur.
18 *Manifesta est consilij mei ratio: Sed an permissuri sint Ma-* 7, 7, 6.
cedones animo vti meo, dubito; quia ex quo hoc vulnus ac-
19 *cepi, non equo vectus sum, non pedibus ingressus. sed si me*
sequi vultis, valeo amici. Satis virium est ad toleranda ista.
aut si iam adest vitæ meæ finis, in quo tandem opere melius
20 *exstinguar.* Hæc quassa adhuc voce subdeficiens vix pro- 7, 7, 9.
ximis exaudientibus dixerat; quum omnes à tam præcipiti
21 consilio regem deterrere ceperunt. Erigyius maxime: qui
haud sane auctoritate proficiens apud obstinatum animum;
superstitionem, cuius potens non erat rex, incutere tentauit; 7, 7, 8.
dicendo, *deos quoque obstare consilio; magnumque pericu-*
22 *lum, si flumen transisset, ostendi.* Intranti Erigyio taberna-
culum regis Aristander occurrerat, *tristia exta fuisse* signi-
23 ficans: hæc ex vate comperta Erigyius nunciabat. Quo in-
hibito Alexander, non ira solum, sed etiam pudore confu-
sus, quod superstitio, quam celauerat, detegebatur; *Arist-*
24 *andrum vocari* iubet. Qui vt venit, intuens eum; *non*
rex, inquit, *sed priuatus sum. sacrificium vt faceres, man-*
daui. quid eo portenderetur, cur apud alium, quam apud
me professus es? Erigyius arcana mea & secreta te prodente
cognouit. Quem certum me hercule habeo extorum inter-
25 *prete vti metu suo. Tibi autem quam potest, denuncio, ipse* 4, 10, 10. 7,
mihi indices, quid ex extis cognoueris; ne possis inficiari di- 11, 25.

inascitur. Ille se purgat, & donuo sacrificat extiù iam la-toribus. At Menedemus dolo Spitamenu circumuentus

xisse, quæ dixeris. Ille exsanguis adtonitoque similis sta- 26
6, 11, 37. bat, per metum etiam voce suppressa: tandemque eodem
metu stimulante, ne regis exspectationem moraretur; *ma-*
gni, inquit, *laboris, non inriti discrimen instare prædixi.*
nec mea ars, quam benevolentia me perturbat. Infirmita- 27
10, 2, 29. *tem valetudinis tuæ video, & quantum in vno te sit scio.*
Vereor ne non præsenti fortunæ tuæ sufficere possis. Rex 28
7, 11, 27. 8. iussum *considere felicitati suæ* remisit. *Sibi enim ad alia*
13, 13. 9, 9, 2. *gloriam concedere deos.* Consultanti deinde cum iisdem, 29
quonam modo flumen transirent? superuenit Aristander, *non*
alias latiora exta vidisse se adfirmans: *vtique prioribus*
longe diuersa. tum solicitudinis causas adparuisse; nunc
prorsus egregie litatum esse. Ceterum quæ subinde nun- 30
ciata sunt regi, continuæ felicitati rerum eius imposuerant
7, 6, 24. 7. labem. Menedemum, vt supra dictum est, miserat ad ob- 31
9, 21. sidendum Spitamenem Bactrianæ defectionis auctorem.
Qui comperto hostis aduentu, ne muris vrbis includeretur;
simul fretus excipi posse; qua venturum sciebat, consedit
occultus. Syluestre iter aptum insidiis tegendis erat: ibi 32
Dahas condidit. Equi binos armatos vehunt, quorum in-
uicem singuli repente desiliunt: equestris pugnæ ordinem
turbant. equorum velocitati par est hominum pernicitas. 33
Hos Spitamenes saltum circumire iussos pariter & à late-
ribus, & à fronte, & à tergo hosti ostendit. Menedemus 34
vndique inclusus, ne numero quidem par, diu tamen resti-
5, 5, 1. tit; clamitans *nihil aliud superesse locorum fraude deceptis,*
5, 8, 6. *quam honestæ mortis solatium ex hostium cæde.* Ipsum præ- 35
ualens equus vehebat, quo sæpius in cuneos barbarorum
effusis habenis euectus, magna strage eos fuderat. Sed quum 36
vnum omnes peterent, multis vulneribus exsanguis Hyp-
sidem quemdam ex amicis hortatus est, *vt in equum suum*
adscenderet, & se fuga eriperet. Hæc agentem anima de-
fecit, corpusque ex equo defluxit in terram. Hypsides pot- 37

erat

cum magna militum Macedonicorum manu occiditur. Alexander milites adspectu suo refouet. Ad eum legati

erat quidem effugere; sed amisso amico mori statuit. vna 5, 3, 19. 8,
erat cura ne inultus occideret. Itaque subditis calcaribus 21, 16.
equo in medios hostes se immisit, & memorabili edita pu-
38 gna obrutus telis est. Quod vbi videre, qui cædi super-
erant; tumulum paulo quam cetera editiorem capiunt. quos
39 Spitamenes fame in deditionem subacturus obsedit. Ceci-
dere eo prœlio peditum II millia, CCC equites. Quam 7, 9, 21.
cladem Alexander solerti consilio texit, *morte* denunciata 4, 12, 22.
iis, qui ex prœlio venerant, *si acta vulgassent.*

Ceterum quum animo disparem vultum diutius ferre CAP. IIX.
non posset; in tabernaculum super ripam fluminis de indu-
2 stria locatum secessit. Ibi sine arbitris singula animi con- 3, 6, 5. 4.
sulta pensando, noctem vigiliis extraxit, sæpe pellibus taber- 12, 21.
naculi adleuatis, vt conspiceret hostium ignes, è quibus con- 4, 12, 27.
3 iectare poterat, quanta hominum multitudo esset. Iamque
lux adparebat, quum thoracem indutus procedit ad milites, 4, 13, 25.
4 tum primum post vulnus proxime acceptum. Tanta erat 3, 6, 17.
apud eos veneratio regis, vt facile periculi, quod horrebant, 6, 2, 21.
5 cogitationem præsentia eius excuteret. Læti ergo & ma-
nantibus præ gaudio lachrimis, consalutant eum; & quod
6 ante recusauerant bellum, feroces deposcunt. Ille *se rati-*
bus equitem phalangemque transportaturum esse pronun-
7 ciat; *super vires* iubet *nare leuius armatos.* Plura nec dici 7, 5, 18.
res desiderauit; nec rex dicere per valetudinem potuit. Ceter-
um tanta alacritate militum rates iunctæ sunt, vt in tridu-
8 um ad XII millia effectæ sint. Iamque ad transeundum
omnia aptauerant; quum legati Scytharum XX more gen-
tis per castra equis vecti, *nunciari* iubent *regi, velle ipsos ad*
9 *eum mandata perferre.* Admissi in tabernaculum, iussi- 7, 6, 6.
que *considere*, in vultu regis defixerant oculos; credo quia
magnitudine corporis animum æstimantibus modicus
10 haudquaquam famæ par videbatur. Scythis autem non vt 3, 12, 16.
ceteris barbaris rudis & inconditus sensus est: quidam eo-

Scytharum veniunt: quorum oratio recitatur. Alexandro auiditatem exprobrant & iniustitiam: mores suos exponunt. quibus pax non sit

rum sapientiam capere dicuntur, quantamcumque gens capit semper armata. Sicque loquutos esse apud regem me- 11
moriæ proditum est. Abhorrent forsitan moribus nostris
& tempora & ingenia cultiora sortitis; sed vt possit oratio
eorum sperni, tamen fides nostra non debet, quæ vtcum-
9,1,34. que tradita sunt, incorrupta perferemus. Igitur vnum ex 12
4, 11, 2. 10. his maximum natu ita loquutum accepimus. *Si dij habi-*
5, 29. *tum corporis tui auiditati animi parem esse voluissent; orbis*
te non caperet: altera manu Orientem; altera Occidentem
10, 10, 6. *contingeres. & hoc adsequutus scire velles, vbi tanti nu-*
minis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quæ non 13
4, 11, 8. *capis. Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam:*
deindè si humanum genus omne superaueris; cum syluis, &
niuibus, & fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum.
Quid tu, ignoras ARBORES magnas diu crescere; vna ho- 14
ra extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitu-
dinem non metitur. Vide ne dum ad cacumen peruenire
contendis; cum ipsis ramis, quos comprehenderis decidas.
Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fuit: & 15
ferrum rubigo consumit. nihil tam firmum est, cui pericu-
lum non sit etiam ab inualido. Quid nobis tecum est? nun- 16
quam terram tuam adtigimus. Qui sis, vnde venias, li-
cet ne ignorare in vastis syluis viuentibus? Nec seruire vlli
possumus; nec imperare desideramus. Dona nobis data sunt, 17
ne Scytharum gentem ignores, iugum boum, aratrum, & sa-
gitta, & patera. His vtimur & cum amicis, & aduersus
inimicos. Fruges amicis damus boum labore quæsitas: Pa- 18
tera cum his vinum diis libamus: Inimicos sagitta eminus;
hasta cominus petimus. Sic Syriæ regem, & postea Persarum,
Medorumque superauimus; patuitque nobis iter vsque in
Aegyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequen- 19
dos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydi-
am cepisti: Syriam occupasti; Persidem tenes: Bactrianos ha-
bes in

futura regis cupiditas: felicitati modum imponere nouent: lubricam enim esse, melius fallurum, si Scythis amicus vtatur.

bes in potestate: Indos petisti: iam etiam ad pecora nostra
20 *auaras & instabiles manus porrigis. QVID tibi diuitiis*
opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate
parasti famem; vt quo plura haberes, acrius, quæ non habes,
21 *cuperes. Non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra hæ-*
reas? dum illos subigis, Sogdiani bellare ceperunt. bellum 7, 6, 13.
tibi ex victoria nascitur. Nam vt maior fortiorque sis
quam quisquam; tamen alienigenam dominum pati nemo 6, 3, 10.
22 *vult. Transi modo Tanaim: scies quam late pateant; nun-*
quam tamen consequeris Scythas. paupertas nostra velocior
erit, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit.
Rursus quum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris.
23 *eadem velocitate & sequimur, & fugimus. Scytharum so-*
litudines Græcis etiam prouerbiis audio eludi. at nos deserta
& humano cultu vacua, magis quam vrbes & opulentos
24 *agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus*
tene. Lubrica est, nec inuita teneri potest. Salubre con- 4, 5, 2. 5,
silium sequens quam præsens tempus, ostendit melius. impo- 8, 15.
25 *ne felicitati tuæ frenos, facilius illam reges. Nostri sine* 8, 2, 1. 3, 8, 20. 4,
pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pennas tantum 14, 19.
habet; quum manus porrigit, pennas quoque comprehendere
26 *non sinit. Denique SI DEVS es, tribuere mortalibus bene-*
ficia debes; non sua eripere: sin autem homo es, id quod es,
semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter
27 *quæ tui obliuisceris. Quibus bellum non inuleris, bonis*
amicis poteris vti. nam & FIRMISSIMA est inter pares
amicitia; & videntur pares, qui non fecerunt inter se peri-
28 *culum virium. Quos viceris, amicos tibi esse caue credas.* 4, 6, 31.
inter dominum & seruum nulla amicitia est. etiam in pa- 8, 8, 11.
29 *ce, belli tamen iura seruantur. Iurando gratiam Scythas*
sancire ne credideris. colendo fidem, iurant. Græcorum 4, 5, 11.
ista cautio est, qui acta consignant, & deos inuocant. nos
RELIGIONEM in ipsa fide nouimus. qui non reuerentur ho-

 mines,

mines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cuius be- 30
neuolentia dubites. Ceterum nos & Asiæ & Europæ custo-
6, 2, 13. *des habebis: Bactra, nisi diuidat Tanais, contingimus: ul-*
tra Tanaim vsque ad Thraciam colimus; Thraciæ Macedo-
niam coniunctam esse fama est. Vtrique imperio tuo fini-
timos, hostes an amicos velis esse, considera. Hæc barbarus.

CAP. IX Contra rex *fortuna sua & consiliis suorum se vsurum*
7, 11, 27. *esse* respondet. *nam & fortunam, cui confidat: & consilium*
suadentium, ne quid temere & audacter faciat sequuturum.
Dimissisque legatis, in præparatas rates exercitum imposuit. 2
In proris clypeatos locauerat; iussos *in genua subsidere, quo*
tutiores essent aduersus ictus sagittarum. Post hos qui tor- 3
menta intenderent, stabant; & ab vtroque latere, & à fron-
te circumdati armatis. Reliqui qui post tormenta consti-
terant, remigem lorica indutum scutorum testudine armati
protegebant. Idem ordo in illis quoque ratibus, quæ equi- 4
tem vehebant, seruatus est. maior pars à puppe nantes
7, 5, 18. equos loris trahebat. At illos, quos vtres stramento repleti
5, 3, 9. vehebant, obiectæ rates tuebantur. Ipse rex cum delectis 5
primus ratem soluit, & *in ripam dirigi* iussit. Cui Scythæ
4, 9, 22. admotos ordines equitum in primo ripæ margine opponunt; vt ne adplicari quidem terræ rates possent. Cete- 6
rum præter hanc speciem ripis præsidentis exercitus, ingens
nauigantes terror inuaserat: namque cursum gubernatores,
quum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant;
9, 9, 12. vacillanteque milites, & ne excuterentur soliciti, nautarum
ministeria turbauerant. Ne tela quidem conati nixu vibra- 7
re poterant; quum prior standi sine periculo, quam hostem
incessendi cura esset. Tormenta saluti fuerunt. quibus in
confertos ac temere se offerentes, haud frustra excussa sunt
tela. Barbari quoque ingentem vim sagittarum infudere 8
ratibus. vixque vllum fuit scutum, quod non pluribus si-
mul spiculis perforaretur. Iamque terræ rates adplicabantur. 9

quum

quum acies clypeata consurgit, & hastas certo ictu, vtpote
libero nixu, mittit è ratibus. Et vt territos recipientesque
equos videre; alacres mutua adhortatione in terram desilie-
10 re. Turbatis acriter pedem inferre ceperunt. Equitum
deinde turmæ, quæ frenatos habebant equos, perfregere bar-
barorum aciem. Interim ceteri agmine dimicantium tecti
11 aptauere se pugnæ. Ipse rex quod vigoris, ægro adhuc cor-
pore, deerat, animi firmitate supplebat. Vox adhortantis
non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice cerui- 7, 7, 9.
12 cis; sed dimicantem cuncti videbant. Itaque ipsi quidem 3, 2, 14.
ducum fungebantur officio; aliusque alium adhortati, in ho-
13 stem salutis immemores ruere ceperunt. Tum vero non
ora, non arma, non clamorem hostium barbari tolerare 8, 10, 18.
potuerunt: omnesque effusis habenis (namque equestris
acies erat,) capessunt fugam. quos rex, quamquam vexatio-
nem inualidi corporis pati non poterat, per LXXX tamen
14 stadia insequi persecuerauit. Iamque linquente animo suis
præcepit, *vt donec lucis aliquid supereesset, fugientium ter-*
gis inhærerent: ipse exhaustis etiam animi viribus, in castra
15 se recepit, reliquum substitit. Transierant iam Liberi patris
terminos; quorum monumenta lapides erant crebris inter-
uallis dispositi, arboresque proceræ, quarum stipites hedera
16 contexerat. Sed Macedonas ira longius prouexit: quippe
media fere nocte in castra redierunt, multis interfectis, pluri-
bus captis, equosque MDCCC abegere. Ceciderunt au-
tem Macedonum equites LX, pedites C fere, mille saucii
17 fuerunt. Hæc expeditio deficientem magna ex parte Asi-
am fama tam opportunæ victoriæ domuit. Inuictos Scy-
thas esse crediderant, *quibus fractis nullam gentem Mace-*
donum armis parem fore confitebantur. Itaque Sacæ mi-
sere legatos, qui pollicerentur *gentem mandata facturam.*
18 Mouerat eos regis non virtus magis, quam clementia in
deuictos Scythas: quippe captiuos omnes sine pretio remi- 5, 1, 18.

serat;

8, 12, 10. ferat; vt fidem faceret sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de ira fuisse certamen. Benigne igitur exce- 19
ptis Sacarum legatis, comitem Excipinum dedit, admo-
6, 5, 23. dum iuuenem ætatis flore conciliatum sibi; qui quum spe-
3, 12, 16. cie corporis æquaret Hephæstionem, lepore haud sane illi
par erat. Ipse *Cratero cum maiore parte exercitus modicis* 20
itineribus sequi iusso, ad Maracanda vrbem peruenit; ex
qua Spitamenes cognito eius aduentu Bactra perfugerat.
Itaque quatriduo Rex longum itineris spatium emensus, per- 21
7, 7, 31. & 39. uenerat in eum locum, in quo Menedemo duce II millia
peditum, & CCC equites amiserat. horum ossa tumulo
5, 4, 3. contegi iussit, & inferias more patrio dedit. Iam Craterus 22
cum phalange subsequi iussus, ad regem peruenerat. itaque
7, 6, 16. 9, 4, 5. vt omnes, qui defecerant, pariter belli clade premerentur,
copias diuidit; *vrique agros, & interfici puberes* iussit.

CAP. X. Sogdiana regio maiori ex parte deserta est: octingenta fere stadia in latitudinem vastæ solitudines tenent. In- 2
gens spatium rectæ regionis est, per quam amnis, *Polytimetum* vocant incolæ, fertur torrens. Eum ripæ in tenuem
6, 4, 5. alueum cogunt; deinde cauerna accipit, & sub terram rapit.
Cursus absconditi indicium est aquæ meantis sonus; quum 3
ipsum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet humore. Ex captiuis Sogdianorum ad regem 4
XXX nobilissimi, corporum robore eximio, perducti erant; qui vt per interpretem cognouerunt iussu *regis ipsos ad supplicium trahi*, carmen lætantium more canere, tripudiisque & lasciuiori corporis motu gaudium quoddam animi
3, 14, 46. ostentare ceperunt. Admiratus rex tanta magnitudine ani- 5
mi oppetere mortem, *reuocari eos* iussit; *causam tam effusæ lætitiæ, quum supplicium ante oculos haberent*, requirens. Illi *si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse* respon- 6
dent; *nunc à tanto rege, victore omnium gentium maiori-*
5, 8, 6. *bus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto*

quoque

quoque expeterent, carminibus sui moris lætitiaque cele-
7 *brare.* Tum rex, *quæro itaque*, inquit, *an viuere velitis*
8 *non inimici mihi, cuius beneficio victuri estis?* Illi *nunquam se inimicos ei; sed bello lacessitos, hostes fuisse* respondent. *SI QVIS ipsos beneficio, quam iniuria experiri maluis-*
9 *set; certaturos fuisse, ne vincerentur officio.* Interrogantique *quo pignore fidem obligaturi essent? vitam quam acciperent, pignori futuram esse* dixerunt. *reddituros quandoque repetissent.* Nec promissum fefellerunt. Nam qui remissi domos ierant, in fide continuere populares: quatuor inter Custodes corporis retenti, nulli Macedonum in regem
10 caritate cesserunt. In Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum (neque enim maiori præsidio indigebat) relicto, Bactra peruenit. Inde *Bessum Echatana duci* iussit, *in-* 7, 5, 10.
11 *terfecto Dario pœnas capite persoluturum.* Iisdem fere diebus Ptolemæus & Menidas peditum tria millia, & equites
12 mille adduxerunt mercede militaturos. Alexander quoque ex Lycia cum pari numero peditum, & D equitibus venit: Totidem è Syria Asclepiodorum sequebantur: Antipater Græcorum VIII millia in quis D equites erant, mise-
13 rat. Itaque exercitu aucto, ad ea quæ defectione turbata erant, componenda processit; interfectisque consternationis auctoribus, quarto die ad flumen Oxum peruentum est. hic quia limum vehit, turbidus semper & insalubris est potu.
14 Itaque puteos miles ceperat fodere. nec tamen humo alte egesta exsistebat humor; quum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem quia tarde notauerant, *subito ex-* 8, 5, 5.
15 *stitisse* finxerunt. rexque ipse credi voluit *donum dei id fu-* *isse.* Superatis deinde amnibus Ocho & Oxo, ad vrbem Marginiam peruenit. Circa eam VI oppidis condendis electa sedes est. Duo ad Meridiem versa; quatuor spectantia Orientem, modicis inter se spatiis distabant, ne procul repe-
16 tendum esset mutuum auxilium. Hæc omnia sita sunt in

Petram Arimazis Sogdiani munitissimam obsessurus animum barbari tentat. Ille quærit an Alexander volare possit? superbo responso irritatus

editis collibus: tum velut freni domitarum gentium; nunc
originis suæ oblita seruiunt, quibus imperauerunt. Et ce-
tera quidem pacauerat rex.

CAP. XI. VNA erat petra, quam Arimazes Sogdianus cum XXX millibus armatorum obtinebat; alimentis ante congestis, quæ tantæ multitudini vel per biennium sufficerent. Petra in altitudinem XXX eminet stadia, circumitu C & L complectitur. Vndique abscissa & abrupta, semita perangusta aditur. In medio altitudinis spatio habet specum, cuius os arctum & obscurum est; paulatim deinde vlteriora panduntur: vltima etiam altos recessus habent. fontes per totum fere specum manant; è quibus confluunt aquæ per prona montis flumen emittunt. Rex loci difficultate spectata statuerat inde abire: cupido deinde incessit animo naturam quoque fatigandi. Prius tamen quam fortunam obsidionis experiretur, Cophan (Artabazi hic filius erat) misit ad barbaros, qui suaderet, *vt dederent rupem.* Arimazes loco fretus superbe multa respondit. ad vltimum *an Alexander volare posset?* interrogat. Quæ nunciata regi, sic accendere animum, vt adhibitis, cum quibus consultare erat solitus, indicaret *insolentiam barbari, eludentis ipsos, quia pennas non haberent. Se autem proxima nocte effecturum, vt crederet Macedones etiam volare. Trecentos*, inquit, *percitissimos iuuenes ex suis quisque copiis perducite ad me, qui per calles & pene inuias rupes domi pecora agere consueuerint.* Illi præstantes & leuitate corporum, & ardore animorum strenue adducunt: quos intuens rex, *vobiscum*, inquit, *ô iuuenes, & mei æquales, vrbium inuictarum ante munimenta superaui: montium iuga perenni niue obruta emensus sum; angustias Ciliciæ intraui: Indiæ sine lassitudine vim frigoris sum perpessus. & mei documenta vobis dedi, & vestri habeo. Petra, quam videtis, vnum aditum habet, quem* barbari obsident; cetera negligunt: *nullæ vigiliæ*

agilibus quibusdam iuuenibus præmia constituit: qui per inaccessa loca, magno cum periculo tandem in superiora petræ loca eniituntur.

giliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. inuenietis viam, si solerter rimati fueritis aditus ferentis ad cacumen. NIHIL tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo quæ ceteri desperauerunt, Asiam habemus in potestate. Euadite in cacumen, quod quum ceperitis, candidis velis signum mihi dabitis. ego copiis admotis hostem in nos à vobis conuertam. Præmium erit ei qui primus occupauerit verticem, talenta X: vno minus accipiet, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines seruabitur portio. Cætum autem habeo, vos non tam liberalitatem iuueni meam; quam voluntatem. His animis regem audierunt, vt iam cepisse verticem viderentur. Dimissique ferreos cuneos, quos inter saxa defigerent, validosque funes parabant. Rex circumuectus petram, qua minime asper ac præruptus aditus videbatur; secunda vigilia, quod bene verteret, ingredi iubet. Illi alimentis in biduum sumptis, gladiis modo atque hastis armati subire cœperunt. Ac primo pedibus ingressi sunt: deinde vt in prærupta peruentum est, alii manibus eminentia saxa complexi leuauere semet; alii adiectis funium laqueis euasere, quum cuneos inter saxa defigerent, quis gradus subinde insisterent. diem inter metum laboremque consumpserunt. Per aspera enixis duriora restabant, & crescere altitudo petræ videbatur. illa vero miserabilis erat facies, quum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti deuoluerentur. mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris adfecti; quidam multati parte membrorum; pariterque eos & nox & somnus oppressit. Stratis passim corporibus in inuiis & in asperis saxorum, periculi instantis obliti in lucem quieuerunt: tandemque velut ex alto sopore excitati, occultas subiectasque ipsis valles rimantes, ignari in qua parte petræ tanta vis hostium condita

Ea re per signum, quod conuenerat, cognita, Rex denuo ad barbarum mœstitiqui a multo maiore hominum numero captum vicissim existimans,

esset: fumum specus infra se ipsos euolutum notauerunt. Ex quo intellectum est, illam hostium latebram esse. Ita- 19
que hastis imposuere, quod conuenerat signum: totoque è numero duos & XXX in adscensu interiisse cognoscunt. Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vicem eo- 20
rum, quos ad tam manifestum periculum miserat, solicitus: toto die cacumina montis intuens restitit. noctu demum quum obscuritas conspectum oculorum ademisset; ad curandum corpus recessit. Postero die nondum satis clara 21
luce primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas cœli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito. Verum vt liquidior lux adparuit cœlo, dubitatio exempta est. vocatumque Co- 22
7, 11, 5. phan, per quem barbarorum animos tentauerat, mittit ad eos, qui moneret, *nunc saltem salubrius consilium inirent.*
8, 2, 26. sin autem fiducia loci perseuerarent, *ostendi à tergo* iussit, *qui ceperant verticem.* Cophas admissus suadere cepit Ari- 23
mazi *petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res*
8, 2, 27. *molientem in vnius rupis obsidione hærere non coegisset.* Ille ferocius superbiusque quam antea loquutus *abire* Cophan iubet. At is prehensum manu Barbarum rogat, *vt* 24
secum extra specum prodeat: quo impetrato iuuenes in cacumine ostendit, ciusque superbiæ haud immerito inludens,
7, 11, 9. *pennas* ait *habere milites Alexandri.* Iamque è Macedo- 25
num castris signorum concentus & totius exercitus clamor
4, 13, 5. audiebatur. Ea res sicut pleraque belli vana & inania barbaros ad deditionem traxit. quippe occupati metu, paucitatem
7, 7, 4. eorum qui à tergo erant æstimare non poterant. Itaque Cophan (nam trepidantes reliquerat) strenue reuo- 26
cant; & cum eo XXX principes mittunt, qui petram tradant, & *vt incolumibus abire liceat,* paciscantur. Ille quam- 27
quam verebatur ne conspecta iuuenum paucitate deturbarent eos barbari; tamen & fortunæ suæ confisus, & Ari-
7, 7, 28. mazi

mazi superbiæ infensus, *nullam se conditionem deditionis* 28
accipere respondit. Arimazes desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisque gentis suæ descendit in castra: quos omnes *verberibus adfectos sub ipsis* 29
radicibus petræ crucibus iussit *adfigi.* Multitudo deditorum incolis nouarum vrbium cum pecunia capta dono data est: Artabazus in petræ regionisque, quæ adposita esset ei, tutela relictus.

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI

DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER OCTAVVS.

ALEXANDER maiore fama, quam gloria in ditionem redacta petra; quum propter vagum hostem spargendæ manus essent, in tres partes diuisit exercitum. Hephæstionem vni; Cœnon alteri duces dederat: ipse ceteris 2
præerat. Sed non eadem mens omnibus barbaris fuit. armis quidam subacti; plures ante certamen imperata fecerunt. quibus *eorum qui in defectione perseuerauerant, vrbes* 3
agrosque iussit *adtribui.* At exules Bactriani cum DCCC equitibus Massagetarum proximos vicos vastauerunt. Ad quos coercendos Attinas regionis eius præfectus CCC 4
equites insidiarum, quæ parabantur, ignarus eduxit. Namque hostis in syluis, quæ erant forte campo iunctæ, armatum militem condidit; paucis propellentibus pecora, vt im-

à Barbaris occisus vindicatur à Craterο. Scythæ regis sui filiam uxorem offerunt Alexandro. Qui in venatione leonem solus interficat.

prouidum ad insidias præda perduceret. Itaque incompo- 5
sito agmine, solutisque ordinibus, Attinas prædabundus
sequebatur; quem prætergressum syluam, qui in ea consederant, ex improuiso adorti, cum omnibus interemerunt.
Celeriter ad Craterum huius cladis fama perlata est; qui cum 6
omni equitatu superuenit, & Massagetæ quidem iam refugerant; Dahæ mille oppressi sunt: quorum clade totius
regionis finita defectio. Alexander quoque Sogdianis rur- 7
sus subactis, Maracanda repetit. Ibi Berdes, quem ad Scy-
7, 6, 12. thas super Bosphorum colentes miserat, cum legatis gentis
occurrit. Phrataphernes quoque, qui Chorasmiis præerat, 8
Massagetis, & Dahis regionum confinio adiunctus miserat,
qui *facturum imperata* pollicerentur. Scythæ petebant, *ut* 9
regis sui filiam matrimonio sibi iungeret. si dedignaretur affinitatem, principes Macedonum cum primoribus suæ gentis connubio coire pateretur. Ipsum quoque regem venturum ad eum pollicebantur. Vtraque legatione benigne au- 10
dita, Hephæstionem, & Artabazum opperiens statiua habuit;
quibus adiunctis in regionem, quæ adpellatur *Bazaria*, per-
8, 4, 22. uenit. Barbaræ opulentiæ in illis locis, haud vlla sunt ma- 11
7, 2, 22. iora indicia, quam magnis nemoribus saltibusque nobilium
8, 9, 28. ferarum greges clausi. Spatiosas ad hoc eligunt syluas, cre- 12
7, 2, 29. bris perennium aquarum fontibus amœnas. muris nemora cinguntur, turresque habent venantium receptacula. Qua- 13
tuor continuis ætatibus intactum saltum fuisse constabat,
quem Alexander cum toto exercitu ingressus *agitari vndi-*
9, 5, 21. *que feras* iussit. Inter quas quum leo magnitudinis raræ 14
10, 10, 3. ipsum regem inuasurus incurreret; forte Lysimachus, qui
postea regnauit, proximus Alexandro, venabulum objicere
feræ ceperat. Quo rex repulso, & *abire* iusso, adiecit, *tam*
8, 6, 7. *à semet vno quam à Lysimacho leonem interfici posse.* Lysi- 15
machus enim quondam quum venaretur in Syria, occiderat eximiæ magnitudinis feram solus: sed læuo humero

vsque

fabula de Lysimacho vide orta. Alexander Maracanda reuersus, conuiuium instituit, in quo patrii res gestas extenuat,

16 vsque ad ossa laceratus ad vltimum periculi peruenerat. Id
ipsum exprobrans ei rex, fortius quam loquutus est, fecit.
nam feram non excepit modo; sed etiam vno vulnere oc-
17 cidit. Fabulam, quæ *obiectum leoni à rege Lysimachum*
temere vulgauit, ab eo casu, quem supra diximus, ortam
18 esse crediderim. Ceterum Macedones quamquam prospe-
ro euentu defunctus erat Alexander; tamen sciuere gentis 6, 8, 25.
suæ more, ne pedes venaretur, aut sine delectis principum
19 amicorumque. Ille IV millibus ferarum deiectis, in eodem
saltu cum toto exercitu epulatus est. Inde Maracanda re-
ditum est: acceptaque ætatis excusatione ab Artabazo; pro- 7, 5, 1.
20 uinciam eius destinat Clito. Hic erat, qui apud Granicum
amnem nudo capite regem dimicantem clypeo suo texit; & 8, 1, 41.
Rhosacis manum capiti regis imminentem gladio amputa-
uit: vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus cla-
21 rus. Hellanice, quæ Alexandrum educauerat, soror eius, 8, 2, 8.
haud secus quam mater à rege diligebatur. Ob has caus-
sas validissimam imperii partem fidei eius, tutelæque com-
22 misit. iamque *iter parare in posterum* iussus, solenni & tem- 6, 2, 2.
pestiuo adhibetur conuiuio. In quo rex quum multo in-
caluisset mero, immodicus æstimator sui, celebrare, quæ
gesserat, cepit; grauis etiam eorum auribus, qui sentiebant
23 vera memorari. Silentium tamen habuere seniores, do-
nec Philippi res orsus obterere, *nobilem apud Chæroneam* 8, 5, 20.
victoriam sui operis fuisse iactauit; *ademptamque sibi mali-*
24 *gnitate & inuidia patris tantæ rei gloriam. Illum quidem seditione inter Macedones milites, & Græcos mercenarios orta; debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse, non alias quam simulatione mortis tutiorem; se corpus eius protexisse clypeo suo, ruentesque in illum sua*
25 *manu occisos. Quæ patrem nunquam æquo animo esse con-* 6, 8, 8.
fessum, inuitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo fecisset ipse in Illyrios, victorem

scri-

sunt extollit: suggillante cum Clito, & mox aperte Philippi gesta præferente, denique eo temeritate prouecto, vt etiam Parmenionem defendi audiret:

scripsisse se patri fusos fugatosque hostes. nec adfuisse vnquam Philippum. *Laude dignos esse non qui Samothracum* 26
initia viserent, quum Asiam vri vastarique oporteret; sed eos, qui magnitudine rerum fidem anteceſſissent. Hæc & 27
his similia læti audiere iuuenes: ingrata senioribus erant, maxime propter Philippum, sub quo diutius vixerant. Tum 28
Clitus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos qui infra ipsum cubabant, conuersus Euripidis retulit carmen, ita vt sonus magis, quam sermo exauditi posset à rege. Quo significa- 29
5, 3, 2. batur, *male instituisse Græcos, quod trophæis regum duntaxat nomina inscriberentur. alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.* Itaque rex quum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos cepit, *quid ex Clito audissent.* Et illis ad silentium obstinatis, Clitus 30
paulatim maiore voce *Philippi acta bellaque in Græcia gesta* commemorat, omnia præsentibus præferens. Hinc inter 31
iuniores senesque orta contentio est. Et Rex velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem iram conceperat. Ceterum quum animo videretur impe- 32
raturus, si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente magis exasperabatur. iamque Clitus 33
etiam Parmenionem defendere audebat, & Philippi de Athenienſibus victoriam Thebarum præferebat excidio;
7, 4, 19. non vino modo, sed etiam animi praua contentione prouectus. Ad vltimum, *si moriendum*, inquit, *est pro te; Cli-* 34
tus est primus: at quum victoriæ arbitrium agis, præcipuum ferunt præmium, qui procacissime patris tui memoriæ inludunt. Sogdianam regionem mihi adtribuis, toties rebellem, 35
& non modo indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit. mittor ad feras bestias præcipitia ingenia sortitas. Sed quæ 36
ad me pertinent transeo. Philippi milites spernis, oblitus,
5, 2, 5. *nisi hic Atharias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset, adhuc nos circa Halicarnassum hæsuros fuisse. Quo* 37
modo

ergo conuiuio excedere iussus, incredibili contumacia comitia & dicteria in regem iacit. Ille amicis frustra morantibus,

modo ergo Asiam etiam cum istis iunioribus subiecisti? Verum est, vt opinor, quod auunculum tuum in Italia dixis-
38 *se constat,* ipsum in viros incidisse, te in feminas. Nihil ex 3, 10, 10.
omnibus inconsulte ac temere iactis regem magis mouerat, quam Parmenionis cum honore mentio inlata. Dolorem tamen rex pressit, contentus iussisse *vt conuiuio exce-*
39 *deret.* Nec quidquam aliud adiecit, quam *forsitan eum, si diutius loquutus foret, exprobraturum sibi fuisse vitam à se-*
40 *metipso datam; hoc enim superbe sæpe iactasse.* Atque illum contantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus iurgantes monentesque conabantur abduce-
41 re. Clitus quum abstraheretur, ad pristinam violentiam 8, 1, 20.
ira quoque adiecta, *suo pectore tergum illius esse defensum; nunc postquam tanti meriti præteriit tempus, etiam memo-* 6, 8, 8.
42 *riam inuisam esse proclamat. Attali* quoque *cædem* obji- 7, 1, 3.
ciebat; & ad vltimum Iouis, quem patrem sibi Alexander adsereret, oraculum eludens, *veriora se regi, quam patrem*
43 *eius respondisse* dicebat. Iam tantum iræ conceperat rex, 8, 5, 22.
quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimuero mero sen- 7, 4, 19.
44 sibus victis ex lecto repente prosiluit. Adtoniti amici ne positis quidem, sed abiectis poculis consurgunt, in euen-
45 tum rei, quam tanto impetu acturus esset, intenti. Alexander rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguæ intemperantia furentem percutere conatus, à Pto-
46 lemæo & Perdicca inhibetur. medium complexi & obluctari perseuerantem morabantur: Lysimachus, & Leonnatus
47 etiam lanceam abstulerant. Ille militum fidem implorans, *comprehendi se à proximis amicorum, quod Dario nuper ac-* 5, 12, 15.
cidisset, exclamat; *signumque tuba dari, vt ad regiam ar-*
48 *mati coirent*, iubet. Tum vero Ptolemæus & Perdiccas genibus aduoluti orant, *ne in tam præcipiti ira perseueret, spatiumque potius animo det. omnia postero die iustius ex-*
49 *sequuturum.* Sed clausæ erant aures, obstrepente ira. Ita-

arrepta lancea Clitum interficit. Sed postquam ira mente deceſſerat, ſera facinoris æſtimatione in pauitentiã verſus ſibi ipſi manus inferre tentat. Prohibitus

que impotens animi percurrit in regiæ veſtibulum, & vigili excubanti haſta ablata conſtitit in aditu, quo neceſſe erat iis, qui ſimul cœnauerant egredi. Abierant ceteri, Clitus vlti- 50
mus ſine lumine exibat. Quem rex, *quis nam eſſet?* interrogat. Eminebat etiam in voce, ſceleris quod parabat atrocitas. & ille iam non ſuæ, ſed regis iræ memor, *Clitum eſſe,* 51
3, 12, 19. *& de conuiuio exire* reſpondit. Hæc dicentis latus haſta 52
transfixit, morientiſque ſanguine adſperſus. *I nunc,* inquit, *ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum.*

CAP. II. Male humanis ingeniis natura conſuluit; quod plerumque non futura, ſed tranſacta perpendimus. Quippe
7, 8, 24. rex poſtquam ira mente deceſſerat, etiam ebrietate diſcuſſa,
8, 8, 23. magnitudinem facinoris ſera æſtimatione perſpexit. Vide- 2
bat tunc immodica libertate abuſum, ſed alioqui egregium bello virum, & niſi erubeſceret fateri, ſeruatorem ſui, occiſum. Deteſtabile carnificis miniſterium occupauerat rex: verborum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefanda
6, 11, 28. cæde vltus. Manabat toto veſtibulo cruor paulo ante con- 3
uiuæ, vigiles adtoniti & ſtupentibus ſimiles procul ſtabant, liberioremque pœnitentiam ſolitudo exciebat. Ergo ha- 4
ſtam ex corpore iacentis euulſam retorſit in ſemet: iamque admouerat pectori; quum aduolant vigiles, & repugnanti è manibus extorquent, adleuatumque in tabernaculum deferunt. Ille humi proſtrauerat corpus, gemitu eiulatuque 5
7, 2, 5. miſerabili tota perſonante regia. Laniare deinde os vnguibus, & circumſtantes rogare, *ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem eſſe paterentur.* In has preces tota nox exacta eſt. 6
Scrutantemque *num ira deorum ad tantum nefas actus eſſet?* ſubit *anniuerſarium ſacrificium Libero patri non eſſe redditum ſtatuto tempore. itaque inter vinum & epulas cæde commiſſa, iram dei fuiſſe manifeſtam.* Ceterum ma- 7
gis eo mouebatur, quod omnium amicorum animos videbat adtonitos: neminem cum ipſo ſociare ſermonem poſtea auſu-

in media mari conſtituit, ſed amicorum precibus vix exoratus cibum capit. Adhuc Xenippa peruenit: eas, prouincia

auſurum. viuendum eſſe in ſolitudine velut feræ beſtiæ, ter- 8
renti alias, alias timenti. Prima deinde luce *tabernaculo corpus,* ſicut adhuc cruentum erat, iuſſit *inferri.* Quo poſito ante ipſum, lachrimis obortis, *hanc,* inquit, *nutrici meæ* 8, 1, 21.
gratiam retuli, cuius duo filij apud Miletum pro mea gloria occubuere mortem: hic frater vnicum orbitatis ſolatium à
9 *me inter epulas occiſus eſt. Quo nunc ſe conferet miſera? Omnibus eius vnus ſuperſum, quem ſolum æquis oculis videre non poterit. Et ego ſeruatorum meorum latro, reuertar in patriam vt ne dextram quidem nutrici, ſine memo-*
10 *riâ calamitatis eius offerre poſſim?* Et cum finis lachrimis quereliſque non fieret; iuſſu amicorum corpus ablatum eſt.
11 rex triduum iacuit incluſus. quem vt armigeri corporiſque cuſtodes ad moriendum obſtinatum eſſe cognouerunt; vni- 8, 8, 22.
uerſi in tabernaculum inrumpunt, diuque precibus ipſorum
12 reluctatum ægre vicerunt, vt cibum caperet. quoque minus cædis puderet, *iure interfectum Clitum* Macedones decernunt, ſepultura quoque prohibituri, ni rex humari iuſſiſſet. 3, 2, 19.
13 Igitur decem diebus maxime ad confirmandum pudorem apud Maracanda conſumptis; cum parte exercitus Hephæſtionem in regionem Bactrianam miſit, commeatus in hye-
14 mem paraturum. Quam Clito autem deſtinauerat prouinciam, Amyntæ dedit: Ipſe Xenippa peruenit. Scythiæ confinis eſt regio, habitaturque pluribus ac frequentibus vicis, quia vbertas terræ non indigenas modo detinet, ſed etiam
15 aduenas inuitat. Bactrianorum exulum, qui ab Alexandro deſecerant, receptaculum fuerat. ſed poſtquam regem aduentare compertum eſt; pulſi ab incolis II millia fere & du-
16 centi congregantur. Omnes equites erant, etiam in pace latrociniis adſueti. tum ferocia ingenia non bellum modo; ſed etiam veniæ deſperatio efferauerat. Itaque ex impro- 5, 4, 31.
uiſo adorti Amyntam prætorem Alexandri, diu anceps prœ-
17 lium fecerant. Ad vltimum DCC ſuorum amiſſis, quo-

subacta, in regione Naura Syſimithræ petram natura munitiſſimam adgreſſus, barbarum ad deditionem

rum CCC hoſtis cepit; dedere terga victoribus: haud ſane
inulti, quippe LXXX Macedonum interfecerunt, præterque
eos CCC & L ſaucii facti ſunt. Veniam tamen etiam poſt 18
alteram defectionem impetrauerunt. His in fidem acce- 19
ptis in regionem, quam Naura adpellant, rex cum toto ex-
ercitu venit. Satrapes erat Syſimithres duobus ex ſua ma-
8, 2, 33. tre filiis genitis: quippe apud eos parentibus ſtupro coire
cum liberis fas eſt. Il millibus armatis popularibus fauces 20
regionis, qua in arctiſſimum cogitur, valido munimento
ſepſerant. Præterfluebat torrens amnis; tergo petra clau-
debat: hanc manu peruiam incolæ fecerant. Sed aditus 21
ſpecus accipit lucem; interiora niſi inlato lumine obſcura
ſunt. perpetuus cuniculus iter præbet in campos, ignotum
niſi indigenis. At Alexander quamquam anguſtias natu- 22
rali ſitu munitas ac validas, manu barbari tuebantur; tamen
arietibus admotis munimenta, quæ manu adiuncta erant,
concuſſit, fundiſque & ſagittis propugnantium pleroſque
deiecit: quos vbi diſperſos fugauit, ruinas munimentorum
ſupergreſſus ad petram admouit exercitum. Ceterum in- 23
teruenichat fluuius coeuntibus aquis ex ſuperiore taſtigio in
vallem; magnique operis videbatur tam vaſtam voraginem
4, 2, 16. explere. *Cædi* tamen *arbores & ſaxa congeri* iuſſit. ingenſ- 24
que barbaros pauor rudes ad talia opera concuſſerat, exci-
tatam molem ſubito cernentes. Itaque rex ad deditionem 25
metu poſſe compelli ratus, Oxarten miſit nationis eiuſdem,
ſed ditionis ſuæ, qui ſuaderet duci, *vt traderet petram.*
7, 11, 22. Interim ad augendam formidinem, & turres admouebantur; 26
& excuſſa tormentis tela emicabant. Itaque verticem pe-
træ omni alio præſidio damnato petiuerunt. At Oxartes 27
trepidum diffidentemque rebus ſuis Syſimithrem cepit
7, 11, 23. hortari, *vt fidem, quam vim Macedonum mallet experiri;*
8, 5, 1. *neu moraretur feſtinationem victoris exercitus, in Indiam*
tendentis: cui quiſquis ſemet offerret, in ſuum caput alie-
nam

compuliſſet, ni mater illius eadem, coniux obſtitiſſet. Ad vltimũ tamen tua cum ipſa in
fidem Alexandri venit. Rex eos qui defecerant inſequutus, Philippum egregium iuuenem

nam cladem eſſe verſurum. Et ipſe quidem Syſimithres
28 deditionem adnuebat: ceterum mater eademque coniux 8, 3, 2.
morituram ſe ante denuncians, quam in vllius veniret po-
teſtatem; barbari animum ad honeſtiora quam tutiora con-
uerterat: pudebatque libertatis maius eſſe apud feminas,
29 quam apud viros pretium. Itaque dimiſſo internuncio pa-
cis, obſidionem ferre decreuerat. Sed quum hoſtis vires
ſuaſque penſaret; rurſus muliebris conſilii, quod præceps
magis quam neceſſarium eſſe credebat, pœnitere eum cœ-
30 pit. Reuocatoque ſtrenue Oxarte, *futurum ſe in regis po-*
teſtate reſpondit; vnum precatus, *ne voluntatem & conſi-*
lium matris ſuæ proderet, quo facilius venia illi quoque im-
31 *petraretur.* Præmiſſum igitur Oxartem cum matre libe-
riſque & totius cognationis grege ſequebatur, ne exſpectato
32 quidem fidei pignore quod Oxartes promiſerat. Rex
equite præmiſſo, qui *renuntiaret eos* iuberet, *opperirique præ-*
ſentiam ipſius, ſuperuenit; & victimis Mineruæ ac Victoriæ 8, 11, 24.
cæſis imperium Syſimithri reſtituit; ſpe *maioris etiam pro-*
33 *uinciæ* facta, *ſi cum fide amicitiam ipſius coluiſſet.* Duos 8, 2, 19 &
illi iuuenes patre tradente *ſecum militaturos ſequi* iuſſit. re- 4, 21.
licta deinde phalange ad ſubigendos, qui defecerant, cum
34 equite proceſſit. Arduum & impeditum ſaxis iter primo
vtcumque tolerabant. mox equorum non vngulis modo
adtritis; ſed corporibus etiam fatigatis, ſequi plerique non
poterant, & rarius ſubinde agmen fiebat, pudorem, vt fere
35 fit, immodico labore vincente. Rex tamen ſubinde equos
mutans, ſine intermiſſione fugientes inſequebatur. Nobi-
les iuuenes comitari eum ſoliti defecerant præter Philippum.
Lyſimachi erat frater, tum primum adultus, & quod facile
36 adpareret indolis raræ. Is pedes, incredibile dictu, per D
ſtadia vectum regem comitatus eſt; ſæpe equum ſuum of-
ferente Lyſimacho, nec tamen vt digrederetur à rege effici
37 potuit, quum lorica indutus arma geſtaret. Idem quum

amittit: sub idem tempus & Erigyius moritur. Spitamenes interpellat vxori deditionem suadenti mortem intentat: mox tamen obsequio eius

peruentum esset in saltum, in quo se barbari abdiderant, nobilem edidit pugnam; regemque cominus cum hoste dimicantem protexit. Sed postquam barbari in fugam effusi 38
deseruere syluas, animus, qui in ardore pugnæ corpus sustentauerat, liquit; subitoq; ex omnibus membris profuso sudore, arboris proximæ stipiti se adplicuit. Deinde ne illo qui- 39
dem adminiculo sustinente, manibus regis exceptus est, inter quas conlapsus extinguitur. Mœstum regem alius haud le- 40
uis dolor excepit. Erigyius inter claros duces fuerat; quem extinctum esse paulo antequam reuerteretur in castra, cognouit. vtriusque funus omni adparatu atque honore celebratum est.

CAP. III. DAhas deinde statuerat petere; ibi namque Spitamenem esse cognouerat. Sed hanc quoque expeditionem vt pleraque alia fortuna indulgendo ei numquam fatigata, pro absente transegit. Spitamenes vxoris immodi- 2
co amore flagrabat; quam ægre fugam, & noua subinde exilia tolerantem, in omne discrimen comitem trahebat. Illa
8, 2, 28. malis fatigata idemtidem muliebres adhibere blanditias; *vt tandem fugam sisteret, victoriisque Alexandri clementiam expertus, placaret quem effugere non posset.* Tres adulti 3
erant liberi ex eo geniti, quos quum pectori patris admouisset, *vt saltem eorum misereri vellet*, orabat; & quo efficaciores essent preces, haud procul erat Alexander. Ille se 4
prodi, non moneri ratus, & formæ profecto fiducia cupere eam quamprimum dedi Alexandro; acinacem strinxit, percussurus vxorem, nisi prohibitus esset fratrum eius occursu. Ceterum *abire conspectu* iubet; addito metu *mortis, si se* 5
oculis eius obtulisset: & ad desiderium leuandum noctes inter pellices agere cepit. Sed penitus hærens amor fastidio 6
præsentium accensus est. itaque rursus vni ei deditus, orare non destitit, *vt tali consilio abstineret, patereturque sortem quamcumque eis fortuna fecisset. sibi mortem deditione esse leuiorem.* At illa purgare se, *quod quæ vtilia esse censebat,* 7

muliebriter forsitan; sed fida tamen mente suasisset, de ce-
8 *tero futuram in viri potestate.* Spitamenes simulato captus obsequio, de die *conuiuium adparari* iubet, vinoque
9 & epulis grauis semisomnus in cubiculum fertur. Quem vt alto & graui somno sopitum esse sensit vxor, gladium, quem veste occultauerat, stringit, caputque eius abscissum
10 cruore respersa, seruo suo conscio facinoris tradit. Eodem comitante, sicut erat cruenta veste, in Macedonum castra peruenit, nunciarique Alexandro iubet *esse, quæ ex ipsa de-*
11 *beret cognoscere.* Ille *protinus barbaram* iussit *admitti.* quam vt adspersam cruore conspexit, ratus ad deplorandam
12 contumeliam venisse, *dicere quæ vellet*, iubet. At illa *seruum*, quem stare in vestibulo iusserat, *introduci* desiderauit. qui quia caput Spitamenis veste tectum habebat; suspectus
13 scrutantibus, quid occuleret, ostendit. Confuderat oris exsanguis notas pallor, nec quis esset, noscitari satis poterat. Ergo rex certior factus *humanum caput adferre eum*, tabernaculo excessit, percontatusque *quid rei sit?* illo profitente co-
14 gnoscit. Variæ hinc cogitationes inuicem animum diuersa agitantem commouerant. meritum ingens in semet esse 8, 12, 8.
credebat, quod transfuga & proditor, tantis rebus, si vixisset, iniecturus moram, interfectus esset: contra facinus ingens auersabatur, quum optime meritum de ipsa, commu-
15 nium parentem liberorum, per insidias interemisset. Vicit tamen gratiam meriti, sceleris atrocitas, denunciarique iussit,
vt *excederet castris. neu licentiæ barbaræ exemplar in Græ-* 8, 12, 9.
16 *corum mores, & mitia ingenia transferret.* Dahæ Spitamenis cæde comperta Dataphernem defectionis eius participem, vinctum Alexandro seque dedunt. Ille maxima præsentium curarum parte liberatus, conuertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus à prætoribus suis auare ac
17 superbe imperabatur. Ergo Phratapherni Hyrcaniam & Mardos cum Tapuris tradidit, mandauitque, vt Phradatem,

cui

captus reconciliatur. Illa memor iniuriæ, dormientem obtruncat, caputq; interfecti ad Alexandrum defert, anticipiti merito. Spitamene cæso Dahæ se dedunt. Rex pronunciatio

rebus ordinatis, in regionem Gabazã mouet. in quo itinere plurimi militum frigore exanimantur. Rex unus tanti mali patiens,

cui succedebat, ad se in custodiam mitteret. Arsani Drancarum præfecto substitutus est Stasanor. Arsaces in Medi-
6,2,11. am missus, vt Oxydates inde discederet. Babylonia mortuo Mazæo Deditameni subiecta est.

CAP. IV. His compositis tertio mense ex hibernis mouit exercitum, regionem, quæ *Gabaza* adpellatur, aditurus. Pri-2
mus dies quietum iter præbuit: proximus ei nondum quidem procellosus & tristis, obscurior tamen pristino, non si-
ne minis crescentis mali præteriit. tertio ab omni parte cœ- 3
7,11,24. li emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, sed etiam animos terrere ceperunt. Erat prope continuus cœli fragor, & passim 4
cadentium fulminum species visebatur. adtonitisque auri-
7,5,6. bus stupens agmen, nec progredi, nec consistere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens torrentis modo 5
effunditur. ac primo quidem armis suis tecti exceperant, sed
6,1,11. iam nec retinere arma lubricæ & rigentes manus poterant; nec ipsi destinare, in quam regionem obuerterent corpora, quum vndique tempestatis violentia maior, quam vitabatur, occurreret. Ergo ordinibus solutis per totum saltum 6
7,5,2. errabundum agmen ferebatur; multique prius metu, quam labore defatigati, prostrauerant humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu adstrinxerat. Alii se sti- 7
pitibus arborum admouerant. id plurimis & adminiculum & suffugium erat. Nec fallebat ipsos morti locum eligere, 8
cum immobiles vitalis calor linqueret: sed grata erat pigritia corporum fatigatis; nec recusabant exstingui quiescendo. quippe non vehemens modo, sed etiam pertinax vis mali insistebat; lucemque naturale solatium præter tempestatem haud disparem nocti, syluarum quoque vmbra suppresserat.
7,3,17. Rex vnus tanti mali patiens circumire milites, contrahere 9
dispersos, adleuare prostratos, ostendere procul euolutum ex tuguriis fumum, hortarique *vt proxima quæque suffugia occuparent.*

exemplo suo reliquos ad constantiam erigit. militem præ frigore mentis impotem in suam sellam recipit. Tandem Syſimithres liberalitate recreato exercitu,

10 *cuparent.* Nec vlla res magis saluti fuit, quam quod multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cessé-
11 rant, regem deserere erubescebant. Ceterum efficacior in 5,4,31. 7,
aduersis necessitas, quam ratio, frigoris remedium inuenit. 7,10.
dolabris enim syluas sternere adgressi, passim aceruos stru-
12 esque accenderunt. Continenti incendio ardere crederes saltum, & vix inter flammas agminibus relictum locum. Hic calor stupentia membra commouit, paulatimque spiri-
13 tus, quem continuerat rigor, meare libere cepit. Excepere alios tecta barbarorum, quæ in vltimo saltu abdita neces- 7,3,15.
sitas inuestigauerat: alios castra, quæ in humido quidem, sed iam cœli mitescente sæuitia locauerunt. Mille militum,
14 atque lixarum calonumque pestis illa consumpsit. Memoriæ proditum est, quosdam adplicatos arborum truncis, & non solum viuentibus, sed & inter se conloquentibus similes esse conspectos; durante adhuc habitu, in quo mors
15 quemque deprehenderat. Forte Macedo gregarius miles seque & arma sustentans, tandem in castra peruenerat. Quo viso rex, quamquam ipse tunc maxime admoto igne refouebat artus, ex sella sua exsiluit, torpentemque militem, & vix compotem mentis, demptis armis *in sua sede* iussit
16 *considere.* Ille diu nec vbi requiesceret, nec à quo esset exceptus, adgnouit. tandem recepto calore vitali, vt regiam
17 sedem regemque vidit, territus surgit. quem intuens Alexander, *etquid intelligis miles*, inquit, *quanto meliore sorte, quam Persæ sub rege viuatis? Illis enim in sella regis conse-*
18 *disse capitale foret; tibi saluti fuit.* Postero die conuocatis amicis copiarumque ducibus, pronunciari iussit *ipsum omnia, quæ amissa essent, redditurum.* & promisso fides
19 exstitit. nam Syſimithres multa iumenta, & camelorum duo millia adduxit, pecoraque & armenta: quæ distributa pariter
20 militem & damno & fame liberauerunt. Rex *gratiam sibi relatam à Syſimithre* præfatus, *sex dierum cocta cibaria fer-* 5,4,17.

Satrapetis; mox Cohortani ditionem, cuius filiam statim inter epulas, Macedonico ritu, matrimonio sibi iungit.

re milites iussit, Sacas petens. Totam hanc regionem depopulatus, XXX millia pecorum ex præda Sysimithri dono dat. Inde peruenit in regionem, cui *Cohortanus* satrapes 21
nobilis præerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius quam *vt duo ex tribus*
3, 2, 33. *filiis secum militarent*, exegit. Satrapes etiam cum, qui 22
8, 1, 11. penes ipsum relinquebatur, tradit. Barbara opulentia conuiuium, quo regem accipiebat, instruxerat. id quum multa 23
5, 1, 37. comitate celebraret, *introduci XXX nobiles virgines* iussit. Inter quas erat filia ipsius *Roxane* nomine, eximia corporis specie & decore habitus in barbaris raro. Quæ quamquam 24
inter electas processerat, omnium tamen oculos conuertit in se; maxime regis, *MINVS* iam cupiditatibus suis imperan-
3, 12, 20. 4, 14, 20. 10, 1, 40. tis inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est. Itaque ille, qui vxorem Darii, qui duas fi- 25
10, 3, 11. lias virgines, quibus forma præter Roxanem comparari nulla poterat, haud alio animo, quam parentis adspexerat; tunc in amorem virgunculæ, si regiæ stirpi comparetur
10, 3, 12. ignobilis, ita effusus est, vt diceret *ad stabiliendum regnum pertinere, Persas & Macedones connubio iungi: hoc vno modo & pudorem victis; & superbiam victoribus detrahi*
4, 6, 29. *posse. Achillem quoque, à quo genus ipse deduceret, cum* 26
captiua coisse: Ne inferri nefas arbitraretur, ita matrimonij iure velle iungi. Insperato gaudio lætus pater sermo- 27
nem eius excepit: & rex medio cupiditatis ardore iussit *adferri* patrio more *panem*. hoc erat apud Macedones sanctissimum coeuntium pignus; quem diuisum gladio, vterque libabat. Credo eos, qui gentis mores condiderunt, parco 28
& parabili victu ostendere voluisse iungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. Hoc modo rex Asiæ & Euro- 29
5, 1, 37. pæ introductam inter conuiuales ludos matrimonio sibi adiunxit, è captiua geniturus, qui victoribus imperaret. Pu- 30
debat amicos super vinum & epulas socerum ex deditis esse

electum:

De bello Indico agitans, arma militum auro argentoque exornat. Cælestes honores ambit, suffragantibus adulatoribus. Quorum Cleon quidam

electum: sed post Cliti cædem libertate sublata, vultu, qui
maxime fernit, adsentiebantur. 5, 10, 13.

Ceterum * Indiam, & inde Oceanum petiturus, ne CAP. V.
quid * à tergo, quod destinata impedire posset, moueretur; *8, 2, 27.
ex omnibus prouinciis XXX millia iuniorum legi iussit, *& ad* *3, 1, 19. 6, 3, 8.
2 *se armata perduci:* obsides simul habiturus, & milites. Cra 10, 3, 10.
terum autem ad persequendos Haustanem & Catenem, qui
ab ipso defecerant, misit: quorum Haustanes captus est; Ca-
tenes in prælio occisus. Polypercon quoque regionem,
3 quæ *Bubacene* adpellatur, in ditionem redegit. Itaque o-
mnibus compositis cogitationes in bellum Indicum vertit.
Dives regio habebatur non auro modo, sed gemmis quo-
que margaritisque, ad luxum magis quam ad magnificenti- 3, 3, 14.
4 am exculta. *Clypei militares auro & ebore fulgere* dice-
bantur: itaque necubi vinceretur, cum ceteris præstaret; scu- 8, 8, 16.
tis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas 3, 13, 10.
quoque alias auro, alias argento adornauit. CXX millia 3, 12, 2. 8,
armatorum erant, quæ regem ad id bellum sequebantur. 13, 7.
5 Iamque omnibus præparatis, quod olim praua mente con-
ceperat, tunc esse maturum, *quonam modo cœlestes honores*
vsurparet, cepit agitare. *Iouis filium* non dici tantum se,
sed etiam credi volebat, tamquam perinde * animis impe- 4, 7, 8. 7, 10,
6 rare posset, ac linguis. Itaque more Persarum Macedonas, 14. 10, 5, 33.
venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. *5, 6, 13.
Non deerat talia concupiscenti pernicioſa adulatio, perpe- 3, 12, 17. 6, 6, 3.
tuum malum REGVM, quorum opes sæpius assentatio, 3, 2, 10.
7 quam hostis euertit. Nec Macedonum hæc erat culpa, ne-
mo enim illorum quidquam ex patrio more labare susti-
nuit; sed Græcorum, qui professionem honestarum artium
8 malis corruperant moribus. Agis quidam Argiuus pessi-
morum carminum post Chœrilum conditor, & ex Sicilia
Cleo: hic quidem non ingenii solum, sed etiam nationis
vitio adulator; & cetera vrbium suarum purgamenta, quæ 10, 2, 7.

in solenni conuiuio, ex composito dixerit, debere regem diuinis honoribus coli. Quem grauis oratione retundit

propinquis etiam maximorumque exercituum ducibus à rege præferebantur. Hi tum cœlum illi aperiebant, *Herculemque & Patrem Liberum, & cum Polluce Castorem nouo numini cessuros esse* iactabant. Igitur festo die *omni opulentia conuiuium exornari* iubet; cui non Macedones modo & Græci principes amicorum, sed etiam nobiles adhiberentur. Cum quibus quum discubuisset rex, paulisper epulatus conuiuio egreditur. Cleo sicut præparauerat, sermonem *cum admiratione laudum eius instituit. merita* deinde percensuit, *quibus vno modo referri gratia posset, si quem intelligerent deum esse, confiterentur, exigua thuris impensa tanta beneficia pensaturi. Persas quidem non pie solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere: maiestatem enim imperij salutis esse tutelam. Nec Herculem quidem & Patrem Liberum prius dicatos deos, quam vicissent secum viuentium inuidiam. tantundem quoque posteros credere quantum præsens ætas spopondisset. Quod si ceteri dubitent; semetipsum, quum rex inisset conuiuium, prostraturum humi corpus. debere idem facere ceteros, & inprimis sapientia præditos. ab illis enim cultus in regem esse prodendum exemplum.* Haud perplexe in Callisthenem dirigebatur oratio. grauitas viri & prompta libertas inuisa erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur. is tum silentio facto vnum illum intuentibus ceteris; *Si rex*, inquit, *sermoni tuo adfuisset; nullius profecto vox responsuri tibi desideraretur: ipse enim peteret, ne in peregrinos ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicissime gestis inuidiam tali adulatione contraheres. Sed quoniam abest, ego tibi pro illo respondeo: NVLLVM esse eumdem & diuturnum & præcoquem fructum; cœlestesque honores non dare te regi, sed auferre. Interuallo enim opus est, vt credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem*

10, 5, 11. 5, 1, 20. 3, 12, 17. 5, 12, 16. 1 2 3, 12, 17. 1 3 1 4 1 5 1 6

precor

precor regi, vt vita diuturna sit, & æterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, numquam comitatur diuinitas. Herculem modo & Patrem Liberum consecratæ immortalitatis exempla referebas. Credisne illos vnius conuiuij decreto deos factos? prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in cœlum fama perueheret. Scilicet ego & tu Cleo deos facimus! à nobis diuinitatis suæ auctoritatem accepturus est rex! potentiam tuam experiri libet. fac aliquem regem, si deum potes facere: facilius est imperium dare, quam cœlum. Dij propitij sine inuidia, quæ Cleo dixit, audierint, eodemque cursu, quo fluxere res, ire patiantur. nostris moribus velint nos esse contentos. Non pudet patriæ, nec desidero, ad quem modum rex mihi colendus sit, discere. quos equidem VICTORES esse confiteor, si ab illis leges quis vivamus, accipimus. Æquis auribus Callisthenes veluti vindex publicæ libertatis audiebatur. expresserat non adsensionem modo, sed etiam vocem, seniorum præcipue, quibus grauis erat inueterati moris externa mutatio. Nec quidquam eorum, quæ inuicem iactata erant, rex ignorabat; quum post aduleam, quæ lectos obduxerat, staret. Igitur ad Agin & Cleonem misit, *vt sermone finito barbaros tantum quum intrasset, procumbere suo more paterentur:* & paulo post quasi potiora quædam egisset, conuiuium repetit. Quem venerantibus Persis; Polypercon, qui cubabat super regem, vnum ex iis mento contingentem humum per ludibrium cepit hortari, *vt vehementius id quateret ad terram*; elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaque rex, *Tu autem*, inquit, *non veneraberis me? An tibi vni digni videmur esse ludibrio?* Ille *nec regem ludibrio; nec se contemptu dignum esse* respondit. Tum detractum eum lecto rex præcipitat in terram. & quum is pronus corruisset; *Vides ne*, inquit, *idem te feciisse, quod in alio paulo ante ridebas?* Et *tradi eo in*

1 7 4, 11, 19. 8, 1, 23. 6, 6, 6. 3, 12, 17. 3, 12, 19. 4, 2, 5. 8, 1, 43.

graüiter exasperat. Principum Macedonum liberi apud regem educati Hermolao & Sostrato auctoribus, in Alexandri necem coniurant.

custodiam iusso conuiuium soluit. Polyperconti quidem postea castigato diu, ignouit;

CAP. VI. IN Callisthenem olim contumaciæ suspectum peruicacioris iræ fuit. cuius explendæ matura obuenit occasio.
6,8,3.
5,1,42. 10. 5,8. 10,8,3. Mos erat, vt supra dictum est, principibus Macedonum adul- 2
tos liberos regibus tradere, ad munia haud multum seruilibus ministeriis abhorrentia. Excubabant seruatis noctium 3
7,1,14. vicibus proximi foribus ædis, in qua rex adquiescebat. per hos pellices introducebantur alio aditu, quam quem armati obsidebant. Iidem acceptos ab agasonibus equos quum 4
rex adscensurus esset, admouebant; comitabanturque & venantem, & in prœliis: omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quod licebat 5
5,2,22. sedentibus vesci cum rege. castigandi verberibus eos nullius
8,8,3. potestas præter ipsum erat. Hæc cohors velut seminarium 6
ducum præfectorumque apud Macedonas fuit. hinc habuere posteri reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt. Igitur Hermolaus puer nobilis ex regia 7
8,1,14. cohorte, quum aprum telo occupasset, quem rex ferire destinauerat; iussu eius verberibus adfectus est. quam ignominiam ægre ferens, deflere apud Sostratum cepit. Ex ea- 8
6,7,2. dem cohorte erat Sostratus, amore eius ardens. Qui quum laceratum corpus, in quo deperibat, intueretur, forsitan olim ob aliam quoque caussam regi infestus; iuuenem sua sponte iam motum, data fide acceptaque perpulit, vt occidendi regem consilium secum iniret. Nec puerili impe- 9
tu rem exsequuti sunt: quippe solerter legerunt, quos in societatem sceleris adsciscerent; Nicostratum, Antipatrum Asclepiodorumque, & Philotam placuit adsumi. per hos adiecti sunt Anticles, Elaptonius, & Epimenes. Ceterum 10
agendæ rei haud sane facilis patebat via. opus erat eadem omnes coniuratos nocte excubare, ne ab expertibus consilii impedirentur; forte autē alius alia nocte excubabat. Itaq; in 11
per-

ad consilium diu tectum ex ipsa nocte, quæ simul excubias agebant exsequuturi, non sine numine impediuntur. Mox Epimenes

permutandis stationum vicibus; ceteroque apparatu exse-
12 quendæ rei triginta & duo dies absumpti sunt. Aderat nox, qua coniurati excubare debebant, mutua fide læti; cuius documentum tot dies fuerant. neminem metus spesve mutauerat: tanta omnibus vel in regem ira; vel fides inter
13 ipsos fuit. Stabant igitur ad fores ædis eius, in qua rex vescebatur; vt conuiuio egressum in cubiculum deducerent.
14 Sed fortuna ipsius, simulque epulantium comitas prouexit omnes ad largius vinum; iudi etiam conuiuales extraxere 5,1,37.
tempus: nunc lætis coniuratis, *quod sopitum adgressuri essent*; nunc solicitis, *ne in lucem conuiuium extraheretur.*
15 quippe alios in stationem oportebat prima luce succedere; ipsorum post VII dies reditura vice. nec sperare poterant in
16 illud tempus omnibus duraturam fidem. Ceterum quum iam lux adpeteret, & conuiuium soluitur, & coniurati exceperunt regem, læti occasionem exsequendi sceleris admotam; quum mulier adtonitæ, vt creditum est, mentis, conuersari in regia solita, quia instinctu videbatur futura prædicere; non occurrit modo abeunti, sed etiam semet obiecit: vultuque & oculis motum præferens animi, *vt rediret in* 5,11,8.
17 *conuiuium* monuit; & ille per ludum, *bene deos suadere* respondit; reuocatisque amicis in horam diei ferme secun-
18 dam conuiuii tempus extraxit. Iam alii ex cohorte in stationem successerant, ante cubiculi fores excubaturi; adhuc tamen coniurati stabant vice officii sui expleta: adeo pertinax spes est, quam humanæ mentes, quam ingentes con-
19 cupiscentiæ deuouerunt. Rex benignius quam alias adloquutus, *discedere eos ad curanda corpora, quoniam tota nocte perstitissent*, iubet. Data sunt singulis quinquaginta sestertia; conlaudatisque, *quod etiam alias tradita vice, tamen*
20 *excubare perseuerassent.* Illi tanta spe destituti domos abeunt: & ceteri quidem exspectabant stationis suæ noctem: Epimenes, siue comitate regis, qua ipsum inter coniuratos

exce-

ex conscio rem fratri prodit; ille mox ad regem defert: innexo etiam Callisthene, quem rex statim cum coniuratis comprehendi vincirique iubet.

exceperat, repente mutatus; siue quia ceptis deos obstare credebat; fratri suo Eurylocho, quem antea expertem esse consilii voluerat, quid pararetur, aperit. Omnibus Philo- 21
tæ supplicium in oculis erat. Itaque protinus inijcit fratri manum, & in regiam peruenit: excitatisque custodibus corporis *ad salutem regis pertinere, quæ adferret*, adfirmat. Et tempus, quo venerant; & vultus haud sane securi animi 22
7, 7, 9. index; & mœstitia è duobus alterius, Ptolemæum, ac Leonnatum excubantes ad cubiculi limen excitauerunt. Itaque apertis foribus, & lumine inlato sopitum mero ac somno excitant regem. Ille paulatim mente conlecta, *quid adferrent*, interrogat. Nec contatus Eurylochus, *non ex toto* 23
domum suam auersari deos dixit, *quia frater ipsius quamquam impium facinus ausus foret; tamen & pœnitentiam eius ageret; & per se potissimum profiteretur indicium. in eam ipsam noctem, quæ decederet, insidias comparatas fuisse: auctores scelesti consilij esse, quos minime crederet rex.* Tum Epimenes cuncta ordine, conscioruмque nomina ex- 24
8, 8, 21. ponit. Callisthenem non vt participem facinoris nominatum esse constabat; sed *solitum puerorum sermonibus vituperantium criminantiumque regem faciles aures præbere.* Quidam adijciunt, *quum Hermolaus apud eum quoque ver-* 25
8, 8, 19. *beratum se à rege quereretur, dixisse Callisthenem: meminisse debere eos iam viros esse. idque an ad consolandam patientiam verberum; an ad incitandum iuuenum dolorem dictum esset, in ambiguo fuisse.* Rex animi corporisque so- 26
pore discusso, quum tanti periculi, quod euaserat, imago oculis oberraret; Eurylochum L talentis & cuiusdam Tyridatis opulenti bonis donat protinus; fratremque, antequam pro salute eius precaretur, restituit. Sceleris autem aucto- 27
res, interque eos Callisthenem *vinctos adseruari* iubet: quibus in regiam adductis, toto die & nocte proxima, mero ac vigiliis grauis, adquieuit. Postero autem frequens consi- 28
lium

Hermolaus falsa dicendi copia asperrime in regem inuehitur. ei obstrepunt cuncti in consilio: sed rege iubente,

lium adhibuit, cui patres propinquique eorum, de quibus agebatur, intererant; ne de sua quidem salute securi: quippe Macedonum more perire debebant, omnium deuotis ca-
29 pitibus, qui sanguine contigissent eos. Rex *introduci con-* 6, 11, 28.
iuratos præter Callisthenem iussit: atque quæ agitauerant, si- 8, 8, 19.
30 ne cunctatione confessi sunt. Increpantibus deinde vniuersis eos; ipse rex, *quo suo merito tantum in semet cogitassent facinus?* interrogat.

Stupentibus ceteris, Hermolaus: *Nos vero,* inquit, CAP. VII.
quoniam, quasi nescias, quæris; occidendi te consilium iniuimus, quia non vt ingenuis imperare cepisti, sed quasi in
2 *mancipia dominaris.* Primus ex omnibus pater ipsius So- 8, 7, 7.
polis *parricidam etiam parentis sui* clamitans esse, consurgit; & ad os manu obiecta, *scelere & malis insanientem vl-*
3 *tra* negat *audiendum.* Rex inhibito patre *dicere Hermo-* 8, 8, 2.
laum iubet, *quæ ex magistro didicisset Callisthene*; & Hermolaus; *Vtor,* inquit, *beneficio tuo, & dico quæ nostris ma-*
4 *lis didici. Quota pars Macedonum sæuitiæ tuæ superest? quotusquisque non è vilissimo sanguine? Attalus & Philotas, & Parmenio, & Lynceste Alexander, & Clitus, quantum ad hostes pertinet, viuunt, stant in acie, te clypeis suis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria vulnera accipi-*
5 *unt: quibus tu egregiam gratiam retulisti. Alius mensam tuam sanguine suo adsperfit: alius ne simplici quidem morte defunctus est. duces exercituum tuorum in equuleum impositi, Persis quos vicerant, fuere spectaculo. Par-* 7, 1, 3.
6 *menio indicta causa trucidatus est, per quem Attalum occi-*
deras. Inuicem enim miserorum vteris manibus ad expe-
7 *tenda supplicia: & quos paulo ante ministros cædis habuisti, subito ab aliis iubes trucidari.* Obstrepunt subinde cun- 8, 7, 2.
cti Hermolao. pater supremum strinxerat ferrum percussu- 6, 9, 31.
rus haud dubie, ni inhibitus esset à rege: quippe Hermolaum *dicere* iussit, petiitque *vt caussas supplicij augentem*

Hermolaus inceptum sermonem exsequitur. Deinde rex

patienter audirent. Ægre ergo coercitis, rursus Hermo- 8
laus: *quam liberaliter*, inquit, *pueris rudibus ad dicendum agere permittis! at Callisthenis vox carcere inclusa est, quia*
8,8,19. *solus potest dicere. Cur enim non producitur, quum etiam* 9
confessi audiuntur? nempe quia LIBERAM vocem innocentis audire metuis, ac ne vultum quidem pateris. Atqui 10
nihil eum fecisse contendo. sunt hic, qui mecum rem pulcherrimam cogitauerunt: nemo est, qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat. quum morti olim destinatus sit à iustissimo & patientissimo rege. Hæc ergo sunt Macedonum præ- 11
mia, quorum vt superuacuo & sordido abuteris sanguine! At
5,6,9. *tibi XXX millia mulorum captiuum aurum vehunt, quum*
8,8,9. 9. *milites nihil domum præter gratuitas cicatrices relaturi sint.*
3,11. *Quæ tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barba-* 12
ris dederes, & nouo more victores sub iugum mitteres. Persarum te vestis & disciplina delectat: patrios mores exosus
8,8,10. *es. Persarum ergo non Macedonum regem occidere voluimus; & te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedo-* 13
nas voluisti genua tibi ponere, venerarique te vt deum: Tu Philippum patrem auersaris, & siquis deorum ante Iouem
3,8,14. *haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homi-* 14
4,7,31. *nes superbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex te; quibus aut insontibus moriendum est; aut quod TRISTIVS morte est, in seruitute viuendum? Tu quidem, si* 15
emendari potes, multum mihi debes. ex me enim scire cepi-
6, 11, 20. *sti, quod ingenui homines ferre non possunt. De cetero par-*
3,7,16. *ce, quorum orbam senectutem suppliciis ne oneraueris. nos iube duci, vt quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra.* Hæc Hermolaus.

CAP. IIX. AT rex: *Quam falsa sint*, inquit, *quæ iste tradita à*
8,7,3. *magistro suo dixit; patientia mea ostendet. Confessum enim* 2
vltimum facinus, tamen vt vos quoque, non solum ipse, audiretis, expressi; non imprudens, quum permisissem huic latroni

troni dicere, vsurum eum rabie, qua compulsus est, vt me,
3 *quem parentis loco colere debet, vellet occidere. Nuper*
quum procacius se in venatione gessisset; more patrio, & ab
antiquissimis Macedoniæ regibus vsurpato, eum castigari ius- 8,6,5.
si. Hoc & oportet fieri, & vt à tutoribus pupilli, à maritis vxores, seruis quoque pueros huius ætatis verberare con-
4 *cedimus. Hæc est sæuitia in ipsum mea, quam impia cæde*
voluit vlcisci. Nam in ceteros, qui mihi permittunt vti
ingenio meo, quam mitis sim, non ignoratis; & commemo-
5 *rare superuacuum est. Hermolao parricidarum supplicia*
non probari, quum eadem ipse meruerit, minime hercule
admiror. nam quum Parmenionem & Philotam laudat, suæ
6 *seruit causæ. Lyncesten vero Alexandrum bis insidiatum*
capiti meo à duobus indicibus liberaui: rursus conuictum,
per biennium tamen distuli: donec vos postularetis, vt tan- 7,1,6.
7 *dem debito supplicio scelus lueret. Attalum, ante quam* 6,9,18.
rex essem, hostem meo capiti fuisse meministis. Clitus vtinam non coegisset me sibi irasci. cuius temerariam linguam
probra dicentem mihi & vobis diutius tuli, quam ille eadem
8 *me dicentem tulisset. REGVM ducumque clementia, non in*
ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia: vbi vero reuerentia
excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est, vt
9 *vim repellamus. Sed quid ego mirer istum crudelitatem*
mihi obiecisse; qui auaritiam exprobrare ausus sit? Nolo sin- 8,7,11.
gulos vestrum excitare, ne inuisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro grauem fecero. Totum exercitum adspicite: qui paulo ante nihil præter arma habebat; nunc
argenteis cubat lectis: mensas auro onerant; greges seruo-
10 *rum ducunt: spolia de hostibus sustinere non possunt. At*
enim Persæ, quos vicimus, in magno honore sunt apud me! 8,7,12.
Equidem moderationis meæ certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbe impero. Veni enim in Asiam, non

vt funditus euerterem gentes; nec vt dimidiam partem
terrarum solitudinem facerem; sed VT ILLOS quoque, quos
bello subegissem, victoriæ meæ non pæniteret. Itaque mi- 11
9, 2, 33. *litant vobiscum, pro imperio vestro sanguinem fundunt, qui*
7, 8, 28. *superbe habiti rebellassent. NON EST diuturna possessio,*
in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia sempiter-
na est. Si habere Asiam, non transire volumus; cum his 12
communicanda est nostra clementia: horum fides stabile &
æternum faciet imperium. Et sane plus habemus, quam
capimus. insatiabilis autem auaritiæ est, adhuc implere vel-
8, 7, 12. *le, quod iam circumfluit. Verumtamen eorum mores in* 13
Macedonas transfundo! In multis enim gentibus esse video,
quæ non erubescamus imitari: NEC ALITER tantum im-
perium apte regi potest, quam vt quædam & tradamus illis;
& ab ijsdem discamus. Illud pene dignum risu fuit, quod 14
8, 7, 13. *Hermolaus postulabat à me, vt auersarer Iouem cuius oracu-*
lo adgnoscor. An etiam quid dij respondeant, in mea po-
testate est? Obtulit nomen filij mihi: recipere ipsis rebus, 15
quas agimus, haud alienum fuit. Vtinam Indi quoque de-
3, 8, 7. 5. 13, 14. *um esse me credant. FAMA enim bella constant; & sæpe*
etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinuit. An 16
me luxuriæ indulgentem putatis arma vestra auro argento-
que adornasse? Adsuetus nihil vilius hac videre materia,
volui ostendere, Macedonas inuictos ceteris nec auro qui-
3, 5, 4. *dem vinci. Oculos ergo primum eorum sordida omnia &* 17
humilia spectantium capiam; & docebo nos non auri aut
argenti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venisse.
Quam gloriam tu parricida intercipere voluisti, & Mace-
8, 7, 16. *donas rege adempto deuictis gentibus dedere. At nunc mo-* 18
nes me, vt vestris parentibus parcam! Non oportebat qui-
dem vos scire, quid de his statuissem, quo tristiores perire-
6, 11, 20. *tis, siqua vobis parentum memoria & cura est: sed olim*
*istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos paren-*tesque

rentesque solui & profiteor in eodem honore futuros omnes
19 *eos, in quo fuerunt. Nam tuum Callisthenem, cui vni vir*
videris, quia latro es; scio, cur produci velis: vt coram his 8, 6, 25.
probra, quæ modo in me jeciſti, modo audisti, illius quoque
ore referantur. Quem si Macedo esset, tecum introduxis-
sem; dignissimum te discipulo magistrum: nunc Olynthio 8, 6, 28.
20 *non idem iuris est.* Post hæc consilium dimisit, *tradique*
damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erant, iussit.
Illi vt fidem suam sæuitia regi adprobarent, excruciatos ne-
21 cauerunt. Callisthenes quoque tortus interiit: initi con- 8, 6, 24.
silii in caput regis innoxius; sed haudquaquam aulæ & ad-
22 sentantium accommodatus ingenio. Itaque nullius cædes
maiorem apud Græcos Alexandro excitauit inuidiam, quod
præditum optimis moribus artibusque, à quo reuocatus ad
vitam erat, quum interfecto Clyto mori perseueraret; non
tantum occiderit, sed etiam torserit indicta quidem causſa. 3, 2, 19. 8, 2, 2.
23 quam crudelitatem sera pœnitentia consequuta est.

Sed ne otium serendis rumoribus natum aleret, in In- Cap. IX.
2 dia mouit; semper bello quam post victoriam clarior. In- 5, 2, 2. 6, 2, 15. 6, 6, 12.
dia tota ferme spectat Orientem, minus in latitudinem, 6, 2, 1.
3 quam recta regione spatiosa. Quæ Austrum accipiunt,
in altius terræ fastigium excedunt; plana sunt cetera, multis-
que inclitis amnibus Caucaso monte ortis placidum per
4 campos iter præbent. Indus gelidior est quam ceteri. aquas
5 vehit à colore maris haud multum abhorrentes. Ganges
amnis ab ortu eximius ad Meridianam regionem decurrit,
6 & magnorum montium iuga recto alueo stringit. Inde eum
obiectæ rupes inclinant ad Orientem. Vtque rubro mari
accipitur, findens ripas, multas arbores cum magna soli
7 parte exsorbet. saxis quoque impeditus, crebro reuerbera-
tur. vbi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur.
8 Acesines eum auget. Ganges decursurum in mare intercipit: magnoque motu amnis vterque conliditur. quippe Ganges asperum os influenti objicit; nec repercussæ aquæ

 cedunt.

cedunt. Dyardenes minus celeber auditu est, quia per vl- 9
tima Indiæ currit : ceterum non crocodilos modo vti
Nilus, sed etiam delphines ignotasque aliis gentibus
belluas alit. Erymanthus crebris flexibus subinde curua- 10
tus, ab accolis rigantibus carpitur. ea causa est, cur te-
nues reliquias iam sine nomine in mare emittat. Mul- 11
tis præter hos amnibus tota regio diuiditur, sed ignobili-
bus, quia non adeo interfluunt. Ceterum quæ pro- 12
piora sunt mari, aquilones maxime deurunt : ii cohibi-
ti iugis montium ad interiora non penetrant, ita alendis fru-
gibus mitia. Sed adeo in illa plaga mundus statas tempo- 13
rum vices mutat, vt quum alia feruore solis exæstuant, Indi-
am niues obruant : rursusque vbi cetera rigent, illic intole-
randus æstus exsistat. nec cur, vlli se naturæ causa ingessit.
10, 1, 13. Mare certe quo alluitur, ne colore quidem abhorret à ce- 14
teris. ab Erythra Rege inditum est nomen : propter quod
ignari rubere aquas credunt. Terra lini ferax; inde pleris- 15
que sunt vestes. Libri arborum teneri, haud secus quam
chartæ literarum notas capiunt. Aues ad imitandum hu- 16
manæ vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata cete-
9, 1, 5. ris gentibus, nisi inuecta. Eadem terra & rhinocerotas alit, 17
non generat. Elephantorum maior est vis, quam quos in
Africa domitant; & viribus magnitudo respondet. Au- 18
rum flumina vehunt, quæ leni modicoque lapsu segnes
aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus in- 19
fundit. neque alia illis maior opulentiæ causa est : vtique
postquam vitiorum commercium vulgauere in exteras gen-
tes, quippe æstimantur purgamenta æstuantis freti precio,
quod libido constituit. Ingenia hominum sicut vbique, 20
7, 3, 6. 9, apud illos locorum quoque situs format. Corpora vsque 21
10, 9. pedes carbaso velant : soleis pedes, capita linteis vinciunt.
9, 1, 30. lapilli ex auribus pendent; brachia quoque & lacertos au-
ro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes
emi-

22 eminent. Capillum pectunt sæpius, quam tondent. men-
tum semper intonsum est : reliquam oris cutem ad speciem
23 læuitatis exæquant. Regum tamen luxuria, quam ipsi ma-
gnificentiam adpellant, supra omnium gentium vitia.
Quum rex sane in publico conspici patitur, thuribula argen-
tea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinauit,
24 odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpen-
dentibus recubat : distincta sunt auro & purpura carbasa, 9, 7, 12. 9,
quæ indutus est : lecticam sequuntur armati corporisque 8, 1,
25 custodes : inter quos ramis aues pendent, quas cantu seriis
26 rebus obstrepere docuerunt. Regia auratas columnas ha-
bet : totas eas vitis auro cælata percurrit, auiumque quarum
visu maxime gaudent, argenteæ effigies opera distingunt.
27 Regia adeuntibus patet, quum capillum pectit atque ornat;
tunc responsa legationibus, tunc iura popularibus reddit.
28 Demptis soleis, odoribus inlinuntur pedes. Venatus ma-
ximus labor est, inclusa vitario animalia inter vota cantus- 8, 1, 11.
que pellicum figere. Binum cubitorum sagittæ sunt, quas 9, 5, 9.
emittunt, maiore nixu quam effectu : quippe telum, cuius
29 in leuitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. Bre- 8, 13, 6. 8,
uiora itinera equo conficit : longior vbi expeditio est, ele- 14, 19.
phanti vehunt currum; & tantarum belluarum corpora to-
ta contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, le-
cticis aureis pellicum longus ordo sequitur: separatum à re-
30 ginæ ordine agmen est, æquatque luxuria. Feminæ epu-
las parant. ab iisdem vinum ministratur, cuius omnibus
Indis largus est vsus. Regem mero somnoque sopitum in
cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium inuo-
31 cantes deos. Quis credat inter hæc vitia curam esse sapien-
tiæ? Vnum agreste & horridum genus est, quos sapientes
32 vocant. apud hos occupare fati diem pulchrum; & *viuos*
se cremari iubent, quibus aut segnis ætas, aut incommoda
valitudo est : exspectatam mortem pro dedecore vitæ ha-
bent.

bent. nec vllus corporibus, quæ senectus soluit, honos red-
ditur: inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Il- 33
li, qui in vrbibus publicis moribus degunt, siderum motus
scite spectare dicuntur, & futura prædicere. nec quemquam
5,9,6. admouere leti diem credunt, cui exspectare interrito liceat.
Deos putant quidquid colere ceperunt; arbores maxime, 34
quas violare capitale est. Menses in quinos denos descri- 35
pserunt dies. anni plena spatia seruant. Lunæ cursu no- 36
tant tempora, non vt plerique quum orbem sidus imple-
uit; sed quum se curuare cepit in cornua. Et idcirco bre-
uiores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunæ
modum dirigunt. Multa & alia traduntur, quibus mora- 37
ri ordinem rerum, haud sane operæ videbatur.

CAP. X. IGitur Alexandro fines Indiæ ingresso gentium suarum
reguli occurrerunt, imperata facturi; *illum tertium Ioue geni-*
tum ad ipsos peruenisse memorantes; *Patrem Liberum at-*
que Herculem fama cognitos esse: ipsum coram adesse cer-
nique. Rex benigne exceptos *sequi* iussit; iisdem itine- 2
rum ducibus vsurus. Ceterum quum amplius nemo oc-
curreret; Hephæstionem & Perdiccam cum copiarum parte
præmisit ad subigendos, qui auersarentur imperium: iussit-
8,12,4. que *ad flumen Indum procedere, & nauigia facere, quis in*
vlteriora transportari posset exercitus. Illi quia plura flu- 3
mina superanda erant, sic iunxere naues; vt solutæ plaustris
vehi possent, rursusque coniungi. *Post se Cratero cum pha-* 4
lange iusso *sequi*, equitatum ac leuem armaturam eduxit;
eosque, qui occurrerant, leui prœlio in vrbem proximam
compulit. Iam superuenerat Craterus. itaque vt principio 5
terrorem incuteret genti nondum arma Macedonum ex-
pertæ; præcipit *ne cui parceretur*, munimentis vrbis quam
obsidebat, incensis. Ceterum dum obequitabat mœni- 6
bus, sagitta ictus est. Cepit tamen oppidum, & omnibus
7,5,33. incolis eius trucidatis etiam in tecta sæuitum est. Inde do- 7
mita

mita ignobili gente, ad Nysam vrbem peruenit. Forte ca-
stris ante mœnia ipsa in syluestri loco positis, nocturnum
frigus vehementius quam alias horrore corpora adfecit, op- 8
portunumque remedium ignis oblatum est. Cæsis quippe
syluis flammam excitauerunt: quæ igni alita oppidanorum
sepulchra comprehendit. vetusta cedro facta erant, conce- 5,7,5.
ptumque ignem late fudere; donec omnia solo æquata
9 sunt. Et ex vrbe primum canum latratus, deinde etiam
hominum fremitus auditus est. Tum & oppidani hostem;
10 & Macedones ipsos ad vrbem venisse cognoscunt. Iamque
Rex eduxerat copias, & mœnia obsidebat; quum hostium,
qui discrimen tentauerant, obruti telis sunt. Aliis ergo de-
ditionem; aliis pugnam experiri placebat; quorum dubita-
tione comperta *circumsideri tantum eos, & abstineri cædi-*
11 *bus* iussit. tandemque obsidionis malis fatigati dedidere se.
A Libero Patre conditos se esse dicebant; & vera hæc ori-
12 go erat. Sita est sub radicibus montis, quem *Meron* inco-
læ adpellant. inde Græci mentiendi traxere licentiam, *Iouis*
13 *femine Liberum Patrem esse celatum.* Rex situ montis co-
gnito ex incolis, cum toto exercitu, præmissis commeatibus,
verticem eius adscendit. Multa hedera vitisque toto gi-
14 gnitur monte; multæ perennes aquæ manant. Pomorum
quoque varii salubresque succi sunt, sua sponte fortuitorum
seminum fruges humo nutriente. Lauri baccæque & mul-
15 ta in illis rupibus agrestris est sylua. Credo equidem non
diuino instinctu, sed lasciuia esse prouectos, vt passim hederæ
ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto ne-
16 more similes Bacchantibus vagarentur. Vocibus ergo tot
millium, præsidem nemoris eius deum adorantium, iuga
montis collesque resonabant; quum orta licentia à paucis,
17 vt fere fit, in omnes se repente vulgasset. Quippe velut
in media pace, per herbas congestamque frondem prostra-
uerant corpora. Et Rex fortuitam licentiam non auersa-

tus, large ad epulas omnibus præbitis, per decem dies Libero Patri operatum habuit exercitum. Quis neget eximiam 18
quoque gloriam sæpius fortunæ, quam virtutis esse beneficium? quippe ne epulantes quidem, & sopitos mero adgredi ausus est hostis, haud secus Bacchantium vlulantiumque
7,9,13. fremitu perterritus, quam si prœliantium clamor esset auditus. Eadem felicitas ab Oceano reuertentes temulentos
9,10,27. comessantesque inter ora hostium texit. Hinc ad regio- 19
nem, quæ *Dædala* vocatur, peruentum est. Deseruerant
9,6,4. incolæ sedes, & in auios sylnestresque montes confugerant. Ergo Acadera transit, æque usta & destituta incolentium fuga. Itaque rationem belli necessitas mutauit. diuisis enim 20
copiis pluribus simul locis arma ostendit; oppressique, & qui exspectauerant hostem, omni clade perdomiti sunt. Pto- 21
lemæus plurimas vrbes; Alexander maximas cepit: rursusque, quas distribuerat, copias iunxit. Superato deinde Cho- 22
aspe amne Cœnon in obsidione vrbis opulentæ, Beziram incolæ vocant, reliquit. ipse ad Mazagas venit. Nuper Assacano, cuius regnum fuerat, demortuo; regioni vrbique præerat mater eius Cleophes. Triginta millia peditum tue- 23
bantur vrbem, non situ solum, sed etiam opere munitam. Nam qua spectat Orientem, cingitur amne torrenti, qui præruptis vtrimque ripis aditum ad vrbem impedit. ad Oc- 24
cidentem, & à Meridie velut de industria rupes præaltas admolita natura est, infra quas cauernæ & voragines longa vetustate in altum cauatæ iacent: quaque desinunt, fossa ingentis operis obiecta est. XXXV stadia murus vrbem com- 25
plectitur, cuius inferiora saxo, superiora crudo latere sunt structa. Lateri vinculum lapides sunt, quos interposuere, vt duriori materiæ fragilis incumberet, simulque terra humore diluta. Ne tamen vniuersa conspiceret: impositæ erant 26
trabes validæ, quibus iniecta tabulata muros & tegebant, & peruios fecerant. Hæc munimenta contemplantem Alex- 27
andrum

andrum, consiliique incertum, quia nec cauernas nisi aggere poterat implere, nec tormenta aliter muris admo-
28 uere; quidam è muro sagitta percussit. Tum forte in suram incidit telum: cuius spiculo euulso *admoueri equum* iussit; quo vectus ne obligato quidem vulnere, haud
29 segnius destinata exsequebatur. Ceterum quum crus saucium penderet, & cruore siccato frigescens vulnus adgraua- 4, 15, 17.
ret dolorem, dixisse fertur; *se quidem Iouis filium dici, sed*
30 *corporis ægri vitia sentire.* Non tamen ante se recepit in castra, quam cuncta prospexit, & quæ fieri vellet, edixit. Ergo sicut imperatum erat, alii extra vrbem tecta demoliebantur, ingentemque vim materiæ faciendo aggeri detrahebant: alii magnarum arborum stipites cumulis ac moles
31 saxorum in cauernas dejiciebant. Iamque agger æquauerat summæ fastigium terræ; itaque turres erigebantur quæ opera ingenti militum ardore intra nonum diem absoluta sunt. Ad ea visenda rex nondum obducta vulneri cicatrice processit; laudatisque militibus *admoueri machinas* iussit: è qui-
32 bus ingens vis telorum in propugnatores effusa est. Præcipue rudes talium operum terrebant mobiles turres, tantasque moles nulla ope quæ cerneretur adductas, deorum numine agi credebant. *pila quoque muralia, & excussas tormentis prægraues hastas* negabant *conuenire mortalibus.*
33 Itaque desperata vrbis tutela concessere in arcem. Inde, quia nihil obsessis præter deditionem placebat, legati ad regem
34 descenderunt veniam petituri. Qua impetrata, regina cum magno nobilium feminarum grege aureis pateris vina li-
35 bantium processit. Ipsa genibus regis paruo filio admoto, non veniam modo, sed etiam pristinæ fortunæ impetrauit decus. quippe adpellata *regina* est; & credidere quidam,
36 *plus formæ, quam miserationi datum.* Puero quoque certe postea ex ea vtcumque genito, *Alexandro* fuit nomen.

Hinc Polypercon ad vrbem Oram cum exercitu mis- CAP. XI.
sus inconditos oppidanos prœlio vicit: intra munimenta

Alexander Aornon petiam, ab Hercule frustra quondam obsessam, oppugnare adgressus, triginta promptissimis iuuenibus præmisso, ipse in rupem

compulsos sequutus vrbem in ditionem redegit. Multa 2
ignobilia oppida deserta à suis venere in regis potestatem.
Quorum incolæ armati petram *Aornon* nomine occupauerunt. Hanc *ab Hercule frustra obsessam esse : terræque motu coactum absistere* fama vulgauerat. Inopem consilii Alex- 3
andrum, quia vndique præceps & abrupta rupes erat; senior quidam peritus locorum cum duobus filiis adiit, *si precium operi esset, aditum se monstraturum esse* promittens. *LXXX talenta* constituit *daturum* Alexander; & altero ex 4
7, 2, 18. iuuenibus obside retento, ipsum ad exsequenda, quæ obtu-
8, 11, 25. lerat, dimisit. Leuiter armatis dux datus est Mullinus scriba regis. Hos enim circumitu, qui fallerent hostem in 5
summum iugum placebat euadere. Petra non vt pleræque modicis ac mollibus cliuis in sublime fastigium crescit; 6
sed in metæ maxime modum erecta est: cuius ima spatiosiora sunt, altiora in arctius coeunt, summa in acutum cacumen exsurgunt. Radices eius Indus amnis subit, prælatus 7
vtrimque asperis ripis: ab altera parte voragines eluuiesque præruptæ sunt. Nec alia expugnandi patebat via, quam vt
replerentur. Ad manum sylua erat, quam rex *ita cædi* ius- 8
5, 5, 20. sit, *vt nudi stipites iacerentur:* quippe rami fronde vestiti
8, 11, 11. impedissent ferentes. Ipse primus truncam arborem iecit;
9, 2, 30. 9 clamorque exercitus index alacritatis sequutus est, nullo de-
4, 23. trectante munus, quod rex occupasset. Intra septimum diem cauernas expleuerant; quum rex sagittarios & Agrianos 9
iubet per ardua niti. iuuenesque promptissimos ex sua co-
8, 11, 14 horte XXX delegit. Duces his dati sunt Charus & Alexan- 10
der; quem rex *nominis, quod sibi cum eo commune esset,* admonuit. Ac primo, quia tam manifestum periculum erat; ipsum regem discrimen subire non placuit: sed vt signum 11
tuba datum est; vir audaciæ promptæ conuersus ad corporis custodes *sequi se* iubet, primusque inuadit in rupem.
4, 14, 6. 8, 11, 6. 8, 14, 17. Nec deinde quisquam Macedonum substitit: relictisque sta-

tioni-

euadit: vbi post asperrimam pugnam, signum receptui dare coactus est. Ceterum abire parantem, Indorum desperatio

tionibus sua sponte regem sequebantur. Multorum mise- 12
rabilis fuit casus, quos ex prærupta rupe lapsos amnis præterfluens hausit; triste spectaculum etiam non periclitantibus: quum vero alieno exitio, quid ipsis timendum foret, admo- 7, 11, 16.
nerentur; in metum misericordia versa, non exstinctos, sed 4, 16, 12. 9, 10, 15.
semetipsos deflebant. Et iam eo peruentum erat, vnde si- 13
ne pernicie nisi victores redire non possent; ingentia saxa in subeuntes prouoluentibus barbaris, qui perculsi instabili
& lubrico gradu præcipites recidebant. Euaserant tamen 14
Alexander & Charus, quos cum XXX delectis præmiserat 8, 11, 9.
rex, & iam pugnare comminus ceperant: sed quum superne tela barbari ingererent, sæpius ipsi feriebantur, quam vul-
nerabant. Ergo Alexander & nominis sui, & promissi me- 15
mor; dum acrius quam cautius dimicat, confossus vndique obruitur. Quem vt Charus iacentem conspexit, ruere 16
in hostem omnium præter vltionem immemor cepit; mul- 7, 7, 37.
tosque hasta, quosdam gladio interemit. Sed quum tot vnum incesserent manus, super amici corpus procubuit ex-
animis. Haud secus quam par erat, promptissimorum iu- 17
uenum ceterorumque militum interitu commotus rex signum receptui dedit. Saluti fuit, quod sensim & intrepidi 18
se receperunt; & barbari hostem depulisse contenti, non in-
stitere cedentibus. Ceterum Alexander quum statuisset de- 19
sistere incepto (quippe nulla spes potiundæ petræ offerebatur) tamen speciem ostendit in obsidione perseuerantis. Nam *& itinera obsideri* iussit; *& turres admoueri; & fa-*
tigatis alios succedere. Cuius pertinacia cognita, Indi per 20
biduum quidem ac duas noctes, cum ostentatione non fiduciæ modo, sed etiam victoriæ epulati sunt; tympana suo 4, 4, 5.
more pulsantes. tertia vero nocte tympanorum quidem 21 8, 14, 10.
strepitus desierat audiri: ceterum ex tota petra faces refulgebant; quas accenderant barbari, vt tutior esset ipsis fuga, ob-
scura nocte per inuia saxa cursuris. Rex Balacro, qui specu- 22

laretur, præmisso, cognoscit *petram fuga Indorum esse desertam.* tum dato signo, vt vniuersi conclamarent, incomposite fugientibus metum incussit. multique, tamquam ad- 23
esset hostis, per lubrica saxa, perque inuias cotes præcipitati
4, 16, 12. 5, occiderunt: plures aliqua membrorum parte mulctati, ab
6, 15. 9, 10, integris deserti sunt. Rex locorum magis quam hostium 24
15. victor, tamen magnæ victoriæ sacrificiis & cultu diis satisfecit.
8, 2, 32. Aræ in Petra locatæ sunt Mineruæ Victoriæque. Duci-
8, 11, 5. bus itineris, quos subire iusserat leuiter armatos, etsi promissis minora præstiterant, præcium cum fide redditum est. Petræ regionisque ei adiunctæ Sisocosto tutela permissa.

CAP. XII. Inde processit Ecbolima: & quum *angustias itineris obsideri XX millibus armatorum ab Eryce quodam* comperisset; grauius agmen exercitus Cœno ducendum modicis itineribus tradidit. ipse prægressus cum funditore ac sagitta- 2
rio, deturbatis, qui obsederant saltum, sequentibus se copiis viam fecit. Indi siue odio ducis, siue gratiam victoris 3
regis inituri, Erycem fugientem adorti interemerunt, caputque eius atque arma ad Alexandrum detulerunt. Ille facto
8, 3, 14. impunitatem dedit; honorem denegauit exemplo. Hinc 4
ad flumen Indum sextisdecumis castris peruenit, omniaque,
8, 10, 2. vt præceperat, ad trajiciendum præparata ab Hephæstione reperit. Regnabat in ea regione Omphis, qui patri quoque fuerat auctor dedendi regnum Alexandro. Et post 5
mortem parentis legatos miserat, qui consulerent eum, *regnare se interim vellet; an priuatū opperiri eius aduentum.*
8, 12, 14. permissoque vt regnaret, non tamen ius datum vsurpare sus- 6
tinuit. Is benigne quidem exceperat Hephæstionem, gra-
8, 12, 15. tuitum frumentum copiis eius admensus: non tamen ei occurrerat, ne fidem vllius nisi regis experiretur. Itaque 7
venienti obuiam cum armato exercitu egressus est: elephanti quoque per modica interualla militum agmini immixti procul castellorum fecerant speciem. Ac primo Alex- 8
8, 14, 13. 9, 2, 15. ander

ander non socium, sed hostem aduentare credebat. Iamque & ipse *arma milites capere, & equites discedere in cornua* iusserat, paratos ad pugnam. at Indus cognito Macedonum errore, iussis subsistere ceteris, ipse concitat equum, 9
quo vehebatur: idem Alexander quoque fecit, siue hostis, siue amicus occurreret, vel sua virtute, vel illius fide tutus. Coiuere, quod ex vtriusque vultu posset intelligi, amicis animis: ceterum sine interprete non poterat conseri sermo. itaque adhibito eo, barbarus *occurrisse se* dixit *cum exercitu, totas imperij vires protinus traditurum; nec exspectasse* 10
dum per nuncios daretur fides. Corpus suum & regnum permittere illi, quem sciret gloriæ militantem, nihil magis 7, 9, 18.
quam famam timere perfidiæ. Lætus simplicitate barbari Rex, & dextram fidei suæ pignus dedit; & regnum restituit. 6, 4, 14.
11 LVI elephanti erant, quos tradidit Alexandro, multaque pecora eximiæ magnitudinis: tauros ad III millia, preciosum in ea regione, acceptumque animis regnantium armen-
12 tum. Quærenti Alexandro *plures agricultores haberet an milites? cum duobus regibus bellanti sibi maiore militum*
13 *quam agrestium manu opus esse* respondit. Abisares & Porus erant; sed in Poro eminebat auctoritas. vterque vltra Hydaspen amnem regnabat; & belli fortunam, quisquis ar-
14 ma inferret, experiri decreuerat. Omphis permittente Alexandro, & regium insigne sumpsit, & more gentis suæ no- 8, 12, 5.
men quod patris fuerat. *Taxilen* adpellauere populares,
15 sequente nomine imperium in quemcumque transiret. Ergo cum per triduum hospitaliter Alexandrum accepisset, quarto die, & *quantum frumenti copiis, quas Hephæstion duxerat, præbitum à se esset* ostendit; & aureas coronas ipsi 8, 12, 6.
amicisque omnibus, præter hæc signati argenti LXXX talen- 10, 1, 24.
16 ta dono dedit. qua benignitate eius Alexander mire lætus, & quæ is dederat, remisit; & mille talenta ex præda, quam vehebat, adiecit: multaque conuiualia ex auro & argento vasa,

vasa, plurimum Persicæ vestis, XXX equos ex suis, cum iisdem insignibus, quis adsueuerant, quum ipsum vehèrent. Quæ liberalitas, sicut barbarum obstrinxerat; ita amicos 17
ipsius vehementer offendit. E quibus Meleager super cœnam largiore vino vsus *gratulari se Alexandro* dixit, *quod saltem in India reperisset dignum talentis mille.* Rex haud 18
oblitus quam ægre tulisset, quod Clitum ob linguæ temeritatem occidisset, iram quidem tenuit, sed dixit; *inuidos hominesnihil aliud, quam ipsorum esse tormenta.*

CA. XIII. Postero die legati Abisaræ adiere regem. *omnia ditioni*
9,1,7. *eius*, ita vt mandatum erat, *permittebant:* firmataque inuicem fide remittuntur ad regem. Porum quoque nominis 2
8,8,15. sui fama ratus ad deditionem posse compelli; misit ad eum Cleocharem, qui denunciaret ei, *vt stipendium penderet, & in primo finium suorum aditu occurreret regi.* Porus *alterum ex his facturum sese* respondit; *vt intranti regnum suum præsto esset, sed armatus.* Iam Hydaspen Alexander 3
superare decreuerat; quum Barzentes defectionis Arachosiis auctor vinctus, trigintaque elephanti simul capti perducuntur, opportunum aduersus Indos auxilium: quippe plus in belluis, quam in exercitu spei ac virium illis erat. Gama- 4
xusque rex exiguæ partis Indorum, qui Barzenti se coniunxerat, vinctus adductus est. Igitur transfuga & regulo in 5
custodiam, elephantis autem Taxili traditis, ad amnem Hydaspen peruenit: in cuius vlteriore ripa Porus consederat, transitu prohibiturus hostem. LXXXV elephantos obiece- 6
rat eximio corporum robore; vltraque eos currus CCC & peditum XXX fere millia, in quis erant sagittarii, sicuti ante
8,9,28. dictum est, grauioribus telis, quam vt apte excuti possent.
8,5,4. Ipsum vehebat elephantus super ceteras belluas eminens; ar- 7
8,14,13. maque auro & argento distincta corpus raræ magnitudinis honestabant. par animus robori corporis; & quanta inter
7,4,13. rudes poterat esse sapientia. Macedonas non conspectus 8
hostium

hostium solum; sed etiam fluminis, quod transeundum erat, magnitudo terrebat. quatuor in latitudinem stadia diffusum, profundo alueo, & nusquam vada aperiente, speciem vasti
9 maris fecerat. Nec pro spatio aquarum late stagnantium 9,2,17.
impetum coercebat; sed quasi in arctum coeuntibus ripis, 9,4,9. & 10.
torrens, & elisus ferebatur: occultaque saxa inesse ostende-
10 bant pluribus locis vndæ repercussæ. Terribilior erat faciès ripæ, quam equi virique compleuerant. Stabant ingentes vastorum corporum moles, & de industria inritatæ hor-
11 rendo stridore auras fatigabant. Hinc hostis, hinc amnis capacia quidem bonæ spei pectora, & sæpe se experta, improuiso tamen pauore percusserant. quippe instabiles rates, nec dirigi ad ripam nec tuto adplicari posse credebant.
12 Erant in medio amne insulæ crebræ, in quas & Indi, & Macedones nantes leuatis super capita armis transibant. Ibi leuia prœlia conserebant; & vterque rex paruæ rei discrimi-
13 ne, summæ experiebatur euentum. Ceterum in Macedonum exercitu temeritate atque audacia insignes fuere Symmachus & Nicanor, nobiles iuuenes, & perpetua partium
14 felicitate ad spernendum omne periculum accensi. quis du- 7,7,28.
cibus promptissimi iuuenum lanceis modo armati transnauere in insulam, quam frequens hostis tenebat; multosque Indorum, nulla re magis quam audacia armati, interemè-
15 runt. Abire cum gloria poterant, si vnquam temeritas felix inueniret modum: sed dum superuenientes contemptim 6,3,11.
& superbe quoque exspectant, circumuenti ab iis, qui occul-
16 ti enatauerant, eminus obruti telis sunt. Qui effugerant hostem, aut impetu amnis ablati sunt; aut vorticibus impliciti. eaque pugna multum fiduciam Pori erexit cuncta cer-
17 nentis è ripa. Alexander inops consilii tandem ad fallendum hostem talem dolum intendit. Erat insula in flumine amplior ceteris, syluestris eadem & tegendis insidiis apta. fossa quoque prærlta haud procul ripa, quam tenebat ipse,

distractis varia arte hostium copiis, fauente etiam tempestate, aduersam ripam

non pedites modo, sed etiam cum equis viros poterat abs-
condere. Igitur vt à custodia huius opportunitatis oculos 18
4, 6, 9. hostium auerteret; Ptolemæum *cum omnibus turmis obequitare* iussit *procul ab insula, & subinde Indos clamore terrere quasi flumen transnaturus foret.* Per complures dies 19
Ptolemæus id fecit; eoque consilio Porum quoque agmen
suum ei parti, quam se petere simulabat, coëgit aduertere.
Iam extra conspectum hostis insula erat: Alexander *in di-* 20
uersa parte ripæ statui suum tabernaculum iussit, *adsuetamque comitari ipsum cohortem ante id tabernaculum stare; & omnem adparatum regiæ magnificentiæ, hostium oculis de industria, ostendi.* Attalum & æqualem sibi, & haud 21
disparem habitu oris & corporis, vtique cum procul viseretur; veste regia exornat, præbiturum speciem ipsum regem
illi ripæ præsidere, nec agitare de transitu. Huius consilii 22
effectum primo morata tempestas est, mox adiuuit; incommoda quoque ad bonos euentus vertente fortuna. Tra- 23
jicere amnem cum ceteris copiis in regionem insulæ, de qua
ante dictum est, parabat, auerso hoste in eos, qui cum Pto-
lemæo inferiorem obsederant ripam; quum procella im-
3, 14, 4. brem vix sub tectis tolerabilem effudit. obrutique milites
nimbo in terram refugerunt, nauigiis ratibusque desertis.
sed tumultuantium fremitus, obstrepentibus ripis, ab hoste
non poterat audiri. Deinde momento temporis repressus 24
4, 3, 16. est imber; ceterum adeo spissæ intendere se nubes, vt con-
derent lucem, vixque conloquentium inter ipsos facies no-
scitaretur. Terruisset alium obducta nox cœlo, quum igno- 25
to amne nauigandum esset, forsitan hoste eam ipsam ripam,
quam cæci atque improuidi, & ex periculo gloriam acces-
sentes petebant, occupante. obscuritatem, quæ ceteros ter- 26
rebat, suam occasionem ratus, dato signo, vt omnes silen-
tio adscenderent in rates, *eam qua ipse vehebatur, primam* iussit *expelli.* Vacua erat ab hostibus ripa, quæ petebatur; 27

quippe

tutissimis præsidiis vacuam occupat. Porus Macedonibus obuiam mittit fratrem suum Hagen: qui curribus præcipue Indicis asperam pugnã facit. At illis dissipatis, cum tota copiarũ suarũ mole Porus L. 8. c. 14. n. 1.

quippe adhuc Porus Ptolemæum tantum intuebatur. vna
ergo naui, quam petræ fluctus inliserat, hærente, ceteræ eua-
dunt; *armaque capere milites, & ire in ordines* iussit.

IAmque agmen in cornua diuisum ipse ducebat; CA. XIV.
quum Poro nunciatur *armis virisque ripam obtineri, & rerum adesse discrimen.* Ac primo humani ingenii vitio spei
suæ indulgens, Abisarem belli socium, (& ita conuenerat,)
2 aduentare credebat. Mox liquidiore luce aperiente hostem,
C quadrigas, & III millia equitum venienti agmini Porus
obiecit. Dux erat copiarum, quas præmisit, Hages frater
3 ipsius: summa virium in curribus. senos viros singuli vehe-
bant, duos clypeatos, duos sagittarios ab vtroque latere dis-
positos; ceteri aurigæ erant, haud sane inermes, quippe ia-
cula complura, vbi comminus prœliandum erat, omissis
4 habenis in hostem ingerebant. Ceterum vix vllus vsus hu- 8, 13, 23.
ius auxilii eo die fuit. namque vt supra dictum est, imber
violentius quam alias fusus campos lubricos, & inequitabi-
les fecerat: grauesque, & propemodum immobiles currus
5 inluuie & voraginibus hærebant. Contra Alexander ex-
pedito ac leui agmine strenue inuectus est. Scythæ & Da-
hæ primi omnium inuasere Indos: Perdiccam deinde cum 9, 2, 24.
6 equitibus in dextrum cornu hostium emisit. Iam vndique
pugna se mouerat; quum ii, qui currus agebant, illud vlti-
mum auxilium suorum rati, effusis habenis in medium dis-
7 crimen ruere ceperunt. Anceps id malum vtrisque erat:
nam & Macedonum pedites primo impetu obterebantur;
& per lubrica atque inuia immissi currus excutiebant eos, à
8 quibus regebantur. aliorum turbati equi non in voragines
modo lacunasque, sed etiam in amnem præcipitauere cur-
9 ricula. Pauci tamen hostium tenus exacti penetrauere ad 4, 15, 17.
Porum acerrime pugnam cientem. Is vt dissipatos tota
acie currus vagari sine rectoribus vidit; proximis amicorum
10 distribuit elephantos. post eos posuerat pedites ac sagittarios

eximiæ speciei vir inuehitur: quo conspecto Alexander quid fieri velit pronunciat. Indos elephanti & sagitta

8, 11, 20. tympana pulsare solitos. id pro cantu tubarum Indis erat: nec strepitu eorum mouebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis. Herculis simulachrum agmini peditum 11
præferebatur. id maximum erat bellantibus incitamentum, & deseruisse gestantes militare flagitium habebatur. Capi- 12
tis etiam sanxerant pœnam iis, qui ex acie non retulissent: metu, quem ex illo hoste quondam conceperant, etiam in religionem veneration emque conuerso. Macedonas non belluarum modo, sed etiam ipsius regis adspectus parumper
8, 12, 7. inhibuit. Belluæ dispositæ inter armatos speciem turrium 13
8, 13, 7. procul fecerant. ipse Porus humanæ magnitudinis propemodum excesserat formam. Magnitudini Pori adjicere videbatur bellua qua vehebatur, tantum inter ceteras emi- 14
nens, quanto aliis ipse præstabat. Itaque Alexander contemplatus & regem & agmen Indorum, *tandem*, inquit, *par animo meo periculum video. cum bestiis simul, & cum egregiis viris res est.* Intuensque Cœnon, *quum ego*, in- 15
quit, *Ptolemæo Perdiccaque, & Hephæstione comitatus in læuum hostium cornu impetum fecero, videriscque me in medio ardore certaminis; ipse dextrum moue, & turbatis signa infer. Tu Antigenes, & tu Leonnate, & Tauron inuehimini in mediam aciem & vrgebitis frontem. Hastæ no-* 16
stræ prælongæ & validæ non alias magis quam aduersus belluas rectoresque earum vsui esse poterunt; deturbate eos,
9, 2, 21. *qui vehuntur, & ipsas confodite. Anceps genus auxilij est, & in suos acrius furit. In hostem enim imperio; in*
8, 11, 11. *suos pauore agitur.* Hæc eloquutus concitat equum pri- 17
mus. Iamque, vt destinatum erat, inuaserat ordines hostium; quum Cœnus ingenti vi in læuum cornu inuehitur. phalanx quoque in mediam Indorum aciem vno impetu 18
prorupit. At Porus, qua equitem inuehi senserat, *belluas agi* iussit: sed tardum & pene immobile animal equorum velocitatem æquare non poterat. ne sagittarum quidem 19
vllus

destituunt; illi tamen Porus per summam prouidentiam & virtutem cum damno Macedonum vtitur.

vllus erat barbaris vsus. quippe longæ & prægraues nisi prius in terra statuerent arcum, haud satis apte & commode imponunt. Tum humo lubrica, & ob id impediente co- 8, 9, 28.
natum, molientes ictus, celeritate hostium occupabantur.
20 Ergo spreto regis imperio quod fere fit, (vbi turbatis acrius 5, 10, 14.
metus, quam dux imperare cepit) totidem erant imperato-
21 res, quot agmina errabant. alius *iungere aciem*; alius *diui-* 9, 9, 14.
dere: *stare* quidam; & nonnulli *circumuehi terga hostium*
22 iubebant. nihil in medium consulebatur. Porus tamen 9, 1, 21.
cum paucis, quibus metu potior fuerat pudor, conligere dispersos, obuius hosti ire pergit, *elephantosque ante agmen*
23 *suorum agi* iubet. Magnum belluæ iniecere terrorem, insolitusque stridor non equos modo tam pauidum ad omnia animal; sed viros quoque ordinesque turbauerat.
24 Iam fugæ circumspiciebant locum paulo ante victores; quum Alexander Agrianos & Thracas leuiter armatos, meliorem concursatione quam comminus militem, emisit in
25 belluas. Ingentem ii vim telorum iniecere & elephantis, & regentibus eos. phalanx quoque instare constanter terri-
26 tis cepit. Sed quidam auidius persequuti belluas in semet inritauere vulneribus. obtriti ergo pedibus earum, ceteris,
27 vt parcius instarent, fuere documentum. Præcipue terribilis illa facies erat, quum manu arma viroque conriperent,
28 & super se regentibus traderent. Anceps ergo pugna nunc sequentium, nunc fugientium elephantos, in multum diei varium certamen extraxit: donec securibus, [id namque genus auxilii præparatum erat] pedes amputare ceperunt.
29 *Copidas* vocant gladios leuiter curuatos falcibus similes. quis adpetebant belluarum manus. nec quidquam inexpertum non mortis modo, sed etiam in ipsa morte noui supplicii
30 timor omittebat. Ergo elephanti vulneribus tandem fatigati suos impetu sternunt. & qui rexerant eos præcipitati in 9, 2, 19.
terram, ab ipsis obterebantur. Itaque pecorum modo ma-

gis pauidi, quam infesti, vltra aciem exigebantur; quum
Porus destitutus à pluribus, tela multo ante præparata in 31
circumfusos ex elephanto suo cepit ingerere, multisque
eminus vulneratis, expositus ipse ad ictus vndique petebatur. Nouem iam vulnera hinc tergo, illinc pectore exce- 32
perat, multoque sanguine profuso languidis manibus magis
elapsa, quam excussa tela mittebat. Nec segnius bellua in- 33
stincta rabie, nondum saucia inuehebatur ordinibus; donec
rector belluæ regem conspexit fluentibus membris omissisque armis vix compotem mentis. Tum belluam in fugam 34
concitat sequente Alexandro: sed equus eius multis vulne-
9, 3, 24. ribus confossus deficiensque procubuit, posito magis rege,
quam effuso. itaque dum equum mutat, tardius insequutus
est. Interim frater Taxilis regis Indorum præmissus ab Alex- 35
andro, monere cepit Porum *ne vltima experiri perseueraret, dederetque se victori.* At ille quamquam exhaustæ 36
erant vires, deficiebatque sanguis; tamen ad notam vocem
excitatus: *agnosco*, inquit, *Taxilis fratrem imperij regnique sui proditorem:* & telum, quod vnum forte non effluxerat, contorsit in eum, quod per medium pectus penetrauit ad tergum. Hoc vltimo virtutis opere edito fugere 37
acrius cepit: Sed elephantus quoque, qui multa exceperat
tela, deficiebat. itaque sistit fugam, peditemque sequenti
hosti obiecit. Iam Alexander consequutus erat, & perti- 38
nacia Pori cognita, vetabat *resistentibus parci.* Ergo vndique & in pedites, & in ipsum Porum tela congesta sunt:
quis tandem grauatus labi ex bellua cepit. Indus qui ele- 39
phantum regebat, descendere eum ratus, more solito elephantum *procumbere* iussit *in genua*; qui vt se submisit, ceteri quoque, ita enim instituti erant, demisere corpora in
terram. ea res & Porum, & ceteros victoribus tradidit. Rex 40
spoliari corpus Pori, interemptum esse credens, iussit, & qui
detraherent loricam vestemque, concurrere; quum bellua
domi-

dominum tueri, & spoliantes cepit adpetere, leuatumque
corpus eius rursus dorso suo imponere. Ergo telis vndique obruitur, confossoque eo in vehiculum Porus imponi- 41
tur. Quem rex vt vidit adleuantem oculos, non odio, sed
miseratione commotus, *quæ malum*, inquit, *amentia te coëgit rerum mearum cognita fama, belli fortunam experiri;* 5, 3, 15. 7, 9, 18, 9, 1, 23.
quum Taxiles esset in deditos clementiæ meæ tam propin- 42
quum tibi exemplum? At ille *quoniam*, inquit, *percontaris, respondebo ea libertate, quam interrogando fecisti. Neminem me fortiorem esse censebam. meas enim noueram vires, nondum expertus tuas: fortiorem esse te, belli docuit euentus. Sed ne sic quidem parum felix sum, secundus ti-* 43
bi. Rursus interrogatus *quid ipse victorem statuere debere* censeret; *quod hic*, inquit, *dies tibi suadet: quo expertus es,* 44
quam caduca felicitas esset. Plus monendo profecit, quam
si precatus esset. quippe magnitudinem animi eius interritam, ac ne fortuna quidem infractam non misericordia 45
modo, sed etiam honore excipere dignatus est. ægrum curauit haud secus, quam si pro ipso pugnasset: confirmatum
contra spem omnium in amicorum numerum recepit: 46
mox donauit ampliore regno, quam tenuit. Nec sane quidquam ingenium eius solidius, aut constantius habuit, quam 4, 6, 26.
admirationem veræ laudis & gloriæ: simplicius tamen famam æstimabat in hoste, quam in ciue. quippe à suis 6, 1, 18.
credebat magnitudinem suam destrui posse: eamdem clariorem fore, quo maiores fuissent, quos ipse vicisset.

FRAG-

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI

DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER NONVS.

ALEXANDER tam memorabili victoria lætus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis cæsis; milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione laudatos docuit, *quidquid Indis virium fuisset, illa dimicatione prostratum. ceteram opimam prædam fore, celebrataque opes in ea regione eminere, quam peterent. proinde tam vilia & obsoleta esse spolia de Persis: gemmis margaritisque, & auro atque ebore Macedoniam Græciamque, non suas tantum domos repleturum.* Auidi milites & pecuniæ & gloriæ; simul quia nunquam adfirmatio eius fefellerat eos, pollicentur operam: dimissisque cum bona spe, *nauigia ædificari* iubet, *vt quum totam Asiam percurrissent, finem terrarum mare inuiseret.* Multa materia naualis in proximis montibus erat; quam * cædere adgressi magnitudinis inusitatæ reperere serpentes. Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant. ceterum hoc nomen belluis eis inditum à Græcis: sermonis eius ignari aliud lingua sua vsurpant. Rex duabus vrbibus conditis in vtraque fluminis, quod superauerat, ripa; copiarum duces coronis & mille aureis singulos donat: ceteris quoque pro portione, aut

5, 6, 13. 2 9, 2, 26. 9, 3. 13. 9, 4, 19. 9, 6, 20. 3 9, 9, 1. 4. * 9, 3, 21. 8, 9, 17. 4 9, 3, 24. 5 6

aut gradus, quem in militia obtinebant; aut nauatæ operæ, honos habitus est. Abisares, qui prius quam cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum misérat; rursus alios misit, pollicentes *omnia facturum quæ imperasset, modo ne cogeretur corpus suum dedere; neque enim aut sine regio imperio victurum: aut regnaturum esse captiuum.* Cui Alexander *nunciari* iussit; *si grauaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum.* Hinc Poro amneque superato ad interiora Indiæ processit. Syluæ erant prope in immensum spatium diffusæ, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbrosæ. plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum, rursus, qua se curuauerant, erigebantur adeo, vt species esset non rami resurgentis; sed arboris ex sua radice generatæ. Cœli temperies salubris: quippe & vim solis vmbræ leuant; & aquæ largæ manant è fontibus. Ceterum hic quoque serpentium magna vis erat, squamis fulgorem auri reddentibus. virus haud vllum magis noxium est: quippe morsum præsens mors sequebatur; donec ab incolis remedium oblatum est. Hinc per deserta ventum est ad flumen Hydraoten. iunctum erat flumini nemus, opacum arboribus alibi inusitatis, agrestiumque pauonum multitudine frequens. Castris inde motis oppidum haud procul positum corona capit; obsidibusque acceptis stipendium imponit. Ad magnam deinde, vt in ea regione, vrbem peruenit, non muro solum, sed etiam paludе munitam. Ceterum barbari vehiculis inter se iunctis dimicaturi occurrerunt: aliis tela; aliis hastæ; aliis secures erant: transiliebantque in vehicula strenuo saltu, quum succurrere laborantibus suis vellent. Ac primo insolitum genus pugnæ Macedonas terruit, quum eminus vulnerarentur: deinde spreto tam incondito auxilio, ab vtroque latere vehiculis circumfusi repugnantes fodere ceperunt. Et *vincula, quis conserta erant,* iussit *incidi, quo facilius singula*

7 8, 13, 1. 8 5, 8, 13. 9 4, 5, 6. 10 6, 5, 14. 11 12 13 14 15 16 17

quædam oppida vi, alia clementia fama subigit. Deinde peruenit in regnum Sophitu. cuius gentis mores

gula circumuenirentur. itaque VIII millibus suorum amissis in oppidum refugerunt. Postero die scalis vndique ad- 18
motis muri occupantur : paucis pernicitas saluti fuit. qui cognito vrbis excidio paludem transnauere, & in vicina oppida ingentem intulere terrorem ; *inuictum exercitum, &*
9, 8, 5. *deorum profecto aduenisse* memorantes. Alexander ad va- 19
standam eam regionem Perdicca cum expedita manu misso ; partem copiarum Eumeni tradit, vt is quoque barbaros ad deditionem compelleret: ipse ceteros ad vrbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolæ, duxit. Op- 20
pidani missis, qui regem deprecarentur, nihilominus bellum parabant. quippe orta seditio in diuersa consilia diduxerat vulgum : alii omnia deditione potiora ; quidam nul-
3, 14, 21. lam opem in ipsis esse ducebant. Sed dum nihil in com- 21
mune consulitur, qui deditioni imminebant, apertis portis hostem recipiunt. Alexander quamquam belli auctori- 22
bus iure poterat irasci ; tamen omnibus venia data, & obsidibus acceptis, ad proximam deinde vrbem castra mouit. Obsides ducebantur ante agmen. quos quum è muris ad- 23
gnouissent, vtpote gentis eiusdem, in colloquium conuoca-
5, 1, 18. 7, uerunt. Illi *clementiam regis, simulque vim* commemo-
6, 17. 8, 14, rando, ad deditionem eos compulere : ceteraque vrbes si-
41. mili modo deditas in fidem accepit. Hinc in regnum So- 24
phitis peruentum est. Gens, vt barbari, sapientia excellit, bonisque moribus regitur. Genitos liberos non paren- 25
tum arbitrio tollunt aluntque ; sed eorum quibus spectandi infantium habitum cura mandata est. Si quos insignes aut aliqua membrorum parte inutiles notauerunt, necari iubent. Nuptiis coeunt, non genere ac nobilitate coniun- 26
6, 5, 29. ctis, sed electa corporum specie ; quia eadem æstimatur in liberis. Huius gentis oppidum, cui Alexander admouerat 27
copias, ab ipso Sophite obtinebatur. clausæ erant portæ, sed nulli in muris turribusque se armati ostendebant : dubitabant-

exponuntur. Sophites vir magnitudine cultuq; insigni, se deditum eaque, quæ haberat imperanda, quam vitæ cupidiores, dono dat regi. Ille ad Phegelam pergit, exq; eo ulteriora

tabantque Macedones, deseruissentne vrbem incolæ, an
28 fraude se occulerent : quum subito patefacta porta, rex In- 8, 13, 4.
dus cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes
29 barbaros eminens corporis specie. Vestis erat auro purpuraque distincta, quæ etiam crura velabat : aureis soleis inseruerat gemmas : lacerti quoque & brachia margaritis orna-
30 ta erant : Pendebant ex auribus insignes candore & magni- 8, 9, 21.
tudine lapilli. Baculum aureum berylli distinguebant ; quo tradito precatus, *vt sospes acciperet*, se liberosque & gentem
31 suam dedidit. Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt, *latratu abstinere* dicuntur *quum videre feram*, leoni- 7, 4, 15.
32 bus maxime infesti. Horum vim vt ostenderet Alexandro, in conspectu leonem eximiæ magnitudinis iussit emitti, & IV omnino admoueri canes, qui celeriter occupauerunt feram ; quum ex iis qui adsueuerant talibus ministeriis, vnus, canis leoni cum aliis inhærentis crus auellere ; & quia non
33 sequebatur, ferro amputare cepit : nec sic quidem pertinacia victa, rursus aliam partem secare instituit ; & inde non segnius inhærentem ferro subinde cædebat. Ille in vulnere feræ dentes moribundus quoque infixerat. *tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam*
34 memoriæ proditum est. Equidem plura transcribo, quam credo : nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito ; nec 7, 8, 11.
35 subducere quæ accepi. Relicto igitur Sophite in suo regno, ad fluuium Hypasin processit, Hephæstione, qui di-
36 uersam regionem subegerat, coniuncto. Phegelas erat gentis proximæ rex, qui popularibus suis *colere agros vt adsueuerant*, iussis, Alexandro cum donis occurrit ; nihil quod imperaret detrectans.

Biduum apud eum substitit rex : tertio die amnem su- CAP. II.
perare decreuerat, transitu difficilem, non spatio solum
2 aquarum, sed etiam saxis impeditum. Percontatus igitur Phegelam, quæ noscenda erant, *XI dierum vltra flumen per*

cognoscit: vim nimirum & potentiam Indorum Gangem adcolentium, qua audito de Macedonibus suis dubitat, an porro se sequuturi forent. Ideoq; animos eorum erigere tentat:

vastas solitudines iter esse cognoscit: excipere deinde Gangem, maximum totius Indiæ fluminum: vlteriorem ripam colere gentes Gangaridas & Pharrasios; eorumque regem esse Aggrammen, XX millibus equitum, ducentisque peditum obsidentem vias. ad hæc quadrigarum duo millia trahere; & præcipuum terrorem elephantos, quos trium millium numerum explere dicebat. Incredibilia regi omnia videbantur. igitur Porum (nam cum eo erat) percontatur, an vera essent, quæ dicerentur? Ille vires quidem gentis & regni haud falso iactari adfirmat; ceterum qui regnaret, non modo ignobilem esse, sed etiam vltimæ sortis: quippe patrem eius tonsorem vix diurno quæstu propulsantem famem propter habitum haud indecorum, cordi fuisse reginæ. ab ea in propiorem eius, qui tum regnasset, amicitiæ locum admotum, interfecto eo per insidias, sub specie tutelæ liberum eius inuasisse regnum; necatisque pueris hunc, qui nunc regnat, generasse, inuisum vilemque popularibus, magis paternæ fortunæ, quam suæ memorem. Adfirmatio Pori multiplicem animo regis iniecerat curam. hostem belluasque spernebat: situm locorum, & vim fluminum extimescebat: relegatos in vltimum pene rerum humanarum persequi terminum, & eruere arduum videbatur. Rursus auaritia gloriæ & insatiabilis cupido famæ nihil inuium, nihil remotum videri sinebat. & interdum dubitabat; an Macedones tot emensi spatia terrarum, in acie & in castris senes facti, per obiecta flumina, per tot naturæ obstantes difficultates sequuturi essent? abundantes onustosque præda, magis parta frui velle, quam adquirenda fatigari. Non idem sibi & militibus animi esse: se totius orbis imperium mente complexum, adhuc in operum suorum primordio stare: militem labore defatigatum, proximum quemque fructum finito tandem periculo expetere. Vicit ergo cupido rationem, & ad concionem vocatis militibus, ad hunc maxime modum differuit. Non ignoro milites,

9, 4, 8. 3 7, 11, 10. 9, 2, 26. 3, 9.

adlóquio, & extenuatione periculorum. ea enim plerumque falsa esse: & si maxime vera forent;

milites, multa, quæ terrere vos possent, ab incolis Indiæ per hos dies de industria esse iactata: sed non est improuisa vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciæ fauces, sic Mesopotamiæ campos, Tigrim & Euphratem, quorum alterum vado transiimus, alterum ponte; terribilem fecerant Persæ. NVNQVAM ad liquidum fama perducitur: omnia illa tradente maiora sunt vero. nostra quoque gloria, quum sit ex solido; plus tamen habet nominis, quam operis. Modo quis belluas offerentes mœnium speciem; quis Hydaspen amnem; quis cetera auditu maiora quam vero, sustinere posse credebat? Olim hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulæ debellare potuissent. Creditisne elephantorum greges maiores esse, quam vsquam armentorum sunt: quum & rarum sit animal; nec facile capiatur; multoque difficilius mitigetur. Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numerauit. nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat; quippe angustis ripis coercita, & in angustiorem alueum elisa torrentes aquas inuehunt: contra spatio aluei segnior currus est. Præterea in ripa omne periculum est, vbi adplicantes nauigia hostis exspectat. Ita quantumcumque flumen interuenit, idem futurum discrimen est euadentium in terram. Sed omnia ista vera esse fingamus. vtrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elephantos, præsens habemus exemplum: in suos vehementius, quam in nos incurrerunt, tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia? quum vno aut altero vulneratis ceteros in fugam declinare videamus. inde paucos quoque incommode regunt: congregata vero tot millia ipsa se elidunt, vbi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contempsi, vt quum haberem, ipse non opposuerim; satis gnarus plus suis, quam hostibus periculi inferre.

13 3, 4, 11. 14 4, 10, 8. 15 8, 2, 7. 16 4, 14, 15. 17 8, 13, 9. 18 8, 14, 39. 20 8, 14, 16. 21

ferre. At enim equitum peditumque multitudo vos com- 22
mouet! cum paucis enim pugnare soliti estis, & nunc primum inconditam sustinebitis turbam. Testis aduersus mul- 23
titudinem inuicti Macedonum roboris Granicus amnis; & Cilicia inundata cruore Persarum; & Arbela, cuius campi
deuictorum à nobis ossibus strati sunt. Sero hostium legio- 24
nes numerare cepistis; postquam solitudinem in Asia vincendo feciſtis: quum per Hellespontum nauigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit. nunc nos Scythæ sequuntur;
8, 14, 5. Bactriana auxilia præsto sunt; Dahæ Sogdianique inter nos militant. Nec tamen illi turbæ confido. vestras manus in- 25
tueor; vestram virtutem rerum, quas gesturus sum, vadem prædemque habeo. quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meos nec hostium exercitus numerauero: vos modo animos
9, 2, 11. mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine 26
operum laborumque nostrorum; sed in exitu stamus: peruenimus ad solis ortum & Oceanum, nisi obstat ignauia: inde
9, 1, 3. victores perdomito fine terrarum reuertemur in patriam. Nolite, quod pigri agricolæ faciunt, maturos fructus per
inertiam amittere è manibus. Maiora sunt periculis præ- 27
3, 10, 9. mia; diues eadem, & imbellis est regio. itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad prædam. digni estis, qui opes, quas illud mare litoribus inuehit, referatis in patriam: digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis.
Per vos gloriamque vestram, qua humanum fastigium ex- 28
ceditis; perque & mea in vos, & in me vestra merita, quibus inuicti contendimus, oro quæsoque, ne humanarum re-
3, 5, 8. rum terminos adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. Cetera vobis imperaui; 29
hoc vnum debiturus sum. Et id vos rogo, qui nihil vm-
4, 14, 6. quam vobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim: qui sæpe aciem clypeo meo texi: ne infregeritis in manibus meis
3, 10, 5. 9, 4. palmam, qua Herculem Liberumque patrem, si inuidia abfu-
21. 10, 1, 17. erit,

30 erit, æquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obstina-
tum silentium rumpite. Vbi est ille clamor alacritatis ve- 8, 11, 8.
stræ index? vbi ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos milites, nec agnosci videor à vobis. Surdas iamdudum aures pulso: auersos animos & infractos excita-
31 re conor. Quumque illi in terram demissis capitibus tace-
re perseuerarent; Nescio quid, inquit, imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis! in solitudine mi-
32 hi videor esse. nemo respondet; nemo saltem negat. Quos alloquor? quid autem postulo? vestram gloriam & magnitudinem vindicamus. Vbi sunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contendentium, qui potissimum vulnerati re- 7, 6, 8.
gis corpus exciperent? desertus, destitutus sum, hostibus
33 deditus. Sed solus quoque ire perseuerabo. obiicite me flu- 10, 2, 25.
minibus & belluis & illis gentibus, quarum nomina horretis. inueniam qui desertum à vobis sequantur: Scythæ Ba- 8, 8, 11.
ctrianique erunt mecum; hostes paulo ante, nunc milites 10, 2, 27.
34 nostri. MORI præstat, quam precario imperatorem esse. ite 10, 2, 15.
reduces domos; ite deserto rege ouantes. Ego hic à vobis desperatæ victoriæ, aut honestæ morti locum inueniam.

Ne sic quidem vlli militum vox exprimi potuit. ex- Cap. III.
spectabant vt duces principesque ad regem perferrent, vulneribus & continuo labore militiæ fatigatos non detrecta-
2 re munia, sed sustinere non posse. Ceterum illi metu ad-
troniti in terram ora defixerant. Ergo primo fremitus sua 5, 5, 23.
sponte; deinde gemitus quoque oritur: paulatimque liberius dolor erigi cepit, manantibus lachrimis, adeo vt rex, ira in misericordiam versa, ne ipse quidem, quamquam cu-
3 peret, temperare oculis potuerit. Tandem vniuersa concione effusus flente, Cœnus ausus est contantibus ceteris,
4 propius tribunal accedere; significans se loqui velle. Quem vt videre milites detrahentem galeam capiti (ita enim regem adloqui mos est) hortari ceperunt, vt causam exercitus

Cænus agit. Non eum imperium asseruari; sed exhaustum annis & laboribus indefesso regi animo non sufficere. ergo saltum breuiori itinere

tus ageret. Tum Cœnus: *Dij prohibeant*, inquit, *à nobis impias mentes; & profecto prohibent. Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire quo iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen. Proinde si perseueras, inermes quoque & nudi & exsangues, vtcumque tibi cordi est, sequimur vel antecedimus. Sed si audire vis non fictas tuorum militum voces, verum necessitate vltima expressas; præbe, quæso propitias aures imperium atque auspicium tuum constantissime sequutis, & quocumque pergis sequuturis. Viciſti rex magnitudine rerum non hostes modo, sed etiam milites. quidquid mortalitas* 10,5,36. *capere poterat, impleuimus. emensis maria terrasque melius nobis, quam incolis omnia nota sunt. pene in vltimo mundi fine consistimus. In alium orbem paras ire, & Indiam quæris Indis quoque ignotam: inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris & cubilibus suis expetis, vt plura, quam sol videt, victoria lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo; sed altior nostro. virtus enim tua semper in in-*
9,2,11. *cremento erit; nostra vis in fine iam est. Intuere corpora exsanguia, tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt: iam arma deficiunt. Vestem*
10,2,12. *Persicam induimus, quia domestica subuehi non potest. in externum degenerauimus cultum. Quoto cuique lorica est? quis equum habet? iube quæri quam multos serui ipsorum*
8,7,11. *persequuti sunt; quid cuique supersit ex præda. OMNIVM*
10,2,9. *victores, omnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus,*
9,3,22. *sed bello instrumenta belli consumpsimus. Hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obijcies belluis? quarum vt multitudinem augeant de industria barbari, magnum tamen esse numerum etiam ex mendacio intellego. Quod si adhuc penetrare in Indiam certum est; regio à Meridie minus vasta est. qua subacta licebit decurrere in illud mare, quod*
9,1,3. *rebus humanis terminum voluit esse natura. Cur circumitu petis*

petis gloriam, quæ ad manum posita est? hic quoque occurrit Oceanus. nisi mauis errare, peruenimus, quo tua fortu-
na ducit. Hæc tecum, quam sine te cum his, loqui malui; non vti inirem circumstantis exercitus gratiam; sed vt vocem loquentium potius, quam vt gemitum murmuranti-
um audires. Vt finem orationi Cœnus imposuit, clamor vndique cum ploratu oritur, *regem, patrem, dominum*, confusis appellantium vocibus. Iamque & alii duces, præcipueque seniores, quis ob ætatem & excusatio honestior erat, & auctoritas maior, eadem precabantur. Ille nec castigare obstinatos, nec mitigare poterat iratos. itaque inops consilii desiluit è tribunali, *claudique regiam* iussit, omnib. præter 10,2,30.
adsuetos, adire prohibitis. Biduum iræ datum est; tertio die processit, erigique XII aras ex quadrato saxo, monu- 3,12,27.
mentum expeditionis suæ; *munimenta quoque castrorum* iussit *extendi, cubiliaque amplioris formæ, quam pro corporum habitu relinqui*; vt speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum præparans. Hinc repetens quæ emensus erat, ad flumen Acesinem locat castra. Ibi forte Cœnus morbo exstinctus est. cuius morte ingemuit rex quidem; adiecit tamen, *propter paucos dies longam orationem eum exorsum, tamquam solus Macedoniam visurus esset.* Iam in aqua classis, quam ædificari iusserat, stabat. Inter hæc 9,1,4.
Memnon ex Thracia in supplementum equitum sex millia, præter eos ab Harpalo peditum septem millia adduxerat; armaque XXV millia auro & argento cælata pertulerat, 9,3,11. 9,4,
quis distributis vetera cremari iussit. Mille * nauigiis adi- 18. 9,10,23.
turus Oceanum, discordes & vetera odia retractantes Porum *5,7,2.
& Taxilem Indiæ reges firmata per adfinitatem gratia reliquit in suis regnis; summo in ædificanda classe amborum
studio vsus. Oppida quoque duo condidit, quorum alte- 9,1,6.
rum Nicæam adpellauit, alterum *Bucephalon*, equi, quem 8,14,34.
amiserat, memoriæ ac nomini dedicans vrbem. *Elephan-*

qui per confluentes Hydaſſi & Aceſinis, in Sobios peruenit. deinde in alterius gentis finibus vrbe capta, vi fluminum ibi coëuntium

tis deinde, *& impedimentis terra ſequi* iuſſis, ſecundo amne defluxit; quadraginta ferme ſtadia ſingulis diebus procedens, vt opportunis locis exponi ſubinde copiæ poſſent.

CAP. IV. Peruentum erat in regionem, in qua Hydaſpes amnis Aceſini committitur. Hinc decurrit in fines Sobiorum. 2 hi *de exercitu Herculis maiores ſuos eſſe* commemorant, 5, 2, 16. *ægros relictos eſſe; cepiſſe ſedem, quam ipſi obtinebant.* Pel- 3 les ferarum pro veſte; clauæ pro telo erant: multaque etiam quum Græci mores exoleuiſſent, ſtirpis oſtendebant veſtigia. Hic exſcenſione facta CC & L ſtadia proceſſit, depo- 4 pulatuſque regionem, oppidum caput eius corona cepit. XL 5 peditum millia alia gens in ripa fluminum oppoſuerat, quam amne ſuperato in fugam compulit, incluſoſque mœ- 7, 9, 22. nibus expugnat. puberes interfecti ſunt, ceteri venierunt. Alteram deinde vrbem expugnare adortus, magnaque vi 6 defendentium pulſus, multos Macedonum amiſit. Sed quum in obſidione perſeueraſſet, oppidani deſperata ſalute 5, 6, 7. ignem ſubiecere tectis, ſe quoque ac liberos coniugeſque incendio cremant. Quod quum ipſi augerent, hoſtes ex- 7 ſtinguerent, noua forma pugnæ erat. delebant incolæ vr- 3, 4, 5, & 15. bem; hoſtes defendebant: adeo etiam naturæ iura bellum in contrarium mutat. Arx erat oppidi intacta in qua præ- 8 ſidium dereliquit: ipſe nauigio circumuectus eſt arcem. 9, 2, 2. quippe III flumina tota India præter Gangem maxima munimento arcis adplicant vndas. A Septemtrione Indus adluit; à meridie Aceſines Hydaſpi confunditur. Ceterum 9 amnium coitus maritimis ſimiles fluctus mouent, multoque ac turbido limo, quod aquarum concurſu ſubinde turbatur, iter qua meant nauigia, in tenuem alueum cogitur. 8, 13, 9. Itaque quum crebri fluctus ſe inuicherent, & nauium hinc 10 proras, hinc latera pulſarent; ſubducere nautæ ceperunt. ſed miniſteria eorum hinc metu, hinc præcipitis celeritate fluminum occupantur. In oculis duo maiora omnium na- 11 uigia

in maximum diſcrimen venit: ſed ereptus aræ ponit fluminibus, In Mallos & Oxydracas delati Macedones de perpetua bellorum ſorte queruntur.

uigia ſubmerſa ſunt; leuiora quum & ipſa nequirent regi, 9, 9, 2, in ripam tamen innoxia expulſa ſunt. Ipſe rex in rapidiſſimos vortices incidit: quibus intorta nauis, obliqua, & gu- 12 bernaculi impatiens agebatur. Iam veſtem detraxerat corpori, proiecturus ſemet in flumen; amicique vt exciperent eum, haud procul nabant. adparebatque anceps periculum 9, 5, 1. 13 tam nataturi, quam nauigare perſeuerantis. Ergo ingenti certamine concitant remos, quantaq; vis humana eſſe poterat admota eſt, vt fluctus, qui ſe inuehebant, euerbera- 14 rentur. Findi crederes vndas, & retro gurgites cedere. quibus tandem nauis erepta, non tamen ripæ adplicabatur, ſed 4, 4, 18. in proximum vadum inliditur. Cum amne bellum fuiſſe crederes. ergo aris pro numero fluminum poſitis, ſacrifi- 15 cioque facto, XXX ſtadia proceſſit. Inde ventum eſt in regionem Oxydracarum Mallorumque, quos alias bellare 9, 7, 12. inter ſe ſolitos tunc periculi ſocietas iunxerat. Nonaginta millia iuniorum peditum in armis erant; præter hos equi- 16 tum X millia nongentæque quadrigæ. At Macedones qui omni diſcrimine iam defunctos ſe eſſe crediderant; poſtquam integrum bellum cum ferociſſimis Indiæ gentibus ſupereſſe cognouerunt, improuiſo metu territi, rurſus ſedi- 17 tioſis vocibus regem increpare ceperunt. *Gangem amnem, & quæ vltra eſſent, coactos tranſmittere; non tamen finiſſe, ſed mutaſſe bellum. Indomitis gentibus ſe obiectos, vt* 18 *ſanguine ſuo aperirent ei Oceanum. Trahi extra ſidera & ſolem, cogique adire, quæ mortalium oculis natura ſubduxerit.* 4, 10, 3. *Nouis idemtidem armis nouos hoſtes exſiſtere.* 9, 3, 22. *Quos vt omnes fundant fugentque, quod præmium ipſos manere? caliginem, ac tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem; repletum immanium belluarum gregibus fretum: immobiles vndas, in quibus emoriens natura* 19 *defecerit.* Rex non ſua, ſed militum ſolicitudine anxius concione aduocata docet *imbelles eſſe, quos metuant. nihil*

Eo rex solatur, & ad spem excitat. Ceterum hostes, Indorum validissimi, in loca munita diffugiuntur. Oxydracarum oppidum oppugnaturo vates

deinde præter has gentes obstare, quo minus terrarum spatia
9, 1, 3. emensi ad finem simul mundi laborumque perueniant. Cessisse illis metuentibus Gangem, & multitudinem nationum, quæ vltra amnem essent: declinasse iter eo, vbi par gloria, minus periculum esset. Iam prospicere se Oceanum: iam
9, 9, 3. perflare ad ipsos auram maris, ne inuiderent sibi laudem
9, 2, 29. quam peteret. Herculis & Liberi patris terminos transituro illos regi suo, paruo impendio immortalitatem famæ da-
7, 2, 3. turos. paterentur se ex India redire non fugere. Omnis
4, 10, 7. 10, 7, 11. multitudo, & maxime militaris, mobili impetu fertur. ita
4, 1, 29. seditionis non remedia quam principia maiora sunt. Non alias tam alacer clamor ab exercitu est redditus, iubentium
8, 11, 8. duceret diis secundis, & æquaret gloria, quos æmularetur. Lætus his adclamationibus ad hostes protinus castra mouit. Validissimæ Indorum gentes erant, & bellum impigre parabant; ducemque ex natione Oxydracarum spectatæ virtutis elegerant. Qui sub radicibus montis castra posuit, lateque ignes, vt speciem multitudinis augeret, ostendit; clamore quoque ac sui moris vlulatu idemtidem adquiescentes Macedonas frustra terrere conatus. Iam lux adparebat; quum rex fiduciæ ac spei plenus alacres milites *arma capere, & exire in aciem* iubet. Sed metune, an seditione obortа inter ipsos subito profugerunt barbari. Certe alios montes & impeditos occupauerunt. quorum agmen rex frustra persequutus, impedimenta cepit. Peruentum deinde est ad oppidum Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud maiore fiducia mœnium, quam armorum. Iam admouebat rex, quum vates monere eum cepit, *ne committeret, aut certe differret obsidionem. vitæ eius periculum ostendi.* Rex Demophoonta (is namque vates erat) intuens, *si quis*, inquit, *arti tuæ intentum & exta spectantem sic interpellet; non dubitem, quin incommodus ac molestus videri tibi possit.* Et quum ille *ita prorsus futurum* respon-

disset;

disset; *Censesne*, inquit, *tantas res, non pecudum fibras ante oculos habenti, vllum esse maius impedimentum quam vatem superstitione captum?* Nec diutius quam respondit moratus, *admoueri* iubet *scalas:* contantibusque ceteris euadit in murum. Angusta muri corona erat: non pinnæ sicut alibi fastigium eius distinxerant; sed perpetua lorica obducta, transitum sepserat. Itaque rex hærebat magis, quam stabat in margine, clypeo vndique incidentia tela propulsans; nam vbique eminus ex turribus petebatur. Nec subire milites poterant, quia superne vi telorum obruebantur. tandem magnitudinem periculi pudor vicit: quippe cernebant contatione sua dedi hostibus regem. Sed festinando morabantur auxilia. nam dum pro se quisque certat euadere, onerauere scalas; quis non sufficientibus deuoluti vnicam spem regis fefellerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus, velut in solitudine destitutus.

CAP. V.

IAmque læuam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassauerat, clamantibus amicis, *vt ad ipsos desiliret*, stabantque excepturi; quum ille rem ausus incredibilem atque 9, 4, 12.
inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriæ insignem. Namque in vrbem hostium plenam præcipiti saltu semetipse immisit; quum vix sperare posset dimicantem certe, & non inultum esse moriturum: quippe antequam adsurgeret, opprimi poterat, & capi viuus. Sed forte ita librauerat corpus, vt se pedibus exciperet. itaque stans init pugnam; & ne circumiri posset, fortuna prouiderat. Vetusta arbor, haud procul muro, ramos multa fronde vestitos velut de industria regem protegentes, obiecerat: huius spatioso stipiti corpus, ne circumiri posset, adplicuit; clypeo tela, quæ ex aduerso ingerebantur, excipiens. Nam quum vnum procul tot manus peterent; nemo tamen audebat propius accedere: missilia ramis plura, quam clypeo incidebant. Pugnabat pro rege primum celebrati nomi-

pugnam, aliquot hostibus occisis, acceptisque compluribus vulneribus, fato proximus. Aduentu Peucestæ, Timæi, Leonnati, & Aristoni,

nis fama: deinde desperatio, magnum ad honeste moriendum incitamentum. Sed quum subinde hostis adflueret, iam ingentem vim telorum exceperat clypeo; iam galeam saxa perfregerant; iam continuo labore grauia genua succiderant. Itaque contemptim & incaute, qui proximi steterant, incurrerunt: è quibus duos gladio ita excepit, vt ante ipsum exanimes procumberent. nec cuiquam deinde propius incessendi eum animus fuit: procul iacula sagittasque mittebant. Ille ad omnes ictus expositus, ægre iam exceptum poplitibus corpus tuebatur; donec Indus duorum cubitorum sagittam (namque Indis, vt antea diximus, huius magnitudinis sagittæ erant) ita excussit, vt per thoracem paulum super latus dextrum infigeretur. Quo vulnere adflictus, magna vi sanguinis emicante, remisit arma moribundo similis, adeoque resolutus, vt ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra. Itaque ad exspoliandum corpus, qui vulnerauerat alacer gaudio adcurrit. quem vt iacere corpori suo manus sensit, credo, vltimi dedecoris indignitate commotus; linquentem reuocauit animum, & nudum hostis latus subiecto mucrone hausit. Iacebant circa regem tria corpora procul stupentibus ceteris, ille vt, antequam vltimus spiritus deficeret, dimicans iam exstingueretur, clypeo se adleuare conatus est: & postquam ad connitendum nihil supererat virium, dextra impendentes ramos complexus, tentabat adsurgere. Sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procumbit; manu prouocans hostes si quis congredi auderet. Tandem Peucestas per aliam oppidi partem deturbatis propugnatoribus muri vestigia persequens regi superuenit. quo conspecto Alexander iam non vitæ suæ, sed mortis solatium superuenisse ratus, clypeo fatigatum corpus excepit. Subit inde Timæus: & paulopost Leonnatus: huic Aristonus superuenit. Indi quoque quum intra mœnia regem esse comperissent, omissis

5,4,31.

6,1,14.

8,9,28.

6,1,15.

ceteris

vltimo discrimini vix eripitur, dum tota Macedonum vis inrumpit. Historicorum securitas arguitur. Regi corpori infixum telum opera Critobuli

ceteris illuc concurrerunt; vrgebantque protegentes. ex quibus Timæus multis aduerso corpore vulneribus acceptis egregiaque edita pugna cecidit: Peucestas quoque tribus iaculis confossus non se tamen scuto, sed regem tuebatur: Leonnatus dum auide ruentes barbaros submouet, ceruice graui ictu semianimis procubuit ante regis pedes. Iam & Peucestas vulneribus fatigatus submiserat clypeum: in Aristono spes vltima hærebat. hic quoque grauiter saucius tantam vim hostium vltra sustinere non poterat. Inter hæc ad Macedonas *regem cecidisse* fama perlata est. Terruisset alios, quod illos incitauit. namque periculi omnis immemores dolabris perfregere murum; & qua moliti erant aditum, inrupere in vrbem, Indosque plures fugientes quam congredi ausos cecidere. Non senibus, non feminis, non infantibus parcitur: quisquis occurrerat, ab illo vulneratum regem esse credebant. tandemque internecione hostium iustæ iræ parentatum est. *Ptolemæum, qui postea regnauit, huic pugnæ adfuisse*, auctor est Clitarchus, & Timagenes. Sed ipse, scilicet gloriæ suæ non refragatus, *abfuisse se, missum in expeditionem* memoriæ tradidit. Tanta componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas; vel par huic vitium, credulitas fuit! Rege in tabernaculum relato, medici lignum hastæ corpori infixum, ita ne spiculum moueretur, abscindunt. corpore deinde nudato animaduertunt hamos inesse telo; nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quam vt secando vulnus augerent. Ceterum ne secantes profluuium sanguinis occuparet, verebantur; quippe ingens telum adactum erat, & penetrasse in viscera videbatur. Critobulus, inter medicos artis eximiæ, sed in tanto periculo territus, manus admouere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperæ curationis recideret euentus. Lachrimantem eum ac metuentem, & solicitudine propemodum exsanguem rex conspexerat. *Quid*, inquit, *quodve*

7,6,4.

8,1,14.

9,8,24.

3,5,15.

10,4,12.

tempus

extrahitur, non tamen sine maximo illius periculo, & angore exercitus. At ille paulisper recreatus, statim versus in hostem. Ergo amicorum ad eum venien-

tempus exspectas, & non quamprimum hoc dolore me saltem moriturum liberas? An times ne reus sis, quum insanabile vulnus acceperim? At Critobulus tandem vel finito, 27
vel dissimulato metu hortari eum cepit, *vt se continendum præberet, dum spiculum euelleret: etiam leuem corporis motum noxium fore.* Rex quum adfirmasset *nihil opus esse iis,* 28
qui semet continerent; sicut præceptum erat, sine motu præbuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, & spiculo euulso, ingens vis sanguinis manare cepit; linquique animo
rex, & caligine oculis offusa, veluti moribundus extendi. Quumq; profluuium medicamentis frustra inhiberent; cla- 29
mor simul atque ploratus amicorum oritur, regem exspirasse credentium. Tandem constitit sanguis, paulatimque animum recepit, & circumstantes cepit adgnoscere. Toto 30
eo die ac nocte, quæ sequuta est, armatus exercitus regiam
5, 12, 14. 6, 9, 28. 9, 28. 9, 6, 8, & 15. 10, 6, 8. obsedit, confessus omnes vnius spiritu viuere. nec prius recesserunt, quam compertum est, somno paulisper adquiescere. hinc certiorem spem salutis eius in castra retulerunt.

CAP. VI. REX septem diebus curato vulnere, nec dum obducta cicatrice, quum audisset *conualuisse apud barbaros famam mortis suæ; duobus nauigiis iunctis, statui in medium vndique conspicuum tabernaculum* iussit, *ex quo se ostenderet perisse credentibus.* Conspectusque ab incolis spem hostium falso nuncio conceptam inhibuit. Secundo deinde 2
amne defluxit, aliquantum interualli à cetera classe præcipiens, ne quies corpori inualido adhuc necessaria pulsu remorum impediretur. Quarto postquam nauigare ceperat, die, 3
peruenit in regionem desertam quidem ab incolis; sed frumento & pecoribus abundantem. placuit is locus & ad suam, & ad militum requiem. Mos erat principibus amico- 4
8, 10, 19. 7, 7, 9. 8, 6, 22. rum, & custodibus corporis, excubare ante prætorium, quoties regi aduersa valetudo incidisset. hoc tum more quoque seruato vniuersi cubiculum eius intrant. Ille solicitus, ne 5
quid

tium iussu Craterus cum composita oratione adloquitur, vt deinceps in suo corpore amicis & militibus suis parceret: aut certe ob maiora præmia periculum sumeret.

quid noui adferrent, quia simul venerant; percontatur, *num* 6
hostium recens nunciaretur aduentus. At Craterus cui mandatum erat, vt amicorum preces perferret ad eum; *Credisne,* inquit, *aduentu magis hostium, vt iam in vallo consisterent: quam cura salutis tuæ, vt nunc est tibi vilis, nos* 7
esse solicitos. Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos; impleat armis virisque totum orbem; classibus maria consternat; inusitatas belluas inducat: tu nos præstabis inui- 8
ctos. Sed quis deorum hoc Macedoniæ columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest; quum tam aude manifestis periculis offeras corpus, oblitus tot ciuium animas trahere te 9, 5, 30.
in casum? Quis enim tibi superstes aut optat esse, aut potest? eo peruenimus, auspicium atque imperium sequuti tu- 9
um, vnde nisi te reduce nulli ad penates suos iter est. Qui 10 6, 9, 28.
si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares; etsi nemo vellet, tamen ne admirari quidem posset tam promptæ esse te ad omne discrimen audaciæ: nam VBI PARIA sunt periculum, ac præmium, & secundis rebus amplior fructus est; 11
& aduersis solatium maius. tuo vero capite ignobilem vicum emi, quis ferat; non tuorum modo militum, sed vllius etiam gentis barbaræ ciuis, qui tuam magnitudinem nouit? 12
Horret animus cogitatione rei, quam paulo ante vidimus. Eloqui timeo inuicti corporis spoliis inertissimos manus fuisse iniecturos, nisi te interceptum misericors in nos fortuna seruasset. Totidem proditores, totidem desertores sumus, 13
quot te non potuimus persequi. Vniuersos licet milites ignominia notes; nemo recusabit luere id, quod ne admitteret, præstare non potuit. Patere nos quæso alio modo esse viles 14
tibi. Quocumque iusseris, ibimus. Obscura bella & ignobiles pugnas nobis deposcimus: temetipsum ad ea serua pericula, quæ magnitudinem tuam capiunt. CITO gloria obsolescit in sordidis hostibus: nec quidquam indignius est, 15
quam consumi eam, vbi non possit ostendi. Eadem fere

Ille gratiis actis respondet gloriam se prolixam, quam vitam malle.

Ptolemæus, & similia iis ceteri. iamque confusis vocibus flentes eum orabant, *vt tandem exsatiatæ laudi modum fa-*
9,5,30. *ceret, ac saluti suæ, id est, publicæ parceret.* Grata erat re- 16
gi pietas amicorum. itaque singulos familiarius amplexus *considere* iubet. altiusque sermone repetito, *Vobis quidem,* 17
inquit, *ô fidissimi pijssimique ciuium atque amicorum, grates ago habeoque, non solum eo nomine, quod hodie salutem meam vestræ præponitis; sed quod à primordiis belli nullum erga me beneuolentiæ pignus, atque indicium omisistis. adeo vt confitendum sit, nunquam mihi vitam meam fuisse tam*
6,9,2. *caram, quam esse cepit, vt vobis diu frui possim. Ceterum* 18
non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea: qui quidem hanc beneuolentiam vestram virtute meruisse me iudico. Vos enim diuturnum fructum ex me, forsitan etiam perpetuum percipere cupitis: ego me metior non ætatis spatio, sed gloriæ. Licuit paternis opibus contento 19
intra Macedoniæ terminos per otium corporis exspectare ob-
4,14,25. *scuram & ignobilem senectutem. Quamquam NE PIGRI quidem sibi fata disponunt: sed vnicum bonum diuturnam vitam æstimantes sæpe acerba mors occupat. Verum ego, qui non annos meos, sed victorias numero; si munera for-*
tunæ bene computo, *diu vixi. Orsus à Macedonia impe-* 20
rium, Græciam teneo: Thraciam, & Illyrios subegi: Tribal-
4,14,9. *lis, Mædisque imperito: Asiam qua Hellesponto, qua rubro*
9,1,3. *mari adluitur, possideo. iamque haud procul absum à fine*
10,5,29. *mundi, quem egressus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. Ex Asia in Europæ terminos momento vnius* 21
7,7,13. *horæ transiui. Victor vtriusque regionis post nonum regni mei, post vigesimum atque octauum ætatis annum; videor ne vobis in excolenda gloria, cui me vni deuoui, posse cessare? Ego vero non deero, & vbicumque pugnabo, in thea-*
tro terrarum orbis esse me credam. Dabo nobilitatem igno- 22
4,9,9. *bilibus locis: aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longe*

nec parua negligenda; eodem vbique virtutis pretio. illi modo ab insidiis tutum præstent. Græci milites in Bactris tumultuantur. Athenodoro duce, quem Bicon quidã

longe submouerat. In his operibus exstingui me, si fors ita
feret, pulchrum est: ea stirpe sum genitus, VT MVLTAM
23 *prius, quam longam vitam debeam optare. Obsecro vos,*
cogitate nos peruenisse in terras, quibus feminæ ob virtutem
celeberrimum nomen est. quas vrbes Semiramis condidit? 7,6,20.
quas gentes redegit in potestatem? quanta opera molita est?
Nondum feminam æquauimus gloria, & iam nos laudis sa-
24 *tietas cepit? Dij faueant, maiora adhuc restant. Sed ita*
nostra erunt, quæ nondum adtigimus; si NIHIL paruum du-
xerimus, in quo magnæ gloriæ locus est. Vos modo me ab 6,8,9.
intestina fraude, & domesticorum insidijs præstate securum:
25 *belli Martisque discrimen impauidus subibo. Philippus in*
acie tutior, quam in theatro fuit: hostium manus sæpe vi-
tauit; suorum effugere non valuit. aliorum quoque regum
exitus, si reputaueritis, PLVRES à suis, quam ab hoste inter-
26 *emptos numerabitis. Ceterum quoniam olim rei agitatæ in*
animo meo nunc promendæ occasio oblata est; mihi maxi-
mus laborum, atque operum meorum erit fructus, si Olym- 10,5,30.
pias mater immortalitati consecretur, quandocumque ex-
cesserit vita. Si licuerit, ipse præstabo hoc: si me præceperit fatum; vos mandasse mementote. Ac tum quidem amicos dimisit: ceterum per complures dies ibi statiua habuit.

Hæc dum in India geruntur, Græci milites nuper in colonias à rege deducti Garabactra, orta inter ipsos seditione, defecerant; non tam Alexandro infensi, quam metu
2 supplicii. Quippe occisis quibusdam popularium, qui validiores erant, arma spectare ceperunt; & Bactriana arce, quæ quasi negligentius adseruata erat, occupata, barbaros quo-
3 que in societatem defectionis impulerant. Athenodorus erat princeps eorum, qui regis quoque nomen adsumpserat; non tam imperii cupidine, quam in patriam reuertendi cum iis, qui auctoritatem ipsius sequebantur. Huic Bi-
4 con quidam nationis eiusdem, sed ob æmulationem infe-

CA. VII.

interficit, & post geminum capitis periculum cum Græcis in patriam redit. Malli & Oxydraca se dedunt Alexandro. Ille conuiuium celebrat,

ſtus, comparauit inſidias; inuitatumque ad epulas per Boxum quendam Macerianum in conuiuio occidit. Poſtero die concione aduocata Bicon *vltro inſidiatum ſibi Athenodorum* pleriſque perſuaſerat: ſed aliis ſuſpecta fraus erat Biconis; & paulatim in plures cepit manare ſuſpicio. Itaque Græci milites arma capiunt, occiſuri Biconem, ſi daretur occaſio. ceterum principes eorum iram multitudinis mitigauerunt. Præter ſpem ſuam Bicon præſenti periculo ereptus, paulopoſt inſidiatus auctoribus ſalutis ſuæ eſt: cuius dolo cognito & ipſum comprehenderunt, & Boxum. Ceterum *Boxum protinus* placuit *interfici: Biconem etiam per cruciatum necari.* iamque corpori tormenta admouebantur; quum Græci milites, incertum ob quam cauſſam, lymphatis ſimiles ad arma diſcurrunt. Quorum fremitu exaudito, qui torquere Biconem iuſſi erant, omiſere; veriti ne id facere tumultuantium vociferatione prohiberentur. Ille, ſicut nudatus erat, peruenit ad Græcos; & miſerabilis facies ſupplicio deſtinati in diuerſum animos repente mutauit, *dimittique eum* iuſſerunt. Hoc modo pœna bis liberatus cum ceteris, qui colonias à rege adtributas reliquerunt, reuertit in patriam. Hæc circa Bactra & Scytharum terminos geſta. Interim regem duarum gentium, de quibus ante dictum eſt, centum legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu, lineæ veſtes intextæ auro, purpuraque diſtinctæ. Ei *ſe dedere ipſos, vrbes agroſque* referebant, *per tot ætates inuiolatam libertatem illius primum fidei ditionique permiſſuros. Deos ſibi deditionis auctores, non metum; quippe intactis viribus iugum excipere.* Rex conſilio habito deditos in fidem accepit; ſtipendio, quod Arachoſiis vtraque natio penſitabat, impoſito. præterea *II millia & D equites* imperat, & omnia obedienter à barbaris facta. Inuitatis deinde ad epulas legatis gentium, reguliſque *exornari conuiuium* iuſſit.

9, 4, 15.

8, 9, 24.

iuſſit. Centum aurei lecti modicis interuallis poſiti erant; lectis circumdederat aulæa, purpura auroque fulgentia; quidquid aut apud Perſas vetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptum erat, confuſis vtriuſque gentis vitiis in illo conuiuio oſtendens. Intererat epulis Dioxippus Athenienſis, pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium regi pernotus & gratus. Inuidi malignique increpabant per ſeria & ludum, *ſaginati corporis ſequi inutilem belluam. quum ipſi prælium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis.* Eadem igitur in conuiuio Horratas Macedo iam temulentus exprobrare ei cepit; & poſtulare, *vt ſi vir eſſet, poſtero die ſecum ferro decerneret: regem tandem vel de ſua temeritate, vel de illius ignauia iudicaturum.* Et à Dioxippo contemptim militarem eludente ferociam accepta conditio eſt. Ac poſtero die rex quum etiam acrius certamen expoſcerent, quia deterrere non poterat, deſtinata exſequi paſſus eſt. Ingens hic militum, inter quos erant Græci, qui Dioxippo ſtudebant, conuenerat multitudo. Macedo iuſta arma ſumpſerat; æreum clypeum, haſtam, quam *ſariſſam* vocant, læua tenens, dextra lanceam: gladioque cinctus, velut cum pluribus ſimul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens, & coronatus, læua puniceum amiculum, dextra validum nodoſumque ſtipitem præferebat. Ea ipſa res omnium animos exſpectatione ſuſpenderat: quippe armato congredi nudum, dementia non temeritas videbatur. Igitur Macedo haud dubius eminus interfici poſſe, lanceam emiſit; quam Dioxippus quum exigua corporis declinatione vitaſſet, antequam ille haſtam transferret in dextram, adſiluit, & ſtipite mediam eam fregit. Amiſſo vtroque telo Macedo, gladium ceperat ſtringere, quem occupatum complexu pedibus repente ſubductis Dioxippus arietauit in terram; ereptoque gladio pedem ſuper ceruicem iacentis impoſuit, ſtipitem intentans, eliſuruſque eo victum,

4, 6, 16. 7.

4, 36.

victum, ni prohibitus esset à rege. Tristis spectaculi euentus, non Macedonibus modo, sed etiam Alexandro fuit; maxime quia barbari adfuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse verebatur. Hinc ad criminationem inuidorum adapertæ sunt aures regis. & post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur; ministrique, quasi amissent, quod amouerant, regem adeunt. SÆPE minus est constantiæ in rubore, quam in culpa. coniectum oculorum, quibus vt fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit: & quum excessisset conuiuio, literis conscriptis, quæ regi redderentur, ferro se interemit. Grauiter mortem eius tulit rex, existimans indignationis esse, non pœnitentiæ testem: vtique postquam falso insimulatum eum, nimium inuidorum gaudium ostendit.

CA. VIII. INdorum legati dimissi domos, paucis post diebus cum
5, 1, 21. donis reuertuntur. trecenti erant equi, mille triginta currus,
8, 9, 24. quos quadriiugi equi ducebant, lineæ vestis aliquantum, mille scuta Indica, & ferri candidi talenta centum; leonesque raræ magnitudinis & tigres, vtrumque animal ad mansuetudinem domitum: lacertarum quoque ingentium pelles, & dorsa testudinum. Cratero deinde imperat rex, *haud procul amne, per quem erat ipse nauigaturus, copias duceret:* eos autem, qui comitari eum solebant, imponit in naues, & in fines Mallorum secundo amne deuehitur. Inde Sabracas adiit validam Indiæ gentem, quæ populi non regum imperio regebatur. sexaginta millia peditum habebant, equitum sex millia, has copias currus quingenti sequebantur. tres duces spectatos virtute bellica elegerant. At qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos, maxime in ripa habebant) vt videre totum amnem, qua prospici poterat, nauigiis constratum, & tot millium arma fulgentia; territi noua facie, deorum exercitum, & alium Li-
9, 1, 18. berum

berum patrem, celebre in illis gentibus nomen, aduentare credebant. Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus, variæque nautarum voces hortantium, pauidas aures impleuerant. Ergo vniuersi ad eos, qui in armis erant, currunt, *furere* clamitantes, *cum diis prælium inituros. nauigia non posse numerari, quæ inuictos veherent.* tantumque in exercitum suorum intulere terroris, vt legatos mitterent gentem dedituros. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes quarto die peruenit. Nihilo plus animi his fuit, quam ceteris fuerat. itaque oppido ibi condito, quod *Alexandriam* adpellari iusserat, fines eorum, qui *Musicani* adpellantur intrauit. Hic de Teriolte satrape, quem Paropamisadis præfecerat, iisdem arguentibus cognouit: multaque auare ac superbe fecisse conuictum interfici iussit. Oxathres prætor
10, 1, 2. Bactrianorum, non absolutus modo, sed etiam iure amplioris imperii donatus est. Finibus Musicanis deinde in ditionem redactis, vrbi eorum præsidium imposuit. Inde Præstos & ipsam Indiæ gentem peruentum est. Oxycanus rex erat, qui se munitæ vrbi cum magna manu popularium incluserat. Hanc Alexander tertio die quam ceperat obsidere, expugnauit. Et Oxycanus, quum in arcem confugisset, legatos de conditione deditionis misit ad regem: sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore prociderant, per quarum ruinas Macedones euasere in arcem;
4, 6, 8. qua capta Oxycanus cum paucis repugnans occiditur. Diruta igitur arce, & omnibus captiuis venundatis, Sabi regis fines ingressus est; multisque oppidis in fidem acceptis, validissimam gentis vrbem cuniculo cepit. Barbaris simile
9, 9, 10. monstri visum est rudibus militarium operum; quippe in media ferme vrbe è terra exsistebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto. *Octoginta millia Indorum in ea regione cæsa* Clitarchus est auctor, *multosque captiuos sub corona veniisse.* Rursus Musicani defecerunt, ad quos opprimendos

quos rebellionem ausos denuo adgreditur. Illi venenatis sagittis multos, interq; eos Ptolemæum vulnerant; regi & militibus

dos missus est Pithon, qui captum principem gentis, eumdemque defectionis auctorem adduxit ad regem. quo Alexander in crucem sublato, rursus amnem, in quo *classem exspectare se* iusserat, repetit. Quarto deinde die secundo amne peruenit ad oppidum, qua iter in regnum erat Sabi. Nuper se ille dediderat, sed oppidani detrectabant imperium, & clauserant portas. Quorum paucitate contempta rex, *quingentos Agrianos mœnia subire* iusserat, *& sensim recedentes elicere extra muros hostem, sequuturum profecto si fugere eos crederet.* Agriani, sicut imperatum erat, lacessito hoste subito terga vertunt; quos barbari effuse sequentes in alios, inter quos ipse rex erat, incidunt. Renouato ergo prœlio ex tribus millibus barbarorum quingenti cæsi sunt, mille capti, ceteri mœnibus vrbis inclusi. Sed non vt prima specie læta victoria; ita euentu quoque fuit: quippe barbari veneno tinxerant gladios. itaque saucii subinde exspirabant; nec caussa tam strenuæ mortis excogitari poterat à medicis, quum etiam leues plagæ insanabiles essent. Barbari autem sperauerant incautum & temerarium regem excipi posse. & forte inter promptissimos dimicans intactus euaserat. Præcipue Ptolemæus læuo humero, leuiter quidem saucius, sed maiore periculo quam vulnere adfectus, regis solicitudinem in se conuerterat. Sanguine coniunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant; certe pellice eius ortum constabat. Idem corporis custos, promptissimusque bellator; & pacis artibus quam militiæ maior & clarior, modico ciuilique cultu, liberalis in primis, adituque facilis, nihil ex fastu regio adsumpserat. Ob hæc regi an popularibus carior esset, dubitari poterat: tum certe primum expertus suorum animos, adeo vt fortunam, in quam postea adscendit, in illo periculo Macedones ominati esse videantur. quippe non leuior illis Ptolemæi fuit cura, quam regis: qui & prœlio & solicitudine fatigatus cum Ptolemæo

9, 5, 21.

adside-

egregie caru. Cuius remedium Alexandro per quietem ostenditur. Pathalia vrbe capta. Indo amne in Oceanum descendit: sed neminem locorum petitu nactus.

adfideret, *lectum, in quo ipse adquiesceret*, iussit *inferri.* In quem vt se recepit, protinus altior insequutus est somnus. Ex quo excitatus *per quietem vidisse se* exponit *speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset. colorem quoque herbæ* referebat, *adgniturum si quis reperisset* adfirmans. inuentamque deinde, quippe à multis erat requisita, vulneri imposuit: protinusque dolore finito, intra breue spatium cicatrix quoque obducta est. Barbaros vt prima spes fefellerat, se ipsos vrbemque dediderunt. Hinc in proximam gentem Pathaliam peruentum est. Rex erat Mœris, qui vrbe deserta in montes profugerat. Itaque Alexander oppido potitur, agrosque populatur. Magnæ inde prædæ actæ sunt pecorum armentorumque, magna vis reperta frumenti. Ducibus deinde sumptis amnis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alueo enatam.

Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius adseruati profugerant, misit qui conquirerent alios; nec repertis, peruicax cupido incessit visendi Oceanum, adeundique terminos mundi, sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum, totque fortissimorum virorum salutem permittere. Nauigabant ergo omnium per quæ ferebantur ignari. quantum inde abesset mare; quæ gentes colerent; quam placidum amnis os, quam patiens longarum nauium esset, anceps & cæca æstimatio augurabatur. VNVM erat temeritatis solatium perpetua felicitas. Iam CCCC stadia processerant; quum gubernatores *adgnoscere ipsos auram maris, & haud procul videri sibi Oceanum abesse*, indicant regi. Lætus ille hortari nauticos cepit, *incumberent remis. adesse finem laboris omnibus votis expetitum. Iam nihil gloriæ deesse; nihil obstare virtuti, sine vllo Martis discrimine; sine sanguine orbem terræ ab illis capi. Ne naturam quidem longius posse procedere. breui incognita nisi immortalibus*

CAP. IX.

3, 13, 3. 5, 4, 19. 9, 1, 3. 2 7, 7, 27. 9, 4, 11. 9, 4, 21. 5, 6, 13.

talibus

talibus esse visuros. Paucos tamen nauigio emisit in ri-5
pam, qui agrestes vagos exciperent; è quibus certiora nosci
posse sperabat. illi scrutati omnia tuguria, tandem latentes
reperere. Qui interrogati *quam procul abesset mare?* re-6
sponderunt *nullum ipsos mare ne fama quidem accepisse: ce-*
terum tertio die perueniri posse ad aquam amaram, quæ
corrumperet dulcem. Intellectum est mare destinari ab igna-
ris naturæ eius. Itaque ingenti alacritate nautici remigant,7
& proximo quoque die, quo propius spes admouebatur,
crescebat ardor animorum. tertio iam die mixtum flumini
subibat mare, leni adhuc æstu confundente dispares vndas.
Tum aliam insulam medio amni sitam euecti paulo len-8
tius, quia cursus æstu reuerberabatur, adplicant classem; & ad
commeatus petendos discurrunt, securi casus eius, qui su-
peruenit ignaris. Tertia ferme hora erat; quum stata vice 9
6, 4, 19. Oceanus exæstuans inuehi cepit, & retro flumen vrgere.
quod primo coercitum, deinde vehementius pulsum, maio-
re impetu aduersum agebatur, quam torrentia præcipiti al-
ueo incurrunt. Ignota vulgo freti natura erat, monstraque 10
9, 8, 14. & iræ deum indicia cernere videbantur. Idemtidem intu-
mescere mare, & in campos paulo ante siccos descendere
superfusum. Iamque leuatis nauigiis, & tota classe dispersa, 11
qui expositi erant, vndique ad naues trepidi & improuiso
malo adtoniti recurrunt. Sed in tumultu festinatio quoque 12
7, 9, 6. tarda est. hi contis nauigia adpellebant; hi dum remos apta-
ri prohibebant, consederant. quidam enauigare properan- 13
tes sed non exspectatis, qui simul esse debebant, clauda &
inhabilia nauigia languide moliebantur: aliæ nauium in-
consulte ruentes non receperant; pariterque & multitudo,
& paucitas festinantes morabatur. Clamor hinc *exspectare,* 14
3, 14, 20. hinc *ire* iubentium, dissonæque voces nusquam idem ac
vnum tendentium, non oculorum modo vsum, sed etiam
aurium abstulerant. Ne in gubernatoribus quidem quid- 15
quam

quam opis erat, quorum nec exaudiri vox à tumultuantibus
poterat; nec imperium à territis incompositisque seruari.
16 Ergo conlidi inter se naues, abstergerique inuicem remi, &
alii aliorum nauigia vrgere ceperunt. Crederes non vnius
exercitus classem vehi, sed duorum nauale inisse certamen.
17 Incutiebantur puppibus proræ; premebantur à sequentibus,
qui antecedentes turbauerant: iurgantium ira perueniebat
18 etiam ad manus. Iamque æstus totos circa flumen cam-
pos inundauerat, tumulis dumtaxat eminentibus, velut insu-
lis paruis; in quos plerique trepidi omissis nauigiis enare
19 ceperunt. Dispersa classis partim in prærupta aqua stabat,
qua subsederant valles; partim in vado hærebat, vtcumque
inæquale terræ fastigium occupauerant vndæ: quum subi-
20 to nouus, & pristino maior terror incutitur. Reciprocare
cepit mare magno tractu aquis in suum fretum recurrenti-
bus; reddebatque terras paulo ante profundo salo mersas.
Igitur destituta nauigia alia præcipitantur in proras; alia in
latera procumbunt. Strati erant campi sarcinis, armis, auul-
21 sarum tabularum remorumque fragmentis. Miles nec egre-
di in terram, nec in naues subsistere audebat; idemtidem
præsentibus grauiora, quæ sequerentur, exspectans. Vix quæ
perpetiebantur, videre ipsos credebant, in sicco naufragia, in
22 amni mare. Nec finis malorum. quippe æstum paulo post
mare relaturum, quo nauigia adleuarentur ignari, famem &
vltima sibimet ominabantur. belluæ quoque fluctibus de-
23 stitutæ terribiles vagabantur. Iamque nox adpetebat, & re-
gem quoque desperatio salutis ægritudine adfecerat. non ta-
men inuictum animum curæ obruunt, quin tota nocte præ-
sideret in speculis, equitesque præmitteret ad os amnis, vt
24 quum mare rursus exæstuare sensissent, procederent. *Naui-*
gia quoque *lacerata resici; & euersa fluctibus, erigi* iubet,
paratosque esse & intentos, quum rursus mare terras inun-
25 *dasset.* Tota ea nocte inter vigilias adhortationesque con-

 sumpta,

sumpta, celeriter & equites ingenti cursu refugere; & sequutus est æstus. qui primo aquis leni tractu subeuntibus cepit leuare nauigia, mox totis campis inundans etiam impulit classem. plaususque militum nauticorumque insperatam 26
salutem immodico celebrantium gaudio, litoribus ripisque resonabat. *vnde tantum redisset subito mare? quo pridie refugisset? quænam esset eiusdem elementi natura, modo discors, modo imperio temporum obnoxia* mirabundi requirebant. Rex quum ex eo, quod acciderat, coniectaret post 27
solis ortum statum tempus esse; media nocte, vt æstum occuparet, cum paucis nauigiis secundo amne defluxit. Euectusque os eius quadringenta stadia processit in mare tan-
5, 8, 22. dem voti sui compos: præsidibusque maris & locorum diis sacrificio facto, ad classem rediit.

CAP. X. Hinc aduersum flumen subiit classis; & altero die adpulsa est haud procul lacu salso, cuius ignota natura plerosque decepit temere ingressos aquam. quippe scabies corpora inuasit, & contagium morbi etiam in alios vulgatum est. oleum remedio fuit. Leonnato deinde præmisso vt puteos 2
foderet, qua terrestri itinere ducturus exercitum videbatur, quippe sicca erat regio; ipse cum copiis substitit, vernum tempus exspectans. Interim & vrbes pleraque condidit.
10, 1, 10. Nearcho atque Onesicrito nauticæ rei peritis imperauit, *vt* 3
validissimas nauium deducerent in Oceanum, progressique quoad tuto possent, naturam maris noscerent: vel eodem amne, vel Euphrate subire eos posse, quum reuerti ad se vellent. Iamque mitigata hyeme, & nauibus, quæ inutiles vi-4
debantur, crematis, terra ducebat exercitum. Nonis castris 5
in regionem Arabitarum; inde totidem diebus in Gedrosiorum regionem peruentum est. Liber hic populus concilio habito dedidit se; nec quidquam deditis præter commeatus imperatum est. Quinto hinc die venit ad flumen, 6
Arabum incolæ adpellant. Regio deserta & aquarum in-

ops

ops excipit; quam emensus in Horitas transit. ibi maiorem exercitus partem Hephæstioni tradidit; leuem armaturam
7 cum Ptolemæo Leonnatoque partitus est. Tria simul agmina populabantur Indos; magnæque prædæ actæ sunt: maritimos Ptolemæus; ceteros ipse rex, & ab alia parte Leonnatus vrebant. In hac quoque regione vrbem con- 4, 8, 5.
8 didit, deductique sunt in eam Arachosii. Hinc peruenit ad maritimos Indos. desertam vastamque regionem late tenent, ac ne cum finitimis quidem vllo commercii iure mi- 7, 3, 5.
9 scentur. Ipsa solitudo natura quoque immitia efferauit 7, 3, 6, 8,
ingenia: prominent vngues nunquam recisi; comæ hirsu- 9, 20.
10 tæ & intonsæ sunt. tuguria conchis, & ceteris purgamentis maris instruunt. ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis, & maiorum quoque belluarum, quas fluctus ejicit, carne
11 vescuntur. Consumptis igitur alimentis Macedones primo inopiam, deinde ad vltimum famem sentire ceperunt; radices palmarum, namque sola ea arbor gignitur, vbique ri-
12 mantes. Sed quum hæc quoque alimenta defecerant, iu- 5, 6, 17. 7,
menta cedere adgressi, ne equis quidem abstinebant; & 4, 25.
quum deessent quæ farcinas veherent, spolia de hostibus, propter quæ vltima Orientis peragrauerant, cremabant in-
13 cendio. Famem deinde pestilentia sequuta est: quippe insalubrium ciborum noui succi, ad hoc itineris labor, & ægritudo animi, vulgauerant morbos; & nec manere sine clade, nec progredi poterant: manentes fames; progressos acrior
14 pestilentia vrgebat. Ergo strati erant campi pene pluribus semiuiuis, quam cadaueribus. Ac ne leuius quidem ægri sequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus, quantum
15 itineris festinando præriperent. Igitur qui defecerant, notos ignotosque, *vt adleuarentur*, orabant. Sed nec iumenta erant, quibus excipi possent; & miles vix arma portabat, imminentisque etiam ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo

Sed in Gedrosiis reficiuntur, vbi ex copiis quæ Leonnatus & Crateruus gesserant; in Carmaniam proficiscitur. inde Persidem triumphans,

sæpius reuocati, ne respicere quidem suos sustinebant; misericordia in formidinem versa. Illi relicti *deos testes, sacra communia, regisque* implorabant *opem:* quumque frustra surdas aures fatigarent, in rabiem desperatione versi, *parem suo exitum, similesque ipsis amicos & contubernales* precabantur. Rex dolore simul ac pudore anxius, quia caussa tantæ cladis ipse esset; ad Phrataphernen Parthorum satrapen misit, qui iuberet *camelis cocta cibaria adferre:* alios quoque finitimarum regionum præfectos certiores necessitatis suæ fecit. Nec cessatum est ab his. Itaque fame duntaxat vindicatus exercitus, tandem in Gedrosiæ fines perducitur. Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua statiua habuit, vt vexatos milites quiete firmaret. Hic Leonnati literas accipit, *conflixisse ipsum cum octo millibus peditum & quingentis equitibus Horitarum, prospero euentu.* A Cratero quoque nuncius venit, *Oxinem & Zariaspem nobiles Persas, defectionem molientes oppressos à se, in vinculis esse.* Præposito igitur regioni Sibyrtio (namque Menon præfectus eius nuper interierat morbo) in Carmaniam ipse processit. Aspastes erat satrapes gentis, suspectus res nouare voluisse, dum in India rex esset. Quem occurrentem dissimulata ira comiter adloquutus, dum exploraret quæ delata erant, in eodem honore habuit. Quum Indiæ præfecti, sicut imperatum erat, equorum, iumentorumque iugalium vim ingentem ex omni, quæ sub imperio erat regione misissent; quibus deerant impedimenta, restituit. Arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum: quippe haud procul à Perside aberant, non pacata modo, sed etiam opulenta. Igitur, vt supra dictum est, æmulatus Patris Liberi non gloriam solum, quam ex illis gentibus deportauerat; sed etiam famam (siue illud triumphus fuit ab eo primum institutus, siue Bacchantium lusus) statuit imitari, animo super humanum fastigium elato. *Vicos, per quos iter erat, floribus coronisque sterni* iubet: *liminibus ædium crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vasa disponi; vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veste preciosa.* Primi ibant amici & cohors regia, variis redimita floribus coronisque, alibi tubicinum cantus; alibi lyræ sonus audiebatur: item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis, comessabundus exercitus, armis quæ maxime decora erant circumpendentibus. Ipsum conuiuasque currus vehebat, crateris aureis eiusdemque materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit; parta præda si quid victis saltem aduersus comessantes animi fuisset: mille hercule, viri modo & sobrii, septem dierum crapula graues in suo triumpho, capere potuerunt. Sed fortuna, quæ rebus famam preciumque constituit; hic quoque militiæ probrum vertit in gloriam. Et præsens ætas, & posteritas deinde mirata est, *per gentes nondum satis domitas incessisse temulentos, barbaris, quod temeritas erat, fiduciam esse credentibus.* Hunc adparatum carnifex sequebatur: quippe satrapes Aspastes, de quo ante dictum est, interfici iussus est. adeo nec luxuriæ quidquam crudelitas; nec crudelitati luxuria obstat.

4,16,12. 16 17 18 19 20,1,9. 20 7,3,5. 21 9,10,29. 22 6,8,16. 23 9,3,22. 24 3,12,18. 25 26 5,1,20. 27 4,9,22. 8, 10,18. 28 29 9,10,21. 30

FRAG-

Cleandrum alioſque Parmenionis interfectores, ob auaritiam & libidinem à prouincialibus accuſatos

FRAGMENTORVM

Q. CVRTII RVFI

DE REBVS ALEXANDRI Regis Macedonum

LIBER DECIMVS.

ISDEM fere diebus Cleander & Sitalces, & cum Agathone Heracon ſuperueniunt, qui Parmenionem iuſſu regis occiderant; quinque millia peditum cum equitibus mille. Sed & accuſatores eos è prouincia, cui præfuerant, ſequebantur; nec tot facinora, quot admiſerant, compenſare poterant cædis perquam gratæ regi miniſterio. Quippe quum omnia profana ſpoliaſſent; ne ſacris quidem abſtinuerant: virgineſque & principes feminarum ſtupra perpeſſæ, corporum ludibria deflebant. Inuiſum Macedonum nomen auaritia eorum, ac libido barbaris fecerat. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem virginem conſtupratam ſeruo ſuo pellicem dederat. Plerique amicorum Alexandri non tam criminum, quæ palam obiiciebantur, atrocitatem; quam memoriam occiſi per eos Parmenionis, quod tacitum prodeſſe reis apud regem poterat, intuebantur: læti recidiſſe iram in iræ miniſtros, NEC VLLAM potentiam ſcelere quæſitam cuiquam eſſe diuturnam. Rex cognita cauſſa pronunciauit *ab accuſatoribus vnum, & id maximum crimen eſſe præteritum, deſperationem ſalutis ſuæ: numquam enim talia auſuros, qui ipſum ex India ſoſpitem, aut*

7, 2, 23.

9, 8, 9.

2

3

4

5

6

7

in vinculis habet. Nearchus & Oneſicritus ex longinqua nauigatione reuerſi, ad plura cognoſcenda remittuntur. Ipſe totius orbis imperium animo complexus naues

aut optaſſent reuerti; aut credidiſſent reuerſurum. Igitur hos quidem vinxit; *DC autem militum, qui ſæuitiæ eorum miniſtri fuerant, interfici* iuſſit. Eodem die ſumptum eſt ſupplicium de iis quoque, quos auctores defectionis Perſarum Craterus adduxerat. Haud multo poſt Nearchus & Oneſicritus, quos *longius in Oceanum procedere* iuſſerat, ſuperueniunt. Nunciabant autem quædam audita, alia comperta; *inſulam oſtio amnis ſubjectam auro abundare; inopem equorum eſſe: ſingulos equos ab iis, qui ex continenti traijcere auderent, ſingulis talentis emi. Plenum eſſe belluarum mare; æſtu ſecundo eas ferri magnarum nauium corpora æquantes: truci cantu deterritas ſequi claſſem: cum magno æquoris ſtrepitu, velut demerſa nauigia, ſubiiſſe aquas.* Cetera incolis crediderant: inter quæ *rubrum mare non à colore vndarum, vt plerique crederent, ſed ab Erythra rege adpellari. Eſſe haud procul à continenti inſulam palmis frequentibus conſitam, & in medio fere nemore columnam eminere, Erythræ regis monumentum, litteris gentis eius ſcriptam.* Adjiciebant *nauigia, quæ lixas mercatoreſque vexiſſent, famam auri ſequutis gubernatoribus in inſulam eſſe tranſmiſſa, nec deinde ab his poſtea viſa.* Rex cognoſcendi plura cupidine accenſus, *rurſus eos terram legere* iubet, *donec ad Euphraten adpellerent claſſem; inde aduerſo amne Babylonem ſubituros.* Ipſe animo infinita complexus, ſtatuerat omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infenſus: inde Numidiæ ſolitudinibus peragratis curſum Gadis dirigere. *ibi* namque *columnam Herculis eſſe* fama vulgauerat. Hiſpanias deinde, quas *Iberiam* Græci à flumine Ibero vocabant, adire; & præteruehi Alpes, Italiæque oram, vnde in Epirum breuis curſus eſt. Igitur Meſopotamiæ prætoribus imperauit, *materia in Libano monte cæſa, deuectaque ad vrbem Syriæ Thapſacum, ingentium carinas nauium ponere*

8

9, 10, 19.

9, 10, 3.

11

12

13

8, 9, 14.

14

15

16

17

4, 4, 8.

9, 2, 29.

18

19

aedificari iubet. Apud Persagadas ab Orsine donis maximis honoratus; a Bagoa spadone, quem Orsines contempserat, in illius exitium

nere: septiremes omnes esse, deducique Babylonem. Cyprio-
rum regibus imperatum, vt æs stuppamque & vela præbe-
rent. Hæc agenti Pori & Taxilis regum literæ traduntur, 20
Abisarem morbo; Philippum præfectum ipsius ex vulnere in-
teriisse, oppressosque qui vulneraſſent eum. Igitur Philippo 21
subſtituit Eudæmonem, dux erat Thracum; Abisaris regnum
filio eius adtribuit. Ventum est deinde Persagadas. Per- 22
sica est gens, cuius satrapes Orsines erat, nobilitate ac diui-
4, 12, 8. tiis inter omnes barbaros eminens. Genus ducebat à Cy- 23
ro quondam rege Persarum: opes & à maioribus traditas
habebat; & ipse longa imperii possessione cumulauerat. Is 24
8, 12, 15. regi cum omnis generis donis, non ipsi modo ea, sed etiam
amicis eius daturus occurrit. Equorum domiti greges se-
3, 3, 12. quebantur, curruſque argento & auro adornati, preciosa su-
pellex, & nobiles gemmæ, aurea magni ponderis vasa, ve-
steſque purpureæ, & signati argenti talenta quatuor millia.
Ceterum tanta benignitas barbaro causſa mortis fuit. nam 25
quum omnes amicos regis donis super ipsorum vota co-
6, 5, 23. luisset; Bagoæ spadoni, qui Alexandrum obsequio corporis
deuinxerat sibi, nullum honorem habuit. admonituſque à 26
quibusdam *quam Alexandro cordi esset*; respondit *amicos*
regis, non scorta se colere: nec moris esse Persis, mares duce-
re, qui stupro effeminarentur. His auditis spado potentiam 27
flagitio & dedecore quæsitam, in caput nobiliſſimi & in-
sontis exercuit. Namque gentis eiusdem leuiſſimos falsis
criminibus adſtruxit, monitos tum demum ea deferre, quum
ipse iuſſiſſet. Interim quoties sine arbitris erat, credulas 28
regis aures implebat; diſſimulans causſam iræ, quo grauior
criminantis auctoritas esset. Nondum suspectus erat Orsi- 29
nes, iam tamen vilior. Reus enim in secreto agebatur,
latentis periculi ignarus: & importuniſſimum scortum, ne
in stupro quidem & dedecoris patientia fraudis oblitum,
quoties amorem regis in se accenderat, Orsinem modo *au-*

ritiæ,

instigatur. Nam Cyri sepulchro aperto, diuitiæ olim ibi conditæ, ab Orsine surreptæ fuisse ementitur: præcipiti iam in supplicia rege.

30 *ritiæ*, interdum etiam *defectionis* arguebat. Iam matura
erant in perniciem innocentis mendacia, & fatum, cuius in- 4, 6, 17. 5,
euitabilis sors est, adpetebat. Forte enim *sepulchrum Cyri* 11, 10.
Alexander iuſſit *aperiri*, in quo erat conditum eius corpus,
31 cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum esse
crediderat, quippe ita fama Persæ vulgauerant; sed præter
clypeum eius putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem,
32 nihil reperit. Ceterum corona aurea impoſita amiculo, 10, 10, 7. &
cui adſuecuerat ipse, solium, in quo corpus iacebat, velauit; 13.
miratus *tanti nominis regem, tantis præditum opibus, haud*
33 *precioſius sepultum esse, quam si fuisset è plebe.* Proximus
erat lateri spado, qui regem intuens, *quid mirum*, inquit, *eſt*
inania sepulcra esse regum, quum satraparum domus aurum
34 *inde egestum capere non possint? Quod ad me adtinet, ipse*
hoc buſtum antea non videram: sed ex Dario ita accepi
35 *tria millia talentum condita esse cum Cyro. Hinc illa be-*
nignitas in te; vt quod impune habere non poterat Orsines,
36 *donando etiam gratiam iniret.* Concitauerat iam animum
in iram; quum ii, quibus negocium idem dederat, super-
ueniunt. hinc Bagoas; hinc ab eo subornati, falsis crimini-
37 bus occupant aures. Antequam accusari se suspicaretur Or-
sines, in vincula est traditus. Non contentus supplicio in-
sontis spado, ipse morituro manum iniecit. Quem Orsi-
nes intuens, *audieram*, inquit, *in Asia olim regnasse femi-*
38 *nas; hoc vero nouum est, regnare castratum!* Hic fuit exi-
tus nobiliſſimi Persarum, nec insontis modo, sed eximiæ
39 quoque benignitatis in regem. Eodem tempore Phradates
regnum adfectasse suspectus occiditur. Ceperat esse præ-
ceps ad repræsentanda supplicia; idem ad deteriora creden-
40 da. Scilicet RES SECUNDÆ valent commutare naturam; 3, 2, 17. 5,
& raro * quisquam erga bona sua satis cautus est. Idem 12, 20.
enim paulo ante Lynceſtem Alexandrum delatum à duobus * 4, 14, 20.
41 indicibus damnare non sustinuerat: humiliores quoque 7, 1, 6.

reos contra suam voluntatem, quia ceteris videbantur insontes, passus absolui: hostibus victis regna reduxerat. ad vlti- 42
10,5,28. mum à semetipso degenerauit vsque adeo, vt aduersus libidinem animi, arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam. Iisdem fere diebus literas à Cœno accepit de rebus 43
in Europa & Asia gestis, dum ipse Indiam subigit. Zopyrio 44
Thraciæ præpositus dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subito coortis, cum toto exercitu oppressus erat. Qua cognita clade Scuthes Odrysas popu- 45
lares suos ad defectionem compulerat. Amissa propemodum Thracia ne Græcia quidem *

CAP. II. * Igitur triginta nauibus Sunium transmittunt, promontorium est Atticæ terræ; vnde portum vrbis petere decreuerant. His cognitis rex Harpalo Athenienſibusque 2
iuxta infestus *classem parari* iubet; Athenas protinus petiturus. Quod consilium dum agitat clam, literæ ei reddun- 3
tur, *Harpalum intrasse quidem Athenas, pecunia conciliasse sibi principum animos: mox concilio plebis habito iussum vrbe excedere, ad Græcos milites peruenisse, à quibus interceptum & trucidatum à quodam viatore per insidias.* His lætus in Europam trajiciendi consilium omisit: sed *ex-* 4
sules præter eos, qui ciuili sanguine adspersi erant, recipi ab omnibus Græcorum ciuitatibus, quis pulsi erant, iussit. Et 5
Græci haud ausi imperium aspernari, quamquam soluendarum legum id principium esse censebant; bona quoque, quæ exstarent, restituere damnatis. Soli Athenienses, non 6
suæ modo, sed etiam publicæ vindices libertatis, conluuionem hominum, quia ægre ferebant, non regio imperio, sed legibus moribusque patriis regi adsueti prohibuere finibus: OMNIA potius toleraturi, quam purgamenta 7
quondam vrbis suæ, tunc etiam exilii, admitterent. Alex- 8
6,2,17. ander senioribus militum in patriam remissis; *tredecim millia peditum, & duo millia equitum, quæ in Asia retine-*
ret,

ret, eligi iussit: existimans modico exercitu continere posse Asiam, quia pluribus locis præsidia disposuisset; nuperque conditas vrbes, quas colonis replesset, res renouare cupien- 7, 6, 13. 7.
9 tibus obstare. Ceterum prius quam secerneret, quos erat 7, 1.
retenturus, edixit, *vt omnes milites æs alienum profiterentur.* Graue plerisque esse compererat: & quamquam ipsorum luxu contractum erat, dissoluere tamen ipse decreuerat. 9, 3, 11.
10 Illi tentari ipsos rati, quo facilius ab integris sumptuosos discerneret; prolatando aliquantum extraxerant temporis. & rex satis gnarus professioni æris pudorem, non contumaciam obstare; *mensas totis castris poni* iussit, *& decem millia*
11 *talentorum proferri.* Tum demum fide facta professi sunt, nec amplius ex tanta pecunia quam centum & triginta talenta superfuere. adeo ille exercitus, tot ditissimarum gentium victor, plus tamen victoriæ, quam prædæ deportauit
12 ex Asia. Ceterum vt cognitum est, *alios mitti domum, alios retineri*; perpetuam eum regni sedem in Asiam habiturum rati, vecordes & disciplinæ militaris immemores, seditiosis vocibus castra complent, regemque ferocius quam alias adorti, omnes simul *missionem* postulare ceperunt; deformia 9, 3, 10.
13 ora cicatricibus, canitiemque capitum ostentantes. Nec aut præfectorum castigatione, aut verecundia regis deterriti, tumultuoso clamore & militari violentia volentem loqui inhibebant; palam professi *nusquam inde, nisi in patriam ve-*
14 *stigium esse moturos.* Tandem silentio facto, magis quia motum esse credebant, quam quia ipsi moueri poterant;
15 quidnam acturus esset, exspectabant. Ille *quid hæc,* inquit, *repens consternatio, & tam procax atque effusa licentia denunciat? Eloqui timeo, palam certe rupistis imperium, & precario rex sum: cui non adloquendi, non noscendi monen-* 9, 2, 34.
16 *dique, aut intuendi vos ius reliquistis. Equidem quum alios dimittere in patriam; alios mecum paulo post deportare statuerim: tam illos adclamantes video, qui abituri sunt,*

compellarentur; persistunt. Ergo rex ira accensus, beneficia patris atque sua ingratis exprobrat:

quam hos, cum quibus præmissos subsequi statui. Quid hoc est rei? dispari in caussa idem omnium clamor est! peruelim scire, vtrum qui discedunt; an qui retinentur, de me querantur. Crederes vno ore omnes sustulisse clamorem; ita pariter ex tota concione responsum est, *omnes queri*. Tum ille *non hercule*, inquit, *potest fieri, vt adducar querendi simul omnibus hanc caussam esse, quam ostenditis; in qua maior pars exercitus non est; vtpote quum plures dimiserim, quam retenturus sum. Subest nimirum altius malum, quod omnes auertit à me. quando enim regem vniuersus exercitus deseruit? Ne serui quidem vno grege profugiunt dominos; sed est quidam in illis pudor à ceteris destitutos relinquendi. Verum ego tam furiosæ consternationis oblitus remedia insanabilibus conor adhibere. Omnem hercule spem, quam ex vobis conceperam damno; nec vt cum militibus meis, iam enim esse destitistis, sed vt cum ingratissimis operis, agere decreui. SECVNDIS rebus, quæ circumfluunt vos, insanire cepistis: obliti status eius, quem beneficio exuistis meo. digni hercule qui in eodem consenescatis; quoniam facilius est vobis aduersam, quam secundam regere fortunam. En tandem! Illyriorum paulo ante, & Persarum tributariis Asia, & tot gentium spolia fastidio sunt. Modo sub Philippo seminudis, amicula ex purpura sordent; aurum & argentum oculi ferre non possunt: lignea enim vasa desiderant, & ex cratibus scuta, rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi, & quingenta talenta æris alieni: quum omnis regia supellex haud amplius quam sexaginta talentorum esset, meorum operum fundamenta. quibus tamen (absit inuidia) imperium maximæ terrarum partis imposui. Asiæne pertæsum est, quæ vos gloria rerum gestarum diis pares fecit? In Europam ire properatis rege deserto, quum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni æs alienum luissem. nempe in Asiatica præda. Nec pudet profundo ventre*

17 18 19 20 21 22 23 24 25 26

4, 1, 10. 9, 2, 32. 10, 2, 10.

denique abire iubet: Persis se contentum fore. Mox de tribunali desiliens seditiosissimum quemque comprehendit, omnibus exterritis. Postero die deprecantes

tre deuictarum gentium spolia circumferentes, reuerti velle ad liberos coniuges que, quibus pauci præmia victoriæ potestis ostendere. Nam ceterorum, dum etiam spei vestræ obuiam
27 *istis, arma quoque pignori sunt. Bonis vero militibus carituros sum, pellicum suarum concubinis: quibus hoc solum ex tantis opibus superest, quod impenditur. Proinde fugientibus me pateant limites; facessite hinc ocyus: ego cum Persis abeuntium terga tutabor. Neminem teneo: liberate* 9, 2, 33.
28 *oculos meos ingratissimi ciues. Læti vos excipient parentes, liberique, sine vestro rege redeuntes! obuiam ibunt deser-*
29 *toribus transfugisque! Triumphabo mehercule de fuga vestra, & vbicumque ero, expetam pœnas; hos, cum quibus me relinquitis, colendo, præferendoque vobis. Iam autem scietis, & QVANTVM sine rege valeat exercitus, & quid* 5, 12, 14. 9,
30 *opis in me * vno sit.* Desiluit deinde frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen se immisit; notatos quoque, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit: nec ausos repugnare, tredecim adseruandos custodibus corporis tradidit. 5, 30, 10, 6, 8. *7, 7, 27. 9, 3, 18.

Quis crederet sæuam paulo ante concionem obtor- CAP. III.
puisse subito metu, & quum ad supplicium videret trahi ni-
2 hil ausos grauiora quam ceteros * [tam effusam antea licentiam, atque seditiosam militum violentiam ita compressam, vt non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit; verum etiam cuncti pauore exanimati adtonitis similes, quid de ipsis quoque rex statuendum censeret, suspensa mente ex-
3 spectarent. Itaque *] siue nominis, quod gentes, quæ sub regibus sunt inter deos colunt; siue propria ipsius veneratio; 3, 6, 17.
siue fiducia tanta vi exercentis imperium conterruit eos:
4 singulare certe ediderunt patientiæ exemplum; adeoque non sunt accensi supplicio commilitonum, quum sub noctem interfectos esse nossent, vt nihil omiserint, quod singuli ma-
5 gis obedienter ac pie facerent. Nam quum postero die prohibiti

non audit; sed Asiaticos milites laudat, & amice ad-
loquitur: Macedonum arma officiaque ipsis adsignat.

hibiti aditu veniſſent, Aſiaticis modo militibus admiſſis, lugubrem totis caſtris edidere clamorem, denunciantes *ſe protinus eſſe morituros, ſi rex perſeueraret iraſci.* At ille per- 6
uicacis ad omnia quæ agitaſſet animi, *peregrinorum militum concionem aduocari* iubet, *Macedonibus intra caſtra cohibitis:* & quum frequentes coiſſent, adhibito interprete talem orationem habuit. *Quum ex Europa traïcerem in Aſiam,* 7
multas nobiles gentes, magnam vim hominum imperio meo me additurum eſſe ſperabam. Nec deceptus ſum, quod de 8
his credidi famæ. Sed ad illa hoc quoque acceſſit, quod vi- 9
deo fortes viros erga reges ſuos pietatis inuictæ. Luxu
omnia fluere crediderам; & NIMIA felicitate mergi in voluptates. at hercule munia militiæ hoc animorum corporumque robore æque impigre toleratis; & quum fortes viri ſitis, non fortitudinem magis, quam fidem colitis. Hoc ego 10
8, 5, 2. *nunc primum profiteor, ſed olim ſcio. Itaque & delectum è vobis iuniorum habui; & vos meorum militum corpori immiſcui. Idem habitus, eadem arma ſunt vobis: obſequium vero & patientia imperij longe præſtantior eſt, quam ceteris.*
8, 4, 25. *Ergo ipſe Oxathris Perſæ filiam mecum in matrimonio iun-* 11
xi, non dedignatus ex captiua liberos tollere. Mox dein- 12
de quum ſtirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darij filiam duxi; proximiſque amicorum auctor fui ex captiuis generandi liberos: vt hoc ſacro fœdere omne
8, 4, 25. *diſcrimen victi, & victoris excluderem. Proinde genitos* 13
eſſe vos mihi, non adſcitos milites credite. Aſiæ & Europæ vnum atque idem regnum eſt. Macedonum vobis arma do. Inuexerant peregrinam nouitatem, & cives mei eſtis 14
& milites, omnia eumdem ducunt colorem. Nec Perſis Macedonum morem adumbrare; nec Macedonibus Perſas imitari indecorum eſt. Eiuſdem iuris eſſe debent, qui ſub eodem rege victuri ſunt.

Supple-

iſſent aliquos vinctos in amnem mergi iubet. Summa militum patientia. Quatandem expu-
gnatus omnibus ignoſcit, multos dimittit. Hephæſtio accepto ſumus Alexandro moritur.

Supplementum.

15 Hac oratione habita, Perſis corporis ſui cuſtodiam credidit, Perſas ſatellites, Perſas adparitores fecit. Per quos cum Macedones qui huic ſeditioni occaſionem dediſſent, vincti ad ſupplicia traherentur, vnum ex iis auctoritate & ætate grauem, ad Regem ita locutum ferunt.

CAP. IV.

Quouſque, inquit, *animo tuo etiam per ſupplicia, & qui-*
dem externi moris obſequeris? Milites tui, ciues tui, incognita cauſſa, captiuis ſuis ducentibus trahuntur ad pœnam! Si mortem meruiſſe iudicas, ſaltem miniſtros ſupplicij muta.
2 Amico animo, ſi veri patiens fuiſſet, admonebatur; ſed in 4, 6, 25 & 3, 20.
rabiem ira peruenerat. Itaque rurſus (nam parumper, qui-
bus imperatum erat, dubitauerant) *mergi in amnem, ſicut*
3 *vincti erant,* iuſſit. Nec hoc quidem ſupplicium ſeditionem militum mouit. Namque copiarum duces atque amicos eius, manipuli adeunt, petentes, *vt ſi quos adhuc priſtina noxa iudicaret eſſe contactos, iuberet interfici, offerre ſe corpora iræ, trucidaret.*

Supplementum.

4 Poſtquam vero cognitum eſt, Perſis ducatus datos, Barbaros in varios ordines diſ-
tributos, atque Macedonica iis impoſita nomina, ſe vero ignominioſe penitus reie-
5 ctos eſſe, non iam amplius conceptum animis dolorem perferre potuerunt. Sed concurſu in regiam facto, interiori duntaxat retenta tunica, arma ante ianuam, pœnitentiæ ſignum, proiecerunt, ac præ foribus ſtantes, intromitti ſe, ſibique ignoſci ſuppliciter atque flentes orabant, vtque rex ſuppliciis ſuis potius ſaturet ſe quam
6 contumeliis. ipſos niſi venia impetrata non diſceſſuros. Quæ cum Alexandro nunciata eſſent, apertis regiæ foribus ad ipſos eſt egreſſus. Poſtquam vero ipſorum ciulatum atque pœnitentiam, nec non miſerandum atque afflictum habitum vidiſſet, diu quoque collachrymatus eſt. Eaque modeſtia, vt ipſis ignoſceret, ob-
7 tinuerunt. Eis deinde nunc modeſte incuſatis, nunc comiter appellatis, complures 10, 4, 7.
bello inutiles exautorauit, magnificentiſſimeque donatos dimiſit. Scribens quo-
que ad Antipatrum, Macedoniæ præfectum, eis ad ſpectanda certamina priores in
8 theatro ſedes aſſignari, coronatoſque ſedere iuſſit. Defunctorum quoque liberos pupillos paterna contrahere ſtipendia voluit. Cratero iis præpoſito, quem etiam 10, 10, 14.
Antipatri loco, Macedonibus, Theſſalis Thracibuſque præeſſe iuſſit, Antipatrum-
9 que cum ſupplemento tironum in Crateri locum vocauit. Iam pridem quidem Alexandro litteræ, & ab Olympiade matre, & ab Antipatro redditæ erant, ex quibus mutuam inter ipſos ſimultatem perceperat. Mater Antipatrum affectati regni inſimulabat. Antipater Olympiadem multa præter ipſius decorum gerere ſcripſerat. Itaque euocari ſe valde iniquo ferens animo, Alexandrum veneno interficere
10 ſtatuit. Peractis his rebus omnibus, Alexander ad Ecbatana Mediæ profectus, re-
11 gni neceſſaria diſpoſuit, ſpectacula denuo & ſolennes indixit dies. Illis forte diebus Hephæſtion, quem Rex vnice ac fratris loco diligebat febricitans moritur. Ex quo Alexander incredibili affectus dolore, multa quæ regiam maieſtatem minime dece-

rent, admisisse dicitur. Miserum quippe medicum, tanquam in curando negligen- 12
tior fuisset, suspendi iussit. Super amici corpus exanime ciulans procubuit, vixque
inde ab amicis abstractus est. Diem atque noctem luctum continuauit. Aliaque
nonnulla feruntur, quæ quidem ego minime credo. Illud tamen verum est, quod 13
Alexander Hephæstioni, tanquam Heroi, sacrificare iusserit. In funus atque mo-
numentum ei faciendum, plusquam duodecim millia talentorum impensa sunt.
Reuertenti Babylonem, Chaldæi vates occurrerunt, monentes ne Babylonem in- 14
grederetur. Profectionem enim eius per id tempus, vitæ periculum ei portendere.
Quibus spretis, quo destinauerat ire pergit. Nuntiabatur enim ei, legatos ex diuer- 15
sis terrarum orbis partibus, vndique Babylonem confluxisse, eiusque aduentum ex-
spectare. Adeo totum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes, velut
destinato sibi Regi, adularentur. Igitur tanquam conuentum vniuersi orbis actu- 16
rus, Babylonem peruenire festinabat. Quo cum venisset, legatos omnes benigne
susceptos domum remisit. Iisdem fere diebus conuiuium apud Thessalum medi- 17
cum institutum est, ad quod Rex quoque cum sodalibus vocatus venit. Ibi nondum 18
Herculis scypho epoto, repente, velut telo confixus, ingemuit. Elatus è conuiuio
semianimis, tanto dolore cruciatus est, vt ferrum in remedia poscret. Amici cau- 19
sam morbi, intemperiem ebrietatis, diuulgarunt; Re vera autem insidiæ fuerunt,
quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipater enim præparatum
10, 10, 14. & 17. venenum Cassandro filio, qui cum fratribus Philippo & Iolla Regi ministrare solebat,
dederat, præmonito eo, ne aliis quam Thessalo & fratribus crederet. Philippus ita- 20
que & Iollas, potum Regis prægustare soliti, in aqua frigida venenum habentes,
eam prægustatæ potioni Regis supermiserunt. Quarto deinde die, cum milites
partim mortuum suspicarentur, idque celari crederent, partim eius desiderium fer-
re non possent, mœsti sese in regiam contulerunt, vt sibi Regis videndi copia fieret
orantes, atque à custodibus ex mandato Regis intromissi sunt.

CAP. V. INtuentibus lachrymæ obortæ præbuere speciem iam
non regem, sed funus eius visentis exercitus. Mœror tamen 2
circumstantium lectum eminebat; quos vt rex adspexit, *Inuenietis*, inquit, *quum excessero dignum talibus viris regem?*
Incredibile dictu adituque, in eodem habitu corporis, in 3
quem se composuerat, quum admissurus milites esset, durasse, donec à toto exercitu illo ad vltimum persalutatus est:
dimissoque vulgo velut omni vitæ debito liberatus, fatigata
membra reiecit. *Propiusque adire* iussis amicis, nam & vox 4
10, 6, 16. deficere iam ceperat; detractum annulum digito, Perdiccæ
tradidit, adiectis mandatis, *vt corpus suum ad Hammonem ferri iuberet.* Quærentibus his, *cui relinqueret regnum?* 5
respondit *EI, QVI esset optimus. Ceterum prouidere iam ob id certamen, magnos funebres ludos parari sibi.* Rursus 6
Perdicca interrogante, *quando cælestes honores haberi sibi vellet?*

vellet? dixit *tum velle, quum ipsi felices essent.* Suprema
7 hæc vox fuit regis, & paulopost exstinguitur. Ac primo
ploratu lamentisque & planctibus tota regia personabat:
mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant; ad cogitationes quid deinde futurum esset dolore
8 conuerso. Nobiles pueri custodiæ corporis eius adsueti, 8, 6, 3. 10,
nec doloris magnitudinem capere; nec se ipsos intra vesti- 7, 16.
bulum regiæ retinere potuerunt: vagique & furentibus similes totam vrbem luctu ac mœrore compleuerant; nul-
9 lis quæstibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit. Ergo
qui extra regiam adstiterant Macedones pariter barbarique
concurrunt; nec poterant victi à victoribus in communi
dolore discerni. Persæ *iustissimum ac mitissimum dominum*;
Macedones *optimum ac fortissimum regem* inuocantes, cer-
10 tamen quoddam mœroris edebant. Nec mœstorum so- 3, 5, 5.
lum, sed etiam indignantium voces exaudiebantur; *tam viridem, & in flore ætatis fortunæque inuidia deum ereptum esse rebus humanis.* Vigor eius & vultus educentis in prœlium milites, obsidentis vrbes, euadentis in muros, fortes
11 viros pro concione donantis occurrebant oculis. Tum
Macedones *diuinos honores negasse* ei pœnitebat; *impiosque & ingratos fuisse* se confitebantur, *quod aures eius debita* 8, 5, 10.
adpellatione fraudassent. Et quum diu nunc in veneratione,
nunc in desiderio regis hæsissent; in ipsos versa miseratio est. 3, 5, 6.
12 Macedonia profecti vltra Euphraten mediis hostibus nouum 5, 7, 2.
imperium aspernantibus destitutos se esse cernebant; sine certo regis hærede, sine hærede regni publicas vires ad se quem-
13 que tracturum. Bella deinde ciuilia, quæ sequuta sunt, mentibus augurabantur: *iterum, non de regno Asiæ, sed de rege, ipsis sanguinem esse fundendum; nouis vulneribus veteres rum-*
14 *pendas cicatrices. Senes, debiles, modo petita missione à iusto rege, nunc morituros pro potentia forsitan satellitis alicujus*
15 *ignobilis.* Has cogitationes voluentibus nox superuenit, ter-

Persa quoque dolorem suis moris luctu testantur. At Sisygambis Darij mater, inedia se

5, 1, 19. & roremque auxit. milites in armis vigilabant: Babylonii alius
26. è muris, alius culmine sui quisque tecti prospectabant, quasi certiora visuri. nec quisquam lumina audebat accendere, 16
& quia oculorum cessabat vsus; fremitus, vocesque auribus captabant: ac plerumque vano metu territi per obscuras semitas, alius alii occurrantes, inuicem suspecti & soliciti ferebantur. Persæ comis suo more detonsis, in lugubri veste, 17
cum coniugibus ac liberis, non vt victorem & modo hostem, sed vt gentis suæ iustissimum regem vero desiderio lugebant. Adsueti sub rege viuere, *non alium, qui imperaret ipsis, digniorem fuisse* confitebantur. Nec muris vrbis lu- 18
ctus continebatur; sed proximam regionem ab ea, deinde magnam partem Asiæ cis Euphratem tanti mali fama peruaserat. Ad Darii quoque matrem celeriter perlata est. 19
3, 11, 25. absciſſa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumpsit; lacera-
3, 11, 25. tisque crinibus humi corpus abiecit. Adsidebat ei altera 20
10, 5, 24. ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens; propriasque causas doloris in communi mœstitia retractabat. Sed omnium suorum mala Sisygambis vna 21
3, 11, 25. 7, capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat. Recens
& 5. dolor etiam præterita reuocauerat. crederes modo amissum Darium, & pariter miseræ duorum filiorum exsequias esse ducendas. Flebat mortuos simul viuosque. *Quem enim* 22
puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum se captas; iterum excidisse regno. qui mortuo Dario ipsas tueretur reperisse; qui post Alexandrum respiceret, vtique non reperturas. Subibat inter hæc ani- 23
mum, *octoginta fratres suos eodem die ab Ocho sæuissimo regum trucidatos, adiectumque stragi tot filiorum patrem: è septem liberis, quos genuisset ipsa, vnum superesse: ipsum Darium floruisse paulisper, vt crudelius posset exstingui.* Ad 24
vltimum dolori succumbit, obuolutoque capite accidentis
8, 5, 20. genibus suis neptem, nepotemque auersata, cibo pariter abs-

tinuit

consicit. Alexandri bona natura; vitia fortuna vel ætatis fuisse ostenditur. Pietas eius in parentes, & temperantia, itemque vitia expenduntur. fortuna plus videtur debuisse quam virtuti.

tinuit & luce. quinto, postquam mori statuerat, die ex-
25 stincta. Magnum profecto Alexandro indulgentiæ in eam, iustitiæque in omnes captiuos documentum est mors huius: quæ quum sustinuisset post Darium viuere; Alexan-
26 dro esse superstes erubuit. Et hercule, iuste æstimantibus regem liquet, bona naturæ eius fuisse; vitia vel fortunæ, vel
27 ætatis. Vis incredibilis animi: laboris patientia propemo- 7, 5, 1.
dum nimia; fortitudo non inter reges modo excellens, sed
28 inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit: liberalitas sæpe maiora tribuentis, quam à diis petuntur: clementia in deuictos, tot regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, 10, 1, 41.
29 aut dono data: mortis, cuius metus ceteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudisque vt iusto maior cupi- 7, 8, 12. 9,
30 do; ita vt iuueni & in tantis admittenda rebus. iam pietas 6 20.
erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecra- 3, 6, 15.
31 re decreuerat; Philippum vltus erat: iam in omnes fere 9, 6, 26.
amicos benignitas; erga milites beneuolentia; consilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat ætas eius ca-
32 pere, solertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris 6, 5, 32.
intra naturale desiderium vsus, nec vlla nisi ex permisso vo-
33 luptas: ingentes profecto dotes erant. Illa fortunæ: diis æquare se, & cœlestes honores accersere, & talia suadentibus 8, 5, 5.
oraculis credere, & dedignantibus venerari ipsum vehementius quam par esset irasci; in externum habitum mutare corporis cultum, imitari deuictarum gentium mores, quas
34 ante victoriam spreuerat. Nam iracundiam & cupidinem vini sicuti iuuenta inritauerat, ita senectus mitigare potuisset.
35 Fatendum est tamen, quum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ; quam solus omnium mortalium in po- 3, 6, 18. 8,
testate habuit. Quoties illum à morte * reuocauit? quoties 3, 1.
36 temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit? Vitæ * 9, 5, 2.
quoque finem eumdem illi, quem gloriæ statuit. Exspectauere eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano,

De nouo rege deliberant. Perdiccæ annulo quem Alexander ei dederat, in medio posito.

9, 3, 7. quidquid mortalitas capiebat, impleret. Huic regi ducique 3 7
3, 5, 7. successor quærebatur: sed maior moles erat, quam vt vnus subire eam posset. Itaque nomen quoque eius & fama rerum in totum propemodum orbem, reges ac regna diffudit; clarissimique sunt habiti; qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt.

CAP. VI. Ceterum Babylone (inde enim diuertit oratio) corporis eius Custodes, in regiam principes amicorum, ducesque copiarum aduocauere. sequuta est militum turba, cupientium scire, in quem Alexandri fortuna esset transitura. Multi du- 2
ces frequentia militum exclusi regiam intrare non poterant; quum præco *exceptis, qui nominatim citarentur, adire* prohibuit. sed precarium spernebatur imperium. Ac primum 3
eiulatus ingens, ploratusque renouatus est: deinde futuri exspectatio inhibitis lachrimis silentium fecit. Tunc Per- 4
dicca regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema
10, 7, 13. vestisque Alexandri cum armis erant; annulum sibi pridie
10, 5, 4. traditum à rege in eadem sede posuit, quorum adspectu rursus obortæ omnibus lachrimæ integrauere luctum. Et Per- 5
dicca, *ego quidem*, inquit, *annulum, quo ille regni atque imperij vires obsignare erat solitus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis. Ceterum quamquam nulla clades huic, qua ad-* 6
fecti sumus, par ab iratis diis excogitari potest; tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus credere licet, tantum virum deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa cito repeterent eum suæ stirpi. Proinde quoniam 7
nihil aliud ex eo superest, quam quod semper ab immortalitate subducitur, corpori nominique quamprimum iusta soluamus; haud obliti, in qua vrbe, inter quos simus, quali rege ac præside spoliati. Tractandum est commilitones, co- 8
gitandumque, vt victoriam partam inter hos, de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. hoc ne vno an pluribus, in vestra potestate est. Illud scire debetis, militarem

9 rem sine duce turbam corpus esse sine spiritu. Sextus men- 5, 12, 14. 9, 5.
sis est, ex quo Roxane prægnans est; optamus vt marem 30. 10, 2, 29.
enitatur: eius regnum diis adprobantibus futurum, quando
10 *adoleuerit. interim à quibus regi velitis destinate.* Hæc 10, 7, 8.
Perdicca. Tum Nearchus, *Alexandri modo sanguinem, ac stirpem regiæ maiestati conuenire neminem* ait *posse mirari.*
11 *Ceterum exspectari nondum ortum regem, & qui iam sit præteriri, nec animis Macedonum conuenire, nec tempori rerum. Esse è Barsine filium regis, huic diadema dandum.*
12 Nulli placebat oratio. itaque suo more hastis scuta quatien- 10, 7, 14.
tes obstrepere perseuerabant. Iamque prope seditionem
13 peruenerant; Nearcho peruicacius tuente sententiam. Tum Ptolemæus *digna prorsus est soboles*, inquit, *quæ Macedonum imperet genti Roxanes vel Barsinæ filius; cuius nomen quoque Europam dicere pigebit, maiore ex parte captiui.*
14 *Cur Persas vicerimus, vt stirpi eorum seruiamus? quod iusti*
illi reges Darius & Xerxes tot millium agminibus, tantisque
15 *classibus nequidquam petiuerunt. Mea sententia hæc est, vt sede Alexandri in regia posita, qui consiliis eius adhibebantur, coeant, quoties in commune consulto opus fuerit: eoque, quod maior pars eorum decreuerit, stetur. duces, præfe-*
16 *ctique copiarum his pareant.* Ptolemæo quidam, potiores Perdiccæ adsentiebantur. Tum Aristonus orsus est dicere, *Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse* 10, 5, 5.
optimum deligi. indicatum autem ab ipso optimum Perdic- 10, 5, 4.
17 *cam, cui annulum tradidisset. Neque enim vnum eum adsedisse morienti; sed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegisse cui traderet. Placere igitur summam impe-*
18 *rij ad Perdiccam deferri.* Nec dubitauere, quin vera censeret. itaque vniuersi *procedere in medium Perdiccam, & regis annulum tollere* iubebant. Hærebat inter cupiditatem pudoremque, & quo modestius, quod exspectabat, adpete-
19 ret, peruicacius oblaturos esse credebat. Itaque contatus,

diu-

 Meleagro animum facit, vt explosis omnium sententiis, direptisque thesauris, Aridæum, Alexandri fratrē, adnitēte etiā militari vulgo regē faceret. At Pithon

diuque, quid ageret incertus; ad vltimum tamen recessit, & post eos, qui fœderant proximi, constitit. At Meleager 20
10, 9, 18. vnus è ducibus confirmato animo, quem Perdiccæ contatio erexerat, *nec dij fuerint*, inquit, *vt Alexandri fortuna, tantique regni fastigium in istos humeros ruat; homines certe non ferent. Nihil dico de nobilioribus quam hic est, sed de viris tantum; quibus invitis nihil perpeti necesse est. Nec vero interest, Roxanes filium, quandoque genitus erit, an* 21
10, 7, 14. *Perdiccam regem habeatis; quum iste sub tutelæ specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet, nisi qui nondum natus est: & in tanta omnium festinatione, non iusta modo, sed etiam necessaria, exactos menses solus exspectat, & iam diuinat marem esse conceptum: quem vos dubitatis paratum esse vel subdere. Si medius fidius Alexan-* 22
der hunc nobis regem pro se reliquisset, id solum ex iis, quæ imperasset, non faciendum esse censerem. Quin igitur ad 23
diripiendos thesauros discurritis? harum enim opum regiarum vtique populus est heres. Hæc eloquutus per medi- 24
10, 9, 18. os armatos erupit, & qui abeunti viam dederant, ipsum ad pronunciatam prædam sequebantur.

CA. VII. Iamque armatorum circa Meleagrum frequens globus erat, in seditionem ac discordiam versa concione; quum quidam plerisque Macedonum ignotus ex infima plebe, *Quid opus est*, inquit, *armis, ciuilique bello habentibus regem, quem quæritis? Aridæus Philippo genitus, Alexandri pauloante* 2
regis frater, sacrorum, cærimoniarumque consors modo, nunc solus heres, præteritur à vobis. Quo merito suo? quidve fecit, cur etiam gentium communi iure fraudetur? Si Alexandro similem quæritis, nunquam reperietis; si proximum, hic solus est. His auditis concio primo silentium velut iussa habuit: conclamant deinde pariter *Aridæum vocandum esse, mortemque meritos, qui concionem sine eo habuissent.* Tum Pithon plenus lachrimarum orditur dicere. 4

Nunc

Roxanes filio nondum nato regnum seruari iubet: cui principes adsentiuntur. inde inter eos & Meleagrum

Nunc vel maxime miserabilem esse Alexandrum, qui tam bonorum ciuium militumque fructu, & præsentia fraudatus esset. Nomen enim memoriamque regis sui tantum intu-
5 *entes, ad cetera caligare eos.* * Haud ambigue in iuuenem, cui regnum destinabatur, impensa probra; quæ magis ipsi odium, quam Aridæo contemptum adtulerunt: quippe
6 dum miserentur, etiam fauere ceperunt. Igitur *non alium se quam eum, qui ad hanc spem genitus esset, regnare passu-* 10, 7, 15.
ros pertinaci adclamatione declarant, *vocarique Aridæum*
7 iubent. Quem Meleager infestus inuisusque Perdiccæ strenue perducit in regiam; & milites *Philippum* consalutatum,
8 *regem* adpellant. Ceterum hæc vulgi erat vox; principum alia sententia. E quibus Pithon consilium Perdiccæ exsequi cepit, *tutoresque* destinat *filio ex Roxane futuro, Perdic-* 10, 6, 9.
9 *cam, & Leonnatum stirpe regia genitos.* Adiecit, *vt in Europa Craterus & Antipater res administrarent.* Tum iusiurandum à singulis exactum *futuros in potestate regis ge-*
10 *niti Alexandro.* Meleager haud iniuria metu supplicii territus, cum suis secesserat. Rursus Philippum trahens secum inrupit regiam, clamitans *suffragari reipubl. de nouo rege pauloante concepto, robur ætatis experirentur; modo stirpem Philippi, & filium, ac fratrem regum duorum sibimet-*
11 *ipsis potissimum crederent.* Nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus; quantos multitudo motus habet. vtique si noua & breui dura- 9, 4, 22.
12 tura libertate luxuriat. Pauci Perdiccæ modo electo; plures Philippo quam sperauerat, imperium dabant. Nec velle, nec nolle, quidquam diu poterant; pœnitebatque modo consilii, modo pœnitentiæ ipsius. Ad vltimum tamen
13 in stirpem regiam inclinauere studiis. Cesserat ex concione Aridæus principum auctoritate conterritus, & abeunte illo conticuerat magis, quam languerat militaris fauor. Itaque reuocatus vestem fratris, eam ipsam, quæ in sella posita 10, 6, 4.

 fuerat,

turba. Cum hoc phalanx & Aridæus in regiam irrumpunt: Perdicca & Leonnatus cū equitibus vbi excedūt: Meleager instigat nouū regem

fuerat, induitur. Et Meleager thorace sumpto capit arma, 14
10, 6, 12. nouique regis satelles sequitur. Phalanx hastis clypeos quatiens *expleturam se sanguine illorum, qui adfectauerant nihil ad ipsos pertinens regnum*, minabatur. *in eadem domo* 15
familiaque imperij vires remansuras esse gaudebant; *hereditarium imperium stirpem regiam vindicaturam*; *adsue-*
4, 1, 17. 10, *tos se nomen ipsum colere, venerarique, nec quemquam id*
7, 6. *capere, nisi genitum vt regnaret.* Igitur Perdicca territus *con-* 16
claue in quo Alexandri corpus iacebat, adseruari iubet. Sexcenti cum ipso erant, spectatæ virtutis: Ptolemæus quo-
10, 5, 8. que se adiunxerat ei, puerorumque regia cohors. Ceterum 17
haud difficulter à tot millibus armatorum clausstra perfracta sunt. Et rex quoque inruperat stipatus satellitum turba, quorum princeps erat Meleager. Iratusque Perdicca *hos, qui* 18
Alexandri corpus tueri vellent, sevocat; sed qui inruperant, eminus tela in ipsum iaciebant. multisque vulneratis, tandem seniores demptis galeis, quo facilius nosci possent, precari, qui cum Perdicca erant, cepere, *vt abstinerent bello, regique & pluribus cederent.* Primus Perdicca arma de- 19
posuit; ceterique idem fecere. Meleagro deinde suadente *ne à corpore Alexandri discederent*; insidiis locum quæri rati, diuersa regiæ parte ad Euphraten fugam intendunt. Equitatus, qui ex nobilissimis iuuenum constabat, Perdiccam 20
& Leonnatum frequens sequebatur; placebatque *excedere*
10, 8, 11. *vrbe, & tendere in campos.* Sed Perdicca ne pedites qui- 21
dem sequuturos ipsum desperabat: itaque ne abducendo equites abrupisse à cetero exercitu videretur, in vrbe substitit.

CA. VIII. At Meleager regem monere non destitit, *ius imperij Perdiccæ morte sanciendum esse: ni occupetur impotens ani-*
10, 9, 7. *mus, res nouaturum. Meminisse eum quid de rege meruis-*
6, 8, 6. *set, neminem autem ei satis fidum esse, quem metuat.* Rex 2
10, 9, 18. patiebatur magis, quam adsentiebatur. Itaque Meleager silen-

silentium pro imperio habuit, misitque regis nomine, qui Perdiccam accersèrent. iisdem mandatum, *vt occiderent, si*
3 *venire dubitaret.* Perdicca nunciato satellitum aduentu, sexdecim omnino pueris regiæ cohortis comitatus in limi- 8, 6, 2.
ne domus suæ constitit; castigatosque & *Meleagri mancipia* idemtidem adpellans, sic animi vultusque constantia ter-
4 ruit, vt vix mentis compotes fugerent. Perdicca pueros *equos* iussit *conscendere*; & cum paucis amicorum ad Leonnatum peruenit; iam firmiore præsidio vim propulsaturus,
5 si quis inferret. Postero die indigna res Macedonibus videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum; & Me-
6 leagri temeritatem armis vltum ire decreuerant. atque ille seditione prouisa, quum regem adisset, interrogare eum cepit, *an Perdiccam comprehendi ipse iussisset.* ille *Meleagri in-*
stinctu se iussisse respondit. *Ceterum non debere tumultua-*
7 *ri eos; Perdiccam enim viuere.* Igitur concione dimissa Meleager equitum maxime defectione perterritus, inopsque consilii (quippe in ipsum periculum reciderat, quod inimico pauloante intenderat) triduum fere consumpsit incerta
8 consilia voluendo. Et pristina quidem regiæ species manebat. nam & legati gentium regem adibant: & copiarum duces aderant: & vestibulum satellites armatique comple-
9 uerant. Sed ingens sua sponte mœstitia vltimæ desperationis index erat: suspectique inuicem non adire propius; non conloqui audebant, secretas cogitationes intra se quoque voluentes, & ex comparatione regis noui, desiderium excita-
10 batur amissi. *Vbi ille esset, cuius imperium, cuius auspicium*
sequuti erant, requirebant. *destitutos se inter infestas indo-* 6, 9, 28.
mitasque gentes, expetituras tot cladium suarum pœnas,
11 *quandocumque oblata esset occasio.* His cogitationibus animos exedebant, quum annunciatur *equites, qui sub Perdicca*
essent, occupatis circa Babylonem campis, frumentum, quod in 10, 7, 20.
12 *vrbem inuehebatur, retinuisse.* Itaque inopia primum,

fame premūt: Vnde consternatus Aridæus legatos de cōcordia mittit: & in cōcione testatur, malle se regno carere, quā cū ciuili sanguine potiri. Tandē cōuenit, vt cū Perdicca & Leonato, Meleager

deinde fames esse cepit; & qui in vrbe erant, *aut reconciliandam gratiam cum Perdicca; aut armis certandum esse* censebant. Forte ita acciderat, vt qui in agris erant, popu- 13
lationem villarum vicorumque veriti, confugerent in vrbem: oppidani, quum ipsos alimenta deficerent, vrbe excederent: & vtrique generi tutior aliena sedes, quam sua videretur. Quorum consternationem Macedones veriti, in 14
regiam coeunt; quæque ipsorum sententia esset, exponunt. Placebat autem *legatos ad equites mitti de finienda discordia, armisque ponendis.* Igitur à rege legatur Pasas Thes- 15
salus, & Amissas Megalopolitanus, & Perilaus: qui quum mandata regis edidissent; *non aliter posituros arma equites, quam si rex discordiæ auctores dedidisset,* tulere responsum. His renunciatis sua sponte milites arma capiunt; 16
quorum tumultu è regia Philippus excitus, *Nihil,* inquit, *seditione est opus. nam inter se certantium præmia, qui quieuerint, occupabunt. Simul mementote rem esse cum ciuibus;* 17
quibus spem gratiæ cito abrumpere ad bellum ciuile properantium est. Altera legatione an mitigari possint, experiamur: & credo nondum regis corpore sepulto, ad præstanda 18
ei iusta omnes esse cituros. Quod ad me adtinet, reddere 19
hoc imperium malo; quam exercere ciuium sanguine: & si nulla alia concordiæ spes est, oro, quæsoque eligite potiorem. Obortis deinde lachrimis diadema detrahit capiti; dextram, 20
qua id tenebat, protendens, vt *si quis se digniorem profiteretur, acciperet.* Ingentem spem indolis ante eum diem fra- 21
tris claritate suppressam, ea moderata excitauit oratio. itaque cuncti instare ceperunt, *vt quæ agitasset, exsequi vellet.* Eos- 22
dem rursus legat petituros, *vt Meleagrum tertium ducem acciperent.* Haud ægre id impetratum est. nam & abducere Meleagrum Perdicca à rege cupiebat; & vnum duobus imparem futurum esse censebat. Igitur Meleagro cum pha- 23
lange obuiam egresso, Perdicca equitum turmas antecedens occur-

occurrit. Vtrumque agmen mutua salutatione facta coit; in perpetuum, vt arbitrabantur, concordia & pace firmata.

SEd iam fatis admouebantur Macedonum genti bella Cap IX.
ciuilia. Nam & insociabile est regnum; & à pluribus ex- 4, 11, 22.
2 petebatur. Primum ergo conlegere vires; deinde disperserunt: & quum pluribus corpus, quam capiebat, onerassent; cetera membra deficere ceperunt: quodque imperium sub
3 vno stare potuisset: dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde iure meritoque populus Romanus *salutem se principi suo debere* profitetur, cui noctis, quam pene supremam habui-
4 mus, nouum sidus inluxit. Huius hercule, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo; quum sine suo capite dis-
5 cordia membra trepidarent. Quot ille tum exstinxit faces? 4, 4, 21.
quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? Non ergo reuiruit solum; sed etiam floret
6 imperium. Absit modo inuidia, excipiet huius sæculi tempora, eiusdem domus vtinam perpetua, certe diuturna poste-
7 ritas. Ceterum vt ad ordinem, à quo me contemplatio 4, 4, 35.
publicæ felicitatis auerterat, redeam; Perdicca vnicam spem salutis suæ in Meleagri morte deponebat: *vanum eumdem & infidum, celeriterque res nouaturum, & sibi maxime in-* 10, 8, 1.
8 *festum occupandum esse.* Sed alta dissimulatione consilium premebat; vt opprimeret incautum. Ergo clam quosdam ex copiis, quibus præerat, subornauit, *vt quasi ignoraret ipse, conquererentur palam, Meleagrum æquatum esse Perdic-*
9 *cæ.* Quorum sermone Meleager ad se relato, furens ira, Perdiccæ quæ comperisset, exponit. Ille velut noua re exterritus, admirari, queri, dolentisque speciem ostentare ei cepit; ad vltimum conuenit, *vt comprehenderentur tam seditiosæ*
10 *vocis auctores.* Agit Meleager gratias, amplexusque Per-
11 diccam, *fidem eius in se, ac beneuolentiam* conlaudat. Tum communi consilio rationem opprimendi noxios ineunt. placet *exercitum patrio more lustrari.* & probabilis causa

exercitus pedites ab equitatu perterriti, seditionis auctores delere coguntur: quibus interfectis, non multo post etiam Meleager

videbatur præterita discordia. Macedonum reges ita lustrare soliti erant milites, vt discissæ canis viscera vltimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab vtraque abjicerentur parte: intra id spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc phalanx. Itaque eo die, quem huic sacro destinauerant, rex cum equitibus elephantisque constiterat contra pedites, quis Meleager præerat. Iam equestre agmen mouebatur, & pedites subita formidine ob recentem discordiam, haud sane pacati quidquam exspectantes, parumper addubitauere, *an in vrbem subducerent copias?* quippe pro equitibus planicies erat. Ceterum veriti ne temere commilitonum fidem damnarent; substitere, præparatis ad dimicandum animis, si quis vim inferret. Iam agmina coibant, paruumque interuallum erat, quod aciem vtramque diuideret. Itaque rex cum vna ala obequitare peditibus cepit, *discordiæ auctores*, quos tueri ipse debebat, instinctu Perdiccæ *ad supplicia* deposcens: minabaturque *omnes turmas cum elephantis inducturum se in recusantes.* Stupebant improuiso malo pedites: nec plus in ipso Meleagro erat aut consilii, aut animi. tutissimum ex præsentibus videbatur, exspectare potius, quam mouere fortunam. Tum Perdicca vt torpentes & obnoxios vidit; CCC fere, qui Meleagrum erumpentem ex concione, quæ prima habita est post mortem Alexandri, sequuti erant, à ceteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitus objicit; omnesque belluarum pedibus obtriti sunt, nec prohibente Philippo, nec auctore. adparebatque id modo pro suo vindicaturum, quod adprobasset euentus. Hoc bellorum ciuilium Macedonibus & omen & principium fuit. Meleager sero intellecta fraude Perdiccæ, tum quidem, quia ipsius corpori vis non adferebatur, in agmine quietus stetit: at mox, damnata spe salutis, quum eius nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentis videret inimicos; confugit in tem-

12 10, 6, 20. 10, 6, 24. 13 14 15 16 17 18 10, 8, 2. 19 20 21 10, 7, 10.

templum: ac ne loci quidem religione defensus, occiditur. 4, 4, 13.

CAP. X.

PERdicca perducto in vrbem exercitu, consilium principum virorum habuit, in quo *imperium ita diuidi placuit, vt rex quidem summam eius obtineret; satrapes Ptolemæus* 2 *Aegypti & Aphricæ gentium, quæ in ditione erant. Laomedonti Syria cum Phœnice* data est: *Philotæ Cilicia* destinata: *Lyciam cum Pamphilia & maiore Phrygia obtinere* iussus *Antigonus: In Cariam Cassander; Menander in Ly-* 3 *diam missi. Phrygiam minorem Hellesponto adiunctam Leonnati prouinciam esse* iusserunt. *Cappadocia Eumeni cum Paphlagonia* cessit. Præceptum est, *vt regionem eam vsque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Arbate gere-* 4 *ret.* solus hic detrectabat imperium. *Pithon Mediam, Lysimachus Thraciam, adpositasque Thraciæ Ponticas gentes obtinere* iussi. *Qui Indiæ, quique Bactris & Sogdianis, ceterisque aut Oceani aut rubri maris accolis præerant, quibus quisque finibus habuisset, imperij etiam ius obtineret.* Decretum est, *vt Perdicca cum rege esset, copiisque præesset,* 5 *quæ regem sequebantur.* Credidere quidam *testamento Alexandri distributas esse prouincias*; sed famam eius rei, quamquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse compe- 6 rimus. Et quidem suas quisque opes diuisis imperii partibus tuebantur. quas ipsi fundauerant, si vnquam aduersus 7 immodicas cupiditates terminus staret. Quippe pauloan- te regis ministri, specie imperii alieni procurandi singuli ingentia inuaserant regna; sublatis certaminum caussis, quum & omnes eiusdem gentis essent; & à ceteris sui quisque im- 8 perii regione discreti. Sed difficile erat eo contentos esse, quod obtulerat occasio: quippe sordent prima quæque, quum maiora sperantur. Itaque omnibus expeditius vide- 9 batur augere regna; quam fuisset accipere. Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio; curis omnium ad formandum publicum statum à tam solenni munere auer- sis.

10, 1, 32.

7, 8, 12.

8, 2, 14.

8, 1, 14.

nulla tabe corruptum, curatur. Veneno quod ex Styge manat, ab Iolla interfectum plerique crediderunt. sed rumor potentia sontium exstinctus; corpus Alexandriam translatum est.

sis. Et non aliis quam Mesopotamiæ regione feruidior
æstus existit, adeo vt pleraque animalia, quæ in nudo solo
deprehendit, exstinguat; tantus est vapor solis & cœli, quo
cuncta velut igne torrentur. Fontes aquarum & rari sunt; 11
& incolentium fraude cælantur: ipsis vsus patet; ignotus
est aduenis. Vt tandem curare corpus exanimum amicis 12
vacauit; nulla tabe, ne minimo quidem liuore corruptum
videre, qui intrauerant. vigor quoque, qui constat ex spiritu,
non destituerat vultum. Itaque *AEgyptij, Chaldæique iussi* 13
corpus suo more curare, primo non sunt ausi admouere vel-
ut spiranti manus: deinde precati, *vt ius fasque esset mor-
talibus adtrectare eum*; purgauere corpus, repletumque est
10, 1, 32. odoribus aureum solium, & capiti adiecta fortunæ eius in-
signia. *Veneno necatum esse* credidere plerique: *filium* 14
*Antipatri inter ministros Iollam nomine patris iussu dedis-
se.* Sæpe certe audita erat vox Alexandri, *Antipatrum re-
gium adfectare fastigium*; *maioremque esse præfecti opibus,*
6, 1, 18. *ac titulo Spartanæ victoriæ inflatum, omnia a se data adse-*
10, 4, 8. *rentem sibi.* Credebant etiam *Craterum cum veterum mi-* 15
litum manu ad interficiendum eum missum. Vim autem 16
veneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, vt
ferrum quoque exurat, vngulæ iumenti duntaxat patiens.
Stygem adpellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat. 17
*Hoc per Cassandrum adlatum, traditumque fratri Iollæ, &
ab eo supremæ regis potioni inditum.* Hæc vtcumque sunt 18
10, 4, 19. tradita, EORVM, quos rumor adsperserat, mox potentia
exstinxit. Regnum enim Macedoniæ Antipater; & Græ-
ciam quoque inuasit. soboles deinde excepit; interfectis 19
omnibus quicumque Alexandrum etiam longinqua cogna-
tione contigerant. Ceterum corpus eius à Ptolemæo, cui 20
Ægyptus cesserat, Memphim; & inde paucis post an-
nis Alexandriam translatum est: omnisque memo-
riæ ac nomini honos habetur.

J. FREINS-

Darius à suis lethaliter vulneratus Polystrato Macedoni, à quo repertus fuerat, extrema mandata ad Alex. perferenda dat: epotaque quam ille adtulerat aqua, exspirat. Alexandri super eo commiseratio. & cætera.

J. FREINSHEMII

SVPPLEMENTVM

in Curtii lib. 5. cap. 13. num. 25.

MIratusque confossa potius quam abacta esse, semiuiui ho-
minis gemitum percipit, itaque more ingenii humani cu-
pidus visendi quid rei vehiculo isto conderetur, dimotis
pellibus, quibus obtectum erat, Darium multis vulneribus con- Iustin. 11, 15, 5.
fossum reperit. regius enim cultus, & aureæ catenæ quis à parrici-
26 dis vinctus fuerat, dubitationem eximebant. Non erat expers Curtius 5,
Græci sermonis Darius; gratiasque agebat diis, *qui post tanta mala,* 11, 5.
tamque grauia, hoc tamen indulsissent solatij, ne omnino in solitudine extremum Iustin. 11,
27 *spiritum effunderet. Itaque te,* inquit, *quisquis es mortalium, per communem* 15, 6.
hominum sortem, à qua nec maximos regum exemptos esse præsenti spectaculo mo-
28 *neris, rogo quæsoque, vt hæc ad Alexandrum mandata mea perferas; nihil eorum*
quæ longe tristissima perpessus sum, ne hunc quidem incomparabilis calamitatis exi-
tum, ita grauem mihi adcidisse vt hoc vnum, quod post tanta in me meosque merita
aduersus clementissimum victorem inimico viuendum fuit, & nunc ingrato mo-
29 *riendum est. Sed si qua postremis miserorum votis apud deos vis est, & cum ipso*
spiritu profusas preces mitius aliquod numen exaudit; ille quidem sospes & inco-
lumis, longeque supra contagium meæ sortis & inuidiam fortunæ positus, in solio
Cyri gloriosam ætatem exigat: suæque virtutis memor eum matri liberisque meis
30 *locum apud se esse patiatur, quem illi fide & obsequio meruerim. at parricidas*
promptum exitium consequatur, quod Alexander inrogabit, si non misericordia in-
felicis hostis, saltem odio facinorum, & ne impunita in aliorum etiam regum suum-
31 *que ipsius exitium erumpant.* Posthæc quum siti angeretur, adlata per Plutarch.
Polystratum aqua recreatus, *ergo,* ait, *hanc etiam tantis calamitatibus ex-* cap. 27.
tremam adcedere oportuit, vt benemerito gratiam referre non possim! at referet Zonaras.
Alexander; Alexandro vero dij. Dextram deinde protendit, *eamque* Iustin. 11,
Alexandro, fidei regiæ pignus, ferri iubens, adprehensa Polystrati manu 15, 13.
32 animam efflauit. Alexander an spiranti adhuc superuenerit, in- Arrian. 1, 5,
certum est: illud constat, miserabili regis opulentissimi exitu 25. Diodo.
comperto, copiosas lachrimas profudisse, statimque chlamyde sibi 17, 73.
detracta corpus operuisse, & magno cum honore *ad suos deferri* ius- Iustin. 11,
33 sisse, *vt regio Persarum more curatum monumentis maiorum inferretur.* In- 16, 14. Plut.
gratitudinem *hominum, à quis pro summis beneficiis crudele exi- c. 78. Zo-
tium Darius pertulit, quamquam suopte ingenio horrendum & naras. Εὐ-
exsecrabilem, insigniore ad posteritatem infamia damnauit canis σίβ λόγῳ A.
cuiusdam mira fides, qui ab omnibus familiaribus derelicto solus * Iustin. 11,
adfuit, & quam in viuum præ se tulit beniuolentiam, morienti 15, 8.

ciuiusq; animos fidelitas. Dum Alex. in Asia res gerit, Agis Laced. rex in Graecia res nouas molitur. Cretensium vrbes nonnullas occupat. deinde totam ferme Peloponnesum ad defectionem impellit. Antip. contra grandi exercitu cogit, suspectos dimittit. Alexand. de iis rebus certiore facit. a quo quadam praemissa. Agis post laeta belli principia Megalop. obsidens, ab Antipatro innaditur: & acre praelium committitur.

quoque constanter praestirit. Hunc vitae finem sortitus est ille, 3 4
quem modo contumelia adfici putabant, nisi *regem regum, & deo-*
Iust. 4,26. *rum consanguineum* salutarent: magnoque iterum experimento ad-
probatum est, NEMINEM magis patere fortunae, quam qui
pluribus eiusdem blandiciis inretitus, iugum illius tota ceruice
receperit.

SVPPLEMENTVM
In Curtii lib. 6. à principio.

DVm ea per Asiam geruntur, ne in Graecia quidem Macedo-
niaque tranquillae res fuere. Regnabat apud Lacedaemoni-
Diod. 16, 89. os Agis Archidami filius, qui Tarentinis opem ferens ceciderat, ea-
dem die quo Philippus Athenienses ad Chaeroneam vicit. Is Alex- 2
Iust. 12, 1, 5. andri per virtutem aemulus, ciues suos stimulabat, *ne Graeciam seruitu-*
te Macedonum diutius premi paterentur: nisi in tempore prouiderent, idem iu-
Diod. 17, 62. *gum ad ipsos transiturum esse. Adnitendum igitur, dum aliquae adhuc Persis ad*
resistendum vires essent: illis oppressis, aduersus immanem potentiam frustra aui-
ta libertatis memores futuros. Sic instinctis animis occasionem belli 3
ex commodo ceptandi circumspiciebant. Igitur felicitate Memno-
Diod. 17, 29. nis inuitati, consilia cum ipso miscere adgressi sunt; & postquam
ille rerum laetarum initia intempestiua morte destituit, nihilo re-
missius agebant. Sed ad Pharnabazum & Autophradaten pro- 4
Arrian. 2, 3, 10, & 18. fectus Agis, triginta argenti talenta, decemque triremes impetra-
uit, quas Agesilao fratri misit, vt in Cretam nauigaret, cuius insu-
Curt. 4, 1, 39. lae cultores inter Lacedaemonios & Macedonas diuersis studiis dis-
Arrian. 2, 3, 21. 3, 5, 10. trahebantur. Legati quoque ad Darium missi sunt, qui in vsum 5
belli ampliorem vim pecuniae, pluresque naues peterent. Atque
haec eorum cepta clades ad Issum (nam ea interuenerat) adeo non
interpellauit, vt etiam adiuuerit. quippe fugientem insequutus 6
Alexander in longinqua loca magis magisque rapiebatur; & ex
ipso praelio mercenariorum ingens multitudo in Graeciam fuga pe-
Curt. 4, 1, 39. netrauerat. quorum octo millia Persica pecunia conduxit Agis,
Diod. 17, 48. eorumque opera plerasque Cretensium vrbes recepit. Quum 7
Diod. 17, 62. deinceps Menon in Thraciam ab Alexandro missus, barbaros ad
defectionem impulisset; adque eam comprimendam Antipater ex-
ercitum ex Macedonia in Thraciam duxisset, opportunitate tem-
poris strenue vsi Lacedaemonii totam Peloponnesum, paucis vrbi-
bus exceptis, in partes traxerunt, confectoque exercitu viginti mil-
Iust. 12, 1, 8. lium peditum, cum equitibus bis mille, Agidi summam imperij de-
tulerunt.

8 tulerunt. Antipater ea re comperta bellum in Thracia, quibus Diod. 17, 63.
potest condicionibus componit; raptimque in Graeciam regressus,
ab amicis sociisque ciuitatibus auxilia cogit. Quibus conueni-
9 entibus ad quadraginta pugnatorum millia recensuit. Aduene- Frontin. 2,
rat & ex Peloponneso valida manus: sed quia dubiam ipsorum fi- 11, 4.
dem resciuerat, dissimulata suspicione gratias egit, *quod ad defenden-*
dam aduersus Lacedaemonios Alexandri dignitatem adfuissent: scripturum se id
regi, gratiam in tempore relaturo. in praesens nihil opus esse maioribus copiis: ita-
10 *que domos redirent, foederis necessitate expleta.* Nuncios deinde ad Alex-
andrum mittit, de motu Graeciae certiorem facturos. Atque illi
regem apud Bactra demum consequuti sunt; quum interim An- Curtius 7,
11 tipatri victoria, & nece Agidis in Arcadia transactum esset. Sane 4, 32.
iam pridem tumultu Lacedaemoniorum cognito, quantum tot ter-
rarum spatiis discretus potuit, prouiderat: Amphoterum *cum Cy-* Arrian. 3,
priis & Phoenicis nauibus in Peloponnesum nauigare; Meneten *tria millia ta-* 1, 22.
lentum ad mare deferre iussserat, *vt ex propinquo pecuniam Antipatro submini-* Arrian. 3,
12 *straret, quanta illum indigere cognouisset.* Probe enim perspexerat, quanti 3, 20.
ad omnia momenti motus istius inclinatio futura esset, quamquam
deinceps adepto victoriae nuncio suis operibus id discrimen com-
13 parans, *murium eam pugnam fuisse* cauillatus est. Ceterum principia Plutarch.
eius belli haud improspera Lacedaemoniis fuere. Iuxta *Corrha- Agesilao
gum Macedoniae castellum cum Antipatri militibus congressi vi- cap. 25.
ctores exstiterant: & rei bene gestae fama etiam qui suspensis men- *Aeschines
tibus fortunam spectauerant, in societatem eorum pertracti sunt. cõtra Ctesi-
14 Vna ex Elaeis Achaeisque vrbibus Pellene foedus aspernabatur; & phontem.
in Arcadia Megalopolis, fida Macedonibus ob Philippi memori- Polybius
am, à quo beneficiis adfecta fuerat. Sed haec arcte circumsessa 2, 48.
haud procul deditione aberat, nisi tandem Antipater subuenisset. Aeschines.
15 Is postquam castra castris contulit, seque numero militum alioque
adparatu superiorem conspexit, quamprimum de summa rerum
praelio contendere statuit: neque Lacedaemonii detrectauere cer-
16 tamen. Ita commissa est pugna, quae rem Spartanam maiorem Pausanias
in modum adflixit. Quum enim angustiis locorum, in quibus pu- lib. 1.
gnabatur, confisi, vbi hosti nullum multitudinis vsum futurum Curtius 6.
credebant, animose congressi essent, neque Macedones impigre 1, 10.
17 resisterent, multum sanguinis fusum est. Sed postquam Antipa-
ter integram subinde manum laborantibus suis subsidio mittebat;
impulsa Lacedaemoniorum acies gradum paulisper retulit. Quod
conspicatus Agis, cum cohorte regia, quae ex fortissimis constabat,
se in medium pugnae discrimen immisit &c.

SVPPLEMENTVM
In Curtii lib. 10. cap. 1. num. 45.

AMissa propemodum Thracia, ne Græcia quidem tumultibus inconcussa mansit. Nam Alexander, punita satraparum quo-
Curt. 10, 1, 8. rundam insolentia, quam, dum in extremo orbe Indorum armis
Plut. cap. 117. adtinetur, per summa scelera atque flagitia in prouinciales exercuerant, ceterorum metum intenderat: qui in paribus delictis 2
Diodor. 17, 106. idem admissorum præmium exspectantes, in mercenariorum militum fidem confugiebant, illorum manibus, si ad supplicium poscerentur salutem suam tutaturi; aut pecunia quanta poterat coacta, fugam inibant. Ea re cognita literæ ad omnes Asiæ prætores 3
missæ sunt, quibus inspectis *è vestigio omnes peregrinos milites qui stipendia sub ipsis facerent, dimittere* iubebantur. Erat inter eos Harpalus, quem 4
Plut. cap. 16. Alexander, quod ob ipsius amicitiam olim à Philippo eiectus solum vertisset, inter fidissimos habebat, & post Mazæi mortem satrapia
Plut. c. 74. Arrian. 3, 1, 24. 3, 8, 14. Babyloniæ donauerat, thesaurorumque custodiæ præfecerat. Is 5
Diodor. 17, 108. igitur quum fiduciam quam in propensissima regis gratia habere
[a] Athenæus 13, 7. poterat, magnitudine flagitiorum consumpsisset, quinque talen-
[b] Diodor. 17, 108. torum millia ex gaza regia rapit, conductaque sex millium mercenariorum manu, in Europam euadit. Iampridem [a] enim luxu & 6
* Plutarch. Phoc. cap. 28. & Demosth. cap. 34. Iustin. 13, 5, 7. libidinibus in præceps tractus, desperataque apud regem venia,
Dinarchus cõtra Demosth. aduersus iram ipsius in alienis opibus subsidium circumspicere ceperat; [b] & Athenienses, quorum non contemnendam potentiam, & apud ceteros Græcos auctoritatem, tum occultum in Macedonas odium norat, sedulo coluerat. Itaque spem suis faciebat, *Athe-* 7
nienses aduentu suo cognito, copiisque & pecuniis quas adduceret coram inspectis, protinus arma consiliaque sociaturos esse. Nam apud populum imperitum & mobilem, per homines improbos * & auaritia venales, omnia se muneribus consequuturum existimabat.

SVPPLEMENTVM
In Q. Curtii lib. 10. cap. 4. num. 4.

Arrianus 7, 2, 23. Plutarchus c. 122. Iustin. 12, 12, 6. Diodor. 17, 109. TAndem præ dolore vix mentis compotes vniuersi concurrunt ad regiam, armisque ante fores proiectis, tunicati adstantes, *nudæ & obnoxia pœnis corpora admitti* flentes orabant. *non se deprecari quin supplicijs sontium expiarentur, quæ per contumaciam deliquissent. regis iracundiam sibi morte tristiorem esse.* Quumque dies nocteque ante regiam 2
persistentes, miserabili clamore habituque pœnitentiam suam adprobarent; biduum tamen aduersus humilimas suorum preces

iracun-

iracundia regis durauit. tertio die victus constantia supplicum, processit; incusataque leniter exercitus immodestia, non sine mul-
3 tis vtrimque lachrimis, *in gratiam se cum ipsis redire* professus est. Digna tamen res visa est, quæ maioribus hostiis expiaretur. Itaque Arrian. 7, 2, 27.
sacrificio magnifice perpetrato, Macedonum simul Persarumque primores inuitauit ad epulas. *Nouem millia eo conuiuio excepisse*, proditum est memoriæ, *eosque omnes inuitante rege ex eodem cratere libauisse, Græcis barbarisque vatibus tum alia fausta vota præeuntibus, tum imprimis vt ea*
4 *vtriusque imperij in idem corpus coalita societas perpetua foret.* Maturata deinde est missio, & infirmissimus quisque exauctorati. amicorum quoque seniorum quibusdam commeatum dedit. ex quis Clitus Iust. 12, 12, 8.
cognomento Albus, Gorgiasque & Polydamas, & Antigenes fue-
5 re. Abeuntibus non modo præteriti temporis stipendia cum fide persoluit, verum etiam talentum adiecit in singulos milites, viatici Arrian. 7, 2, 28.
nomine. *Filios ex Asiaticis vxoribus susceptos* (ad decem millia fuisse traditur) *apud se relinqui* iussit, *ne in Macedoniam cum parentibus transgressi, &* Diod. 17, 110.
coniugibus liberisque prioribus permixti familias singulorum contentionibus & discordiis implerent: sibi curæ fore pollicitus, vt patrio more instituti militiæ artes
6 *edocerentur.* Ita supra decem veteranorum millia dimissa sunt; ad- Iustin. 12, 12, 7. Diod. 17, 109.
ditusque est Craterus, qui eos deduceret, ex præcipuis regis amicis,
7 *isti si quid humanitus contigisset, Polyperchonti parere* iussi sunt. Literis Arrian. 7, 2, 31.
etiam ad Antipatrum scriptis, *honorem emeritis haberi* præcepit, *vt quoties ludi atque certamina ederentur, in primis ordinibus coronati spectarent: vtque fato functorum liberi, etiam impuberes, in paterna stipendia succederent.* Plut. cap. 122.
8 *Craterum Macedoniæ continentibusque regionibus cum imperio præesse* placuit; Arrian. 7, 2, 31.
Antipatrum cum supplemento iuniorum Macedonum ad regem pergere. Vere- Iustin. 12, 12, 9.
batur enim ne per discordiam præfecti cum Olympiade grauis ali-
9 qua clades acciperetur. Nam multas ad Alexandrum epistolas mater, multas Antipater miserat; vicissimque alter alterum adroganter & acerbe pleraque facere criminabantur, quæ ad dedecus,
10 aut detrimentum regiæ maiestatis pertinerent. Postquam enim rumor occisi regis temere vulgatus in Macedoniam penetrauisset, Plut. cap. 117.
mater eius sororque Cleopatra tumultuatæ fuerant; & hæc qui-
11 dem paternum regnum, Olympias Epirum inuaserat. Forte dum [a] Plutarch. apophth. cap. 39. & de fortuna Alex. 2, 17.
eiusmodi literæ redduntur, Hephæstion adsuetus omnium arcanorum se participem haberi, resignatas [a] ab Alexandro simul inspiciebat. Neque vetuit eum rex; sed detractum digito annulum
ori legentis admouit, nihil eorum quæ perscripta essent, in alios ef-
12 ferendum significans. Incusasse [b] autem ambos fertur, & matris in- [b] Arrian. 7, 2, 33. Marsolentia permotum exclamasse, *eam pro habitatione decem mensium, quam* cellin. 14, 38.

in vtero sibi præbuisset, grauem mercedem exigere: Antipatrum vero suspectum habuisse, quasi parta ex Spartanis victoria tollentem animos, & imperio tot iam in annos prorogato supra præfecti modum elatum. Itaque quum eius grauitas atque integritas à quibusdam prædicaretur; subiecit, *esterius quidem album videri, sed si penitus introspiciatur, totum esse purpureum.* Pressit tamen suspicionem suam, neque vllum manifestius abalienati animi indicium prætulit. Credidere tamen plerique, *Antipatrum euocari se supplicij caussa ratum, impiis machinationibus, regiæ mortis,* quæ paulopost sequuta est, *auctorem exstitisse.* Interea rex vt imminuti exercitus detrimenta sarciret, optimum quemque Persarum in Macedonicos ordines adlegit: mille etiam præstantissimos segregauit ad propiorem sui corporis custodiam: aliam *hastatorum manum*, haud pauciores decem millibus, *circa regium tabernaculum excubias agere* iussit. Hæc agenti Peucestes superuenit cum viginti sagittariorum funditorumque millibus, quos ex sua prouincia coegerat. his per exercitum distributis profectus est Susis, Tigrique amne transmisso, apud Carrhas castrametatus est; inde quatriduo per Sittacenen ductis copiis Sambana processit; vbi per septem dies quietum agmen tenuit. Tridui deinde itinere emenso Celonas peruentum est. oppidum hoc tenent Bœotia profecti, quos Xerxes sedibus suis excitos in orientem transtulit: seruabantque argumentum originis peculiari sermone, ex Græcis plerumque vocibus constante; ceterum ob commerciorum necessitatem finitimorum barbarorum lingua vtebantur. Inde Bagistamen ingressus est, regionem opulentam, & abundantem arborum amœno & fecundo fœtu, ceteriscque ad vitæ non vsum modo, verum etiam delectationem pertinentibus. Grauis inter hęc Eumeni cum Hephæstione simultas inciderat. Nam seruos Eumenis diuersorio quod pro hero suo anteceperant, Hephæstio proturbauit, ut Euius tibicen eo reciperetur. neque diu post, quum iam sopita odia viderentur, noua exorta contentione adeo recruduerunt, vt etiam in atrox iurgium, & acerba vtrimque conuicia prorumperent. Sed Alexandri interuentu imperioque inimicitiæ sublatem in speciem abolitæ sunt: quum ille quidem Hephæstioni etiam minatus esset, qui in flagrantissima regis gratia positus, quamquam cupidum reconciliationis Eumenem, pertinacius auersabatur. Peruentum deinde est in Mediæ campos vbi maxima equorum armenta pascebantur. *Nisæos* * adpellant, magnitudine & specie insignes. *Supra quinquaginta millia ibi reperta, quum Alexander ea transiret,* à comitibus illius adnotatum est: *olim triplo plures fuisse; sed inter bellorum turbas*

Plut. apoph. cap 39.
Arrian. 7, 2, 3 4.
Diod. 17, 110.
Athenæus 12, 9.
Diod. 17, 110. Arrian. 7, 4, 25.
Arrianus 7, 3, 16. Plutarch. Eumene cap. 12.
Arrian. 7, 3, 1. *Herodot. 3, 106. 7, 40. 9, 110. Strabo lib. 11. Diod. 17, 110.

22 *turbas maximam earum partem prædones abegisse.* Ad * triginta dies ibi substitit rex. eo Atropates Mediæ satrapa centum barbaras mulieres adduxit, equitandi peritas, peltisque & securibus armatas: vn-
23 de quidam crediderunt *Amazonum ex gente reliquias fuisse.* Septimis deinde castris Ecbatana adrigit, Mediæ caput. Ibi solennia diis sacrificia fecit; ludosque edidit, & in conuiuia festosque dies laxauit animum, vt mox in nouorum operum curam atque ministeria
24 validior intenderetur. Sed ista voluentem velut iniecta manu fatum alio traxit, vitamque carissimo amicorum eius, neque multo post, ipsi quoque regi extorsit. Pueros in stadia certantes spectabat; quum nunciatur *deficere Hephæstionem*, qui morbo ex crapula
25 contracto, septimum iam diem decumbebat. Exterritus amici periculo statim consurgit, & ad hospitium illius celeriter pergit: neque tamen prius eo peruenit, quam illum mors occupasset. Id regi omnium quæ in vita pertulerat aduersorum luctuosissimum adcidisse certum habetur: eumque magnitudine doloris in lachrimas & lamenta victum, multa animi de gradu deiecti argumenta
26 edidisse. Sed ea quidem varie traduntur; illud inter omnes constat, vt quam decentissimas exsequias ei duceret, non voluisse Ecbatanis sepeliri; sed Babylonem, quo ipse concessurus erat, à Perdicca deferri curasse: ibique funus inaudito antehac exemplo duo-
27 decim talentum millibus locauisse. Per vniuersum certe imperium lugeri eum iussit: & ne memoria eius in exercitu exoleseceret, equitibus quis præfuerat, nullum præfecit ducem, sed *Hephæstionis ælam* adpellari voluit, & quæ ille signa instituisset, ea non immutari.
28 Funebria certamina ludosque, quales nunquam editi fuissent, meditatus, tria artificum millia coëgit: qui non multo post in ipsius exsequiis certasse feruntur. Nec amici tam effuso adfectu ad conciliandam eius gratiam segniter vsi, certatim reperere per quæ me-
29 moria defuncti clarior honoratiorque fieret. Igitur Eumenes, quum se ob simultatem cum Hephæstione regis indignationem incurrisse sensisset, multis auctor fuit, seque & arma sua Hephæstioni consecrandi: pecuniasque ad cohonestandum funus large con-
30 tulit. Hoc exemplum imitati sunt ceteri: eaque mox processit adsentationum impudentia; vt regi mœrore & desiderio defuncti insanienti persuasum tandem fuerit, *deum esse Hephæstionem.* Quo quidem tempore ex copiarum ducibus Agathocles Samius ad extremum periculi venit, quod illius tumulum præteriens inlachri-
31 masse visus esset. ac nisi Perdiccas *venanti sibi Hephæstionem adparuisse*

Arrian. 7, 3, 1. Diod. 17, 110.
Arrian. 7, 3, 1.
Diod. 17, 110.
Arrian. 7, 3, 8.
Plutarch. c. 123. Arrian. 7, 3, 12. Aeliã. hist. var. 7, 8. Arrian. in Epictet. 2, 22.
Diod. 17, 110.
Iust. 12, 12, 12. Plut. c. 124. Arrian. 7, 3, 15. Diodor. 17, 115.
Arrian. 7, 3, 18. Plutarch. c. 124.
Arrian. 7, 3, 16. Plutarch. Eumene cap. 4. Diodor. 17, 115.
Lucianus in lib. *Calumniæ nõ temere credendum.*

emen-

mentitus, *per deos omnes, ipsumque Hephæstionem* deieratus, *ex ipso se cognouisse, Agathoclem non vt mortuum, & vanæ diuinitatis titulis frustra ornatum fleuisse, verum ob memoriam pristinæ sodalitatis lachrimas non tenuisse*; vir fortis & de rege bene meritus, pietatis in amicum graues pœnas innocapite pependisset. Ceterum vt paulisper à luctu auocaret animum in Cossæorum gentem expeditionem suscepit. Iuga Mediæ vicina Cossæi tenent, asperum & acre genus, & prædando vitam tolerare solitum. Ab his Persarum reges annuo tributo pacem redimere consueuerant, ne in subiecta decurrentes infestam latrociniis regionem facerent. nam vim tentantes Persas facile reperitate locorum defensi, in quæ se recipiebant, quoties armis superabantur. idem muneribus quotannis placabantur, vt regi Ecbatanis, vbi *æstiua solebat agere, Babylonem remigranti, tutus per ea loca transitus esset. Hos igitur Alexander bipartito agmine adgressus, intra quadraginta dies perdomuit. Nam ab ipso rege, & Ptolemæo, qui partem exercitus ducebat, sæpe cæsi, vt captiuos suos reciperent, permisere se victori. Ille *validas vrbes opportunis locis exstrui* iussit; *ne abducto exercitu feragens obedientiam exuerent.* Motis inde castris, vt militem expeditione recenti fessum reficeret, lento agmine Babylonem procedebat. iamque vix triginta ab vrbe stadiis aberat; quum Nearchus occurrit, quem per Oceanum & Euphratis ostia Babylonem præmiserat: orabatque, *ne fatalem sibi vrbem vellet ingredi. compertum id sibi ex Chaldæis, qui multis iam prædictionum euentibus artis suæ certitudinem abunde probauissent.* Rex fama eorum hominum, constantique adseueratione motus, dimissis in vrbem amicorum plerisque, alia via præter Babylonem ducit, ac ducentis inde stadiis statiua locat. Sed ab Anaxarcho persuasus, contemptis Chaldæorum monitis, quorum disciplinam inanem aut superuacuam arbitrabatur, vrbem intrat. Legationes * eo ex vniuerso ferme orbe confluxerant. quibus per complures dies studiose auditis, deinceps ad Hephæstionis exsequias adiecit animum. quæ summo omnium studio ita celebratæ sunt, vt * nullius ad id tempus regis feralia, magnitudine sumptuum, adparatusque celebritate non vicerint. Post hæc cupido incessit regi per Pallacopam amnem ad Arabum confinia nauigandi: quo delatus vrbi condendæ commoda sede reperta, Græcorum ætate aut vulneribus inualidos, & si qui sponte remanserant, ibi conlocat. Quibus ex sententia perfectis iam futuri securus, Chaldæos inridebat, * *quod Babylonem non ingressus tantum esset incolumis, verum etiam excessisset.*

Plut. c. 123. Polyænus 4, 3, 31.

Strabo lib. 11. Diod. 17, 111. Arrian. 7, 3, 19. Strab. lib. 11. * Curtius 5, 8, 1.

Diod. 17, 111. Arrianus 7, 3, 20.

Diod. 17, 111.

Curtius. 10, 1, 16.

Plutarch. c. 123. Arrian. 7, 3, 20. Diod. 17, 112.

Iustin. 12, 13, 5. Diodor. 17, 112. Seneca suasor. 4. * Iustin. 12, 13, 1. Arrian. 7, 3, 2. Diod. 17, 113. * Diod. 17, 114. Arrian. 7, 4, 20.

* Appian. de bell. ciuil. lib. 2.

40 *cessisset.* Enimuero reuertenti per paludes, quas Euphrates in Pallacopam effusus efficit, fœdum omen oblatum est. quippe rami desuper impendentes detractum capiti regio diadema proiecerunt in fluctus. quum deinde alia super alia prodigiosa & minacia nunciarentur, procurandis iis Græco simul barbaroque ritu continua
41 sacra facta sunt. Neque tamen expiari præterquam morte regis potuere. qui quum Nearchum excepisset conuiuio, iamque cubitum iturus esset, Medij Larissæi obnixis precibus dedit, vt ad eum comessatum veniret. vbi postquam tota nocte perpotasset, male habere cepit. Ingraueſcens deinde morbus adeo omnes vires in-
42 tra sextum diem exhausit, vt ne vocis quidem potestas esset. Interea milites solicitudine desiderioque eius anxii, quamquam obtestantibus ducibus, *ne valitudinem regis onerarent*, expresserunt, vt in conspectum eius admitterentur.

Diodor. 17, 116. Gregoras fine lib. 10. Comment. in Curt. 10, 4, 14. Plut. c. 127.

Arrian. 7, 5, 6. Iustin. 12, 15, 1. Arrian 7, 5, 11.

Supplementorum in Q. Curtium

FINIS.

VARIARVM IN CVRTIVM LECTIONVM LIBELLVS.

Apostasanes. 8, 13, 1. 9, 1, 4.
apotheoseως exempla. 10, 6, 6. Hephæstionis & Antinoi. 10, 4, 13.
aqua in æstu immodice sumpta, cur, & quosnam extinxit. 7, 5, 15. quâ Rex Persarum pedes abluit, qua reuerentia adseruetur. 8, 5, 11. *Persas.* vbi venalis. 4, 7, 6. *terra. aquæ* copiam monstrat aries Baccho. 4, 7, 21. copiam pluuia largitur. 4, 7, 14. penuria cœlo terraque. 4, 7, 6. *aquam quam* Persarum Reges bibebant. 5, 2, 9. milites galea hauriunt. 5, 13, 24.
aquila quibus primùm pro signo & insigni militari fuit. 3, 3, 16. *auream.* magnarum rerum fecit auspicia. 4, 15, 26. tres pullos excludens, cur duos nido deturbet. 10, 9, 1. de *aquila* varia. 3, 3, 16. *aurea.*
aræ templorum. 10, 9, 21. Liberi & Herculis. 9, 2, 29. ab Alexandro erectæ. 9, 3, 19. cur post victoriam ab Alexandro erectæ. 3, 12, 27. *tribus.* variorum. 7, 6, 25. 9, 3, 19. *aras* apud Issum collocat Alexander. 3, 7, 8.
Arabes an legatos ad Alexandrum miserint. 10, 4, 15. *Arabia* à quibus non perdomita. 10, 1, 17. *maritima. Arabicam historiam* qui descripsit. 10, 4, 8.
Arachosii ab Ariana distincti. 9, 10, 7. *Arachosiorum* regio. 7, 3, 4. satrapa. 8, 13, 3. stipendiarii. 9, 7, 14.
Ararat mons. *Ind. Freinshem.* Gordyæi.
Araxes fluuius vel Armeniæ vel Persiæ. 5, 5, 4.
Arbela vbi sita fuerint, & vnde nomen. 4, 9, 8. vicus ne, an vrbs. *ibid. nobilem.* ad *Arbela* prœlium quando commissum. 4, 13, 17. num Alexander vltimum cum Dario prœlium commiserit. 4, 9, 8. *Arbela.*
arbor qualis fuerit, sub qua Adam decerpsit pomum exitiale. 9, 1, 10. Solis fatidica. 9, 1, 1. *arborés* nimium vmbrosæ. 9, 1, 10. miræ & inusitatæ in India. *ib.* 9, 1, 10. fatidicæ. 10, 4, 14. *arborum* præcocium exempla. 8, 5, 15.
Arcesines. 9, 1, 4.
Arciacana. 6, 6, 33.
arenarum vi viæ obrutæ. 7, 4, 27. loca arenosa. 4, 7, 6. *steriles.*
Arethusa. 6, 4, 4.
Areus. 6, 4, 4.
Argetæ. 7, 3, 1. *Agriaspas.*
Argyre insula. 10, 1, 11,
Ariana: vox hæc vel stricte, vel late accipitur. 9, 10, 11. *ne. Arianæ* regioni vnde nomen. 6, 4, 4. *Ariani* ab Arachosiis distincti. 9, 10, 7.
Aridæus, Alexandri frater. 10, 7, 2. eius animi imbecillitas. 10, 8, 2.
aries iter monstrans. 4, 7, 15. ad Hammonis oraculi originem refertur. 4, 7, 21. cur inter astra relatus. *ibid.*
Arimanes Persarum. 5, 13, 16.
Arimaspæ. 7, 3, 1. *Agriaspæ.*
Arimphæi. 6, 4, 25.
Aristamenes quis. 3, 4, 1. *Cappadociæ.*
arma quomodo debeant esse ornata. 3, 3, 26. aurea. 3, 2, 6. *arma* aurea amant Persæ. 3, 13, 10. raptim capta. 3, 8, 25. circumfert miles in ancipiti prœlio. 6, 1, 4. iacere, probrosum est. 4, 13, 13. in fuga abiicere, est dementia. 3, 11, 12. *ad.* pignori dare, Macedonibus, non item Romanis licuit. 10, 2, 26.
armamentaria hostibus sunt monstranda. 3, 8, 15. *vt.*
armatos qui se venturos minitati. 8, 13, 2.
armatura Persarum. 4, 9, 3.
Armenia vnde suum nomen. 10, 4, 17. *Thessalum. Armeniæ* regum nomina. 8, 12, 14.
armillæ quibus in vsu. 8, 9, 21. *lapilli* & *brachia.*
Ἀγυιοθύμης. Ind. Freinsh. lit. M.
artes honestæ. 8, 5, 7. *artes ludicræ* exercebant Græci. 6, 2, 5. *è Græcia.* exercet Cæsar Nero. 6, 2, 6.
Arsaces quorum præfectus. 7, 3, 1. Darii satrapa. 3, 11, 10. *Atizyes.*
Arsaci. 8, 10, 7.
Arsames, filius Ochi. 3, 13, 12. *Ochi.*
Arsanes. 8, 3, 17. rectius ne dicatur, quam Arsames. 3, 4, 3. *Ind. Freinsh.* lit. M.
Artabazi coniunx. 3, 13, 12. filiæ. 3, 13, 14. 4, 5, 1. *Statiræ.* an Curtius sæpe fecerit mentionem. 5, 9, 1. *Artabazo* quot liberi prognati. 6, 5, 4.
Artacacna: Artacana: Articaudna: Artacoana: Artacrana. 6, 6, 33.
Artaxerxes quot pellices habuerit. 3, 3, 24. *trecentas. Artaxerxis* nomen quinam adsumpserint. 6, 6, 13. crudelitas. 6, 6, 33.
Artaxiæ Reges. 8, 12, 14.
artifices varii Alexandrum adeunt. 10, 4, 17.
Artoxerxes quid significet. 5, 1, 24. *regia.*
aruspices an sine rege vel principe exta spectabant. 7, 7, 8.
arx. arces amplæ. 5, 1, 31. Babylonis. 5, 1, 24. *regia.*
Asacenus. 8, 10, 22.
Asgandes quis. 3, 3, 5. *in eodem habitu.*
Asiaticæ gentes seruitio suetæ. 6, 3, 6. Alexandro fidæ. *ibid.* sunt molles & ignauæ. 8.

uæ. 8, 1, 37. cur ſecum in expeditionibus domeſticos ſumebant. 3, 3, 25. *calonum.*

Aſiſines. 3, 7, 11. *Ind. Freinshem.* lit. A. & Siſenes.

Aſopus. 6, 4, 4.

Aſpaſiæ indoles. 6, 2, 6.

Aſpectator. Ind. Freinshem. lit. A.

Aſphidochelone qualis balæna. 4, 4, 3.

Aſpii. 8, 10, 7.

Aſſaceni. 8, 12, 14.

Aſſyrios Latini vocant Syros. 7, 8, 18.

Aſtartes ſacra. 4, 2, 10. *anniuerſarium.*

Aſtomores. 3, 6, 14.

aſtræ viæ indicia. 7, 4, 28.

Aſtrologi cur Chaldæi dicti. 4, 12, 4. 5, 1, 22. *Aſtrologiæ* an Alexander fuerit gnarus. 4, 10, 4.

aſyla. 10, 9, 21. eorum ius. 4, 4, 13. *in.*

aſyndeta Curtius amat. 3, 6, 1. 3, 7, 3. *Æſculapio.*

Ateas vbi imperium tenuit. 7, 7, 1.

Atergatis. 6, 4, 25.

Athenienſes victoriæ ſimulachro alas adimunt. 4, 3, 22. *deuinxere.* eorum precibus ſatisfacit Alexander. 4, 8, 12.

Athos montem Xerxes perfodit. 5, 7, 8. *perfoſſisque.*

Atinas. 6, 4, 4.

Ἀτροπάτης ſatrapa Darii. 3, 11, 10. *Atizyes.*

atque: hæc vox ſæpe ſuperuacua inferitur. 3, 11, 24.

Atrometus. Ind. Freinsh. Xerxes

Atropatene. 5, 2, 1.

Atropazÿ. 5, 2, 1.

Attalus primus à Philippo in Aſiam miſſus. 7, 1, 3. *Attali* cum Philippo ſanguinis coniunctio. 6, 9, 17. cum Alexandro conſanguinitas. 6, 10, 24. cædes, cui tribuenda. 7, 1, 3.

Auaria regio. 4, 9, 8. *Arbela, in Auaria* an vltimum prœlium inter Alexandrum & Darium commiſſum. 5, 1, 11.

Au & *O* promiſcue dicuntur. *Ind. Freinsh.* cotes.

auaritia Alexandri. 7, 8, 19. *auaritiæ* vis. 4, 10, 17. 5, 6, 4. ingenium. 7, 8, 20. inſatiabilitas. 8, 8, 12. crimen, quomodo Alexander excuſauit. 8, 8, 9.

auctor etiam leuis non ſpernendus. 6, 7, 33. 6, 8, 10. *auctores* potiſſimum ſunt puniendi. 6, 1, 20. 6, 6, 34. *auctoribus* belli an princeps iure poſſit iraſci. 9, 1, 22. adde *autor.*

auctoritas: huius vocis vſus. 6, 8, 25. humanitatis abuſu perit. 3, 6, 19. *grauiora.*

audax quinam dicatur. 4, 9, 23. *audaciæ. audacia* gentis Æacidarum. 4, 9, 23. Alexandri, cur non culpanda. *ibid.*

audire ſæpius æque periculoſum ac dicere. 8, 6, 24. aliquid, clam loquentem. 6, 11, 12. 8, 5, 21.

Auffbruch im Krieg. 6, 2, 16.

Augarus. 4, 1, 19. *Ind. Freinsh.* Abgarus.

augur malus eſt metus. 7, 7, 24. *augurio* vnde interpretabantur. 4, 6, 12.

auis ingenium. 7, 6, 16. *aues* frequentiam incolarum nouæ vrbis prænunciantes. 4, 8, 6. *auium.* quaſnam Alexander necari vetuit. 8, 9, 16. *auibus* vel inuia, vel peſtifera loca. 8, 11, 2. Ornithographi. 3, 3, 16. *aueram.*

aurigam Darii ipſe Alexander haſta transfixit. 4, 15, 28.

aurem alteram reo non ſemper ſeruauit Alexander. 6, 10, 3. *aurium* mutilatio. 7, 5, 20.

aureus ſolaris. 8, 7, 11. *aureorum* computatio. 9, 1, 6.

aurum ſolis ſplendorem imitatur. 3, 3, 8. quomodo inueniatur. 8, 9, 18. an in India Americana ſit in precio. 8, 9, 19. *opulentia.* quibus in locis reperiatur. 10, 1, 11. *auri* vſus olim Græcis rarus. 8, 8, 9. precio qui boues æquiparant. 8, 12, 11. ex *auro* multa ſolebant apud Perſas fieri. 3, 13, 10. *aurei lecti.* 9, 7, 15. *aureis vinculis* quinam onerati. 5, 12, 20.

auſpicia fortunæ ſummæ. 5, 9, 4. *auſpiciis* an reges & principes intererant. 7, 7, 8. bellum gerere, quid. 6, 3, 2.

Autobaſaces cur interfectus. 3, 3, 13.

Autophradates cuius loci ſatrapa. 6, 5, 21.

ἀυλόκτησις ad teſtandum in regem ſuum amorem. 3, 6, 17. *erga.* ἀυλοκτειέιαν an Lipſius defendat. 5, 9, 6. de eâ varia. 5, 9, 6. 8, 9, 31. & 33.

ἀυλοκολάκεία. 6, 10, 4.

autores examinandi. 4, 14, 15. non raro ab vſitatis formulis deflectunt. 4, 9, 20. *hinc.* ex conſequentibus nonnulla ſubintelligi volunt. 6, 1, 17. 6, 6, 26. diligentiam connectendi interdum prætermittunt. 9, 1, 17. varii, qui Indiam Orientalem deſcripſerunt. 8, 9, 2. *autoribus* non temere quid inferciendum. 7, 1, 12. ex qua re ſæpius iniuria illata. 8, 10, 25. in *autoribus* nil temere mutandum. 4, 3, 6.

auxiliares equites quid Arriano. 3, 11, 27. *at. auxilii* genus anceps. 8, 14, 16.

Ἀξιοδάτης. *Ind. Freinshem.* ſatrapa.

Axuerſes. 6, 4, 25. *Ind. Freinsh.* Xerxes.

Azama. Ind. Freinsh. ſatrapa.

B.

Babylon an antiquior diluuio. 5, 1, 24. *Semiramis.* inhabitatoribus quando exhauſta. 5, 1, 27. *ſeruit. Babylonis* ambitus. 5, 1, 26. portæ. 5, 1, 25. pulchritudo. 5, 1, 24. *ipſius.* arces. 4, 14, 2. *quod.* 5, 1, 24. 5, 1, 31. regiæ. *ibidem.* turris, nullam Curtius mentionem facit. 5, 1, 35. *Babylone Alexander* ſedem collocare ſtatuit. 10, 4, 17. *Babyloniorum* ſtupra. 5, 1, 37.

Bacchus h. e. Noa. 8, 10, 11. & Hercules, cur coniungantur. 9, 2, 29. *Bacchi* parens Hammon. 4, 7, 21. nomina. 8, 10, 12. inſigne. 8, 10, 13. expeditio in Indos. 8, 10, 11. ex India redeuntis triumphus. 9, 10, 24. Orgia, erant ſtrategemata. 9, 10, 24. *Baccho* per Lybiam proficiſcenti, aries iter monſtrat. 4, 7, 21. apud Macedonas dies quidam erat ſacer. 8, 2, 6. *Bacchum* qui æmulati. 9, 10, 24. cum *Baccho* quinam comparati. 9, 2, 29.

Bachus h. e. mare Caſpium. 6, 4, 19.

Bactra regionis caput. 7, 4, 31. *Bactriana* vbi. 8, 2, 19. *Bactrianæ* caput. 8, 1, 5. *Bactriani* Scythis finitimi. 9, 7, 11. an per Tanaim à Scythis diuidantur. 7, 7, 2.

Bagadatas. 7, 4, 8.

Bagoas. 8, 5, 8. *et.*

Bagoas quid Perſis. 10, 1, 37. *nomen.*

Bagophanes. 5, 13, 3.

Baithan quid. 5, 8, 1. *Echatana.*

Balac ciuitas. 10, 3, 12.

balænæ vbi, & qui de illis ſcripſerunt. 10, 1, 12. earum magnitudo. 4, 4, 3.

Balaſcia prouincia. 8, 10, 36.

Baleares vinciunt frontem funda. 5, 6, 18.

Βάλανος. 6, 7, 16.

Ballonymus quis. 4, 1, 15. & 19. *Abdalonimus.*

balneæ penſiles. 5, 1, 31. *penſiles.*

barbari inter barbaros. 7, 3, 6.

Barce vrbs. 9, 10, 2.

Barſiſades. 8, 13, 1.

Barnagas quale regnum. 4, 7, 18. *Troglodytis.*

Barſaentes. 8, 13, 3.

Barſanes Alexandri ingenii rex haud diſſimilis. 4, 2, 5. *aut.*

Barſine cuius filia. 4, 5, 1. *Statiræ.* Memnonis coniunx. 3, 13, 14. cur Alexander eam vxorem duxit. 4, 11, 20. eius ex Alexandro filius. 10, 6, 9. & 11. 10, 7, 2.

Bartoldi animam cur Baldus in inferno cruciari autumet. 6, 8, 10.

Baryaxes. 9, 10, 19.

βασανιζόμενον ἀποθανεῖν quid. 8, 8, 20.

Baſſa quale nomen. 6, 6, 13.

Βασιλεὺς qui. 8, 6, 2.

baſtagæ. baſtagiarÿ. Ind. Freinshem. Gangabas.

Batemeſes. 4, 6, 7.

Batyna in veneratione apud ſuos. 3, 6, 17. *erga.*

Bazira. 8, 10, 22.

Bazius. 5, 1, 44.

Bel quis. 4, 3, 23. *diis.*

Belides portæ. 3, 3, 16. *alterum.* 5, 1, 25.

bellum cum armatis, & non cum feminis gerendum. 4, 11, 17. ſine alimentis non poteſt geri. 3, 8, 8. *non. belli* initia, quid momenti habeant. 8, 10, 5. cauſſa ſit iuſta. 4, 1, 13. *diis.* inſtrumenta quinam nimium admirati. 8, 10, 32. incerta ſunt vitanda. 3, 8, 20. *illam.* artem, fortuna victos docet. 7, 7, 16. adminiſtratio libera an ducibus permittenda. 7, 7, 10. ius non ſeruat, qui ſicarios immittit. 4, 1, 12. *in bellum* quinam res ſuas pretioſiſſimas, & vxores, & liberos ſumpſerint. 3, 8, 12. 4, 14, 11.

14, 11. *bello* abſtinebant Perſæ tempore hyberno. 3, 8, 8. *hyems.* abitus *in bello*, quibus minus proſpere ceſſit. 3, 8, 7. *ſi* & *qui. bella* celerrime confecta. 5, 5, 3. non raro diremit virtus & æquitas hoſtis. 4, 11, 1. *bellorum* deſcriptioni adiungunt hiſtorici & numerum & gentes & populos. 3, 2, 4. *bellis* flagrantibus, piratæ & latrones omnia vaſtant. 4, 8, 15. *bellantium* occaſione temporum exempla. 4, 1, 27. *bellandi* finem militum expetentium rationes. 9. 3, 10. ratio quarundam gentium. 8, 10, 19.

beluæ marinæ præſagiunt tempeſtatem, & exitium ſecuturum. 4, 4, 3. quomodo terreantur. 10, 1, 12. *truci* & *deterritas.* de iſtis qui ſcripſerint. 10, 1, 12.

Belus à Nimrodo non differt. 5, 1, 24. *Semiramis. Beli* ſacerdotes. 5, 1, 43. *Menetem.* templum quando & cur Xerxes diruerit. 3, 3, 16. *alterum.* portæ. 3, 3, 16. *alterum.* 5, 1, 25. *Belum* an Perſæ coluerint. 3, 3, 16. *alterum.*

Ben. Ind. Freinsh. Xerxes.

beneficentia Alexandri. 7, 8, 26. *beneficia* non ſunt exprobranda. 8, 8, 9. *beneficiis* à nullo ſe Alexander ſuperari paſſus. 8, 12, 16.

Bengalam. 9, 7, 3.

Berbiccæ. 3, 2, 7.

Berosus Beli ſacerdos. 5, 1, 43. *Menetem.* quinam ſpurius. 5, 1, 24. *ipſius.*

Berſine. 4, 5, 1. *Statiræ.*

bes quid. 8, 7, 11.

Beſſus quale nomen. 6, 6, 13. Alexandro tradendus, cur omni velamento ſpoliatus. 7, 5, 36. *omni. Beſſi* ſupplicium. 7, 5, 40.

Beſſi an rationem ducendorum cuniculorum Romanos docuerint. 9, 4, 14.

beſtiæ an ſciant cibi modum. 5, 1, 12. indicæ. 8, 9, 16. *animalia.*

Bethan quid. 5, 8, 1. *Ecbatana.*

Betis cum Arabibus tuebatur Gazam. 4, 6, 15.

bibendi certamen inſtituit Alexander. 8, 9, 30. galea milites aquam hauriunt. 5, 13, 24. cur potus in æſtu immodice ſumptus, & quoſnam extinxit. 7, 5, 15. ex quo amne Reges Perſarum bibebant. 5, 2, 9. Andro Argiuus nunquam bibit. 4, 7, 6. *terræ.* Alexandri bibacitas. 10, 5, 34.

biclinium. 8, 5, 22.

Bimma. 6, 4, 4.

Bironus. 6, 8, 16.

Biſthanes. 5, 13, 3. filius Ochi. 3, 13, 12. *Ochi.*

bituminis natura. 5, 1, 16. & ſulphuris naturæ ſunt vicinæ. 5, 1, 25.

Bog. 6, 2, 13.

Bohemi qui. 5, 1, 22.

Boïi an Alexandro bellum indixerint. 4, 12, 6.

Bormij obſidio. 5, 1, 8.

Borochtha qualis locus. 10, 1, 14.

boues qui auri pretio parant. 8, 12, 11. pro bubus vota. 3, 7, 3.

Boumellus fluuius. 4, 9, 8. *Arbela.*

brachium quibus tribuatur. *Ind. Freinsh.* manus.

Brachmanes. 8, 9, 31.

Bradyllis. Ind. Freinsh. Bardylis.

Briſacenſium arx expugnatur. 7, 11, 10.

Brutij qui. 5, 1, 22.

Bucephalus an ſenio confectus. 9, 3, 23. eo vſus eſt Alexander in prœlio cum Poro. 8, 14, 34.

C.

Cabaza. 8, 4, 1.

Cacanni Reges. 8, 12, 14.

cadauerum curatio. 10, 10, 13.

Cadmus. 6, 4, 4. an primus literarum repertor. 4, 4, 19.

Cadusij quinam dicti. 4, 14, 3. eorum fama bellica. *Ibid.*

cæcitatem quando timuit Alexander. 7, 6, 22.

cædes: huius vocis vſus. 6, 6, 32. Perſarum ad Iſſum. 3, 11, 27. *cæſa.* Perſarum ad Granicum. 3, 11, 27. *at.* expugnatorum miſerrima. 9, 5, 20. cæſorum ad ſatietatem etiam hoſtium vincentium exempla. 4, 16, 18.

Cahanus quorum regum nomen. 8, 12, 14.

calceamenta Indorum. 8, 9, 21. *ſoleis.* aurea & gemmata. 9, 1, 29.

Caligula aſſentationibus infatuatus. 8, 5, 8. *Caſtorem.*

calliditas Carthaginenſium. 10, 1, 17. *Carthagini.*

Callinicus inuentor ignis Græci. 4, 3, 2. *in fine.*

Calliſthenes non erat Macedo. 4, 7, 31. quis & vnde fuerit. 8, 8, 19. aulæ Alexandrinæ non erat ignarus. 8, 5, 14. reuocat Alexandrum, Clito interfecto, ad vitam. 8, 2, 12. cur interfectus. 8, 5, 13. eius ad pueros nobiles dictum. 8, 6, 25.

calor Meſopotamiæ. 10, 10, 10.

Cambyſis expeditio Æthiopica. 4, 7, 6. *iter.*

camelus quantum oneris portet. 8, 7, 11. *camelorum* dromedariorum velocitas. 7, 2, 18.

Camillus an primus equis albis triumphabundus inuectus. 3, 3, 11. *albentes.*

candyæ quid. 3, 3, 13. *manicataſque.*

canere erat Perſis ſolenne in omni inſigniore pompa. 5, 1, 22.

canis in luſtratione exercitus Macedonici adhibitus. 10, 9, 12. Darii. 5, 13, 16. Alexandri, Perita. 9, 2, 23. *Bucephalon. canes* quidam quomodo naſcantur. 9, 1, 31. inuicem pugnantes, viſo lupo, inducias faciunt. 9, 4, 15. *periculi. canum* cohortes qui habuere. 3, 7, 5. *Caſtabalum. canibus* qui ſepulchra conſtituerunt. 9, 3, 23. *Bucephalon.*

capella quid. 9, 1, 13.

capere Paphlagoniam an bene dicatur. 4, 5, 13.

capilli cura apud Indorum reges. 8, 9, 27. varia gentium circa capillum inſtituta. 8, 9, 22.

Cappadoces ſine rege viuere non poſſunt. 3, 6, 17 *erga. Cappadociæ* partem quam Alexander occupauit. 3, 4, 1. gens, an Alexandro fida. *ibid.*

capta bello quibus cedant. 3, 11, 23. *capti* duces pro opimis ſpoliis habentur. 3, 11, 7. *opimum.* 4, 4, 11. *captorum* notabili caſu exempla. 4, 5, 19. *captini* honeſtius dono dantur, quam pretio remittuntur. 4, 11, 15. *captiuos* qui & quare ſine pretio dimiſerint. 7, 9, 18. *captiuis* quænam vrbes repletæ. 7, 6, 26. ex *captiuitate* qui ad magnos honores euecti. 6, 2, 11.

caput cur & quando nudabant. 9, 3, 4. *capita* magnorum virorum amputata, quibus de cauſſis circumlata, aut alio miſſa. 7, 7, 32.

Cara quid Turcis. 3, 4, 8. *Cydnus.*

carceres Perſarum. 6, 2, 11.

Caritalum nomine qui veniant. 4, 11, 17.

Carizath vrbs. 6, 5, 22.

carminis Indorum patrii argumentum. 8, 9, 30.

carnis comeſti cruditas, quibus medicamentis curetur. 5, 6, 17. *pecorum.* 7, 4, 25. *carne* pecorum qui populi tantum paſti. 5, 6, 17. *pecorum.*

Carolus Magnus linguæ Græcæ non erat rudis. 5, 11, 5. ei ales iter monſtrat. 4, 7, 15.

Cartalo. 4, 3, 22. *Syracuſij.*

Carthago præcelluit opificum gloria. 4, 2, 12. *Carthaginem* prope num Syracuſani caſtra locauerint. 4, 3, 20. *Carthaginenſes* an Syracuſas ceperint. 4, 3, 22. *Syracuſij.* vnde Herculi Tyrio decimas mittebant. 4, 3, 19. humanarum victimarum immolationem quando coacti intermiſerunt, & quando repetierunt. 4, 3, 23. *ad.* quibus diis victimas humanas immolabant. 4, 3, 23. *Carth. Carthaginenſium* affectus in Tyrios, vnde. 4, 2, 10. *parentum.* legati fiduciam Tyriorum accendunt. 4, 2, 10. legati Tyrij auxilia negantes, an iidem fuerint, qui prius ea promiſerunt. 4, 3, 19. calliditas. 10, 1, 17. *Carth.*

Carum ſatrapia. 8, 3, 17.

Caſſander Antipatri vnde. 8, 6, 6. an dederit Alexandro venenum. 10, 10, 14. quoſnam ex Alexandrina domo interfecerit. 10, 10, 19.

Caſtellum oppidum. 4, 7, 2. *caſtra.*

Caſtiliæ reges filiis eorum, qui vtilem ſibi operam præſtiterunt, quænam beneficia conferant. 10, 4, 8.

caſtitas Alexandri. 3, 12, 15. *præmittit. caſtitatis* exempla. 3, 12, 21. *ante.*

caſtra cur frequenter mutanda. 5, 1, 11. à ſordibus ſunto pura. 5, 1, 11. Cicero-

nis ad Isson. 3, 7, 8. an prope flumen locanda. 7, 5, 15. Cyri à quo Cyro sic dicta, & vbi vtraque fuerint. 3, 4, 1. *castrorum* portæ. 4, 10, 25. luxuria. 3, 11, 20. è *castris* quomodo discedebant. 6, 2, 16.

Castrioto quale nomen impositum. *Ind. Freinsh.* honerare.

Catabates quid. 10, 5, 37.

cataphractus. 3, 11, 15. *cataphractarij*. 4, 9, 3.

Catonis celeritas. 5, 5, 3.

Caubus rex. 4, 8, 3. *Memnonis*.

Caucasus Ponticus & Indicus confunduntur. 7, 3, 21. 8, 9, 3. cum Tauro confunditur. 7, 3, 19. an Alexandro visus. 6, 4, 19. 7, 3, 19.

Caunum ficubus nobile. 3, 7, 4. *Cauniy* valetudinarii. *ibid. Cauneas*: ex hac voce, in syllabas diuisa, omen. *ib.*

cauſſa iudicibus incognita quando princeps reum necare potest. 7, 2, 13. belli iusta, an semper victoriam habeat comitem. 4, 1, 13. *diis. cauſſam* quando ex vinculis dicebant. 6, 9, 26.

caueis quinam inclusi. 8, 8, 21.

Cazaba. 8, 4, 1.

cedri natura & dignitas. 5, 7, 5.

celeritas quid in bello possit. 5, 5, 3. Alexandri. 4, 9, 14. 7, 10, 1. *celeritatis exempla* varia. 5, 5, 3. in fuga. 5, 1, 3. in perficiendis operibus variis. 5, 1, 26. *singulis*. rei celerrime perfectæ descriptio. 7, 4, 14.

cellæ frumentariæ sub terra. 7, 4, 24.

Celtiberia regium nomen sanctum. 3, 6, 17. *erga*.

centum positum pro *multum*. 4, 7, 21.

Centumcellarum obsidio. 3, 1, 8.

Ceraunus. 4, 7, 25. *accipere*.

Cerberus poëtarum vnde fictus. 9, 1, 31.

Cercetes. 8, 9, 4.

Cerialis fortuna. 3, 6, 18. *temeritas*.

Certa quid. *Ind. Freinsh.* lit. A.

certaminibus leuibus experimur summæ cuentum. 8, 13, 12.

Ceturæ filii quam Arabiæ partem occupauerunt. 4, 7, 18. *Troglodytis*.

Chaganus quorum regum nomen. 8, 12, 14.

Chaldæis an inuentio Astrologiæ & Geometriæ adscribenda. 4, 10, 4.

Cham an sit Saturnus. 4, 7, 5. *Hammonis*. patrem suum reddit sterilem. *ibid.* eius posteritas quænam loca occupauerit. *ibid.*

Chamos. Ind. Freinsh. Hammon.

χάσηξ quid. 8, 11, 8.

Charcedonius. Ind. Freinsh. Telmissenses.

Charidemi παῤῥησία ἄκαιρος. 3, 2, 11.

Cherſimocrates. 4, 8, 2. *præessent*.

Chinocrates. ibid.

Chiromocrates. ibid.

Choë amnis. 8, 10, 22.

Chorienes. 8, 2, 19.

Chortacana. 6, 6, 33.

Chronologus exactiſſimus Salianus. 10, 5, 6.

Chryſe insula. 10, 1, 11.

cibus militum. 3, 2, 15. Macedonibus in fame erant radices palmarum. 9, 10, 11. *cibum* in multos dies miles secum portabat. 5, 4, 17. qui populi pecorum tantum carne pasti erant. 5, 6, 17. *pecorum*.

Ciliciæ situs, & portæ. 3, 8, 13. satrapia cui tradita. 5, 1, 43. *et*.

Cillula, Cilluta, insula. 9, 8, 30.

Cimon fuit pictor. 6, 5, 24.

Cingani. Ind. Freinsh. Vxiorum.

Cinisius Paulus dux fortis. 3, 6, 3.

Cinyræ familia. 4, 1, 15.

ciuis nullus, hostis loco habendus. 10, 8, 17. *ciuium* ingenia ad principis ingenium se forment. 8, 8, 6.

ciuitas non in ædificiis sed ciuibus posita. 5, 1, 8. *vrbium*. parua, magnas habens portas. 4, 3, 7. *Myndios. ciuitatum* quarundam totalis desolatio. 5, 7, 9. *vestigium*.

clades quomodo ferenda. 4, 10, 26. Persarum & Macedonum ad Arbela, quanta. 4, 16, 26. *cladis* variæ descriptio. 6, 6, 32. vltimæ signum. 4, 14, 24. *cladem* sua culpa accidisse callide fateantur victi. 4, 14, 18. *clade* loca illustrata. 4, 9, 8. *nobilem*.

clari qui euasere, de humili loco nati. 9, 2, 6.

classis Alexandri, quæ Oceanum adiit, vbi ædificata. 9, 3, 24. eius præfectus & gubernator. 9, 10, 3. *classem* cur Alexander remiserit in Græciam, & qui ipsum hac in parte felici euentu secuti. 3, 5, 7. an in prœlio apud Issum Darius habuerit, & quantam. 3, 8, 27. *à mari*. an Alexander habuerit in obsidione Tyri. *ibid.* an ab initio statim obsidionis Tyri Alexander habuerit. 4, 2, 15. *classem. classes* è cedro ædificatæ. 5, 7, 5. *classium* ingentium exempla. 9, 3, 22.

Cleander, Alexandri dux, cum Cleandro Commodi liberto comparatur. 10, 1, 5. *Cleandro* num Alexander veniam dederit. 10, 1, 8.

clementia principis in subditorum ingeniis sita. 8, 8, 6. Alexandri. 8, 4, 15. 10, 5, 28. simulque vis hostibus demonstranda. 9, 1, 23. in deuictos necessaria. 8, 8, 10.

Cleomenes. 4, 8, 2. *præessent*. an Allica sit cognominatus. 4, 8, 5. *Cleomenes. Cleomenis* prætoris in Ægypto patria. 4, 8, 5. *Cleomenes. Cleomenem* imitatur Alexander. 3, 7, 3. *quanta*.

Cleopatræ vnio. 8, 9, 19. *pretio*. 9, 1, 30.

Climacidæ quænam mulieres dictæ. 3, 13, 12. *coniunx*.

Clitus quo telo ab Alexandro transfossus. 8, 1, 52. *Cliti παῤῥησία* an excusanda. 8, 1, 32. soror. 8, 1, 21.

clypeos hastis ferire, qualis mos. 10, 7, 14.

Codomannus ante regnum dictus erat Darius. 3, 2, 3. *in eodem*.

Calesyriæ descriptio, & adpellationis ratio. 4, 1, 4.

cali facies qualis diluculo crepusculoque. 7, 11, 21.

cælius quibusnam dona sint dimissa. 7, 8, 17.

Cœnus Philotam torquendum suasit. 6, 11, 10. eumdem tormentis subtrahere conatur. 6, 9, 31. quo in cornu in pugna cum Poro. 8, 14, 15. & 17. vbi mortuus. 9, 3, 20. & 24.

cognationum vocabula confunduntur. 6, 9, 17. 6, 11, 26.

cohortalini. 6, 7, 17.

coloniæ cur extructæ. 10, 2, 8. Tyri. 4, 4, 20. deductæ ad incolarum numerum augendum. 7, 3, 23. *coloniarum* deductionem & iura qui descripsit. 4, 2, 10. *parentum. colonias* cur populi miserint. 4, 4, 20. quomodo conditores incolis nouis repleuerint. 4, 8, 5. *commigrare*. in *coloniis* quos Macedonas Alexander reliquit. 5, 2, 16. relicti ægri. 9, 4, 1. è *coloniis* qui Græci in patriam redierint. 9, 7, 11.

color albus quibus sacer. 3, 3, 11. *albentes*. cæruleus, an à purpureo distinguatur. 3, 3, 19. *hoc. colores* Indi. 8, 9, 4.

coloſſi Alexandri. 8, 7, 11.

columbæ iter monstrantes. 4, 7, 15.

columna Cyri ænea. 5, 6, 1. *columnæ* Herculis Liberique. 9, 2, 29. Alexandri, vbi positæ. 7, 3, 19.

comas in luctu qui detondebant. 10, 5, 17.

combustio mortuorum quibus in vsu. 3, 12, 14. *cremarentur*.

comitas Alexandri. 6, 11, 3. *comitatis* exempla. 9, 8, 23.

commeatus inopia hostis debellari potest. 4, 9, 8. *rapiendo*.

Commeneſes ſi. 8, 9, 5. f.

commilitones quinam principes, & quare suos dixerint. 9, 2, 28.

ex *commiseratione* fauor. 10, 7, 5.

Comorinum promontorium. 8, 9, 3.

comparare sibi bona minus est quam tueri. 4, 11, 9.

comparatiuus pro *superlatiuo*. 9, 4, 11.

conando omnia perficiuntur. 7, 11, 10.

concharum discrimina. 9, 8, 2.

concordantiæ quid. *Ind. Freinshem. παροιμίαι*.

concordiam parit bellum externum inter dissidentes. 9, 4, 15. *periculi*.

concubinæ Alexandri. 10, 5, 32.

concurrendum cum hoste quomodo. 3, 10, 3.

confeſſio imbecillitatis victoriam hosti adscribit. 4, 14, 18. *confeſſionis ſigillum*. 6, 7, 7.

coniectura

coniectura ex vocibus in syllabas diuisis. 4, 2, 13.
coniuges quinam secum in bellum duxerunt. 4, 14, 11. Alexandri. 10, 5, 32.
coniugia qualia debeant esse 4, 11, 20.
coniurationis conscii celati. 6, 10, 10. socii innoxii. 6, 10, 6.
in *connubio* an corporum species spectanda. 9, 1, 26.
conscientia sceleratos non patitur loqui. 6, 11, 37. facinorum. 8, 2, 4. mala timiditissimum facit. 3, 6, 10. *conscientiæ* notæ in vultu. 3, 6, 9. *conscientiæ. conscius* insidiarum an puniendus. 6, 8, 10. *conscii* sceleris celati. 6, 10, 10.
Consentes dij. 9, 3, 19.
consilium & concilium differunt. 5, 8, 6. suum cum premunt prudentes, proprium periculum timendo, resp. damno adficitur. 7, 4, 9. *proprium.* qui tantum suum probabant. 7, 4, 11. *quæ. consilii* veri libertas est periculosa. 3, 2, 11. *audire. consilio* nulli adquiescunt homines in aduersis constituti. 10, 7, 12. hostium an vtendum. 7, 9, 1. sine alterius nil faciendum. 7, 4, 10. *consilia* nec mala pœnis, nec bona præmiis adficienda. 3, 8, 6. Xerxi à suis data, qualia. 3, 8, 6. *sub fin.* in *consiliis* non euentus sed voluntas spectanda. 3, 8, 6. *consiliis* ex euentu fere laus aut infamia. 3, 8, 29.
consiliarius non sit ingenii ignei homo. 4, 1, 30. *nouandis.* an sententiam debeat dicere, incerta regis voluntate. 4, 11, 10.
conspirationis in Alexandrum exempla. 6, 11, 22. seqq. 6, 11, 35. *conspirationi* quomodo præueniendum. 5, 2, 6. *delectis. conspirationes* ab amasiis factæ. 8, 6, 8. mira fide tectæ. 8, 6, 12. *conspirationum* principes aliis idem suadent. 8, 6, 9.
Constantinus Imperator nihil nisi diuina ope adgressus. 3, 6, 18. *nisi. Constantini* Imperatores. 8, 12, 14.
Constantis Imperatoris somnium. 4, 2, 13.
consultores pessimi, ira & cupido. 7, 4, 11. *cupiditas.*
contemnendus nullus hostis. 6, 3, 11.
contemptum quinam principes ex imprudenti popularitate comparârunt. 3, 6, 19. *gratiora.* hostium ostendit Alexander, dum ludos spectat. 3, 7, 3. *quanta.*
contentus cum gignendi casu. 6, 2, 5.
continentia Alexandri. 3, 12, 15. *præmittit.* necessaria est iis, qui aliquid præclare gerere volunt. 3, 12, 18. Cyri. 3, 12, 21. *ante.* hostis non raro bella diremit. 4, 11, 1. *continentiæ* exempla. 3, 12, 21. *ante.*
contractus vnde ortus, & quibus gentibus in vsu. 7, 8, 29.
conuersiones aciei. 3, 2, 14. *circumire.*
conuiuia Alexandri luxu celebrata. 9, 7, 15. specie læta, euentu tristia. 6, 8, 16. 9, 7, 4. *conuiuiis* quorum feminæ non intererant. 5, 7, 2. *feminæ.* celebrandis quot minas Alexander impendit. 6, 2, 2. *conu.* otium terere, turpe est principi. 10, 4, 17. in *conuiuiis* ille audiebatur, qui habebat poculum. 7, 4, 9. *poculum. conuiuatus est* Alexander multum, dum Babylone erat. 10, 4, 17. de modo discumbendi apud veteres. 8, 5, 22. quinam in conuiuiis sedebant, & quinam accumbebant. 8, 6, 5.
copiæ quando diuidendæ. 3, 8, 2. *copiarum* suarum numerum quomodo inierit Xerxes. 3, 2, 2.
coqui pascuntur odore. 3, 6, 14.
Cordacos. Ind. Freinsh. Gordyæi.
cornua quid Græcis, & quot in phalange. 3, 2, 14. *disc.*
coronæ ex hedera. 9, 10, 26. aureæ quibus muneri datæ. &c. 4, 5, 11. *coronam. coronis* cur viæ sternebantur. 5, 1, 20 *floribus.* Alexander suos duces donat. 9, 1, 6. *coronari* suos milites Alexander Persea iubet. 4, 7, 4. *Memphi. coronati* quinam fuerint in triumphis. 10, 4, 7. *coronarii auri* origo. 4, 5, 11. *coronam.*
corpus per plures dies inhumatum & nulla tabe corruptum. 10, 10, 12. *corporis* habitus quid valeat. 6, 5, 29. cura regum Indorum. 8, 9, 27. custodes regii. 5, 1, 42. inclinatione qui ictum vitarunt. 9, 7, 21. specie eminens rex Indus. 9, 1, 28. habitus Alexandri & eius ducum. 3, 12, 16. *corporis.* incommoda afficiunt animum. 3, 5, 10. *corporum* species an in connubio spectanda. 9, 1, 26. munimenta, an milites prœlium inituri sumere debeant. 4, 3, 25. proceritatis exempla. 8, 14, 13. *ipse.*
Corragus Macedo. 9, 7, 17.
correctio dicitur *medicina.* 5, 9, 3. *medici.*
corrumpunt alios donis, qui res nouas moliuntur. 6, 10, 22. *corrumpuntur* gentes ex commercio aliarum gentium. 8, 3, 15. *corruptibilia* sunt omnia. 5, 1, 34. *corruptionis* in authoribus argumentum est diuersus in codd. expressus sensus. 8, 14, 9.
corui Alexandro ominosi. 10, 4, 14.
Corycio fl. 6, 4, 4.
Cosroes. 7, 6, 10. qui reges ita dicti. 8, 12, 14.
Cossæorum terram quando Alexander subegit. 10, 4, 12. *luctum.*
Craterus ducit Amestrin vxorem. 10, 3, 12.
credulitas & crudelitas confunduntur. 6, 10, 14.
cremabant se Indorum vxores simul cum maritis. 8, 9, 37.
cretæ vsus. 4, 8, 6. *vt.*
crimini eximi aliud est quam supplicio eximi. 7, 1, 6.
crines circa, varia gentium instituta. 8, 9, 22.
Criticorum opera quæ. 7, 1, 1.
Critodemus Alexandri medicus. 9, 5, 25.
crotalis vtuntur Indi. 8, 11, 20.
crucifigendi supplicium. 10, 4, 12.
crudelitas Persarum. 3, 8, 15. *præcipis.* Ochi. 10, 5, 23. & credulitas confunduntur. 6, 10, 14. *crudelitatis* dissimulatæ exempla. 6, 8, 16. humanæ ingenia. 6, 11, 16.
cruditatem carnis quidnam concoquat. 7, 4, 25.
crux seruorum pœna. 4, 4, 17. & furca differunt. *ibid. crucis* pœna qualis, à quibus vsurpata, à quo, & cur, & apud quos olim sublata. *ibid.* ante *crucem* verberibus adficiebantur. 7, 11, 28.
cubilia maiora quam pro corporum habitu Alexander ex India rediens fieri iussit. 9, 3, 19. *iussit.*
culices vexant leones. 7, 8, 15.
cultus victoriæ quid. 8, 11, 24. corporis in principe qualis esse debeat. 6, 6, 2.
cuniculos agi oportet, ne hostis sentiat. 4, 6, 9. de *cuniculis* varia. 4, 6, 8. 9, 8, 14.
cupido pessimus consultor. 7, 4, 11. *cupiditas.*
cupiditatis dissimulatæ exempla. 10, 6, 18. *cupiditatum* nullus est modus. 3, 11, 20. *in.*
curæ cur sanitati curandæ obsint. 3, 6, 11. *curatores* dominicæ rei. 8, 1, 5.
Curii fortuna. 3, 6, 18. *temeritas.*
currus qui prœlium inierint, & quando. 3, 11, 7. *currus.* cur in prœlio Darius vectus. 4, 14, 26. *currum* vtrum Darius fugæ tantum caussa conscenderit. 3, 11, 7. *currus* falcati. 4, 9, 4. falcati anceps, auxilii genus. 4, 15, 4. 8. 14, 16. Indici. 8, 14, 3. *currus* falcatos quis apud Persas instituerit. 3, 11, 7. aduersus falcatos pugnandi ratio. 4, 13, 33. *curribus* quibus Persarum mulieres vehebantur. 3, 3, 23. *armam, è curribus* qui pugnabant. 9, 1, 16.
cursus quorundam mirandi. 8, 2, 36. *cursum* publicum quis instituit. 3, 3, 3. *in eodem.*
Curtius in descriptionibus copiose variat. 3, 2, 4. in quot libros suam historiam distribuerit. *Not. ad Tit.* ἀφυηγίας adcusari posse videtur. 3, 3, 19. *hoc.* 6, 4, 18. cur omisit historiam de Alex. Hierosolymam proficiscente. 4, 6, 31. in libris postremis valde properat &c. 9, 1, 8. qui res Alex. M. scripsit, an idem, quem Africa proconsulem vidit. 3, 9, 2. amat asyndeta. 3, 6, 1. 3, 7, 3. *Æscul.* an bene descripserit quadrigas falcatas. 4, 9, 4. & 5. ὑπερβολικῶς loquitur. 4, 2, 9. *præaltum.* vnam rem bis narrat. 9, 3, 24. quando scripserit. 4, 6, 31. non admodum studiosus est vinciendæ sententiæ. 6, 11, 9. cum semetipso conciliatur. 5, 7, 5. *pepercerant.* 5, 12, 4. oratores imitatur. 4, 14, 14. confundit iter Alexandri. 9, 3, 23. confundit Caucasum Ponticum & Indicum. 7, 3, 21. errat. 4, 1, 4.

Parm. 4, 3, 20. 9, 3, 24. 9, 4, 15. an Geographicarum rerum imperitus. 7, 3, 4. *ad.* sibi contradicit. 5, 9, 1. nullam turris babylonicæ facit mentionem. 5, 1, 35. ex consequentia verborum quædam intelligi vult, quæ ipse non aperte dixit. 6, 1, 17. de annis Persarum loquitur inconstanter. 6, 6, 8. an notis & commentario indigeat. 7, 7, 28. confundit quosdam amnes. 3, 1, 5. quædam necessaria tacet. 6, 2, 17. ex Græco auctore sua transfert. 10, 7, 18. ex quibus auctoribus sua decerpsit. 5, 2, 16. ex Iustino non est examinandus. 10, 1, 43. cum Eustathio conciliatur. 5, 1, 13. cum Liuio confertur. 3, 6, 20. cum Liuio conciliatur. 3, 1, 12. *Ponico* & *Cilicio mari.* ex Seneca mutuatur. 7, 1, 4. à Polyæno dissentit. 4, 3, 1. cum Herodiano confertur. 4, 1, 23. cum Tacito confertur. 7, 1, 26. sumpseritne sua ex Tacito. 4, 12, 2. *repr.* ex Arriano examinatur. 3, 4, 1. *castra.* 6, 6, 35. dissentit ab Arriano. 3, 7, 6. 3, 9, 4. *ipsum.* 4, 1, 7. *in fin.* 4, 8, 12. *omnes.* 5, 3, 15. 6, 5, 30. cum Arriano conciliatur. 3, 4, 5. 4, 1, 35. ex Sallustio desumit. 9, 10, 28. & Plutarchus explicantur. 5, 1, 16. Diodorum interpretatur. 5, 3, 17. 7, 3, 8. 8, 12, & 9, 10, 8. 10, 9, 3. à Diodoro dissentit. 4, 15, 5. 9, 4, 6. è Diodoro emendandus. 9, 1, 36. cum Silio confertur. 10, 9, 6. *Curtii* MS. in *Serenissimæ Reginæ Christinæ* bibliotheca. 5, 4, 2. *prædicere.* editor Allobrox refutatur. 10, 1, 8. liber quinam nobilior. 8, 1, 1. locus quidam difficilis. 10, 7, 10. editio Argentinæ à B. Rhenano edita. 4, 7, 4. *Orio.* 4, 12, 6. codex Danielis haud postremæ est auctoritatis. 4, 2, 10. *parua.* editio Elzeu. nouissima qualis. 3, 8, 10. fides in dubium vocatur. 8, 14, 3. fides præfertur Maximo Tyrio. 4, 7, 26. cum aliis auctoribus dissensus ex parte conciliatur. 10, 1, 10. locus corruptissimus examinatur. 4, 1, 31. verbis vtitur Alex. Benedictus. 5, 6, 4. *Curtio* præfertur Arrianus. 5, 8, 3. *Curtium* quis in carmen transtulit. 4, 11, 16. 8, 9, 5. 9, 5, 13. tacite reprehendit Cunæus. 6, 5, 29. *Curtiana* loca cum aliorum scriptorum locis comparantur. 10, 9, 3. editio Merulæ qualis. 7, 1, 40. 8, 9, 5. *Curtianarum* orationum œconomiam scripsit Caussinus. 7, 8, 12. *si.* 9, 2, 12. 9, 3, 5.

Curzola insula & vrbs. 6, 5, 24.

Cusæi. Ind. Freinsh. Cossæi.

custodes corporis regii apud Persas. 3, 3, 15. *Doryp.* an princeps ex exteris eligere debeat. 5, 11, 11. erant militum honoratissimi. 7, 1, 19. eorum habitus. *ibid.*

Cydnus regibus fatalis. 3, 5, 1. eius varia nomina. *ibid.* quomodo hodie vocetur. *Ind. Freinsh.* Carasu.

cymbalis quinam vsi. 8, 11, 20.

Cypri fertilitas. 10, 1, 19.

Cyrene vnde sic dicta. 4, 7, 5. *Hammonis. Cyrenensium* legati quando adierint Alexandrum. 4, 7, 9.

Cyreschata. 7, 6, 16. *Ind. Freinshem.* Cyropolis.

Cyrus minor cur Autobæsacem & Mitræum interfecit. 3, 3, 13. *manicat. Cyrus* instituit cursum publicum. 3, 3, 3. *in eodem.* à quo prostratus. 6, 6, 33. quo in loco Euphratem transiit. 3, 7, 1. *Cyri* ex Asia præda. 8, 7, 11. continentia. 3, 12, 21. *ante.* cum *Cyro* pecuniam conditam quis sustulit. 10, 1, 24. & 37.

D.

DAchanus. 8, 9, 3.

Dadocerta. Ind. Freinsh. lit. A.

Damasces, verna & dispensator Abrahami, an condiderit Damascum. 3, 12, 27.

damnatum esse minus est quam esse vinctum. 6, 9, 26. *damno* aliorum, quid nobis timendum, admonemur. 8, 11, 10.

Danubius. 6, 4, 4. eius periculosus gurges. 4, 3, 18.

Δαεδάνιες. 9, 4, 15.

Dares Entellum prouocat. 7, 4, 34.

Darieus. 6, 8, 16.

DARIVS an ipsemet depugnauerit. 4, 14, 26. armorum curam habuit. 4, 9, 3. vbi ab Alexandro victus. 3, 7, 8. patrii moris obseruantissimus. 3, 9, 4. *ipsum.* an in prœlio apud Issum habuerit classem. 3, 8, 27. *à mari.* an solum Solem pro Deo coluerit. 4, 10, 34. *ad.* cur pallam accipitribus ornari voluit. 3, 3, 18. fugiturus in equum ne, an equam impositus. 3, 11, 11. *in equum.* an Persis stipendium dederit. 3, 13, 16. *talent.* quo intuitu Polystrato dexteram porrexit. 3, 6, 13. quo vestis habitu indutus prius quam rex salutaretur. 3, 3, 3. *in eodem.* cur Bagoam interfecit. 6, 4, 10. quantum pecuniæ pro redimenda matre & filiabus obtulerit. 4, 11, 6. cur in prœlio curru vectus. 4, 14, 26. vtrum fugæ caussa currum conscenderit. 3, 11, 7. *curru.* an cum Alexandro manus conseruerit. 3, 11, 10. *Alexandri.* in quo vico à suis vinctus. 5, 13, 6. fortunam aduersam suis ducibus imperite imputat. 3, 2, 1. cum in Ciliciam mouit, vbi Euphratem ponte iunxit. 3, 7, 1. an ad tempus Euphratem ponte iunxit. 3, 7, 1. sororem habebat in matrimonio. 3, 11, 24. quot pellices habuit. 3, 3, 24. *trecentas.* quot legitimas vxores hab. 3, 3, 22. *Darii* filia Drypetis. 10, 5, 20. coniunx, ex quo morbo interiit. 4, 10, 19. c. quando extincta. 4, 11, 4. filius Ochus, quot annorum fuit, cum ab Alexandro captus est. 3, 12, 26. filiæ. 4, 5, 1. *Statiræ.* matrem & vxorem & filias sancte habuit Alexander. 3, 12, 15. *præmittit.* vxorem quotiens Alexander vidit. 4, 10, 24. filias, qui sibi matrimonio iunxerunt. 10, 3, 12. & Xerxis & Antiochi affines quæstiones. 3, 2, 10. canis. 5, 13, 16. *Dario* quid maxime defuit. 3, 2, 10. æquior Alexander. 3, 12, 24. *Dariani exercitus* summa. 3, 2, 2. & 4. ad Arbela summa. 4, 12, 13. *Darius* qui, & cur Celes adpellatus. 4, 1, 10. Codomannus qui ante regnum. 3, 3, 3. *in eodem.* qui antea Ochus dictus. 6, 8, 16.

Datamis celeritas. 5, 5, 3.

datimus IV. declinat. sine litera I. dicendus. 4, 1, 20. *strepitum.*

Danidis pecunia. 8, 7, 11.

Dauren. vox hæc vnde. *Ind. Freinshem.* durare.

Deba. Ind. Freinsh. lit. A.

decora non eadem sunt omnibus. 4, 11, 14.

deditio coacta non placet. 4, 1, 16. *quia. dedilionis* signum & pignus. 7, 4, 38. *dedilionem* sui alios inciant suo exemplo viri magni. 5, 1, 18. obsessi, si intra constitutum tempus auxilia ipsis non adueniunt, se solent dedere. 3, 1, 8.

deducere naues quid. *Ind. Freinsh.* aqua.

defendere quid. 6, 10, 24. *defensionis* argutum genus. 8, 8, 9. *defensioni* prosunt murices, tribuli, sudes, foueæ. 4, 13, 36. saxa. 5, 3, 21.

degenerant frugum semina solo mutato. 4, 12, 11.

delator etiam vilis audiendus. 6, 7, 33. 6, 8, 10.

Demaratí cauta responsio. 3, 2, 10. *satis.* 3, 2, 11. *audire.*

Demetrius. 8, 5, 8. *et.* quomodo se adpellari passus. 10, 5, 37.

Demir-capi. 6, 4, 19.

Demochares. 6, 5, 9.

Democritus quo remedio animam retinuit. 3, 6, 14.

Demosthenis frater. 6, 5, 9.

Denochares. 4, 8, 2. *præsens.*

Derceto. 6, 4, 25.

designare muros vrbis polenta. 4, 8, 6.

destinasset.

desperatio caussa victoriæ. 3, 3, 27. addit stimulos. 4, 14, 7. 7, 6, 22. *desperationis* exempla. 9, 4, 6. *desperationi* hostium quomodo præueniendum. 4, 4, 14.

deus: vox vnde. 7, 8, 26. salutis. 3, 7, 3. *Æsculapio.* cur Alexander, & alii haberi voluerint. 4, 7, 25. *accipere.* 8, 10, 32. quomodo id excusari possit. 8, 8, 14. vt vnus, an ita etiam vna Monarchia in mundo. 4, 11, 22. *dei* tutelaris nomen cur Romani tacuerunt. 4, 3, 22. *deuinxere. deo vero* quænam nomina deorum gentilium tribuantur. 7, 5, 22. *deum* an homines possint facere. 8, 5, 18. *deam* Victoriam coluit Alexander. 8, 11, 24. pro *deo* quinam suos reges colebant. 8, 5, 11. *dii* maiores. 9, 3, 19. gentilium, an vulnerari potuerint. 4, 7, 27. *Ind. Freinsh.* corpus adoptant mortales. 6, 11, 25. cum mortalibus comparantur. 10, 10, 13. qui videri voluerunt, & tamen se non esse, ob quas caussas quidam confessi. 4, 7, 25. *hum.* veterum quid fuerint. 4, 7, 4 *Orio.*

priſcorum fuerunt homines. 4, 7, 25. *accipere. deorum* eſt, beneficia hominibus tribuere. 7, 8, 26. gentilium miſera conditio. 4, 3, 22. *deuinx.* idem nomen diuerſis erat commune. 4, 7, 5. *Hammonis.* ſanguis. 8, 10, 29. veterum fabulæ non curioſe ſunt ſcrutandæ. 8, 10, 11. *deis* repugnari non poteſt. 4, 7, 30. *corrupit.* Perſæ libarunt epulas. 5, 2, 15. *deos* quoſnam Alexander æmulatus. 9, 10, 24. pro *diis* culti etiam mortui. 10, 6, 7.

deuorare aliquid ſpe. 8, 6, 18.

dextra quarum rerum teſſera. 3, 6, 13.

diadema Perſicum an lunatum fuerit. 4, 10, 6. *lunam. diademate* quinam vſi. 10, 6, 4.

Diana Lygodeſma cur ſic dicta. 4, 3, 22. *deuinxere. Dianæ* vrbem alligant Epheſii. *ibid.*

Diglath: Diglitho qualis amnis. 4, 9, 16.

dignitas regalis in omni fortuna principibus eſt retinenda. 8, 14, 43. *dignitatis* nonnunquam minor ratio habenda quam vtilitatis. 5, 1, 8. *non.* gradus apud principes. 6, 7, 17.

dilectus cur iterandus. 3, 1, 1. *ad.*

diluculi deſcriptio. 7, 11, 21.

dimiſſio militum ſeniorum. 10, 2, 8.

Dimoiritæ. 5, 13, 8.

Dioclinitæ. 5, 13, 8.

Diogenes quando é vita exceſſit. 10, 5, 6.

Dioxippus. 8, 5, 8. *et.*

diruptus & *dirutus* ſæpius confunduntur. 9, 8, 13.

diſciplina laborat in otio militari. 6, 6, 17.

Diſphendone. 7, 5, 40 *ſagittis.*

diſſimulanda num ſint mala domeſtica. 5, 5, 11. in bello ſunt aduerſa. 7, 7, 39.

diſſimulatæ crudelitatis exempla. 6, 8, 16. cupiditatis exempla. 10, 6, 18.

Dithyrambus cur Bacchus dictus. 8, 10, 12.

diues quiſnam. 4, 1, 25. *& imbellis* regio. 9, 2, 27.

diuina ope qui res ſuas adgreſſi. 3, 6, 18. *niſi.*

diuinatio ex vocibus in ſyllabas diuiſis. 4, 2, 13.

diuinitas Alexandri. 8, 7, 13.

diuitiæ Orſinæ. 10, 1, 24.

doctor ea faciat ipſe, quæ aliis præcipit. 4, 14, 6. *nec.*

dolor abeſt, dum calet vulnus. 8, 10, 29. expletur lachrymis. 9, 3, 2. *dolorem* qui fortiter tolerârunt. 9, 5, 28. alio dolore dolere. 10, 7, 12. in *dolore* conuerberabant os. 7, 2, 5.

dolo an pugnandum. 4, 13, 8. annuli ſignatorii quinam vſi. 7, 2, 16. vtitur Alexander. 8, 13, 17.

domus ex piſcium oſſibus & congeſtis conchis. 9, 10, 8. *domum* vitioſe lectum pro *domum.* 4, 2, 2. *domuum* ſtructura. 7, 3, 9. *domos* quinam primi conſtituerint. 7, 3, 8. pro *domibus* quid olim populi habuerint. 7, 3, 9.

dona regibus, eorumque amicis, ſeruato diſcrimine, oblata. 8, 12, 15. 10, 1, 24. *donis* alios corrumpunt, qui res nouas moliuntur. 6, 10, 22. *donare* quod ſeruare non poſſis, ars callida. 10, 1, 35.

Doracta. 10, 1, 14.

Doram. 4, 15, 28.

Doriſcus. 3, 2, 2. & 10.

dormierit quando Alexander quietiſſime. 4, 13, 23. ægri in Æſculapii templo dormiebant. 3, 7, 3. *Æſcul.*

Dornonis conſilium cum conſilio Memnonis confertur. 3, 4, 13. *Memnon.*

δορυφόροι. Ind. Freinsh. armigeri.

dracones an monſtrauerint Alexandro iter ad Hammonis oraculum. 4, 7, 15. inuſitatæ magnitudinis. 9, 1, 4.

Drangæ. 7, 3, 1. *Agriaſpas.* 7, 3, 2. *Drangarum* præfectus. 8, 3, 17. 8, 13, 3. Drangiana. 7, 3, 1. *Agriaſpas.*

dromedariorum velocitas. 7, 2, 18.

Drubaldi ciuitas. 6, 4, 19.

Drypetis Darii filia. 10, 5, 20. *Drypetim* Alexander Hephæſtioni tradidit vxorem. 10, 3, 12.

ducatus. an hac voce Curtius vſus. *Ind. Freinsh.* Curtius.

duelli exempla. 4, 13, 25. 7, 4, 35. triſtis euentus. 9, 7, 23. de *duello* varia. 9, 7, 17.

dux prouidus ea, quæ princeps fieri vult, militi mandare poteſt, ſine offenſione prin-

ne principis. 4, 13, 20. regius ſtat in lubrico. 6, 1, 17. *inuitaiam.* famam rei bene geſtæ ad regem referat. 6, 6, 33. id ipſum primus faciat, quod à ſuis fieri vult. 6, 6, 14. eſto ſuis documento. 5, 6, 14. 7, 3, 17. 7, 11, 8. 8, 11, 8. ſe inter milites ſuos exerceat. 3, 6, 19. *exercitatio,* ſuos milites propriis cauſſis ſtimulat. 3, 10, 4. ſummus an ipſe pericula vitæ in prælio adire debeat. 3, 11, 7. *non.* 9, 6, 6. diſſimulat aduerſa in bello. 7, 7, 39. in ipſo prælio inclamat ſuis læta, licet falſa. 4, 16, 28. victus, cladem ſuâ & ſuorum culpa accidiſſe callide fatetur. 4, 14, 18. ſero perit, ſi ſaluum eſſe ſui milites nolunt. 5, 11, 11. *ſero,* dum hoſtis aliquantum abeſt, ſuos tardius incedere curet; cum vero ad hoſtem ventum, incitatiſſimo curſu manum conſerat. 3, 10, 3. *ducis* vultus victoriæ optimus augur. 4, 13, 25. occiſi fama, exercitui pernicioſa: inde ducis caſus occultandus. 9, 5, 19. *ducem* vnum equitatui Alexander præfecerat; ſed poſtmodum iſtud mutauit. 6, 9, 21. *unum. duce* vel capto vel interfecto victoria paratur. 5, 13, 4. ſuo occiſo, qui fortiter pugnârunt. 9, 5, 19. in *duce* ſummo quid poſitum. 9, 6, 7. ſine *duce* exercitus eſt corpus ſine ſpiritu. 10, 6, 8. *duces* cur & quando milites ſuos caſtigare iuſſi ab imperatoribus. 4, 2, 18. ſuis militibus digni. 4, 16, 33. vel partibus præſint, vel ſummæ. 4, 12, 8. capti ſunt opima ſpolia. 3, 11, 7. 4, 4, 11. prælium inituri, alacritatem præ ſe ferant. 4, 13, 25. *tres* Alexandri recenſentur. 3, 13, 1. confirmandi militis cauſſa ſolent ſuos metus premere, & de ſuis viribus magnifice prædicare. 3, 8, 11. in itinere faciendo diligentiam adhibeant. 5, 1, 19. 6, 4, 14. *ducum* officio qui milites functi. 7, 9, 10. exempla, qui in prælio ſuos aduexerit. 4, 16, 5. oratio ad milites nihil non efficit. 6, 2, 20. 6, 4, 1. noſtrorum ingenia. 3, 4, 3. *Memnon. ducibus* Alexandri falſa mortis ſui regis fama facit ſpiritus. 10, 1, 7. an libera adminiſtratio belli permittenda. 7, 7, 10.

duces itinerum adſeruandi. 5, 4, 19. itin. miraculo monſtrati. 4, 7, 15. 5, 4, 11. *ducibus* itin. non facile fides habenda. 5, 4, 19.

ducere abſolute poſitum in re militari. 3, 4, 1. *in Lydiam.*

Dyardanes: Dyriodoris fl. 8, 9, 10.

E.

Ecbatana dicuntur etiam Rhagæ. 5, 8, 1. *æſtiua.* qui condiderit, aliaque de ipſa voce. 5, 8, 1. *Ecbatana. Ecbatanorum* arcis muros euertit Alexander. 10, 4, 12. *alia.*

Echolima quando venit Alexander. 8, 11, 7.

echo cur Pani grata. 4, 12, 14. *pauor. echus* natura. 3, 10, 1.

eclipſis ſolis vel lunæ an ſemper Perſis vel Græcis exitium portenderit. 4, 10, 6. *eclipſin* inſtantem prædicentes qui ſibi ſalutem parauerint, quique cauſſarum defectionis ignari territi. 4, 10, 2. *formido. eclipſeum* germanas & certas cauſſas qui ſcripſerint. 4, 10, 5.

Ecnaucratiue. 4, 8, 5. *Cleomenes.*

Edelknechte. *Ind. Freinsh.* armigeri.

Edom. 8, 9, 14. *Ind. Freinsh.* Erythræum.

ei præpoſitio in indicanda patria vſurpata. 4, 8, 5. *Cleomenes.*

Elam. 5, 7, 9. *reſurrexit.*

elephantus quotiens gignat. 9, 2, 16. cur ab Alexandro Soli ſacratus. 8, 14, 39. 9, 1, 1. Pori. 8, 14, 39. Pori miraculoſe loquitur. 8, 13, 8. in ſuos ſæuit. 8, 14, 28. quibus rebus comparetur. 8, 14, 13. 9, 2, 15. tympanorum pulſu mitigatur. 8, 14, 10. *elephanti* Indici. 8, 14, 3. quot à Taxile Alexandro dono miſſa. 8, 12, 11. *elephantorum* indoles, docilitas, ſolertia &c. 6, 5, 18. 8, 14, 39. rectores cur Indi dicti. 5, 1, 22. rectores Indi dicti, an omnes erant natione Indi. 4, 12, 4. venationem qui primus inſtituit. 8, 14, 13. ſtridorem, equi ferre non poſſunt. 4, 14, 23. *elephantos* aduerſus qua re vſus Alexander. 8, 14, 13. quænam terra ferat. 8, 9, 17. *elephantis* qui in bello vſi. 8, 14, 13. in prælio quomodo reſiſtendum. 8, 14, 23. Alexander pedes & manus amputari iubet. 8, 14, 28. de *elephanto* varia. 8, 9, 17.

Elephas mons. 8, 13, 8.

Embiſarus. 8, 13, 1.

Embolimæ vid. *Ecbolimæ.*
Emeritæ vrbs. 7, 3, 23. *Alexandriam.*
emphaseos exempla. 5, 8, 16.
Ἐνλαφίαι. 10, 10, 15.
Ἔπεχω. quid. 5, 3, 16.
Epardus. 6, 4, 4.
Ephesii vrbem alligant Dianæ. 4, 3, 22. *deuinxere.*
ἐπικυλίκειοι λόγοι. 7, 4, 9. *poculum.*
epiphonematum apud historicos vsus. 7, 2, 33.
ἐπιστέφανα ab Rhodiis Alexandro missum. 4, 5, 9.
ἐπισκυθίσαι. 7, 8, 17.
epistolæ de rebus Indicis falso adscribitur Alexandro. 6, 6, 8. pulvino subiecta. 3, 6, 7. de *epistolis* veterum varia. 7, 2, 25.
Epixyes. 3, 11, 10.
equa vehi haud decorum. 3, 11, 11. *in equum. eques* h. e. equa. 3, 11, 11. *in, equites* peditibus mixti. 7, 7, 32. *equitum* an semper minus cadant in prœlio quam peditum. 3, 11, 27. *triginta*, genus Scythæ & Tarentini. 5, 1, 22. *equestris rei* peritissimi erant Persæ & Parthi. 3, 11, 1. *equestri rei* an Agriani & Thraces studuerint. 8, 14, 24. *equitatus* Thessalicus celebratur. 3, 2, 16. *item* Ætolicus. *ibid. Ætolique.* Alexandri elogia. 6, 9, 21. *equitatui* præerat Philotas vnus. 6, 9, 21. *equitabilis.* 4, 9, 10. *equi* vbi primum extiterint. 3, 2, 16. *Thessali.* quot libras portare possint. 8, 7, 11. elephantorum stridorem ferre non possunt. 8, 14, 23. eruditi. 6, 5, 18. fluuiatiles. 8, 9, 9. Indici. 8, 14, 3. albi triumphis adhibiti: & quibus sacri. 3, 3, 11. *albentes, equorum* docilitas. 7, 4, 18. *equos* qui stupuerint. 8, 10, 32. qui in luctu tonderi iussserunt. 10, 4, 12. *alia.* qui frenatos stare iussserunt, hoste non procul absente. 4, 13, 11. *equis* qui sepulchra constituerunt. 9, 3, 23. *Bucephalon.* equis an careat India. 10, 1, 11. in fame Macedones non abstinebant. 9, 10, 11. *ne.*
Erasinus. 6, 4, 4.
Erinees. 8, 9, 5.
errores vnde. 4, 14, 15. ex dictando orti. 7, 9, 4. 9, 4, 1.
Erythræ. 8, 9, 14. *Erythræ* monumentum. 10, 1, 14.
Esaias. Ind. Freinsh. Erythræum.
Escuyers. Ind. Freinsh. armigeri.
essedarij Britannorum. 3, 11, 7. *curru.*
Esther alias dicitur Amistris. 6, 4, 25. *et* coniunctionem eleganter omittit Curtius. 3, 6, 1.
ἴλαρχοι. 7, 4, 32. ἴλαρχοι opponuntur τοῖς ξυμμάχοις. 6, 9, 21. quid Arriano. *Ind. Freinsh.* amicitia.
Ethimanthus fl. 8, 9, 10.
Ethymandrus fl. 8, 9, 1.
Etymocles. 3, 3, 1. *Thymodes.*
Etymandrus. 6, 4, 4.
Eudamidas. 10, 2, 4.
Eudocia Theodosii minoris coniunx. 6, 11, 18.
Eulæus. 5, 3, 1.
Eulæus. 5, 3, 1. 6, 4, 4.
Eumenis calliditas. 4, 10, 16. 10, 6, 15.
eunuchi quibus custodes adhibiti. 4, 10, 18. *eunuchis* an pueri in disciplinam tradendi. 3, 3, 23. *qui.*
Euocati. 8, 6, 3.
Euphrates vbi ponte ordinario iunctus. 3, 7, 1. distrahitur in irrigua. 8, 9, 10. an sit Nilus. 6, 4, 4. exonerat se in oceanum. 9, 10, 3. & Tigris, an Mediam attingant. 5, 1, 14. & Tigris, an vno nascantur fonte: *item* eorum interuallum. 5, 1, 13. *Euphratis* natura. 5, 1, 29. latitudo, qua Cyrus transiit & Darius. 3, 7, 1. *Euphratem* si Romani transierunt, an de nouo pontem struxerint. 3, 7, 1.
Eurotas. 6, 4, 4.
Eurylochus an ab Alexandro occisus. 8, 6, 26.
Ἐξάθρης. 3, 11, 8.
ἑξατράπης. *Ind. Freinsh.* satrapa.
excubiæ circa cubiculum regis. 8, 6, 3. *excubitores* Alexandri. 8, 6, 10.
excusatio linguæ temerariæ. 7, 1, 21. tyranni elegans. 8, 8, 1.
exempla non ibi subsistunt, vbi ceperunt. 8, 10, 16.
exercere milites propositis præmiis. 5, 2, 2.
exercitus: vnde id nomen. 5, 4, 17. quomodo transducendus per loca hostibus infesta. 8, 13, 17. hostium vniuersus vtrum adsit, diligenter explorandum. 3, 8, 17. Macedonum quando de capitalibus caussis inquirebat. 6, 8, 25. *exercitus* Dariani summa. 3, 2, 2. & 4. 4, 12, 13. lustratio 10, 9, 12. Alexandrini vestigia. 9, 3, 19. *exercitui* quid obsint sarcinæ & impedimenta. 3, 3, 27.
Exopolis. 7, 6, 25.
in *expeditionibus* cur Asiatici calones secum sumebant. 3, 3, 25. *calonum.*
exploratorum numerus neque multus esto, neque paruus. 8, 14, 2. pœna quæ quondam. 3, 8, 15. *præcipue.* exploratoribus ea sunt monstranda, quibus fidis. 3, 8, 15. *vt.*
exprobrandi formula. 10, 2, 25.
expugnandi quomodo sint hostes in locis inaccessis. 6, 6, 28. *expugnatorum* miserrima cædes. 9, 5, 20. in *expugnatione* vrbium nulla facies mali deest. 3, 11, 22.
autem adsequuti simus, aliorum est iudicare. Dedisse tamen operam scimus, ne quod ab aliis vtiliter obseruatum animaduerteram, obmitteretur. Ergo non solum amplissimos Raderi commentarios studiose contulimus; verum etiam Acidalii, Popmæ, Loccenii (nam Glareanum non vidimus) penum omnem excussimus: excerpentes quidquid commodum videbatur, adiectis, vt quæque exscripseramus, religiose auctorum nominibus. Eandem fidem in coniecturis, quas aduersariis nostris Sebisius inseruerat, præstiti. Eandem in iis quas ex Bongarsii manu cum Manuscriptorum eius variis lectionibus misit nobis ante hoc sexennium Cunradus Schoppius, tum Rhetor Bernatium. Eam supellectilem comparauerat Bongarsius editioni Curtii, quam se moliri ad Iustini lib. 11. præfatus est. Deinde cum cetera Viri bibliotheca Bernatium iuris facta est, eiusque Nobilissimæ Reipublicæ permissu descripta, nobis nunc vsui fuit. cum variis etiam lectionibus, quas ex Gruterianis Codicibus enotatas Cl. Gronouius, & doctissimus noster Schragius submisere. Quibus rebus adiutus multa auctoris loca, quædam & ex ingenio emendaui. Quoties autem meas coniecturas aut obseruationes ab aliis occupatas cernerem, ipsis cessi: interdum pluribus auctoribus repertis qui eadem traderent, ipsorum testibus adieci: *nulla quidem necessitate* (vt ait de Arcesilao Plutarch. aduersus Colotem cap. 38.) *sed tantum' ea viris nobilibus inscribendo confirmans ac commendans.* Quorum præ ceteris Radero hanc quoque gratiam retuli; quod plurimas ipsius notas à typographorum deprauationibus vindicaui; ad quam rem sæpe non minus quam in ipso auctore, ad Criticam confugiendum fuit: notas confusas, & alienis locis positas, emaculaui, distinxi, in ordinem redegi: ad plures res, mores, historias, sententias, verba denique ac phrases, quæ id mereri videbantur, auctores vnde petitæ videbantur, adposui. citatos inspexi, libros, capita, versus, si qui eos habebant, adnotaui. Auctoribus aliena verba quæ nonnunquam adscribebantur, ademi; sua reddidi. Ex notis si qua verba pro præsenti instituto abundare videbantur, recidi: rerum etiam alieniores vilioresue neglexi, ne in immensum moles cresceret. Eadem caussa Græcorum auctorum verba non posui, sed interpretum: ne si vel ista sola adducerentur, ignaris linguæ vsui non forent; vel si vtraque, duplex spatium occuparent. nisi quum in Græcis verbis aut singularis emphasis esset; aut aliquid emendandum, vel aliter exponendum videretur. Ipsos Curtii sensus, quum vt plurimum ab auctore perspicue tradantur, haud temere explicaui; nisi eos alio quam ille vellet, trahi

trahi intelligerem. Vbi tamen errores aliorum raro perstringo: tantum veram cuiusque loci lectionem paulo diligentius adstruo. Dissentio plerumque libere, nusquam acerbe: plane vt mecum agi velim. Breuitati quantum potuit, studui; ita tamen, ne quæ adnotare precium foret, prætermitterentur. Inter quas angustias sæpe recurrebant animo ista D. Augustini ex fine epist. 101. *Laborant homines in discendo, & breuia non valent intelligere; prolixa non amant legere. Laborant itidem in docendo, qui & pauca tardis; & multa pigris frustra ingerunt.* Ceterum commentarios auctori subjunximus, vt cum eo conlaturis in expedito res esset. Verborum atque phrasium pauciora hic enucleamus; in Indicem velut propriam sedem pleraque coniecimus. Quem cum ipso textu Curtiano, Manuscriptorum vt diximus ope; vel certissimis coniecturis, multis locis emendato, cumque nouo defectorum locorum supplemento, variis etiam lectionibus additis, proximis nundinis exhibebimus: siquidem DEVS hanc nobis valetudinem, hocque otium porro concedet; nosque diutius his laboribus inuigilare patietur. Nam vt eos omnibus aliis sæculi negotiis anteferimus; ita quãdocumque ille iusserit, ipsius gratia confisi, haud grauate vel differemus, vel etiam abrumpemus. Si quod ex his emolumentum aut haurire possint alii, aut ipse hauriam, quærere lubet; præteritis compluribus, vnum indico: magis magisque confirmari opinionem, qua vitam gentium regnorumque primis ab originibus expendenti, semper quidem integritas atque prudentia veluti gemini quidam pedes visi sunt; quibus publica priuataque negotia inniterentur. iis enim recte valentibus, omnia feliciter procedunt: alterutro debilitato, claudicare necesse habent; subductis duobus, & corruere. Verum ego hæc Tibi, Tuique similibus expendenda relinquo, qui in luce hominum, atq; rerum actibus versamini. Nobis sufficerit tueri vestrum fauorem, neq; indignos præstare conlatis in nos beneficiis. Quod quidẽ summis viribus connitemur: & quando rationem, quam in editione auctorum sequuti sumus, plerisq; haud displicere intelligimus, ceterorum etiam plerisque subinde publicandis, eandem diligentiam adhibebimus. Quod, in quantum in rebus humanis aliquid fidum est, eo audacius polliceri possumus, quod profectus in his studiis fratris mei, & spes ex adfini Tobia Berneggero, etiamsi Socerum meum, aut me, mortalitas occupet, nostris ceptis perficiendis subsidio fore videantur. Sed ist hæc Deo curæ erũt. Mihi interim per summam festinationem hactenus Tecum cõloqui licuit Vir Amplissime; reliqua in ipsius Curtii editione volẽte Deo commodius exsequemur. Vale. Argentorati, ex Museo Berneggeriano, A. D. IV. Kal. April. Anno Christi MDCXXXIX.

SEQVENS CARMEN VNA CVM VARIIS IN CURTIUM LECTIONIBUS OLIM TRANSMISSUM, EIUSMODI LAUDUM ALIOQUI NEC CAPAX, NEC APPETENS, PROPTER MEMORIAM VIRI DOCTI & OFFICIOSISSIMI, HIC SUBJICERE SUSTINUIMUS.

MAgnus ALEXANDER neque pingi se, neque fingi,
Id nisi Apellis, & hoc nisi dexteritate Lysippi,
Sustinuit, pretium Regalis mensus honoris
Artifice ingenio, quali pollebat vteruis.
Idem crediderim sua nollet gesta notata
Abs alio quoquam, CVRTI nisi acumine RVFI,
Cunctos ex facili historicos superante coæuos.
Quod quia non vna lentebat parte retusum:
FREINSHEMIO priscum recipit limante vigorem,
Dignum CVRTIADE, MAGNO dignumque MONARCHÆ.
Macte styli, Iuuenum noue Flos, interpolis! insta
Historias Latias, Graiasque decente nitela
Ruspantum volupi repræsentare labori.
Sic illæ satius, Tu latius ipse legeris,
Alterna trifidum gemmantes luce per orbem.
Et potes, & priua polles fauitrice Minerua:
Nec BERNEGGERI non instrumenta secundant,
Iudicio constructa graui, curaque sagaci.
Sæpe parem primis meruit diagrammasi laudem,
Qui veteres graphica ductûs illuminat arte.
Quin vetulis didici tabulis certâsse nouatas,
Maius & his decus illustrantis adesse politu.
Vsque adeo inuentis fit quondam accessio felix.
Ipse, putem, fassum rediuiuus CVRTIVS iret,
Cum fructu se nunc potiore legique terique,
Quam quibus exierat primoribus olim elementis,
Verior ast iudex hæc arbitrabitur ipso
Posteritas vsu, nihil imponente magistro.
Cui pius, & Charisin sacra digna litare memento:
Pluria gratus amat data proritare datorum.

CVNR. Schoppius acclamabam Berna.

IOANNIS

IOANNIS FREINSHEMII COMMENTARII IN LIBROS SVPERSTITES Q. CVRTII, DE REBVS GESTIS ALEXANDRI MAGNI.

EXpositurο Q. Curtii de rebus Alexandri libros superstites in mentem venit illius iudicii, quod ex Gaio ICto in legem primam de Origine Iuris, Compositores Digestorum retulerunt: *interpretationem promittentibus inconueniens esse, omissis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, vt ita dixerim, manibus protinus materiam interpretationis tractare: namque*, vt prosequitur, *istæ præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ producunt; & cum ibi venerimus, euidentiorem præstant intellectum.* Itaque visum est prius de ipso auctore agere. Cui rei inprimis faciunt testimonia doctorum hominum, quæ tam ab aliis iam collecta, quam à nobis recens notata, hic subiiciemus, hoc ordine vt primum quæ ad nomen, condicionem, ætatem eius attinent proponamus, deinde quæ ad dictionem & historiam.

CAP. I.

De Curtii nomine, ætate, condicione.

FRanciscus Modius initio Notarum in Curtium. *Quod RVFI cognomen Curtio asseruerim; in eo adeo culpam non deprecor, vt etiam laudem deberi mihi contendam, cum ad scriptorem non malum, certe in historia, quam memoriæ mandauit, vnicum, mea opera quasi postliminio cognomen suum rediit. Et facerem profecto flagitium, si, cum eidem hoc perpetuus veterum librorum consensus tribuat, amplius in re manifestaria disputarem. Atque cum hoc bene successit, quod primum erat (neque enim quis fuerit Curtius, qua ætate vixerit, satis sciri potuit, quamdiu eius prænomen, nomen, cognomen in incerto fuerit) spes est fore, vt etiam aliquando illa, quæ modo dixi, Dis secundis eruantur.*

II. Christophorus Bruno in Epistola Nuncupatoria ad Albertum Bauariæ Ducem. *Porro quo tempore Q. Curtius vixerit, non satis certum est, cum ne hæc quidem, quæ supersunt eius scriptoris, integra ad nos peruenerint. Certe Romanum fuisse, satis constat, quod non solum styli ipsius tersissima puritas ad Romanum filum ad amussim sit formata, verum etiam ipse temporum Romani imperii, in quarto, octauo, & decimo libris, non obscure mentionem faciat: vt mihi non immerito mirum videatur, nec à Quintiliano inter scriptores Romanos, propter phrasin vetustioribus simillimam, recenseri, nec à quoquam alio veterum huius mentionem fieri.*

III. Matthæus Raderus in prolusionibus ad historiam Curtii, cap. I. *Curtios ego varios apud veteres auctores, Cæsarum primorum æuo potissimum laudatos (nam de his agitur, & quæritur) lego. Princeps est apud Ciceronem ad Q. Fratrem lib. 3. epist. 2.* De ambitu, *inquit*, postulati sunt omnes qui Consulatum petunt; à Memmio Domitius, à Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius. *Alius apud Iuuenalem orator, seu caussidicus celebratur Satyra XI.*

—— te consule, dic tibi quis sit
Orator vehemens, an Curtius, an Matho. *Alius Curtius est apud Tranquillum in album clarorum rhetorum relatus. Rursus videtur alius apud Plinium & Tacitum, quem gladiatore genitum affirmant.* [Alius & Curtius Salassus apud Euseb. num. M DCCCCI.XXVI.] *Videndum nunc quis ex his omnibus auctor sit historiæ de rebus Alexandri Magni. Nam omnino nemo vnus mentionem hac de re quisquam habuit eorum, qui de quatuor illis Curtiis aliquid prodidere; nemo inquam à Curtio compositas Alexandri res vnquam testatus est. Ac primum quidem, Curtium Iuuenalis hinc prorsus amandamus; is enim non est Q. Curtius Rufus, vti passim in antiquis chartis editis, ineditis appellatur, sed Curtius Montanus, de quo idem Sat. 4.*

Montani quoque venter adest abdomine tardus. *Plura de hoc Tacitus libr. 4. histor. itaque hunc taciti præterimus.*

IV. F. Angelus Rocha in bibliotheca Vaticana. *Hunc Aldus Manutius eum esse putat, qui à Cicerone ad Q. Fratrem Epist. 2. lib. 3. nominatur* bonus & pereruditus adolescens. *Scripsisse autem eum sub Augusto, coniicitur ex eius historia lib. 10. circa finem.* Idem sentit Wolfius Rer. Memorab. Centur. I.

V. Raderus dicto loco. *Curtium Tullianum, quem primo loco posuimus, existimat historiæ de Alexandro M. scriptorem illustris & eruditus vir Io. Georgius Herwartus, cuius opus Chronologicum legitur; sed refutatur à Lipsio, cum omnibus aliis, qui illos Virgilii versus è I. Georg. transcriptos de illa Curtii nocte in X. notata interpretantur:*

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Nec illam tantum noctem accipit Herwartus quæ mortem Iulii secuta est, sed omnino totum illud tempus, quo inter Augustum, & Iulium inter regnum fuit. Æternam hanc noctem, defectionem quoque solito longiorem interpretatur, cum toto fere anno maligna solis lux fulsit, nec splendorem suum vnquam fere serena fronte explicauit. Plutarchus in Iulii vita: ὅλον γὰρ ἐκεῖνον ἐνιαυτὸν ἀχρὸς μὲν ὁ κύκλος, καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἴσχων ἀνίσχειν. ἀδρασὶς δὲ καὶ λεπτὸν οὐκ αὐγὴ καλὴ τὸ θερμὸν. Toto namque anni illius spacio pallens globus, & sine splendore oriens, imbecillem ac tenuem ex se calorem emittebat. *De eodem* [Tibullus 2, 5.] *Plinius lib. 2. c. 30.* Fiunt prodigiosi & longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Cæsare, & Antoniano bello totius pæne anni continuo pallore. *Hunc tamen non fuisse auctorem de Alexandri M. rebus ostendit Iustus Lipsius, vti dixi. qui negat Virgilii versus huc pertinere.* Est, *inquit*, &c. verba Lipsii infra n. XV. referemus.

VI. Ioannes Iacobus Frisius in Bibliotheca Chronologica sub Octauio Augusto Anno Domini X. *Q. Curtius Augusti temporibus fuit. Milæus lib. V. historiæ de Literatura.*

VII. Raderus d. l. *Io Georgius Herwartus, quem paulo ante laudaui, existimat, eum Cicerone adhuc superstite, ante bellum ciuile Cæsaris & Pompeii iam causas egisse, & verba Curtii è X. refert ad mortem Iulii Cæsaris, ex quo sequitur, illius opinione Curtium Augusto imperante hist-*

te historiam suam composuisse, nec enim vltra Augustum vixisse potuit; nisi æuum illius vltra centesimum propagare velis. Minimum enim octauum decimum, aut etiam vigesimum egit, cum in forum est progressus; dudum ante Octauianum quoque natum oportuit. Sed cum locus Curtii è X. de Iulio Cæsare accipi non possit, vti recte affirmat Lipsius, eosque nugari doceat, qui id tradidere, missum hunc adolescentem Ciceronis faciamus.

VIII. Ioannes Maria Catanæus in Commentariis ad Plinii Epistolar. lib. 7. Epist. 27. *Lego in fide digno exemplari, Historiam de gestis Alexandri compositam Q. Curtio Rufo: qui inibi fatetur, se fuisse sub Augusto & Tiberio.*

IX. Raderus dicto loco. *Catanæus ergo, & Pithœus sub Augusto & Tiberio vixisse, & scripsisse Curtium arbitrantur: sed non ostendunt, nisi quod Catanæus narret se legisse in fide digno exemplari historiam de gestis Alexandri compositam à Q. Curtio Rufo, qui inibi fatetur se fuisse sub Augusto & Tiberio.* Et mox:

X. *Ego tamen alia omnia sentio, censeoque Augusto imperante natum, Tiberio regnante florere cœpisse & scribere; illaque Curtii è IV. de Tyro & X. de nocte, & nouo sidere accipienda de morte Augusti, & noua Tiberii successione, & deinceps imperio per annos tres & viginti administrato. Nec interim inditias eo potuisse æuum ad Claudium vsque propagasse. Primam sententiæ nostræ rationem ex elegantissimo, & qui aureum Latinitatis sæculum omnino sapiat, stylo Curtii duco, vt non dubitem illum summis rerum Romanarum scriptoribus Sallustio, Liuio, Cæsari, Ciceroni admouere: Tacito certe & Suetonio, Floro, & hoc genus iam sequioris sæculi auctoribus sine vlla dubitatione præponendum omnes, qui paulo emunctioris nasi & delicatioris palati tersarumque aurium erunt, & gustum nobilissimæ ætatis verum habent, iuxta mecum censebunt. Vnicum nostri sæculi testem hoc loco, infra mox altero capite, plures adducturi producamus, Puteanum, inquam, regium Louanii doctorem, & Lipsii successorem, & nostrum amicum, qui ita de Curtio verissime iudicauit.* Verba Puteani referentur infra, ubi de stylo Curtii iudicia proponuntur. *Vespasiani autem æuo ab illis Tulliano & Iuliano calamo desitum est, vt Plinius secundus se reprehensum etiam ab aui sui scripturientibus aiat, quod Ciceronem voluerit & imitaretur, adeo vitioso iam illo æuo vitium erat, vitio carere, id est, Ciceronem sequi & stylo exprimere. Alteram causam subiicio ex Curtii verbis è IV. & X. petitis ad Augusti mortem & Tiberii inaugurationem esse accommodanda, quod vt facilius tibi ipsi persuadeas, adduco similimum è Velleio locum, qui mirifice nostrum illustrat & affirmat.* Venitur, *inquit, lib. 2. c. 123.* ad tempus, in quo plurimum fuit motus (*de morbo & morte Augusti agit*) quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio &c. *& infra c. 125.* Tulit protinus & voti. &c. *subiicit dein iterum c. 126.* reuocata in forum fides &c. *& in fine libri 2.* Iupiter Capitoline, & auctor &c. *Professa, inquis, Paterculi est adulatio: non eo negatum, sed eodem sensu Curtius & Valerius Maximus de Tiberio non sine palpo prolocuti.* Et in primis (*inquit in Seiani cæde aliquanto post Val. Max. 9, 11. f.*) auctor ac tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita &c.

XI. Casaubonus in Animaduersionibus ad Suetonium in Indice excellentium Rhetorum, vbi nominatur *Q. CVRTIVS RVFVS. Hunc illum esse cuius historia rerum Alexandri elegantissime scripta in Doctorum manibus versatur, pæne assentior viris eruditis sic existimantibus. At ille Curtius Rufus, cuius meminit Tacitus Annalium 11, 20. cum nostro Rhetore nihil videtur commune habuisse.*

XII. Barnabas Brissonius de Regno Persarum lib. 1. *Q. CVRTIVS RVFVS, ex cuius*

ex cuius scriptis toties à me auctoritas in his libris ad faciendam fidem petitur, iis temporibus vixit, quibus bonas artes & studia litterarum floruisse, nemo inficiari potest. Nam nisi me conjectura fallit, hic historiæ Alexandri auctor, Curtius ille Rufus est, qui inde à Tiberii temporibus Rempublicam attigit, & cui, dum Africæ Proconsuli velut comes & sectator hæreret, spectrum muliebri figura sese obtulit, eique prouinciæ præfuturum eum prædixit. Quod & euentus re ipsa comprobauit. Claudio enim imperante Africam cum imperio obtinuit, triumphaliaque insignia adeptus, ibi diem obiit; quemadmodum Tacitus Annalium 11, 20. & Plinius Epist. 27. lib. 7. memorant. Itaque ad Claudium Imp. pertinet, quod ille lib. 10. scribit, in hæc verba: proinde iure meritoque pop. Rom. &c. *Idemque mecum sentiet, qui de eius loci interpretatione Suetonium in Claudio c. 10. 11. & Iosephum lib. 19. Antiquitat c. 2. & 3. consulet: à quibus discet, post Caii cædem per biduum, de mutando Reip. statu, adseruandaque communi libertate, hæsitatum. Senatu vero segniore in exequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diuersa censentium, & multitudine, quæ circumstabat, Rectorem vnum, & nominatim Claudium, exposcentium, imperium eis stabilitum atque firmatum. His & illud addam, Curtium hunc Rufum à Suetonio clarorum Rhetorum albo adscriptum fuisse. Manuscriptis enim eius argumenti codicibus, tam eorum quæ extant, quam quæ initiis temporis perierunt capitum, Catalogum seu Indicem breuem reperiri Achilles Statius testatur: in quo Porcio Latroni Q. Curtius Rufus subiungitur.*

XIII. Popma in notis ad Curtium 10, 9, 3. *Sunt qui Curtium sub Augusto vixisse ex hoc loco colligunt; alii sub Tiberio & Claudio. Ianus Rutgersius lib. 1. c. 19. Variarum Lectionum, sub Vespasiano principe eum floruisse contendit; at Barnabas Brissonius (*de regno Persarum lib. 1.*) hæc verba de Claudio Imp. intelligenda esse censet; ex Suetonio in Claudio c. 10. & 11. & Iosepho lib. 19. Antiquitat. cap. 2. & 3. Q. vero Curtium vixisse temporibus Augusti, vel Tiberii, colligitur ex Indice Rhetorum præfixo Suetonij libello de claris Rhetoribus.* L. Cestius Pius, M. Porcius Latro, Q. Curtius Rufus. *Vbi iungitur Curtius Cestio & Latroni. At Cestius vixit Augusti anno XXXI. Latro Augusti anno XL. vt Hieronymus in Chronicis testatur. In eodem Indice longo ordine post Curtium refertur* M. Fabius Quintilianus; *qui* sub Vespasiano vixit. *Illum autem Curtium Rhetorem hunc esse auctorem historiæ Alexandri elegantissime scriptæ docti viri existimant, quibus ego libenter consentio.* IDEM in epistola ad Hesselum filium. *De parentibus vero Curtii, aut quo tempore vixerit, nihil certi constat, præter quod ex decimi libri verbis eum sub Augusto fuisse nonnulli colligunt; alii sub Tiberio & Claudio: certe iis temporibus vixit, quibus bonæ artes & studia litterarum floruerunt. Sunt qui hunc censent esse Curtium illum Rufum (vti Tacitus Annal. lib. XI. Plinius lib. 7. epistol.) qui iam inde à Tiberii temporibus Rempublicam attigit; & cui dum Africæ proconsuli velut comes & sectator hæreret, in oppido Adrumeto, circa medium diei, in porticu mulieris figura humana grandior pulchriorque sese obtulit, eique prouinciæ præfuturum eum, & ibi moriturum prædixit. Africam enim cum imperio obtinuit, & triumphalia insignia adeptus, atque ibi defunctus, fatale præsagium implenit. Suetonius Curtium Rufum inter claros Rhetoras recensет: in manuscriptis enim eius argumenti codicibus, capitum Catalogus, seu Index breuis, reperitur, in quo Porcio Latroni Q. Curtius Rufus subiungitur.*

XIV. Raderus dicto loco. *Iam tertio loco è Suetonio, & quarto è Tacito & Plinio petitum, omnes prope hodierni scriptores, præter Hervvartium eundem existimant, rhetorem inquam & causidicum, declamatorem & oratorem, simulque scriptorem rerum Alexandri & quæstorem, prætorem, consulem, & demum proconsulem Africæ. Ioannes Maria Catanæus Plinii minoris interpres, P. Pichæus, Brissonius, Lipsius, Puteanus, alii, quamuis nullum ex omni antiquitate auctorem proferre, aut testem excitare possint, coniectura tantum è loco lib. IV. & X. ducta nixi.*

XV. Iu-

XV. Iustus Lipsius ad Tacitum 11, 20. vbi mentio est Curtii Rufi. *Est qui hunc censeat esse illum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri, pere me Hercules & Latine. Modius certe noster, cuius censuræ Curtius non leuiter debet, testatum reliquit cognomen ei Rufi tribui à libris. Pugnare tamen ætas videtur, siquidem ad Augustum referenda illa sient è libro eius X.* Proinde iure meritoque &c. *Sed non sunt: nec quicquam hic de sidere Iulio, vt nugantur. Refutant sequentia: quoniam Augustus cum ad Imperium ver[illegible]non extinxit bellorum faces, non gladios condidit, sed accendit, eduxit. Refutat & ille locus è libro IV. de vrbe Tyro.* Multis ergo casibus defuncta &c. *Nam ait & agnoscit longam pacem in re Romana. An ea sub initia Augusti? imo viginti annorum bella. Itaque priora illa ad Caii Caligulæ cædem, & confusionem quæ secuta: Senatu imperium abrogante; milite & plebe stabiliente. Hæc sunt illa* sine capite discordia membra; *& Claudius ipse,* nouum sidus.

XVI. Raderus dicto loco. *Iam Brissonius, Lipsius, Puteanus, alii, Claudio imperante putant historiam à Curtio conscriptam; & noctem illam quam extremam imperio imminere existimabant, referendam ad noctem quæ Caligulæ cædem est insecuta, & ita in priore etiam Curtii editione sentiebamus.*

XVII. Ex Erycii Puteani in Q. Curtium præfatione. *Iterum vincit orbem Alexander; scribitur, sed à Curtio scribitur, qui vt optimo atque eruditissimo ævo vixit, aut certe illi proximo, sic præstare potuit, quod postea nemo assecutus est. Volunt enim nonnulli Augusti temporibus eum floruisse, alii Claudii, quod verisimile, imo verum puto. Præturam quoque scribente Tacito lib. XI. Annalium principis suffragio assecutus est, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velauisset,* Curtius videtur ex se natus, *& quod dedecus? Tacitus obiicit* gladiatore genitum quidam prodidere. *quid igitur? genitum ad magna.*

XVIII. Ex Præfatione ad Lectorem editionis Antonii Candidi, quæ prodiit Lugduni 1591. *Caligulæ temporibus Curtium vixisse quidam existimant, quod cum ex historiis haud facile colligi possit, in re dubia nihil pronunciamus.*

XIX. Ianus Rutgersius Variar. Lection. lib. 1. c. 19. *Scripseram alicubi quendam Curtii locum videri è Lucano expressum esse, cuius eum studiosum fuisse multis argumentis doceri posset. Venit ad me non multo post homo eruditissimus, qui hoc vt immanem ἀνιζοφανίαν notarat. Quomodo enim, inquiebat, Curtius Lucanum imitari potuit, cum is Lucano etiamnum puero iam obierit? Curtium certe sub Augusto floruisse saltem ipse te docere debuerat. ita enim lib. hist.* 10. Sed iam fatis admouebantur Macedonum genti bella &c. *In quibus nouum illud sidus quod aliud sit, quam Iulium, de quo Horatius, hoc est Augustus? tum ego, quod Curtium sub Augusto floruisse dicis, quam id verum sit, mox viderimus, certe non credidi, cuius tu auctoritati multum tribuis, Iustus Lipsius. Is enim ad XI. annal. Taciti id confutat.* Et post pauca Lipsii quoque coniecturam reiiciens: *Mihi longe secus videtur. Neque enim post Caii cædem Imperium aut à pluribus expeditum, aut ciuilibus bellis, vt Macedonicum illud cuius occasione hæc de Rom. Rep. inserit, laceratum fuit. Quod tamen necesse sit, si hic locus eo trahendus foret. Sed ipse Lipsius hæc incerta sibi esse non negat, & vltro se daturum manus profitetur, si quis vero similiora adferre possit. Quod an nobis successerum sit, quid experiri vetat? Ego Vespasiano Principe Curtium floruisse dico: & hæc ipsa verba (*lib. X.*) in eius gratiæ spem decore inserta esse. Sed id ostendendum est. Primum igitur, quod ait* sine suo capite discordia membra trepidasse; *De Galba, Othone, & Vitellio dici manifestum est. Sub illis enim dum eorum quisque de principatu contendit, Resp. sine certo capite fuit. Vnde Suetonius in Vespasiano eos motus non bella, velut sub legitimo Principe, sed rebellionem vocat.* Iam nox illa, quam Romani pæne suprematn habuerint, *quaque* nouum sidus illuxerit, *obsecro te, quæ alia est quam ea qua*

ea qua Vespasianus Vitellium profligauit? Id enim prælium noctu commissum esse vel è tertio Historiarum Taciti constat. Illæ autem faces, quas cum extinxisse *dicit, nihil aliud sunt quam bella ciuilia.* quæ omnia, *vt Plinij verbis vtar,* salutaris exortus Vespasiani Principis aboleuit. *Iam quod & hic* non solum reuiescere imperium, sed etiam florere *dicit, & lib. IV. in excidio Tyri,* longam pacem sub Rom. mansuetudine *agnoscit, de quo melius quam de Vespasiano dici possit? per quem Rom. Resp.* tot Nerones passa, *vt cum Vopisco dicam,* caput extulit. *Is enim est, qui post tot ac tam immanes bellorum furias pacem & tranquillitatem orbi terrarum reddidit: cuius beneficii monumentum & augustum illud Pacis templum esse voluit, quod eum condidisse scribit Suetonius, & omnis generis numos, quorum aliquot etiam penes me sunt, quibus hodieque* P. ACI. ORBI. TER. *inscriptum legitur. Postremo quod de* perpetua, certe diuturna posteritate *ominatur, ad quos nisi ad Vespasianos fratres referendum est? quibus superstitibus non poterat non diuturnum esse eiusdem domus imperium. De mansuetudine ejus pleni sunt historicorum libri. Hæc ego cum dixissem, non grauate assensus est.* Probat hoc judicium Ioan. Loccenius in dedicatione Notarum ad Curtium.

XX. Caspar Barthius in epistola ad Ioan. Freinshemium. *Memini Curtianam te recensionem polliceri. Ejus scriptoris ætas parum est comperta hactenus doctis, qui longe eam vltra locant ac debebant, quos flos ille affectatus (non sine aspersione spinarum)* [Lipsium, ni fallor, intelligit] *judicij abstulit. Videmur enim belle demonstrare posse vix antiquiorem esse æuo Theodosiano, idque in dubiorum scriptorum Catalogo iam consignauimus.* Idem Barthius Adversarior. 54, 7. *Æuum Curtii forte non tam vetus est quam censent etiam subactissimi judicii homines, & nos alibi prolixius opinaturi sumus.*

Ita cum ex diuersissimis opinionibus alii nihil præter nomen auctoris repererint, vt quem primo loco posuimus; alii nihil præter gentem, vt quem II. alii putent coætaneum Ciceronis fuisse, vt IV. V. alii sub Augusto vixisse, vt IV. VI. VII. & Tiberio, vt VIII. IX. X. (quomodo & Puteanus quodam Præfationis suæ loco sentire videtur, & sentit Petrus Opmerus in opere Chronographico) qui eundem faciunt cum Rhetore cuius Suetonius meminerit, vt XI. plerique & cum eo cuius Tacitus & Plinius vt XII. XIII. XIV. eoque scripsisse Claudii temporibus, vt præter dictos XV. XVI. XVII. aut Caligulæ, vt XVIII. denique Rurgersius XIX. (Cuius sententiam pluribus tuetur Vossius de Histor. Latin. 1, 28.) Vespasiani; & Barthius XX. Theodosianis temporibus adserant, nostræ sententiæ loco promemus verba quibus vsus est.

XXI. Lipsius loco qui citatus est num. XV. *Incerta hæc mihi, fateor: & facile manum dedero, si quis adferat verisimiliora.*

XXII. Raderus dicto loco. *Regat meam sententiam? ἐπέχω (quamuis in plurium opinationem omnino inclinem) fieri enim potest, nullum ex his omnibus quatuor, esse historiæ de Alexandro M. auctorem, sed alium aliquem nobis ignotum, quod veteres omnes de illo tacuerint, nullusque veterum, auctoritatem illius vnquam de Alexandro prætulerit, aut laudarit.*

XXIII. Raderus dicto loco. *Hæc tamen omnia ita à me de Curtio disputata sunt, vt nolim lectori pro oraculis, aut certa ἀποδείξει obtrusa. coniectura nostra & aliorum sententia non iustis fortasse columnis nititur, aut infirmo etiam tibicine fulcitur, certis enim & indubitatis antiquitatis testibus destituta est. Quamuis Erycius Puteanus non dubitet hunc ipsum Q. Curtium Rufum, de quo Tacitus & Plinius scripsere, esse auctorem historiæ de Alexandro Magno.* nam de his agi non est, *inquit,* quod amplius dubitemus. *si Tacitus, aut Plinius aliquam historiæ huius mentionem fecisset, certi essemus. Nunc hæremus, & optamus magis esse, quam scimus.*

XXIV.

XXIV. D. H. ad Lectorem editionis Elzeuirianæ de anno 1633. *Præter M. Tullium ac Iuuenalem, apud quos hoc nomen extat, Tacitus, ac Plinius Curtii cuiusdam meminerunt. Et vterque Rufi addidit cognomen. Neque aliter Tranquillius, in Catalogo, quo Rhetores præclari indicantur, qui libello de iisdem mutilo præmittitur in Mss. Esse autem nostrum, cuius tres postremi meminere, inter eruditos fere conuenit: nec multum abest, quin plerique omnes, rhetorem, causidicum, declamatorem, etiam quæstorem ac prætorem: consulemque, ac Africæ proconsulem, eundem cum historico, qui Magni Alexandri res conscripsit, arbitrentur. Quemadmodum vixisse sub Augusto ac Tiberio, sed & scripsisse, quidam & sub Claudio superfuisse, existimant. A quibus nobilissimus Rutgersius seorsim abiit, qui sub Vespasiano floruisse in Variis probauit, quem non temere reiiciendum, & cum cura adeundum censeo. Quanquam, ne de veritate quidem amplius quærendum videretur, si habendam Catanæo fidem, omnibus constaret. qui in manu exarato exemplari, ipsam hanc historiam de gestis Alexandri scriptam, Q. Curtio, & quidem Rufo, qui Augusto Cæsare ac Tiberio floruerit, inscribi sic testatur.* Verba Catanæi habes n. VIII. *Cætera incerta sunt, & quia cætera, hoc ipsum. Imo & hoc ipsum magis, quia cæteris Vespasianum iungit.* (Id quidem in Catanæo non reperi.) *Iam, qui potissimum dicendi genus, & purissimam Latinitatem, certum æui argumentum arbitrantur; neminem Latine sub Vespasiano, qui antiquitatem accurate exprimeret, scripsisse, quo modo probabunt? Quam si æuo nostro ac parentum, eleganter quidam expresserunt, nondum video, cur à Romanis id remoueamus, quod ne nostris quidem, ex felici imitatione hactenus negatum est. Quippe, & hodie ætatem quisque aut scriptorem eligit quem imitetur, vt cum cura imitetur quem elegit. Vt omittam principem historiæ Sallustium, ætate integra à scriptis C. Cæsaris, cœpti, abiisse; cum diuersum in dicendo, tum qui Græcis suis, tanquam peregrinus, hæret. Vt & maximus scriptorum Tacitus post illum.*

XXV. Vt ita ad totum hunc locum claudendum aptissima fere videantur verba Valentis Acidalii Animad. ad lib. 4. Curtii. *De Curtio miror sæpe, nonnunquam & indignor, doleo quidem semper, non tam quod ad manus nostras peruenit corruptus sic & vitiatus; hæc enim sane cum omnibus: nec quod tam multis locis mutilus, ac lacer; hæc cum plerisque: nec quod integris libris, & ipsis adeo primis ceu capite truncatus; hæc quoque cum multis communis ipsi fortuna: quam quod nec ortum eius satis certo, nec ætatem qua vixerit, ac scripserit, scimus vllo modo, quæ illi tamen ipsa fors non etiam omnino sic peculiaris, vt parem sociumque habeat neminem. illa autem vix omnino quemquam calamitas extra Curtium afflixit, vt reliquerunt scriptorum nemo mentionem eius vllam, vel vno verbo, certam dico mentionem, & indubitatam faciat, ad vnum omnibus tacentibus, quasi de compacto, vt conspirasse videantur ad supprimendum hominis nomen, ad famam prorsus opprimendam. In hoc quis non indoleat? quis non miretur, & indigneturi? Dignus ille me hercules scriptor, qui ab omnibus prædicaretur, quem penitius & totum nosceremus. Ac laborandum in eo viri docti sane multum, vt quando indiciis & argumentis certis inueniri nihil potest, coniecturis aliquid sagaciter indagaretur: quorum nos industriam diligentem amamus & laudamus, sed hanc ipsam vanam cum omnibus deploramus. Nec diuersas hic diuersorum opiniones affero, quia nullam ipse stabilire possum, quod contra possim, si libeat, omnes refutare.*

CAP. II.

EXpositis doctorum virorum de Q. Curtii ætate atque condicione suspicionibus, sequitur vt de stylo eius & Historia quid senserint, lectoribus exhibeamus. Quod vt commodius fieret, eorum iudicia secundum litterarum seriem disposuimus. Notandum autem, neminem adhuc quicquam apud veterem auctorem reperisse ex Curtio citatum.

Valens Acidalius Animad. ad lib. 4. Curtii. *Dignus ille me hercule scriptor, qui ab omnibus prædicaretur, quem penitius & votum noscueremus.*

Franciscus Asulanus in Epistola Aldinæ editioni præfixa. *Alexander ille Macedo, cum aliis concinnis scriptoribus, tum facunda, eleganti, candida Curtij historia immortali calicolarum vescitur ambrosia. viuetque æternum, dum sole magnus lustrabitur orbis.* & in fine Epistolæ. *Hac lege hunc tibi Curtium dicatum volumus, vt omnes facile sciant, te eum vnum inter mortaleis esse, cuius innumeris reponendis laudibus Curtio ipsi scriptore opus esset.*

Ioan. Bernartius. *Cæsari comitem do Q. Curtium, quem adeo inter selectos recensere non dubito, vt inter optimos locum illi fidenter tribuam.* Idem ad Stat. 10, 487. *ut ocellus Historicorum Curtius inquit.*

Petrus Bertius de Agger. & Pontib. pag. 38. *Dictio Q. Curtii est pura, simplex, inaffectata: in Aggeris vero descriptione ita insuper florida, ut inter prima eloquentiæ Romanæ exempla locus iste ponendus sit. Author simiis qui ad veram Eloquentiam adspirant, ut totum locum ediscant.*

Petrus Bizarus lib. 2. rer. Pers. *A Q. Curtio inter Latinos arguto, eleganti & neruoso scriptore harum cognitio petenda est.*

Barnabas Brissonius de regno Persarum libr. 1. *Ne quis à parum idoneo auctore interpretationem sumptam suspicetur, Curtius hic, ex cuius scriptis toties à me auctoritas in his libris ad faciendam fidem petitur, iis temporibus vixit, quibus bonas artes & studia litterarum floruisse nemo infitiari possit.*

Christophorus Bruno in Epistola dedicatoria. *Cum autem Q. Curtij quoque rerum gestarum Alexandri Magni historia, olim à me puero, & nunc denuo rursus lecta, mire candida, terssa, ac luculenter pura, vtroque tempore mihi visa esset, dici non potest, quantum omnium studiosorum nomine indoluerim, tantum autorem ἀκέφαλον, id est sine capite, duobus nimirum primis libris, cum fine quinti, amputatis, & in decimo libro plurimis in locis mutilatum nobis superesse.*

Ibidem. *Styli ipsius terssissima puritas, ad Romanum filum adamussim formata.*

Guil. Budæus de asse lib. 3. *Verbis ipsius Curtij auctoris terss & elegantis.*

Ex Præfatione in editionem Curtianam Antonii Candidi, procusam Lugduni 1591. *Q. Curtij Rufi libros qui supersunt, historiæ nomine dignos si quis agnoscit, is iudicio præditus equidem videbitur. Proponit enim Curtius exiguo volumine insignia documenta quæ vsum vitæ communis adiuuant, quæ principes viros & infimæ sortis homines possunt meliores reddere, seu ad virtutem hortetur, seu vitia, vanæ gloriæ videlicet, pecuniæ, vindictæ, libidinis amorem ex animis euellat: nec in vanis & nugacibus rerum gestarum narrationculis scriptionem consumere studet. Nonnulli existimant non aliter debere describi bella quam latrocinia, breuiter, nude, nulla laude addita, sed detestatione potius, vt longum bellum referatur non vtique ad commendationem victoris, sed tanquam in exemplum, quid pariant praui affectus, siue ambitionis, seu iræ, siue libidinis: tum vt videant quam in incerto ac leui momento sitæ sint res & fortunæ hominum, quibus tantopere alij confidunt. Id quam feliciter Curtius præstiterit, perpetuus historiæ contextus ostendet. Primariæ autem historiarum legi, quæ veritatem commendat, sapienter obsequitur, ex tot veterum scriptorum libris veritatem, ceu in profundam aniquitatis abyssum immersam, eruens. Pro narrationum varietate, prudentia sua vsus est, aliam historiæ*

historiæ legem diligenter obseruans. In quibus enim verba spectantur singula, vt in pactionibus, Macedonum edictis, promissis, simplicem profert veritatem. In rerum gestarum commoratione, dum mores seuere informat, aut animos iucunde pascit, summas rerum ita exhibet, vt nihil (quod cognitu necesse sit) relinquat intactum. Addens præterea quæ doctrinæ aculeos mentibus relinquant, quæque variis affectibus lectorem imbuant, verba scilicet eximia, sententias selectas, miro artificio compositas orationes: reique summam ad veritatis regulas dirigens, nomen retinet veræ narrationis. Caterum non modo corpus ipsum historiæ suæ veritati consecrat, verum etiam perelegantem colorem & cultum adhibet. Res insigniores persequitur, eas videlicet quæ nos sapientiores efficere queunt. Dum enim alii nimis accurate prælia describunt, quæ melius nesciremus, Curtius noster explicat causas, consilia, euentus, & quicquid occultum & arcanum est in negotio: ita tamen vt acierum descriptiones & variorum certaminum multiplices vultus, graphice depictos, propter Darij & Alexandri nomina Bellonæ dicata, minime negligat. Quod si faciset, quid inanius illa historia, in qua perpetuus armorum strepitus? Non effundit se in laudes Græcorum, aut Persarum vituperationem: nec enim se encomiastem, sed historicum agnoscebat: adulationes & hyperbolas poeticas caute fugiens. A digressionibus abstinet: historiæ filum nectit diligenter & eadem manu. nec de quibustis rebus sermones serit: imo leniusculis omissis, cognitu dignissimas, ad vtilitatem & delectationem, singulis fere paginis persequitur. In frequentibus ciuitatum, regionum, montium, fluminum, descriptionibus, quæ ad rerum gestarum intelligentiam magis ac magis amplectendam non parum lucis adferunt, perspicuus apparet & solers. Adhibuit, nonnullis in locis, iudicium suum: & in gratiam legentium benefacta cuehit, malefacta ad execrationem insectatur. In rebus memorandis, consilia primum, deinde acta, postea euentus expedit, & de consiliis significat quid probet: ac in re gesta non modo actum aut dictum sit, sed etiam quibus rationibus, sincere & breuiter aperit. Quoties de negotio aliquo pronuntiat, penetrat in animos: nec affectui, sed rationi perpetuo fauere videtur. A maledicentia potissimum abstinet: adulationem abominatur & longe fugit: denique eum historicum quem requirit Cicero se præstat, magnum videlicet. Verba proponit rebus congrua, de magnis splendida & sonantia, vt orationes nonnullæ restantur, de paruis humilia, etiam de sordidis non dissimilia. Perspicuitas in eo talis est, vt ab omnibus intelligatur, à doctis etiam laudetur. Liberioribus verbis quandoque vtitur (modestiæ tamen, quæ in eo maxime elucet, non immemor) vt narrandi tædium leuet, puram vbique illustremque sequens breuitatem. De toto autem Curij stylo penes eruditos esto iudicium: nec enim commentarium Grammaticum, sed præfationem scribimus. Postquam vero præclari historici imaginem lineis rudioribus exhibuimus, eandem præstantiore penicillo suis coloribus ad viuum, angustiore tabula feliciter expressam, offerre visum est. Ita igitur doctissimus Lipsius in Notis ad I. librum Polinicorum. Verba Lipsii relata sunt infra suo loco. Item in fine eius præfationis. *Supplementa librorum qui desiderantur, tenui filo conexta, nec Curtianæ maiestati respondentia.*

Casaub. in Animaduers. ad Sueton. in Indice excellentium Rhetorum. *Historia rerum Alexandri elegantissime scripta.*

Nicolaus Cauſſinus de adminiculis eloquentiæ l. 3. *Q. Curtius medium quoddam iter sequutus, magnam styli salubritatem consecutus est. Nam ita dilucide narrat, vt animum sine salebris fluere credas, & tantis præterea veneribus orationem perfundit, vt non mediocriter lectores & amatores suos oblectet. Conciones autem habet tam argutas, & suaues, vt Herodoto, & Xenophonti nihilo videatur inferior.*

Angelus Decembrius de politia litteraria libr. 1. pag. 36. l. 2. pag. 119. l. 6. pag. 487. *De Q. Curtio eadem prope querela est, cuius laceratum opus legitur: quanquam Græcorum & Arriani constat historia, ex quorum fontibus hic scriptor vel interpres miræ dulcedinis regiæque*

profecto magnificentiæ par, ab Alexandro non degenerans opus suum excudit, cuius summæ sunt dignitatis & historicæ suauitatis orationes.

Idem. *Curtius inter historicos sane elegantissimus.* Idem. *Tantæ est amœnitatis cum perfectius legitur, vt metricam putes historiam.* Idem. *Quod maius infortunium apud maiores nostros, pulcherrimorum operum studiosos fuit, & accipere nos decuit, vt tam excellentis historiæ suauissimæque orationis, quæ velut Amphionis Musa omnes mulcent auditores, vnum omnino exaret exemplar, quod vix à nostris compertum per incuriam laceratum, seu vetustate & carie labefactatum exciderit.* Idem. *Ceterum hanc ex Græcis historiam, præcipuegue animo considerandam primus tantum liber deficere videtur: nam à secundo de Maryæ fontis ortu, eoque montis acumine pariter incipitur. Quo constat, Q. Curtium interpretem fuisse, ipso etiam attestante, se plura transcribere quam credere. Est autem is historicus fluidus, ac scatentium fluminum elegantissimus imitator.*

D. H. in Epistola Dedicatoria Elzeuiriorum. *Q. Curtius, historicorum, vt à tuo Heinsio vocatur, vere Venus. Nam, vt illa, cum ex vndis, quod Græcorum habent fabulæ, emergeret, simplicitate inprimis formam, quanquam exquisitam, tuebatur; ita scriptor hic, per se disertus si quis alius, communem laudem, propriam ac suam fecit, quia non affectat. In orationibus nimirum, quæ, vt breuitate ac acumine in toto corpore eminent, ita hoc in primis admirandum habent, quod cum artis habeant non parum, fronte tamen natæ videantur. Ita narrat, vt credatur: ita dicit, vt non verba sed sententias persuadeat, cum dicit: ita iudicat de suo Principe, vt, quem merito cum omnibus commendat, non immerito, cum opus est, ac suo quasi iure, reprehendat: ne aut nimium dodisse Regi maximo, aut quicquam sine causa detraxisse videatur. Adeo, vt cum virtutes omnes maximi historici, lectori suo præstet; primam tamen primo loco habeat, ne falsum dicat. Nam qui vitia virtutibus in Principe permixta prætermittunt, ea ipsa pariter ac fidem suam, accusanda grauius posteritati traduntur. Cuius libertati nemo, nisi cum periculo, præscribit. Iam prudentiam quis satis commendare potest? quæ nec putide accersitur, nec foris, sed ex ipsis factis ac narratione oritur. & ne desideres occurrit. In locis autem describendis quæ amœnitas, quæ suauitas, Dij boni! vt naturam non tam pingat, quam cum ea certet, & exhibeat ante oculos, quod tantum scribit, semper æmulus illius. vel quod minimo negotio & quasi sine cura, excidisse videantur, quæ narrando exprimit: vel quod feliciter, & tanquam altera natura, situs habitusque eius repræsentet, quæ sine arte placet. Accipe igitur, Vir maxime, purissimum autorem; eleganter nisi fallimur, ac terse expressum: accipe, historicorum Venerem, doctorum amor. Cui cum certatim eruditi nostri temporis, quos deneueris, famam scriptis suis astruant; rogare audemus, vt inprimis nomen tuum iungi iis ac præfigi patiaris, qui iam eam consecuti sunt. Quales antiquissimi scriptores sunt. quibus, vt exemplo esse possint ceteris, æternitatem suam sola ars conseruat, cuius specimen hic damus.* Idem Ibidem. *Politissimum dicendi genus, & purissimam Latinitatem* Curtio tribuit.

Erasmus Roterodamus in Epistola Dedicatoria. *Curtium itineris ac nauigationis comitem adiunxi, qui mihi olim puero, mire candidus ac tersus est visus. Nec alius sane visus est ex tanto regustatus internallo. Dolet Autorem lectu dignissimum ἀνέφαλον nobis superesse, nimirum duobus primoribus libris amputatis, vltimo pluribus in locis trunco mutiloque. Risimus interea græculam in historia vanitatem, quam tamen Q. Curtius subinde temperasse videtur.*

Idem in Ciceroniano, siue de optimo genere dicendi. *Habeo, quem non contemnas, Q. Curtium. N. Historicus est. B. Est: sed in Historijs extant aliquot Orationes. N. Ceteris candidior est; sed nihil aiunt, ad Parmenonis sisem. Habet multas sermonis formulas à Ciceronianis diuersas.*

Iacobus

Iacobus Gordonius Chronologus cap. 20. num. 31. *Inter insigniores, qui Latine scripserunt historiam, merito numerandus Q. Curtius. hic lectori inter Latinos ordine primus esse potest. De quo tamen vixdum sciri potest, quo floruerit tempore. scriptor subtilis & clarus, res gestas Alexandri Magni complexus est.*

Ioan. Fridericus Gronouius obseruat. Criticarum per saturam lib. II. cap. 19. *Q. Curtius, vberrimæ & suauitatis & prudentiæ historicus.*

Iustus Lipsius in Notis ad lib. I. Politicorum. *Sequuntur scriptores duo, velut proprij Principum, & assidue in manu sinuque habendi. Q. CVRTIVS: qui, me iudice, probus est legitimusque Historicus; si quilquam fuit. Mira in sermone eius facilitas; in narrationibus lepos. astrictus idem, & profluens; subtilis & clarus; sine cura vlla accuratus. Verus in iudiciis, argutus in sententijs, in orationibus supra quam dixerim facundus. Quod si varium magis argumentum habuisset; fallor, aut variæ Prudentiæ eximium magis specimen præbuisset. Sed Alexander quid nisi bella? C. Cæsar. &c.*

Idem in Commentario Corneliano lib. 6. Annal. post recitata verba pluscula ex lib. VII. Curtii. *Delector, (ita me Deus amet!) exscribere candidissime & disertissime dicta.*

Idem ad Tacitum II. 20. vbi mentio est Curtii Rufi. *Est qui hunc censeat esse illum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri, pure me - Hercules & Latine.*

Aldus Manutius in calce editionis suæ. *Clarissima Curtij Historia.*

Ex Bartholomæi Merulæ epistola Curtio præfixa. *Cum Alexandri res gestas à Q. Curtio elegantissime conscriptas tibi breuiter exposuissem, exarsisti incredibili quadam cupiditate legendi luculentissimi scriptoris historiam.* Et paullo post: *Est enim Q. Curtius in scribendo acutus, vehemens, candidus, ac perquam eloquens: in concionibus enim, quas crebro reperies, quantum ille ingenio & eloquentia valuerit, facile cognosces.*

Franciscus Modius initio Notarum in Curtium. *Ad scriptorem non malum, certe in historia, quam memoriæ mandauit, vnicum, mea opera quasi postliminio cognomen suum rediit.*

Petrus Opmerus in Opere Chronographico, sub Tiberio, statim post Velleium Paterculum. *Quintus etiam Curtius res gestas Alexandri Magni pure ac terse conscribens (gnarus adulatores, quo gratificarentur Regi, multa finxisse) veriora secutus est, acute moderatus, quæ fidem videbantur excedere.*

Antonius Panormita in facetiis Alphonsi Regis. *Ægrotabat Rex Capuæ, & multi multa pro suo quisque ingenio ac studio obiectamenta ac munera ægro regi cum excogitarent, ego, quoque ex Gaieta accersitus statim aduolaui, deferens & ipse mecum fomenta & medelas meas, h. e. libellos, quos intelligebam illi quam maxime placituros, in quibus Q. Curtium, bonis (vt aiunt) auspiciis exhibendum, exhibui. Ille res gestas Alexandri à disertissimo viro perscriptas ea hilaritate, ea auiditate, ea denique felicitate cepit audire, vt, quod medici obstupescerent, [Lansii Orat. pro German. pag. 89.] eodem ipso die, quo legere coeperamus, ægra omni valetudine leuatus, ac pæne confirmatus euaserit. Itaque posthabitis ceteris recreamentis, quos diebus ternas facere lectiones perreximus, breuique librum absoluimus; ex quo eo die frequenter in medicos Rex iocatus: Anicennam velut parabolanum paruifacere; Curtium laudibus accumulare cepit.*

T. Pop-

T. Popma in Epistola ad Hesselum filium. *Inter Latinos Q. Curtius historiam Alexandri libris decem complexus est in scribendo candidus, purus, vehemens, & perquam elegans.*

Idem in notis ad Curtium 10, 9, 3. *Hunc esse auctorem historiæ Alexandri elegantissime scriptæ docti viri existimant.* paulo post: *Certe iis temporibus vixit, quibus bonæ artes & studia litterarum floruerunt.*

Ex Ericii Puteani in Q. Curtium præfatione. *Vt alia desint, sola elocutio lectorem non omnino rudem trahat, eruditum magis etiam inflammet. Quemadmodum cibi aliqui sunt, omnibus omnino mortalibus, illice sapore grati, aliqui his nauseam, illis suauitatem adferunt: ita in scriptoribus ratio styli distinguitur. quæ omnibus placeret, Latina quidem, in vno potissimum Curtio inuenta est. Liuy olim laudem Patauinitas quædam immiuit: alius velut supinum alibi, aut frigidum, imo & ταυτολόγον accusat. In Sallustio Iulius Scaliger reperit, quod & reprehenderet, & damnaret: prolixum fuisse, vel etiam nimium supernacuumque. Cæsar ipse cui satis non fuit res fortiter gerere, nisi narraret, tam stylo promptus quam telo, auctor & simul scriptor, reprehensionem tamen non effugit, aiunt in dictione esse quæ culpari possint; prudentiam è verbis non hauriri: Commentarios tantum esse, & nihil polliceri præter nudam simplicemque narrationem. Tacitum Tullianæ aures nequaquam ferunt, scriptorem scilicet durum, asperum, concisum: in latinitate maculas esse næuosque: alibi sensum breuitate impediri & frangi; plura inuolui, quam exprimi: & quod in emaciato corpore videmus, ossa tantum eminere, venustatem nullam esse. Iustinus, Florus, Nepos, alique frustra nominantur; in omnibus curiosa iam censura reperit quod carperet. Vnus Curtius noster, noster ille Curtius, tam feliciter, prudenter, venuste historiæ vestem contexuit, stylum vbique rebus aptans, vt notam omnem euitaret. elegans est, grauis est, virilis est, & natura sua nunc exsurgens & docens, nunc submittens dictionem & oblectans, vt in summa granitate Veneres non exuit, ita in remissione ad vilitatem non descendit: quandoque obiurganti similis, cum vitia persequitur, quandoque mulcenti, cum virtutibus applaudit, verba nitorem habent, compositio suauitatem, res pretium. tanquam nihil superfit, breuitatem laudes. tanquam nihil desideres, copiam. ipsa breuitate plenus est, copia non molestus. Varium dixeris, nec tamen diuersum. Vultum eundem, non colorem seruat, & tamen formosus pari ingenio nunc vela sermonis pandit, nunc contrahit: sed eadem felicitate inuehitur & incedit alibi celerior, alibi accuratior, vbique placens. Cum nihil coactum sit, vibrari tamen sententias dixeris, non educi. acumina velut tela sunt, lectoremque suaui vulnere ferium; flammulæ sunt & accendunt. Nemo sine voluptate legat Curtium, maiorem etiam fructum capiat sic perfusus. Quantum oblectaris, proficis; & cum omnia laudes, mireris tam ingenioſe exprimi; cum omnia stupeas, tam facile intelligi. Nam ceteros historiæ scriptores, vt puritate & lepore prouocat, ita acumine & perspicuitate vincit. Nemo subtilior fuit, & tamen gratior. nemo æque lectorem instruit, & minus lassat.*

Ex eadem. *Sed ego nunc iuuentutem alloquor, quæ nisi regium hunc assumat animum & historiam æstimet, ad nullam vnquam præclaræ vitæ maturitatem excrescet: nisi peculiari studio Curtium euoluat, frustra in reliquis curiosum discendi desiderium conabitur explere. cibus alibi, hic vero deliciæ sunt: doctrina alibi, hic voluptas iungitur, vt discere & audire vnusquisque velit, amœnitate prouocatur.*

Ex eadem. *Sed vt concedam tamen, esse in Curtio, quod reprehendi possit, minorem faciam, vt magis etiam laudem. Mutilus & ἀνέφαλος est, ac frustra infeliciterque conatus Alexandrum nobis æternum facere, qui ipse parte sui deficit. Truncum corporis nemo, aut perfectum aut formosum dixerit: hac autem infelicitate laborat Curtius: ingenioſus, ne placeret tamen:*

tamen: elegans, vt vulnera præferret: etenim quantum scripsit diurnare ad nos vsque non potuit? commune hoc scriptorum pene omnium fatum est, [Vide Casaub. in Dedic. Polybii.] *& frustra in vno aliquo, inique etiam in Curtio accusamus. Quos historici (ac de Latinis iam loquor) quorum solum nomen, aut vt felices adhuc sint, fragmenta aliquot superfunt? ipse Crispus* Primus Romana Crispus in historia *periit, vbi primus fuit, in Catilina & Iugurtha magnitudinis suæ vmbram duntaxat ostentans. Liuius; cum enim CXL. scripsisset libros, vix trientem sibi operis vindicat. Et Tacitus, tanta olim cura ac gloria bibliothecis omnibus insertus, integer tamen seruari non potuit. Frustra ceteros recenseo. Curtius vt omnes vinceret perfectissimus perennauit; & vt antiquitatis fide commendaretur, omnem euitare iniuriam temporis non debuit. In octo adhuc libris superstes est, qui decem confecerat: cum totum destruere ætas non posset, parte & exigua imminuit, impetum in primos duos fecit libros, vt seruare reliquos, amplius destruere verita est. & quia vlterius nocere non potuit, præstantissimo operi pepercit.*

Ex eadem. *Ad historiam ite, Curtium admittite, vt omnia habeatis. Hic ille, auditores, ingenium cuiusque acuet, subtilissimus scriptor est; iudicium roborabit, prudentissimus est: linguam expoliet, facundissimus est. Etenim quæ verborum sententiarumque solertia inuentioni sufficit, ea maturitate momenta rerum ponderat & eloquentia proponit. Quia igitur argutum esse, prudentem esse, disertum esse, omnis doctrinæ summa est, quid adiscere ingenio, iudicio, linguæ oporteat, Curtius inprimis docet.*

Ex eadem. *Illam tamen historiam, quia Sallustium Tacitumque nuper explicui, in Curtio nunc quoque experiar, digno, me hercule, auribus omnium & oculis scriptore, qui an facili sententiarum acumine eruditat suauius, an mellitis eloquij illecebris delectet vtilius, iure dubites. Suo & illius ingenio bonus est, quem descripsit, & magnum iterum fecit, quem celebrat. Prorsus Alexandri famam Curtius sustinet: quidquid narrat, quia post alios, stabiliuit, vt ceteris crederetur, Callistheni, Aristobulo, Ptolomæo, vnus ille fecit: & fidem Græci inuenerunt, quem idem stylo argumentum Latinus absoluit. vt liberius aliquid dicam, tam elegans prudensque scriptor mendax esse non potuit, & iam credimus, quidquid Arrianus tradidit; Curtium secutus est. imo credimus, Alexandro nihil difficile fuisse; fieri posse Curtius censuit & ad posteros transmisit. Tria sane numina in pulcerrimo historiæ opere videtur coluisse: Suadam, Prudentiam, Veritatem; & Suadæ quidem lenocinio quem non mulceat abripiatque etiam alieno affectu impeditum? historiæ hæc Siren est, à qua vinci & abduci etiam Homeri sapiens voluisset. Iam prudentiæ dotes quidni venerer? pates in Sophiæ domicilio præceptæ omnis vitæ Socratem præfigere. Denique veritatis etiam integritas hic relucet, etenim qui tam à libidine fingendi, quam à necessitate abfuit. fallere noluit, & iam tum æui sui iudicia vereri poterat, si maiora veris tradidisset; quippe pronis Romanorum in adulationem, siue Caligulæ siue Claudij, siue inconsentium animis. Sed non hoc ago, Auditores, vt in solo Curtio puteris esse omnia, quia dicere omnia in solo Alexandro potuit, nec mentiri: laudo enim, vt ametis omnes. & hunc potissimum nunc explicare aggredior, quo libentius omnes perlegatis. Quidquid est historiarum commendo, cum hanc vnam explico, & vt in totam curiosi antiquitatem sitis, Alexandrum repræsento. Nam profecto parum esses Curtium scire, si quis reliquos ignoraret: quemadmodum angustis ego limitibus munus meum circumscriberem, si in aliqua duntaxat historiæ parte desudarem. Proinde si cui fortassis scriptor iste adhuc ignotus est, qui mille sexcentos propemodum iam annos loquitur, illum ego historiæ vniuersæ & nomine & officio excito, vt communi vtilitate vnius præstantiam metiatur.* Ex eadem Puteani præfat. *Ille vero mihi historicus est; ille docendo prudens, narrando elegans, &, vt omnia dicam, Alexandro dignus. auctorem scriptor æquat. alius vincere orbem terrarum non potuit, nec alius ingenij præstantia tantæ gloriæ sufficit. Omnia in Alexandro magna sunt, & nomen sequuntur; omnia in Curtio mira sunt & placent.*

placem omnia. Ille virtute & fortuna cinctus gloriam sequitur; hic suada & prudentia stipatus eandem ducit. Iterum vincit orbem Alexander; scribitur; sed à Curtio scribitur, qui vt optimo atque eruditissimo æuo vixit, aut certe illi proximo, sic præstare potuit, quod postea nemo assecutus est.

Ex eadem. Putes hunc vnum ad historiam à natura factum, & velut fato destinatum, qui Latine nobis Alexandrum exhiberet, ergo & vitia eius & virtutes aperit: vitia, vt lectorem absterreat: virtutes, vt inflammet: Aperit vitia, & nihil odio, aut calumniæ tribuit: virtutes, & ab adulatione alienus est, hoc toto volumine agit. &, vt tandem in compendium diffusam vitæ seriem colligeret, velut in tabella geminum Alexandrum proponit, qua laudari & simul reprehendi potest. Ipsum igitur Curtium audite, id est videte, & sic quem descripsit, an depinxit lib. X. cap. V. n. 26. Iuste æstimantibus regem liquet &c. Hæc ita breviter: sed in historia vniuersa disquirit singula: causas rerum, consilia, euentus expendit, iudex omnium. Quod fieri posse neges, facit, & ipsam quoque fortunam ad examen deducit. Ergo quæcunque legis, digna stylo sunt, & variæ prudentiæ specimen referunt: digna lectione & ad formandum iudicium cuiusque valent. Tota narratio exacta est, lenitate quadam profluens, non exundans, tanquam ripis elausa, garrulitatis autem imbre non corrupta, trahit oculos, & gemmeo eloquii latice recreat. Locorum etiam vrbiumque tam accurata vbique descriptio, vt picturam censeas. Nulli colores sermonem æquent: nec legere sed intueri coram videaris, quidquid hic expressum est. Sed quid ego? totum laudare Curtium non possum, nisi totum explicem. vbique summus est; & quem in partibus admiramur, toto historiæ corpore diuinum pronuncies. Legere nunquam non volet, quisquis libauerit, & doctrinæ, facundiæ, prudentiæ suauissimos carpet flores, quoties in manus admittet. continuata fertilitas est, quantum denis, nascitur, & cum omnia collegisse te putes, plura relinquit.

Ex eadem. Sed ne longior sim, vnius nunc Lipsii è notis ad politica citabo verba, vt examinem. Q. Curtius probus est legitimusque historicus, si quisquam fuit, &c. Plenam censuram dicas, nisi amplius ille exigat, qui laudet. Hic vero condit elogium propemodum, vt destruat, quasi ingeniosum iudicium sit, si quid post iudicium reprehendas. Tuis te verbis Lipsi, in sententiam meliorem trahan, vt nihil deesse regio scriptori fatearis. Probus est, ais, legitimusque historicus, si quisquam fuit, quasi huic tribuas, quantum vlli datur. omnino. nam aut Curtius historiæ leges impleuit, aut nemo. si implenit, quid prudentiæ eximium magis specimen desideras? pro argumento perfectus est, & illud varium esse quidni dicam? Alexander fecit, imo esse narratio ostendet. Bella geruntur, fateor, sed in quibus amplius quam bella. cum vniuerso pæne terrarum orbe negotium est. ducem siue milites respicias, rerum varietas est. ille quantum deuicit, vexit quoque; nec minus iure quam armis vsus est. viribus parari prouincias, iure retineri egregie ostendit. Quicquid respub. habet, in exercitu hoc inuenies. militem velut ciuem, nunc promptum, nunc querulum, aut seditiosum, semper fortem. Sic ut alios subiugaret, suos interdum vincere rex debuit; suos prudentia, consilio, astu, ac magnitudine animi, in ordinem redegit atque compescuit; hostes robore, industria, celeritate, audacia, & vincendi quodam fato superauit. quicquid cohortes & phalanges in barbaros potuerunt, solus in suos interdum Alexander exercitus est, & quos duceret, sibi vindicauit. Quid dicam? pugnauit & ius dixit, ducem & regem egit, nunc telo & ense, nunc sceptro, paciscque habitu insignis. Mitto fraudes, delationes, conspirationes, quas vt detegeret, eluderet, puniret, prudentissimus esse debuit. Nam circa principem vnum tot belli duces, & præfecti occultis odiis dissidentes & inuicem suspecti, quam non inuidiæ simulationem, insidiarum scenam instruunt? vt in ipso honore & munere infelices sint, oderunt quem benignior fortuna euexit altius & propiorem regi fecit: metuunt alij, quem, ne parem habeant, malis artibus coguntur reprimere. Hæc aulæ prælia sunt, & quia in conspectu regis; silentio vigent, & ingeniosa improbitate teguntur. Interim

Interim malitiæ scintillæ interdum prosiliunt, quæ vt noceant, nec impudentur, falli rex ipse debet, & noua calliditate aduersarii deludi. Illud obtinet; doli non doli sunt, nisi astu colas: texuntur fraudes fraudibus, & impostura, simulatione tecta, honestum scelus facit, cum abscondi potest. Qui vultu blandi, animo hostes sunt, ad iniuriam inferendam solertes & ingeniosi, ad depellendam cauti callidique, sic priuata odia cum nimis prospere succedunt, in ipsum sæpe principem prorumpunt. Et ille insidijs circumseptus, vbi tutum se existimat, perit facilius & fortuna trahente præcipitatur. Sane qui in multos iniquus fuit, audebit & regem petere, cum audaciam familiaritas fecit, & sæpe vt timori conscientiam, pœnæ scelera subducat, imperium affectabit. Exemplum in Dario habemus, quem vt Alexander debellaret, Bessus & Nabarzanes pessima mancipia aureis compedibus vinciunt, ac tandem, vt parricidio reges essent, multis vulneribus confodiunt. Quid Alexander? potuit in tanto hoste fortunæ inconstantiam insidiasque amicorum discere, sed quia Iouis haberi filius voluit, homines contempsit, & cum victo orbi fata ordinaret, veneno extinctus est. Nam in conuiuio apud Thessalum medicum Herculis scypho epoto repente velut telo confixus ingemuit. Amici causam morbi, inemperiem ebrietatis diuulgarunt, reuera autem insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipater fuit, qui venenum præparauit, &, vt tota progenie nefarius esset, ad tantum scelus filiorum opera vsus est. Hæc cum ita sint, quis varium adhuc argumentum requirat? varium, quia Alexandrum descripsit Curtius, habuit. & sic variæ prudentiæ specimen quoque præbuit atque elegantissime restituit.

Ex Eric. Put. Orat. 19. Ipse Curtius, etsi imminutus, perfectus est, & iam non puerum nobis Alexandrum, sed adultum; non priuatum, sed regem narrat, vt regius omnino scriptor esset ac duraret: de quo quid sentire debeamus, rex quoque pronunciet, non ille quidem qui descriptus est, sed qui sic describi quoque potuit, ille animo & ingenio magnus, qui & Alexandri famam & Curtii eloquentiam meruit, Alfonsius Aragonius. Hic Capuæ aduersa valetudine correptus, ne otiosum haberet morbum, tunc quoque regem se ostendit, & serio nunc sermone, nunc exemplo mitigare dolorem studuit. Cum ægritudo cresceret, & medicorum industria sine fructu studaret, nostum ipse remedium & inuenit & adhibuit. Neglecto corpore ad ingenii curam venit, & è scrinio non pharmacum, non vnguentum, sed libellum petiit. & quem putatis? Auditores. Hunc à Curtio, hunc de Alexandro scriptum, dignum prorsus tali custodia, & vel cum Homeri operibus habendum. Hunc igitur legere cæpit & experiri, an historia in morbum valeret. nec frustra. delectatus elegantia, prudentia, facilitate amœnissimi ingeniosissimique scriptoris, negligere primum cruciatum potuit: mox vigore quodam imbuere corpus, &, vt breuiter dicam, pro animo habere. Sic omnem morbi improbitatem corrigens, & recuperatæ iam salutis auctorem laudans, Facessant, inquit. Asclepiades, Hippocrates, & tota illa Æsculapij schola, Curtium ego felicior pharmaco & sicco medicum sensi, illius ope, illius suada restitutus sum. Res mira! Sedisde scriptorum fulta, ægritudine oppressus, & regni tamen cogitationibus onustus, vacare lectioni magnus princeps voluit; & quod dare medici non poterant, ab historico accepit. Fatetur ipse: & quid nisi regibus omnibus, aut qui ad magna aspirant, tam insigne exemplum commendat?

Raderus post recitatum Lipsii è notis ad Politica iudicium. Hoc de bellis tantum iudicium Lipsij vere Erycius Puteanus refutauit.

Idem in Epistola Dedicatoria ad Maximilianum Bauariæ Ducem. Nobilissimum hunc planeque regium scriptorem, Q. inquam Curtium. Et circa finem Epistolæ. Est enim, vti nemo negat, & amœnissimus & vtilissimus, & plane, vt dixi, regius scriptor, qui principum aures tenere, & oculos morari vere potest.

Idem in Prolus. c. 1. Auctor sane in paucis elegãs, argutus, sententiosus & verisimi historicus.

Rade-

Raderus in Prolus. ad Curtium c. I. *Primam sententiæ nostræ rationem &c.* Exscripta sunt ea verba supra vbi de ætate Curtii agebamus n. X.

Raderus in Prolusionibus cap. II. *Dubitari non potest, quin à Liuio & Cæsare & Sallustio proximas obtineat, etsi hodie sint, qui Sallustium Curtio posthabeant. Habet tamen & Q. Curtius voces aliis non vsurpatas, Ciceroni etiam reprehensas; vt piissimus, quam in Antonij oratione carpsit,* sagittare, *quis præter Curtium & Iustinum lib. 41. vsurpet nescio, nisi recentiores velis in testes adducere.*

F. Angelus Rocca in Bibliotheca Vaticana. *Q. Curtius nobilis Historicus, & nihilo inferior Cæsare in scribendo.*

Ianus Rutgersius Variar. Lection. lib. 3. cap. 4. *Non mentiar. His diebus Franciscus Modius inepto iudicio suo pæne mihi stomachum mouerat. Nam quo loco gloriatur, quod sua vnius opera RVFI cognomen Curtio redditum sit,* scriptori, *inquit,* non malo; *& quasi etiam illud nimium esset, velut inuidiam deprecans addit,* certe in historia sua vnico. *Equidem miratus sum hominis neque indocti, & in veterum scriptis etiam cum laude versati, tam putidum ac puerile iudicium excidisse. Adeo pauci sunt, quibus verum Romanæ elegantiæ gustum habere contigit. At quanto melius is, qui nihil inepte molitus est!* Lipsium intelligit, cuius verba relata sunt supra suo loco. *Neque fefellit eum iudicium. Mihi quidem ita semper probatus fuit, vt eum nunquam è manibus deponam; neque vllum, quem ei præponam, habeam.*

Famianus Strada lib. 2. Prolus. 3. *At Q. Curtio, quanquam ijs virtutibus exornato, quibus constet aut heroicis eum temporibus vixisse, aut dignum fuisse qui viueret, non defuere, qui obijcerent quæsiti interdum medicamenta candoris, & numerorum vsum paulo intemperantiorem.*

Adrianus Turnebus lib. 13. cap. 15. *Elegantissimum & nitidissimum scriptorem, Curtium.*

Ludouicus Viues, apud C. Gesnerum in Bibliotheca vniuersali. *Q. Curtius candidus est; sed Criticorum quidam eiusdem illum esse coloris caussificantur.*

CAP. III.

Quando nobis propositum constitutumque ea. nihil prætermittere eorum, quæ ad auctorem hunc ornandum conducibilia videantur; factio fuit subiicere Catalogum exemplarium Curtianorum, quæ vel Mss. seruantur, vel variis edentibus impressa sunt, atque hæc, vt quodque eorum antiquius est, ita prius enarrauimus.

Q. Curtii Mss. exemplaria tria fuerunt Heidelbergæ in Bibliotheca Palatina. Tria itidem in Anglia in publicis Bibliotheceis. I. Oxoniæ in Bibliotheca Collegii corporis Christi. II. Cantabrigiæ in Biblioth. Coll. S. Benedicti, quod inscribitur *Historiæ Alexandri Magni,* teste Thoma Iamesio in Catalogo Oxonio-Cantabrigiensi librorum manuscriptorum; ita, vt diuersum à Curtio videri possit: estque fortasse *Iulius Valerius,* aut incertus nescio quis, qui sub Constantio vixit. ex quo excerpta apud Vincentium Belouacensem speculi Historialis libr. 4. Cuiusque in Galliis & alibi exempla Mss.

Mss. *Elzeuir. in priori Editione.* III. Oxoniæ in Bibliotheca D. Thomæ Bodleii Equitis. Præterea vnum in Bibliotheca priuata Lumleii Baronis. Extat quoque Ms. Venetiis ad D. Marcum.

In Bibliotheca Iacobi Bongarsii, quæ nunc apud Bernates est, quindecim exemplaria sunt Curtii, quorum syllabum Berneggero socero meo misit Cunradus Schoppius Rhetor Bernatis Scholæ: inter quæ tria sunt Manuscripta.

Manuscriptum membranaceum in quarto maiore. Bodræ è Caroli de Francia Normandiæ Ducis Bibliotheca.

Manuscriptum in folio Mediolani.

Aliud in folio Veronæ, & editiones impressæ.

Anno 1474. Impressa est Curtii historia, cuius varias, aliaque ad recensionem Curtianam factura liberalissime obtulit *C. BARTHIVS,* inter quæ & obseruationes suas: sed sæuitia temporum & difficultas itinerum obstitit, quo minus eruditissimi Viri beneficio vteremur.

Anno 1494. Venetiis edente *BARTHOLOMAEO MERVLA,* quem C. Barthius scribit *primum optimo auctori corrumpendo audaciæ signum sustulisse.*

Anno 1517. Basileæ cum notis *ERASMI, HVTENI, GLAREANI, HOENINGERI,* adiecta Alexandri epistola ad Aristotelem de Indiæ situ. &c.

Anno 1518. excusus apud *SCHVRERIVM* Argentorati.

Anno 1520. Editio *ALDINA,* Venetiis.

Anno 1533. Parisiis editio *ERASMI.*

Anno 1534. Q. Curtius impressus Basileæ à *Thoma Wolfio,* adiectis *DESIDERII ERASMI annotationibus,* & *HVLDERICI HVTTENI* Floribus.

Anno 1535. Editio *VENETA.* Item alia *VENETA.*

Anno 1538. Edidit cum *Ioannes Gymnicus* Coloniæ, cum *ERASMI* annotationibus, & *HVTTENI* floribus.

Anno 1543. Parisiis editio *ERASMI.*

Anno 1545. Basileæ *HENRICVS PETRVS,* cum supplemento priorum librorum ex Arriano & Diodoro. Item Alexandri vita à *IO. MONACHO* conscripta; Alexandri epistola ad Aristotelem de Indiæ situ: *ERASMI* annotationibus, & *HVTTENI* floribus elegantiarum.

Anno 1545. *SVPPLEMENTA* librorum duum priorum passim editionibus præfixa *CHRISTOPHORI BRVNONIS* sunt, Monachii in Bauaria bonarum litterarum Professoris, vti ipse in Editione sua testatur. Antonius Possevinus in Bibliotheca selecta, & Iacobus Gortonius Chronol. cap. 20. num. 31. refert *QVINTILIANVM STOAM,* quod initio Curtii decrat, suppleuisse. Non vidi. Hæc quæ extant vulgo, non magni, Hercules, momenti sunt.

Anno 1546. Editio *LVGDVNENSIS* cum Alexandri epistola ad Aristotelem.

Anno 1569. Editio *LVGDVNENSIS.* Quam valde exagitat Acidalius in prima statim adnotatione ad Curtium.

Anno 1575. *GLAREANI* annotationes Basileæ. De quibus idem Acid. parum præclare sentit.

Anno 1579. Q. Curtii libri octo superstites noue editi & recogniti à *FRANCISCO MODIO* Brugensi, adiectis *Notis* eiusdem, Coloniæ apud Maternum Cholinum.

Anno 1591. Iterata *MODIANA* editio. Hanc nouissimam & optimam dicit Valens Acidalius.

Anno 1591. Lugduni edidit *ANTONIVS CANDIDVS,* cum Alexandri vita ex Plutarcho, & ex eodem de Fortuna Alexandri: Item Gnomologia Curtiana.

Anno 1594. *VALENTIS ACIDALII Animaduersiones* in Q. Curtium editæ Francofurti ad Mœnum.

Anno 1602. apud *IACOBVM STOER.*

Anno 1614. Editio *GENEVENSIS.* Item Q. Curse tourné de Latin en François par N. Seguier. à Geneue par *PIERRE DE LA ROVIERE.*

Anno 1621. Editio Amsterodamensis, apud *GVIL. IANSONVM.*

Anno 1625. *TITI POPMÆ Notæ* in Q. Curtium prodierunt Lugduni Batauorum apud Elseuirios, simul cum *Notis IOAN. LOCCENI.*

Anno 1628. *MATTHÆI RADERI Commentarij*, apud Ioan. Kinckium Coloniæ. Item Editio Amstel. apud *IOAN. IANSONIVM*, quam ego habeo pro emendatissima earum quæ hactenus prodierunt.

Anno 1633. Editus Lugduni Batauorum, ex Officina *ELZEVIRIANA.*

Ex his exemplaribus penes nos sunt Amsterodamensis Ianssonii, duo Elzeuiriana, Item Raderi Commentarius; Acidalii Animaduersiones. Editio Aldina, Brunonis, Merulæ, Lugdunensis Antonii Candidi, Basileensis Henrici Petri, & Ioannis Gymnici Colonienſis. Reliquorum præcipua & plurima ne desideraremus, amicorum beneuolentia præstitit, quorum opera Variantes eorum Lectiones consecuti sumus. Nam *IOAN. ADAMVS SCHRAGIVS* amicus noster per doctissimum *GRONOVIVM* adeptus facultatem describendi Varias Lectiones ex Gruteriano Codice; eas diligentissime consignatas transmisit. Eo in libro ita manu sua notauerat Gruterus: *Comparare capi cum mss. quinque, quorum tres erant Palatinæ Bibliothecæ, duo Bongarsij, cuius meliorem voco Dan. quia fuerat aliquando Petri Danielis. die 7. Octobris 1602.*

Ianus Gruterus.

Institutum illud deserui, sed multos annos post contuli hos libros cum iisdem mss. Isaacus Neueletus Doschius (Pirhæi nepos) *cuius manus toto isto exemplari conspiciuur. nam ego illi iuueni facem meam tradidi, arbitratus futurum, vt ipse suo nomine ederet, quod nondum factum fuit anno 1627.*

Itidem & Bongarsianorum exemplarium, ab ipso Bongarsio collatorum varietates descripsit nobis Vir. Clariss. *VNRADVS SCHOPPIVS*, cum apud Bernates Eloquentiæ Professor ageret.

CAP. IV.

Et quoniam ex collatione scriptorum maxima fere lux affulget historiæ, precium operæ fore duximus, enumerare & alios quotquot res gestas Alexandri pertexuerunt. Ex quibus qui adhuc leguntur, eorum nuda nomina adponere sufficit, aliorum ætatem, scripta, patriam, quantum in hac breuitate potuit, diligenter enotauimus.

ABRAHAMVS ABEN PHAREG MSVLI. Raderus prolus. c. 4. scribit, hunc Arabica lingua historiam Alexandri M. contexuisse. extare Ms. ἀποδεῖα tamen in bibliotheca Bauarica.

ACHMETES Molla, siue *Menlana Achmetes, hoc est, sapiens siue Doctor Achm. rhythmicis versibus librum historiæ Alex. Magni composuit, & Æmiris Suleimanis nomine publicatum edidit. Hic ab eo vicissim donis eximiis liberalissime cultus, fructum sui laboris uberem tulit.* Leunclau. Hist. Musulm. lib. X. extremo. Hic forte est Turca, de quo in fine capitis hums.

ADONIS CHRONICON.

ADRIANVS Imperator etiã Alexãdreida scripsit. Stephan° in Ἀγραία. & in Σάνεια.

AESOPVS. Hunc manuscriptum ineditum citat Iuretus ad epist. Symmachi lib. 4. epist. 33. Latinum fecit Iul. Valerius, de quo infra. Putant autem esse historiam illam fabulosam, quæ passim circumfertur.

AGA-

AGATHARCHIDES CNIDIVS scripsit historias, quarum lib. 35. citat Athenæus 12, 6. Item Asiaticam historiam, quæ maxime videtur ad res Alexandri pertinuisse, ex qua octauus liber citatur Athenæo 4, 14. Item hist. Europæam, ex qua lib. 28. in testimonium adducit idem auctor 4, 19. Citatur & Aeliano in hist. animal. 5, 27. & 16, 27. & Luciano in Macrobiis. Plutarchus cap. 2. parallelorum exscribit historiam ex Agatharchidæ Samii rerum Persicarum libro secundo. Quem cur eundem cum Cnidio nostro arbitratus sit Gesnerus in Biblioth. non video. Certe Photius in Biblioth. diserte scribit, patria Cnidium, institutoGrammaticum fuisse; scribam insuper & anagnosten Heraclidæ, Lembri, & aluminum Cinnæi. De ætate eius ita comperimus. Post Mithridaticum bellum vixisse ostendit eius locus, quem Athenæus 12, 16. retulit. florentibus Romanorum rebus, de quibus interpretor illius verba, quæ leguntur in fine cap. 50. excerptorum. Vixit autem ante Traianum, nam citatur à Plutarcho sympos. 8. quæst. 9. scripsisse autem Asiaticas res libris decem, & de Europæ rebus libris 49. historiam pertexuisse, ex Photio discimus. Item quinque libros de rubro mari. quæque ad illud pertinent, quos scripsit ætate in senium vergente. Præter hæc compendium, aiunt, reliquisse eorum, quæ de rubro mari scripsisset. item de Troglodytis libros quinque. sed & Epitomen Lydes ab Antimacho scriptæ. Rursum aliud Breuiarium eorum, quæ de collectione admirabilium ventorum scripta extarent. Historiarum adhæc excerpta composuisse, atque de amicorum inter ipsos consuetudine. Insigne autem testimonium ei reddit idem Photius, adeoque Thucydidi æquat, & in quibusdam anteponit. Ipse quidem fatetur, se, quamuis Attice loquatur, Camaræ tamen (vrbis in Creta) dialecto familiariter vti. Photius excerptis eius, c. 30. Nam excerpta quædam ex eo leguntur apud eundem Photium. Cod. 250. qui & *AGATHARCHVM* quibusdam dici autor est.

AGIS. Hunc de rebus Alexandri carmine scripsisse colligas ex Curtio 8, 5, 8. meminit eius & Arrianus 4, 2, 15.

ALEXANDRI EPISTOLAE. Ex his quædam diu superfuerunt. nam & Plinius lib. 6. & Plutarchus cap. 17. eas citat. quæ vero hodie circumfertur de situ Indiæ ad Aristotelem, cumaliis nonnullis, pro germanis non habentur.

ALEXANDRI HISTORIA. vide infra. Iul. Valerius.

ALEXANDRI M. Ὁδοιπορικὸν citatur à Strabone.

ALEXANDRI VITA. Lamprid. in Alex. c. 30. legit (Alexander Imp.) & vitam Alexandri, quem præcipue imitatus est. Vide etiam infra: Μονόβιβλος Alexandrinorum.

AMYNTIANVS. Hic de laudibus Alexandri librum dedicauit M. Antonino Imp. prædicans, se stylo res Alexandri gestas exæquaturum. At deprehensus est in orationis progressu calidus quidem & audax promissor, in promisso vero implendo frigidus atque imbecillus. Multo etiam in dicendo iis etiam inferior est, qui ante ipsum de Alex. scripserunt. Hæc Photius in Biblioth. c. 131. Citatur ab interprete Pindari *AMYTIANVS* de Elephantis, qui an idem sit cum nostro, docti viderint.

ANAXIMENES LAMPSACENVS. Priscas Græcorum, & Philippi atque Alexandri res gestas perscripsit. Ei Olympicæ statuæ honorem habuit patria, quod iratum Alexandrum, & excidium vrbi minitantem placauit. vide Pausan. lib. 6. Qui addit scripsisse & historiam refertam maledictis in Athenienses, Lacedæmoniosque & Thebanos, eamque sub Theopompi nomine edidisse, vt inimico inuidiam concitaret. Versus in Alexandrum, qui Anaximeni adscribebantur, illius non videri, Pausanias pronunciauit. Eum & historias scripsisse, & poemata, & artes tractasse, & forensia certamina aggressum esse Dionysius in Iszeo scribit; sed infirmum fuisse in omnibus, & persuadendi non magnopere gnarum. Athenæus 12, 6. citat opus eius inscriptum,

Regum mutationes. & 6, 4. aliud, Historias Primas. Vide Ioseph. in Appion. lib. I. pag. 1051. D. & Scalig. in Euseb. num. M D C XCII. Auctorem fabulosæ quæ circumfertur historiæ quidam putant: Vincent. Beluac. 5, 39. Suidas Aristoclis filium, Diogenis Cynici, & Homeromastygis Zoili discipulum fuisse, ait, præceptorem autem Alexandri, quem & in bellis secutus fuerit. Eum citat & Plutarch. in orat. priori de fort. Alex. cap. 3. Cum his, & quæ toto hoc capite scribimus, operæ sit componere Vossium de Hist. Græc. 1, 10, & 24.

ANDRONICVS. Hunc Alexandri gestorum scriptorem citat Plutarch. in Aristide.

ANDROSTHENES THASIVS. Nauigauit cum Nearcho, & quædam ad hanc historiam pertinentia edidisse dicitur. Strabo lib. 16. Eius paraplus Indiæ citatur ab Athenæo, 3, 13.

ANGELVS COSPVS BONONIENSIS. Vitam Alex. Magni à Ioanne Monacho conscriptam in Latinum sermonem transtulit. Libellus iste præfixus est editioni Curtianæ quæ prodiit apud Henrichum Petri, Basileæ anno 1545.

ANTICLIDES. Citatur à Plinio 4, 12, 30. & ab Athenæo 9, 8. liber eius de reuersionibus septuag. octauus. idem Athenienſem eum fuisse scribit lib. 10. c. 4. & lib. 11. cap. 6. citat eundem in Expositionibus. Scripsisse autem & Alexandri historiam clarum est ex Plutarcho in vita Alexandri cap. 81. Operis eius de reuersionibus meminit etiam Suidas & Clemens Alex. in admonitione ad gentes. Historiæ autem de Alex. Raphael Volaterranus.

ANTIDAMVS HERACLEAPOLITES. Huius historia Alexandri Magni, item libri Morales citantur à Fulgentio in expositione sermonum antiquorum, vnde colligas, eum Latine scripsisse.

ANTIGENES. Plutarch. Alex. cap. 81. hunc inter scriptores historiæ Alexandrinæ recenset, & ex eodem, vt suspicio est, Volaterranus. Citatur Antigenes quidam Plinio lib. 6.

ANTISTHENES. Volaterranus hunc Alexandri vitam & gesta posteritati tradidisse scribit. Videtur autem fuisse Rhodius, cuius Laertius meminit in fine vitæ Antisthenis philosophi. Citatur à Plinio lib. 36, 12. vbi de obeliscis ei sermo, quos Antisthenes attingere potuit in narratione Aegypti ab Alex. occupatæ.

ANTONINVS ARCHIEPISCOPVS FLORENTINVS fabulas de Alexandro descripsit ex Iul. Valerio.

APPION ALEXANDRINVS. Græcus homo, qui Plistonices est appellatus, facili atque alacri facundia fuit. is de Alex. Regis laudibus scripsit, vt auctor est Gellius lib. 6, 8. Hunc Tib. Cæsar cymbalum mundi vocabat, quum publicæ famæ tympanum potius videri posset. Plin. in præfat. Hist. Natur. n. 36. sub C. Cæsare tota circumlatum fuisse Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatum. Sen. epist. 88. n. 56. scribit. Eius librum quartum historiarum Ægypti citat Clemens Alexandrinus libro primo Stromat. vbi & mentionem facit libri quem contra Iudæos scripserit. quem duobus refutauit Iosephus. Grammaticum professione fuisse, & magum, constat ex Plinio 30, 2, 7. qui eum vidit & Plistonicen appellatum tradit lib. 37. cap. 5. sed & alibi cum citat, in magicis præsertim. sed & in libro de Apicii luxu Athenæus 7, 12. & de lingua Rom. idem auctor 15, 8. Scripsit & historiam de singulis gentibus, & commentarios in Homerum, quorum nimiam diligentiam suggillare videtur Seneca. Ob tot edita scripta appellatus est Μόχθος id est Labor, vt testatur Suidas.

ARCHELAVS. Chorographus, qui omnem ab Alexandro peragratam terram descripsit. Laertius in Archelao.

ARISTO-

ARISTOBVLVS ARISTOBVLI CASSANDREVS. Hunc in historia sua se maxime sequuturum profiteretur Arrianus principio operis, quod perpetuus Alexandro comes fuerit. à quo & destinatum reficiendo Cyri sepulchro sub finem historiæ prodit. Qui cum Aristobulo Iudæo vnum faciunt, errare videntur. Cassandrensem citant Athen. 2, 6. 6, 13. Lucian. in Macrobiis & alii. Eius testimoniis sæpius vtuntur Plutarchus, ut in Demosth. cap. 32. & Strabo. Huius, vt videtur, librum in quo singulare certamen Alexandri cum Poro tradiderat, Regem in Hydaspem proiecisse refert Lucian. de conscribenda historia. Vide Vossium. de Hist. Græc. 1, 10. Soiter. in dedic. belli Panonici.

ARISTOXENVS. Commentarios huius citat Plutarchus Alex. cap. 5. Qui an ad Alexandrum magnopere pertinuerint, dubitari possit ex Athenæi 14, 3. videtur enim iis libris miscellanea quædam collegisse. Scripsisse autem & historias, & omnis generis libros ad 454. Suidas testatum reliquit.

ARISTVS SALAMINIVS. Citat hunc Athenæus lib. 10. cap. 10. Multo iuniorem fuisse temporibus Alexandri, Strabo lib. 15. nos docuit. Scripsisse de Alexandri rebus gestis scimus ex Arriano 7, 3, 22.

ARRIANVS NICOMEDIENSIS. Huius historia cum etiam hodie satis ostendat auctoris sui præstantiam, obscurioribus, aut iis quorum opera non extant, sermonem potius commodabimus.

ARRIANVS EPOPOEVS Alexandreida, siue carmen de Alexandro 24. libris constans hunc scripsisse Suidas tradit.

ASCLEPIADES. Inter scriptores huius historiæ quidam hoc nomine memoratur Arriano 7, 3, 22.

BÆTON. Dimensor itinerum Alexandri librum edidit, quem inscripsit stationes expeditionis Alexandri. Athen. 10, 12. Citatur & Plinio 6, 17. Vbi tamen BITON vocatur.

PETRVS BIZARVS. in Historia Persica.

CALINVS SYRVS. Plutarchus in Aristide.

CALLISTHENES. Euocatus ab ipso Alexandro ad scribendam eius historiam. Iustin. 12, 6, 17. deinde interfectus. Curt. 8, 8, 21. Scribit hoc loco Raderus famam de Callisthenis huius historia, quam adhuc superstitem faciebat, vanam esse, idque sibi compertum ex Ducæi litteris, quem rogauerat vt exemplar transcribi curaret. Et sane ex principio pseudo-Callisthenis, quod Ducæus transmisit, apparet esse historiam fabulosam, de qua mox in Iulius Val. De Callisthenis stylo iudicium Ciceronis habes in Epist. ad Q. fratrem 2, 12.

CAPPELLVS in Hist. Sacra & Exotica ab Adamo usque ad Augustum.

CARYSTVS PERGAMENVS. Commentarios Historicos scripsit, in quibus & de rebus Alexandri tractasse argumento sunt loca, quæ ex eo profert Athenæus 10, 9. 10. 11, 15. 13, 8. & 15, 8.

CEDRENVS hodieque legitur.

CEPHALEON. Quem patriam suam pressisse scribit Photius Cod. LXVIII. Scripsit autem libros nouem quibus Musarum nomina indidit: quorum postremis Alex. quoque res complexus, vt patet tam ex loco citato, quam alio, apud eundem Photium Cod. CXLI. Temporibus autem Adriani vixisse eum, ex Suida notum est.

CHARES ISANGELVS. Plutarch. Alex. c. 81. dubito an idem sit cum sequente.

CHARES MITYLENÆVS. Citatur à Plutarcho in Alexandro cap. 33. & 96. & ab Athenæo 7, 2. 12, 2. & ab eodem 3, 13. liber eius septimus historiarum Alexandri & 12, 9. & 13, 4. Vide & Gellium 5, 2.

CHARON. Hoc nomine tres historici recensentur à Suida, quos omnes verisimile sit Alexandri quoque gesta composuisse: nisi forte Lampsaceno, qui primus inter illos

illos memoratur, ætas obstet, quem tamen longe post primum Darium vixisse patet ex iis quæ Athenæus retulit, locis. Tempore Xerxis viguisse refert Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴ.

CHOERILVS. Hic quoque inter Alexandri comites cum esset, res eius carmine composuit. Horatius lib. 2. Epist. 1. Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Chœrilus, incultis qui versibus & male natis Rettulit acceptos regale numisma, Philippos. Eum pro pessimo conditore carminum Curtius habet 8,5,8. Notum est de pacto quod inter eum & Alex. interceserit, vt pro singulis versibus si boni forent aureum, si mali, colaphum acciperet. Huius Chœrili videntur esse versus, quibus epitaphium Sardanapali includitur, qui extant apud Athenæum 12, 7. Vide Scalig. ad Euseb. num. M D XXXIV.

CLEARCHVS SOLENSIS. Aristotelis discipulus scripsit inter alia vitarum libros in quibus & de Dario, ab Alex. euerso, vt scimus ex Athenæo 12, 9.

CLEMENS. Hunc tantum ex Apuleio nouimus, cuius & coætaneus fuit. Sic enim ille 1. Floridorum: Quæ omnia (Alexandri facinora) aggressus est meus Clemens, eruditissimus & suauissimus poetarum, pulcherrimo carmine illustrare.

CLEO SICVLVS. Inter præcipuos Alexandri adulatores nominatur à Curtio 8, 5. ex quo loco colligas eum etiam carmina in laudem Alexandri composuisse. Stephanus in Ἄσσος citat Cleonem Syracusium qui de portubus scripserit, quem eundem fuisse non immerito dubites.

CLITARCHVS. De hoc Quintilianus 10, 1. Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Eius historiam de Alexandro, cuius & comes fuit, citat Plutarchus in vita cap. 47. Plin. 6, 13, 6. Aelian. in hist. anim. 17, 2. 22. 23. 25. Athenæus quidem persæpe, quemadmodum & Strabo. Huius historiam interpretatus est Curtius, vt quidam putant, eo argumento, quod Curtius eum laudet 9, 5, 21. Sed ipse ille locus eos diuersum docere debuit: nec enim Clitarchum ibi solum, sed & Timagenem citat, quos tantum abest, vt sequatur, vt potius securitatis & credulitatis eos arguat.

CLVVERIVS in Epitome Historica.

CONSTANTINVS MANASSES.

CORNELIVS NEPOS. Epistolam Alex. de Indiæ situ &c. in Latinum sermonem transtulisse dicitur. Nescio an idem sit qui de rebus Alex. scripsit, auctore histor. Miscella 12, 19.

CRATERVS. Hic cum sub Alexandro res gereret, eius etiam historiam dicitur conscripsisse. Meminit Crateri Plut. in Aristide cap. 51. haud dubie ex libris eius περὶ ψηφισμάτων, vt citantur Stephano de vrbibus, qui quamuis etiam Macedo fuerit, alius tamen esse potest à nostro, quem maximis laudibus ornauit apud Suidam Eumenes. Res autem Alex. attigit etiam in epist. ad matrem Aristopatram, cuius meminit Strabo lib. 15.

DAIMACHVS. Huius Indica citat Athenæus lib. 9. cap. 11. Strabo mendacissimum scriptorem appellat lib. 2. vbi dicit missum ad Allitrochaden Indum, suarum peregrinationum commentarios reliquisse.

DEXIPPVS. Citat hunc Cedrenus in Historiarum Compendio. Eius Excerptum est apud Eusebium in primo Chronicorum. Vixisse temporibus Galieni & seqq. Imp. Dexippum qui temporum historias contexuit, virum in liberalibus disciplinis & facultate logica versatissimum, Eunapius in fine Porphyrii tradidit.

DICÆARCHVS. Hic videtur Alexandri res attigisse in libris de vita Græcorum, qui citantur Athenæo 13, 1. Fuit autem ex Messana Siculus, Aristotelis auditor, vt Suidas tradidit. Citat eum sæpiuscule Plinius in libris prioribus ex Geometricis scriptis,

ptis, cum ea laude, fuisse virum eruditum, & Regum cura montes permensum. Locum ex primo eius libro refert Africanus in sylloge Regum Ægyptiorum annexa à Scaligero editioni Eusebianæ.

DIO CHRYSOSTOMVS PRVSIEVS. Inter alia de Alexandri virtutibus libros octo scripsisse dicitur apud Suidam. Plura de eo Photius in Bibliotheca.

DIODORVS SICVLVS.

DIODOTVS ERYTHRÆVS. Ephemerides Alexandri scripsit, vt colligitur ex Athenæo 10, 9.

DIOGENES BABYLONIVS. Hunc de Alexandro scripsisse clarum ex Quintil. 1, 1, 8. & Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum. Vt qui Antipatri præceptorem fuisse volunt, de iuniore Antipatro intelligere necesse habeant.

DIOGNETVS. Cum Bætone coniungitur apud Plinium 6, 17.

DIONYSIVS. à Philadelpho missus in Indiam, vt Plin. 6, 17. tradit, cum regibus Indicis moratus, vires quoque gentium prodidit. Quod certe fieri non potuit, sine præcipua Alexandri, rerumque iis locis ab eo gestarum, mentione.

DIOTIMVS ATHENIENSIS. Hunc etiam inter scriptores historiæ Alexandrinæ forte reponendum colligas ex Athenæo 10, 10.

DOROTHEVS ASCALONITES. Historias huius de Alexandro citat Athenæus 7, 2.

DRESSERVS. In Millenariis.

DVRIS SAMIVS. Varia scripsit, inter quæ & Res Macedonicas huc maxime pertinentes. Citatur sæpissime ab Athenæo, & Plutarcho in rebus ad Alex. spectantibus.

EPHIPPVS OLYNTHIVS. De Alexandri & Hephæstionis exsequiis scripsit, vt constat ex Athenæo 10, 9. 12, 9. Alius est Ephippus, itidem Historicus apud Suidam.

ERATOSTHENES CYRENÆVS. Huic se non plane assentiri dicit Arrianus 5, 1, 12. quamquam probatissimum auctorem nominet, mox 5, 1, 20. Citat eum & Plut. in Alex. c. 3. & alibi sæpius. Quin & alii multi, & inprimis Strabo. Sed hic ea tantum auctorum loca indicare propositum nobis est, quæ de historia Alexandri ab vnoquoque perscripta fidem faciant.

EVMENES CARDIANVS. Hic sub Alexandro res gessit, vt patet ex Arriano, & Plutarcho, qui & Vitam Eumenis edidit, quomodo & Æmilius Probus, siue Cornelius Nepos est. Eius autem Ephemerides Alexandræos citat Athenæus 10, 9. Eum mire confundit Suidas cum Rege Pergameno cognomine, quin & ex vtroque Macedonum Regem conflat. Restituendum hoc nomen Æliano lib. 3. cap. 23. in fine, de Varia Historia. nam quæ ibi relata fuerunt, & apud Plutarchum reperiuntur, haud dubie fuerunt ex Ephemeridibus Eumenis: ergo caput ita claudit; ὧν καὶ Εὐμένης ὁ Καρδιανὸς καὶ ἐκεῖνός ἐστι, pro quibus vulgo legitur; ὧν καὶ ὁ μὲν ὁ Καρδιανὸς. Eandem emendationem reperi postea in Emendation. Leopardi lib. 2. cap. 12.

EVSEBIVS CHRONOGRAPHVS.

EVSEBIVS quidam. videmox Iulius Valerius.

GVALTERVS BELGA. Scripsit carmine Heroico gesta Alexandri Magni libris decem, qui editi sunt. de hoc Guillermus Briton. in præfat. Philippidos:

Gesta ducis Macedum celebri describere versu
Si licuit Galtero, tibi, quæ sola relatu
Multinago docuit te vociferatio famæ.

GLYCAS in Annalibus.

HARPOCRATION. Hic cur à Radero scriptorum horum catalogo inseratur, nondum reperi.

HARTLIEBVS BOIVS. Iulii Valerii historiam in Germanicum sermonem transtulit, teste Radero.

HECATÆVS ERETRIENSIS. Recensetur inter Auctores huius historiæ à Plutarcho in Alex. cap. 81. Quin & *ABDERITAM HECATÆVM* verisimile est hanc Spartam ornasse, cum & historiam scripserit, & Alexandri comes fuerit, vt legitur apud Iosephum lib.1.contra Appionem. Adde Vossium de Hist. Græc. 1, 10.

HEGESANDER. Quod hic multa ad Alexandrum pertinentia in commentariis præcipue suis scripserit, patet ex iis eorum locis quæ passim recenset Athenæus.

HEGESIAS MAGNES. Huius fragmenta ex Historia, vt credibile est, Alexandrina, reperiuntur apud Dionys.Halicarn.de Orationis structura,& Agatharchidem in excerptis apud Photium, vtrobique producta in exemplum exilis & languidæ compositionis.sed & Cicero ineptum eum vocat in Bruto cap.83.& de Oratore cap.67. frigidum exclamatorem Plut. Alex. cap. IV.

HELYMON. Cecinit res Alexandri, quem idem Rex in cauea mori coëgit, ausum tentare tanti regis opera, vires eius superantia. Hæc Raderus. Vide Gyrald. de Poët. Dial.III.& Suidam in Χοιρίλῳ.

HERACLIDES. Citatur ab Plutarcho in Alex.cap. 45. quem credam fuisse Alexandrinum qui Laërtio teste, de successionibus, regum scilicet suorum, scripsit. Fuit & alius hoc nomine gente Cumanus, qui res Persicas enarrauit, & ab Athenæo citatur. Ex quo tamen deprehendere non potui, post Alexandrum, an ante eum vixerit.

HERMIPPVS. Vide Plut. Alex. c.95.

HIERONYMVS CARDIANVS. Vide Voss. de Hist. Græc. 1, 11. ex Suida, in quo dubitabam.

HISTER. Qui forte *ISTRVS* Volaterrani, dicitur multa scripsisse apud Suidam. Plutarcho refertur inter scriptores huius historiæ in vita Alex. c.81.

HISTORIA MISCELLA lib.12.c.19.

IASON. Vossius de Hist. Græc.1,10.*f.*

IDOMENEVS. Videtur inter scriptores Alexandrinæ historiæ eieri à Plutarcho in Demosth. cap.XXXII.

IOANNES ANTIOCHENVS. Historiam ab Adamo vsque repetiit, in qua & Alexandrum memorauit, vt patet ex excerptis Constantini, quæ ante hoc quadriennium Henricus Valesius publici iuris fecit.

IOANNES MONACHVS. Huic multum tribuit Cœlius Rhodiginus, eumque persæpe laudat, vt 3,5.18,18. 22,20. 23,4. Adiunctus est editioni Basileensi, quæ prodiit anno 1545. Interprete Angelo Cospo Bononiensi.

IVLIANVS IMP. in Cæsaribus.

IVLIVS VALERIVS. Latinam fecit Historiam fabulosam de Alexandro, quæ ab aliis Æsopo, ab aliis Callisthenis adscripta fuit. Vnde fabulas suas certatim hauserunt Antonius, Vincentius, Vrspergensis, alii. Precium videbatur adscribere hoc loco iudicium C. Barthii ex 2, 10. Aduersariorum: Talia multa in non inerudito monacho sunt, qui vitam Alexandri Magni prodigiosis mendaciis farctam edidit ante aliquammulta secula: quæ fabula tantum olim fidei habuit, vt à prudentibus etiam scriptoribus sit testimonio citata, qualis sane ante plus quam quatuor secula fuit in Anglia Siluester Giraldus, qui non dubitauit eius cellionis auctoritate vti. An ea egregia historia edita vnquam sit nescio, nos in charta scriptam habemus, sed tanti vix æstimamus,

mus, vt in Bibliothecam recipiamus. Est idem auctor quem Æsopum vocat, & interpretatum à Iulio Valerio Franciscus Iuretus ad Symmachi lib.1. Epist. 54. Editione quidem priore. Ego vero neque de auctore neque de interprete credo Romani Græciue hominis esse,maxima enim in eo Græci sermonis ignorantia,nec vlla Romani notitia est. Hactenus Barthius. Typis excusa est Germanice, anno 1486. Argentorati. Citatur & Salmasio ad Solinum pag.1025. Vetus scriptor qui res Alexandri fabulose composuit.

IVSTINVS.

LAZIVS in rebus Græcis.

LYCVS. Stephanus in Σκιδάφῳ.

LYNCEVS SAMIVS. Huius commentariis Alexandri gesta pertractata fuisse, suspicio est ex Athenæo 10, 9.

MARSYAS PERIANDRI F. Huius Res Macedonicas citat Athenæus 14, 7. & Plutarch.Demosth.cap. XXIV. quas perscripsit libris decem, initio ducto à primo Macedonum rege, progressus vsque ad Alexandri expeditionem in Syriam. Composuit & ipsius Alexandri educationem; cum quo simul educatus fuerat. Fuit enim patria Pellæus, Antigoni qui postea regnauit frater, vt auctor est Suidas. Marsyam Macedonem citat Plinius lib.12.& 13. Præfectus nauium fuit sub Demetrio. Diodor. 20,51. Vide Vossium de Histor.Græc.1,10.

MEGASTHENES. Hunc probatissimum auctorem vocat Arrianus 5, 1, 20. & persæpe citat, præsertim in Indicis suis: sicut Ælianus in Hist. Animal. Cum regibus Indicis moratus vires quoque gentium prodidit, vt Plinius scribit lib. 6. c.17. Missus ad Androcotum Indum suarum peregrinationum commentarios reliquit,fabulis refertos, arguente Strabone lib.2. Scripsit & Politica, quæ citat Athenæus.

MENÆCHMVS SICYONIVS. Scripsit historiam Alexandri Magni. Suidas. Volaterranus.

Μονοβιβλῳ *ALEXANDRINORVM.* Hunc Alexandrinos de vita Alexandri conscripsisse auctor est Nicephorus Ecclesiast. Historiæ lib.10.c.36.

NEARCHVS. Iste cum Alexandro militauit, & de Alex. historiam conscripsit. Mentitus autem est, quod se Nauarchum esse scripserit, cum fuerit vnius tantum nauis gubernator. Hæc Suidas. Sed si recte memini, crimen illud ab aliis fide dignioribus impingitur Onesicrito. Certe Nauarchum appellat etiam Philostratus in Apollonii vita lib.3. & diserte Arrianus in Indicis 3,12. Multa autem in historia mentitum ait Strabo lib.2.

NESTOR. Huius Alexandriada citat Stephanus in Ὑδάσπαι.

NICANOR. Res gestas Alexandri Macedonis scripsit, Auctore Varrone in quarto rerum diuinarum, quem citat Lactantius lib.1. cap.6. & ex eo Sabellicus Enneadis 2.lib.3. & Lud. Viues ad Augustin. de Ciuitate Dei lib.18. c.27.

NICOBVLE. Huius fragmentum de Alexandro legitur apud Athenæum 12, 9.

NYMPHIS HERACLEOTES. Scripsit de Alex. & successoribus eius. Suidas. Librum eius nonum de Ptolemæis citat Ælian. Hist.Animal.17,3.

OLYMPIADVM DESCRIPTIO. Hanc cum Eusebio edidit Ios. Scaliger.

ONESICRITVS. Citatur à Plinio 6,22,2. Alexandri incunabula & originem scripsit, Laërtio teste. Strabo cum reliquis multa mentitum arguit lib.2. & præsertim lib.15. in hunc sensum: hunc meliore iure fabulosarum & incredibilium de Alex. narrationum, quam gubernatorum naualium eiusdem rectorem dicere possis. Equidem quotquot Alexandrum comitati, de rebus eius gestis aliquid scripsere: ii admiranda veris antehabuerunt, monstrosis tamen narrationibus omnes eos hic superasse videtur.

tur. Nomen huius corruptum arbitror apud Lucian. de conscribenda historia. Vt enim conjicere est, hic fuit, ad quem Alex. dixisse fertur, haud dubie historiam ei suam offerentem, optare se vt in vitam redire posset, & cognoscere, quibus animis istam narrationem accepturi essent homines. Quare pro istis vocibus, ἃ Ὀνησίκριτος scribendum erit, ἃ Ὀνησίκριτε.

ORTHAGORAS. Hunc cum Onesicrito nauigasse conjicio, ex Ælian. de hist. animal. 17,6. conscripsit autem libros de rebus Indicis, quos idem auctor citat in hist. animal. 16,35. & Philostratus in vita Apollonii lib. 3.

OTTO FRISINGENSIS.

PATROCLES apud Strabonem lib. 2. ait, Eos qui Alexandro comites expeditionis fuerunt, obiter tantum singula cognouisse; Alexandrum vero ipsum accurate omnia indagasse, cum ei regionum descriptiones à peritissimis traderentur: ita hanc descriptionem sibi postea temporis exhibitam esse ait à Xenocle gazæ præfecto.

PHANIAS apud Clementem lib. 1. Stromat. de transitu Alexandri in Asiam meminit. Quem puto fuisse discipulum Aristotelis, cuius Suidas meminit.

PHILIPPVS CHALCIDENSIS.

PHILIPPVS ISANGELVS. Huius & superioris meminit Plut. in Alex. cap. 81.

PHILON THEBANVS. Plutarchus dicto loco.

PHYLARCHVS. Hunc inter hos scriptores non retulissem, nisi id iam fecisset Raderus. Nihil enim reperi quod eum in hanc classem admitti iubeat. Citat quidem locum ex eius lib. 6. Athenæus 6,13. qui ad Alex. spectat: sed certum est esse eum librum ex iis quos de Pyrrho, & posterioribus regibus composuit.

PINDARVS. Huius versus in Alexandrum Macedonem refert Dionysius in Rhetoricis pag. 179. Vnde Raderus colligit esse eum Pindarum posteriorem ἀνέψιον πρότερον. Cuius quidem & Suidas meminit. Sed potius crediderim versus Dionysio citatos esse Pindari senioris, scriptos ad Alexandrum Macedonem, non Magnum nostrum, sed alium, Magni proauum, & propterea neminem huic Catalogo Pindarum inferendum videri. *Facit mecum Dio Chrys. Orat. 2. Tzetzes Chil. E. 7,139.*

PLVTARCHVS.

POLYÆNVS.

POLYCLETVS LARISSÆVS. Eius librum octauum historiarum citat Athenæus 12,9. Citatur & Strabonis Polycletus, quem hunc ipsum esse puto, lib. 16.

POLYCRITVS. Plutarchus Alexandro cap. 81.

POMPEIVS TROGVS. Cuius epitomen Iustinus fecit. Eum citari puto in Historia Miscella lib. 12. c. 19.

POTAMON MITYLENÆVS. Hic etiam in hunc censum refertur à Volaterrano & aliis, auctore Suida, qui eum tempore Tiberii vixisse, & ab eo summe honoratum fuisse asserit.

PRAXAGORAS. Photius Cod. LXII.

PTOLEMÆVS. Qui post Alexandrum in Ægypto regnauit. Eum se præcipue secuturum esse profitetur Arrianus. Citat eum & Curtius noster 9,5,21. & Plutarch. in Alex. cap. 81. quod ideo refero quod in hoc nomine erasse video Gesnerum in Bibliotheca, qui hunc Ptolemæum, & sequentem in Plutarcho Anticlidem pro vno eodemque habet. Laudat & Athenæus eius commentarios sæpissime.

REINECCIVS.

SABELLICVS.

SELEVCVS. Hunc etiam qui cum Alexandro militauit, nonnihil de rebus eius edidisse, ni memoria me fallit, apud Diodorum Siculum legi.

SIGO-

SIGONIVS. In libello de temporibus Athenienſium.

SOLINVS.

SOPATER. Scripsit Eclogas variæ doctrinæ libros duodecim, quorum decimo Alexandri gesta referuntur, vt prodit Photius Cod. CXLI.

SOTERICHVS ASITES. Poëta Heroicus, scripsit Alexandriacum, h. e. Historiam Alexandri Magni, cum Thebas, & alia cepisset. Suidas.

SOTION. Plutarchus Alexandro c. 107.

STRABO. Hic tam in Geographicis suis libris multa passim de Alexandro refert, quam etiam historiam eius peculiari opere complexus est, quod ipse citat non longe à principio lib. 2.

STRATTIS OLYNTHIVS. Scripsit Ephemerides Alexandri libris quinque, item de obitu eius. Auctor Suidas.

SVIDAS.

TARIK MIRCOND in historia Persica.

TARIK MIRCOND in historia Persica.

PETRVS TEXEIRA LVSITANVS. de regibus Persarum in suo Itinerario.

TIMAGENES. Citatur hic à Curtio 9,5,21. Iudicium de eo vide apud Quintilian. Institut. 10,1.

TVRCA quidam. Qui res gestas Alexandri in suam linguam transtulit, iussu Selymi I. vt testatur Boterus in politia illustrium lib. 2. c. 2. & Tubero lib. 10. in fin. commentar. de tempor. suis. vide *Achmetes.*

VARRO. Hunc rerum Alexandri epitomen composuisse Raderus scribit.

VINCENTIVS BELLOVACENSIS in speculo.

RAPHAEL VOLATERRANVS.

VRSPERGENSIS ABBAS.

ZENOBIA. Hæc etiam Reginæ Orientis locum hic sibi vindicare queat ex testimonio Trebellii Pollionis in XXX. Tyrannis, cap. XXVIII. *Historiæ Alexandrinæ & Orientalis ita peritæ, vt eam epitomæsse dicatur.*

ZONARAS. Vide Ioannes Monachus.

ZOSIMVS.

CAP. V.

Cum autem ad operis Curtiani pleniorem intellectum necessarium videatur, de ipso prius Alexandro quædam prænoscere, ne tamen libri moles excresceret, sufficere visum est, si stemma primum Regis eius ex Reineccio, qui diligentissime illud inuestigasse visus est, excerptum, deinde & vitæ compendium, quam breuissime fieri potuit, præmitteremus. Igitur *Alexander Magnus* (nam ab hoc incipi placuit, vt retro ad maiores eius veniremus) ex *Barsine* Artabazi filia genuit *Herculem*, qui postea anno ætatis decimo sexto à Polysperchonte occisus est: ex *Rhoxane* Oxyartæ filia *Alexandrum* Posthumum, quem Casander interfecit: ex *Cleophide* Regina Indica *Alexandrum*, qui postea matris imperium tenuit. *Alexander* porro *Magnus* originem suam hinc ad Herculem, inde ad Achillem retulit, per has successiones, quarum dextræ paternam eius stirpem, læuæ maternam exhibent.

I. PHILIPPVS Macedoniæ Rex, occisus à Pausania, anno ætatis 46. 9. Cal. Feb. sustulit ex Olympiade *Alexandrum Magnum*, & *Cleopatram*, Alexandro Epirotæ auunculo suo nuptam : ex *Audata* Illyria *Cynam*, collocatam à patre Amyntæ patrueli, postea ab Alceta Perdiccæ fratre interemptam: ex Nicasipolide Pheræa *Thessalonicam*, quam Casander duxit : ex *Cleopatra* sorore Attali *Europam*, quam in gremio matris necasse dicitur Olympias; & *Caranum*, quem & ipsum crudeliter interfecit eadem nouerca : ex *Arsinoe*, quam imprægnatam Lago tradidit, *Ptolemæum* Ægypti Regem : ex *Philinna* saltatrice Lariszæa, *Aridæum*, qui extincto fratre Alexandro imperii simulacrum per sexennium tenuit, deinde Olympiadi proditus, & immaniter exarnificatus, vitam & stirpem Regum Macedonicorum ex Herculis posteris finiit. Huius pater fuit

II. AMYNTAS Mac. R. bis regno deiectus, bis restitutus, genuit ex *Eurydice* Illyria *Alexandrum*, secundum hoc nomine Macedonum Regem; *Perdiccam* tertium; cuius filius *Amyntas* ex *Cyna* Philippi filia *Eurydicen* Aridæi coniugem procreauit; *Philippum* secundum Alexandri M. patrem, & *Euryonem* filiam, quæ scelesta matris consilia patri detexit : ex *Gygæa*, vel vt alii scribunt *Cygnæa*, *Archelaum*, *Argæum*, *Menelaum* : ex pellice anonyma *Ptolemæum* cognomento Aloritem, qui *Philoxenum* genuit, cuius posteritas non proditur.

III. PHILIPPVS cognomento Θρᾴξ & parte Macedoniæ quam tenebat, à Perdicca fratre pulsus, in exilio obiit, vnico filio relicto.

IV. ALEXANDER Rex Macedoniæ, Dius & Philellen cognominatus, qui bello *Xerxis* cum Persis fuit, genuit *Perdiccam* alterum hoc nomine Macedon Regem, *Alcetam* interfectum postea ab *Archelao* Rege Perdiccæ spurio; & Philippum de quo supra.

I. OLYMPIAS post Alexandri filii mortem, cum multa diu ambitiosissime atque crudelissime fecisset, Pydnæ à Casandro capta, atque interfecta est. Huius pater fuit

II. NEOPTOLEMVS, Epiri Rex cum Arybba fratre regnum partitus, liberos habuit *Alexandrum*, qui Magni sororem Cleopatram in matrimonio habuit; & bello in Italia gesto occubuit; *Neoptolemum* qui Alexandrum in Asiam secutus, in expugnatione vrbis Gazæ, primus muros conscendit; Arrianus fine lib. 2. postea Epiri regno aliquamdiu potitus, à Pyrrho interfectus est; *Arybbam*, qui societatem cum Leosthene aduersus Macedonas initam turpiter deseruit; *Troadem* Arybbæ patruo nuptam; *Olympiadem* Alexandri matrem; & *Cadmiam* quæ insidias à Neoptolemo fratre in Pyrrhum conflatas prodidit.

III. ALCETAS Epiri Rex, qui à suis pulsus, post exilium apud Dionysium Siciliæ tyrannum, ad regnum rediit, procreauit *Neoptolemum* Olympiadis patrem; & *Arybbam* qui fratrem bello petens, diuidere secum regnum coëgit : deinde ducta in vxorem *Troade* fratris filia suscepit *Alcetam* qui postea regnauit; & *Aeacidem* Pyrrhi patrem.

IV. ARYMBAS qui Athenis eruditus posteaquam ad regnum peruenit, leges & senatum annuosque magistratus, & reipub. formam composuit. Vocatur & *Tharymbas*, & *Tharrytas*, & *Tharyps*, & *Tharypus*, vt solet in nominib.

V. ADMETVS Epiri Rex, ad quem Themistocles confugit, suscepit ex *Phthia* coniuge *Arymbam*, de quo modo dictum est.

VI. ALCON procatus Agaristam, Clisthenis Sicyonii filiam. Huius progenitores ignorantur, nisi quod constat eum fuisse ex Pieli posteris, quem ideo statim in proximo collocauimus.

VII. PIELVS qui & *Pylades* quos liberos genuerit, non reperitur : habuisse autem certum est ex eo, quod Pausanias scribit, Pyrrhum qui cum Romanis

V. AMYNTAS I. Rex Macedon. Darii Hystaspis filii iussu à Megabazo Persarum imperio subditus, reliquit *Alexandrum* Diuitem; *Bocrum* cuius filius *Meleager Arsinoen Ptolemæi* regis matrem procreauit; & *Gygæam*, quæ ex Bubare Persa suscepit *Amyntam*, cui Xerxes Alabanda Phrygiæ dono dedit.

VI. ALCETAS R. Maced. regnauit annis XXIX. reliquit successorem *Amyntam*.

nis bellum gessit, originem suam ad hunc retulisse.

VIII. PYRRHVS Achillis filius ex *Lanassa* Cleodæi Heraclidæ filia tulit *Pyrrhum* quem in pueritia extinctum fuisse suspicio est; *Alcuam* à quo propagata Alcuadarum domus; *Ethnestum* à quo genti Ethnestarum nomen; & femellas quinque : ex Andromacha Hectori vidua *Molossum* à quo Molossi appellati Epirotæ; *Pielum*; de quo diximus; & *Amphialum* cognomento Pergamum.

VII. ÆROPVS R. Maced. cum infans adhuc esset, à Macedonibus qui ab Illyriis premebantur, vt erat in cunis, in aciem est prolatus, felici ipsis consilio.

VIII. PHILIPPVS huius nominis primus Rex Macedoniæ.

IX. ARGÆVS Rex Mac. repressit Illyrios, bellum tum primum Macedonibus facientes, decepto hoste virginum Baccharum apparatu.

X. PERDICCAS I. Rex Maced. moriturus filio locum monstrauit, in quo se & successores suos condi vellet, pollicitus regnum in familia mansurum, quoad id fieret : qua superstitione credunt extinctam in Alexandro stirpem, quod is alibi sepultus esset. De hoc vide quædam ab hoc ordine diuersa apud Herodotum 8, 137. &c.

XI. TYRIMAS regnauit annos XXXVIII. reliquit successorem *Perdiccam* filium.

XII. COENVS Carani filius, *Tyrimæ* pater, regnauit in Macedonia annos XII.

XIII. CARANVS patria Argiuus, ex familia Temenidarum qui diu regnum Argis obtinuerunt, regni Macedonici conditor, quibus parentibus ortus sit, non proditur, præter quod originem à *Temeno Herculis* filio habuisse, inter auctores constat. Vide tamen fragmentum Satyri apud Scalig. in adiunctis ad Euseb. pag. 372.

CAP. VI.

Finem his prolegomenis faciemus Vitam Alexandri quemadmodum à Raphaële Volaterrano in compendium redacta legitur.

Alexandri Philippo Macedone nati, & vitam & gesta innumerabiles pene Græci posteritati tradidere; è quibus Clitarchus, Polycrates, Onesicritus, Antigenes, Istrus, Aristobulus, Chares, Hecataeus Eritreus, Philippus Chalcidensis, Duris Samius, Ptolemæus, Anticlides, Philo Thebanus, Philippus, Hegesias, Antisthenes, Menæchmus Sicyonius, Nymphis Heracleotes, Potamon Mitylenæus, Sotericus Asites, Arrianus, Plutarchus : è nostris vero Q. Curtius. Ego autem epitome breui percurram. Igitur natum scribit Plutarchus VIII. Idus Aprilis. Ab eo autem, qui in Latinum eum conuerit, circa Idus Augusti scribitur; quod sane cuius sit error nescio. Ætatis & disciplinæ rectores, Leonidam Olympiadis matris necessarium, & Lysimachum Halicarnassenm habuit. Deinde Aristotelem præceptorem, à quo eruditus fuit, perseueranter amauit, scientiaque physica delectatus, quandoque ad eum per literas questus est, quod libros eam disciplinam continentes, vulgo ediderit. At ille respondit, editos quidem, sed tanquam non editos ob eorum obscuritatem fore. Annum agens XVI. à patre profecto in obsidionem Byzantij ad regni curam dimissus domi est, post eius vero mortem annos XX. natus imperium

perium iniens primam in Thebas expeditionem fecit, easque bello superatas euertit : cum Athenienſibus pacem fecit, quanquam Thebarum caſum moleſte ferentibus : ad Iſthmon venienti omnes obuiam præter Diogenem Cynicum venere ; miratus Alexander ad eum in ſole apricantem venit, rogans, ſi quid opus : at ille, vt paulum, inquit, à ſole abſis. Alexander deinde ad ſuos verſus, ſe Diogenem eſſe velle dixit, ſi Alexander non eſſet : Cupidus igitur late imperandi, patrimonium omne inter amicos diuiſit, Antipatro domi relicto, in Helleſpontumque primo traiecit, ac Ilium peruenit, vbi exnimaduerſo Achillis ſepulchro, felicem appellauit, cui præco laudum Homerus contigiſſet. Deinde contra Dareum profectus ad Granicum flumen, quod Aſiæ portas ſit quædam, præfecti regis occurrentes pugnam conſerunt, vbi victor tradituer fuiſſe, cæſis barbarorum viginti millibus, ex Macedonibus triginta quatuor tantum. Deinde ad maritimam oram deſcendens, Pamphyliæ, Ciliciæ, Phœniciæque regiones : deinde Paphlagones Cappadoceſque ſubegit. In tranſitu Cydni fluuij frigidiſſimi morbo correptus bella ſupersedit ; verum paulo poſt à Philippo medico curatus in caſtra venit, atque rurſus cum Dareo, qui ſexcenta hominum millia armauerat, in prælium deſcendit ; quem demum ſuperauit cæſis hoſtium undecim millibus caſtris inſuper potitus : regem fugientem per quinque ſtadia inſectatus eſt : vxorem filiasque captiuas ad ſe perductas honorifice ac pudice habuit. Ab hac igitur in littore quoque Ægypti loci amœnitate delectatus Alexandriam vrbem condendam mandauit : Ipſe ad Iouem Ammonem per loca vaſta ſolitudine poſt Cambyſem ſecundus acceſſit. Hic multa millia è ſuis obruta arenarum vi Auſtro perflante fuere. Vbi vero templum attigit à ſacerdote perſuaſus Iouis filium ſe putauit. Poſtremo, tertio Dareum vires redintegrantem petens vicit, atque omnino profligatum vna cum regno ſuſtulit Perſarum. Hinc Babylonios cum tota regione ſubegit : mox Dareum perſecuturus audiuit à Beſſo illius familiari, eum captum à ſuis atque interfectum, quem regiis inſectum veſtibus matri eius tumulandum remiſit, Beſſum vero interfectorem ſupplicio affecit. Dareus autem moriens deos precabatur, vti Alexandrum ſecundarent, quem hoſtem clementiorem quam ſuos inuenisſet. Deinde in Parthum mouens ſuperato Orexarte fluuio (hic enim Rha eſt, quam Alexander Tanaim alterum putauit) Scythas laceſſiuit : vlterius fluxu ventris correptus inſequi deſtitit. In his locis occurrentem habuit Thaleſtrem Amazonum reginam, teſte Iuſtino, XXXV. dierum itinere confecto, quæ ex ipſo prægnans dicitur diſceſſiſſe. In Indiam poſtremo profectus ſuos exhortatus eſt, ne animo deficerent ; parui temporis laborem Macedonibus orbis imperium ac perpetuam gloriam pariturum : vbi primum Taxilem regem obuium cum muneribus habuit, ſuperatoque Idaſpe fluuio Porum alterum Regem occurrentem cum maximo exercitu vicit, quem in prælio victum ac captum dimiſit vti prius liberum. Erat Porus quatuor cubitis & palmo procerus, in quo prælio Bucephalum amiſit, in cuius honorem ſupra Idaſpem Bucephaliam vrbem condidit. In ea ſane regione cum multis collocutus gymnoſophiſtis dicitur inter quos Calanus nomine eum ſecutus, ſeſe viuum conſtructa pyra combuti iuſſit. Alexander deinde dextrum Indiæ latus adnauigari perquirique iuſſit claſſi Oneſicrito præfecto, ac Nearcho duce conſtitutis, ipſe per mediterranea remigrans, cum alui dolore vexaretur, Babylonem repetiit, ibique febri correptus exceſſit, nullo veneni ſigno, anno ætatis XXXIII. & à Ptolemæo Alexandriam regia funeris pompa delatus. Fuit vini auidus, adeo, vt per ebrietatem præcipuos amicos interfecerit. Clitum, qui in menſa Philippum Alexandro prætulit, Philotam & Parmenionem inſidiarum ſuſpicione, necari iuſſit : Calliſthenem philoſophum Ariſtotelis propinquum, quem inter charisſimos habuerat, deinde in Hermolai coniuratione ſuſpectum, quodque adorandum Alexandrum eſſe negaret, miſere adfectum cæſim necauit. Caſtitate alioquin tanta, vt præter vxorem & Berſinen è Damaſco viduam, ac regiam mulierem, nullam aliam complexus fuerit. Rhoxanem vxorem, Oxiartis regis filiam, non prius attigit, quam perfectis ex ordine ſponſalibus ſolennibus : ſed & Ariſtobulus de ipſius ebrietate ſcribit omnia falſa eſſe : verum quia inter bibendum valde loqueretur, eam contraxerit famam. Cibi etiam parciſſimum fuiſſe, quod prandij condimentum, nocturnum iter ſolebat appellare ; cœnæ, frugi ac breue prandium. In rebus oben-

eundis ſumma alioquin diligentia, nullam omittendo occaſionem, declarant maximæ res breui tempore geſtæ. Mane ante omnia ſacrificabat. Si quando vacaret, aut venationi aut lectioni ſe tradebat, præſertim Homeri, quem etiam nocte pulluillo ſubijcere ſolebat. Interdum conuiuiis animum exhilarabat, vt poſt Dareum victum quinque ſuorum amicas ad epulas inuitauit, inter quas Thais fuit Athenienſis genere, quam poſtea Ptolemæus magnopere adamauit. Hæc cum in cœna rogaſſet Alexandrum, vt Perſarum regiam, quia patriam ſuam incenderant, cremaret, ſtatim mandauit. Puerorum inſuper abſtinentiſſimus omnino, quorum triginta millia ad diſciplinam militarem erudiendorum nutriri mandauit : quin & quendam pollicentem, ſe pulchrum ei emptorum puerum, acriter obiurgauit, ſolebatque dicere, coitum ac ſomnium duo maxima mortalitatis eſſe ſigna.

Atque hæc ita neceſſario præfanda eſſe duximus, vt appareret, quæ & argumenti hiſtoriæque illius dignitas, ſcriptoris vero ipſius exiſtimatio atque apud eruditos auctoritas eſſet ; & quibus præſidiis animum ad recenſionem eius adiecerimus : ne quis vanam aut parum modeſtam vocem arbitretur, ſi aſſeramus hanc editionem noſtram, omnium quæ vnquam prodierunt, & caſtigatiſſimam fore, & commodiſſimam, quod equidem vt confido ipſe ſucceſſus operis ſatis declarabit. Ceterum ſi quæ alia de Alexandro traduntur, ea maxima ex parte ſupplementum noſtrum in hunc autorem complectitur ; alia, quæ grauitate hiſtorica indigna videbuntur, ad Curtium paſſim, & præſertim in extrema eius hiſtoria annotabimus.

SEQVVNTVR COMMENTARII IN CVRTIVM

IN QVIBVS PRIOR NVMERVS LIBRVM, SECVNDVS CAPVT, NOVISSIMVS VERSICVLVM INDICAT.

AD TITVLVM.) Hic ſtatim in ipſo limine difficilis incidit quæſtio de libris Curtii, in quot nimirum, hiſtoriam ſuam auctor iſte tribuerit: præſertim cum magna MScriptorum Codicũ ſit pugna. nam quem Petrus Daniel habuit, ita præfert, *Q. C. R. de geſtis Alex. M. Reg. Mac. liber ſecundus incipit:* cui conſentit & Cl. Puteani liber. Pa latinus primus; *fragmentum primi libri incipit.* Iam c. ii quos Raderus vidit, mirificas turbas cient, vt videre eſt apud ipſum prolusionum cap. 3. Sed cum plurium MScriptorum conſenſus (inter quos Cl. Faucheti exſerte dicit *primum & ſecundum deeſſe*) à tertio libro incipiant, quos & editionum pleræque ſecutæ ſunt, nos merito receptam librorum Curtii diſtributionem retinuimus. In his autem notis, tum ea explicabimus, quæ lectorem morari poſſe videbuntur: & ſi quid ſingulariter in textu mutatum aut retentum eſt, eius rei cauſſas enarrabimus. contrariasque ſententias aliquando refutabimus, ſæpius vbi per ſe aut ex iam dictis error earum apparere poteſt, taciti præteribimus, quod cum accidit, non incuria vel ignorantia factum putes, ſed iudicio, & hac, quam diximus, de cauſſa. nam omnes omnium obſeruationes, notas, ſectiones ſollicita cura diſcuſſimus, nec ad ſummam diligentiam quidquam fecimus reliqui, vt hic auctor, quantum poſſit emendatus atque natiua puritate ſplendidus prodiret. Quæ autem phraſin atque verba tantum reſpiciunt, ea in Indice quærenda meminerit, qui in earum explicatione pretium fore exiſtimauerit: quo & propriorum nominum expoſitionem fere ablegauimus.

3, 1, 1. *INTER HÆC)* Præceſſerunt opinor proxime Memnonis moliones & obitus, quæ Græcis qui ſuperſunt modice delibata, hic forte plenius expoſuerit. de Alexandri quidem rebus modo non fuiſſe dictum, tota loquendi ratio, tranſitionis manifeſta, coarguit. Eodem modo Arrianus; niſi quod is Alexandri geſtis in Phrygia pertractatis, Memnonem in ſecundum librum rejicit.

AD CONDVCENDVM) *Namque prælijs etiam ſecundis atterebantur copiæ, deuictarumque gentium militi minor quam domeſtico fides habebatur.* Infra 4, 6, 31. Et neceſſe quidem erat, *tot acies, vt hoſtium exercitus deleſſent, ita victoris etiam copias parte aliqua minuiſſe*; vt apud Liuium 23, 12, 4. Mago Carthaginienſibus ſuis inculcat. Scilicet hoc ipſum eſt quod euenire ſolet in alieno orbe bellantibus, vt eiuſdem Liuii 9, 19, 6. verbo, propter inopiam ſupplementi *conſenescat exercitus.* Sicut vſuuenit Chriſtianis qui terram ſanctam Godefrido duce occupauerant: eam enim ſumma virtute partam, defenſamque, quod ſenſim euanescerent vires, & longe ſupplementa eſſent, non multo poſt tempore relinquere ſunt coacti.

CELÆNAS) De hac vrbe, item fluuio Satyroque Marſya, omnium inſtar eſſe poteſt Salmaſius ille ab initio ſecundæ partis Plinianarum exercitationum ad Solini cap. 40. pag. 831. &c. cui tamen non noceat addere Pauſaniam lib. 1. *Eodem in loco Minerua eſt Marſyam Silenum cædens, quod tibias quas ipſa abiecerat, ſiſtuliſſet.* Vbi obiter nota repertorem potius tibiæ habitum fuiſſe Marſyan, quam auctorem & inuentorem. contra Euſeb. λόγ. A. in Edit. Scalig. pag 32. Abieciſſe autem tibiam Minerua dicitur, quod inflatis buccis deformem vultum redderet. Vnde Ouidius lib. 3, 505. de Arte:

I procul hinc dixit, non eſt mihi tibia tanti
Vt videar vultus Pallas in amne ſuos.

Quæ eadem cauſſa Alcibiadem auertit, ne tibiam inflare diſceret, *Ergo*, inquit, apud Plutarchum in vita cap. 4. *canant tibia Thebanorum filij: nam dicere neſciunt. nobis Athenienſibus (vt à maioribus accepimus) dux Minerua & præſes Apollo eſt, quorum ſuperior tibiam proiecit, alter excoriauit ſiſtulatorem.* Eleganter id narrantem ipſam Palladem introducit Ouidius Faſtor. 6, 695. Adſcribemus & alium Pauſaniæ locum ex decimo; *Paulo ſuperius ſaxo inſidet Marſyas: prope Olympus: habitus eſt pueri iam pubeſcentis; tibiis diſcere videtur. Phryges qui Celænas incolunt, amnem qui per oppidum labitur, tibicinem olim illum fuiſſe dictitant. Addunt Marſyæ inuentum fuiſſe cum tibiarum cantum, quem Matreum vocant: eundem vero Marſyam contra Gallos ſibi opem tuliſſe, cum irrumpentes in Phrygiam, & amnis aquis, & tibiarum modis exterruiſſet.* Idem in ſecundo memorat, in templo Suadelæ apud Sicyonios *dedicatas fuiſſe Marſyæ tibias. Poſt aduerſum enim eius Sileni caſum, eas Marſyan amnem in Mæandrum, deinde in Aſopum detuliſſe: electas inde in agrum Sicyonium, paſtorem quendam ſiſtuliſſe, & Apollini dedicaſſe.* Vide & Xenophontem ἀναβάσ. α. & epigrammatum Græcorum lib. 1. cap. 11. & lib. 3. c. 8. Ἀσωπῷ Φήβειον &c. &, qui multa collegit, Dempſterum ad lib. 1. Antiquitatum Roſini, pag. 43.

3, 1, 2. *MEDIAM ILLA TEMPESTATE INTERFLVEBAT)* Hactenus editi: *media illa tempeſtate mania interfluebat*, quam locutionem, vt paulo inſolentiorem ſtylo hiſtorico, cum nec Palatini Codices agnoſcerent (quippe nullus eorum habere dicitur vocem *mania*) non cunctanter recepi emendationem Ioan. Adami Schragii, amici noſtri, etiam Gronouio probatam: præſertim cum ipſius Curtii auctoritate firmetur. ſic enim mox de Gordio 3, 1, 12. *quam Sangarius amnis interfluit.* iterum 3, 5, 1. de Tarſo: *Mediam Cydnus amnis interfluit.* Porro iſta verba, *illa tempeſtate*, ideo inſerit, quod dirutæ Celænæ poſtmodum alia ſede propinquo loco inſtauratæ ſunt, quæ vrbs Apamea dicta eſt. Salmaſium adi.

3, 1, 4. *NYMPHAS)* Ad eiuſmodi fabulam reſpiciunt illa Ouidii Metam. 6, 393. de Marſya:

Illum ruricolæ ſyluarum numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphæ flerunt - - - -

Et Epigr. Græc. 3, 8, 2.

Σεῦ δ᾽ βοὰν ἀυλοῖο μελιβρεμον ὀκ᾽ἐτι Νύμφαι,
Ὡς πάρ@ σὶ φρυγίοις ἤχεσι πευσόμεθα.

Nos autem Nymphæ, mellitam tibiæ tuæ vocem, non vt ante, Phrygiis in montibus audiemus.

3, 1, 5. *LYCVM APPELLANT)* Salmaſius citato loco oſtendit Curtium in hac deſcriptione tres amnes confundere; quod enim ſupra dixerat; *diffuſus circumiectos rigat campos &c.* ad Orgam fluuium pertinere: ſed & Lycum alium à Marſya amnem eſſe.

3, 1, 7. *IN TVRRIM PERDVCTVM)* Sicut in rebus bellicis magnæ prudentiæ habetur, ſi inopiam atque infirmitatem tuam celes, ita contra quibus fidis, oſtentanda ſunt, ad terrorem atque deſperationem hoſtium. quo conſilio apud Tacitum H. 3, 54, 3. *duces* Flaviani *augendæ famæ* non *deerant, captos Vitellij exploratores, circumduEloſque*

Eloſque vt robora vlteriorꝭ exercitus moſcerent, remittendos. quod antea & Auguſtus apud Dion lib.L. & Scipio fecerat apud Liuium 30,29,2. & Eutrop. fine lib.3. & antiquiores adhuc Perſæ apud noſtrum 3.8.15. Adde Fulgoſ.3,7,24. Quare ſuos Athenienſes laudat Pericles apud Thucydidem 2,7,24. quod vrbem ſuam omnibus patere ſinant.

3,1,8. *SEXAGINTA DIERVM)* Solent ſæpe ſe dedere obſeſſi: ita ſi intra tantum temporis auxilia ipſis non aduenerint; vt obſeruat Gentilis de iure belli 2,17. vbi plura eius rei exempla: quibus ex Herburti hiſt.Polon.4,5. hoc poteſt addi: Cæſar Henricus Glogouiam obſidebat, anno 1109. ibi *ciues quinque dierum inducias petunt: quibus niſi ſuccurſum ſibi eſſet, deditionem promittunt: obſidesque dant primorum ciuium liberos.* Illi tamen, quamquam conditione non exiſtente, pactum & obſides ſuos inſuper habuerunt. Simile eſt quod refertur 1.Sam.11,3. & in hiſtoria Iudith cap. 7. in fine. *Si autem tranſactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba quæ locuti eſtis.* Adde Iohnſton. Rer.Britann.lib.XX.vbi de obſidione Bormii. Contin.Sleidan. ad Ann. MDLXXXIX.de *Reinberga*, pag.342. A.Procop. lib.III. Hiſt. Goth. de *Centumcellis*. Bizarum fin. lib. de bello Genuenſium Saracenico, de *Dertuſianis*.

DARIVS) Semel monendum in plerisque manuſcriptis legi *Dareus*: quam lectionem eruditorum plerique probant. nec tamen altera ideo in vitio eſt, niſi breuiter pronuncietur media, qui error vulgo in aliis etiam talibus, verbi gratia *Alexandria* obtinet: nam & illius penultima longa eſt, cum diphthongo enim ſcribuntur, Ἀλεξάνδρεια, Δαρεῖος.

DEDERENT VRBEM) Sebiſius amicus meus olim legendum putabat *arcem*, quod iam anteceſſiſſet vrbem occupatam fuiſſe. reciperem, ſi qui codices aſſentirentur.

3,1,9. *NON HOS MODO SED ETIAM CETEROS GRÆCOS)* Quos *vinctos in Macedoniam ad ergaſtula miſerat, quod contra communem Græcorum ſententiam, Græci quum eſſent, in Græcos pro barbaris arma cepiſſent.* Arrianus 1,5,29. quem non cepit, qui *communem Græciæ ſententiam* interpretatus eſt de eo dicto Βαρβάροις Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός *Barbaris Græcos imperare fas eſt*, ex Ariſtotele Polit.1,2. & 3,4. Demoſthene 3. Olynth. & Æſchine Epiſt.2. ad Athenienſes: de quo pulchre Strabo fine lib.1. Nam apud Arrianum τὰ κοινῇ δόξαντα τοῖς Ἕλλησιν nihil aliud ſignant, quam commune Græcorum decretum de bello Perſis inferendo, quod factum eſt Corinthi in ſollemni totius Græciæ concilio, vt cum multis aliis Diod. 17,4. & ipſe Arrianus ſtatim ab initio hiſtoriæ ſuæ tradidit. Ceterum captiuos eos omnes liberauit Alexander infra 4,8,12. Arrian. fine lib.1. De toto hoc loco vide & Plutarch. in apophth.cap. 40. eaque idem Arrianus 3,5,7. intelligit, τὰ δόγματα τὰ Ἑλλήνων vocans, quem locum non perceperunt interpretes. Δόγμα eſt ſcitum, ſententia lege ſancita, inde Senatusconſulta ſemper appellantur δόγματα apud Græcos Iuriſprudentes.

3,1,12. *MIDÆ REGIAM)* Vide omnino diligentiſſimi & eruditiſſimi Reineccii tomum primum, in quo de regno & regibus Phrygum, quæ apud alios auctores ſparſim extant, ordine digeſta reperies.

SANGARIVS) De hoc amne multa collegit Stuckius in periplum Arriani pag.125.

INTERFLVIT) Aſſentior Radero malenti hanc lectionem quam aliam, *præterfluit*: cum & mss. auctoritate & teſtimonio Strabonis iuuetur.

PONTICO ET CILICIO MARI) Precium eſt ſubjicere Gordii opidi deſcriptionem ex Liuio 38,18,13. *Id haud magnum quidem opidum eſt, ſed plus quam mediterraneum, celebre & frequens emporium. Tria maria pari ferme diſtantia interuallo habet: Helleſpontum, Pontum ad Sinopen* [ita legendum exiſtimo] *& alterius oræ littora, qua Cilices maritimi colunt, multarumque agrarumque præterea gentium fines contingit, quarum commercium in eum maxime locum mutui vſus contraxere.* Tria maria nominat, Curtius duo: bene vterque propoſito ſuo ſeruiens. quippe Liuius cum celebre emporium dixiſſet, nihil præterea miſit eorum quæ fidem ei dicto facerent, atque ita non omnia tantum maria vicina, ſed & gentes aduocauit: Curtio, qui præter ſitum nihil hic indicaturus erat, ſuffecit duo iſta maria nominare qua ab vtroque latere ſtringentes Aſiam, recto fere itinere medium habent hoc opidum, quod vtique non ad montem Sipylum, ſed in Phrygia collocandum eſſe contra Hervvartum recte diſputat Raderus. Sic de Ancyra dicit Fzetzes 1,2.

– – – quod media iaceat
Aſiani atque Pontici, marium duorum.
Ἀσιανῆς τε καὶ Ποντικῆς τῶν θαλασσῶν τῶν δύο.

3,1,13. *SPECIEM INSVLÆ PRÆBET)* Plinius 6,2. *Amiſum liberum à Sinope CXXX. M. paſſuum. Eiusdemque nominis ſinus tanti receſſus vt Aſiam pene inſulam faciat, CC. M. paſſuum, haud amplius per continentem ad Iſſicum Ciliciæ ſinum.*

3,1,14. *INTRAT)* Si legas *intrans*, quomodo certe infra 3,12,15. pro *intrat* B. legit *intrans*, rectius omnia cohæreant; ſed quia nullus mss. hic adſtipulari proditur, ſine auctoritate nihil, niſi euidentiſſima ratione perſuaſi, mutabimus. præſertim cum & hæc lectio ferri poſſit. vide mox ad 3,6,1.

VVLGATISQVE VSV) Expedita & plana ſententia ſcripturæ huius, quam ideo retinuimus, quamquam varie varii mutarent, pro *vſu, viſu, vehiculis, vſibus, curribus* reponentes. Eſt & Rutgerſii coniectura, quam non ſpernas, *vulgatique vſus.*

3,1,15. *IVGVM)* Alii *vinculum*, quod non damnem: niſi illud potius videatur. nam & Auſonius epiſt. 23,48. ſic appellat:

Ocius illæ iugi fatalis ſoluere lora
Pellæum potuiſſe ducem reor, abdita opertis
Principiis, & vtroque caput celantia nodo.

Sed & in præfatione Biſſulæ quod eſt Eidyll. 27. iisdem verbis *fatalis iugi lora* vocat. *Iugum* nominauit & Iuſtinus 11,7,4. & ſane cum mox *vinculi* vocabulo vtatur Curtius, veriſimile eſt ad euitandum repetitionis tædium, alio verbo ſupra vti maluiſſe: præſertim cum ad ipſius rei accuratam deſcriptionem ſignificantior ſit, quam generalis illa vox *vinculi*. Arrianus 2,1,17. τῶ ζυγῶ τῆς ἁμάξης τὸ δεσμὸν *iugi quod in curru erat nexum*, appellat.

3,1,17. *ILLA EXPECTATIONE SVSPENSA)* Alii *explicatione* ſed iſtud ſtudio prætuli.

QVIPPE SERIES VINCVLORVM) Mire turbant hic libri & interpretes; ſed ipſam Curtii ſcripturam eſſe, quam exhibemus, haud difficulter conſentiet, qui formam orationis eius familiariter habet cognitam. Iuuat infra 3,5,14. *Ingentem omnibus incuſſerat curam tam præceps temeritas eius.* Conferantur & variæ lectiones, quas & ipſas imprimi curauimus.

3,1,18. *NEQVAQVAM DIV)* Ita malui quam *nequidquam* recentium editionum, quod libris, & ingenio Alexandri non æque conuenit. Hæ particulæ inuicem commutatæ ſunt etiam infra 3,2,11.

GLADIOQVE RVPTIS) Si Ariſtobulo credendum, non *eluſit*, ſed ſoluit & *implenit*. Maior auctorum numerus reſectum gladio vinculum & eluſum oraculum affirmauit. Arrianus in medio relinquit, ſatisfactum tamen oraculo dixit. Zenobius cent. 4. adag. 46. Κάθαμμα λύειν *Nodum ſoluis*: Παροιμία ἐπὶ τῶν δυσλυ-

δυσλυτόν τε λύειν ἐπιχειρήσαντα. λόγιον δὲ τοῖς Φρυξὶν ἐπιπεπτώκει περὶ τῆς κομισάσης τὸν Μίδαν ἁμάξης, εἴ τις ἐπιλύσειε τὸν δεσμὸν, τοῦτον τῆς Ἀσίας ἄρξειν. Ἀλέξανδρος δ' ἔλυσεν. *Prouerbium de iis qui aegre dissoluenda expediunt. Phrygibus enim oraculum datum de Midae curru, quo vehebatur, si quis eius vinculum dissolueret, Asiae potiturum. Dissolvit autem Alexander Magnus.* Idem Diogenianus ὑχ' ἅμμα λύεις. *Non soluis nodum.* Raderus. Curtii sententia communis est, quae & in prouerbium abiit, quo praeter alios Ausonius etiam locis paulo ante citatis vsus est. Vide paroemiographos. *Aristobulus vero auctor est, Alexandrum exempto paxillo temonis (erat is clauus ligneus per medium temonem traiectus, cui vinculum adstrictum erat) iugum temoni detraxisse*, inquit Arrianus 2,1,18. & Plutarchus in vita cap.28.

3,1,19. *VT A TERGO TVTA RELINQVERET)* Inter praecipuas militiae cautiones hanc quoque obseruarunt peritissimi duces, quorum exempla refert, consiliumque probat Amiratus dissertat. polit. 18, 6. Qua mente Antiochus apud Liuium 35, 13, 5. Pisidas oppugnaturus *Antiochum, filium misit in Syriam, ad custodiam vltimarum partium regni, ne quid absente se à tergo moueretur.* Idem aduersus Romanos in Europam trajiciens, inimicas vrbes à tergo relinquere nolebat. Liuius 35, 42, 1. Sic Caesar apud Florum nostrum 4, 12, 36. non nisi *ordinatis à tergo omnibus, ad bellum nauigauit.* Vespasianus apud Iosephum de bello Iudaico, caput gentis Hierosolymam aggredi tutum non censet, nisi perdomitis à tergo vrbibus. Constantius Augustus apud Marcellin. 17,33. *terrore nullo relicto post terga, venimus in Pannonias.* Idem apud eundem 21, 13. *rigore instantium negotiorum anceps, quid capesseret, ambigebat: diu multumque anxius vtrum Iulianum peteret & longinqua, an Parthos repelleret iam transituros, vt minabantur, Euphratem: haerensque, tandem cum ducibus communicato saepe consilio in id flexus est, vt finito propiore bello, vel certe mollito,* nullo post terga relicto quem formidaret, *Illyriis perculsis & Italia, vt rebatur, Iulianum caperet.* Sic apud eundem auctorem 24, 12. Iulianus Maiozamalchae *oppidi suscepit obsidium, periculosum fore existimans, si gradiens prorsus, à tergo relinqueret quos timeret.* Apud Zonaram tom. 2. *Fabius & Marcellus Coss. in Campaniam se conuerterunt, τὰ ἐκ ἰσοβαίλα, μηδὲν καταπολέμιον ὑπολείποντι, nihil à tergo hostile relinquerent; atque ita demum Hannibalem aggrederentur.* Quam belli gerendi rationem qui spernunt, saepissime quidem in difficultatem commeatuum incidunt, quod & Amiratus monuit: interdum autem & *eo procedunt, vnde inuito hoste regredi nequeant*, vt verbis Liuii 44, 6, 4. vtar: (Vide Richter. Axiom. Hist. CLII.) necraro à ceteris rebus gerendis alieniissimo suo tempore reuocantur. cui rei prouidens Alexander apud nostrum 8, 5, 1. *Indiam & inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo*, quod destinata impedire posset, *moueretur; ex omnibus prouinciis triginta millia iuniorum legi iussit &c.* Sic & apud Arrianum 1,1,5. statim initio expeditionis suae Illyrios & Triballos ἐκ ἰδίκει τὰ πολέμια, ὅτι μὴ πάντα παρειληφὼς, ἤτε μακρὰν ἀπὸ τῆς οἰκείας στελλόμενον, *nondum perdomitos minime à tergo relinquendos putabat, quum adeo longinquam expeditionem susciperet.* Huic tamen regulae altera non minus celebris è diametro videtur obstare, qua jubentur imperatores protinus occupare caput hostium. Verumenimuero hoc ita accipiendum est, si forte hostes incuria vel imperitia sua casum insidiantibus aperiant: vel aliquis hostium imbecillitati viribusque suis ita fidat, vt certam sibi victoriam polliceri audeat. Alioquin enim si res non cesserit, non in praesens modo damnum cum ignominia feret; sed ad reliquas etiam res gerendas impedimentum non vulgare sentiet: cum ex mente Agricolae apud Tacitum nostrum 38, 5. nemo fere dubitare soleat, *prout prima cessissent, fore vniuersa.*

AMPHOTERVM) Vix est vt credam Radero hunc esse, in quem cum fratre

fratre Hecatero comparatum, dictum illud Plutarcho in apophth. relatum Philippus iecerit: *Hecaterum* (h.e. alterutrum) *quidem amphoterum* (notat vtrumque) *esse, Amphoterum autem vdeterum* (h.e. neutrum) quod nimirum hebes & ignauus esset; frater eius ingenio viuido, & ad res gerendas apto. Praeterquam enim quod de nostri Amphoteri fratre nihil quod sciam, legitur; etiam ingenium illud fatuum, quod exprobrat Philippus, in hoc nostro minime repertum fuisse, euidens argumentum est, quod Alexander optimus fortium virorum aestimator, inter tot egregios duces hunc idoneum duxerit, cui non minimi momenti negotia committeret: quae prudentia virtuteque sua haud segnius iudicio speque Alexandri sustinuit.

3,1,20. *AD BELLI VSVM)* Nervum belli pecuniam esse non ambigitur, qua de re multa multorum pulchre dicta factaque, & quae ab aliis collecta sunt, indicabimus; & quae praetermissa, supplebimus Deo propitio ad Taeitum H. 4, 74, 2.

NAVES SOCIIS IMPERATAE) Sic distinxi atque scripsi, volentibus membranis. nam editio mscripto Pithoei collata praefert; *imperat eque*, quomodo & Cl. Faucheti Ms. Bongarsianorum alter, *imperat aeque:* alter exterte, *imperatae quae.* de cuius scripturae sinceritate non fuit quod dubitaremus.

3, 1, 21. *MEMNONEM)* Rhodium illum, Darii ducum praestantissimum, quem ob industriam & peritiam rei bellicae solum verebatur Alexander. Eius res gestas lege apud Diodorum lib. 17. c.7. & Arrian. 2, 1. & seqq. Hic enim erat qui Lesbum, Chium, Coum, de quibus modo sermo fuit, receptas Persicis praesidiis firmauerat. Breuem vitae eius epitomen contexuit Reineccius tomo tertio, vbi de ducibus Rhodiis agit.

OMNES INTENDERAT CVRAS) Modius sine cura *curas* in crucem ablegat, corrigitque; *omnis intenderat:* sed omnes codices veteres & recentes, etiam MS. retinent: *omnes intenderat curas*, nec scio cur explodatur, cum non minus Latine ac alterum dicatur. Liuius 37, 36, 9. *omissa in praesentia pacis mentione, totam curam in belli apparatum intendit.* Raderus. Vide Indicem, *intendere curas:* vbi pluribus exemplis eam locutionem asserimus.

3,1,22. *VENETOS)* Qui Venetorum origines tradunt, variant sententiis, quas ego hic praetereo: Liuius 1, 1, 2. & secundum hunc Strabo lib. 5. circa initium, ac Cornelius Nepos apud Plinium 6, 2. qui omnes stant à Q. Curtio, Henetorum gentem ex Paphlagonia duce Antenore in Italiam profectam, ibi sedes posuisse, & mutata prima litera pro Henetis Venetos appellatos. Homerus & Maandrius Henetos à Leucosyris profectos Troianis suppetiatum iuisse tradunt, indeque cum Thracib. auectos sedes posuisse in intimo sinu Adriae, reliquos qui cum Pylemene erant profecti, resedisse in Cappadocia. Eadem affirmat de Enetis & Venetis cum Liuio Plinius & Solinus, ex Cornelio Nepote. Quare omnino in eam sententiam descendo, illa verba quae in Curtio sequuntur, non esse ex glossemate adiecta, sed legitima & genuina Curtii, cui subscribunt omnes quos codices vidi, cum MS. quamuis Modius & Palmerius omnia alia arbitrentur. Raderus. Adde Berneggerum ad Iustinum 20,1,8.g. Thuanus histor. lib. 1. cum Strabone lib. 4. p. 134. f. sentit Venetos Adriani maris accolas ortos à Venetis Gallis; Caesaremque reprehendit, qui horum originem ab istis repetit. Porro si ab *Enetis* deducantur *Veneti*, vox efficta est ad eum modum quo ex οἶνος vinum, ex ἦρ ver &c. deducta sunt: idque more antiquitus Graeco, vt obseruat Dionysius histor. 1, 20. *Solebant enim*, inquit, *prisci Graeci nominibus à vocali incipientibus praeponere syllabam ου scriptam vno charactere. is erat similis Γ duplici ad rectam lineam duabus obliquis additis, ut* Φαλίνη, Ἔαρος, Ὄϊνος, Ἄρης, *& multa similia.* Reineccius tamen qui multa de hoc loco crudi-

gentes duplicem numerum parauerant. Vides copiam scriptoribus imitandam, vt inopiam orationis declinent. Raderus.

3,2,5. *BARCANORVM*) Alii *Bactrianorum*, male; & refutat ipse Curtius infra num. 9. *Bactrianos* (quam tamen ipsam vocem in *Arachosios* mutarunt, eadem temeritate) *festinatio prohibebat acciri*. non igitur hi in hac expeditione; sed Barcani *gens Hyrcanis vicina* secundum Stephanum. Vide Abrahamum Ortelium, vnde sua descripsisse videtur Raderus.

LEVIBVSQVE SCVTIS) Ferri quidem possit; sed nonne melius scribas: *breuibusque scutis*? cetris enim adsimilat, quibus idem apud Tacit. Agric. 36, 1. epitheton.

CETRÆ MAXIME) De qua pulcra Lipsius in analectis ad Mil. Rom. lib. 3. dial. 1. Recta porro loci scriptura est, *maxime*, ἐπιῤῥηματικῶς, non, vt alibi editur, *maximæ*. Sic infra 8, 11, 6. *petra in metæ maxime modum erecta*. Porro scutum ipsum quod Barcanis tribuit, videatur fuisse *pelta*, quæ *cetræ haud dissimilis est* apud Liu. 28, 5, 10. Plura vide apud Torrent. ad Sueton. pag. 1439, a. Lipsium citato loco, vnde ferme sua Raderus.

3,2,6. *HYRCANI EGREGII*) Xenophon lib. 1. παιδ. 4: *Hyrcani sunt Assyriis finitimi, natio non illa quidem magna: quæ etiam de caussa imperio Assyriorum subiecti erant: sed equestris tamen & tunc fuit habita, & adhuc habetur.*

LIGNVM IGNI DVRAV.) Vsitatum teli genus apud gentes quibus ante Vulcanum, vt vult Eusebius lib. 1. ferri vsus incognitus, aut copia rarior. Sic maiores nostri apud Tacit. 2, 14, 4. *primam vtcunque aciem hastatam* habebant; ceteris *præusta aut breuia tela* erant. Silius 4, 284. de Chryxo Gallo:

Contorquet nodis, & obusto robore, diram
Vel portas quassasse trabem.

de Indis ad Tomerum flumen Arrianus Ind. 4, 14. ἀκωκὴ ὃ ἂν ἐπὴν σιδηρέη, ἀλλὰ τὸ ξύλον αὐτῶν πιπυρακτωμένον τὸ αὐτὸ ἐποίεε. *Cuspis ferrea non erat, sed igne iosta & adusta.* Virgil. Æn. 7, 524. *egreste certamen* id vocat:

– – – non iam certamine agresti
Stipitibus duris agitur, fudibusve præustis.

& feminis tribuit Æn. 11, 894.

Stipitibus ferrum fudibusque imitantur obustis.

Ideo autem oburebant fudes, quod ea res extracto humore, restringit lignum & indurat: vnde non minima vis fudibus præustis, vt apud Ouid. Metamorph. 12, 299.

Qua iuncta est humero ceruix, fude figis obusta,
Ingemuit, duroque fudem vix osse reuellit.

Vides tam alte adactam fudem in os quamquam durum, quippe centauri, vt ab eo, quem infinito robore præditum fingit, vix euelli possit. Ideo præsertim in obsidiis vrbium frequens earum fuit vsus propugnantibus. Ceterum apud nonnullos orbis recens reperti incolas arboris genus nascitur ligno ita solido duroque, vt confectis ex eo gladiis vtantur, acie paulo minus efficaciore quam sit nostratibus. At Scaliger Poët. 4, 34. negabat *alia ex materia*, quam ferro, *visum vllum*. Sed ille nimirum de Europæis hominibus moribusque sentiebat: alias & aureos enses Persarum nobilissimis fuisse, alibi indicatum est.

3,2,7. *DERBICES*) Prope Hyrcanos ad Oxum fluuium siti fuerunt. Ptolemæus, Plinius, Strabo, Dionysius *Dercebios* nominant. Popma. Vide & Ortelium. In nonnullis editionibus pro hac voce leguntur hæ duæ: *Iidem vicies*, absurdissime. De his credo loqui Ælian. hist. var. 4, 1, 8. vbi ait Berbiccas homines 70. annum

num egressos interficere. Eos à Cyro domitos, narrant excerpta Persicorum Ctesiæ c. 6.

3,2,8. *DVCENTI EQVITES*) Recte interpungit meo animo hunc locum Modius: *A Caspio mari octo millium pedester exercitus venerat: ducenti equites cum his erant. Ignobiles &c.* Raderus. Mihi vulgata distinctio nihil minus arridet.

ASIÆ) Quamuis pleraque edita volumina hanc scripturam præferant, veteres tamen codices (si Modio creditur, nam mei omnes *Asiæ* legunt, non *aliæ*) *aliæ* pro *Asiæ* habent, & vere meo iudicio, cum omnes quas hactenus indigitauit Curtius, fuerint Asiæ gentes, & facilis est vnius in alteram literæ migratio. Raderus. Ms. Pithœi, item Palat. secundus, & Bongarsianus sec. itidem dicuntur habere *Aliæ*. Caussam tamen non video, cur recepta, & plurium Mss. auctoritate firmata lectio postponi debeat. hæc certe quam Raderus adfert, mihi neutiquam satisfacit.

XXX. M. MERCEDE CONDVCTA) De mercenariis multa cognitu non iniucunda Alexander Genial. 6, 22. ibique doctissimus commentator. Describit, vt apparet, ad hunc locum nonnulla ex Brissonii de regno Pers. lib. 3. pag. 286. Raderus. ibi enim obseruantur Herodiani Marcellinique loca, quæ itidem adducit commentator noster, quamquam in eo quoque dupliciter impegerit: primum, quod pro Herodiano bis Herodotum nominat; iterum (qui error ex superiore natus est) quod affirmat *primis temporibus* caruisse omnino peregrino & conducto milite Persas. Herodianus enim nec primis Persarum temporibus scripsit, vt nemo nescit; nec de primis, vt cuilibet apparet qui verba eius considerat: sunt autem ex lib. 6. cap. 12. ὁ γὰρ δὴ μισθοφόροις χρῶνται φυλάκοις οἱ βάρβαροι, οὐσπερ Ῥωμαῖοι: *Non enim militie qui stipendium accipiat, vtuntur barbari, quomodo Romani &c.* Sic enim exponendum credo, non, vt sensus sit, eos peregrino milite non vti, sed militibus suis certa stipendia non pendere, quod Romanis solitum: idque & sequentia satis ostendunt, cum adjicit id quemque luerari, quod ex præda adquisiuerit. Rectius à Xenophonte testimonium in contrarium petisset, qui totum hoc, eiusque caussam eleganter, vt solet, exponit fine παιδ. 4: *Enimuero*, inquit, *cum intelligant* (Persæ) *quales sint ipsorum apparatus bellici, cedunt aliis, neque quisquam amplius absque Græcis ad bellum se comparat, siue adeo ipsi bellum inter se gerant, seu contra eos Græci copias educant: quod animaduertant etiam aduersus Græcos non nisi cum Græcorum auxiliis sibi bella esse suscipienda.* Vide & Brisson. lib. 3. pag. 325.

3,2,9. *IGNOTA &c. GENTIVM NOMINA*) Sic Xenophon 1. παιδ. 4. princ. ὧν δὲ ἄν τε ὀνόματα ἴχνοι τῆς ἐπὶ ἐν. *quarum ne nomina quidem referre quis possit.* loquitur de gentibus à Cyro subactis. simile est infra 7, 3, 5. *gentes ne finitimis quidem satis notæ.*

3,2,10. *NEC QVICQVAM ILLI MINVS*) Quid ergo maxime defuit? dicat Iustinus, qui de Xerxis apparatu loquens 2, 10, 21. subiungit: *Huic tanto agmini dux defuit.* Quantum in duce sit, volente Deo adnotabimus ad Tacitum de Germ. 30, 3.

PVRPVRATIS) Adde Arrian. 2, 2, 2.

CHARIDEMVM) De hoc Arrianus 1, 3, 29. Meminit & Diodorus lib. 17. c. 30. Male quidam editi *Eudemum* vocant, vitio nato ex aliorum scriptura qui *Caudemum* legerant, cum *Caridemum* reperissent.

SATISNE EI VIDERETVR INSTRVCTVS) Eodem fere modo Demaratum Lacedæmonium, imo exregem Lacedæmoniorum (de quo Iustinus 2, 10, 13.) Xerxes lustrato ad Doriscum exercitu appellauit apud Herodotum 7, 101. *Nunquid Græci sustinebunt manus contra me tenere? nam, vt ego opinor, ne omnes quidem*

dem Græci ac ceteri mortales, qui ad Hesperum incolunt, si coirent, pares essent nostris armis, nec me inuadentem expectarent. Huic affinis est inanis Antiochi regis Syriæ fastus, qui exercitum in Romanos paratum, atque auro argentoque fulgentem, Annibali ostendit, percontatus *an satis instructus videretur?* cui Annibal Punice pro ingenio, *satis*, inquit, *ô Rex, quamuis hostes auarissimi sint.* Plut. in Scipionis & Annibalis compositione, & Agellius 5, 5, eleganter. vide si placet. Raderus.

3,2,11. *SVÆ SORTIS*) Quod exul esset, inque Regis superbissimi fide & patrocinio degeret. Itaque Diodorus 17, 30. hanc Charidemi libertatem ἀκηδιαν παῤῥησιαν vocat, quem qui ob hoc reprehendit, non intellexit. Non oblitus hoc est Pompeius; sed velut instantem exitum præuideret, in regiam nauiculam transcendens recitauit Sophocleum istud:

Etenim tyranni quisquis intrat in domum
Seruus fit illi, liber esse si venerit.

Auctor Plutarchus in vita cap. 129.

VERVM INQVIT) Hæc prima oratio est Q. Curtii, de qua, vt aliis omnibus quæ sequuntur, ita sentio, vt existimem nullum esse Curtio parem, aut certe neminem illi superiorem. *Salustij orationes leguntur in honorem historiæ*, vt Quintilianus [immo Seneca declamat. 3,1.] censet, quasi per se indignæ sint, quæ cognoscantur. Liuius vnus est, qui orationis maiestate Curtium post se reliquit, acumine ingenii & sententiarum neruis Curtius illi vel par est, vel etiam superior. Raderus. Quid autem censendum de iudicio Trogi Pompeii, apud Epitomatorem suum 38,3,11. qui *in Liuio & Sallustio reprehendit, quod conciones directas, pro sua oratione operi suo inserendo, historiæ modum excesserint?* Sane eius ipsius oratio, quam operi suo Iustinus inserit, nescio quomodo putide auribus meis sonat, quod obliqua referatur. Vt enim largiar in breuioribus concionibus decentius hoc fieri; hoc certe concedere non possim, in prolixioribus idem obtinere, cum toties inculcanda sint ista, *se, sibi &c.* & *inquam, inquit*, quæ verba vitanda Cicero sibi censuit, *ne sæpius interponerentur.* Adde quod vix cauerí possit, quin alia quoque hac ratione indecora committantur, verbi gratia, in oratione Trogi 38, 7, 8. *tantumque se auida exspectat Asia, vt etiam vocibus vocet: adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum &c.* hæc enim directæ orationi congruerent, obliquæ minus conueniunt. Certe Trogi iudicium communi scriptorum calculo reprobatum est. Directas enim orationes operibus suis, præter Sallustium, Liuium, Curtium, inserunt etiam Cæsar, Tacitus, & Græci. Vide Vossium de arte hist. pag. 107.

AVDIRE NOLIS) More *Principum* quorum *aures ita formatæ sunt, vt asperæ quæ vtilia, nec quicquam nisi iocundum & lætum accipiant*, vt ait Tacitus H. 3, 56, 6. quo sensu Iuuenalis sat. 4, 86. *quid violentius aure tyranni?* Caute itaque Demaratus (cuius exemplum & Raderus ad hunc locum adnotat) qui iussus dicere sententiam de Xerxis copiis, ita præfatus est: *Vera apud te, Rex, vtar, verane, an iucunda oratione?* Herodot. 7, 101. Quo respexisse putem Aristotelem, cum *Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit, vt cum eo aut varissime, aut quam iucundissime loqueretur.* Val. Max. 7, 2. quod idem dictum Xenophani Colophonio tribuit Hesychius in libello de viris Claris. Ita *Darysatis Cyri & Artaxerxis mater, cum qui libere cum Rege colloqui vellet, byssinis jubebat vti verbis.* Plut. in apophth. cap. 16. Bene igitur apud Senecam Suas. 1. monet Cestius: *non eodem modo in libera ciuitate dicendam esse sententiam, quo apud Reges: quibus etiam quæ prosunt, ita tamen, vt delectent, suadenda sunt.* Diuine Seneca de beneficiis 6, 30, 3. *monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi*

audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à consensu concentuque falsorum: & quæ eo loco sequuntur pulcherrime & sapientissime dicta. hinc illa *veri consilii periculosa libertas*, de qua queritur Philotas apud nostrum 6, 10, 26. Qua caussa recte monet Demosthenes in Olynthiaca tertia: πρὶν πᾶσιν παῤῥησίαν, μὴ συμπείσητε, τὸν εἰπόντα τὰ βέλτιστα ὑμῖν, ὑφ' ὑμῶν ἁπάντων βελτίστου. ὁ γὰρ εὑρήσετε. *Priusquam hæc* (quæ facienda dixerat) *acta sint, ne circumspicite, quisnam dum vobis optime consulat, à vobis interire velit: neminem enim reperietis.*

NEQVICQVAM) Plures editi, *nequaquam*, non ita probe. Sensus est; monita ista quæ nunc vsui esse possint, nisi iam proferantur, post acceptam, quæ, nisi prouideretur, immineret, cladem, nihil esse profutura. sic apud auctorem infra 3,4,3. *Arsanes quondam salubre consilium sero exequi statuit.* Ea enim occasionis vis est, vt prudentissimorum hominum consultis pondus & effectum, sola, si negligatur, eripiat. Eleganter itaque, & rotunde more suo Heinsius ille lib. 1. hist. Belgicæ pag. 30. *In Hispaniam, vt tarde pleraque, ita sero perferuntur.*

3,2,12. *NITET PVRPVRA AVROQVE*) Ita peruetus codex è cœnobio S. Vdalrici, quemadmodum & Modio lectum. Raderus. Bongarsianus quoque codex præfert; *auro.* Alii male, *nitet purpura aurumque*, recto casu, quasi non ad exercitum referendum esset id verbi. sic infra 3,10, 9. *aciem hostium auro purpuraque fulgentem.* Liuius 34, 3, 9. vt *auro & purpura fulgeamus.* De aureis autem armis aliqua notaui ad Florum 1, 16, 7. 2.

ARMIS) Ita constanter omnes editiones, nec de sinceritate scripturæ quisquam dubitat. Non placet tamen ista vox hoc loco, eo quod luxum armorum taxet hic Charidemus, non ipsa. Fulgor enim armorum non laudatus modo in militibus bonis, sed iussus etiam, & exactus. hinc Onosander cap. 28. *Videat etiam imperator, vt exercitus armis splendentibus fulgeat.* Et hinc adeo aciem Macedonum commendat ipse hic auctor mox 3, 3, 27. ab *equis virisque, non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære fulgentibus.* Præterea hic recensentur *aurum, purpura, opulentia*, quorum in censu quid *arma* faciant, non intelligo. Suspicor itaque pro *armis* legendum aut *gemmis*, aut aliud non absimile. Firmat noster infra 3, 3, 14. *vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas.*

3,2,13. *CLYPEIS HASTISQVE*) Coniunge his & compara legatorum Alemannorum orationem apud Nicetam in Alexio lib. 1. f. Phalangem Macedonicam eiusque armatum describit Xiphilinus in Caracallo in hunc fere sensum: *Comparauit* (Caracallus) *phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia: eamque phalangem Alexandri cognominauit. Hi vtebantur eodem armorum genere quo vsus Alexandro armati fuerant. Hæc erant galea facta ex crudo bouis corio, thorax ex lino triplex, scutum ex ære, lanceæ longæ, hastæ breues, crepidæ, gladius.* Hac fere armatura sunt ὁπλῖται Æliani tact. c. 48. Vim eius & robur exprimunt citati Radero Ælianus tacticor. cap. 14. Polybius 17,25. Liuius 9, 19, 7. Vegetius 2, 2. (quem tamen reprehendit quod phalangem constare dicat octo millibus, cum secundum alios constet sedecim) Appianus in Syriacis. Polybius iterum in fragmentis, vbi dicit; quod *L. Æmilius Paulus nunquam ante visa nisi sub Perseo demum Macedonica phalange, sæpe numero Romæ apud suos fassus fuerit, nihil se vnquam quicquam formidabilius spectasse Macedonum phalange, quamuis & multas, si quisquam alius, acies viderit, & multis ipse præliis decertauerit.* Cum igitur talis fuerit hæc acies, qualis apud citatos auctores describitur, consentaneum est, loco æquo eam quauis alia superiorem fuisse, iniquo autem & impedito incommodam & periculosam. quod & exempla demonstrant Philippi, Antiochi, Persei, apud Liuium 31, 39, 10. 37, 42, 4. 44, 41, 8. & 9. & Plutarchum in Flaminio cap. 12. Proprie igitur dicta phalanx fuit acies quadrata,

drata, constans ex sedecim hominum millibus, quæ tamen suas iterum partes habebat, in quas diuidi, & ex quibus iterum componi pro re nata poterat; atque hinc est quod in Curtio mox sequitur, *circumire, discurrere, in cornu mutare pugnam.* Ex hoc deinceps Macedonum inuento phalanx appellata fuit, omnis grauis armaturæ militum, scutis connexis consertorum acies. Recte igitur Scholiastes Iuuenalis ad illa verba Sat. 2, 46. - - *iunctæque vmbone phalanges*, Seruium reprehendit, quod phalangem Macedonibus idem significare putasset, quod legionem Romanis. Sed & ordo sexaginta quatuor curruum aut elephantorum *phalanx* dicitur. Ælian. tactic. cap. 22. & 23.

AD NVTVM) Non signum modo, sed & nutum. Nutum enim hoc loco non capio pro signis mutis, sed pro quolibet leui voluntatis indicio. Hoc enim in laudem Macedonum Charidemus, adeo compositum fuisse agmen, adeo exercitum, vt non signa tantum ducis, quod etiam mediocriter exercitis non ita difficile est, sed & nutum obseruarint, quod quidem exsertis verbis profert mox 3, 3, 27. *Intentum ad ducis non signum modo, sed etiam nutum.* Sic Claudian. de IV. consul. Honorii versu 87.

Qui modo tam densas nutu mouere cohortes.

quomodo fere apud Iornandem de rebus Geticis cap. 38. *diuersarum nationum ductores nutibus Attilæ attendebant, & vbi oculo annuisset, absque aliqua murmuratione, cum timore & tremore vnusquisque astabat.* Inter hanc tamen regiam Alexandri auctoritatem, & Attilæ tyrannicam, interest quod de populo Romano jactat Nazarius in panegyrico cap. 35. *Populi Romani vis illa & magnitudo venerabilis ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrenis exultat, non abiecta languide jacet; sed sic assiduis diuini principis monitis temperata est, vt cum ad nutum eius flexibilis & tenera ducatur, morigeram se non terrori eius præbeat, sed benignitati.* In hoc quoque sensu vox *nutus* est apud Florum 4, 3, 6. *vnius præsidis nutu, quasi anima & mente regi.* Idem requirit Seuerus ille Papirius apud Liuium 8, 32, 7. *Si ego tacitus abissem*, ait Fabio, *tamen tibi ad voluntatis interpretationem meæ dirigenda tua sententia fuerit.* Nescio an hunc sensum adsequutus sit Æneas Siluius in historia Europæ, vbi in descriptione cladis Varnensis, Huniadi attribuit hæc verba ferme Curtiana: *Illos* (Turcas) *aurea & discolori veste, Hungaros ferro atque ære fulgere, Christianum agmen & stare paratum & sequi, nec turba nec sarcinis prægraue, intentum quod dux non modo signet, sed etiam innuat.*

ORDINES SERVARE) Non hoc est, quod Raderus autumat, cui opponitur *deserere stationem in præsidio, vel locum in acie, aut profugere*, in quorum crimium reos fustis pœna constituta erat. nam quod ibidem obseruat de vite, ea nempe ciues mactari solitos, peregrinos tantum fuste, mihi nusquam lectum est; contra Apronium *decumum quemque ignominiosæ cohortis* (milites vtique Romanos, id enim præcessit) *sorte ductos, fusti necasse*, Tacitus 3, 21, 1. adnotat. Ordines itaque seruare hoc loco est, compositos incedere, iisque qui hoc didicerunt, non opponuntur, qui per metum aut perfidiam stationem suam deserunt; sed qui nondum ad hoc exerciti, per imperitiam, vagis incursibus, aut disiectas per cateruas aciem dirigunt: quales plurimi barbarorum, vt apud Liuium 24, 48. Numidæ, quos Statorius *proxime morem Romanum signa sequi, & seruare ordines docuit.* Germani apud Tacit. 2, 46, 3. qui *longæ* demum *aduersus Romanos militiæ, insuenerunt sequi signa, præsidiis firmari, dicta imperatorum accipere.*

3, 2, 14. *OMNES EXAVDIVNT*) Quidam putant adeo tacitos expectasse imperatoris sui præcepta, quod ego quidem, quale sit, haud capio. Nec enim ita imperatores vel à tranquillissimo exercitu, præsertim in ipso discrimine, exaudiri possunt, vt ludimagistri alicuius vox à discipulis. Certe de hoc ipso exercitu

citu infra 4, 13, 38. sic legimus: *hoc tantus exercitus exaudire non poterat, vsum auribus intercipiente fremitu duorum agminum.* Meminisse debuerant vocem *exaudiendi* apud veteres alio quoque significatu capi, vt idem sit, quod obedire. Sed de hoc verbo, dante DEO, in Indice, quo hæc atque talia proprie pertinent, pluribus agemus.

OBSISTERE) Iidem interpretes reddunt: *omni ope obnixi, & densata clypeis phalange simul in hostem, velut vna mole incumbere.* Ego non putem hoc velle Charidemum, sed nec Curtium adeo; quin *obsistere* non esse aliud quam consistere, vt obhærere, obtegere, obtorpescere, occanere, quandoque idem valent; quod simplicia à quibus deducuntur. Apud Plautum etiam in Milite 2, 3, 62. *Hic obsistam*, cum Pareo exponam consistam, quamuis repugnent alii. Crebro autem vsuuenit vt consistere jubeatur exercitus, ne quis à Curtio expositionem nostram alienam putet, ecce vnicum de hoc ipso duce, hoc exercitu, exemplum (plura enim adducere non minus putidum quam facile foret) infra 4, 12, 16. *Alexander cognito pauore exercitus, signum vt consisterent dari jubet.*

CIRCVMIRE) Possis intelligere ἐπιστροφὰς apud Græcos triplices, vel potius sexcuplas, trigeminas enim cernis apud Ælianum cap. 32. ἐξ ἀρχῆς ἐπ' ἀσπίδα, à primo statu ordinis ad clypeum, hoc est κλίσις seu declinatio conuersione, à primo habitu ad sinistram circuitio. Et totidem circuitionibus obuertebant se ἐξ ἀρχῆς ἐις δέξιον, hoc est, ad hastam seu ad dextram partem. [Vtriusque exempla reperias apud Xenophontem.] Possis tamen illud *circumire* accipere, pro circumuenire tota phalange hostem, vt infra 3, 8, 27. & alibi à Curtio vsurpatur. Ceterum conuersiones sunt duplices, seu ad dextram, seu ad sinistram, tum vel viritim tantum vertuntur, vel toti simul ordines & agmina. Raderus.

DISCVRRERE IN CORNV) Codices veteres quos vidi, omnes hunc locum ita interpungunt: *obsistere, circuire, discurrere, in cornu mutare pugnam.* Vnica Modii editio [imo & altera Lugdunensis, & vero tres Mss. Palatini, cum vno Bongarsiano] aliter distinguit, & illud *discurrere* coniungit cum illis, *in cornu*, & separat illa *mutare pugnam*, quæ mihi non displicet, si fulciatur auctoritate, quam forte ex codicibus Mss. accepit. Quod si illud *discurrere* separes à *cornu*, accipies verbum de conuersionibus duabus in dextrum latus & sinistrum, seriatim, non viritim. Ego coniungo & lego *discurrere in cornu* vti Modius habet. Ceterum cornua erant duo, dextrum, quod & princeps, sinistrum alterum: constabat vtrumque è lectissimo milite, eratque robur totius phalangis, adeoque exercitus vniuersi. Firmabantur autem cornua, cum ex subjectis & inferioribus ordinibus series aliquot jubebantur ad cornua transire, vt essent ordines bis mille quadraginta octo, cum primum tantum fuissent mille viginti quatuor, & hoc duplici fiebat nomine, vel vt [desunt quædam, forte, sustineretur labans acies, vel vt] hostes circumuenirentur. qua de re copiose Ælianus, qui & rationem mutandi exercitus erudite docet. Raderus. Illustrare potest hunc locum Frontin. Strateg. 2, 3, 10. *Xanthippus præcepit auxiliaribus, vt emissis telis cederent hosti: & cum se intra suorum ordines recepissent, confestim* in latera discurrerent, *& à cornibus rursus erumperent.*

MVTARE PVGNAM) Mutatio Græcis μεταβολὴ dicitur, [μεταχαμαιζειν est Æliano cap. 5. quod Curtio, *mutare pugnam*] cum vel singuli viritim à tergo in faciem vertuntur, vel tota acies simul vt nauis circumagitur, vt primi ad vltimos circumagantur, & vltimi primorem occupent locum. Sed ita vt habitus exercitus sit idem, qui ante ordinibus totis circumactis. Omnis μεταβολὴ duplicem habet conuersionem seu κλίσιν; prima est cum series ad latus seu dextrum seu sinistrum

ſtrum vertitur: ſecunda, cum à latere in tergum circumagitur. Vtraque rurſum duplex, vel ab hoſte, vel ad hoſtem. Cum viritim mutantur, appellatur μεταβολὴ ſeu mutatio; cum tota acies flectitur ἀντιστροφὸς appellatur. Plura Ælianus tacticorum cap. 25. Mutatur autem neceſſario pugna, cum hoſtis vel à latere, vel à tergo, vel ex obliquo occurrit, tum enim phalanx vel πλαγία, hoc eſt tranſuerſa; vel ὀρθία, recta; vel λοξὴ, obliqua inſtituitur. Exempla tabulis expreſſit Robortellus. Raderus.

NON DVCES MAGIS QVAM MILITES) Non abit à Curtio Iuſtinus 11, 6, 4. qui militi Alexandri hoc elogium condidit: *cum ad tam periculoſum bellum exercitum legeret, non iuuenes robuſtos, nec primum florem ætatis, ſed veteranos: pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruiſque militauerant, elegit: vt* [elegantius hæc particula omitteretur] *non tam milites, quam magiſtros militiæ electos putares.* Raderus. Prope igitur ad Fabiorum gloriam adſpirare poterat hic exercitus, de quibus Liuius 2, 49, 5. *Sex & CCC. milites, omnes patricii, omnes vnius gentis, quorum neminem ducem ſperneret egregius quibuslibet temporibus ſenatus.* Quantum autem in hoc ſit, dicat tibi Polybius 10, 22.

3, 2, 15. *PAVPERTATE MAGISTRA*) *Tantum virtutis paupertas aduerſus inſolentes diuitias habet.* Iuſtin. 20, 5, 3. Nam ſolet vinculum eſſe morum bonorum, quod & Demaratus innuit apud Herodot. 7, 102. *Græcia ſemper quidem atumna fuit paupertatis, hoſtes virtutis, quam à ſapientia accinit, & à diſciplina ſeuera, quam vſurpans Græcia & paupertatem tuetur, & dominatum.* vnde Iuuenalis Sat. 6. v. 295.

Nullum crimen abeſt, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. - - - & Florus 3, 12, 7. *Opes atque diuitiæ afflixere ſeculi mores.*

HVMVS CVBILE EST) Quemadmodum & Romanis. Seneca ad Heluiam 10, 3. *maiores noſtri, qui ſibi manu ſua parabant cibum, quibus terra cubile erat.* Id vergente diſciplina mutaſſe queritur Marcellinus 22, 6. *non ſaxum erat, vt antehac armato cubile, ſed pluma, & flexiles lectuli.* Rigidum iſtum morem cum multis laudaſſet Luciani Cynicus, ſubiungit, *contingat mihi, vt terra quæuis cubile mihi ſufficiat: domum vero exiſtimem, mundum: tum alimenta deligam paratu facilima.* Sic Polyb. 2, 17. Gallis tribuit τὸ ψιλοβαδικοιτεῖν, *in herba aut ſtramento iacere.* Sed idem iſte Macedonum exercitus quantum à dura hac virtute receſſit poſt Perſica ſpolia? oſtendit ipſe Alexander infra 8, 8, 9. *Totum exercitum aſpicite, qui paulo ante nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis.*

CIBVS QVEM OCCVPANT, SATIAT:) Nec milites tantum, ſed & ipſum Alexandrum. Frontinus ſtrateg. 4, 3, 9. *Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane veſci ſolitum. Idem & de Alexandro Macedone dicitur.* Vnde & regina Cariæ Ada fercula exquiſite confecta ad eum aliquando mittente: *meliores*, inquit, *obſoniorum ſtructores habeo, ad prandium antelucanam expeditionem, ad cœnam frugale prandium.* Plutarchus in Apophth. Hæc tamen continentia poſtea nimiis ſoluta eſt deliciis. Loccenius. Iactatur & altera lectio profecta ab iis, qui quid *occupare* ſit, minus intellexerant: *cibus quem occupati parant*, longius à ſenſu & dictione Curtii qui hoc dicit, Alexandri milites *nutrimentum quærere, non voluptatem*, ſicut hæc pulchre diſtinguit Maxim. Tyrius Diſſert. XI. *Ergo* & noſtræ opponit *occupandi* verbum, & *æſtimandi*. Indicem vide.

TEMPORA SOMNI) Idem de Taprobanæ incolis Plinius 6, 22 *Nulli in diem, aut interdius ſomnus.*

3, 2, 16. *THESSALI EQVITES*) Quos magni tum æſtimatos ſatis declarat callidi iſtius Philippi actio, qui apud Iuſtinum 9, 6, 8. *Theſſaliam non prædæ cupiditate, ſed quod exercitui ſuo robur Theſſalorum equitum adiungere geſtiebat, nihil minus quam bellum metuentem, improuiſus expugnat. vnumque corpus equitum (an equeſtrium?) pedeſtriumque copiarum inuicti exercitus fecit.* Adde Liuium 9, 19, 4. Ceterum equitatus Theſſalicus omnib. ſæculis fuit laudatus. Primum Herodotus 7, 196. Theſſaliæ equos celebrat. Herodoto accinit Statius Theb. 6. v. 332.

Quin & Theſſalicis felix Admetus ab oris
Vix ſteriles compeſcit equas &c. vbi eius interpres. Pauſanias vero equeſtrem Theſſalorum Martem prædicat in Phocicis. Virtutem Theſſalorum infra 3, 11, 14. collaudat Curtius, vti & Plutarchus in Alex. c. 40. vbi prœlium ad Iſſum deſcripſit. In hac etiam regione primos equos extitiſſe fabulantur. Nata eſt paroemia ἱππικώτερον ἢ κατὰ Θεσσαλικὴν, *Decentior equa Theſſalica.* paroemiographos conſule. Hæc fere Raderus. Adde Xenoph. hiſt. lib. 7. Θεσσαλοῖς τοῖς κρατίστοις ἱππάζεσθαι ἔναγχος δοκοῦσιν, *Theſſalis equitibus hominum opinione longe præſtantiſſimis.* Maximus Tyr. ſerm. 7. ait: *diſciplina Cretenſium eſt venari, montes ſuperare, ſagittare, currere: Theſſalorum equitare: Cyrenenſium aurigari: Ætolorum prædari: iaculo Acarnanes; pelta valent Thraces.* apud Strabonem lib. XI. Cyrſilus & Medius credunt ab Theſſalis rei equeſtris ſtudium ad Medos & Armenios tranſiſſe. Polyb. 4, 8. *Theſſalorum equitum impetus, quando turmatim, aut juſta acie pugnant, ſuſtineri non poteſt: ad pugnandum extra aciem pro loco & tempore viritim, inhabiles ſunt ac tenti. Ætoli contrario modo ſe habent.* Satyrus apud Athenæum 12, 9. Alcibiadem in omnibus excelluiſſe ſcribens, addit: *in Theſſalia equis alendis, & freno regendo, Aleuadis equeſtri illa diſciplina peritior:* Non omittendum hic eſt, quod Oroſius lib. 1. cap. 13. ſcribit: *Theſſalos Phaëthontis in lib. 1. incredibilium prodit à Lapithis creditos dictoſque fuiſſe centauros, eo quod diſſurrentes in bello equites, veluti vnum corpus equorum & hominum viderentur.* Cui rei non diſſimilis eſt Americanorum quorundam opinio, quam de equitibus primum ab ſe viſis conceperant.

ACARNANES) Quam bellicoſi fuerint, ex vno illorum facto diſcas apud Liuium 26, 25, 7. Raderus.

ÆTOLIQVE) Hi quoque ingentem equeſtris rei gloriam conſecuti ſunt. Polybius 17, 18. eos ceteris Græcis equitatu præſtare aſſerit: eodemq; loco victoriam Romanorum ipſis imputat. quod & Annibal facit apud Liuium 36, 7, 7.

INVICTA BELLO MANVS) Impenſe placet amici mei Ioh. Melchioris Cörneri coniectura; *inuicta ferro manus.* eam enim antitheſin poſcere videntur, quæ ſequuntur de *fundis & haſtis igne duratis.* Ferri tamen & vulgata lectio poteſt. ſic apud Virg. Æn. 4, 40. - - - *genus inſuperabile bello.*

FVNDIS) Eleuat quidem Curtius funditorum glandes & lapides: ſed longe alia aliis mens eſt & calamus. Quos omnes qui Radero citantur hoc loco ordine inuenias apud Lipſium de Mil. Rom. 5, 20. & Poliorc. 4, 2. & 3.

3, 2, 17. *SVAM NATVRAM*) Alii, *etiam naturam.* alii, *ſuam etiam naturam.* Mss. Danielis, Puteani, Pithœi, Faucheti, & Bongarſianorum alteri deeſt *ſuam*; quam vocem retinet alter Bong. cum primo & tertio Palatinis, & econtra vocem *etiam* omittunt. de ſignificatu phraſeos vide Indicem, dictione *ſuus.*

HOSPITEM AC SVPPLICEM) Quæ vtraque conſideratio flectere debuerat animum regis. nam & hoſpitii jus inuiolabile habebatur, & in ſupplicem ſæuire inhumanum.

VTILIA SVADENTEM) Seneca de ira 3, 14. f. cum retuliſſet hiſtoriam Præxaſpis, *Acceſſit itaque ad numerum eorum, qui magnis cladibus oſtenderunt, quanti conſtarent regum amicis bona conſilia.*

ABSTRAHI IVSSIT) Allusisse videtur morem Persarum quem in hac historia Diodorus expressit, lib. 17. cap. 30. *rex offensus baltheo apprehensum, ex lege Persarum, apparitoribus interficiendum tradidit.* Sic apud Xenophont. ἀναβάσ. 1. *Post hæc surgentes mediusfidius, atque in his etiam propinqui hominis, Cyro sic jubente, cum judicio necis, Zonam Orontæ prehenderunt.*

3,2,18. *IS IPSE)* Prior vocula est à MS. Bongarsi. quod minime otiosa videretur, addidi.

LICENTIA REGNI) Eiusmodi documenta multi dedere, effusius quam vt aut sibi expediret, aut suis: sic Arruntio apud Tacit. 6, 48, 3. *Tiberius post tantam rerum experientiam, vi principatus conuulsus & mutatus* dicitur.

NATVRAM DEDISCERE) Mutari quid in his verbis debeat? nihil ego video, sed nec velim. tamen conjicias è priscis Codicibus [nihil monuerunt amici de iis quos ipsi viderunt] aliter, *à natura desciscere.* minime profecto inepte, ac nescio annon vulgato non dicam equidem aptius, sed fortius, imo vero & venustius: si rem quidem ipsam, & simul phrasin spectes. A se quippe desciscit, qui se totum alteri permittit. Exit è sua, qui transit in alterius potestatem. Naturam suam exuit, qui induit alienam. sed hæc eadem confiunt interpretatione commoda etiam è vulgato. Nec ausim ipse, nec alii suaserim mutare. Acidalius.

3,2,19. *SERA DEINDE POENITENTIA)* Quæ vt stolida, ita nocens & exitiosa est: ideoque viris prudentibus diligentissime præcauenda. Vnde Tacitus 4, 11, 2. *Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu, & nullo ad pœnitendum regressu?*

3,2,20. *SEPELIRI IVSSIT)* Hinc colligas moris fuisse Persis, vt cadauera punitorum fere insepulta abiicerentur. Se tamen ea cognatis petentibus non negasse Augustus lib. 10. de vita sua scripsit, vt refert Vlpianus in l. 1. de cadau. punit. qui idem de sui temporis (vixit autem sub Pseud-Antoninis & Alexandro) obseruatione testatur, *eorum in quos animaduertitur, corpora non aliter sepelirî, quam si fuerit petitum & permissum. & nonnunquam non permitti, maxime maiestatis damnatorum.* Euseb. histor. Eccles. 8, 19. scribit, Maxyen quendam iudicem, Christianos ob fidem damnatos insepultos proiecisse; custodibus etiam additis, ne cadauera tollerentur, quam rem auctor vocat *extra naturæ leges progredî*, παρὰ τὸν τῆς φύσεως ἀνθρώπων. Idem de Pleminio queruntur Locrenses apud Liuium 29, 18, 11. Id autem non magnopere curauit Theodorus philosophus, *cui minabatur tyrannus mortem, & quidem insepultam. Habes inquit, cur tibi placeas: homina sanguinis in tua potestate est. nam quod ad sepulturam pertinet, ô te ineptum, si putas interesse, supra terram, an infra putrescam.* Seneca de tranquill. animi 14, 4.

3,3,1. *THYMODES)* De hoc Thymode, seu, vt alibi appellatur, Thymonda, eiusque patre Mentore, nobilissimo duce, vide Reineccii tomum tertium, vbi de ducibus Rhodiis agit, & de hac historia Arrianum 2, 1, 7. Sabellicus Ennead. 4, 4. Timoclem vocat, quomodo fere in Pal. sec. legebatur. ille enim, *Thimocles.* iterum eodem libro *Etymoclem* vocat Sabellicus, eique tribuit consilium quod infra 3, 8, 1. Græcis militibus adscribitur.

IMPERIVM, QVOD) Maritimæ nimirum oræ, cuius Satrapem Sardibus morari consueuisse Pausanias docet in Laconicis: αἱ Σάρδεις πλέτου τε πρὸ παρασκευῆ πρόσχρη. τῶτε Σατραπίνουν ἐπὶ θαλάσσῃ τῶτο δικητήριον ἀπεδέδεικτο, καθάπερ γε αὐτῷ βασιλεῖ τὰ Σῦσα. *Sardes diuitiis & apparatu excellebant: nam & eî qui imperium maris obtinebat, ea sedes erat constituta, quemadmodum ipsi Regi Susiorum urbs.*

3,3,2. *PER SOMNIVM)* Omnes passim veteres ac recentes scriptores coniurant somnia alia diuina, alia naturalia esse, quod & vera religio profitetur. Diuina alia vera, alia falsa; vera à Deo vel bonis mentibus suggeruntur; falsa & mala à malis geniis excitantur. possunt & spiritibus impuris subinde vera. multa habemus in sacris literis, quæ & rara sunt, & vera, naturalia quotidiana, & pleraque omnia vana. Curtius eodem modo species in somno obiectas vel ad naturam, vel ad diuinitatem refert, cum dicit, *siue illas ægritudo animi*, hoc est, curæ naturales & solicitudo rerum gerendarum & gestarum, *siue diuinatio animi præsagientis*, hoc est, DEVS vel spiritus faciunt & immittunt. Homerus de diuinis Il. A. versu 63,

- - - - - καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι.
Etenim somnium à Ioue est. De diuinis etiam Iamblichus de vita Pythag. cap. 15. Philostratus de vita Apollon. 2, 14. Cicero de diuinat. 1, 20. Macrobius in som. Scipionis, Antipho, Chrysippus à Cicerone citati, Philocius [an Philochorus, qui de diuinatione scripsit] Artemon, Serapion Ascalonites, citati à Fulgentio in Mythologicis, alii tractant. De naturalibus Lucretius, qui illis cum suo Epicuro omnem diuinitatem ademit, omniaque ad causas naturales refert. lib. 4. versu 963. & 966.

Et quoi quisque fere studio deuinctus adhæret,
In somnis eadem plerumque videmur obire.

Ita Aristoteles libro singulari de insomniis, somnia ait nasci ex reliquis earum rerum quas vigilantes sensu percipimus, quod & versibus Lucretius expressit lib. 4. à versu 975.

- - - - - *plerumque videmus*
Quem iam defecerit ea sensibus vsurpare,
Relliquias tamen esse vias in mente patentes,
Qua possint eadem rerum simulacra venire.

Idem Ennius, Claudianus præfat. in lib. 3. de raptu Proserpinæ, alii canunt. Legendus Tertullianus lib. de anima, & diligenter noster Pererius in Danielem disput. de varietate & veritate somniorum quæstionibus septem, vbi omnia quæ ad somnia pertinent, accurate excutiuntur. Curtius ergo in medio relinquit diuinumne, an naturale somnium fuerit Darii. Raderus. Similem fere historiam de Constantio Imp. in Iulianum mouente lege apud Marcellin. 21, 28. Sic antequam dimicaret, somniauit Pompeius, Plutarch. in vita cap. 113. Germanicus, Tacit. 2, 14, 1. Lipsius autem Polit. 5, 16. ex hoc loco Curtii monet Imperatoribus pugnaturis non omnino negligenda esse somnia. Multa autem de somniis, eorumque opinione apud Romanos veteres, collegit Dempsterus ad Rosini antiquitates Romanas 2, 2.

LÆTVM ID REGI SOMNIVM) Pertineant huc verba Marcellini, loco modo citato: *Id autem permutationem temporum indicabat, licet interpretantes placentia responderent.*

ARSISSENT) Vide num melius, *arsisse.*

3,3,3. *QVIDAM CONTRA)* Cum in mss. magna sit hoc loco varietas, eorumque nullus lectionem vulgatam, *quidam non ita*, iuuet; sed Palatinus primus particulam *non*; alii part. *ita* omittant, non improbe factiurus videbar, si lectionem istam *contra* reciperem, cum nec à scriptura abeat, & vsu loquendi sit probatissima, præterea Acidalio, quem & Raderus sequitur, vulgata potior vetiorque videatur.

FVLGOREM ALEXANDRO PORTENDERE) Operæ pretium est adnotare locum Dionys. 5, 45. *Ex pilis Rom. circa summa verucula emicabant flam-*

mæ, totisque castris fulgorem, non aliter ac facilæ, ad multam noctem reddebant, ex hoc ostento colligebant (vt & talium portentorum interpretes affirmabant, & facile quiuis conjicere poterat) ciuam sibi & splendidam à DEO portendi victoriam : quandoquidem igni cedunt omnia, & nihil est quod non ignis vi abjumatur. Hic primo notandum in Obsequentis cap. 9. vbi narratur hoc prodigium, expungendas esse duas voces; *in cælo* : deinde hoc præsertim, hanc perpetuam eiusmodi coniectorum fuisse rationem, quam secutus haud dubie & Plutarchus in Alex. c. 29. cum somnium Darii enarrasset, ita exponendum credidit, quem ideo pro ridiculo habendum non autumo, si post euentum explicauit somnium, quomodo & alia similia, ex supradicta ratione, ante euentum explicanda putasset. Vulgo enim ita sensêrunt antiquitus. Florus de Seruio Rege 1, 6, 1. *clarum fore, visa circa caput flamma promiserat.* Sic inter omina imperii Tiberiani relatum est, quod eo *per Macedoniam ducente exercitum in Syriam accidit, vt apud Philippos sacratæ olim victricium legionum aræ sponte subitis collucerent ignibus.* Sueton. Tib. 14, 4. Sic apud Virg. Æn. 7, 71. cum Lauiniæ caput arsisset, sequitur: *fore illustrem fama fatisque canebant.*

Adde Plutarch. Pompeio cap. 113. Marcellin. 23, 13.

OCCVPATVRVM ESSE, HAVD AMBIGERE) Plerique Mss. cum editione Aldina scribunt, *occupare habuissent, haud ambiguæ rei :* vnde Acidalius ἀναμφιοβήτως scribere ait: *occupaturum haud ambigue*, quæ lectio quamuis ratione non careat, mihi tamen cum Radero vulgata præplacet.

IN EODEM HABITV) Hic duo statim ex me quæret lector, primum quis apud Curtium fuerit is vestis habitus, quo Darius erat indutus, priusquam rex salutaretur : dein quis apud Plutarchum in Alex. c. 29. sit Astandes vel Asgandes. Vestis fuit non regia [satis id indicauit Curtius, his verbis: *Alexandrum deposita regia veste, in Persico & vulgari habitu perductum*] sed serui regii, cursoris nempe publici, seu veredarii, qualis erat Darius Arsis & Ochi regum. Is autem veredarius dicebatur Persis Angarus & Astandes. Suidas, Ἀστάνδαι οἱ ὁμοδέχης γραμματοφόροι, οἱ ἦσαν παρὰ Ἄγγαροι. τὸ ὄνομα Περσικόν. *Astandæ sunt tabellarii sibi jure hereditario succedentes, qui & Angari dicuntur : sunt autem nomina Persica.* Hesychius: Ἀστάνδης ἡμιοδόρμος. *Astandes est cursor diurnus, seruus in pedibus.* Iterum Suidas: τὰς τῶν βασιλέων ἀγγέλους nuncios regios appellat. Eustathius ad Homerum: κυρίως ἢ κατ' Αἰλιον Διονύσιον Ἄγγαροι οἱ ὁμοδέχης γραμματοφόροι, οἱ ἦσαν παρὰ Περσικῶς. *Angari secundum Ælium Dionysium proprie sunt tabellarij hereditarij, qui & ipsi (vt aiunt) Persice Astandæ dicuntur.* Hesychius βασιλικὸς γραμματοφόρος οἱ ὁμοδέχης nominat. Cursum autem publicum Cyrus instituit, vt auctores sunt Herodotus, & Xenophon lib. 8. παιδείας. Fuerunt ergo serui regii, vt Plutarchus de Alexandri fortuna dicit : Δαρεῖος ἦν σὺν ἔργον, ὃν ὁ δαίμων παρὰ Ἀστάνδου βασιλέως κύριον Περσῶν ἐποίησας. *Darius erat tuum* (o fortuna) *opus, quem ex Astandæ seruo regio fecisti dominum Persarum.* Et idem παρὰ φαλὴν ὑπόνοιαν Ἀστάνδου περιέθετο τὴν βασιλικὴν. *Exuta veste Astandæ induit regiam.* Proinde Curtius cum Iustino & Strabone videtur sentire, quando Darium Astandem facit, cum Diodorus Siculus illum ex stirpe regia, & Ochi regis fratre natum velit, & ex duello victorem, post Ochum, creatum regem. Dictus est ante *Codomannus* : Mihi potior Strabo, Iustinus, Curtius, quam Siculus. pro Codomanno alii legunt *Codanus.* Clemens vocat *Ochum,* Tertullianus *Darium Melam.* Fuit ergo seruus regum Arsis & Ochi, siue astandes, siue Ochi fratris filius, omnes enim etiam propinqui seruiebant Regi. Raderus.

3, 3, 6. *VETERA QVOQVE OMINA)* Quidam libri, etiam Mss. *omnia,* male. sic fere Tacit. 2, 78, 2. *Recursabant animo vetera omina.*

AD

AD EOS TRANSITVRVM) Simile est quod de Andronico Duca narrat Gregoras lib. 11. in fine. *De capitis tegumento apud superiores Imperatores moris erat, vt ætate prouectiores aulici proceres pileis turbinatis vterentur, serico tectis, pro dignitate : adolescentes vero omnes prorsus nudis essent capitibus. Illo vero Imperatore, te cuiusque : adolescentes vero omnes prorsus nudis essent capitibus. Illo vero Imperatore, is mos vsque adeo obsoleuit, vt omnes simul & adolescentes & senes pileis vterentur, non minus in palatio quam in agris : iisque multiformibus & peregrinis, & quales cuique prabantur : alij Latinis, alij Mysiis & Triballicis, alii Syriis & Phœniciis, suo quisque arbitratu. Eodem more in vestibus etiam vti sunt, vt prudentiores nouitatem aliquam & defructionem Imperii, & finem institutorum ac morum illius diuinarent.* Quæ præsagia fidem etiam suam in Germanis nostris impleuerunt, qui cum nullius fere nationis habitum non imitarentur, proximis annis, omnibus prædæ fuere. Respexit huc Curtius 6, 6, 4. de Alexandro : *vestem Persicam sumpsit, ne omen quidem veritus, quod à victoris insignibus in deuicti transiret habitum.* His bellis Germanicis obseruarunt quidam anno ante quam ab Hispanis Spirensium vrbs occuparetur, fœminas ibi gestasse collaria quæ Hispanica dicerent.

3, 3, 7. *QVOD EDEBATVR IN VVLGVS)* Nota hæc ars læros spargendi rumores, & tristissima quæque premendi, ne vulgi animi mutabiles subitis terrcantur aut mutentur, sed potius bona spe pleni, prompte atque alacriter jussa obeant. Exempla frequentiora notioraque sunt, quam vt hic referri vel possint, vel debeant.

3, 3, 8. *BVCCINA)* Machiauell. de arte militari pag. 144.

IMAGO SOLIS) Quæras fortasse quo metallo fuerit imago solis expressa, aut qua gemma lapideue pretioso? Crediderim abs regibus in crystallo circumlatum, ex puro auro fuisse expressum, celatum, elaboratum & expolitum, crystalloque veluti sacello clausum, vt oriente vero sole, & in crystallum aurumque incidente accenderetur, & ex repercussu solis per anaclasim incensus, altez Sol videretur, oculosque intuentium perstringeret. Aurum enim maxime Solem æmulatur & ignem, vt Pindarus αἰθόμενον πῦρ vocaret. Raderus. Solis imaginem insigni artificio fabrefactam coluit Chosroës Gazaci, quam cum templo eius, aliisque insignibus ornamentis delcuit Heraclius Imperator, vt auctor est Cedrenus. Porro hanc imaginem, de qua Curtius, non alio fini super tabernaculum regis collocatam fuisse arbitror, quam vt signum esset vel profectionis, vel pugnæ. quamquam enim, vt ait noster, *signum buccina dabatur,* exaudiri ab vniuerso exercitu non poterat, præsertim in tanta hominum multitudine : vt vel hinc mutuatus videri possit Alexander institutum suum, quod narrat Curtius 5, 2, 7. *Tuba, cum castra mouere vellet, signum dabat, cuius sonus plerunque tumultuantium fremitu exoriente haud satis exaudiebatur. Ergo perticam, quæ vndique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum : obseruabatur ignis noctu, fumus interdiu.* Vides hic omnia fere similia. Sed & aliis gentibus haud dispar consuetudo. Romanis erat *tunica coccinea quæ supra prætorium* itidem *expandebatur,* si Plutarcho credimus in Fabio cap. 26. de qua multa Lipsius ad Tacitum 1, 39, 3. & de militia Rom. 4. 12. quo pertinere videatur quod idem Plut. in Philopœmene cap. 7. recenset: *his erat præceptum vt quieti expectarent, dum ab altero cornu rex signum puniceæ tunicæ hasta sublata dedisset.* Apud Vopiscum in Aureliano cap. 24. *quum Heraclammon locum ostendisset aggeris naturali specie tumentem, qua posset Aurelianus occultus adscendere; ille conscendit, atque elata purpurea chlamyde, intus ciuibus, foris militibus se ostendit, & ita ciuitas capta est, quasi totus in muris Aureliani fuisset exercitus.* Sic de Rhodiis Liuius 37, 24, 3. in pugna nauali cum Annibale, *signo sublato ex prætoria naue, quo dispersam classem in vnum colligi mos erat.* Lysander apud Plutarch. cap. 17. *mu-*

uigiorum ſpeculatoriorum præfectis imperauit, quum ad medium perueniſſent curſum, ſuſ tollerent ex prora clypeum æreum, quod ſignum incurrendi eſſet. Eodem fere modo Demetrius Poliorcetes apud Diodorum 20, 52. *Signum pugnæ, de quo conuenerat, auratum nempe clypeum, omnibus per vices conſpicuum, extulit.* In pugna Antigoni cum Cleomene, quam deſcribit Polybius 2, 66. *ſignum inchoandi prælij, Illyriis quidem fuerat conſtitutum, vbi primum è proximis Olympo locis linteum attolli viderent: Megalopolitanis vero pariter & equitibus, cum primum Rex puniceum paludamentum attolleret.* Scipio Numantinis circumuallatis, ſuis imperauit, *vt quæ prima turris ab hoſte premeretur, prima vexillum extolleret, deinde mox aliæ eius exemplo idem facerent.* Appian. de bello Hiſpan. in eodem libro: *interdiu rubro panno haſtæ prælongæ infixo; noctu vero igni ſignum datum.* Xerxes apud Herodotum 7, 128. *conſcenſa naui Sidonia, quam ſemper conſcendebat quoties ei tale aliquid facere libebat, extulit ſignum ceteris nauibus proficiſcendi.* Xenophon pr. lib. 7. παιδείας de Cyro: *Præcepit etiam, vt ad ſignum reſpicerent, & æquali gradu ſequerentur. Erat autem ei ſignum, aquila aurea in haſta ſublimi extenſa. Et hodieque ſignum hoc à rege Perſarum adhuc retinetur.* Plura eiuſmodi vide apud Lipſium de Militia Romana 4, 12.

INCLVSA CRYSTALLO) Quomodo fere Romanorum aquila, ſacello cuidam paruo incluſa fuit. vide Dionem lib. 40. vbi de Craſſo.

3,3,9. *ORDO AVTEM AGMINIS)* Confer cum hac deſcriptione Herodotum Xerxis iter depingentem lib. 7. cap. 40.

IGNIS) Et originem ignis colendi, apud Perſas, & Pyrea, ſiue templa igni initiata, & foculos, ignemque æternum, ex optimis ſcriptoribus docuit vbertim Briſſonius de regno Perſarum à princ. lib. 2. vt operam luſurus ſim, ſi plura velim congerere. Raderus.

ÆTERNVM) Huic ſimilis fuit Veſtalis Romanorum, de quo vide Lipſium de Veſta. Notatis apud Briſſonium adde Max. Tyrium or. 38. poſt princ. *Igni ſacrum faciunt Perſæ, igni alimentum ſuppeditant, acclamantque πῦρ δέσποτα ἔδε, ignis domine comede &c.* Tiraquellus ad Alex. dies Genial. 4, 2. non abſurde putat, hinc fluxiſſe morem apud poſteriores Imperatores, quibus ignis præferebatur, de cuius prælatione idem ſcripſit ibid. 1, 2. falſus tamen in eo quod Martiæ quoque ex concubinis Commodi id tributum exiſtimat, verbis interpretis Herodiani, non recte acceptis. Sic enim ille 1, 50. *ſic vt præter ignem omnes honores velut Auguſtæ tribuerentur.* Hic inquam, Tiraq. non animaduertit, τὸ *præter* exceptiuum eſſe vocabulum, idque velle, excepto igne reliquos honores eſſe tributos. nam in textu eſt, πλὴν τοῦ πυρός. Porro neſcio quem (Cedrenum forte, an Euſebium) ſecutus Altiſſiod. Chron. auctor in deſcriptione Aſiæ tradit Nembroth poſt confuſionem linguarum in Perſidem ſeceſſiſſe, ibique cultum ignis inſtituiſſe.

3,3,10. *TRECENTI ET SEXAGINTA QVINQVE)* Chaldæi, Perſæ, Armenii, Syri, Hebræi, Ægyptii annum trecentis ſexaginta quinque diebus circumſcriptum habebant, niſi quod in illis quinque extremis variarent, quos alii aliis temporibus addebant. Perſæ veteres hodieque annum NEVRVZ nuncupant, quod ſolenne verni temporis ſignificat. Romani ſero admodum ad Perſarum & reliquorum in Oriente populorum rationem temporum acceſſerunt, cum ab vſque Romuli & Numæ æuo perturbata annorum, menſium, dierumque via progrederentur. Licinius Macer, & Feneſtella ſtatim ab initio duodecim menſium fuiſſe ſcribunt annum vertentem Romanum. Sed Iunius Gracchanus, Fuluius, Varro, Suetonius, Cenſorinus c. 20. & alii tradunt magis credendum, annum ab initio decem menſium fuiſſe, ab ipſo Romulo inſtitutum, nec plures quam trecentos & quatuor dies complexum eſſe. Numa Pompilius [vide Florum noſtrum 1, 2, 2. c.] adiecit vnum & quinquaginta dies, & ita continebat annus Pompilianus dies CCCLV. vnum amplius quam lunaris; vt autem reſponderet annus lunaris exacte anno ſolari, Numa Mercedonium voluit intercalari menſe Februario. Ex vno autem & quinquaginta diebus confecit duos menſes, Ianuarium & Februarium, quos menſibus Romuli præfixit, vt Ianuarius eſſet primus, Februarius ſecundus, Martius (qui antea fuerat primus) tertius, & ita deinceps. Hæc copioſe ex multis ſcriptoribus contra alios auctores oſtendit, confirmatque Iacobus Chriſtmannus ad Alfraganum. Iulius Cæſar in emendatis faſtis aſſignauit anno dies 365. cum quadrante ſiue horis ſex, quem Eccleſia ſecuta eſt. Sed quia tropicus annus qui certiſſimus eſt, ex mathematicorum effatis non continet integrum quadrantem vltra 365. dies, ſed horas duntaxat 5. ſcrupula ſeu minuta 49. ſecundas 16. (quæ magnitudo anni media eſt inter maximam & minimam) factum eſt, vt tot ſæculis à Iuliano æuo æquinoctium ſedem ſuam priſtinam, quæ erat dies 21. Martii deſereret, & ad diem vndecimum peruenirent. Sed has minutias ſatius erit attigiſſe quam explicaſſe. Qui plura deſiderat, Chronographos, quorum magna eſt copia, poterit adire. Raderus. Vide omnino Scaligerum Canon. Iſagog. lib. III. pag. 308. & de emendatione temporum lib. 3. vbi de Neuruz periodico veterum Perſarum. habet & Lindenbrogius aliqua ad Cenſorinum de die natali cap. 19. & Alexander in Genial. 3, 24.

3,3,11. *CVRRVM DEINDE IOVI SACRATVM)* Fuit cum exiſtimarem legendum eſſe *Soli ſacratum*, ex Iuſtino 1, 10, 5. *nam & Solem Perſæ vnum Deum eſſe credunt: & equos eidem Deo ſacratos ferunt.* Sic 2. Reg. 23. vbi de equo & curru Solis. Sed conſtat ex tot aliis auctoribus non hunc ſolum habuiſſe DEVM, ſed & alios, de quibus Briſſonium lib. 2. vide. ita vt potius credam Iuſtinum quo reliquis ſcriptoribus conſentiat, explicandum eſſe, vt verba *vnum Deum*, non velint, ſolum atque vnicum, ſed potius vnum ex diis. quomodo apud Tacitum 12, 5, 3. *vnum ſe ciuium*: & Florum 4, 12, 33. *vnum principum*, ſic apud Iuſtinum *vnum Deum*, vt iſtud *Deum* ſit ſecundus caſus pluralis numeri.

ALBENTES VEHEBANT EQVI) Album colorem etiam Romanis ſacrum fuiſſe oſtendunt apud Agellium 10, 15. verba M. Varronis ex ſecundo rerum diuinarum ſuper flamine diali hæc: *Is ſolus album habet galerum, vel quod maximus eſt, vel quod Ioui immolata hoſtia albato fieri oportet.* Ceterum de his aliiſque ad Perſas pertinentibus, quæ ad auctoris noſtri explicationem facere videbantur, non eſt vt quiſquam poſt ſummum virum, BRISSONIVM quicquam dicat, qui hæc omnia accuratiſſime ſimul, doctiſſimeque tribus de regio Perſarum principatu libris complexus eſt. quem ideo cuiuis hiſtoriæ Perſicæ, vel etiam Curtianæ ſtudioſo, diligenter euoluendum eſſe cenſeo. Sed quod de equis albis fertur, eos apud Romanos diis fuiſſe ſacros, atque adeo exemptos hominum vſibus, vt etiam Camillo quadrigis albis triumphanti grauis inde inuidia conflata fuerit; id ego ad Florum 1, 5. 6. n. & in Indice eiuſdem auctoris, voce *equus*, adductis aliquot auctorum locis refutaui: adeoque contrariam iſti ſententiam foui, vt etiam hoc inter ſolennia triumphi fuiſſe cenſerem, albis quadrigis inuehi. Sed negat diſerte Plutarchus, & de eodem Camillo in vita cap. 11. *triumphum duxit cum alias ſuperbum, tum quod curru quatuor iuncto equis albis ſit inuectus, nullo exemplo vel priorum vel inſequentium imperatorum. Sacrum enim eum currum* (quadrigas nimirum albas) *habent, deorum regi & patri dicatum.* cui concinit auctor de viris illuſtr. cap. 23. qui & accuſatum eo nomine innuit: *poſtmodum eſt crimini datum, quod albis equis triumphaſſet, & prædam inique diuiſiſſet; die dicta ab Lucio Appuleio Tribuno plebis, damnatus, Ardeam conceſſit.* Quorum tamen ea non eſt auctoritas, vt contra tot vetuſtiorum certiorumque, hac qui-

quidem in causſa, teſtium conſenſum quicquam illi tribuendum putem, præſertim cum auctores habeam, præter eos quos dictis locis citaui, iterum Ouidium de Ponto 2,8,49.

Sic tibi mature fraterni funeris (an vulneris?) vltor
Purpureus niueis filius inſtet equis. Tibull. 1,7.
Portauit niueis currus eburnus equis.

Claudianum de bello Getico verſu 127.

Qui captos reges niueis egere quadrigis.

Nec minus clare Plinius in panegyrico cap. 22. *hoc ipſum, quod ingreſſus es, quam mirum laetumque? nam priores inuehi & importari ſolebant, non dico quadriiugo curru, & albentibus equis, ſed humeris hominum, quod arrogantius erat.* Sueton. Ner. 25, 1. *Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit.* Primum tamen Camillum ita triumphaſſe facile largiar ex Liuio 5,23,4.

3,3,13. *IMMORTALES)* Briſſonius lib. 1. pag. 127. Hos & *inuiolabiles* appellatos fuiſſe, tradit ex Diodor. lib. 2. Reineccius in regno Perſico. Alii ſunt apud Herodotum 4,93. immortales, Περσῶν nimirum οἱ ἀθανατίζοντες, ideo ſic vocati, *quod mori ſe non putent, ſed eum qui defunctus eſt, meare ad Zamolxin.*

MANICATASQVE TVNICAS) Signate dixit *manicatas*, vt mollitiem & delicias luxumque Perſarum notaret. militaribus enim viris parum conueniebant manuleatæ tunicæ. quapropter apud Virgilium lib. 9. Æneid. v. 614. Numanus Remulus Turni affinis, Aſcanio (non Aſcanius ſuis, vt perperam cætera doctus vir ad Caſſandram Lycophronis ſcripſit) & Phrygibus, probri ergo, obiecit cultum & manicatas tunicas. id quod Macedones poterant Perſis dicere.

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis,
Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choreis,
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, (nec enim Phryges) ite per alta
Dindyma. - - - -

Cæterum Romanis quoque vitio datum, ſi manuleatas tunicas geſtarent: Cicero oratione in L. Catilinam ſecunda c. 10. *quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talaribus tunicis, velis amictos, non togis &c.* Seneca de Epicuro Epiſt. 33,3. *Apud me vero Epicurus fortis eſt, licet manuleatus ſit.* D. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana. l. 3. c. 12. *talares ac manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat: nunc autem honeſto loco natis, cum tunicati ſunt, non eas habere flagitium eſt.* Agellius l. 7. c. 12. eleganter de manicatis & chirodotis tunicis tradit: Eſt & apud Ennium & Plautum in Pſeud. 2,4,48. mentio manicatarum ſeu manuleatarum tunicarum. Apud Plautum contendunt multi ſcribendum *maniclatam tunicam*, vti & apud Senecam. Nonius Marcellus eandem deſcribit. *tunica eſt veſtimentum ſine manicis.* Plautus ideirco *manuleatam* addidit, ne impropriè vteretur. Ennius probro Carthaginenſium *tunicatam iuuentutem* voluit dicere. Græcis ἔξωμις, eaque duplex, ſine manicis altera, & altera cum manicis, vel una vel duabus, quas μασχαλίσς καὶ ἀμφιμασχάλις καὶ ἑτερομασχάλις dicebant, de quibus videbis Meurſium ad Caſſandram Lycophronis. Heſychius exerte deſcribit Ἀμφιμάσχαλον χιτῶνα χειριδωτὸς ἐλευθέρων ὡς Πλάτων, δύο χειρίδας ἔχων, ἃς μασχάλας ἔνιοι καὶ νῦν λέγουσι. *Amphimaſchalus eſt tunica manicata ingenuorum (vt Plato docet) duas manicas habens, quas hodieque maſchalas vocant.* De his eſt ille locus Xenophontis lib. 8. Cyripæd. καὶ οἱ ἱππεῖς ὁ πᾶς πᾶσαν καθαιβεβηκότες ἀπὸ τῶν ἵππων καὶ διηκότες τὰς χεῖρας διὰ τῶν κανδύων, ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι διέρχονται ὅλαι ὁρᾷ βασιλεύς. *Aderantque omnes equites, qui ex equis deſcenderant, inſertis manibus per ipſos candyas, vti & nunc quoque (manicis) inſerunt, quando à rege videntur.* Hic obſerua lectorem perperam hactenus ab interpretibus Xenophontis translatam eſſe vocem διηκότες *ſublatis manibus* vel *exertis*, cum plane ritus & mos Perſarum contrarium ſenſum deſideret. Xenophon ſcripſerat διηκότες à διήκω *infero, inſubulo*, non διηκότες, vel διηκότες *tollentes manus*, vel *ſublatis manibus.* Lego enim, more Perſarum, quicunque in oculos regum incurrebant, manicis manus inſeruiſſe, vt rex, opinor, tutus illos tranſiret, aut in conſpectum illorum prodiret. Quod vſque adeo ſeuere cuſtodiebatur, vt qui id non feciſſent, morte punirentur, cuius rei teſtis eſt Xenophon, qui narrat à Cyro minore regnum affectante, non aliam ob cauſſam Autobæſacem & Mitræum interfectos fuiſſe, quam quod ei occurrentes manus intra manicas non contraxiſſent, quæ reuerentia ſolis regibus debebatur, vt in hæc verba docet Xenophon. hiſt. Græc. l. 2. poſt pr. *Hoc quoque anno Cyrus Autobaſacem interfecit & Mitræum filios Dariæ ſororis Xerxis patris Darii, quod ſibi occurrentes manus intra (κόλπα) manicam non contraxiſſent ſeu continuiſſent. Eſt autem κόλπος ſeu manica longior quam manus, adeo vt cum quis manum intra illam continet, facere omnino nihil poſſit.* Securitatis ergo cauſſa fiebat. Eodem igitur modo debebant & equites manus intra candyas & veſtes continere, quod verbum διήκω oſtendit. traiectas puto fuiſſe intra manicam manus, vt hodie apud nos fit, quam vocamus manicam Schliefferſeitt. Raderus. Vide & Briſſonium lib. 1. pag. 39. & in primis pag. 16. vbi eadem obſeruat in locis Xenophontis, quæ hic Raderus. Sed & Leunclauius in notis ad Xenophontem ita legendum coniecit. Manicas porro Græculis ſæpe objicit Luitprandus in Legatione.

3,3,14. *COGNATOS REGIS APPELLANT)* Reuera enim non fuerunt, ſed honoris cauſſa ita dicti. vide Briſſon. lib. 1. p. 132. cui pag. 71. vbi de conuiuio cognatorum. συγγενικὸν ἔρανον Athenæus appellat, addendus eſt locus eiuſdem dipnoſophiſtæ 3,28. φιλήσας δ' ἐν τοῖς Ἀπίκτοις, σπολὴν καλεῖσθαί τινα ἄρτον, ὃν μόνοι τῶν συγγενῶν μόνοι καταναλίσκουσι. *Philetas in Atactis Spolen vocari panem tradit, quo ſoli cognati veſcuntur.* quomodo & ſupra lib. 1. γάμβριον σπλῆν nominat, quæ ſecundum Caſaubonum cap. 23. ſolis Magni Regis generis proprie competebat. Idem ad Athenæum, animaduerſ. 2, 9. falſum putat appellationem cognatorum honorariam tantum fuiſſe, ſine vlla rei veritate. De qua re ita ſentio, fuiſſe qui reuera regis cognati & eſſent, & dicerentur: indeque etiam præcipuis honoribus & emolumentis gauderent; at in horum poſtea nomen & veluti gradum, honoris & virtutis cauſſa adſcitum eſſe magnum aliorum numerum, qui dicerentur cognati Regis, non eſſent, atque ita prout quæque occurrunt, vel de his, vel de illis accipienda eſſe: inter quæ & conuiuium, & inprimis panem cognatorum ad priores pertinere arbitror. hanc differentiam inculcare videtur ipſe Curtius: cum enim hic *cognatos*, honorario vocabulo vſurpaſſet; mox num. 21. ſubjicit: *dextra læuaque regem ducenti ferme nobiliſſimi propinquorum comitabantur:* ex quibus etiam fuiſſe puto *decem* illos *legatos*, quos *cognatorum principes* appellat infra 4,11,1. quomodo fere de Ocho rege Iuſtinus 10,3,1. *regiam cognatorum cæde & ſtrage principum replet.* vbi de cognatis proprie dictis ſermonem eſſe, ſatis oſtendit Socer meus. quemadmodum apud eundem auctorem 11,15,7. querela Darii *vitam ſibi à cognatis ereptam, quibus & vitam & regna dederis*, vix de aliis intelligi poteſt.

3,3,15. *DORIPHORI)* De Doryphoris & Melophoris corporis regii cuſtodibus, qui ex Immortalium numero erant, vide præcipue Briſſonium lib. 1. pag. 128. & 129. vbi quod de Melophoris inter Alexandri ſatellites dicitur, confirmari etiam poteſt ex Polyæni lib. 4. inter ſtrategemata Alexandri num. 24. ſic autem diſtinximus, pauciores edd. hac in parte ſecuti cum curam excipiendæ veſtis regiæ ad eos, vtpote corpori regis proximis, aliaque ſimilia miniſteria obeuntibus,

pertinuisse, colligere liceat ex iis quæ de eorum officio Brissonius adnotauit. Vnde etiam in eam militiam iuuenes ætate atque forma florentes lecti sunt, quod apparet vel ex Polycleti Doryphoro apud Plinium 34, 8, 10. quem fecit *viriliter puerum.*

CVRVM REGIS) Augustin. quæst. ex vtroque testam. cap. 115. *Regibus Iudæorum mulæ placuerunt ad sessum: Romanorum autem non mulæ, sed equi: Garamantum autem, qui supra Tripolim Africam sunt Regibus tauri placuerunt ad sessum. Persarum vero reges vehiculis feruntur. Nam veteres reges Persarum nec videbantur à populis. Et reges Madian camelis delectantur ad sessum, ita vt & colla eorum aureis exornentur torquibus. & Africani asinis malunt insidere quam equis.* sic apud Xenophontem. ἀνάβασ. 1. Cyrus exercitum Ciliciæ reginæ ostensurus curru vehitur.

3,3,16. *ALTERVM NINI, ALTERVM BELI)* Cum veteres plerique habeant *alterum in, alterum belli* (ex quo correctores fecerunt, *alterum patris, alt. b.* sicut & apud Plin. 35,10,35. est imago Belli) & in auctorem nostrum, & in magnum Scaligerum iniurium me fore credebam, si certissimam eius emendationem non reciperem. Vide ipsum in Addit. de Emend. temp. pag. 751. Quamquam ne quid dissimulem, moueri quis possit eo, quod Arrianus 3,3,1. & 7,3,1. scribit, Alexandrum, Babylonem ingressum, instaurasse templum Beli, quod Xerxes diruisset. vnde suspicari possis, Persas haud magnopere honorasse Belum ipsum, neque perinde Darium eius effigie currum suum exornari voluisse. Sed dici possit, Xerxem diruisse templum illud odio gentis, non ipsius Dei: sicut nec hodie ab eorundem sacrorum cultoribus, templis abstinetur: deinde Persas, etiamsi pro Deo forte non habuerint, habuisse tamen pro viro magni & excelsi animi, adeoque pro fundatore imperii, in quod ipsi successerint. Potest & videri Xerxes, etiamsi pro Deo cum coluisset, ira atque indignatione infelicis expeditionis, deserorum conatuum à Deo suo pœnas exegisse. euertit enim eam ædem, vt Arrianus ait, cum ex Græcia rediisset, quamquam Ælian. hist. var. 13,3. id factum innuere videatur aliquanto prius, adeoque eam ipsam cladem Xerxi tum significatam fuisse, cum sepulchrum Beli diruisset. Hoc etiam Scaligeri emendationem iuuat, quod animaduertere licet, *Beli* nomen alibi etiam pari modo fuisse corruptum. v. g. apud Eil. Gyraldum lib. de annis & mensibus, sic legitur: *In græca vero historia mille fermè & CCC. habet ab ipsius belli* (pro *Beli*) *principatu.* Et in Dion. Afri Geograph. pag. 55. f. cuiusdam veteris editionis idem vitium obseruaui. Sed & apud Cæsarem Cin. 2,25. portam *Beli* potius Vticæ fuisse, quam *bellicam* putem. Sicut in Herodoto 3,155. & 158. fuerunt *portæ Belides* Babylonæ.

AVREAM AQVILAM) Signorum militarium & insignium, regibus primum & antiquissimum reor aquilam auium reginam fuisse; Iouem imaginis auctorem ferunt, cum illam adhibuit in bello contra Titanas, inde ad Getes, ab his ad Troianos, à Troianis in Latium demum ab Ænea deportatam. Vlysses Aldrouandus Lipsium sequutus, ipsos Romanos inuentores huius imaginis, & vsus constituit. Noster Delrius Romanos à Persis aquilarum vsum sumpsisse censet, quod nec Lipsius inficiatur. Quod mihi vero non procul videtur, cum Persæ multis ante Romanos annis aquila sint vsi, vti Xenophon de vtroque Cyro scribit: de priore VII. παιδ. *Erat ei signum aquila aurea, in hasta longa extensa, ac nunc quoque ipsum hoc insigne Persarum regi manet.* Idem in Cyro minore, 1. ἀναβάσ. *Regium insigne se videre dicebant, aquilam auream in pelta super hastam extensam.* Si Senecæ credendum, fuit aquila iam in castris ante bellum Troianum. Sic enim ille Theb. v. 389.

tota nec datis sterit

Acies

Acies in armis: Area, iam bellum cient,
Aquilaque pugnam signifer mota vocat.

Sed cum Statius nullius aquilæ meminerit in tota sua Thebaide, Seneca hoc non ex Græcorum vsu, sed Romanorum more loquutus videri potest. Magna mihi copia esset narrandi, de his aquilæ insignibus, & religione, altaribusque, de quibus & Cicero aduersus Catilinam scripsit, & innumeri alii. ego actum non agam, præsertim cum & Gesnerum in promptu habeas, & post Gesnerum diligentissimum ornithographum Vlyssem Aldrouandum. Raderus. Vide Lipsi. de Mil. Rom. 4, 5. De aquila aurea in pelta est & Philostrati locus in Heroicis, cap. de Themistocle: τὸ σημεῖον τὸ βασίλειον, ὁ χρυσῆς ἐπὶ τῆς πέλτης ἀετός. *Signum regium in pelta, aurea aquila.* De ipsa autem aquila consuli possunt & notæ Henrici Salmuth in Pancirolli res deperditas.

3,3,17. *CVLTVS REGIS)* Quod antea monui, repeto, pro omnibus ad hæc talia sufficit vnus Brissonius: nos ea saltem subinde addimus, quæ ille non videtur aduertisse.

PVRPVREÆ TVNICÆ MEDIVM ALBVM) Brisson. lib. 1. pag. 37. cui addendus Hesychius: Σάραπις, περσικὸς χιτὼν, μεσόλευκος. *Sarapis, Persica tunica, semialba.* Pollux: ὁ δὲ Σάραπις τὸ φόρημα πορφυροῦν, μεσόλευκος χιτών. *Sarapis amictulum purpureum, albo distincta tunica.*

3,3,18. *ACCIPITRES)* Voluit Darius pallam accipitribus ornari, quod Darius prior omen imperii ex accipitribus, vt Herodotus l.3. c. 76. est auctor, accepisset. Raderus.

CORRVERENT) Ita in scriptis legi testatur præter alios & Palmerius ad Sallust. Iug. 59,3. vt quamquam in aliis legatur *concurrerent*, hanc lectionem non immerito vulgatæ antehabuerimus. ipsa vox explicabitur in Indice, quo hæc omnia remitti commodius atque decentius videbatur.

3,3,19. *CIDARIM)* Vide Brisson. lib. 1. pag. 32. Alex. dies genial. 1, 28. & 5,18. Cidaris seu regii Diadematis apud Persas formam exprimi curauimus in frontispicio editionis Cornelii Taciti depictam ab amico nostro Iesaia Rumplero, viro, quamquam gloria carminum Germanicorum præcellat, etiam pingendi peritissimo, ex numno apud Anton. Augustinum.

PERSÆ VOCABANT) Legerim *vocant.* sic infra 3,13,7. vult Persas seu Parthos adhuc sua ætate ea appellatione vsos.

HOC CÆRVLEA FASCIA) Omnia quæ vidi exemplaria, & quæ non vidi, sed ex fide aliorum visa, etiam Mss. habent, *hoc cæruleæ fascia albo distincta circuibat.* Modius vel imprudens errorem silentio transmisit, vel dissimulauit. Acidalius ex Lipsio animaduertit, & conatus felix esse præ Lipsio Sulla, atque ex cærulea facit *erubea*, & *mihi*, inquit, *quod possis valde blanditur* addit idem modeste, *nondum tamen etiam satis se probauit.* Nempe suum cuique pulchrum. alii conjicium legendum *hocce rubea*, nam quid est *erubea*, an vox in Latio cognita? cum nec rubeum Latina ciuitate sit donatum: acutissimus Lipsius ad Tacitum 6, 27, 2. vel *coccinea* pro *cærulea*, vel *cæruleum*, vt referatur ad cidaris insigne, scribi posse existimat. Sed & ipse damnat fere suam coniecturam, nec Sullæ cognomen hic sibi ominatur, quod illi omnino Acidalius abiudicat, sibi transcriptum (quamuis timide, quasi diuinaret infelicem coniecturam) & vitiose colligit particulam, se, sic intendere, cum semel apud Virgilium Georg. 4, 145. simplicique vice apud Ouidium, & Ausonium augeat simplex verbum, vt gelido sit frigidior *egelidus Boreas*, & *egelidum flumen*, & *edurus* pro valde durus. [ita Plinius sæpius.] Faceret probabilem scripturam, si ostenderet vsum nominis *erubeus.* Quid ergo, inquis, tu censes?

Sphingem mihi optem. Curtius album & atrum narrat, cum hic *cæruleum*, mox 6, 6, 4. *purpureum* ponit: *purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat*, capiti circumdedit. Sed omnia exemplaria ita conspirant, vt propemodum σφάλμα ἀμνήμονος, Curtiumque ἀμνησίας, seu immemoria lapsum putem, quemadmodum & infra 3, 4, 11. peccauit in Lyrnesso Ciliciæ vrbe, vti suo loco admonebo [mutauit tamen sententiam, nam ibi Curtium defendit] sed Curtium, vt benignius interpretemur, scripsisse reor; *hoc cæruleum fascia purpurea albo distincta circuibat*, vt etiam tiaræ colorem exprimeret, librarii vitio vocem *purpurea* præteritam. Ita insigne regium tribus coloribus illustre magis eminebat, albo inquam, rubro, & cæruleo. Sed mittamus incerta, & ad diadematis descriptionem veniamus. Diadema si notationem verbi & originationem spectes, à Græco est διάδημα, redimiculum seu fascia, à *διαδέω reuincio, cingo, redimo*. διάδημα tandem ad regum tantum transiit insignia. Forma diadematis non fuit nisi fascia candida & tenuis, qua regum frontes cingebantur, qualis in priscorum regum iconibus visitur. Lucianus colloq. Diogenis & Alexan. ταινίαν λευκὴν, *candidam tæniam* seu *fasciam* dicit. Suetonius Cæs. 79, 2. *candidam fasciam*. Silius l. 16. v. 242. *vittam albentem*. [vide Paschal. de coron. 9, 4.] Ammianus, *fasciolam candidam*. Valerius 7, 2, 5. ext. *pannum*. Stobæus φάκος. *regni insigne*, Curtius 7, 5, 24. *Decus capitis sui*, 5, 8, 13. vt & Seneca appellauit, Liuius 30, 12, 8. *regium insigne* Tacitus 2, 56, 3. *regium decus* Sallustius, *regiæ frontis notam* Seneca, *frontem regium in morem redimitam* Florus 3, 19, 10. *albatum diadema* Egesippus. Raderus. ex Brissonio fere lib. 1. pag. 34. vbi plura. Vetus interpres Leuit. 8, 9. את־המצנפת interpretatur *Cidarin*. quam describit Alex. ab Alex. pag. 109. f. & 719. a. & ad eum Tiraquell. Non prætereo quod Nouus Cogitator ad Tacitum 2, 56. num. 7. Curtium ita explicat, vt *cæruleam fasciam* interpretetur purpuream, atque hoc significatu vocem eam aliquoties apud auctores reperiri dicat. Verum cum apud me haud magna istius hominis sit auctoritas, & alioquin locus Apulei lib. 9. Metamorph. quem ille pro sua opinione citat, non habeat *cæruleus corruens*, sed *cernuus*, quod verbi ad eiusmodi casus repræsentandos idem auctor & alibi adhibuit, sufficit mihi indicasse locum vbi ista disputat, & integrum lectori iudicium relinquere. *Purpureum* tamen colorem esse diuersum à *cæruleo*, Cicero quoque docet, Academ. 4, 33. respiciens ad locum Arist. de mirabil. auscult. cap. CXVI. quamquam amicus aliquis in Epist. ad socerum meum p. m. scripta 9. Kal. Octob. 1637. velit à Latinis Scriptoribus *mare cæruleum & purpureum* eodem sensu dici. Sic hyacinthos Ouidio X. Metam. *purpureos* dici; Columellæ lib. X. *cæruleos*: Numidicas gallinas à quibusdam esse dici crista *rubra* guttis distincta, meleagridas *cærulea*, quas tamen veterum quidam habuerint pro iisdem.

3, 3, 20. *HASTATORVM*) ἀιχμοφόρους appellat Herodotus, quales & Xerxes habuit, quos equites fuisse non decerno, cum de peditatu speciatim subiungat Curtius. Sed Herodotus videtur pedites fecisse ἀιχμοφόρους. Raderus.

3, 3, 22. *SYSIGAMBIM*) Diodoro 17, 37. est Σισυγαμβεῖς.

REGINAS) Matrem & Vxorem opinor tantum reginas appellat. Quamuis enim legibus Persarum Regi, proceribus etiam, fas fuerit, non solum quot vellent pellices legere, sed legitimas vxores ducere (vti Cicero in Verrem lib. 5. confirmat, & Herodotus l. 3. c. 88. Dario quatuor vxores fuisse narrat) Dario tamen huic vltimo, non nisi vnicam fuisse intelligo. Raderus.

3, 3, 23. *ARMAMAXAS*) Persicæ mulieres & lecticis, & carruchis, quas proprio ac speciali nomine Harmamaxas vocant, vehebantur. Maximus Tyrius sermone 34. ἁρμάξεις πάσας Μηδικὴν, καὶ τράπεζαν βαρβαρικὴν, καὶ Ἁρμαμαξαν

ξαν Περσικὴν: *miraris tiaram Medicam, & mensam Barbaricam, & harmamaxam Persicam*. Xenophon. lib. 3. παιδ. ἀναβαίνοντες ἐπὶ τὰς Ἁρμαμάξας σὺν ταῖς γυναιξίν. *adscendentes in harmamaxas cum vxoribus*. Item lib. 4. παιδ. καὶ ἁρμαμάξας γυναικῶν πολλὰς. & fin. lib. 6. καὶ αἱ γεράπαιναι λαβοῦσαι αὐτὼ ἀπῆγον εἰς τὴν ἁρμάμαξαν. Item lib. 7. παιδ. ἀνελομένη τὸ νεκρὸν, καὶ ἐνθεμένη εἰς τὴν ἁρμάμαξαν, ἐν ᾗπερ αὐτὴ ἀχέετο. *quæ sustulit mortuum, & imposuit in harmamaxam qua ipsa vehi solita est*. Et alias, ὃς ἄρχεις τῶν Ἁρμαμαξέων. καὶ ἡ Κίλισσα ἐφ' ἁρμαμάξης. *& Ciliciæ regina in harmamaxa*. Cuiusmodi harmamaxas mulis iungi solitas, ex Cretiæ fragmentis colligimus. Brisson. lib. 2. pag. 239. Ceterum curruum hoc genus ad mulieres, aliosque molles proprie pertinuisse, exinde apparet, quod in omnibus Xenophontis locis, vbi harmamaxarum, ibidem & mulierum est mentio, quemadmodum & in isto lib. 4. παιδείας, de Cræso: πάς τε γυναῖκας ἐν ταῖς ἁρμαμάξαις πεσσαπεπάμψας. *mulieres in harmamaxis præmisit*. vnde Raderus lecticam curulem fuisse conjicit. harmamaxam sane apparet ita fuisse comparatam, vt molliter in ea vehi liceret, qua de caussa etiam Alexandri nostri corpus huius generis carpento in Ægyptum fuisse vectum, ex Athenæo 5, 9. didici: ἱερόνυμος (ὑμνῳδίζεται) ἐν τῇ καθόδῳ τῆς ἁρμαμάξης, ἣ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα. *Hieronymus (admirationem sibi concilianit) ob fabricam harmamaxæ, qua corpus Alexandri deferri contigit*.

QVI EDVCABANT EOS) Mulieres & spadones, quamquam illas remoueat Plato in Alcib. 1. *Puer* (regius) *educatur non à muliercula quadam nutrice vili & obscura, sed ab eunuchis iis qui in aula regia optimi censeantur, quibus, præter reliquam educationis curam, hoc etiam demandatur, vti dent omnem operam omnique ratione prouideant, quo puer quam pulcherrimus euadat, atque adeo componunt atque dirigunt pueri membra: ipsique officiis in magno sunt pretio*. tamen in tertio de legib. Cyri primum liberos, deinde & aliorum regum arguit ὑπὸ γυναικῶνι καὶ εὐνούχων παιδοτρίβας, *à mulieribus & eunuchis institutos*. Dio Chrysostomus Orat. XXI. pag. 270. Persas ait μίκρ' ἐπικλᾶν πρὸς τὰ σφίσιν ὑπό τε γυναικῶν καὶ εὐνούχων τῶν πεπεσυτέρων, *diu* (ad septimum vsque annum, vt auctor est Plato in Alcibiade I.) *educari à mulieribus & eunuchis*. Pueros quoque Eunuchis in disciplinam rectius quam aliis tradi, Bagoas apud Lucianum in Eunucho hoc argumento contendit, quod tales magistri, nullam talem calumniam sustinere possint, qualem Socrates, quem adolescentulos corrumpere criminabantur. quam rationem contrario exemplo firmat Petronianus pædagogus.

HAVD SANE ILLIS GENTIBVS VILIS) Tacitus 6, 31, 4. *non despectum id* (spadonem esse) *apud barbaros, vltroque potentiam habet*. Cum enim haberentur pro fidelibus, non tantum custodia regis, educatio liberorum, sed exercitus & præfecturæ ipsis mandabantur, quod & posterioribus temporibus apud Christianos etiam principes factitatum est, clarissimo omnium Narsetis exemplo. De spadonibus vide Brissonium lib. 2. pag. 234. Xenophon. sub finem lib. 7. παιδείας de fide ipsorum: ἀδύνατος γὰρ πιστότερα ἔργα ἐπιδείκνυσθαι ἐν ταῖς δεσποτικαῖς συμφοραῖς τῶν δούλων. *Nulli alij magis spectatæ fidei facinora designarunt, in dominorum suorum calamitatibus, quam eunuchi*. Herodotus 8, 105. *apud quosdam barbarorum in maiori pretio sunt eunuchi quam integri, propter fidem*. caussam dicto loco ostendit Xenophon. & tangit Curtius 5, 12, 9. *paucis spadonibus, quia quo discederent non habebant, circumstantibus regem*. exempla possent afferri plura, ex quibus vnicum, quod & Marcellinus 16, 11. eximium putauit, ipsius verbis referemus: *Ingenti prælio superatus à Romanis & Pompeio rex prædictus* (Mithridates) *fugiensque ad regna Colchorum, adultam filiam nomine Dripetinam vexatam asperitate morborum in Castello Sinhorio huic Menephilo commissam*

missam reliquit : qui virginem omni remediorum solatio plene curatam patri tutissime seruans, cum à Manlio Prisco Imperatoris legato munimentum quo claudebatur obsideri cepisset, defensoresque eius deditionem meditari sentiret ; veritus ne parentis opprobrio puella nubilis captiua superesset & violata, interfecta illa mox gladium in viscera sua compegit. Thesaurorum custodiæ solitos præfici spadones, clarum ex Plutarchi Demetrio cap. 31. quo & exemplum Philetæri qui Pergami regnum condidit, apud Strabon. lib. 13. pertinet. Ratio videtur hæc fuisse, quod vxoribus atque liberis carentes, nec in præsens ita magnos sumptus facere soleant, nec vt patres, teste Apostolo ad Corinth. 2, 12, 14. *Φιλοτεκνίζειν τοὺς τέκνοις, thesauros colligere liberis* studeant. Quo inter alia consilio hodieque eos qui ex voto cœlibatum sectantur, magnis rebus admoueri cernimus.

3,3,24. *REGIÆ PELLICES)* Brissonius lib. 1. pag. 77. quo loco virum magnum decepit Iustinus 1, 9, 16. vbi Ostanis, vel, vt Herodoto vocatur, Otanis filia dicit *singulas* pellices *separatim recludi*. quod ita accepit Brissonius, quasi id ex instituto Persarum perpetuo factum esset. At Herodotus 3, 68. indicat id tum primum à Mago noue introductum fuisse. *Namque hic vir*, ait Otanis filia, *quisquis est, quum primum adeptus est regnum, nos dispersit.* (ergo ante simul habitantes) *aliam alibi collocans.* idque confirmant statim sequentia : *Audieni hæc Otani res est visa manifestior.* Memini me legere in descriptione itineris, quod in Orientem fecit princeps Raziuilius, epistola tertia, vidisse eum Ægyptium hominem qui ad triginta pellices haberet separatim recluſas, causſamque interrogatum, respondisse, necessario id se facere, nam si inuicem occurrerent, mutuo se occisuras fore. Nam & hodie gentibus illis multæ sunt pellices, non proceribus tantum, sed priuatis quibusque. quod ipsum veteres apud Persas ita obtinuisse probat Brissonius lib. 2. pag. 238.

TRECENTÆ SEXAGINTA) Et Plutarchus tradit in Artaxerxe cap. 43. Artaxerxem Persarum regem, quamuis haberet Atossam filiam, quam contra leges duxerat vxorem, aluisse insuper trecentas & sexaginta præcellentissima forma pellices. Dicæarchus lib. 3. vitarum Græciæ [apud Athenæum 13, 1.] refert trecentas ac quinquaginta pellices Darium in omnia bella traducere consueuisse. quæ etiam, quoties venatum exibat, cum eo proficiscebantur, vt auctor est Athenæus lib. 12, 2. & lib. 13. Dipnosophist. Causam autem hanc in rebus Persicis refert Dinon, cur regina apud Persas multarum pellicum copiam perpetitur, quod Rex velut dominus imperat vxori ; & ideirco etiam quia pellices seruiunt Reginæ, eamque adorant. [vt in Peruuia factum. Cronica del Peru 1, 41.] Ioniam vero regi magno pellices suppeditare Maximus Tyrius scrm. XXXII. tradit. Popma. vel potius Brissonius. apud quem quod de Themistocle refertur, reperias apud Diodorum 11, 56. qui idem auctor 17, 77. mihi pæne persuasit, aut Curtium, aut librarios eius, in numero pellicum harum erraſse. nam ille sic indubitanter, vt nullus ambiguitati locus sit, 365. fuisse indicat, eodem modo quo de iuuenibus supra 3, 3, 10. Curtius. sic enim ait de Alexandro ; *Concubinas insuper, prout Darius consueuerat, circumducere secum cepit : quarum turba dierum numero haud inferior erat.* quod si recipimus, & in hoc Curtii loco, & infra 6, 6, 8. rescribendum est 365. pro 360. sed cum & Plutarchus & Dicæarchus dictis locis in numero varient, Curtium hoc nomine ad censuram non vocabimus.

CALONVM GREGES) Xenophon lib. 4. *παιδείας* ; *Hyrcanij, quod vltimo loco iter facturi erant, etiam currus suos, & domesticos, vltimos habebant. Nam pleræque nationes Asiaticæ in expeditionibus, eos quos habent in familia, secum ducunt.* & mox:

mox : *Asiatici cum expeditiones instituunt, sic eas hodieque suscipiunt : vt res maximi pretij secum sumant.* Illis ergo custodiendis necessarii calonum greges.

3,3,26. *NON AVRO)* Ita rectius cum melioribus libris ; nam alii præferebant *non aurea.* ad rem ipsam quod pertinet, vide Lipsium Polit. 5, 13. vbi disputat quomodo ornata esse oporteat arma militis. cui adde locum Onosandri citatum supra 3, 2, 12. Quintiliani institut. c. 1. post pr. *Neque ego armæ squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem his ineſſe, qui terreat, qualis est ferri ; quo mens simul visusque perstringatur : non qualis auri argentique, imbellis, & potius habenti periculosus.* Senecæ epist. 76. m. *Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur : sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus.*

3, 3, 27. *NEC TVRBA, NEC SARCINIS PRÆGRAVE)* Turbam hoc loco capio non de alia quam militum. nam calones & lixæ & huiusmodi alia in impedimentis sunt : vtriusque igitur excessus inefficax, incommodus, obnoxius confusioni & insidiis hostium. primum de turba vide auctores quos collegit in Politicis suis Lipsius lib. 5. cap. 8. & Piecart. observ. decad. 2. cap. 2. inprimis Vegetium de re militari 3, 1. Hinc, vt ait Sallust. Catilina cap. 7. *multis in locis maximas hostium copias populus Rom. parua manu fudit.* qualia exempla militibus suis proponit Imp. Andronicus iunior : vna cum his verbis *πολλὰς ἴσμεν δυνάμεις μεγάλας ὑπὸ βραχέων ῥᾳδίως κατακοπείσας. multas scimus copias magnas à paruis facilime esse cæsas.* apud Gregoram lib. 10. cap. 4. ita Cæsar *innumeras aduersariorum copias ipse cum multo paucioribus facile superauit.* Sueton. Cæs. cap. 68. Obseruauit id Herodianus lib. 8. cap. 6. *Magnus sæpe numerus à pauciſſimis, & qui potentiores creduntur, ab iis qui imbecilliores habebantur, victi superatique sunt.* cui concinit Annibal apud Liuium 21, 43, 13. *Sæpe contemptus hostis cruentum certamen edidit, & magnæ ciuitates inclytique populi perleui momento victi sunt.* quod ipsum & Crotoniensibus accidit, quorum centum viginti millia, à quindecim Locrensium millibus profligata sunt. Iustin. 20, 3, 4. alii auctores etiam plures Crotoniatas, pauciores Locrenses numerant. Iidem tamen Crotoniatæ, dum eos Dionysius *vix vires longo otio ex prioris belli clade reſumentes, aggreditur ; fortius cum paucis tanto exercitui eius, quam antea cum tot millibus Locrensium pauciesti restiterunt.* Iustin. 20, 5, 1. Sed & sacræ literæ longe certissima huius rei documenta præbent in victoria Abrami, Gen. 14. Gedeonis, Iudic. 7. Iosuæ, Ios. 11. Ionathæ, 1. Reg. 14. Abiæ, Paralipom. 2, 13. Asæ, Paral. 2, 14. Syrorum, Paral. 2, 24. Iudæ, Machab. 1, 3. Causſas ei rei assignare promptum est, omnium autem sufficientissima magni illius DEI exercituum voluntas & arbitrium, cui *non est difficile saluare vel in multis, vel in paucis.* 1. Reg. 14, 6. Paralip. 2, 14, 11. Machab. 1, 3, 18. quique piis & se timentibus contra quoduis hominum robur expeditam victoriam promisit, efficacissimis admirandique ponderis verbis quæ leguntur in Deuteron. cap. 7. ad quod auxilium impetrandum pauci procliuiores sunt, vtpote quibus in semetipsis parum spei. quod eleganter notauit Gregoras lib. 4. post pr. *Prouidentia sæpe multitudini equorum & exercituum non subseruit, exiguis vero copiis, & parum locuplete spe freis magis adest, maximasque victorias largitur. Nam illorum fiem arma sæpe & reliqui apparatus abundantia velut adulterat, nec sursum ferri ad vitæ necisque dominum sinit, sed graui quodam pondere deorsum premit, humique versari cogit : horum contra fiduciam penuria expeditiorem facit, ac propemodum ad percurrendum cœlum impellit, ac votis ardentioribus supernam dexteram enocendam.* Humanæ causſæ in eo consistunt, quod multitudo, neque disciplinæ retinens est, & fiducia sui temere discrimen sumit. tum vero cum militis indigeat, difficulter parat copias : paratas, si paucæ sint, celeriter consumit ; si multæ, molestæ conseruat.

ferunt, eoque omnibus incommodis exposita est, quæ farcinarum multitudinem sequi mox dicemus; quin & morbis magis est obnoxia, & contagia velocius vulgat. Econtra hostium paucitas regenti apta, inuicem conspicua, nullamque nisi in virtute spem habens, acriore disciplina agit, occasionibus solertius imminet, destinata promptius exsequitur, sæpe etiam desperatione accensa facit, vt verum dixisse videatur Iustinus 20,5,3. *insperata interdum sperata victoria certior est.* Quæ hac posteriore periodo breuitatis studio in pauca compegi, iis exempla, lucem, atque firmamentum petet studiosus ex Tacito H. 2, 77, 4. Liuio 6, 13. 37, 41, 2. Floro 2, 18, 13. f. Xenophonte hist. lib. 7. vbi de Archidamo qui Epaminondam Spartam inuadentem repulit. Impedimenta vero & farcinæ quantum obsint, si modum excedant, Darius infra 5,1,6. ait *didicisse vsu, pretiosam nimirum supellectilem, pelliceque, & spadonum agmina, nihil aliud fuisse, quam onera & impedimenta, eadem trahentem Alexandrum, quibus antea vicissent, inferiorem fore.* in eundem fere sensum, quo & 4, 14, 16. *quæ antea pro illis erant, in contrarium conuersa sunt: nostrum mobile & expeditum agmen est; illud præda grauc. implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus: eademque res & caussa victoriæ erit, & fructus.* quo loco, cum præter morem nostrum hæc annotatio iam excreuerit, plura dicere est animus.

3,3,28. *DARIVS*) Haud recte hæc diuellebantur à prioribus, vt noui capitis initium essent. est enim manifesta oppositio atque comparatio vtriusque exercitus, quam hoc epiphonemate claudit, vt bene Raderus adnotat.

TANTÆ MVLTITVDINIS REX) Sic infra 4,1,1. & 12. appellatur *tanti exercitus rex.*

3,4,1. *CAPPADOCIÆ*) Eam enim quæ cis Halym fluuium est, omnem; & partim vlterioris occupauerat. Arrian. 2,1,20. nondum tamen perdomita gente, quippe quam in duabus Darii pugnis postea à Persis stetisse legimus apud Arrian. 3,2,8. & 22. & nostrum 4, 12, 12. quin & post prælium Issicum Lydiam recuperare tentauit infra 4, 1, 34. Et sane non diu in fide atque ditione Alexandri mansisse ostendemus DEO volente infra 10,10,3. Porro qui hic *Abistamenes* legitur Cappadociæ Satrapa; eum Arrianus citato loco Σαβίκτων appellat: in quibusdam Mss. Curtii diuisa voce est, *ab Histamene.* Aldi editio habet, *Aristamene.* ex qua variatione colligas locum non omnino sanum esse, vt vel Arriano potius accedas, cuius de scriptura non ambigitur. *Stamenem* quendam agnouit Arrianus 4,3,18.

CASTRA CYRI) Noster Curtius hic abit à mente Arriani 2,1,21. qui castra Cyri à Cyro minore dicta ait, Curtius à maiore qui Crœsum cepit. Modius negat sibi liquere vter recte sentiat. Ego haud dubius pro Arriano steterim, cui Xenophon fauet. Nam de Cyri maioris contra Crœsum euntis castris hisce, vix vlla mentio, nisi cum in Pteriam venit regionem Cappadociæ, non procul Sinope ad Pontum Euxinum sita, qui locus erat munitissimus. Eodemque loco sua Cyrus maior castra metatus est. Sed enim cum Pteria recedat ad Pontum Euxinum, & iuxta Sinopen, quæ procul abest ab aditu Ciliciæ, sita sit, hæc Cyri maioris castra huc non pertinebunt, cum hæc à Pylis Ciliciæ non amplius quinquaginta stadiis absint, quæ paulo amplius sesquimilliari efficiunt. Nec lego vsquam hic habuisse Cyrum maiorem statiua. Sed de Cyro minore ex Xenophonte ἀναβάσ. lib. 1. res certa est, vt omnino concedam in Arriani partes. Nam Xenophon easdem fauces & simul Cyri minoris ad easdem aduentum castraque, hisce verbis exponit: *Hinc in Ciliciam traiectionem molitur. Aditus erat via curulis (plaustris inuia, si legas ἀναμάξευτος.* Curtius tamen 3, 4, 12. quaternos armatos ait cepisse) *admodum arctua, & copiis militaribus, si sit qui arceat, inaccessa atque inexpugnabilis. Dicebatur huic*

huic imminentia iuga Syenneses (rex Ciliciæ) *obsidere, aditumque custodire. Quapropter* (Cyrus) *vnum diem in campis subsedit.* Ad hunc plane locum & castra Cyri minoris venit, vt Arrianus docet, Alexander, antequam Pylas seu angustias exploraret & ingrederetur. Aberant castra Cyri à portis Ciliciæ quinquaginta stadia in campo sita, vt monui. Strabo lib. 12. emendandus videtur ab operarum macula, cum ita scribitur καὶ κυρίου στρατοπέδου διὰ Τύανων. *Et Cyrini* (Cyri legendum) *castra per Tyanæ.* Raderus.

IN LYDIAM DVCERET) Ita scripsi, expuncta voce *exercitum*, vt superuacua, quam nec Danielis Ms. nec duo Palatini agnoscunt. Vide Sigon. in Liuium pag. 57.

3,4,3. *ARSANES*) Ita potius scribendum iudico quam cum Aldo, & Eusebio, & Arriano 1, 5, 18. & 2, 1, 23. (quem vel hinc emendandum putem) *Arsames.* ista enim terminatio Persicis nominib. vsitatior. Immo si Herodoto 1, 139. credimus, perpetua. Nec sane moueor, quod in Æschyli Persis in prologo sic quoque reperitur *Arsames:* manet enim adhuc prior ratio, & idem infortunium hunc quoque corrumpere potuit quod ceteros. nam & illorum haud minor est numerus, apud quos *Arsanes* scribitur.

MEMNON) Apud Arrianum 1, 5, 19. Diodor. 17, 18. Tale consilium apud Saxonem pr. hist. Danicæ legitur Dornonis Curetum Regis, quo loco verissime emendauit Barthius ad Claudian. in Rufin. 2, 110. *indemnes à telis Danorum victores fore poterimus.* cum esset: *indemnes aliis Danorum auctores. His dictis,* subiungit Saxo, *quæcumque tentatu difficilia animaduerit, defensionis diffidentia populatus, adeo hostilem sæuitiam in vastanda patria præcucurrit, vt nihil quod à superuenientibus occupari posset intactum relinqueret.* Sed de hac re vbetius ad 4, 14, 2. Quod hic subjicit Curtius, *populator terræ, quam à populationibus vindicare debuerat:* id nostris ducibus atque militibus tam exacte conuenit, vt multum operæ studiique in hac Arsanis secta addiscenda posuisse videantur.

3,4,4. *IVGVMQVE*) Tauri montis, quo Cilicia clauditur.

3,4,5. *PAVCIS*) Validum præsidium agnoscit Arrian. 2, 1, 21. nempe loci naturam respiciens, *quem,* vt noster ait, *vel pauciores obtinere potuissent.* Curtius paucos intellexit, collatos ad numerum eorum qui cum Arsane discesserant.

3,4,7. *PYRAMVS*) Xenophon lib. 1. ἀναβ. *Inde primis castris M. pass. XX. ad Pyramum progressus. huius nihilo minor stadio latitudo est.* Strabo lib. 12. *per Cataoniam Pyramus nauigabile flumen decurrit, mediis in campis scaturiens.* & subjicit Strabo: *est autem fossa memorabilis, per quam aqua pura longo spatio infra terram fertur, ac deinde in superficiem erumpit. si quis iaculum in fossam contorqueat, adeo resistit vis aquæ, vt agre mergatur.* Multa dein Strabo memoranda refert, & concludit: *Per montes elapsus Pyramus tantum secum arenæ affert è Cataonia partim è Cilicum campis, vt oraculum quoque feratur:*

Isthæc euenient, vastis quo Pyramus vndis
Tempore profuso continget littora Cypri.

Apud Polybium 12, 8. pro Πόρον scribendum Πύραμον [obseruauit hoc Ortelius in thesauro] quem alii Pinarum vocant. Raderus. Pinarum à Pyramo diuersum esse flumen, atque πίναρον scribendum apud Polyb. docebimus infra 3, 8, 28.

3,4,8. *CYDNVS*) Xenophon lib. 1 *Per mediam vrbem fluit Cydnus, cuius latitudo est duorum iugerum,* hoc est, 250. pedum. Strabo lib. 14. *Tarson,* inquit, *Cydnus mediam perfluit iuxta Gymnasium Iuuiorum. Eius ortus non procul est, alueus vero per profundam vallem illatus recta in vrbem ingreditur. Aqua est rapidissima & frigida, quapropter hominibus ac bestiis auxiliatur quæ neruos crassiores habent.* Arrianus 2,

1, 24. *Cydnus autem cum ex Tauro monte oriatur, & puro solo excipiatur, sit vt vnda eius incorruptissima, simulque frigidissima sit.* Tibullus 1, 7, 13. hunc laudat:

At te Cydne canam, tacitis qui leniter vndis
Caruleus placidis per vada serpis aquis.

Dio Chrysostomus in Tarsica prima: *Et hoc Cydno, qui omnium fluuiorum commodissimus & pulcherrimus est, & qui ex eo bibunt, diuites & beati sunt Homero.* Vitruuius 8, 3. Cydnum podagræ mederi docet, cruribus eo mersis. expertus est hoc Cassius Parmensis. [forte apud Plinium 31, 2.] Apollonius Tyaneus [apud Suidam voce Euthydemus: ex Philostrati Apollon. 1, 5.] Tarsenses risit, velut aues ad Cydnum otiosos sedere solitos, eius amœnitate & pulchritudine ebrias. Solinus cap. 38. *Hunc Cydnum,* inquit, *alij præcipitari Tauro, alij deriuari ex alueo Choaspis* [*Hydaspis* legit Willermus Tyrens. histor. 3, 18.] *tradiderunt.* [Refutat hoc Salmasius] *Quis Choaspes ita dulcis est &c. Ex illo igitur parente Cydnus miram trahit suauitatem. Quidquid candidum est, Cydnum genitli lingua Syri dicunt* [Salmas. ad Solin. pag. 772. testatur in libris Mss. ita legi: *quicquid candidum est, illinc homines Cydnum vocant.* & exponit: *illinc homines*, sunt Cilices quorum amnis Cydnus.] *vnde amni huic nomen datum.* [Eustathius ad Dionys. vers. 875. ei nomen facit à Cydno Anchiales filio] *Tumet vere, cum niues soluuntur, reliqua parte anni tenuis est & quietus.* [Et hinc conciliare possis Strabonem Tibullo, quorum ille violentissimum hunc fluuium, hic placidum nobis describit] Dionysius Alexandrinus de situ orbis: *Atque huic* (mari Issico) *multorum fluminum miscetur vnda è longinquo orientium, Pyramique & Pinari Cydnique flexuosi mediam per Tarsum euntis.* Ex his emendes licet qui duorum fluminum nomina per ignorantiam miscent, Pyramum & Pinarum, cum diuersa fuerint, vt hic discis. De Cydno Eustathius ad hunc Dionysii locum: *Frigida vero est Cydni aqua, confertque obstructione laborantibus.* immo & podagra sectis, vt Vitruuius docet, [item Plinius 31, 2.] & Baptista Mantuanus:

Tu quoque tardigradam tactu sanare podagram
Cydne potens.

Stephanus Cydnon Bithyniæ flumen facit. De hoc Cydno Ciliciæ, non Bithyniæ, toto capite XIX. disputauit Bisciola l. 14. Raderus. Eum per mediam Tarson decurrere, cum citatis, & Curtio mox 3, 5, 1. etiam Vibius Sequester testatur, & Pausan. lib. VIII. pag. 502. p. Plinius 5, 27. *Cydnus Tarsum liberam vrbem procul à mari fecans.* Philostratus 1, 5. *per ipsorum* (Tarsensium) *vrbem fluit Cydnus fluuius.* frigidissimum esse ex libro Galeni de procatarcticis caussis facile conieceris. *De Cydno, qui aquæ liquore conspicuus, Tarsum interfluit,* & Alexandri morbo, vide & Valer. Max. 3, 8. f. Quod Ortelius ex Leunclaio notat, flumen hoc Turcis *Carasu* vocari, pugnare videtur cum antiquorum testimoniis. nam *Carasu*, vt ipse Leuncl. hist. Musulmam. lib. 11. tradit *ab aqua nigra* sic nominatur. *Cara* enim nigrum est Turcis. hic autem fluuius plane ex contrario ab albedine nomen accepit. vt supra ex Solino dictum est. certe puritatem aquæ omnes vnanimiter ei tribuunt, etiam Ouidius de arte 3, 204. *Lucidum* appellat:

Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.

& Ammianus 25, 33. *Cydnus gratissimus amnis & liquidus.* Potius igitur Carasu vocatur, *quod impetu veloci fluat, & profundus sit*, vt alter apud Leunclau. in supplement. Annal. Turc. pag. 142. & 359.

3, 4, 10. *LYRNESSI ET THEBES*) Iam pridem detestarum vrbium nuda loca, neque vestigia vlla præter nomina extantia. Est [Turnebus aduersar. 13, 15.] qui hoc loco Curtium erroris grauissimi reum postulet, eumque nominis communicatione & societate deceptum affirmet. Atque fortasse deceptus est

est qui deceptum putat. Nam Curtius secutus est Dionysium periegetem, qui in Cilicia quoque Lyrnessum ponit, vti Strabo lib. 13. Lyrnessum & Theben in Pamphylia extra Taurum iuxta Ciliciam. Dionysii versus sunt 875. *Multæ item deinceps Cilicum sunt vrbes, Lyrnessus, Mallusque, & Anchialia, Solique.* Ad quem locum Eustathius: *Cilicum porro ciuitas est Lyrnessus alia quam Troia: alio nomine Homerica, in alio quidem sita, eo autem nomine à Mallo quodam dicta, qui illam condidit; vel ἀπὸ μαλλῶν. hoc est coronis, quas coruus olim rapuerat, ibique deposuerat, dicta est.* Itaque duplices Lyrnessum & Theben condimus, Homerianas & Dionysianas, quas Dionysii posuit hic Curtius, etsi illis Homericis multo ignobiliores, & obscuriores. Raderus. Ego potius cum Turnebo sentiam. nam neque Theben vllam ex Dionysio monstrat Raderus; & Lyrnessus, ab eo ita nominatur, tanquam extaret: quam tamen Curtius diu ante (quippe ab Achille) excisam vult. cuius Herois opera cum præcipue admiraretur Alexander; dubio procul monumenta rerum eius cupide visebat, quam & ipsam rem argumenti loco pono, non de aliis quam Homericis vrbibus hic esse sermonem, quod & apparet ex illis: *vulgata exterminibus.* Quæ verba efficiunt, vt nec magno Salmasio plenam adhibere fidem audeam, quamquam ille ad hunc Solini locum conetur ostendere, Curtium has vrbes non ex Troica regione Ciliciam, sed ex Pamphylia in Ciliciam suam transtulisse. Nam & in Pamphylia eo nomine vrbes fuisse ab iis quos Achilles ex antiquis Lyrnesso Thebeque ciecerat, conditas, auctoritate Strabonis asserit, quam cum Strabo à Callisthene (qui & Æneæ Siluio citatur in hist. de Asia cap. 90.) petat, suspicor, Callisthenem hoc ipso Alexandrinæ historiæ loco de iis vrbibus tractauisse, nempe cum Alexandri expeditionem per Pamphyliam in Ciliciam scriberet. Vt ita credam Straboni fuisse eas vrbes in Pamphylia, conjiciam & eas ipsas monstratas Alexandro fuisse: Curtium tamen, ex verbis eius, suspicer non de his sensisse, sed potius in animo habuisse Homericas. propter rationes supra adductas. nec enim infrequens est, vt in his talibus, immo & longe grauioribus, historiæ scriptores dissentiant. Lyrnessum in Lycia ponit Stephan. in Σάρδηνα. Ceterum hoc loco vetustiores edd. habent, *Lyrnesi & Cebesti, specus quoque,* Mss. fere omnes *Lirnesi & Thebesthi pontis quoque specus,* manifestis veræ lectionis vestigiis, quam qui primus restituerit, non reperio. non enim Turnebus fuit, si Ortelio credimus in *Cebestus*: *Est,* inquit, *qui Thebes hoc loco legit, & hanc lectionem video à Turnebo approbari.*

TYPHONIS QVOQVE SPECVS) Typho Græcis est procella turbinis. Plinium lege. De hoc Aristot. disputat in Meteoris, & Agellius. Iam ex hoc poëtæ gigantem ædificarunt, quem aiunt è terra natum, ἑκατονταπέφαλον centicipitem ab Apolline interfectum, Ætnæ à Ioue subiectum expirare ignes. Alii Typhonem aiunt Ægyptium Osiridis, Isidis, Apollinis & Veneris fratrem, à quo Osiridem eradunt interemptum, de quo Berosus, Diod. Siculus & alii. Alii fabulas rursum ad naturam referunt, & fabularum ænigmata exponunt, quod in plerisque locis ex terræ spiritibus tertæmotus gignantur, igneſque erumpant, quibus montes frangantur, & hos esse Encelados Æthnæos, hos Briareos, hos Typhœos, hos Typhonas, quæ ego omnia poëtis & Mythologis relinquo. Pindarum Olymp. ode 4. & Pyth. ode 1. & 8. Homerum, Melam etiam, Gyraldum & Natalem Comitem inspice. Raderus. Strabo lib. 16. specum Typhonis apud Antiochiam quoque ostendi scribit: *Orontes* (fluuius) *cum prius Typhon diceretur, mutato nomine, ab illo qui in eo pontem fecit, Orontes est appellatus. Huic loco Typhonis fulmine icti fabulam affingunt, & de Arimis, de quibus à nobis supra dictum est. Aiunt draconem fuisse, & fulminibus ictum, dum fugæ latebras quæreret, tractibus terram secuisse: & vt fons erumperet, effecisse: qui*

nomen Rhexæthri hinc obtinuerit. Vide eundem auctorem lib. 5. vbi de Pythecusis, & lib. 13. in descriptione Lydiæ, vbi Homerum & Pindarum citat. Illud autem antrum Corycium appellatur Eustathio ad Dionysii versum 855. ex Strabonis 14. libro, & Aristotele, quod describit Solinus cap. 38. ex Mela 1, 13. Strabo dicto loco. Est & aliud antrum Corycium in Phocide juxta Parnassum, apud Herodotum 8, 36. Quin & *Erythræi Corycum montem & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilen* (Sybillam) *dicunt*, apud Paus. lib. 10. Apuleius pr. libri de Mundo ostendit id antrum à multis curiose descriptum fuisse, ipse *penetralia Coryci* vocat.

CROCVM) Vide auctores modo citatos, & Salmasium ad Solini cap. 38. de Corycio croco etiam Martialis epigr. 3, 65. 9, 39. 11, 9. Sallust. H. 1, 4, 36. *iter vortit ad Corycum vrbem incultam, pastusque nemore in quo crocum gignitur.*

CETERIQVE) *Arati* nempe *poëtæ monumentum, id eo referendum*, inquit Mela 1, 13. *quid ignotum, quam ob caussam iacta in id saxa dissiliant.* atque alia, seu Chrysippi Stoici, seu Philemonis Comici Solis natorum. Raderus.

NIHIL PRÆTER FAMAM) Pulchre Strabo lib. 2. *Naturales quidem oportet referre locorum conditiones, cum permaneant, mutationi obnoxiis iis quæ sunt adscititia: quanquam harum quoque pleraque non sunt prætereunde, quæ aliquanto saltem tempore permansuræ sunt, ac quibus aliquid famæ & nobilitatis adhæret. hæc enim etiam ad posteritatem locis illis inhærens efficit, vt quasi adnata videantur ea, quæ iam pridem desierunt esse accidentia, vt facile appareat, horum quoque faciendam mentionem. Hoc enim de multis vrbibus licet pronuntiare, quod de Olynthо & vicinis dixit Demosthenes: quas ita ait deletas esse, vt si quis nunc ea ad loca perueniat, is dubitare possit vnquamne ibi fuerit habitatum. Veruntamen in huiusmodi loca libenter homines proficiscuntur, ipsa vestigia tam nobilium operum cupientes videre, sicut & sepulcra inclytorum virorum: eadem ratione legum quoque & formarum reipublicæ recordamur iam ibi abolitarum, vtilitate ad hanc cognitionem non secus, quam ad actionum notitiam inuitante. aut enim vt imitemur ea, aut vt deuitemus, cognita nobis esse cupimus.* Tali itaque studio cognoscendæ antiquitatis Alexander tenebatur, vt pateo etiam infra 4, 8, 3. & Philostratus in Apollon. 2, 4. dicit de Alexandro, quod fuerit ἀχρωματοφόρος ἄγαν, *antiquitatis nimius amator.* quemadmodum & æmulus eius Germanicus apud Tacitum 2, 54, 2. *ardebat cupidine veteres locos, & fama celebratos noscendi.* Sic & Paulus Æmilius apud Liu. 45, 27, 3. & Pompeius, de quo Appian. in Mithridaticis.

3, 4, 11. *CONFITEBATVR)* Quanquam in omnibus libris comparere dicatur hoc vocabulum, id ego tamen à suspicione glossæ non absoluo, non magis quam illud *arbitrabatur*, de quo dicemus mox 3, 5, 16. Sic apud Liuium in oratione Nabidis 32, 39, 6. *neque enim se illos timere dixit, sed exules Argiuorum*, illud *dixit* eliminandum esse facile apparet. considera Curtii locum infra 3, 8, 3. cum aliis similibus.

IN SVBEVNTES) Prætuli hoc editionis Aldinæ, quamquam & impressorum, & scriptorum plurimos adstipulatores haberet altera lectio, quæ delebat particulam; sed ea sensum nimium facit acutiorem: nisi defuissent qui tantum propellerent saxa in subeuntes, sua sponte eos oppressura fuisse, absque vllo alio labore aut conatu. Sic Tacit. H. 3, 29, 2.

3, 4, 13. *SERVTARIQVE CALLES)* Sic Germanicus apud Tacit. 1, 61, 2. *præmisso Cacina, vt occulta saltuum scrutaretur.* quem ad locum plura. Leuis autem armatura ad explorandum eiusmodi loca, semper visa fuit aptissima, cum & impeditis locis facilius se reciperet, & si interciperetur, ad summam rei minus damni esset.

MA-

MANVS OCCVPAVERAT) Vide an non rectius sit, *manus.* vt ad Alexandrum referatur *τὸ occupauerat.*

NON ITER) Per loca periculosa incedens molestam ad iter paratus esse debet, quam ad prælium, idque maximis ducibus semper curæ fuit. dicemus, volente DEO, in pleniſſimis ad Tacitum commentariis, 1, 51, 3. *incessit itineri & prælio.* Adde infra 3, 8, 23. & 25.

3, 4, 14. *TARSON)* Tarsus caput Ciliciæ omnium fere literis monumentisque celebrata, sed hoc vno felicissima, quod orbis doctorem nobis S. Paulum in lucem protulerit, vel potius educarit, Actor. 21, 39. facta parens tanti alumni, de qua Solinus *Matrem vrbium habet Tarson, quam Danaes proles nobilissima Perseus locauit.* Idem, *Sed aly Sardanapalum conditorem laudant.* legendi Stephanus de vrbibus, Dionys. Alexandrinus cum Eustathio, Alexander Polyhistor, præsertim Strabo lib. 14. qui multa & præclara de Tarso, & inde natis claris viris. Duæ præterea orationes Dionis Chrysostomi, dignæ viri eruditi lectione. Raderus. Iosephus, 1, 6. *Tharsensibus Tharsus*, Iapheti nepos, *vt originem ita nomen dedit. Sic enim olim appellabatur Cilicia: cuius rei signum est Tarsus vrbium eius celeberrima, ceterarumque princeps, prima nominis litera in tau mutata.* Ammianus 14, 25. *Ciliciam vero, quæ Cydno amne exultat, Tarsus nobilitat, vrbs perspicabilis* (Salmas. ad Solin. legit, *perspicua; nobilis hanc*) *hanc condidisse Perseus memoratur, Iouis filius & Danaës; vel certe ex Æthiopia profectus Sardan quidam nomine, vir opulentus & nobilis.* Strabo lib. 16. vbi de Antiochia Syriæ: *traduni Tripolemum ad inquirendam Io ab Argiuis missum, cum illa apud Tyrum primo conspectui esset subtracta, per Ciliciam errasse: & Argiuos quosdam, qui cum eo erant, facta discessione ibi Tarsum condidisse.* Willermus Tyrensis histor. 3, 18. cum Iosephi & Solini opiniones de conditore Tarsi protulisset, subiungit: *Potest tamen vtrumque verum esse, & quod Tarsis* (sic vocat Iosephi Tharsum) *primus eam fundauerit, & quod postmodum eam reparauerit, vel ampliauerit Perseus.*

SVBIICIEBANT IGNEM) Sed sine effectu. nam Parmenio vrbem conseruauit, nullum spatium relinquens barbaris perficiendi cepti. Sic cape illa Arriani 2, 1, 23. *Arsamen confestim ex Tarso ad Darium regem fugit, nullo damno vrbi illato.* quæ postrema verba non adiunxisset, nisi voluisset intelligi, præter animi sententiam nihil eum nocuisse. Ceterum idem fere huius vrbis fatum annotat Robertus Monachus histor. Ierosol. lib. 3. Nempe Christianis eo accedentibus, Turcos vrbe relicta fugisse.

NE OPVLENTVM) Quis hic mendum suspicetur? nec ego quidem. At omisso *ne*, quam in libro nescio quo notaui, qui idem exhibebat *inuident*, facit suspicari, an non fuerit, *subiiciebant ignem, opulentum oppidum hosti* (vel *hostibus*) *inuidentes.* Manent tamen quod hactenus obtinuit. Acidalius. Nostri libri nihil hic à vulgatis variant, nisi quod *subiciebant* legunt pro *subiiciebant*, vt fere semper in eiusmodi verbis solent.

PARMENIONE) Hic prima est mentio Parmenionis, primis tamen libris celebratum fuisse non sinunt dubitare bella Alexandri cum Græcis, Thracibus, Illyriis, Triballis & aliis gesta, vt fit ab aliis historicis. laudabitur frequenter infra. fuit proximus à rege dux & maior ipso rege. nam hoc elogium est de illo infra 7, 2, 33. *Multa sine rege prospere, rex sine illo nihil magnæ rei gesserat.* Sed de Parmenionis cæde, laudibus, eiusque filio Philota suo loco dicemus. Raderus.

A SE CONSERVATAM) Metu aduentus sui perculsis & fugatis hostibus, qui exitium vrbi moliebantur. Sic apud Liuium 35, 3, 2. *Consul vrbem* (Arretium) *haud dubie seruatam aduentu suo est ingressus.*

3,5,1. *MEDIAM CYDNVS*) Omnes scriptores & geographi testantur Cydno mediam diuidi Tarsον. Rhemmius Palæmon:

Flexilis & Cydnus, dirimit qui flumine Tarsον.

Et Dionysius interprete Auieno:

Cydnus idem mediæ discernis mœnia Tarsi.

Cydnum supra descripsimus, eiusque egelidos liquores, hoc est frigidissimos esse monuimus. vndam tamen affectis & podagricis salutarem, infestam Alexandro ὐπ' ευμβεβηκὸς, vt philosophi loquuntur, quod sudore madens & toto corpore incensus in gelidissimum amnem insiliret, quæ cutis exitiosa est, quando calor & frigus summis inter se viribus decernunt, & corpus veluti in medio positum ad exitium vrgent. spasmus enim & neruorum rigor stuporque inde existit, id quod Galenus ex ea caussa euenisse tradit. An Cydnus regibus fatalis est? Nam & Friderici Ahenobarbus, maximus Imperator, eodem mersus, periisse fertur: quamquam alii in Armenia hausum Serra flumine, alii Salepho, alii Fararo, alii Ferro, alii Cydnum eundem fluuium esse in Cilicia putant, sed aliis atque aliis nominibus affectum. Exstat nobile Bidermanni nostri epigramma lib. 2. epigr. 91. de Friderici Ænobarbi Imperatoris interitu, etiam Cydno hausti: *Cum Sueuus traheret &c.*

Vnda fuit gelido quæ Cydni fluxerat alueo,
Iam dudum in magnos vnda maligna duces.
Obfuit illa olim Pellæo (vt fertur) alumno,
Membra ibi cui subito dirigiuere gelu.
Nunc idem peperit Friderico funera Cydnus,
Obruit incautis quem violentus aquis.
Parcere debuerat Friderico Cydnus eunti,
Sat cito mersisset, cum rediturus erat. Raderus.

De Cydno mediam Tarsον interfluente vide citatos supra 3, 4, 8. quibus adde Iustinum 11, 8, 3. & Willermum Tyrensem 3, 18. *Hanc vrbem intersecat Cydnus amnis.* Alexandri morbum describunt præter Plutarch. in Alex. 29. Iustin. 11, 8. Orosius 3, 16. & Valer. Maxim. 3, 8. f. Arrian. 2, 1, 24. scribit Aristobulum tradere, Alexandrum *præ nimio labore in morbum incidisse.* Diodorus morbi mentionem facit, non caussæ. Lucianus pr. de domo cum pluribus consentit: *Alexander quidem expetiuit in Cydno lauari, cum & pulchrum & limpidum conspexisset hunc fluuium, & suto profundum, & leniter concitatum, & natatu iucundum, & æstiuo tempore frigidum: adeo vt etiamsi manifestius ipsi fuisset morbus, quo hinc laborauit, videatur mihi non fuisse ab hoc lauacro sibi temperaturus.* De Cydni frigore, & quomodo Alexandro nocuerit, adi medice disputantem Mercurialem Var. Lect. 4, 2.

CILICIÆ ORAM) Aperiuntur caussæ ob quas inæstuarit Alexander, regionis ingenium, tempus anni, & itineris labor. amplius enim quindecim millia. ria nostratia nunquam intermisso cursu confecit, vt Tarsum incensam occuparet & seruaret. de æstu Ciliciæ Solinus cap. 38. *à Ciliciæ finibus Asiaticum limitem despicit* (Taurus) *quantis meridiem videt, sole æstuat.* Properabat Alexander à septemtrione ad meridiem. Iam si tota illa pars meridiana calet, quis æstus erit æstate? & quis ipso meridie diei, quæ omnia coniungit Curtius cum scribit: *tunc æstas erat, cuius calor &c. & diei feruidissimum tempus* (quæ vox non placet Modio: Aldus tamen, & Florentinus, & reliqui etiam vetustissimi codices omnes eam seruant) *exceperat.* nam ita Modianus liber, reliqui omnes *tempus caperat.* ex ingenio Curtii est, *feruidissimum exceperat.* Raderus. Palatinus primus habet *tempus caperat.* reliqui Mss. *tempus exceperat.* ego illam lectionem meliorem arbitror. Simile est in Dione lib. 40. vbi de Crassi pugna cum Parthis: *quippe media æstate, atque in meridie id fiebat.* Conser

ser & Liuium 44, 36, 1. De Cilicia vide Reinecc. tom. II. pag. 71.

3,5,2. *CVLTV CORPORIS*) Raderus hæc accepit de vestitu, quod ego secus puto. nec enim si talis fuisset cultus, ad eum ostendendum opus esset *veste deposita. cultus corporis* hic intelligitur, quod alias *cura*, & *curare corpus* dicitur: quemadmodum vberius in Indice, quo hæc talia congerimus, exponetur.

DESCENDIT IN FLVMEN) Negant tamen natare scituisse, moraturque apophthegma eius, quo cum flumine oppositio prohiberetur hostem aggredi, exclamauerit, *ô me pessimum, qui natare non didicerim!*

3,5,5. *IN IPSO IMPETV*) Vere M. Tullius de Orat. lib. 3. c. 2. *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio sæpe spacio franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.*

NON IN ACIE SALTEM) Quæ mors viro & rege digna præ illa *obscura & ignobili* vt vocatur mox 3, 5, 10. potuisset exclamare Alexander quod Hippomedon apud Statium 9, 506.

– – fluuione (pudet!) Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesque lacus & stagna subibo
Cen pecoris custos; subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui?

Pertinet huc & querela Æneæ, quem ita loquentem inducit Virg. Æn. 1, 98.

– – – ô terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere!

Albert. Aquensis hist. Hieros. 3, 4. de Godefrido: *reminiscens multorum suorum insignium factorum, & de omni periculo se adhuc nobiliter ereptum, nunc vero vili morte à cruenta bestia se suffocari dolens.* Senserunt idem Numantini à Scipione circumsessi, *orantes prælium, vt tanquam viros occideret.* Florus 2, 18, 13. qui auctor 3, 20, 14. prœlio inuentam *mortem dignam viris* & 4, 1, 13. *pulcerrimam* appellat. Igitur Imp. Alexander apud Lamprid. cap. 62. *lætatus est, quod sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere.* Adde infra 3, 8, 21. & 7, 10, 6.

3,5,6. *FAME ATQVE INOPIA*) Vide Gruterum discursu 52. ad ista Taciti H. 2, 32, 3. *non frumentum vsquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse.*

3,5,7. *QVEM AVSVRVM ALEXANDRO SVCCEDERE*) *Maior enim moles erat, quam vt vnus subire eam posset,* infra 10, 6, 37. quo loco vide.

CLASSEM) Quam victis ad Granicum Persis remisit in Græciam, ficta causa quod res magnorum esset sumptuum, reuera vt suis omnem ex acie & prœlio fugiendi spem adimeret, quod alii tradunt scriptores. (alias caussas assignat Arrianus 1, 6, 31.) Addit Diodorus 17, 23. hoc Alexandri consilium etiam posteros esse secutos, & singillatim Agathoclem Syracusarum regem, magnam & insperatam victoriam esse consecutum. Raderus. Alexander autem ipse secutus videtur exemplum Corcyræorum apud Thucydidem 3, 13, 22. Alia vide in notis amantissimi Soceri mei ad Iustinum 22, 6, 4. quibus similia adnotat Virdungus in Agricol. Taciti 35, 5. cui adde exemplum Cæsaris apud Florum 4, 2, 82. & Ischolai apud Polyæn. lib. 2. Sed & ineunte hoc sæculo Mauritius Nassouius pari consilio remota classe, insignem victoriam peperit. Lege Thuani lib. 124. Multaque similia exempla apud Zvvingeri theat. vol. 7. lib. 3. pag. 1795. quo pertinet illud Agarenorum qui ex Hispania in Cretam cum appulissent, naues incenderunt, atque sic insula sunt potiti. Zonaras in Mi-

in Michaële Balbo. Sic & oppugnante Conſtantinopolim Muhammede, *erant obſeratæ vrbis ianuæ, quibus ad antemuralia patebat iter, ne qua fugiendi facultas militi eſſet, ac propterea fortius hoſti reſiſteret.* Æn. Siluius hiſtor. de Europa cap. 7. Adde Frontin. Stratagem. 1,11,21. Fulgos. 3, 7,24. Herod. 5, 118. Ammian. 23,11. de Iuliano, qui pontem quo aduerſus Perſas tranſierat, ſuſtulit.

3,5,8. *COMMILITONEM)* Sic ipſe ſe vocat infra 9,2,28. & reuera erat: quare ipſe mox 4,14, 6. *nec poſtulare ſe, vt fortiter capeſſerent prælium, ni ipſe ceteris fortitudinis fuiſſet exemplum.*

ABRIPI) Raderus, *abrumpi*, quod non ſpernam, ſi auctoritate libri alicuius nitatur.

3,5,9. *LIBERIVS MEARE SPIRITVS)* Ex hoc loco reſtituendus eſt ille Saxonis hiſt. Dan. lib. 7. de filia Olaui: *At vbi ſenſim redditus vigor, ſpiritusque liberius in ea re ceperat.* vbi vir doctus ad Claudianum in Rufin. 2, 110. nequicquam legit; *in ea ire.* apparet enim eſſe Curtianam imitatiunculam, & *liberius meare* legendum eſſe. Sic infra 8,4,12. *paulatimque ſpiritus, quem continuerat vigor, meare libere cepit.*

OB HOC SOLVM) Alii, *ad hoc ſolum*: Modius vtramque illam particulam eliminans, *hoc ſolum*, ſicut & infra 4,1,30. *hoc ipſum concurrunt*, de quo Acidalius his verbis: Bene vtrobique, nec ego patronus iſti vulgato *ad hoc* vel *ob hoc ipſum.* Sed ſi ſemel atque iterum formulam illam recipimus, erit eadem recipienda pluribus etiam & geminis omnibus locis. Vt 4,10,22. 4,14,3. 4,16,23. 7,2,2. vbi *ob id ipſum.* Neque tamen temere quiſquam vbique delendum *ob* cenſuerit, quod nec ipſe, minime quidem alias timidus, fuit auſus. In Propertio quidem 4, 418. reperies eadem facie, *Hoc vnum*:

Illa petit Nilum cymba male nixa frequi,
Hoc vnum iuſſo non moritura die.

Apud Plautum vero, Terentium, alioſque infinita talia per omiſſionem ℈ propter, aut ſimilium particularum. Acidalius. Ex quibus verbis haud poſſim colligere, Acidalium mentem Curtii aliter interpretari, quam Raderus eam capit; nempe ex hoc ſolo viſum eſſe Alexandrum commodius ſe habere, quod vim morbi ſentiret. nec opus eſt, vt ſexto caſu capias pronomen *hoc*, niſi particulam *ob* expungas: & ſi id facias, certe quarto potius caſu accipiendum erit, vt in aliis ab Acidalio allatis exemplis. Ipſum autem ſenſum huius dicti explicare eſt ex verbis Senecæ epiſt. 6, 1. *Hoc ipſum argumentum eſt in melius translati animi, quod vitia ſua quæ adhuc ignorabat, videt. Quibuſdam ægris gratulatio fit, cum ſe ipſi ægros eſſe ſenſerunt.*

3,5,10. *ANIMVM AVTEM ÆGRITVDO CORPORIS)* Alii, *animi autem ægritudo corpus*, inter vtramque lectionem non multum referre primo aſpectu cum Radero putes; ſed ſi ſollertius expendas, melior eſt, quam retinuimus. nam, quæ Alexandri erat condicio, corpus eius animum affecit, non viciſſim: hic enim nullam ante moleſtiam ſenſerat, quam corpus affligeretur: accepit ergo ægritudinem, non dedit. quomodo apud Liuium 1,31. 7. Hoſtilio regi longinquo morbo implicito *fracti ſimul cum corpore ſunt ſpiritus illi feroces.* Alias enim tam animi mœſtitia corpus, quam huius incommodis animum affici poſſe in confeſſo eſt. eoq; luſit Nero in Pætum, referente Tacito 15,25,6. *ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promptus in pauorem longiore ſollicitudine ægreſceret.*

IN CILICIAM VORE) Indicem adi, voce *In.*

3,5,12. *TAM SVPERBAS LITTERAS)* Puto intelligi quas ad Satrapas ſuos ſcripſerat, iubens, vt *inſanientem iſtum Philippi adoleſcentulum* (ſic enim eum per contemptum vocabat) *verberibus puerilibus grauiter cæſum, indutumque poſt veſte purpurea, ſibi vinctum traderent, nauibuſque vna cum nautis ſubuerſis, omnes eius milites ad vlteriora Maris rubri tranſportarent.* Bizar. Hiſtor. Perſ. lib. 2. & Chr. Bruno in ſupplemento ad Curtium lib. 2. Quo tempore Darius ſe *conſanguineum Deorum* vocabat. Sidonius carm. 9, 54. *Cognatoſque ſibi Deos crepantem.* Adde Oton. Friſing. 2,25.

FORTVNAM MEAM) Vide vocem *Conſilium* in Indice.

TEMPORA MEA) Quorum habenda ratio, ne *dubitando, & dies prolatando, magnæ opportunitates corrumpantur.* Salluſt. Catil. cap. XLIII. f. Vide Lipſii Polit. 3,8.

3,5,14. *IN POTESTATE MEDENTIVM)* *Nam ea vna artium Imperatoribus quoque imperat*, verbis Plinii 24,1. f. quod optime declarat exemplum Coterii, qui Ludouici XI. Galliarum regis medicus fuit. de quo Cominæus lib. X.

3,5,16. *ARBITRABATVR)* Rectius alii, *arbitrabantur*, niſi quod vtrumque gloſſam ſapit. vide ſupra ad 3, 4, 11. vbi verbum *confitebatur.* ego ſi quiſquam librorum adſtipularetur, & illud, & hoc eliminaſſem.

PROPTER NOVITATEM) Nec enim ita liberum eſt medicis, regum periculo, vt vilium capitum, *experimenta per mortes agere*, vt loquitur Plinius 29,1,27. quin ſæpius, etiam cum abunde expleuerunt officium, ab iratis & ſuperbis regibus, naturæ imperia ſuo exitio luunt. vide infra 10, 4, 12.

3,6,1. *SEQVVTVS)* Albertus Sebiſius malebat, *ſequutos*: cum in nonnullis præcedat *medicos*: ſed cum idem ſit ſenſus, vocem conſenſu omnium receptam tenui.

FIDVS ADMODVM REGI) Sic diſtinxi: nec enim cum Acidalio & Radero putem opus eſſe copula inſerta. certe non magis ea opus eſt hic, quam ſupra 3,1,16. *Ionis templum intrat. Vehiculum &c.* & 3,4,7. *planitiem eius crebris diſtinguentibus riuis. Pyramus & Cydnus inclyti amnes fluunt.* talia multa aſyndeta in Curtio. ſic infra 3, 7,3. *Æſculapio &c.* ideoque alteram Acidalii opinionem amplexus ſum, diſtinctione ſenſum ordinari poſſe, niſi quod alio, quam ille, loco diſtinguendum vidi. Confer Tiraquelli tom. 1. pag. 209. pr. 2. & 227. pr. 2.

CVSTOS SALVTIS) Non qui armis illum defenderet, ſed qui ſanitatis eius curam ageret, & verbis Taciti 6,50,3. *valetudines* eius *regeret.* Quales antiquitus, hodieque magnates alere conſueuerunt.

3,6,2. *TANTAMQVE)* Malim, *totamque*

3,6,3. *VICTORIAM IN EO POSITAM)* Quamquam nec manu vt ſolebat, exemplum facere militi, nec voce accendere poſſet, ſola præſentia animaturus. quæ in duce magno, & qui multa virtutis ſuæ documenta dederit, tantum valet, vt cum eum modo vident milites hoſteſque, non ex præſenti eum æſtiment, ſed totum adeſſe credant, quantus vnquam animo, vigore, conſilio, manu fuit. Exemplo ſit apud Liuium 6,8,2. *Camillus iam ad munera corporis ſenecta inualidus*, quo inuadente, hoſtes *nec vis tantum militum mouebat excitata præſentia ducis, ſed quod Volſcorum animis* (quippe admiratione & terrore viri ex antecedentibus eius geſtis, plenis) *nihil terribilius erat, quam ipſius Camilli forte oblata ſpecies.* ſed ex recenti memoria Paulus Ciniſius, de quo Lud. Tubero in elegantibus ſane comment. de temp. ſuis lib. 1. *fugam capiunt nulla magis alia re perterriti, quam terribili ſpecie Pauli Ciniſii in prima acie magno animo verſantis, atque ad pugnam ſuos adhortantis: facile enim ſua ille Dux præſentia, vtpote multis victoriis clarus, & ſuis animum addere, & aduerſarios formidinem incutere poterat; cum plerique eorum qui in vtroque erant exercitu, ſub ipſo ſtipendia ſæpius feciſſent, multorumque facinorum eius, quæ quidem res ad maieſtatem nominis maxime confert, teſtes eſſent.* Sic de Vthero Pendragone Roſſius in Britannicis:

Viher, vt id nouit, quamuis tunc temporis æger
Esset, & infirmus, se tamen inde leuat.
Moxque sibi feretrum fabricari præcipit, in quo
In medios hostes mollius ire queat.

& Gotfrid. Hist. Brit. 8,22. Sic Scipio apud Liuium 24, 42, 6. Eumenes apud Plutarchum cap. XXVII. Lutatius apud Valer. Max. 2, 8. Vurfandus apud Reginonem in Anno DCCCLXXIV. Vide & Iouium de Vir. Illustr. pag. 281. Hinc apud Arrian. de reb. post Alex. gestis, qui libri vtinam supersessent, apud Photium in excerptis refertur, Eumenem quando prœlio cum Cratero contendit, *omnem dedisse operam, vt ignorarent sui Craterum aduersus se belligerare: ne fama adducti, vel castris suis desertis, ad illum transirent, vel certe apud se manentes, audaciores minus essent, qui cum illi dolus atque astus processisset, prælio quoque victor euasit.* Altera causa est in eo, quod alacrius pugnant milites, inspiciente qui & præmia meritis, & ignauis pœnas irrogare potest, *idem seueritatis & munificentiæ specimen*, vt loquitur Tacit. 1, 46, 2. & verbis Annibalis apud Liuium 21, 44, 19. *virtutis spectator ac testis.* ideoque pericula minus pauent. *nam*, vt ait noster infra 4, 15, 24. *ante oculos sui quisque Regis mortem occumbere ducunt egregium.* præsertim cum & infamia stimulet, ducem in periculo relinquendi, qua maxime ratione Sylla victoriam aduersus Archelaum adeptus est, qui inclinata suorum acie *desilire ex equo, arreptoque signo per medios fugientes ruit in hostes clamans: mihi milites hic alicubi decorum est occumbere; vos rogantibus vbi imperatorem vestrum prodidistis, memineritis respondere, Orchomeni.* Haec vox conuertit eos. Plutarch. Sylla cap. 43. Ita Cæsar Mundensi prœlio *discurrens inter milites hortabatur eos sublata à facie galea, quo magis agnitus pudorem eis incuteret: qui ne sic quidem metum remiserunt, donec ipse arrepto cuiusdam clypeo, sic proximos tribunos increpuit: Iam nunc & mihi vitæ finis erit, & vobis militiæ &c. Tum vero tribuni certatim texerunt eius latera, & totus exercitus magno impetu pronolans per totam diem dubio Marte continuauit prælium.* Appianus Alex. de bellis ciuil. lib. 2. Adde Gruter. discurs. in Tacit. cap. 15.

3,6,4. *A PARMENIONE)* Seneca de ira 2, 23. epistolam eam ab Olympiade matre fuisse scriptam prodit, quo loco Lipsius. Plerique omnes *Parmenionis* epistolam, non *matris* produnt: Arrianus 2, 1, 26. Plutarchus in Alex. cap. 30. Valerius 3, 8. f. Iustinus 11, 8, 5. Diodorus in hac re silet: at sub idem tempus accusatum à matre Alexandrum Lyncestis facit.

SORORIS) Plutarchus filiæ ἀνεψιὸς scripsit. Sufficiebat medico & proditori empto soror. Raderus. Ita ei qui Constantinopolim prodidit Muhammedes filiam promisisse legitur: sed vrbe capta iussit excoriari hominem, vt noua cute succrescente demum dignus fieret vxore Mahummedica. Vide Cuspinianum in vita Constantini IIX. Imperatoris.

ESSE CORRVPTVM) Quomodo Xenophon Claudii medicus, ei pro medicamento venenum dedit, vt refert Tacit. extremo libro XII. quod tamen aliter exponere tentat Canonherius ad Hippocratis VII. lib. aphorism. in prolegomenis. vbi purgat medicos ab hac obiectione, quod aliquando venenum propinauerint, & è contra multa exempla fidelissimorum medicorum recensct.

3,6,5. *IN VTRAMQVE PARTEM)* Eleganter infra 6, 6, 27. similem sensum expressit: *Versabat se ad omnes cogitationes, aliud atque aliud (vt solet, vbi prima quæque damnamus) subiciente animo.* Virg. Æn. 4. v. 285.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

3,6,6. *SATIVS EST)* Vide infra ad 5,11,11.

3,6,7.

3,6,7. *SIGILLO ANNVLI SVI)* Ms. Pithæi: *annulo sigilli sui*, sed iterum infra 3,7,14. vulgata lectio firmatur, *ignoti annuli sigillo impresso.*

PVLVINO CVI INCVBABAT, SVBIECIT) Sic apud Sallust. Iug. 71,3. Nabdalsa dormiente, Numida quidam *epistolam, super caput in pulvino temere positam sumit.*

3,6,9. *LEVATO CORPORE IN CVBITVM)* Quidam Mss. *in cubile*, quod mireris. nam altera lectio veritati propior est, & aliorum exemplis firmatur. Petronius Satyrico: *Erectus igitur in cubitum, hac fere oratione contumacem vexauit.* vbi Bourdelotius: Qui repente erant ex somnio quodam turbulento excitati erigebantur in cubitum. Homer. Iliad. κ. versu 80. ὀρθωθεὶς δ' ἀὐ ὑπ' ἀγκῶνος. Æmil. Prob. in Attic. *hos vt venisse vidit, in cubitum nixus.* Propert. El. 1, 3. Fulgent. Mythol. prolog. Sic Hercules depingi solitus. Lucian. Lapithis. κείσομαι ὑπ' ἀγκῶνος, οἷον τὸν Ἡρακλέα γράφουσιν: *incumbam cubito, qualem Herculem depingunt.* Idem & tractatu de luctu. His Bourd. locis adde Phylarchum, apud Athenæum 4, 7. ὡς τε τῶν ξένων ἐνίους τῶν παραληφθέντων ὀκνεῖν τὸν ἀγκῶνα ὑπὸ τὸ κροσκεφάλαιον ἐρείδειν, οὓς ἤ πρόσθεν ὑπὸ τῇ κλινοποιΐᾳ ψιλῇ διακαρτερεῖντας τῆς κλίνης παρ' ὅλην τὴν συνουσίαν, ὅτε τὸν ἀγκῶνα ἅπαξ ἐρείσειαν. *vt vocatis ad conam hospitibus quidam cubito inniti cervicalibus cunctarentur, & qui antea toto conuiuii spatio in nudo cubili perdurabant, tum in lectis accumbentes, ne semel quidem pulvinaribus cubitum fulcirent.* Val. Max. de hoc ipso Alex. 5, 1, 1. ext. *quanquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus.*

TVM EPISTOLAM) Valerius Maximus 3, 8. f. discedit à narratione aliorum, & ab Alexandro, hausto demum poculo, ait Philippo Parmenionis literas porrectas. *Quas cum (Alexander) legisset, sine vlla cunctatione medicamentum hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit.* Arrianus 2, 1, 26. contra legendas ait tradidisse Philippo, & ipsum interea dum alter legeret, hausisse. Plutarchus in Alex. c. 30. cum Arriano facit, simul & lectam Philippo epistolam, & haustum ab Alexandro poculum. Curtius cum Valerio videtur docere, sumpto demum pharmaco datas Philippo literas legendas, quamuis subobscure, cum dicit: *hauris interritus: tum &c.* hausto nempe medicamento. contra tamen est quod sequitur [mox videbimus] *nunc sacro & venerabili ore trahitur*: nisi legas, vt quædam habent exemplaria, *accepit & hausit, tum epistolam.* Raderus.

CONSCIENTIÆ NOTAS) Ouidius

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Iuuenalis 1, 167. - - *rubet auditor, cui frigida mens est,*
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.

Et Terent. Adelph. 4, 5, 9. *Erubuit: salua res est.* Pallor in plerisque sequitur maiorum scelerum conscios. Horatius Epist. 1, 1.

- - - - *hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Raderus.

Hinc eximie, vt solet, Barclaius lib. 1. *vultus aliquid ingens vel ausæ, vel timentis.* Nam, vt elegantissime Cicero de Orat. 3. c. 59. *imago animi vultus est, indices oculi.* Iterum de Orat. 2. c. 35. *Vultus sensus animi plerunque indicant.* Sic apud Tacitum 1, 12, 4. *vultus offensionem conjectauerat.* Sic apud Lipsium in monitis politicis cap. 9. ex. 4. *introducitur & mulier. Hanc nostin, ait Princeps, colorem homo mutat.* Pulchre Boethius lib. XI. Hist. Scotorum de Donealdo, *Habet id animus sceleratus peculare, vt ad omnia patiens, vultu aut gestu crimen prodat inuitus.*

3,6,10. *PLVS INDIGNATIONIS)* Indignantur insontes, pauent nocentes. Plautus Amphitruone act. 2. Scen. 2. v. 251.

- - - - - quæ non deliquit, decet
Audacem esse, & confidenter pro se & proterue loqui.

Val. Flaccus lib.2. v.263.

- - - - - stabilem optimæ factæ
Dant animam, maiorque piis audacia factis.

Mala conscientia timidissimum facit, vt nescio quis apud Stobæum loquitur: *Sibi conscium, licet virum audacissimum, Timidissimum facit ipsa conscientia.* Raderus. De qua re olim ad Tacitum 1, 57, 3. *Sed inuenis conscientia contabatur.*

NVNC VERE ARBITROR) Placet Acidalii emendatio: *nunc vere ab isto sacro &c.* primum enim rectius scribitur *vere*, quam, vt habent alii, *vero*. Id enim dicit, semper quidem suam incolumitatem annexam fuisse regiæ: iam autem demum *vere*, id est, vnice, & proprie, ita vt isto sacro ore, non magis regis, quam ipsius Philippi, spiritus atque vita trahatur, quem, si rex perisset, ne quadrigis quidem albis Iupiter supplicio eripere potuisset. Trahendi enim verbum hic ad spiritum, seu animam, vel si mauis, aërem, qui hauriendo reciprocatur, pertinet: non, vt Raderus interpretatur, ad hausium medicamenti. hoc enim ineptum fuisset dicere: os tuum perinde spiritum meum trahit, quomodo hanc potionem, quam absorbet. Sed hæc est sententia elegantissimi sensus: Vita mea in tua salute posita est, nec os tuum, quo vitalem spiritum trahis, tibi magis quam mihi vitam prorogat: quo clauso, tam mihi, quam tibi necessario moriendum erit. Simile apud Senecam Epist. 104, 3. *cum sciam spiritum illius in meo verti.* Deinde ex eo quoque Raderi interpretatio subuertitur, quod Curtius (ipso fatente) innuit, prius bibisse Alexandrum, quam literas Philippo legendas præberet, immo si simul & iste bibisset, & hic legisset, credibile tamen esset, illum multo prius ebibisse, quam hic & epistolam perlegeret, & tot simul affectibus perculsus in vocem illam prorumperet.

3, 6, 11. *PATERE MEDIC. CONCIPI VENIS)* Curæ, præsertim, graues, auocant calorem à stomacho in caput, vt suum munus fungi stomachus non possit, nec cibum aut potionem, pharmacumve vllum digerere, & in venas spargere, adeoque ἄχρηστον redditur medicamentum. & plus nocet quam prodest. E ventriculo autem tribuitur ac diffunditur in totum corpus per venas, vt præter Hippocratis alumnos eleganter docet omnibus disciplinis eruditus M. Tullius Epist. fam. 16, 14. & 18. Raderus.

3, 6, 13. *DEXTRAM)* Quæ vt in deditos, supplices, aut fœdus iungentes fidei, sic alias fauoris, & beneuolentiæ est tessera. nos etiam in gratiarum actione solemus implicare dexteras. Atque hoc intuitu Darium Polystrato manum porrexisse potius crediderim, quam, vt Iustinus extremo libro XI. interpretatur, vt id fidei regiæ pignus Alexandro ferret, cui fide regia à Dario nihil erat opus. ea enim tantum ad eos, qui in fidem, hoc est patrocinium, recipiuntur, attinet. Atque ita sensisse videtur & Sabellicus En. 4, 6. *Dextræ pignus illi gratitudinis ergo detulit.* Sic hospites inter se iungunt dextras, vt ex Cicerone pro Deiotaro cap.3. est colligere.

3, 6, 14. *NVNC CIBI, NVNC VINI ODORE)* Exspirat enim & exhalat id quod in cibo vinoque præstantissimum & subtilissimum est, vnde est quod coquos aiunt odore pasci. Certe Democritus è philosophorum senatu non postremus, recens cocti panis odore, toto triduo fugientem animam retinuit. Laërtium vide, cuius & epigramma super eodem facto Democriti extat. Est & elegans apud aurei oris scriptorem Chrysostomum medici artificium, quo deceptus febriens hausit ingratum sibi, sed salutare pharmacum. Imbuerat ille Machaon testam recens coctam & calentem generosissimi vini odore, in eaque medicamentum diluit. Æger simul ori

ori vas admouit, falsus odore vini bibit medicatam potionem, ratus se vinum bibisse, & reualuit. Raderus. Megasthenes apud Plinium 7, 2. ponit *ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, Astomorum* (id est, ore carentium) *gentem sine ore, corpore toto hirtam: vestiri frondium lanugine, halitu tantum viuentem, & odore quem naribus trahant. Nullum illis cibum, nullumque potum: tantum radicum florumque varios odores & syluestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: grauiore paulo odore haud difficulter examinari.*

3, 6, 15. *MATRIS SORORVMQVE)* Quas ille impense amabat. nam infra 10, 5, 30. *Olympiada immortalitati consecrare decreuerat.* sed & in sorores, Cleopatram inprimis, tantum nimia indulgentia fuerat. recte ideo reprehensus à Plutarcho in præceptis Reipubl. gerendæ cap. 17.

3, 6, 17. *VELVT PRÆSENTI DEO)* Veteres omnino medicinæ repertores excultoresque diuorum numero accensi fuerunt, diuinisque honoribus mactarunt, Apollinem inquam, Mercurium, Arabum, Dioscuros, Cadmum, Chironem, Apim, Æsculapium, Podalirium, Machaonem, qui & Homero Ιλ. δ. 212. ἰσόθεος φὼς laudatur, & alios, quod crederent tam excellentem disciplinam non potuisse humanis ingeniis excogitari. proinde à Luciano Abdicato appellatur *Deorum doctrina.* Est elegans epigramma Lucillii Epigr. Græc. 1, 39, 7. de Magno medico, Plutonem tremuisse mortuo Magno, quod vereretur ne etiam mortuos excitaret, vt de Æsculapio ferebatur.

Μάγνος ὅτ' εἰς ἀΐδην καταβὴ, τρομέων Ἀϊδωνεὺς
εἶπεν, ἀνασσήσων ἤλυθε καὶ νέκυας. Raderus.

Fuerunt & qui stulta arrogantia sibimetipsis ob medendi peritiam diuinos honores adscriberent, quorum Menecratem Philippus Alexandri pater vrbanissime risit. ille enim *adeo superbia turgebat, vt se ipsum Iouem appellaret. Misit autem aliquando literas ad Philippum Macedonum regem in hæc verba: Philippo Menecrates Iupiter salutem. ad ea rescripsit Philippus: Philippus Menecrati sanitatem. Consulo vt ad Anticyram te conferas.* Ælianus hist. var. 12, 51. vbi & aliam eiusdem Philippi vrbanitatem exponit. Agesilao tribuit, perperam opinor, Plutarch. Apophth. cap. LXXXIV.

ERGA REGES SVOS) Erant enim φιλοβασίλειοι. Plutarch. Æmilio cap. XL. Tales fuerunt Cappadoces, qui libertate à Romanis donati, negarunt *viuere gentem sine rege posse*, referente Iustino 38, 2, 8. tales omnes ad Orientem populi. vnde *suetus regibus oriens*, Tacito H. 4, 17, 7. immo *omnibus gentibus*, vt M. Tullius pro L. Manilia cap. 9. ait, *regale nomen magnum & sanctum videtur.* Eleganter Virgilius de apum cultu erga suum regem, Georg. 4. v. 210.

- - - - non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant.

Sed omnes fere gentes superabant Persæ, quibus nomen regis pro numine erat. quo cum iterum apes comparantur apud Ambrosium Hexaemeron 5, 21. *Apes illæ quæ non obtemperauerint legibus regis, panitentiæ condemnatione se mulctant, & immoriuntur aculei sui vulneri. Quod Persarum populi hodieque seruare dicuntur: vt pro commissi pretio ipsi in se propriæ mortis exsequantur sententiam. Itaque nulli sicut reges Persarum tam grauissimas in subiectos habent leges.* Apud Brissonium lib. 1. late leges, quomodo Deorum honoribus colebantur, eos adeuntes humi prosternebantur, aliaque in hunc modum. Longe autem maximum eius venerationis argumentum legitur apud Herodotum 8, 118. Cum Xerxes naui in qua erat, ob multitudinem vectorum laborante, de vita periclitaretur, magnum Persarum, qui cum eo erant, numerum sponte se in mare præcipitasse, vt sua morte vitam regis emerent. *quippe in illis gentibus Regum eximia maiestas est.* infra 5, 10, 2. Quibus

bus non absimilia de barbaris regib⁹ traduntur a recentioribus. Sed & de Celtiberis olim à Sallustio fragm.6,9.apud Seru.ad Virg.Georg.4,218.*Se regibus deuouent,& post eos vitam refutant : adeo illis ingenita est sanctitas regij nominis.* In primis autem memorabile est, quod narrat Elmacinus 3,8. de Batiina : Cum legatus Regis Gielaluddaulæ ad eum venisset, obedientiam exigens, *quosdam ex assectis suis accersiri iussit, & adolescenti cuidam ex ipsis annuens dixit, interfice te ipsum, atque ita fecit ; tum alteri innuit, vt ex arce se præcipitem daret, quod item fecit, & comminutus fuit : tum vero Rex legato dixit : eiusmodi 70000. subditi hac in me obseruantia feruntur, atque hoc tibi pro responso esto.* Conradus Leo in histor. Mahometica Coloniæ anno 1596. edita scribit, in solennitate, qua Amurathis III. filius circumcidebatur ritu Turcico, quamplurimos Turcas in honorem Imp. sui, mortem variis modis sibi consciuisse, vt tandem expressa inhibitione, grauissimæque pœnæ denunciatione vesaniæ hominum obtiam eundum fuerit.

3,6,18. *NISI DIVINA OPE)* Alii *sine D. ope*, quod probem,quamquam vtrobique idem sensus est. Sic de Constantino Sozomen. hist. Eccles. 2,32. ἐπιτόπλους ὡς ἐκ δίου τίλος ἐπεχείρησεν. ἀνὺ γὰ θεοῦ ἦκεν, ὡς ἐπεχείρει. Vbi interpres in verbis posterioribus respexisse videtur Curtium. nam sic reddit: *In rebus item quas instituebat, haud scio an quisquam fuerit fortunatior. Nam absque diuina ope, vt mihi quidem videtur, nihil aggressus est.*

PRÆSTO VBIQVE FORTVNA) *Quam solus mortalium in potestate habuit*, infra 10, 5, 35. De qua quantum sit ad potentiam instrumentum, vide Lipsii Polit. 4,9.

TEMERITAS IN GLORIAM CESSERAT) Verissime Plautus Pseudolo 2, 3, 13.

- - - vt quisque fortuna vtitur,
Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene vbi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus : stultum autem illum, cui vertit male.

Vide Plinium epist.5,21.f. Simili fortuna Marii *omnia, non bene consulta modo, verum & casu data in virtutem trahebantur*, teste Sallustio Iug. 92, 2. & Ceriali apud Tacitum H. 5, 21, 5. *subito consiliis, sed euentu claro, aderat fortuna, etiam vbi artes defuissent.* Sic apud Tacit. Germ. 36,3. *Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.* Curio apud Cæsar. De bello ciu. 2,31. *quasi non & felicitas rerum gestarum exercitus beneuolentiam imperatoribus, & res aduersæ odia concilient.* Pluribus id tractauit nuperrime, multa militari fama Dux Roanus in libro de perfecto Capitaneo.

3,6,19. *IN RE MILITARI)* Bene se habet hoc, & tot Mss. fide nititur, contra quos hic nec Modii, nec Acidalii coniecturis faueam. De re ipsa dicemus, DEO bene iuuante, ad ista Taciti 13, 8, 4. *Specie inanium validus.*

GRATIORA VVLGO SVNT) Cuius fauor merito quærendus,quantum bonis artibus potest. Impense tamen prospiciendum est, vt prudentia, quæ sola actiones distinguit, adsit : nam qui absque ea humanitati studere voluerunt, pro caritate popularium contemptum inuenere. quod exemplo Antiochi Epiphanis ostendit Hippolytus à Collibus in principis sui cap. 27. qui in balneis popularibus semper lauabatur, sed tunc, cum balnea viris popularibus plena essent. sed & absurdiora multo de Epiphane isto narrat Athenæus. Quomodo de Michaële Imp. Cedrenus & Zonaras tom.3. quod *aliquando reperta muliere, quæ è balneis domum redibat, de equo descendit, eamque domum comitatus est, & cum ea canatus pedes in regiam rediit, & huiusmodi nugis, quasi re bene gesta gloriari solebat : cum aliis deliraret videretur, atque odium sibi conciliaret.* Eundem tamen Hippolytum, cum Patricio Senensi pr. lib. 9. de regno & regis instit. aliisque

aliisque seueritatis grauitatisque magistris, hanc Alexandri humanitatem perperam carpere, eique coniurationes seditionesque, quæ postea extiterunt, fruſtra adscribere contendo. nam & ipsa res id euincit. donec enim humanum atque facilem se præbuit, *vt pariter carus ac venerandus esset, effecerat* : postquam in superbiam lapsus est, *immortalitatem affectantem contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, auersati sunt*, infra 4, 7, 31. Non ergo fraudi fuit Andronico quem pr. historiæ πολὺν τλὼ σύνεσιν *prudentissimum* Imp. appellat Gregoras, quod referente eodem in fine operis, adeo humanus fuerit, vt vrgentibus priuatis aliquando se pateretur ex superiore loco, qui proprie Imperatori comparatus erat, depelli, nec eam rem ægre ferret. quanquam certe eiusmodi patientia facile ad vilitatem proferre posset principes, si non aliis virtutibus contemptum amoliantur. Non igitur omittenda humanitas, sed prudentia temperanda est, laborandumque vt, quod effecit Alexander, *pariter carus ac venerandus sit.* quod egregie præstiterunt apud Xenophontem Cyrus, apud Herodian. 1, 3. Marcus. In quod elegans est Callistrati monitum, quod Præsidibus quidem datum in l.19.de off præf.non tamen incommode huc trahas: *obseruandum est ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem se præbeat, contemni tamen non patiatur &c.* à qua arte socerum suum commendat Tacitus Agric. 9, 4. *nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut seueritas amorem deminuit.* Sic Petrus Paruus Rosæ fontanus Eques Danus Regem suum Ioannem, in fine Chronici, describit : *Tanta grauitate, vt omnes dignitatem Regiam in eo plurimum venerarentur, & tamen ob comitatem singularem plurimum eundem amarent.* Pulcherrime Gregoras lib. 6. de Constantino Porphyrogenneto, Imp. Andronici fratre : *comitate & suauitate morum omnes facile adamantinis sibi vinculis deuinciebat. Solet enim dexteritas & benignitas morum, in altiore dignitatis gradu, facile omnium animos sibi reddere obnoxios : quemadmodum verna tempore splendidi flores præteruntium oculos in se conuertunt. Hoc illud est Indorum sapientum præceptum : Principem, quo natura sublimior sit, eo humaniorem se inferioribus si præbueris, charissimum populo futurum.* Adi Lipsium Polit. 2,16. cum notis,& Polit.4,12. Ciuilitatem Regia maiestate bene temperatam belle nobis describit Apollinaris epist. 1, 2. in Theodorico rege. Similis moderatio in Valerio consule, qui Liuio 7,33,3. describitur *haud minus libertatis alienæ, quam suæ dignitatis memor.* Verum (vt verbis vtar Plinii epist. 4,3,2.) *seueritatem istam pari incunditate condire, summaque grauitati tantum comitatis adiungere, non minus difficile quam magnum est.*

EXERCITATIO CORPORIS INTER IPSOS) *Pompeius* apud Sallust. Hist. fragm. incert. 4, 46. *cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.* Sic, de M. Valerio Coruo Liuius 7, 33, 1. *Non alias militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud grauate munia obeundo, in ludo præterea militari, quum velocitatis viriumque inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis : vincere ac vinci vultu eodem, nec quemquam aspernari parem qui se offerret. Itaque* (vt mox sequitur) *vniuersus exercitus incredibili alacritate adhortationem profecturus ducis, castris egreditur.* Adde Plinii paneg. cap.XIII.

CVLTVS HABITVSQVE) Posset ingens catalogus texi tam eorum qui hunc Alexandrum, quam qui alterum illum Persico deinde fastu corruptum imitati sunt, si præsentis instituti modus caperet. cuius memores contenti simus breuiter id in memoriam reuocasse lectori : vt ipse recordetur, quo euentu illam istamue viuendi formam quisque sibi delegerit. Vide interim Lipsi. Polit. 2,15. f.cum Notis. itemq; eius Monita & Exemp.Politica 2,15. Piccart. obseru. 14, 1.

3,6,20. *VEL ANIMI ARTIBVS)* Explicet hunc locum similis ille Liuii 26, 19, 3. *Fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuuenta in ostentationem earum compositus.* & quæ sequuntur. Adde Suetonii Titum in pr.

3,7,1. *QVANTAM CAPERE)* Quidam editi; *quanta poterat*, nec bene dictum nego. Sed consensus Mss. tam Bongarsi. quam Modianorum, & aliarum edd. in hanc sententiam me pertraxit, vt auctori sua verba restituenda esse crederem.

IVNCTOQVE EO PONTIBVS) Cyrus minor cum ex Cilicia Babylonem proficisceretur, vbi ad Euphratem peruenit, reperit latum stadia tria. Non improbabile est à Dario in Ciliciam mouente haud procul ab eo loco, pontibus stratum fuisse. Raderus. Xenophon. ἀναβάσ. 1. Cyrum transisse Euphratem dicit ad Thapsacum. *Cyrus ad Euphratem fluuium procedit, cuius erat quatuor stadiorum latitudo. Ibidem vrbs ampla & locuples erat, cui nomen Thapsacus.* quod oppidum suo tempore *Amphipolin* vocatum fuisse Plinius scribit 5,24,8. appellatione haud dubie inde ducta, quod ab vtraque fluminis ripa habitaretur. Vel, vt Amphipolis Thraciæ appellata fuit ob circumfluentem Strymonem, Thucyd. 4,21,4. Nobilitarunt eam præcipue Geographi, dimensiones suas ad eam applicantes, qua de re multa Strabo libris prioribus. Ibi vada sunt, quæ Cyrus sine ponte traiecit. Eodem loci Darius pontem struxit, vt ex Arriano 2,3,7. liquet: *ad Thapsacum vrbem & Euphratem* (nimirum per pontem suum regressurus) *cum equitatu contendit, vt quam citissime posset, Euphratem inter se atque Alexandrum medium relinqueret.* & clarius 3, 2, 1. vbi & Alexandrum eadem transiuisse scribit. *Alexander Thapsacum peruenit &c. post eius* (Mazæi) *fugam pontibus in vlteriorem ripam iactis, Alexander vniuersum exercitum traduxit.* Nisi tamen iste pons non ad tempus à Dario structus, sed perpetuo ibi fuit; quod innuere videtur Strabo lib. 16. *iuxta Thapsacum antiquus Euphratis pons erat ad Tigris transitum: vbi Alexand. cum exercitu traiecit.* Porro Arrianus Romanos etiam *per Euphratem quoties necesse fuit pontem duxisse* asserit 5, 1,32. vbi & rationem illorum struendis pontibus explicat. addit autem *quoties necesse fuit.* alias enim ad Zeugma transire sunt soliti, vt Crassus apud Appian. de bell. Parth. quamquam enim ibi pontis tantum meminit App. ex Floro tamen 3,11, 3. constat, eum ibi transiuisse. vt ita contentus fuerit Appianus *pontem* dicere, qui ad Zeugma ordinarius erat & perpetuus. eum Seleucus struxerat, vt ex Plinio 5, 24,7. discimus: *Zeugma transitu Euphratis nobile. Ex aduerso Apamiam Seleucus idem vtriusque conditor, ponte iunxerat.* Qui auctores faciunt, vt diffidam Dioni lib. 40. qui Zeugma appellatum scribit ab expeditione Alexandri, qui Euphratem ibi transierit.

3, 7, 2. *SOLOS)* De Solis vrbe passim scriptores, Dionysius de situ orbis vers. 875. & ad illum Eustathius, Strabo lib. 13. Solinus cap. 38. Mela 1, 13. Scholiastæ horum, & antiquior omnibus Herodotus. [apud quem tamen non reperio solos, præter vrbem Cypriam hoc nomine] Ego ex Laertio in Solone ipsius natalem aperiam: *inde Solon* (à Croeso) *dimissus venit in Ciliciam, & vrbem condidit, à se Solos appellatam.* Addit Laertius paucos ibi Athenienses collocatos, eosque sensim patriæ linguæ inter barbaros oblitos cœpisse σολοικίζειν. Alii ab aliis barbaris affirmant Atticam linguam ibi deprauatam, indeque natum Solœcismum, qui colonias in omnes prope gentes & posteritatem scholasque deduxit. Solinus & Mela *Solæ* non *Soli* scribunt, & Vadianus ex Hermolao, hic ex Cicerone conatur euincere, vt discoræ. Sed nusquam legi Solas, sed Solos. Et quo pacto aliter scribas Græce nomen multitudinis virilis generis? si muliebre esset, Σόλαι dicendum erat, vnde Solæ, Solanum descendit. Seruo cum Curtio *Solas*, à Soli Solorum. Vti & Arrianus 2, 1, 31. Strabo lib. 14. ac alii Σόλας in quarto casu scribunt. Fuit & Cypri vrbs huic cognominis; & Africæ promontorium apud Herodotum. Raderus. Apud Herod. 2,32. & 4, 43. promontorium est *Soloeis.* Quod in quibusdam exemplaribus hoc loco *Solis* legebatur, Salmasius ad Solin. dicto loco, ait defendi posse, ex eo quod antiqui nomina vrbium sexto casu plerumque proferebant, ætate Solini atque adeo superiore. Quod autem in aliis exemplaribus Soli-

Solini, & Melæ est *Soloe*, id mihi videtur accidisse ex veteri pronunciatione Græci nominis Σίλοι, quæ non male sic effertur *Soloe*, ita scilicet, vt nouissimæ duæ vocales coalescant in diphthongum. Vt in Hieronymo ad Daniel. cap. XI.

MVLCTÆ) *Quod propensiore erga Persas animo fuissent.* Arrianus 2,1,31.

3,7,3. *VOTA PRO SALVTE)* A milite vel Alexandro, vel vtrisque, & hoc pro more, vt in Romana quoque Imperatorum & Græca historia passim apud Herodianum, Plutarchum, Lucianum, Pausaniam, alios cognosces. Raderus. Votorum antiquissima est origo, vt ex historia sacra patet. eaque in omni necessitate & desiderio concipiebantur. nos exempla recensebimus eorum, quæ proprie huc pertinent. Cicero Philipp. 10, 8. de Hirtio: *nondum ex longinquitate grauissimi morbi recreatus, quicquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis iudicauit se a morte reuocatum.* Item de eodem Phil. 7, 4. *Æquum, credo, putauit, vitam quam pop. Romani votis retinuisset, pro libertate pop. Romani in discrimen adducere.* Idem Epist. ad Attic. vltima lib. 8. *nec simulant, vt cum de illo ægroto vota faciebant.* Plinius lib. 7, 48. *ludis pro salute D. Augusti votiuis.* Tibullus 3, 5. f. in suo morbo:

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niueï lactis pocula missa mero.

Sueton. in Caio cap. 14. n. 4. *Vt verò in aduersam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito vouerent.* & mox cap. 27. num 3. *Votum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat; spectauitque ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem, & post multas preces. Alterum qui se periturum ea de caussa vouerat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque, qui votum reposcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex agger.* Liuius 4,25,3. *Pestilentia eo anno aliarum rerum otium præbuit. ædes Apollini pro valetudine populi vota est.* Adde eundem 1, 31, 6. 5, 13, 5. 7, 2, 1. 7, 27, 1. Item 40, 37, 2. propter pestilentiam iussus *consul Apollini, Æsculapio, Saluti dona vouere, & dare signa inaurata, quæ vouit, dedit que.* & 25, 12, 14. *Hæc est origo ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergo: vt plerique reuuntur, votorum.* Pertinere huc putem *ædem Apollinis Medici*, apud eundem auctorem 40, 51, 5. Ibid. 41, 21, 10. *Q. Marcio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit: Si morbus pestilentiaque ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum.* quæ est ipsa supplicatio, cuius meminit 42, 2, 7. *quæ priore anno valetudinis populi caussa vota esset.* & in simili caussa 3, 7, 6. *inops senatus auxilij humani, ad deos populum ac vota vertit.* Et 27, 25, 7. *pestilentiæ caussa & supplicatum per compita, tota vrbe est: & P. Licinius Varus prætor vrbis legem ferre ad populum iussus, vt hi ludi* (Apollinares) *in perpetuum ad statam diem vouerentur.* cui loco iunge 25, 12, 14. & 26, 23, 3. Sueton. Claud. 45, 2. *Quasi pro ægro adhuc vota suscepta sint.* Tacit. 2, 69, 2. *aduersa valetudine Germanici detentus, vbi recreatum accepit, votaque pro incolumitate soluebantur.* Idem 3, 71, 1. *Donum quod pro valetudine Augustæ equites Romani vouerant Equestri Fortunæ.* & de eadem valetudine 3, 64, 3. *tum supplicia diis, ludique Magni ab senatu decernuntur*, nempe voti caussa. Liuius 39, 9, 7. *se pro ægroto vouisse, vbi primum conualuisset, Bacchis eum se initiaturam.* & mox 39, 10, 1. *religionis se caussa, vt voto pro valetudine sua facto liberetur; Bacchis initiari velle.* Adde Capitolin. in M. Antonino c. 8. Propert. 2, 9, 25. & 2, 28. Ouid. Amor. 2, 13. & de Arte 2, 327. Tibull. 1, 5. Albinouan. ad Liuiam, Vellei. 2, 48, 3. Iuuenal. Sat. 10, 283. Plutarch. Pomp. cap. 95. Dion. lib. 41. pag. 173. f. & Inscriptiones. vnde intelligas, pro quibus, quibusque diis, & quas res vouerit olim consueuerit. Sed & pro bubus talia vota faciebant. Cato de re Rustica cap. 83. *Votum pro bubus, vt valeant, sic facito. Marti Siluano in Silua in terdius, capita singula boum votum facito farris adorei libras III. & lardi P. IIII. S. & pulpæ P. IIII. S. vini sextarios tres. Id in vnum vas liceto conjicere, & vinum item in vnum*

ras liceto conjecere. Eam rem diuinam vel seruus, vel liber licebit faciat. Vbi res diuina facta erit, statim ibidem consumito. Mulier ad eam rem diuinam ne adsit, neue videat quomodo fiat. Hoc votum in annos singulos, si volet, licebit vouere.

QVANTA FIDVCIA BARBAROS SPERNERET) In hoc videri possit imitatus Cleomenem, in cuius vita Plutarch. cap. 15. *Populabundus fines Megalopolitanos ingressus, tum ingentem prædam congessit, tum magnam vastitatem edidit agri. Denique captis artificibus qui ludicram artem faciebant, & veniebant ex Messene, excitauit in hostico theatrum, exhibitisque quadraginta minarum sumptu ludis, sedit illic ad eos spectandos totum diem: non quo duceretur eo spectaculo, sed vt hostibus quasi insultaret, & quam longe illis esset superior, cumulate illorum demonstraret despicientia.*

ÆSCVLAPIO ET MINERVÆ) Illi quod Numen peculiare salutis crederetur, de qua re quia notissima est, nihil monebo, nisi quod eo nomine à Romanis pestilentia laborantibus, Epidauro accitus est, vt apud Liuium fine lib.10. & Epit. 11. Valer. Maxim. 1,8,2. & alios: Deinde morem, indormiendi templo eius, vbi ægri per somnium moneri credebantur, quid illorum valetudini conduceret. Vide Cicer. de diuinat. 2,59,9. Philostratum Apollon. 1,5. & seqq. & in Polemone. Mineruam autem præcipue semper Alexander coluit, cui & ante ad Ilium sacrificauit apud Arrian. 1,4,8. eique arma sua suspendit: & pollicitus est templum se illustrissimum conditurum. Strabo lib. 13. & infra 3,12,27. aram sacrat: quam & 4,13,15. propitiat: & 8,2,32. victimis cæsis honorat; quod & Arrianus notat 4,4,12. Ceterum quod ad scriptionem huius loci attinet, vocem *quippe* alii hic inserunt, *quippe Æscul.* quæ præterquam quod pluribus libris abest, sua sponte aliena est à sensu huius periodi. nisi igitur & hic asyndeton esse credimus, qualia supra ad 3,6,1. quædam adnotauimus, sic constituenda erit lectio: *Vota d. pro sal. suis. per lud. atque ocium reddens, ostentui quanta fiducia Barb. sperneret, Æsculapio &c.* sic Tacit. 1,29,6. *Corpora extra vallum abiecta ostentui.* Sallust. & Iug. 24,6. *vt Iugurthæ sceleruin ostentui essem.* plura exempla Taciti require in Indice eius.

3,7,4. *EX HALICARNASSO)* Quam vrbem ipse captam exciderat, Persis in arces confugientibus. Arrian. 1,7,22. Diod. 17,24. & seqq.

PERSAS) *Orontobatem Persam qui Halicarnassi arcem, & Myndum, & Caunum ac Theram & Callipolim tenebat, à Ptolemæo & Asandro victum cognouit. Accesserat ad victoriam & Cos, & Triopium.* sic Arrian. 2,1,32.

MYNDIOS) Quorum oppidum ipse, ipe proditionis, tentauerat, sed irrito successu. vide Arrian. 1,7,5. Paruum fuisse oppidum etiam ex ioco Diogenis apparet, quem Laërtius refert, magnificas eius portas eludentem dixisse: *Viri Mynd., claudite portas, ne ciuitas vestra egrediatur.*

CAVNIOS) In quos est & ingeniosissimum illud Stratonici Citharœdi, qui valetudinarios ibi homines esse conspiciens Homeri versum cecinit:

"Οιηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν,

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum. atque incolis molestè ferentibus; quod vrbem quasi insalubrem notasset, subiecit: *egone ausim insalubrem dicere, vbi etiam mortui inambulant?* vide Strabonem lib. 14. & Dion. Chrysost. orat. 32. Porro hoc oppidum tam aliis pomis, quam præcipue ficubus nobile fuit, vide Athen. 3,3. *quæ consecrandi nauim aduersus Parthos omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce cauneæ.* Plin. 15,19. Vbi forte legend. *cauneas*, vt exprimatur omen *cauneas eas*: quemadmodum apud Ciceron. de diuinat. 2,40. *Cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno aduectas vendens, Cauneas, clamitabat.* Caunum inprimis nobilitauit Protogenes celeberrimus pictor, qui originem inde duxit, Plin. 35,10,42. Ceterum

terum plerique libri hoc loco *Canyndios* legunt, vnde mihi suspicio est scripsisse Curtium *Cnidios*.

3,7,5. *SPECTACVLO LVDICRO)* Istud *ludiero* habuerim pro interpretamento vocis præcedentis. Nisi forte (quod p.m. Socer meus indicabat) *spectaculum* potius est interpretamentum *ludicri* vt ignotioris. Certe Curtio *ludicrum* absolute pro spectaculo sumitur 4,5,11.

MALLON) Vbi *Amphilocho vt heroi parentauit: quumque ciues seditione laborantes offendisset, ea sedata, tributa quæ Dario regi pendere soliti erant, iis remisit, quod Malli Argiuorum coloni essent, ipseque ab Heraclidis Argiuis oriundum se perhiberet.* Arrian. 2,1,34. Quem explicat Straboais locus lib. 14. vbi hanc vrbem describit. ex quo discès Amphilochum Argiuum conditorem fuisse Malli.

CASTABALVM) *Castabala* numero multitudinis scribunt Geographus [Strabo lib. 12.] & Plinius [5,27. &] 8,40,3. *Propter bella Colophonij, itemque Castabalenses, cohortes eanum habuere &c.* Stephanus. Καστάβαλα πόλις Κιλικίας, καὶ Φοινίκης, ἡ καὶ πεζασία ἐκαλεῖτο. *Castabala vrbs est Ciliciæ & Phœnicis, quæ & Perasia vocabatur.* Hic aiunt gesta, quæ de Oreste & Pylade feruntur. Raderus. Vide Strabonem citato loco.

3,7,6. *IBI)* Arrianus 2,1,34. leuiter dissentit, *quum adhuc apud Mallos esset.*

3,7,8. *ISSON)* Mirum dictu, Xenophon. lib. 1. ἀναβάσ. Diod. Siculus 17,32. & Melas 1,13. Isson *ingentem vrbem*; Strabo lib. 14. πολίχνιον *oppidulum cum statione* appellat. Iterum Melas æuo suo nullam fuisse Isson affirmat. Stephanus autem *Issus*, inquit, *vrbs inter Syriam & Ciliciam, ad quam Alexander Darium vicit, eoque dicta est Nicopolis ab illo.* Ptolemæus tamen Nicopolim diuersam facit ab Isso, vti reuera est. Raderus. Hic etiam Cicero postea castra habuit se teste. pretium est operæ nosse verba disertissimi viri. Sic igitur ille epist. fam. 2, 10. *Inseruea cum meis copiis omnibus vexatu Amanienses hostes sempiternos: multi occisi, capti, reliqui dissipati: castella munita improuiso aduentu capta & incensa. Ita victoria iusta imperator appellatus apud Issum (quo in loco sæpe, vt ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro esse superatum) abduxi exercitum ad infestissimam Ciliciæ partem.* Idem ad Atticum 5,20,10. *Castra paucos post dies habuimus, eaipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander.* quem & aras ibidem collocasse discimus ex eodem Cicerone ep. fam. 15,4.

MILITES NOVI) Callisthenes apud Polybium 12,10. scribit Alexandro Ciliciam intranti aduenisse ex Macedonia supplementi loco peditum quinque millia, equites octingentos. Raderus.

3,7,9. *ANGVSTIÆ)* Hic locus addi potest scriptoribus, quorum auctoritate Amiratus discurs. polit. 18,1. similem sententiam tuetur, hostem qui in angustiis vexari possit, in loca plana non admittendum esse.

3,7,11. *SISENES)* Apud Arrian. 1,8,3. memoratur Asisines Persa, de quo quidem aliqua dissimilia narrantur: sunt tamen, quæ persuadeant, eundem videri debere, quem Curtius hic nominat. Apud Iosephum reperitur *Sisines*. Vide Lucian. To. II. pag. 103.

3,7,12. *NABARZANES)* Hic quis fuerit, quidque de eo Curtius tradiderit, optime index noster in conspectum dabit, quem de huiusmodi consuli volumus.

MORIBVS SVIS EDERET) Et hic variant Codices. Theocretus scribit; *maioribus suis*, & Acidalius suspicione ductus ita scribendum coniecerat. Meo animo vtrumque bene, seu *moribus*, seu *maioribus*. *maioribus* enim apte iungitur *nobilitate*, vt aliquid dignum sua nobilitate, dignum maioribus suis designet interficiendo

ciendo Alexandro, *moribus* suis generosis, audacibus, & facinoribus & factis olim haud imparibus perpetratis. Raderus. Ego etiam de postrema vocula subdubito, num magis *auderes* scripserit noster. vox ea familiaris, si qua alia, Tacito nostro. Iuuenalis Sat. 1. v. 73.

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.

3,8,2. *DIVIDERET COPIAS*) Bonum consilium. non autem imitandum modicas copias habentibus, ne accidat quod Ioan. Frid. Saxoni apud Thuan. lib. IV. Pseudophilippo, in Supplem. Liu. 15,39. quod periculum intelligebant Smalcaldici apud Thuan. lib. II. in literis ad maritimas ciuitates.

3,8,3. *ANCIPITEM FIDEM*) Hæc cum ita legantur in plurimis & optimis codicibus; sensum insuper commodum habeant; non facile assentiar vel Palmerio Modioque qui ita legunt: *ancip. fidem, mercede venalem proditionem, imminui & diuidi &c.* vel Acidalio, qui ita: *anc. fid. m.v. proditionem diuidi &c.* quib. si quid mutandum sit, præferam illud Raderi: *anc. fidem & mercede venalem proditionem diuidi non ob aliud copias velle*: Sed ipse quoque sentit nihil hic mutandum esse. Idem iudicium est de seqq. verbis quæ sic format Acidal. *in diuersa transgressi quod commissum esset.* Præ quibus mallem, *ipsis* (Persis) *in diuersa digressis.*

3,8,5. *SVAM SEQVVTOS FIDEM*) Haud minus memorabili exemplo Zuleman rex Arabum in Hispania, quodam suadente vt auxilia Christiana deleri pateretur, respondit: *In securitate meæ fidei aduenerunt, & ideo nunquam hoc facinus perpetrabo.* Roderic. Toletan. hist. Arab. c.33.

TOT MILITVM) Ego quoque post Modium & Rader. reponendum hic putem *tot millium.* præsertim cum & vox *milites* proxime *præcesserit.* infra 4, 16,8. *tot millia suorum.*

3,8,6. *NEMINEM STOL. CONSILIVM*) Eximia sententia, quam illustrat Lipsius Polit. 3, 8, f. Cui adde Thucyd. 3, 7,9. *Moderatam prudentemque ciuitatem, vt nihil adjicere honorum illi cuius præ aliis bonum consilium fuerit, ita neque præsentibus eum spoliare decet. Quod si quis minus rectum. consilium dederit, is non modo multa nulla, sed ne ignominia quidem puniendus est &c.* Ciceron. ad Attic. 16,8. *Quid debet qui consilium dat præstare præter fidem?* Ouid. Metam. lib. XIII.

– – – – *Non hæc sententia tantum est*

Fida, sed & felix, quem sit satis esse fidelem. Dion. lib.52. vbi egregie Mæcenas ad Augustum: *Liberam dandi tibi ex animi sui sententia consilij omnibus potestatem facies, proposita securitate nam & si cuius tibi sermo probabitur, multum inde vtilitatis ad te; & si non placebit, nihil incommodi redibit. quorum consilium sequendum existimabis, eos collauda ac honora (nam illorum inuentis gloriam tibi paries) quorum vero reiecies, nequaquam eos aut ignominia afficies, aut culpabis, quum ad eorum tibi voluntatem, non successum eius, sit respiciendum.* Qui & huic monito sapienter paruit. Dio lib. 53. *omnes adhortatus est, vt suum sibi consilium aperirent; si quid rectius inuenirent, libertatem omnem eis concedens.* Adde Ludouici Galliæ regis præceptum, cum aliis filio datum apud Til. lib. 2. rer. Gallicar. & Philippi II. Hispan. Regis, filio in quem imperium transtulerat, reprehenso, quod consiliarium bene monentem remouisset, prudentissimum factum, quod alicubi narrat Piccartus. Huc pertinet quod voluntas tantum præstanda sit, non euentus in consiliis, quod multis exemplis ostendit Piccart. Decad. 1,10. Cicero pro L. Manil. cap. XIX. Qua de re copiose & grauiter Demosthenes contra Æschinem, in de corona; post testimonia. cui affinis est sententia D. Pauli ad Corinth. 1, 4, 2. qui ad œconomos refert, quod hic in consiliariis requiritur. Eorum, qui aut ex eo, quod consuli sibi libere passi sunt, fructum, aut quod non paterentur, damna retulerunt, notiora pluraque sunt exempla, quam vti hic referenda sint. Vnum adducam Xerxis ob insignem stultitiam,

titiam, claro in omne ævum documento superbiæ, maximis incommodis punitam, qui cum prætores suos conuocasset, ait: *Ne viderer meo tantummodo visus consilio, vos contraxi. Ceterum memeratote parendum magis vobis esse, quam suadendum.* Valer. Max. 9,5,2. ext. vide & Gruteri discurs. ad Tacit. cap. 37. Et infra, ad 3, 8, 29.

3,8,7. *SI RETRO IRE PERGAT*) Turpe sibi Darius tantus rex putabat futurum, si vnde venerat rediret, quod ipse fugam interpretabatur (& habebat speciem fugæ) hostem inde animum sumpturum, suos posituros; se timoris, quod in rege turpissimum est, ipsaque morte dirius, insimulatum iri. Itaque multis aut mutatio castrorum, aut abitus, aut regressus parum feliciter cessit, vt Liuius lib. 22.23.& 44. narrat. De Pyrrho Iustinus 23,3,9. De Amompharete nolente castra mutare aduersus Mardonium, Plutarch. in Aristide cap.34. De Constantino Pogonato Zonaras lib. 3. De Hannibale, etiam Appianus. De Mnasippo Xenophon lib.3. Hellen. qui plura exempla desiderat, Gruteri commentarium adeat ad illa Taciti verba, lib. de moribus Germanor. *Et ipsa plerunque fama bella profligant.* Raderus.

FAMA BELLA STARE) Famæ seruiendum est studiosissime, eademque sæpe negligenda & contemnenda, ne vanis rumoribus turberis. prius affirmat ipse noster Curtius & hic, & aliis locis. Liuius testis amplissimus accedat 27,47,4. *Famam belli conficere, & parua momenta in spem metumque impellere animos.* Nec Tacitus dissentit 13,8,4. *fama in nouis cœptis validissima est* & Agr. 18,5. *instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore vniuersa.* De hac bellica fama tam multa Gruterus loco paullo ante laudato, vti nec plura desiderare possis, aut legere velis, quæ nos indigitare tantum voluimus. Contra tamen sæpe animus aduersus rumores firmandus. Liuius 22,39,11. *aduersus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris.* Idem fere Paterculus 2,115,6. *Nunquam consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia ducis regendus est.* Seneca

Male imperatur cum regit vulgus duces:
Ad calamitatem quilibet rumor valet. Raderus.

Vide & Erasmum Adag. 2,9,19. *Multa in bellis inania.* & Grut. discurs. in Tacit. cap. 7. & similibus. Freher. in tractatu de Fama, & Rittersh. ad Gunther. Ligurin. 2,454. Memorabilis est locus Cæsaris de bello Ciu. 3,43. vbi dicit sibi hanc rationem fuisse, *vt auctoritatem, qua ille* (Pompeius) *maxime apud exteras nationes niti videbatur, minueret; quum fama per orbem terrarum percrebuisset, illum à Cæsare obsideri, neque audere prælio dimicare.* & eodem lib. c. 56. ibidem laborauit *Pompeius, vt famam & opinionem hominum teneret.*

QVI RECEDAT, FVGERE CREDI) Facit huc sententia Curionis apud Cæs. de Bel. Ciu. 2,31. *Castrorum mutatio quid habet nisi turpem fugam, & desperationem omnium, & alienationem exercitus.* Herodian. 1, 14. *Bellum relinquere inchoatum, præterquam quod indecorum videtur, etiam periculosum est. Quippe audaciam barbaris inuicimus: neque enim remeandi cupiditate decessisse nos, sed aufugisse metu perculsos arbitrabuntur.* Liuius 22,32,3. *adeoque inopia est coactus Annibal, vt nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit.* Hinc illæ loquutiones apud auctores. Diod. 20, III. ἀποχώρησιν ὑφήμενα, καὶ μὴ φυγὴν παραπλησίαν. Xenoph. ἀναβάσ. 4, ὥστε ἡ πορεία ὁμοία φυγῆς ἐγίνετο. Adde eundem pag. 606. B. Polyb. 2, 18. de Gallis, φυγὴ παραπλησίαν ἐποιοῦντο τὴν ἀποχώρησιν, quod ad verbum Cæsar de B. Gall. 7, 43. & Liuius alicubi; *fugæ simulem profectionem facere.* Idem 28,2,14. de Asdrubale: *ignis repente sublatis, fugæ magis quam itineris modo penitus ad Oceanum & Gadeis ducit.* & 25,14,15. de Hannone: *fugæ magis quam itineris modo in Brutios rediit.* Inde notatur in Pyrrho *turpis ab Italia discessus.* Iustin. 23,3,12. Adde dictum Bretallii apud Cominæum 4,10. Thuan. To. V. pag. 1021. p.

HYEMS INSTARET) Erant Persæ impatientes frigoris, & ob id hiberno tempore bello abstinebant. De quo Socrates Histor. Eccles. 2, 18. in Iuliano persuaso animam Alexandri in ipsum migrasse. Raderus. Quamquam ista huc non proprie pertineant, vbi saltem de annonæ difficultate, quæ per hyemem multo grauior esse solet, agitur, vt ostendunt sequentia.

NON SVFFECTVRA ALIMENTA) Sine quibus nemo bellum diu vel prospere gesserit. Vide discurs. Gruter. in Tacit. cap. 52.

3,8,9. *SERVATO MORE MAIORVM*) Sic enim Cyrus, Darius, Xerxes maximis copiis collectis ipsi præsentes neminem abire patiebantur, & vniuersas vires in prœliis adhibuerunt, quod ex Herodoto, Xenophonte, & aliis cognosci potest, & miror à Brissonio non animaduersum. Raderus.

OBTVLERINT) Aldus & Pithæi codex ; *obtulerunt* : alii *obtulerant*, secutus sum coniecturam olim meam, quam nunc descriptis Bongarsii variis, membranis illius iuuari video. & sane requirit eum verbi modum oblique relata oratio.

3,8,10. *RITV IGNI FERARVM*) Plane germana his Tacitus Agric. 34,3. *Quamodo siluas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur.* Haud multum diuersum est illud Flori 2,3,4. *Ligures imis Alpium iugis adhærentes inter Varum & Macrum flumen, implicitosque dumis siluestribus, maior aliquanto labor erat inuenire, quam vincere.*

OCCVLVERVNT) Cum Modius legat *occulerent*, Acidal. *occulerint*, Bong. *occuluerint*, adhærendum putaui Aldo, cuius lectionem etiam Elz. nouissima præfert, cum certe nulli aliarum sit posthabenda ; forsan & anteferenda omnibus.

3,8,11. *IN ILLO SPECV*) Ita vocat angustias montium, in quas more ferarum se abdidisse supra dixit. rideam, si quis interpretetur de specu Typhonis.

HÆC MAGNIFICENTIVS) Eiusmodi suspicionem amouet ab se Scipio Liui 21, 41, 1. *Non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi caussa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse.* Solent enim quandoque duces confirmandi militis caussa, premere metus suos, & de suis viribus magnifice prædicare. Sic Æneas apud Virgil. 1,212.

Talia voce refert, curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Apud Liuium 28,8,1. *Philippus mœrebat quidem & angebatur &c. In concilio tamen dissimulans ægritudinem, elato animo disseruit.* Idque est, verbis Senecæ ad Polyb. 24,5. *quod duces magni faciunt, rebus affectis, vt hilaritatem de industria simulent, & aduersas res adumbrata lætitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur.*

3,8,12. *PECVNIA OMNI*) Arrian. 2,2,39. verisimilius scribit, *maiorem pecuniæ partem.*

REBVSQVE PRECIOSISSIMIS) Bong. *rerumque pretiosissimis*, æque bene. sic infra 3,13,5.

DAMASCVM) Vide infra 3,12,27.

MORE PATRIO) De quo vide Brisson. lib. 3. p. 312. Quo & ipso, sicuti in pluribus aliis institutis, similes fuere Germanorum, de quibus idem prodit Tacitus noster G. 7,3.

3,8,13. *AD FAVCES*) Cilicia ab occasu habet Pamphyliam, ab ortu Syriam, à meridie Issicum sinum, à Septentrione Cappadociam, qua venit Alexander. Tres habet aditus perangustos, primus qua ex Cappadocia Tarsum versus tenditur,

tur, qui tam arctus est, vt similitudinem portarum referat. Et de his faucibus & ingressu in Ciliciam, supra 3,4,2. sermo est. Alter est quo ex Cilicia per portas Amani montis in Syriam exitur, haud procul Isso: tertius ad portas Syriæ est. Media, post aditum est campestris, per quam Pyramus & Cydnus fluit. Ternæ pylæ sunt auctoribus nominatæ, pylæ seu portæ Ciliciæ à septentrione, quibus per angustias venitur in campestrem Ciliciam : alteræ ad Amani montis radices, quibus in Syriam aditur, & Cilicia finitur. Tertiæ portæ Syriæ seu Ciliciæ sunt extremæ ad sinum Issicum, quem attingunt iuxta mare. Hic Camertis, qui Solinum commentariis illustrauit, errorem emenda, portas Cilicias cum Amanicis confundentem, cum & Curtius, & Xenophon, Strabo, Solinus, & alii auctores, diuersas affirment. Nam Ciliciæ portæ, quas Alexander ingressus suam felicitatem & hostium stultitiam admiratus est, sunt quibus ex Cappadocia, vt dixi, aditur campestris Cilicia. Amanicæ, quibus exitur in Syriam. Syriæ seu Ciliciæ sunt tertiæ, quibus finitur Cilicia versus orientem, diuersæ ab Amanicis. Raderus ad 3,4,2. Idem hoc loco addit : Emendandus ergo & Abrahamus Ortelius in descriptione expeditionis Alexandri, qui Pylas Amanicas ponit, vbi debebat Syriæ & Ciliciæ collocare. Vide & Eustath. ad Dionys. v. 585. Polyb. 12, 8. &c. & Ciceron. in Epist. fam. 15,4. ibi : *Duo sunt aditus in Ciliciam ex Syria, quorum vterque paruis præsidiis propter angustias intercludi potest ; nec est quidquam Cilicia contra Syriam munitius. Sed me Cappadocia mouebat, quæ patet à Syria &c.* Illas *angustias Ciceronis* vocari suspicor, quod ibi castra habuisset, apud Elmacin. Hist. Saracenicæ 3,4.

3,8,14. *NEC DVBITAVERE PERSÆ*) Quin & alii istarum partium omnes. de Sanaballete Iosephus 11, 8. *Persuasum erat non ipsi tantum, sed & omnibus Asiaticis, ne primum quidem congressum expectaturos Macedonas.* de Cilicibus Diod. 17, 32. *suis præiudiciis victoriam Barbaris despondent.* Sed fefellit hoc loco Persas conuersio Macedonum. Haud dissimile est, nisi quod in acie accidit, quod narrat Polybius 1, 76. *Amilcar, vt videt hostem in suos ferri inconsultius, versi aciem tocam imperat. igitur qui à fronte erant, hos flectere se, ac retro properare iubet : eos vero qui in extremo agmine prius erant, post factam conuersionem circumagens, in aciem instructos inimicis opponit. Afri & mercenarii fugere Carthaginenses ex pauore rati, solutis ordinibus eos inuadunt &c.* Sic apud Cæsar. de bel. Ciuil. 2, 40. *Curio ad superiorem spem adelita præsentis temporis opinione, hostes fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deduxit.* Sed improspero euentu. Felicius, vt omnia, Cæsari cessit error, siue erroris simulatio fuit, in pugna ad Mundam, cum *cohortes hostium quinque per transuersam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus castris subsidio miserat, fugæ speciem præbuissent.* Florus 4, 2, 83. Adde Xenophontem extremo lib. 4. ἀναβάσ. Similia Macedonibus aliquoties euenisse credibile est, ex eo quod Philippus & hic Alexander Macedonica euolutione in prœliis vti desierunt, quod ea *similis fugæ, animos addebat hostibus, & suis terrorem inferebat.* Ælian. tactic. 34,4. Qui sane terror ex huiusmodi caussa conceptus, & Romanis apud Liu. 1, 27, 8. negocium exhibuit : & Græcos post Alexandri mortem desciscentes prodidit. Vide Diodor. 18, 7.

3,8,15. *PRÆCISIS ADVSTISQVE MANIBVS*) Adde infra 5, 5, 6. & de crudelibus Persarum suppliciis Brisson. lib. 2. pag. 259. & deinceps. *Syri fugitini* (seruili bello) *capitiorum manus non ad ipsas commissuras & internodia, sed cum ipsis simul brachiis abscindebant.* Diodor. in excerpt. apud Valesium pag. 372. Quanta autem hæc sit feritas, pulcherrime expressit Florus 3, 4, 7. in bello Thracio : *Nec aliter cruentissimi hostium quam suis moribus domiti. quippe in captiuos igne ferroque sæuitum est. Sed nihil* (attende!) *Barbaris atrocius visum est, quam quod abscissis manibus relicti, viuere superstites pœnæ suæ iubebantur.* quo loco notam nostram vide. Floro in eadem historia addendus Marcellin. 29, 26. f. *Sagittariorum vero primoribus manus incidit*

(Theo-

(Theodosius) *reſiduos ſupplicio capitali multauit, ad æmulationem Curionis acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lernææ ſerpentis aliquotiens renaſcentem hoc genere pœnarum extinxit.* Sic in Appiani Hiſpanicis legimus, Scipionem, dum in obſidione Numantiæ eſſet, quadringentis Lutienſium iunioribus, qui ciuitatem ad Numantinos trahebant, manus amputaſſe. Accidit idem & illis qui ab Hannibale transfugerant, quos cum ille ſolerti commento ſuſpectos hoſti reddidiſſet, *comprehenſi à Romanis, & amputatis manib. remiſſi ſunt.* Front. 3, 16, 5. Quam hinc, & ex Liuio 22,33,1. ſuſpiceris ordinariam fuiſſe tum exploratorum pœnam. Fuerat & latronum homicidarumque in Gallia vſque ad annum 1535. quo conſtitutum eſt, vt confractis artubus rotæ imponerentur. Beuther. lib. 4. Non dubium quin huc pulchri ſenſus dicti ſint in controu. viri fortis ſine manibus, qui apud Senec. controu. 1, 4. deſiderantur.

VT COPIAS SVAS NOSCERENT) Ita Valerius Læuinus Cos. cum intra caſtra ſua exploratorem hoſtium deprehendiſſet, magnamque copiarum ſuarum fiduciam haberet, circumduci eum iuſſit, terrendique hoſtis cauſſa exercitus ſuos viſendos ſpeculatoribus eorum quoties voluiſſent, patere. Idem olim fecerat Xerxes Græcis exploratoribus in caſtris deprehenſis, vt Herodotus lib. 7. c. 146. Plutar. apoph. 6. & Polyænus Stratag. lib. 7. refert; & poſtea Scipio, vt Appianus lib. bell. Punicorum. Raderus. Vide & ſupra 3, 1, 7. Pertinet huc Plutarchi Demetrius cap. 26. qui Lyſimacho ex omnibus regibus ſibi infeſtiſſimo, quique contra ſe ad ſoluendam Solorum obſidionem in Ciliciam venerat, oranti vt machinas ſuas & claſſem oſtenderet, conceſſit. Egregia narratio eſt de Graccho in Liuii 40, 47, 9. vbi legatis Celtiberorum ait: *exercitus ſe egregio fidentem veniſſe, quem ſi ipſi viſere velint, quo certiora ad ſuos referant, poteſtatem ſe eis facturum eſſe: tribuniſque militum imperat, vt ornari omneis copias peditum equitumque, & decurrere iubeant armatos &c.* Eadem confidentia Blaſium Axeretum Genuenſium claſſis præfectum ferunt, cum Alphonſus Rex Pandonem tanquam legatum, ad eum miſiſſet, *non tam, vt cum illo paciſceretur, quam vt inter colloquendum, omnia oculis colluſtrans, exploraret, quæ nauium magnitudo, quantæ copiæ, quæ poſtremo animorum fiducia hoſti eſſet*: dixiſſe; *vt regi libere renunciaret, quotcumque videret onerariæ, auro & pretioſis mercibus refertas eſſe: quas ſi in poteſtatem ſuam redigeret, ſe procul dubio, ſuoſque omnes ingenti præda ditatum iri.* Pizarus hiſt. Gen. lib. XI. Fulgoſ. lib. 3. c. 7. Vbi etiam narrat bello, quod iidem Genuenſes cum Piſanis geſſerunt, cum vtrique in hoſtium vrbem, ſub aliarum rerum prætextu, inſpecturos, qui apparatus fierent, exploratores miſiſſent: vtroſque libere in vrbe ſua iis permiſiſſe omnia inſpicere, & ad ſuos inſpecta ſcribere. Idem ſcribit & Egnatius lib. 3. cap. 6. Adde Fulgoſ. 3, 7, 24. Apud Tacit. H. 3, 54, 3. *Nec duces hoſtium augendæ famæ deerant, captos Vitellij exploratores, circumductoſque, vt robora victoris exercitus noſcerent, remittendo.*

3, 8, 16. *PINARVM)* Sic malui cum Bong. & Pal. 1. (nam ille *Spinarum* habet) quam cum aliis Pyramum. Vide infra 3, 8, 28. locum ita depingit Raderus: Secundum Iſſum ex monte Pinarus cadebat inter Ægeas & Iſſum, mareque Cilicium recto curſu petebat. Darius vltra Pinarum conſtitit, cis Alexander, qui & mare habebat à ſiniſtro latere, vt Darius à dextro, Montem Alexander à dextris, à ſiniſtris Darius. Pinarus medium vtriuſque exercitum diuidebat.

3, 8, 17. *SPECIEM PRÆBVISSET)* Sic & quædam Edd. Bong. quod probo, præ illo aliorum *tribuiſſet.* Ad rem ipſam quod attinet, diligenter vtique explorandum eſt, tota belli mole hoſtis adſit, an aliqua tantum ſui parte ſpeciem vniuerſi exercitus faciat. Curio apud Cæſar. de bell. Ciu. 2, 38. errorem eum ſuo legionumque exitio luit, quod Saburam tantum, Iubæ præfectum, non ipſum etiam Iubam adeſſe crediderat. Apud Liuium circa fin. lib. 27. deceptus hoc modo Annibal, cum Neronem conſulem in oppoſitis ſibi caſtris adhuc agere perſuaſum haberet, ſero fatum Carthaginis agnouit. Tale conſilium Tacfarinatis fuit, vt *Mazippa leui cum copia incendia & cædes, & terrorem circumferret.* Tacit. 2, 52, 3. Ita Iulianus *agminibus diſtributis, per itinera Italiæ nota quosdam properaturos cum Iouino miſit & Iouio, alios per mediterraneæ Rhætiarum magiſtro equitum Nevitæ commiſſos, qui diffuſi per varia opinionem numeri præberent immenſi, formidinemque cuncta complerent. Id enim & Alexander Magnus* (apud Arrian. 6, 4, 7.) *& deinde alij plures, negotio ita poſcente, periti fecere ductores.* Marcellin. 21, 15.

SED CVM SPEC. REVERT.) Vidi alibi *ſed quam ſpeculatores.* Potuitne ab auctore omitti, an à librario omiſſa eſt particula *ante?* vt valeat, priuſquam reuerterentur: quod in hac re magis veriſimile. Sed vt vulgo etiam eſt, capi *reuerterentur* poteſt, cum in reditu eſſent, nondum reuerſi. Acidalius.

3, 8, 20. *VT SOLET FIERI)* Pulchre Vegetius 3, 12. *Animis pene omnium hominum hoc naturaliter euenit, vt trepident, cum ad conflictum venerint.* Sic & de Carolo V. cuius de magnanimitate non dubitatur, traditum eſt à Munſtero lib. III. Cosmogr. eum quoties arma prœlii ineundi cauſſa caperet, cum pallore toto corpore intremiſcere conſueuiſſe. Vide Agathiam lib. II. ſub fin. vbi de prœlio Narſetis cum Bulgino.

ILLAM IPSAM FORTVNAM) Vide quæ notaui ad iſta Flori 4, 2, 79. *Sane & ipſe ante aciem mœſtior non ex more Cæſar, ſiue reſpectu fragilitatis humanæ, ſiue nimiam proſperorum ſuſpectam habens continuationem.* Quem in ſenſum eleganter Plinius 7, 40. *Quippe vt alia non ſint, certe ne laſſeſcat fortuna, metus eſt.* Quare Lipſius Polit. 5, 20. probe monet, vitanda qua poſſis, eſſe incerta belli, vbi plura in hunc ſenſum vide. Adde & Annibalis orationem ad Scipionem apud Liuium 30, 30.

3, 8, 21. *OCCVRREBAT)* Sequutus ſum lectionem Pithœani codicis, & alterius ex Bong. inducit enim hic auctor tacitum diſcurſum mentis quem Alexander tum ſollicito corde volutauerit.

HONESTE &c. MORIVRVM) Eadem Dario mens infra 5, 8, 15. & Antigono poſtea, qui referente Plutarcho in Demetrio cap. 31. ἡττήσοντο νίκην παρὰ τῶν ἰδίων, ἢ θάνατον ἀναίδηλον, victoriam, aut ante cladem mortem inopinam à ſuis petiit. Ita Saxones à Francis oppreſſi *in eo conueniunt atque perſiſtunt vniuerſi, potiorem eſſe mortem dedecore, internecionem ſeruitute.* Fabric. lib. 1. Saxon. illuſtr. Eodem tendunt illa Cottæ apud Salluſt. Incert. 3, 3, 4. *cui miſero, ſenecta iam ætate, ne mortem quidem honeſtam ſperare licet.* Quo ſenſu Tacitus noſter 1, 70, 5. *haud minus miſerabiles, quam quos hoſtis circumſidet. quippe illis etiam honeſtæ mortis vſus: his inglorium exitium.* Eſt enim *honeſta mors turpi vita potior*, vt loquitur idem Agr. 33, 11. Ergo apud eundem 12, 51, 2. Zenobia orat, *vt morte honeſta contumeliis captiuitatis eximeretur.* Pertinet huc querela militum Alexandri ſupra 3, 5, 5. vbi vide.

3, 8, 22. *DIIS PRÆSIDIBVS LOCI)* Genium loci vocabant. ex Pythagoræ diſciplina, qui ſingulis locis genium præeſſe docuit. eo factum eſt, vt qui nouam regionem ingrederentur, præſidem & genium loci adorarent. l. 5. Æneid. v. 95.

Incertus, geniumne loci, famulumne parentis
Eſſe putet - - - Et l. 7. Æneid. v. 136.
- - Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphaſque, & adhuc ignota precatur
Flumina - - - Ouidius Faſtor. 1, 509.
Diique petitorum, dixit, ſaluete, locorum.

& con-

& concludit. *Quis, tantum fati, credat, habere locum?* [longe tamen alia huius versus est sententia] Nicolaus Serarius ad Iosue lib. c. 4. q. 11. pag. 395. disputat, num recte & religiose, non superstitiose salutarint Israëlitæ terram promissam, quando ex Ægypto profecti illam salutarunt. Vbi & hunc Curtii locum, aliosque ex Virgilio aliisque laudat. Raderus. Sic in adag. Diogeniani cent. 1, 25. refertur. Ἀνάγυρε· πὶ ἥρως ἐπιχώριε, *Anagyrus quidam loci genius.* Alludit eo Tertullian. de pallio cap. IV. Adde Herod. 8, 39. Silium lib. 13. v. 124.

Numen erat iam certa loci, famulumque Dianæ
Credebant, ac thura deum pro more dabantur.

& Taubman. ad Plauti Baech. 2, 1. Faber Semest. 1, 48. Paganis enim persuasum erat, nullum esse locum sine numine. Hinc illud Virg. Ecl. 3, 60.

- - - - *Iouis omnia plena* ex Orpheo, cuius versus refert Eusеb. præpar. Euangel. lib. III. & Arato: Μισταὶ δ' ἀνὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ, πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγορεαὶ, μεστὴ δ' θάλασσα, καὶ λιμένες. *Plenæ autem Iouis omnes sunt viæ, omnia hominum fora: plenum denique mare & portus.* & Lucani 9, 580.

Iupiter est quodcunque vides, quocunque moueris. & 9, 522.
Esse locis superos, testatur sylua per omnem
Sola virens Lybien - - - - Sic supra 3, 1, 4. *traditum est, nymphas amore amnis retentas, in illa rupe considere.*

3, 8, 23. *ITINERI SIMVL PARATVS)* Vide supra 3, 4, 13. Quod cum textui vtrimque adnotatum sit, ideo tantum hic monemus, vt sciat lector, eiusmodi loca parallela, non in his notis postea, sed in margine lectionis Curtianæ, se reperturum esse.

ORIENTE LVCE) Qua illud accidisse memoria dignum Lucian. in pro lapsu inter salutandum in hunc ferme sensum prodit: *Cum Alex. Magnus pugnam illam ad Issum initurus esset, quemadmodum Eumenes Sardianus (*immo *Cardianus) in epistola ad Antipatrum refert, mane in tabernaculum eius ingressus Hephastio, siue tum ita oblitus sui fuerat, siue consternatus, quemadmodum & ego, siue etiam numine aliquo impellente, idem tum quod ego dixit,* χαῖρε βασιλεῦ, *Vale rex: tempus iam est in aciem educi exercitum. Conturbatis autem ceteris qui tum aderant, ob inopinatam ac nouam salutandi formam, ac ipso Hephæstione propemodum præ metu emoriente, Alexander respondens, Accipio, inquit, omen. nam nos saluos atque integros è pugna reuersuros esse, hoc verbum mihi nunc pollicetur.* Ceterum quænam illa lux fuit! illane de qua Ælianus Histor. Var. 2, 25. Sexta nimirum Thargelionis. Illa enim, vt scribit ille, *Alexandrum Macedonem Philippi filium, multas Barbarorum myriades fudisse dicunt.* Sed obstat illorum opinio, qui putant Thargelionem mensem Latinorum Februario respondere: ita enim hyeme pugnata fuerit isthæc pugna. Sed negat Curtius, & æstate factam indicat supra 3, 5, 1. *tunc æstas erat.* Ideoque dubitabam de altera pugna cum Dario sentire Ælianum, præsertim cum adjiciat, ὅτι καὶ Δαρεῖον κατεῖλεν Ἀλέξανδρος. sed nec illo magis quadrare reperi: nam & tunc æstas fuit: noster infra 4, 12, 14. *Cali fulgor temore æstiuo ardenti similis internitens.* Atque hæc pensitantem vel ista ratio mouere potuit, vt accedam sententiæ eorum, qui Thargelionem Aprili Maioque nostratibus comparant. Huc accedit & illud, quod eodem die Alexandrum mortuum esse, adiecit Ælianus: idque ipsum æstiuo quoque tempore accidisse Curtius infra 10, 10, 9. significat. Confirmat eam opinionem & Ἐτυμολογικὸν τὸ μέγα cum dicit: Θαργηλιῶνα δ' ἐνδέκατον μὲν ὀνομάζουσι· ἐπεὶ τότε ὁ ἥλιος πυρώδης ἐστὶ, καὶ ἐν τούτῳ τοῦ μηνὸς τὰ τῆς γῆς ἄνθη ἀνεξηραίνετο. λοιὸν τὸ θέρειον ἐν τῇ γῇ. τὸ δὲ θερμὸν, Θάργηλον ἀνόμασαν. *Thargelion vocatur vndecimus mensis. tunc enim sol ardentior est, & hoc mense flores terræ exa-*

arescunt. accepit ergo nomen à calefaciendo terram. calidum autem Θάργηλον *vocatur.* Vbi tam ex eo quod vndecimum mensem dicit esse, facile coniectu est, cui respondeat (primus enim Græcorum in Iunium nostrum incidit) quam quod ait solem tum ardentiorem esse. Vnde Lud. Dulcis in Diario *ad XIIX. di Giugno: Fu vinto Dario da Aless. Magno.* Vt ita pugna, quæ videbatur Æliano cum Curtii locis intercedere, sublata, tantum supersit quærere, vtrum duorum cum Dario commissorum prœliorum intelligat Ælianus. & quidem ex vltimis eius verbis suspicor, de postremo cum loqui, cum ibi Darium captum fuisse dicat, si quidem interpreti credimus. nam ille sensus cum historiæ aduersetur, sic exponendus non est, sed potius, *vbi & euertit*, hoc est, deiecit, debellauit, *Darium Alexander.* Sic apud Thucydidem 1, 26, 28. Athenienses ad Spartanos, εἰ κρείττους ἡμᾶς ἔρξαιτε, *si deiectis nobis ipsi imperetis.* In Eusebianis Scaligeri pag. 249. Κῦρος τὸν Δυδῶν βασιλέων κρείττων. Sed & Arrianus indicio est ad vltimam Dario pugnam id referendum. nam ille 2, 2, 4. priorem commissam scribit mense Mæmacterione quem quidam cum Suida Ianuarium, alii Septembrem esse volunt. Sed tota hæc ratio satis confusa & turbata est, quin & vereor, vt Curtii narratio sibi constet. cum enim ante ita accendisset tempus, vt Alexandrum suum æstu cogente in frigidissimum flumen mitteret; iam intra vnius mensis spatium (nec enim amplius interceserit) subito niuem effundit, & humo gelu rigente, Gangabas suos regiis vestibus aduersus frigus munit, mox 3, 13, 7. Adde infra ad 3, 11, 27.

3, 8, 24. *PAVIDI AGRESTES)* Vt solet improuiso hostis aduentu. nam & illi haud dubie, cum ceteris persuasum habebant, Macedones fugere, ideoque sine metu in agris versabantur. Sic apud Liuium 3, 3, 2. *nec opinata etiam res plus trepidationis fecit, quod nihil minus quam ne victus, ac prope in castris obsessus hostis, memor populationis esset, timeri poterat. agrestesque passim incidentes portis non populationem, nec prædonum paruas manus, sed omnia vno augentes timore, exercitus & legiones adesse hostium, & infesto agmine ruere ad vrbem clamabant.*

OCCVRRERE ETIAM) Id quidem & ante affirmauerat Amyntas transfuga, *Alexandrum, vbicunque is Darium esse audiret venturum*: sed noluerat credere Darius, purpuratis solita vanitate spem eius inflantibus. Vide Arrian. 2, 2, 2.

3, 8, 25. *RAPTIMQVE ARMA CAPIEBANT)* Similia vide in Liuio 23, 27, 3.

3, 8, 27. *DARIVS INITIO)* Vt hic locus & sequens caput intelligatur, delineanda regio, & situs campi montisque & maris est, circa Issum & Pinarum amnem, & hoc ex antiquis & probis scriptoribus. Ex Herodiano l. 3. c. 12. colligi potest fuisse planitiem ad mare Cilicium stadii cursorii porrectam, in qua vtrimque stetit equitatus trans Pinarum Darii; cis versus Syriam Alexandri, locumque totum monte Tauro velut theatro clausum. Testatur dicto loco Herodianus, suo tempore adhuc stetisse tropæum, seu vrbem Alexandriam in colle sitam, & æneum Alexandri simulacrum. Addit quædam distinctius Callisthenes, spatium illud in quo decertatum est inter Alexandrum & Darium à mari vsque ad montem, patuisse quatuordecim stadia in latitudinem, & inter castra Alexandri & Darii Pinarum amnem interfluisse, alta crepidine, spinisque septum. Hæc Callisthenes comes Alexandri, & spectator loci, quem de interuallo spatii redarguit Polybius 12, 8. non potuisse aciem explicari eo numero quem ipse posuisset Callisthenes, & hoc geometrica & tactica ratione ostendit, vt infra referemus. Hic tantum de loco & campo eiusque spatio tractamus. Arrianus 2, 2, 19. locum in quo Darius aciem instituebat, nonaginta passuum, non amplius, capacem fuisse scribit. Mons in quo acies viginti millium instructa erat à Dario, aliqua ex parte introrsum recedens, sinum quendam veluti in mari faciebat:

ciebat: deinde in anfractum porrectus efficiebat, vt qui ad radicem montis constituti erat, dextrum Alexandri cornu auersum cernerent. Ripas Pinari idem quoque præruptas fuisse testatur, immo etiam aggere munitas, vbi facilior ascensus erat. Mare autem sinistrum Alexandri cornu, dextrum Darii tegebat: ita vt collecta ex dictis summa, mons cinxerit vtramque fere aciem, è cuius regione erat sinus Issicus, & porrectum planumque littus, vbi maxime eques depugnabat. Pinarus amnis medius vtramque aciem à montibus vsque ad mare distinguebat, quem primus cum suis ingressus Alexander Darium est aggressus. Raderus.

A MARI QVOQVE) Per classem quam habebat in Issico sinu, vt inde latus sinistrum Alexandri incesserent, quod tametsi plerique historici tacent, tamen & Curtius hic docet, & Iustinus 11, 10, 4. signate post victoriam ait *Parmenionem ad occupandam Persicam classem missum*. Raderus. Classem autem istam haud valde magnam fuisse, tum aliis ex notis apparet, tum maxime inde, quod Tyrum obsessurus Alexander *procul habuit classem* infra 4,2,15. Denique in tota illa obsidione, nulla classis mentio est, nisi Cypriæ, & nauium quibus Cleander supplementum aduexit.

3,8,28. *PINARVM AMNEM)* Callisthenes apud Polyb. 12, 8. Πόρον corrupte vocat. eruditissimus Interpres tamen Pinarum reddidit. Raderus supra ad 3,4,7. Πύραμον rescribit: Ego cum Casaubono sentio. plane enim Pinarum, non Pyramum dicere voluit eo loco Callisthenes. certum id ex descriptione fluminis quam statim subjicit: *Patet autem eo loci interuallum ad montis radices, stadia quatuordecim. per hoc spatium transuerso limite dictus amnis labitur: qui quidem in iugis exortus, mox per intercisa montis latera erumpit, ac deinde per patentes campos ad mare vsque defertur, præruptis & inaccessis collibus eum cingentibus.* At Pyramus Curtio per planitiem Ciliciæ fluit, supra 3,4,7. ne alia argumenta hic aduocemus. Ergo & deinceps Pinarum vocat Polybius. Nomen huius fluminis aliter quoque corruptum est apud Strabon. lib. 14. Nam ibi pro Πιναρᾳ scribitur Πινδᾳ. quo mendo deceptus est & Æneas Siluius in Histor. de Asia minori cap. 94. Apud Plutarch. Alex. cap. 32. Πιτδαρᾳ. Pinarum autem hic constanter exhibent tam meliora Curtii exemplaria, quam Arrianus, & alii. Vide Indicem, *Pinarus*.

3,8,29. *DESTINATA SALVBRITER)* Et hinc est quod consiliis fere ex euentu laus est, aut infamia. Nam vt ait Thucydides 1,20,13. *Multa male consultata feliciter euenerunt, & plura quæ recte instituta videbantur, turpiter in contrarium euentum relapsa sunt.* Et mox nu. 21. *nulla minus quam qua prædicitur, via procedit bellum.* Liuius 27,46.2. *neque satis constabat animis, tam audax iter consulis laudarent vituperarentne. apparebat (quo nihil iniquius est) ex euentu famam habiturum.* Adde Lipsii Polit. 3,8. & notata supra ad 3,8,6.

QVIA VBI PARTES LABANT) Totam hanc sententiam excludit Pal 1. Nec sane admodum necessaria videatur, nisi quod ita concepta est, vt ipsius auctoris esse non dubitem. Simile est illud P. Syri:

Fortuna vnde aliquid fregit, cassum penitus est.

3,9,2. *IN EODEM)* Rescriberem *in medio*, sic enim alii locant, nisi putem ab ipso Curtio sic esse, quando nulli codices discrepant; quem ego certe in acierum descriptione haud accuratum fuisse cerno, atque id omnino accidisse ei crediderim, quod huiusce modi rerum haud magnopere peritus esset. quo ipso argumento motus credere nunquam potui, Curtium hunc eundem esse, quem Africa proconsulem vidit. Eo enim honore, sat seueris adhuc moribus, non putem mactatum fuisse hominem rerum bellicarum adeo rudem. Nisi forte dicamus, transcripsisse eum ita ex aliquo Græculo, qui hoc modo tradiderit, quod nec abludat à ratione, cum hoc nomine

mine Callisthenem etiam sciamus imperitiæ arcessi à Polybio. Ceterum Persas fuisse solitos in dextro cornu optimam exercitus sui partem collocare, etiam ex Frontino 2,3,3. videatur probari posse.

3,9,4. *IPSVM REGEM)* Hunc locum Brisson. lib. 1. p.131. ita citat: *Ipsum Regem dimicaturum*; omissis verbis intermediis *in eodem cornu*, quod forte fecerit, quia proposito, cui aduocabatur locus, non seruiebant: forte etiam vitium iis inesse credidit. certe enim cum in neutro cornuum, sed in media acie pugnare consueuerint Persæ reges, Darius hic, antiqui moris obseruantissimus, vt supra 3,8,9. vidimus, non alibi collocandus erat. Dici tamen possit, non semper mediam aciem expresse nominari; sed totam in duas partes, seu cornua quandoque diuidi. Tamen ob exercitus huius magnitudinem, & moris inculcandi caussa, distinctius hæc erant proponenda. Atque ita fecit Arrian. 2,2,23. qui & morem eum, & enarratorem eius inculcat: *Darius medium aciei tenebat, Persarum regum in exercitus ordinatione veteri more obseruato, cuius quidem rei rationem Xenophon Gryllí filius conscripsit.* Locus Xenoph. est in lib.1. ἀναβάσ. Sic in posteriore prœlio idem Arrian. 3,2,21. κὲ τὸ μέσον ἦ, ἵνα ἦν βασιλεὺς Δαρεῖος. Vbi iterum Curtius Darium in læuo cornu statuit, infra 4,15,1. Tangit eum morem & Lucianus nauigio: *Proin tu quidem equitatui præsis, Lycinus autem dextrum cornu teneat. Porro hic Timolaus ad læuum collocabitur. Ego vero mediam aciem regam, vt solent Persarum reges.* Eam itaque consuetudinem non attendisse Curtium, aut alios auctores secutum esse credam. quamquam, vt eum conformarem reliquis, aliquando tentarim legere; *in eodem curru*, nempe quo supra vectum scripserat: in ea pugna *quippe Darius curru sublimis eminebat*, vt dicet noster infra 3,11,12. sed tamen in posteriori pugna iterum læuum cornu tenuisse Darium Curtius 4, 14, 8. scribit: hic quoque contradicente Arriano 3,2,21. qui ex ipsa aciei descriptione post pugnam reperta, tradit in medio stetisse.

ALEXANDER PHALANGEM) Ex Appiani libro de bellis Syriacis optime cognosci potest phalangis Macedonicæ in campo stantis ordo & facies. sic enim ille de Antiochi phalange contra Cn. Domitium: *Robur erat phalanx XVI. M. Macedonum ornata ex instituto regum priscorum Alexandri Philippique. Hac media acies fuit in decem partes diuisa, earum singulæ in fronte quinquagenos armatos habebant; à fronte introrsus, in duos & triginta ordines patebant acies (in singularum partium lateribus duo & viginti) phalanx mueri speciem præ se ferebat, elephantis inter partes eminentibus, tanquam turribus.* Illos viginti duos omisit interpres Gilenius. Raderus. Video cur Gilenius omiserit istos viginti duos, quia nimirum ratio non congruebat. Nec sane video, cum altitudinem latitudinemque phalangis descripsisset Appianus, cur addiderit de lateribus? si tamen addidit, videatur potius scripsisse ἐς ἢ πὶ πλάϑος ἐκάστε μέρες, λβ. pro κβ. Monendum hic, non recte explicari hoc loco, illum Liuii 9,19,8. *illa phalanx immobilis & unius generis*, quasi diceret constitisse ex æqualis ferme ætatis, roboris & staturæ militibus, quamquam enim id ab vno aut altero Rege postea animi caussa, & per luxuriam ita obseruatum sit: tamen neque Alexandri phalanx, ad eam formam fuit; neque Liuius eo loco id voluit: quod quidem statim sequentia verba abunde declarant: *Romana acies distinctior, ex pluribus partibus constans: facilis partienti quacunque opus esset, facilis iungenti.*

DEXTERVM CORNV) Si Arriano credimus (cui sane in hac parte lubentius fidem meam addicam) totus hic locus ita constituendus esse videtur: *Dexterum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Cœnos, & Perdiccas. at Meleager, & Ptolemæus, & Amyntas, sui quisque agminis duces, in læuo, quod ad mare pertinebat: Craterus & Parmenio præerant, sed Craterus Parmenioni parere iussus.* Hoc vt ap-

parcat, vtque Arrianus etiam medicinam accipiat, adscribenda sunt illius verba 2, 2, 16. *In dextro cornu montem versus peditum agmen locat, & scutator, quibus præerat Nicanor, Parmenionis filius. Proximum his Coeni, mox Perdiccæ agmen: atque hi quidem ad mediam armigerorum aciem, ei qui dextro lateri præfuturus erat, adstabant. A sinistro vero, primæ erant Amyntæ copiæ, inde Ptolemæi: proximæ huic Meleagri. Et quidem ad lævam Craterus peditibus præfectus erat: totum autem sinistrum cornu Parmenio ducebat.* Ibi quod dicitur, *ei qui dextro lateri præfuturus erat*, valde ineptum est (quin enim, vt ceterorum, ita huius potius nomen ederet) sed natum ex vitiata scriptura, quam sic restituo: ἔτι μὲν ἵστε ἐπὶ τὸ μέσον τῶν ὁπλιτῶν καὶ τῶ δεξιῶ ἀεξομένῳ πεπεγμένοι ἦσαν. Scribendum: αὐτῷ τῶ δεξιῶ ἀεξομένῳ, *Hos quidem ad medios vsque grauis armaturæ ordines, ipse* (Alexander) *dextro cornui præfuturus statuerat.* eadem figura dicendi, αὐτῷ πεζαγμένοι ἦσαν, qua versu proxime præcedente: οἱ δ' ἱππεῖς αὐτῷ πως μὲν κατόπιν τῶν πεζῶν πεπεγμένοι ἦσαν. Alexander enim in dextro cornu fuit, vt idem Arrian. mox n. 30. exserte scribit quomodo etiam in prœlio ad Granicum, Arrian. 1, 5, 7. quam aciem operæ pretium sit cum hac contendere.

3, 9, 12. *TRIGINTA ET DVO*) Arrian. 2, 2, 15. *Quandiu magna erat viarum angustia, angustam etiam aciem ducebat: vbi vero laxare se sinus montium ceperunt* (sic apposite verbis Curtianis vtitur eruditissimus interpres, sed sequentia potius ita vertam) *explicuit subinde cornu, alium atque alium ordinem armatorum in phalangem adducens.* Porro *ordines* hoc loco intelligendi sunt à fronte ad tergum. series enim quælibet, in quantamcumque longitudinem porrigatur, ordo dicitur: atque ita triginta duo ordines capiendi sunt, totidem viri, qui in prima fronte acies simul progrediebantur: quos deinde ceteri seriatim ita subsequebantur, vt ordines in profundum constarent ex quingentis militibus, siquidem phalangem XVI. M. computemus. Vide Lipsii Milit. Rom. 4, 8. Ceterum Glareanus hoc loco legit: *Duo & triginta*, ob rationem quam prompsimus infra 3, 11, 27. ad verba *triginta omnino & duo.*

EQVITATVS) Qui iam ante ab vtroque cornu locatus, propter angustias locum nondum occupauerat.

3, 10, 1. *CLAMOREM*) De hoc more vide prolixe disserentes Camerar. subcisiu. cap. 77. cent. 1. Lipsii Milit. 4, 11. Gruter. in Tacit. cap. 12. & Brisson. lib. 3. pag. 342. & Ammirat. Polit. 14, 5.

MAIOR) Diodorus 17, 33. aliter, nec sine ratione: quippe cuncta inuertit, & Macedonas prius exclamasse tradit, Persas ob numerum, validius. Noster autem echus auxilio se tuetur, cuius naturam eleganter describunt Radero citati, Lucretius l. 4. v. 571.

Pars solidis adlisa locis, reiecta sonorem
Reddit: & interdum frustratur imagine verbi.

Et mox:

Sex etiam aut septem, loca vidi reddere voces,
Vnam cum iaceres, ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.

Virgil. 4. Georg. v. 48.

- - - - vbi concaua pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Idem Georg. 3, 43.

Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.

Ostendit & Aristoteles de anima lib. 2. c. 8. quo pacto fiat Echo, *cum ab aëre, qui vnus efficiatur, propter vas desiniens & prohibens ne frangatur, aër repulsus sit vt globus.* Plura (verba sunt Raderi) de Echone nos ex Plinio, Ausonio, & aliis ad illum versum Martialis l. 2. epigr. 85.

Nusquam Græcula quod recantet echo.

Ingenioſe Ouidius eandem describit lib. Transform. 3. fab. 5. De artificiosis ædificiis, turribus, aliisque locis vocem reddentibus, hic non ago.

3, 10, 3. *MANV SVOS INHIBENS*) Leuiter de scriptura prius dicendum est, quæ variat in illis *ne impensius.* alii enim Codd. *ne suspensi acrius.* quo loco multa Acidalius, non ad gustum meum, credo, nec aliorum. ego illam posteriorem lectionem pro genuina habeo, & explico in Indice. Sensus autem est, non placuisse Alexandro, properare militem, dum adhuc extra teli iactum erat, ne antequam cominus fieret, spiritus eum deficeret. non quod eum, cum in manibus esset pugna, acri impetu cursuque in hostem irruere nollet, quomodo hæc verba à non nemine accipi video. Duo itaque sunt, quæ hic notanda. prius dum aliquantum abest hostis, tardius incedendum esse, ne vires militis ante prœlium itineris labor hauriat: alterum, cum prope hostem ventum est, incitatissimo cursu manum conserendam. Vtrumque obseruauit in hoc prœlio Alexander; quæ res ad victoriam multum contulit. Nam qui prius quod diximus, non caueat, incidunt in omnia ea discrimina, quæ fatigatis imminent à recentibus. de quo egregie monet Vegetius 3, 11. *Obseruatur autem, ne longo spatio fatigatum militem, ne lassos post cursum equos ad publicum prœlium cogas. Multum virium labore itineris pugnaturus amittit: quid facies, qui ad aciem anhelus aduentat? Hoc & veteres declinarunt, & superiori vel nostra ætate, cum Romani duces per imperitiam non cauissent (ne quid amplius dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim conditio est lassum cum requieto, currentem cum eo qui steterit, subire conflictum.* Sic apud Liuium 2, 30, 11. *Volsci cursu & clamore fessi, quum se velut stupentibus metu intulissent Romanis, postquam impressionem sensere ex aduerso factam, & ante oculos micare gladios, haud secus quam si insidias incidissent turbati, vertunt terga: & ne ad fugam quidem satis virium fuit, quia cursu in prœlium ierant.* Igitur Cæsaris milites dato signo quum infestis pilis procucurrissent, atque animaduertissent non concurri à Pompeianis, vsu periti, ac superioribus pugnis exercitati, sua sponte cursum represserunt, & ad medium fere spatium constiterunt, ne consumptis viribus appropinquarent; paruoque intermisso temporis spatio ac rursus renouato cursu, pila miserunt: celeriterque vt erat præceptum à Cæsare gladios strinxerunt. de bel. Ciu. 3, 93. qui locus probe notandus est, ad confirmationem eorum quæ mox subiiciemus. Apud Appianum in Hispanicis *Seruilius* (scribe *Seruius*. Galba enim non Seruiliæ gentis cognomen fuit, sed Sulpiciæ, cui & admodum familiare prænomen Seruii) *Galba vno die ac nocte quingenta stadia emensus in conspectum hostium venit, & nulla interposita mora militem labore viæ confectum in aciem eduxit: atque hostes feliciter quidem fusos fugatosque imprudenter admodum est insecutus. Nam quum ob lassitudinem segniter atque incomposito agmine sequerentur, barbari eos dissipatos conspicati pernices requiescere, in vnum sese agglomerantes irruerunt, & septem millia peremerunt.* Quibus adde Curionem apud Cæsarem de bell. Ciu. 2, 38. & cladem Roman. ad Trebiam apud Liuium 21, 55. aliasque similes permultas. Hoc igitur est quod Alexander cauit: simul vt Arrianus 2, 2, 30. *ne nimia contentione festinationeque incessius, fluctuans phalanx dissiparetur*: impetum autem illum committendi cominus prœlii adeo non inhibuit, vt etiam præciperet. Idem enim Arrianus affirmat, quamquam eum non ceperint interpretes. locus est 22, 30. Πρῶτοι δὲ οἱ κατ' Ἀλέξανδρον, καὶ αὐτὸς Ἀλέξανδρος ἐπὶ τῶ δεξιῶ πεπεγμένος, ὁρμᾶ ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλλον, ὡς τῆτε ὀξύτητι τῆς ἐφόδου ἐκπλῆξαι τοὺς Πέρσας, καὶ τῶ θάσσονι ἐς χεῖρας ἐλθόντας, ὀλίγα πρὸς τῶν τοξοτῶν βλάπτεσθαι. Vbi Interpretes perperam:

ram: *Primi qui circa Alexandrum erant, ipseque Alexander in dextro cornu subsistens, cursu in flumen feruntur: vt ferocitate ingressus Persæ perculsi, non ita prompte ad manus venientes, parum damni missis sagittis inferre posset.* Vertendum fuerat: *Vt & ipsa impetus celeritate perterrefacerent, & citius cominus venientes, parum damni à sagittariis acciperent.* Explicat hunc locum ex parte Florus 4,9,6. *Simulato metu adeo passus est hostem castris succedere, donec ablempto iactus spatio, adimeret vsum sagittarium.* Imprimis autem illa quæ notaui in Indice Iustini, voce *Concurrere.* quibus adde Cæsar. de bell. Gall. 1, 52. *itaque hostes repente celeriterque procurrerunt; vt spatium pila in hostes coniciendi non daretur.* Liuium 7,24,7. *nolite exspectare dum stantes vos fugiant. inferenda sunt signa, & vadendum in hostem. His adhortationibus iterum coorti, pellunt loco primos manipulos Gallorum &c.* & Veget. 3, 14. *vehementius enim cum saltu cursuque tela mittuntur.* quem locum eo noto, vt sciatur quatuor esse causas, ob quas citato cursu milites inferebant se hostibus: vt terrorem iis incuterent: vt procursu tela concitarentur: vt ab hostium telis minus esset periculi: vt denique citius ad gladios deueniretur. Vide Breslay en l'Anthologie pag. 87. b.

3,10,4. *VT CVIVSQVE ANIMIS APTVM ERAT)* Necessarium id Duci, nam in exercitu ex variis gentibus composito, quemque *propriæ causæ stimulant.* Tacit. 2,46,4. Itaque eo loco *Arminius equo conlustrans cuncta, vt quosque aduectus erat, reciperatam libertatem &c.* ingerebat. Ita Antonius *alios pudore & probris; multos laude & hortatu, omnes spe promissisque accendere &c. vt quosque accesserat,* describitur Tacito H. 3, 24. In pugna Lacedæmoniorum contra Argiuos, *vbi iam confligendum erat, ibi apud singulos populos à propriis ducibus exhortationes fiebant.* apud Thucyd. 5,13,24. sic & Annibali apud Liuium 30,33,8. *Varia adhortatio erat inter tot homines, quibus non lingua, non mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset &c.* quo in loco cum simus, obiter adjiciemus, quæ paruo post interuallo leguntur, ita constituenda videri: *Quum maxime hæc Imperator apud Carthaginienses, duces variarum gentium inter populares, plerique per interpretes inter mistos alienigenas agerent.* Adde eundem Annibalem in eiusdem auctoris 21,45,6. Brasidam apud Thucyd. 5,2,9. Cyrum apud Xenophontem παιδ. lib.5.

NON IPSIVS MAGIS QVAM SVO DVCTV) Ambiguam orationem declinauit in vocibus *ipsius* & *suo*, ita vt *ipsius* referatur ad Alexandrum, *suo* ad ipsos milites, hoc intellectu: Macedones tam prompte ad expeditionem Asiaticam & Persicam profectos, vt suamet ipsorum potius voluntate profecti sint, quam Alexandri impulsu. quo ipso declarat studium Macedonum bellandi, & iam vsitatam notamque virtutem, qua re sibi conciliauit beneuolentiam exercitus, adiungit acta & agenda ab eisdem. Raderus.

3,10,5. *ORBIS LIBERATORES)* Mox tamen subjicit; *omnibus gentibus imposituros iugum.* nisi tuearis: orbem superba Persarum dominatione liberatum, iusto mitique imperio complexuros esse. Ceterum longe aliud iudicium Ennodii fuit, in vita B. Epiphanii: *Pellæus princeps Alexander, quem pacatorem orbis vocauit vana laudatio.*

3,10,6. *VMBONIBVS PROPELLI)* Dicemus in Indice.

3,10,7. *PATER INVOCABATVR)* Sic Germanicus legitur *precatus Drusum patrem, vt se eadem ausum, libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuuaret.* Tacit. 2,8,1. Quamquam hic loci vocabulum *inuocandi* non aliter ceperim, quam pro aduocare. aduocabat eum exemplo, res eius gestas memorando, vsitatissimo eiusmodi hortationum loco, à maiorum præclare factis, maxime si qua recentia sunt, animos militum exstimulandi.

VRBIS)

VRBIS) Thebarum. Vide supplementum: vbi & de Granico, aliisque ad explicationem huius capitis facientibus.

3,10,8. *ADMONEBAT)* Glossema. Totus locus sic omnino fuit à Curtio conceptus: *Quum a. Græcos; ab iis g. i. G bella: Darij prius, d. X. insolentiam, aqu. i. r. p. u. n. f. h. n. s. c. relinquerent: deum tem. v. e. ignibus deleta: vrbes e. expugnatas: fh. d. i. violata referebat.* nam ab hoc vltimo verbo superiora membra omnia sustinentur.

AQVAM IPSAM, TERRAMQVE POSTVLANTIVM) Nobilis hic locus, & diuersis Criticorum argutiis indigne habitus. Cum enim Modius nescio quo in codice reperisset *poscentium*, eam lectionem arripuit: sed de tributo pro aqua & terra soluendo interpretatus est. quem eo nomine recte reprehendens alius, seruore disputationis eo prolabitur, vt veram quoque sententiam peruertat, & retento *populantium*, ridicule exponat de fluuiis, quos ab exercitu Xerxis siccatos esse prodiderunt. Nihilo tamen secius in sententiam pertraxit Raderum. At istam interpretationem multa destruunt: primo quod Darii & Xerxis coniunctim meminit, cum de prioris exercitu tale nihil memoretur; deinde quod hoc adscribit *insolentiæ*, quam certe nemo agnoscat in iis quæ necessitatis caussa fiunt. nec enim Xerxianos quisquam, insolentiæ magis ergo, quam per sitim ebibisse flumina arbitretur. præterea subjicit non flumina sibi erepta, quod oportuerat ita intelligentem, sed *fontium haustus*: vnde clarum, non de illis aquis intelligi, ad quas exsiccandas ingenti exercitu opus esset, sed quibus incolæ quotidie in potu vterentur. Quas quidem solitosque cibos, ea postulatione ereptos esse, non ex vero dicit, sed accendit rem interpretando, & ad inuidiam faciendam exaggerat. Pizarus lib. 2. Histor. Pers. quem in hunc locum etiam incidisse video, cum se inde non explicaret, nouam sententiam commentus est, Persas populatos esse fontes, inficiendo. Sic enim colligo ex his verbis, vbi causas huius belli enumerat: *Alter, ad eos oppugnandos, Mardonium reliquit in Græcia* (hæc est Curtio 4, 1.) *vt absens quoque popularetur vrbes, atque agros vreret, ipsamque aquam inficeret, adeo vt neque fontium haustum, nec solitos cibos relinqueret.* Fortissimum autem argumentum est in ipso more atque historia. Haud enim dubium est, quin de more Persico terram & aquam petendi senserit Alexander atque Curtius. quapropter verissimam esse scripturam, quam Florentina aliæque edd. & iam nostra, proferunt. Vide quæ de isto more Persarum notarunt Brissonius lib. 3. p. 330. & ex eo, vt puto, Arnisæus de Rep. 2, 3, 5, 6. quibus adde Æschinem contra Ctesiph. & ex Aristidis Panathen. præter locos a Brissonio citatos, cum quoque, quo tradit Xerxem iterum Salaminem ad Athenienses misisse, aquam & terram, vt antea petitum. Item Himerium in orat. qua Demosthenem inducit de reuocando Æschine consultantem, apud Photium. Tum Polyb. 9,32. vbi de Lacedæmoniis, legatum qui ea de causa venerat, in puteum detrudentibus, & terra insuper iniecta iubentibus, Xerxi vt referret, consecutum se quæ petere ipsum nunciauerat, aquam & terram. Hæc igitur est ista insolentia, quæ non tantum Alexandro indigna, sed Athenienses atque Spartanis adeo intoleranda visa est, vt potius ius gentium violandum, quam istam superbiam perferendam putarent. Per aquæ autem & terræ petitionem, absolutam dantium deditionem significabant, tanquam rerum ad humanam vitam maxime necessariarum. quod pulchre indicat Taxiles apud Plut. Alex. c. 103. *Quum neque aquam nobis ademptum, neque victum necessarium veneris. pro quibus solis necesse habent homines sani decertare.* Eiusdem Plutarchi errorem, quod in libello de vitando ære alieno, subinnuit, Persas ignem & aquam petiuisse, refutat Rualdus animaduersione L. in Plut. vbi & hunc locum Curtii sic legendum esse ait, quomodo nos edimus.

TEMPLA) Non desunt, qui Xerxem templa Græcorum incendisse aiunt, quod à Iudæis veram religionem edoctus, ex præcepto diuino Deuter. 7, 5. id sibi faciundum putaret. Sed constat ex Pausania in Arcad. & Val. Max. lib.2. c.10. ext. 1. cum statuas Deorum non, vt ibi iubetur, confregisse; sed potius in Persidem deportasse. vt taceam alia, quæ hanc sententiam redarguunt. Cicero de leg. 2, 10. persuasum à Magis ait, Græcos criminantibus, *quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia.* Sed veram caussam aperire videtur Herodot. 5, 102. & 6, 101. vltionem templorum à Græcis crematorum Sardibus. Strabo lib.14. omnia templa à Xerxe, quocunque adisset, incensa fuisse scribit, præter Ephesium Dianæ: quibus addunt alii & Delium. Pertinent huc Branchiadæ, de quibus infra 7,5,28. qui in gratiam Xerxis, templum suum violauerunt. De Delphico templo notum est ex Iustino 2, 12, 8. & aliis quos ibi adnotat Bongarsius. De templo Belî ex Arriano 3, 3, 17. & 7, 3, 31. vide omnino Brissonium lib. 2. pag. 169. vnde velut epitomen quandam confecit Popma ad hunc locum, & Dempsterum ad lib.2. c.2. Antiquitat. Rosini.

HVMANI DIVINIQVE IVRIS) Nam Darius, qui quartus à Cyro imperauit, reuersus à Scythis, Macedoniam nulla re læsus inuasit, suæ ditionis fecit. Iustinus 7, 3, 1. Diuini autem iuris fœdera violarunt, cum templa diripuerunt. Raderus.

ILLYRIOS) Sic malui cum quibusdam edd. aliæ *Illyricos.* sed illud appellabantur. ergo & supra sic feci.

RAPTO VIVERE ADSVETOS) Idem affirmat Strabo lib. 7. διὰ τὴν ἀγριότητα τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὸ ληστικὸν ἔθνος, *quod eam homines sæui, & latrocinio dediti tenebant.* Raderus. De Illyriorum rapinis, & bello inde cum Romanis exorto Florus 2, 5. & late Polyb. à princ. lib. 2. In Strabonis loco legam, καὶ τὸ ληστικὸν τῷ ἔθνει. quomodo apud Thucyd. 5, 13, 21. τῆς πολιτείας τὸ κρυπτὸν. Aristoph. Scholia in Σφῆκας v. 32 πρόσεστι ἡ τῶν Ἀχαϊκῶν φησὶ, διαβάλλων τὸ προβατῶδες αὐτῶν.

PRÆDAM, NON ARMA GESTANTEM) Liuius 9, 17, 14. de hoc Alexandro: Darium *mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum, eneruatum fortunæ suæ apparatibus, prædam verius quam hostem, nihil aliud quam bene auisus vana contemnere, incruentus deuicit.* De aureis armis Samnitium Romani duces apud Liuium 9, 40, 6. *illa prædam verius, quam arma esse.* & 10, 39, 12. L. Papyrius: *Auream olim atque argenteam Samnitium aciem à parente suo occidione occisam: spoliaque ea honestiora victori hosti, quam ipsis arma fuisse.* De aureis atque argenteis armis, vide, si tanti sunt, quæ notaui ad Florum 1,16,7.

NVDOSQVE CALLES) Sic malui cum aliquot libris; quam cum aliis *colles*: cum modo de montibus præcesserit, & hoc vocabulum aptissimum huc sit, ob caussas, quas in Indice referemus.

3, 11, 1. *AD TELI IACTVM)* Tam prope vtraque acies accesserat, & tantillo interuallo ab se mutuo aberat, vt alteram altera sagittis, plumbeis glandibus, & missilibus posset contingere & impetere. Sed quantum, inquis, hoc interuallum est? tormenta hodierna, bombardæ inquam, intra trecentos pedes feriunt; at si protendas, fessa languent, & vi exarmata innoxia cadunt. Sagittarii, & maxime funditores, olim ad sexcentos pedes telum iaciebant, scopumque contingebant. Vegetium 2, 23. audi: *Sagittarij & funditores scopas, hoc est, fruticum vel graminum fasces pro signo proponebant, ita vt sexcentos pedes remouerentur à signo, vt sagittis vel certe lapidibus ex fustibalo destinatis signum tangerent.* De qua re plura Lipsius in militia Romana. Raderus.

EQVESTRI PROELIO) Qua parte virium maxime fidebat. Persæ enim,

enim, vt & successores ipsorum Parthi rei equestris peritissimi semper sunt habiti. vide Iustin.41,2.5. & imprimis Brissonium lib.3. p.299.

ROBVR ESSE CONIECTANS) Nec enim ipse adhuc expertus erat: scire quidem ex aliorum relatu potuit. vnde Acidalius tentabat legere, *robur detrectans.* sed ipse Acid. vidit hanc coniecturam sanam non nimis fido tibicine niti.

3, 11, 2. *ETIAM DEXTRVM AL. CORNV)* Satis confuse pr[illegible] sua narrat Curtius, adeoque in hac re longe prætulerim Arrianum, quem non int[illegible]go, quomodo nostro hic conciliet Raderus. Et si quis putat iniuriam fieri Cu[illegible] interpretetur mihi, quid sibi velit, quod dextro Alexandri cornu ab hostibus fere [illegible] cumuento, duabus aliis equitum ad iugum montis iussis consistere, ceteros in med[illegible] belli discrimen transfert. Iam primum Alexandri dextrum cornu montibus teg[illegible]tur, ergo ab eo latere circumiri non potuit: superest vt factum sit ab altero. sed acid quidem potuit, nisi Parmenione, qui agmen ad mare extendere, ob hoc ipsum iussus erat, iam circumdato, nihil autem tale hic legitur. Et si largiremur, quomodo Thessali potuerunt circumire terga suorum, & Parmenioni coniungi? Atque hoc etiam vt factum demus, quis Deus ex sinistro cornu (ibi enim curauit Parmenio) repente eos deinde transtulit in dextrum, vt quod infra ingerit, à Persis vrgerentur: deinde quam omnia alia turbata, magisque etiam permixta, quam in ipso prælio pugnantes fuerint. primo de vtroque cornu speciatim loquutus, mox vnam vbique aciem facit, in qua profligatur Darius, nempe ab Alexandro qui in dextro suo cornu erat: Alexander autem hostem insequi non audet, altero adhuc cornu pugnante. Interim tamen quod Rex victor non audet, audet adhuc in discrimine constitutus Parmenio. fugientibus enim equitem immittit, tamquam sibi ad pugnam superuacuum. Cum interim in altero vicissim cornu non leuius miraculum, Thessali equites ibi vrgentur à Persis, quos omnibus diis gratias oportebat agere, si à Thessalis fugæ tantum securitas esset. Interim nulla hic de Græcis, præcipua spe Darii, & propemodum vnica, mentio: nisi quod tandem abruptos à ceteris haud sane fugientibus similes euasisse tradit: quasi interim spectatores tantum fuissent, nec vllum aut Macedonibus exhibuissent negotium, aut ab ipsis sustinuissent. Quanto melius, aptius, disertius hæc omnia Arrianus! In his itaque talibus mihi non satisfacit Curtius: alia eius omnia & prudentissime & politissime composita esse non infitior, cuius rei gratia declinassem vtique hanc notam, si per instituti mei rationem licuisset.

3, 11, 4. *IAMQVE IPSI)* Modo significaui me ex toto hoc capite paucissima intelligere: video tamen Curtium hic voluisse dicere non de Thessalis equitibus, nec enim ii missilibus pugnauerint; sed de ipso Alexandro. clarum hoc ex n. 9. hoc capite: *Macedones, vt circa Regem erant. Iamque,* dum ad Parmenionem abeunt equites, *ipse, Alexander, in medium Pers. vnd. circumfusus, egr. se tuebatur: conferti,* hoc iam ad vtrosque exercitus pertinet, vt ostendunt sequentia, non ad Persicum tantum, quod volebant alii: Optem videre hæc, quomodo ante Modium habuerint; quem Acidalius dicit fateri se ita, vt nunc leguntur, correxisse, quæ antea mirifice turbassent. Recte tamen ille illustrando huic loco adduxit Diodorum 17, 33. *barbari tam densa coniecerunt tela, vt propter multitudinem emissorum, atque in se mutuo incurrentium, leuiores inferrentur plagæ.* A quo haud multum dissimilis locus Liuii 34, 38, 2. *missilibus Lacedæmonij pugnabant, à quibus se & magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles, & quod alij vani, alij leues admodum ictus erant. nam propter angustias loci, conferta turba, non modo ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant: sed ne vt de gradu quidem libero ac stabili conarentur. itaque ex aduerso missa tela nulla in corporibus, rara in scutis hærebant.* Plura vide in tertia post hanc nota. Similia Silius 4, 552. & 9, 320.

SIMVL ERANT EMISSA) Vide Indicem voce *simul*.

IN EOSDEM) Falsum hoc. non enim potuerunt in eosdem incidere, quæ mutuo occursu intercepta, *plura in humum innoxia cadebant*. Modius & ex eo Raderus *in eodem* scribunt: quomodo olim etiam mihi videbatur, priusquam eos vidissem; præferebam tamen, *in idem*. sed neque huic neque illi lectioni quisquam codicum adstipulatur.

3, 11, 5. *ACIES ITA COHÆREBANT)* Curtius supra 3, 2, 13. *vir viro, armis arma conserta sunt*. vbi Homeri versus adduximus hosce: ex Ιλ. ν. vers. 130.

Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ προτελύμνω,
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Quibus versibus longe postponit Macrobius Virgilianam imitationem [Æneid. 10, 361. reprehensus eo nomine à Scaligero poët. 5, 3.] - - *hæret pede pes, densusque viro vir*. Nec Virgilius tantum, sed plerique Latini vel Homerum in hoc, vel Virgilium, vel vtrumque æmulati sunt. A. Furius Antias:

Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

Ennius item:

- *pede pes premitur, armisque feruntur & arma.*

Ouidius Metamorph. 9, 43:

Inque gradu stetimus, certi non cedere, eratque
Cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.

Et magnifice, vt omnia, Statius Theb. 8, 398.

Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo,
Ensque minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis,
Sic obnixa acies, pariter sustiria firmant,
Admotæque nitent alienæ in cassidis cristæ.

Non par est huic Valerius Flaccus Argon. 6, 182.

Illi vbi consertis iunxere trementia telis
Agmina, virque virum galeis afflauit adactis.

Segnius vt dixi, illud præsertim, *galeis afflauit adactis*. Nec Silius æquat, quamuis conatus:

- - - *teritur iunctis vmbonibus vmbo,*
Pesque pedem premit, & nutantes cassidis cristæ
Hostilem tremulo pulsant conamine frontem.

& 9. 321. - - - *galeæ horrida flictu*
Aduersæ ardescit galeæ, clypeusque fatiscit
Impulsu clypei, atque ensis contunditur ense,
Pes pede, virque viro teritur - - Prorsus his geminum est Tyrtæi, quod tute leges. initium est:

Ἀλλὰ τὶς ἐγγὺς &c. Raderus. His adde Lucanum 7, 493.

Pompeij densis acies stipata cateruis,
Iunxerat in seriem nexis vmbonibus arma:
Vixque habitura locum dextras ac tela mouendi
Constiterat, gladiosque suos compressa tenebat.

Ex Historicis locum Ennii supra relatum citat & Hirtius de bello Hispan. cap. 31. *Cum clamori esset intermixtus gemitus, gladiorumque crepitus auribus oblatus imperitorum mentes præpediebat*. Hic, vt ait Ennius, *pes pede premitur, armis feruntur arma*. Marcellin. 16, 30. *Iaculorum deinde stridentium crebritate hinc inde conuolante, puluis æquali motu assurgens,*

gens, & prostectum eripiens, arma armis, corpora corporibus obtrudebat. Et 18, 21. *Hic mixti cum Persis eodem ictu procurrentibus ad superiora nobiscum, adusque ortum alterius solis immobiles stetimus, ita conferti, vt cæsorum cadauera multitudine fulta reperire ruendi spatium nusquam possent: vtque miles ante me quidam discriminato capite, quod in æquas partes ictus gladij siderat validissimus, in stipitis modum vndique coartatus hæreret*. Idem 31, 38. nonnulla habet his Curtii verbis & superioribus adfinia. *Collisæ in modum rostratarum nauium acies, trudensque se vicissim, vndarum specie motibus sunt reciprocis agitatæ*. & mox: *steterunt improtecti pedites, ita concatenatis manipulis, vt sixi nec mucronem exserere, aut manus reducere quisquam posset*. item: *neque ad receptum confertis ordinibus laxari vsquam poterat locus, & euadendi copiam constipatio densior adimebat: nostri quoque vltimo cadendi contemptu occurrantes receptis gladiis obtruncabant, & mutuis secutium ictibus galeæ perfringebantur atque loricæ*. Plutarchus Pyrrho cap. 71. *Ita conferti & constricti inter se quum essent, nihil administrari per quenquam virium poterat, sed velut vnum corpus in se compactum, vniuersus globus multa capiebat in vtramque partem momenta & volumina &c. ensem qui strinxerat, aut lanceam inclinauerat, non erat recipiendi recedendiue facultas, verum eis temere obuium quemque transfodiebant, incurrentesque in se mutuo occumbebant*. Liuius 23, 27, 5. *cum corporibus applicantur, armaque armis iungunt in arctum compulsi, quum vix mouendis armis satis spatij esset &c.*

MVCRONES IN ORA DIRIGERENT) Hæc nullo alio aspectu posuit Curtius, nisi ad ostendendam propinquitatem pugnantium. Alias enim videri possit alludisse ad præceptum Cæsaris, *Miles faciem feri*, de quo ad Florum 4, 2, 50. & Germanici apud Tacit. 2, 14, 4. *ora mucronibus quærerent*, quod non putem.

3, 11, 7. *NON DVCIS MAGIS, QVAM MILITIS)* Nam iuuenis isse suopte ingenio prœliorum auidus erat, nec tantum ex auspicio ductuque suo, quam opere manuum gloriam venabatur: nec in eo suorum magis vtilitatem, quam suam cupiditatem sequebatur. Clarum id ex eo quod ducib. suis respondit in Mallis prope occisus, infra 9, 6, 17. ergo hunc præcipue versum Homeri laudauit; Ιλ. γ. v. 179.

Idem Rex bonus, & bellator strenuus idem.

Nec sane indigna Rege ea laus est; sed prudentia requiritur, vt in omnibus, quæ definiat virtutis ostentandæ modum, tempusque commonstret. Quæ si absit, sæpe grauissimarum calamitatum caussa est ea audacia, vt prolixe demonstrat Gruterus discursu 11. ad Tacitum; sicut è contra, vbi prudenter & tempori adhibetur, maximorum commodorum. qua de re dicemus, volente DEO, ad Taciti H. 3, 17, 1.

OPIMVM DECVS) Spolia opima Romani moris alludit: de quibus ad Florum 1, 1, 11. diximus. Ceterum Drusus Alexandro huic similem se præbuit, quem Sueton. Claud. 1, 11. scribit: *Ex hoste super victorias, opima quoque spolia captasse, summoque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatum*. Sic apud Gregoram 1, 6. ὁ τῶν Τάρκων ἀρχηγὸς ὁ Σωλτὰν Ἰαζατίνης, πάντας ἀφεὶς καὶ παραδραμὼν, αὐτὸν ἐζήτει τὸν βασιλέα. *Turcorum dux Sultanus Iasbatines, omnibus omissis & præteritis, ipsum quærebat Imperatorem Græcorum*. Adde Appendicem ad hist. Ven. Iustiniani pag. 85, 40.

CVRRV SVBLIMIS) Vide Brissonium. lib. 1. p. 83. f. quamquam Arrianus & quidem vero similius dicat eum postea fugæ tantum caussa currum conscendisse. nisi tamen concilies ex Diodoro 17, 34. fuisse in curru, eumque quatientibus equis, alio conscenso fugisse. Alexander autem eques pugnam iniit, vt merito tot fidelibus historicis credo, præ nugatore Philostrato, qui fine lib. 2. de Apollonio hunc quoque scribit curru in prœlio vectum, narratione non simpliciter falsa. nam & *Ipsos* plurali numero, & cum satrapis ibi pugnasse (non cum ipso Dario) dixit. Curru autem

tem veteres prœlium inibant heroicis temporibus. Sed & diu postea apud nonnullas gentes in vsu fuerunt. De essedariis Britannorum notum est ex Cæsare. Apud Persas id immutasse Cyrum, Xenophon lib. 6. παιδείας scribit, pro quadrigis quibus ad id tempus Asiatici omnes vti fuerant, Cyrenaïci quidem adhuc tempore Xenophontis vtebantur, currus falcatos instituentem.

3, 11, 8. *OXATHRES)* Sequutus sum scripturam eorum librorum, quæ alios etiam historicos adstipulatores habet. Nam & Diodoro 17,34. est Ὀξάθρης: & Plutarcho Artox. cap. I. qui idem in Alex. c. 78. quamuis Ἐξάθρην appellet, tamen in hoc nobiscum consentit, quod trisyllabum scribit.

3, 11, 9. *OMNES IN ORA PRONI)* Vide notam nostram ad Flori caput 1. lib. 4. in fine, & lib. 1. cap. 18. n. 17. sic Arrian. fin. lib. 2. de Gazensibus: ἀπέθανον πάντες αὐτῷ μαχόμενοι, ὡς ἕκαστοι ἐπέτυχον: *eo ipso loco quo quisque constiterat, vitam pugnans amisit.* Adde Liuium 8,38,14. 28,22,16. 30,8,8. Polyb. 15, 13, 15, 15.

3, 11, 10. *ATIZYES, ET RHEOMITHRES, ET SABACES)* Arrian. 2,2, 38. Ἀγσάκης καὶ Ῥωμιθρης καὶ Ἀδιζύης. Diod. 17,34. Ἀνπζύης καὶ Ῥωμιθρης, καὶ ὁ τῆς Αἰγυπίης Σαταπάπης Τασιάκης. supra tamen eodem libro cap. 21. scribitur Ἀπξύης. Idem nomen videtur *Epixyes* apud Plutarch. Themist. cap. LII. quomodo Curtiana exemplaria varient, in proprio libello exhibemus. fuerunt autem hi iidem Satrapæ, qui primo prœlio ad Granicum contra Alexandrum contenderunt, vt adjicit Arrianus, qui etiam 1, 8, 3. Atizyem Phrygiæ satrapam fuisse tradit. Rheomithris nomen nescio an corruptum dicam apud Xenophontem vbi quidam est Leomithres ἀναβάτ. lib. 8. *Sabaces* de quo infra 4, 1, 28. nonnullis codicibus est *Sataces*, aut *Sathaces*, cuiusmodi libro vsus fuerit Sabellicus in hac historia memoranda, apud eum enim ita legitur. Cæterum quod in multis editionibus pro Rheomitre *Trountem* reperio, facit vt suspicer aliud ibi nomen latere, & forte legendum esse *Orontem*, quem si alii non commemorant, nihil certe noui faciunt. Id autem nomen esse illis gentibus vsitatum, Arrianus ostendit, qui secundo Darii prœlio Armeniis Orontem quendam præficit 3,2,8. qui & post Alexandrum ibi præfuit, vt constat ex Polyæno 4, 8, 3. Ostendit & Strabo lib. 16. vbi scribit, Orontem fluuium qui Antiochiam prælabitur, accepisse nomen ab eo qui pontem in eo struxerit. Magis etiam Zonaras tom. 3. paulo post pr. qui eundem fluuium, *olim Ophiten dictum post de nomine filij Cambysis Regis Persarum, in eo submersi Orontem cognominatum* tradit. Quamquam Apollo Clarius apud Pausan. lib. 8. Orontem Indum fuisse responderit. Virg. Æn. 1,117. duci Lyciorum id nominis adcommodat. Adde Diodor. 15,10.

SED PROMPTISSIMI) Ita solet. Cæsar de bel. Ciuil. 3,97. *In eo prœlio non amplius CC. milites desiderauit; sed centuriones fortes viros, circiter XXX. amisit. Interfectus est etiam fortissime pugnans Crastinus.* Obseruat idem Gablman in Mansfeldiana militia Hungara, vbi de clade Turcarum ad Strigonium: *Præfectorum pauci incolumes permansere, quia reliquis exemplo primi ante omnes ardentissime pugnarunt. Et plerunque accidit in cruentis prœlijs optimos virorum desiderari.* sensit olim magno suo incommodo Annibal ad Cannas apud Liu. 22,52,6. cui ea pugna occubuerunt *ad octo millia*, paruus numerus, si Romanorum cladem spectes; sed nempe, *fortissimorum virorum*, quod ipsum valde debilem reddidisse idem auctor postea notat. Sic Tacit. H. 2, 25, 5. *promptissimos prætorianorum equitum interfecere.* Xenophon post pr. lib. 4. παιδείας: *Assyrij quorum & princeps, & cum hoc fere fortissimus quisque occubuerat.* Ratio est in illis Agricolæ apud Tacit. Agr. 34, 3. *ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo siluas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque animal robore,*

robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignauorum & metuentium. Pertinet huc prouerbium, *Timidi matrem non flere.* Cornel. Nepos in Thrasyb. 2,3. Pulchre igitur Ouidius Fast. 2,751. metum Lucretiæ exponit:

Sint tantum reduces. Sed enim temerarius ille
Est meus, & stricto quolibet ense ruit.
Mens abit, & morior, quoties pugnantis imago
Me subit: & gelidum pectora frigus habet.

ALEXANDRI) Infra 3, 12, 2. *quippe summa cutis in femore perstricta.* Chares apud Plutarch. in vita cap. 33. auctor est Alexandrum à Dario vulneratum esse, vulnere tamen non graui. Sed Alexander in Epistola ad Antipatrum læsum & perstrictum telo femur in prœlio scribit, auctorem tacet. Accipe ipsa Alexandri verba: Συνίβη δέ μοι (φησὶ) καὶ ὡυτῷ ἐγχειριδίῳ πληγῆναι εἰς τὸ μηρόν, ἀλλ' οὐδὲν ἄπονον ἦτε παραχρῆμα, ἤτε ὕστερον ὡς τῆς πληγῆς ἀπηντηκυίας. *Contigit, inquit, mihi pugione sauciari in femur adacto, sed vnde nulla pernicies aut illico, aut postea secuta est.* Chares ait duos reges manus inter se conseruisse, sed hoc mihi ἄπιστον, quod Darius tam propinquum Alexandrum non expectarit, à quo nisi perempto non abiisset Alexander. Verisimilius ergo ab incerto equite per ingruentem impetum perstrictum esse, quod non obscure docet Diodor. 17, 34. *Accidit,* inquit, *& ipsum Alexandrum, cum se magna vis hostium in illum infunderet, in femore vulnerari.* Raderus.

3, 11, 11. *IVGVM QVATERE)* Iam supra ostendi iugum non in curru, sed in equorum iugalium ceruicibus quærendum. Petronius:

- - - - ceu vbi solet
Nudo remissus Thessali quadrupes iugo
Cernicem, & altas quatere ad excursus iubas.

Illud enim conabantur excutere. quare coactus ipse Darius præter morem Persarum & dignitatem regiam habenas arripere, & coërcere impetum equorum, quoad aliæ quadrigæ adducerentur, quibus periculum euaderet. Vti est apud Diodorum 17, 34. Raderus. Plutarch. Alex. cap. 62. hæc accidisse scribit in posteriori prœlio.

IN EQVVM) Arrian. 2, 2, 36. ὡστὲ ὃ ἵππον ἐπιβὰς ἴφυγε, *conscenso equo fugit.* sed vox illa communis patiebatur, vt feminino genere exponeretur, *conscensa equa fugit.* ἵππον ἀνέβη ἅλλυ, ait Ælian. Hist. animal. 6, 48. *equam conscendit, quæ quod relicti memoriam pulli recordaretur, quanto maximo potuit studio & celeritate, eum ipsum prædicatur ex periculis eripuisse.* Vt hinc vel apud Curtium tentari possit; *in equam, quæ ad hoc sequebatur:* præsertim cum & posteriora hæc verba innuant fuisse aliquid non vulgare aut consuetum in eo iumento. Firmat & Plutarch. Alex. c. 62. θήλειαν ὃ (ὡς φασιν) νεοτόκον ἵππον περιβὰς ἴφυγεν: *equam (vt ferunt) recens enixam conscendens fugit.* Et simile quid de Antiocho legas in Iosephi compendio Hebraico. *Perniciores fuisse equas, & veteribus plus quam equos in vsu, notum,* inquit Goldastus Alamann. tom. I. pag. 185. p. in Ekkehardi Iunioris casus cap. I. ad hæc verba: *ascendensque equitem illam velocissimam.* vbi *equitem* pro *equa* dici notat. Nostris quidem moribus haud decorum habetur equa vehi: minus etiam Hibernicis. ibi enim *Equas, vt pariant, tantum pascunt. Nihil ad equitis æstimationem turpius, nihil ad insectantium cachinnos aptius, quam in equa sedere.* Stanihurstus lib. 1. de rebus Hibernicis.

INSIGNIBVS QVOQVE IMPERII) Dixi ad Florum 1, 18, 7. quibus addi potest Tacitus H. 1, 81, 3. *Magistratus proiectis insignibus &c. latebras petiere.* Dio lib. 45. de Asinio Pollione: *quo facilius in fuga lateret, paludamentum abiecerat.* Adde Cæsar. de B. Ciu. 3, 96. Xiphilinus simile quid de Traiano narrat, sed non fugæ caussa factum:

factum: *quamquam vestem regiam deposuerat, ne ex ea agnosceretur, tamen vix vulnera effugit.* Addi reliquis potest & Tigranis exemplum, qui à Lucullo superatus, cum fugeret, insignia regia filio suo lachrymans tradidit. Plutarch. Lucullo cap. 60. Quæ autem insignia abiecerit Darius, tum ex ipso auctore nostro cognosci potest, tum & Brissonius lib.1. pag.40. prolixe enarrat.

3,11,12. *QVA CVIQVE*) Alia *quæ cuique.* sed illam lectionem, postea etiam in Amst. edit. repertam defendi in Indice Floriano voce *Qua.* Sic infra 5, 13, 18. loco similimo: *Barbari ducibus destituti, qua quemque aut spes ducebat, aut pavor, dissipabantur.* sic Marcellin. 18,20. *Vt in rebus solet afflictis ambigentes cuinam deberet aut posset occurri, trudente pondere plebis immensæ, passim qua cuique proximum videbatur, diffundimur.* Iterum 31, 37. *Acies inclinatæ nostrorum, quod solum postremis malis habuere subsidium, incondite qua quisque poterat, vertuntur in pedes.* Quomodo forte scrib. eodem lib. cap.42. *Dextra pars, alij læua, vel quo* (forte *qua*) *metus traxerat, ferebatur quisque.*

AD TVTELAM CORPORVM) Sallust. Cat. cap.58. *in fuga salutem sperare, quum arma, queis corpus tegitur, ab hostibus auerteris, ea vero dementia est.* Et in Iugurth. cap.107. *Neminem decet qui manus armauit, ab inermis pedibus auxilium petere: in maximo metu nudum & cæcum corpus ad hostes vertere.* quæ loca P. Victor. V.L. lib. XI. c.2. recte putat sumpta ex Xenoph. 3. παιδ. ἀνα. vbi Assyrius rex ad suos *stultum est, eos qui superiores esse velint, cæcas corporis partes, & armis ac manibus destitutas, pro fugam hostibus obuertere.*

3,11,14. *INCOMPOSITOS VICTORIÆ FIDVCIA*) Iisdem prope verbis, in re simili vsus Liuius 21, 52, 10. *Ii sparsos & incompositos onerato sque, præda plerosque, cum inopinantes inuasissent, ingentem terrorem cædemque ac fugam vsque ad castra stationesque hostium fecere.* Ea res multis eripuit victoriam. Sic apud Polyb. 1, 74. Hanno cladem accepit à mercenariis rebellibus. quos mox cap.18. eadem peccantes Amilcar perculit, conuerso agmine fugæ speciem præbens: cum *Afri & mercenarij fugere Carthaginienses ex pauore vati, solutis ordinibus eos inuadunt &c. Afri qui temere ac sparsim certamen erant orsi, inopinata illorum virtute perculsi in fugam subito inclinantur.* Simile Labieni strategema apud Dionem lib. XL. Pertinent huc omnia exempla eorum qui ob rem bene gestam negligentiores facti, plenæ victoriæ defuerunt, vt Hispani apud Liuium 23, 27, 2. Item eorum, qui fugæ simulatione id egerunt, vt hostem temere insequentem, distraherent, quod Parthis vsitatissimum fuit.

3,11,15. *EQVI PARITER*) Varie vexata lectio, sed hæc maxime extra vitium visa. tædet referre tot doctorum hominum coniectamenta, quibus temere quicquid displicet incursantes pridem hanc infamiæ notam inusserunt vtilissimæ pulcherrimæque arti, vt vulgo putent nulli eam vsui esse, quam conturbandis auctorum scriptis, per lusum & iocum quæcunque in buccam venerint secure effutientium. Certe eruditissimi Rutgersii coniecturam non damnem, qui sic legit. *Equi p.e. P.s.l. graues, id genus agmen, quod celer. max. constat, ægre moliebantur.* Certum enim, equitatus potissimam vim in celeritate consistere. Manet tamen adhuc vocula sequens *quippe*, quæ Acidalio non sine caussa plurimum hic turbare videtur. Et sane si quid liceat mutare, faciam; *ideoque* vel, *eoque in c.e. s.T.m. occupauerunt.* Porro inserunt hic omnes veteres, voculas, *ob id genus*, quas non intelligo. Iidem mox pro *multos* legunt *inulti*, quod haud sane displiceat, si cetera possim constituere. Rem quod attinet, de armatura hac Persica plenissime tradiderunt Brissonius, lib. 3. p. 289. & 303. & post eum Lipsius de Mil. Rom. 3,6. ex quibus vnum atque alterum scriptorem, qui huic illustrando maxime facient, excerpam. Sic igitur Claudianus in Rufin. 2,357.

con-

- - - - *coniuncta per artem*
Flexilis inductis animatur lamina membris.
Horribilis visu, credas simulacra moueri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.
Par vestitus equis - - - - Marcellin. 16,16. *Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros quos laminarum circuli tenues apti corporibus, flexibus ambiebant, per omnia membra diducti, vt quocunque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iunctura cohærenter aptata.* Scriptor Græcus apud Suidam voce Θώραξ: *Lorica Parthi equitis est talis. Prior eius pars pectus, & femora, & manus extremas, & crura tegit: posterior tergum, & ceruicem, & caput totum. fibulæ vero sunt ad latera, quibus vtrumque partem iungunt, atque ita totum equitem ferreum facium videri. Prohibet vero nihil, aut impedit ferrum membrorum extensiones siue contractiones, adeo curiose factum sectumque est ad naturam membrorum. Armant autem & equum similiter ferro, totum quidem & vsque ad vngulas. hoc ideo, quia nihil illis arma prosint propria, si equus interficiatur.* Manere hanc armaturam Persis in nostra tempora monstro ad Surii Comment. rer. in orbe gest. pag.14. Adde Sansouin. de Regnis pag.47.b.

EQVIS SVIS) De Persis accipe, non de Thessalis.

3,11,16. *NON ANTE AVSVS*) Pal.1. *non a. ausi.* bene. qua forma mox 3, 12, 10. *exspectato diu.*

3,11,17. *CADERET*) Recte sic, nam scilicet fugientes cedebantur. Acidalius tamen voluit, *cederet.*

METVS &c. MORABATVR) Pulchre mehercules, & ex intima natura. Sic enim fit occulto, nec quo, satis scio, modo. In trepidatione metu impellimur ad fugam, quam nitentes tamen eodem retinemur. Eleganter hoc idem fere Latinus Pacatus, Theodosii Panegyrico, scriptor, vt illa ætate, minime spernendus, & quem ego sane amo æstimoque, nec si optio detur, vnam eius orationem illam, nisi sunt eiusdem inter panegyricas etiam plures, quod alibi quærendi erit locus, haud equidem multis aliorum, vna etiam atque altera pœne dicam Ciceronis mutem. Is ita cap. 38. *Vt clausæ cassibus feræ quæsito diu exitu desperatoque consultare, & præ timore non fugiunt: ita ille ipso quo agitabatur metu alligatus, in oppidum semet Aquileiense præcipitat.* Acidalius. Similiter Ouid. Metamorph. 3, 46. - - *Siue illi tela parabant, siue fugam; siue ipse timor prohibebat vtrumque.* Marcellin. 17, 23. *Stratisque plurimis quorum gressus vinxerat timor.* Agricola Taciti 34, 4. *Non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi: ideo extremo metu corpora defixere in his vestigiis.* Arrian. 1, 5, 23. *quorum agmen eodem loci vbi consistere iussum erat, stupore potius inopinati euentus, quam certa aliqua ratione se continebat.* Fugientium in magno metu trepidationem expressit etiam Soiter. lib.I. de B. Pannon. fol.8.

3,11,18. *AT GRÆCI*) Arrianus 2, 2, 32.

3,11,20. *LVXVRIÆ APPARATVM*) Plutarchus Alex. cap. 34. hunc exprimit: *Vt autem holcia vidit & crossos, ampullas, alabastros, ex auro fabrefacta omnia &c.* Inter hæc vasa, reor, fuit scrinium illud Græcis & Latinis celebratum, in quo Homeri carmina reposuit, vt in hunc modum de eo tradit Strabo lib.13. *Etenim fertur quædam emendatio poëseos Homericæ, quæ è Narthecio Alexandri appellatur, posterior Callisthenis & Anaxandri correctionibus: cum singula Alexander perlegisset, ac quædam adnotasset, codicemque postea in Narthecium deposuisset, quod scrinium in gaza Persica repererat, pretiose admodum comparatum.* De eodem Plinius 7, 29. his verbis: *Itaque Alexander Magnus inter spolia Darij Persarum regis vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque ac margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus (quando tædebat vnguenti bellatorem & militia sordidum) imo Hercule, inquit, librorum Homeri*

custodiæ detur, vt pretiosissimum humani animi opus quam maxime diuiti opere seruaretur. Addit his Petrus Victorius Alexandrum ab Homeri amore dictum Φιλόμηρον. Sed quid miramur Alexandrum Græcum fuisse φιλόμηρον, cum Persæ & Indi in patriam versa linguam Homeri carmina cantarint. Sed redeamus ad Curtium. De Castrorum luxuria multa Brissonius. Cæsar de bello Ciuil. 3, 96. Pompeiana castra fere vt hic Curtius Dariana describit. Radcrus.

IN COMPAR. MELIORVM) Idem adnotauit Gablman in Mansfeld. militia Hungara, de præda ad Strigonium parta: *ex rerum multitudine subito quis opimum melioris spe fastidit: incerto certum vendens.* & mox: *Omnia regum oculi: nunc quis onerat sese vestimentis, mox aliud aspectans, primæ suburræ osor, illud apprehendit: donec sæpe vacuus, aus mera scrutinia* (immo *scruta*) *misere baiulans reuertatur.* Belle Auentinus lib. 1. vbi de successoribus Alexandri: *Aduersus immodicas cupiditates nullus stat terminus, & difficile est eo contentum esse, quod offert occasio: fordent prima, cum maiora sperantur.* Ex Seneca, ni fallor.

3, 11, 22. *CASTRA REPLEVERANT)* Deleam τὸ *castra*: verbum *repleuerant* respondet præcedenti *omnia.* id qui non videbant, arbitrati deesse vocem aliquam ita suppleuerunt.

NEC VLLA FACIES MALI) Vt moris est in expugnationibus vrbium, quibus hæc castra similia erant, ob feminas præcipue & pueros quos secum duxerunt Persæ: quorum etsi magna pars Damascum concesserat; necesse tamen fuit non leuem numerum remansisse cum reginis & virginibus regiis. Ideo in descriptione rerum tristium hac comparatione vtuntur auctores. quomodo Tacit. 1, 41, 1. *velut in vrbe victa facies, gemitusque & planctus.*

3, 11, 23. *TABERNACVLVM)* Vide Brisson. lib. 3. p. 321. Porro in scriptura huius loci, tanquam in scyrpo nodum quærit Acidalius, nihil tamen reperit, quod solui mereatur.

QVASI VETERI DOMINO) Tanquam iam inde à principio ad Alexandrum pertinuisset, hique custodiæ eius ab ipso præpositi fuissent.

INTACTVM OMISERANT) Quasi proprie ad Regem pertinens, cui hoc eximium merito seruatur. Recte igitur apud Plutarch. Alex. c. 34. Alexandro dicenti; *Eamus ad abluendum Darij balneo contractum ex pugna sudorem: quidam ex amicis; Minime vero, inquit, imo Alexandri. quæ enim ad victos pertinuere, ea & esse & dici debent victoris.* Verum enim est, *non æqualia singulis tribuenda; sed præstantissimos quosque magis etiam præ ceteris cum honoribus, tum donis augendos esse.* Xenophon lib. 2. παιδ. apud quem lib. 7. Sardibus captis Cyrus hortatu Chrysantæ, regiam occupauit. Sed & ante lib. 4. in fin. castris Assyriorum captis *Cyro pulcherrimum selegerant tabernaculum.* Idque nunc quoque solet obseruari: quomodo Turcis ad Strigonium cæsis, *Beglerbegi papilio cessit Mansfeldio cuius elaboratum opus decem millibus talerorum æstimabatur.* Gablman in Mansfeld. milit. Hungara. Vide ea de re differentem vt solet, virum magnum, Hugonem, inquam, Grotium de iure belli 3, 6, 24. Non omittenda sunt quæ hic addit Diodor. 17, 36. *Tum regis ministri, occupato Darij tabernaculo, balneas & mensas, quibus ille vsus fuerat, apparabant, accensisque tædis bene multis regem exspectabant, vt ab injectatione reuersus, omnem Darij apparatum occuparet, Asiaque totius imperium felici hoc augurio capesseret.* Sic Diodorus, qui tamen parum caute, superiori & hoc capite scripserat, tabernaculum Regis à Macedonibus direptum fuisse.

3, 11, 24. *CONIVNXQVE)* Eadem & soror, quod hic notauit Arrianus 2, 2, 39. καὶ ἡ γυνὴ, αὐτὴ ἦ καὶ ἀδελφὴ Δαρείου. quamquam illa particula ἡ induxerit in errorem interpretes, vt vna ex muliere duas facerent: *mater Darij & vxor, soror etiam ac filius &c.* Sororem enim suam, pulcherrimam mulierum, incesto quidem

dem, sed inde à Cambyse patrio Persis more, vxorem duxerat. quod etiam liquet ex Plutarchi Alex. cap. LII. Vertendum igitur fuit cum Orosio 3, 16. *Inter captiuos castrorum mater, & vxor eademque soror, & filiæ duæ Darij fuere.* Ea res exemplo fuit Græcis Ægypti regibus, aliisque, vt & ipsi sorores ducerent, qua de re dicendi locus erit ad Taciti 2, 3, 5. Simile mendum illatum est Bembi Hist. Venetæ lib. II. pag. 58. f. *Ferdinandus &c. cum Federico patruo, & vxore Ferdinandi aui sui atque filia.* Vbi itidem istud *atque* insititium est. nam Ferdinandi posterioris vxor fuit ipsa illa *aui sui filia.* Vide Cominæum 8, 14.

3, 11, 25. *NON SVO TANTVM)* Nam vbi sincerus est amor, haud perinde sua cuiuis incommoda, quam amatorum dolent. Expressit hoc elegantissime Martialis 1, 14.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto;
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Sic supra 3, 5, 8. De periculo Alexandri Macedones *immemores sui querebantur.* mox 3, 11, 26. *Illæ suæ calamitatis oblitæ &c.* Plutarch. Antonio cap. 100. de Cleopatra: *suorum pene malorum est illius miseratione oblita.* Adde eundem Æmilio cap. LVII. Fabri Semestr. 3, 99. m.

CIRCA EAM) Putem legendum *circa eas.* & necesse est, ob sequentia; *Reginas dominasque &c.*

LACERATIS CRINIBVS, ABSCISSAQVE VESTE) Præter similia loca Curtii, aliaque ex Brissonii lib. 2. pag. 256. à Radero descripta, mos ille non quidem Persarum proprius, sed communis illis atque reliquis Asiaticis nationibus, sed & Europæis, in luctu aut graui dolore, fuisse deprehenditur. De Phryge suo Virgil. 5, 685.

Tunc prius Æneas humeris abscindere vestem.

De Assyrio Tigrane Xenophon παιδ. 3. περισπάσαντο τὴν πάρδαν καὶ τὰς πλάκας καὶ ἐρρήξαντο, *auulsa tiara, vestes etiam discerpsit.* & sub fin. libri, de Assyriis mulieribus: *vestibusque discerptis etiam vnguibus ora dilaniabant.* Item in pr. lib. 5. Panthea *dilacerata superiori veste cepit eiulari.* Sueton. Cæs. 33, 1. *fidem militum flens, ac veste à pectore dississa inuocauit.* Genes. 37, 29. *scissis vestibus pergens ad fratres suos.* Ibid. 44, 13. *At scissis vestibus &c.* Judic. 11, 35. *qua visa scidit vest. sua.* Num. 14, 6. *sciderunt vest. sua.* Reg. 4, 5, 7. *scidit vest. sua.* Ios. 7, 6. *scidit vest. sua & pronus cecidit in terram.* Maccab. 1, 2, 14. *Et scidit vest. sua Mathathias & filij eius: & operuerunt se ciliciis, & planxerunt valde.* Iob. 1, 20. *exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum.* Marci 14, 63. *Summus autem sacerdos scindens vest. sua ait &c.* Actor. 14, 13. *consciss tunicis suis exierunt clamantes in turbas.* Reg. 2, 1, 2. *homo veniens de castris Saul veste consciss, & puluere conspersus caput.* ibid. vers. 11. *Apprehendens autem Dauid vest. sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo.* Matthæus 26, 65. *Tunc princeps sacerdotum scidit vest. sua.* Reg. 4, 18, 37. *Venitque Eliacim &c. scissis vestibus.* Ibid. 4, 19, 1. *Ezechias Rex scidit vest. sua, & operuit se sacco.* Reg. 2, 3, 31. *Scindite vest. vestra & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* & 2, 15, 32. *Chusai Arachites scissa veste, & terra pleno capite.* Seneca de ira 1, 16, 27. *sua vestimenta scindentem, quia tardius scindebantur aliena.* Euseb. hist. Eccl. 3, 17. *veste dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens.* Diodor. 17, 35. *tunica vix simplici amictæ, vestitumque lacerantes cum lamentis è papilionibus tunc prosiliebant.* Apulei lib. VIII. *discissaque interula decora brachia fœuientibus palmulis conuerberas.* Et mox. *adhuc flentem maritum, adhuc vestes lacerantem, de nuptiis conuenere.* Si-

lius lib.6, 405. *Squallentem crinem, & tristes lacerabat amictus.* & lib.13, 388. *Pulsato lacerat violenter pectore amictus.* Dio lib. 56. *Augustus Variana clade audita, vestem, vt quidam memorant lacerauit, inque magno luctu fuit propter amissum exercitum.* Claudian. de raptu Proserp. 3, 149.

\- - - - - amictus
Conscidit, & fractas cum crine auellit arista.

De Cerere loquitur. Sueton. Ner. 42, 2. *veste discissa, capite conquerberato, actum de se pronuntiauit.* Capitolin. in Gordian. cap. 13. *incurrere in parietes, vestem scindere, gladium arripere.* Quintil. declam. 27. *Tum lacerare vestes, tum verberare vultus meos incepi.* Plut. Cicer. cap. 42. *permulti patrum vestibus laceratis curia se cum magno fremitu effudere.* D. Hieron. in Matth. lib. 27. *Consuetudinis est Iudaicæ, cum aliquid blasphemiæ, & aliquid contra DEVM audierunt, scindere vestimenta sua. quod Paulum quoque & Barnabam in Lycaonia, quando deorum cultus venerabantur, fecisse legimus.* Dio lib. 40. *Cuius facti indignitate Paulus commotus, vestem suam proscidit.* vbi pro *Paulus* debuit poni *Piso*, nam de eo est sermo. Zonaras tom. 2. de Augusto: *dictaturam repudiauit: & cum neque differendo, neque deprecando quicquam proficeres, vestem suam lacerauit.* Herodian. 1, 40. de sorore Commodi: *Hæc loquens vestem scidit.* Tertullian. aduers. Psychic. *Duritia hostis annuntiata, scidit vestem.* Virg. Æn. 12, 609.

\- - - - it scissa veste Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam puluere turpans.

Seneca in Octauia versu 328.

Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas, rigas & mœstis
Fletibus ora. Similiter, vt Lydi, Crœsum vinctum videntes apud Nicol. Damascenum in Excerpt. Vales. pag. 457. Dio lib. 48. pag. 433. E. *crines suos laniabant, vestem rumpebant, nominatim eos inuocabant. perinde ac si exaudire illi possent, & quasi eo in loco mortuos ac iacentes complorabant.* Plutarch. Anton. c. 100. de Cleopatra: *pepla eum lamentans dilacerauit, pectusque suum percutiens & lanians manibus &c.* Statius Siluar. 2, 1, 169.

Tu modo fusus hiemi lucem auersaris iniquam;
Nunc torues pariter vestes & pectora rumpis.

& Silu. 5, 1, 20. \- - - *tunc fiere & scindere vestes,*
Et famulos lassare greges, & vincere planctu,
Fataque & iniustos rabidis pulsare querelis
Calicolas, solamen erat. Scripsi *planctu*, non *planctus*, vt male præferunt editiones quas vidi. Lucian. de luctu: *Accedunt ad hæc mulierum eiulatus, omniumque lachrymæ, pectorum planctus, comæ dilaniatio, genarum cruentatio. Alii vestem discerpunt, & puluerem capiti inspergunt.*

INVOCANTES) Alii *vocantes*, illud haud spernam. nec spreuit doctissimus interpres Dionis lib. 48. de iis qui pace cum Sex. Pompeio facta necessitudines suas requirebant: ὀνομαστὶ τὸ αὐτὸν ἀνακαλοῦντες: *nominatim eos inuocabant.* Sic eo verbo vsus Iustinus 25, 2, 11. *in auxilium à Bithyniæ rege inuocati.* Similis Curtii loco est apud Plut. Anton. cap. 100. διαστῆναι ἐκάλει, καὶ ἄνδρα, καὶ αὐτοκράτορα, *dominum, virum, imperatorem appellauit*, vel, *inuocauit.* Sic ordo Mutinensis *appellabat* Patres Conscriptos, *intempestiuo honore.* Tacit. H. 2, 52, 4. Ctesias apud Plutarch. in Artoxerx. ἀκούσαι τῶν φοινίκων, ἀνακαλεμένων Κῦρον βασιλέα. Liuius 1, 26, 2. de Horatia: *flebiliter nomine sponsum mortuum appellat.* Marcellin. 18, 21. f. *multis caritates diuersas, quas*

quas præ angustiis videre non poterant, inuocantibus. Sic & alibi Curtius. Indicem vide.

3, 11, 27. *CÆSA SVNT*) Diodorus 17, 36. numerat peditum 120000. equitum 10000. Arrianus 2, 2, 38. peditum 90000. equitum 10000. vniuerse 100000. non amplius. Iustinus 11, 9, 10. rursum aliter: *Cæsa sunt peditum vnum & sexaginta millia, equitum decem millia: capta quadraginta millia.* Orosius 3, 16. iterum ab omnibus aliis abit: *Ibi tunc*, inquit, *peditum octoginta millia, equitum decem millia cæsa sunt: capta autem quadraginta millia.* Plutarchus Alex. cap. 33. generatim ὑπὲρ τριάκοντα μυριάδας ponit cæsas, hoc est super centum & decem millia, sine equitum peditumve discrimine; tanta est varietas scriptorum in vnico cæsorum numero. Scripsit Antipater epigramma super hac cæde Persarum ad Issum. Anthologiam 3, 5, 18. adi. Hanc pugnam Philoxenus Eretrius pictor coloribus redintegrauit; an illam Alex. cum Dario ad Arbela seu Gaugamela, Plinius 35, 10, 53. non exprimit. Raderus. & eadem fere Acidalius. Obiter adnoto, Iustini locum supra citatum corruptum videri; nec enim placet illud *vnum & sexaginta*: quando vnum illud nemo temere Græcus scriptor, ex quibus hæc haurienda fuit historia, adiecerit. illi enim per myriadas computauerunt hanc cladem; quod causse est, cur idem faciant omnes, etiam Latini, qui numerum hoc prælio cæsorum captorumue referunt. Igitur potius crediderim in Iustino scribendum *centum & sexaginta.* Certe nec Sabellico priorem scripturam placuisse apparet ex eo quod verba *vnum &* omittens Ennead. 4, 4. ita scribit: *Trogus peditum sexaginta millia cecidisse ait.* De numero occisorum, quem Histor. Miscella prodit, proxime sequenti nota dicemus.

AT EX PARTE ALEX.) Historia Miscella 2, 15. *Scriptorum omnium veterum mos est, ex ea parte quæ vicerit, occisorum non commendare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victorin: nisi forte cum adeo pauci cadunt, vt admirationem terroremque virtutis augeat paucitas perditorum. sicut in prima congressione Persici belli apud Alexandrum Magnum fuit; cum inter quadringenta ferme millia hostium interfecta, centum viginti equites, & nouem tantummodo pedites in eius exercitu defuisse referuntur.* Atque ita Orosius 4, 1. vnde hæc exscripta sunt. Sed videlicet manifestus est error in prægrandi illo numero *quadringenta millia*, quot certe nullo vno prælio, quæ Alexander pugnauit, interierunt: nedum *in prima congressione Persici belli*, nimirum ad Granicum, hanc enim pugnam intelligere nos ea verba cogunt. At illic si Diodorū 17, 19. sequimur, 10000. Persarum peditum ceciderunt; si Plutarchum Alex. c. 26. viginti millia, equitum 2500. Arrianus 1, 5, 23. etiam mille equites numerat. nisi forte ibi ex mendi occasione tantillus numerus hæsit: plures enim multo cecidisse consentaneum est. Sed vt valde augeamus numerum, apparet eo non posse ascendere, vt Orosio ratio constet. plures enim ille interfectos scribat, quam alii in acie fuisse: qui enim plurimos scripserunt, 120000. tradiderunt, præter Iustinum & ex eo Oros. 3, 16. qui numerum immodice auxisse (nam 600000. Persis tribuit) vel inde conuincitur, quod ipsi postea regi, in prælio ad Issum minus virium tribuit. quod quidem barbaris ingeniis non conuenit, eique Dario, qui potissimam & spem & ostentationis partem in hominum multitudine reponebat: Ergo pro quadringentis millibus vtique reponenda erunt *quadraginta.* Sic tamen satis esset memorabilis victoria, è diuerso triginta tantum peditibus, equitum supra octoginta quinque cæsis, vt quidem Arrianus 1, 5, 25. scribit: quem eadem opera duplici errore interpretum liberabimus: quos & Lipsium ad Velleii. 1, 11, 3. aduertisse postea reperi, cum ibi in historiam hanc inquireremus. Sciendum igitur, verba τῶν μὲν ἱππέων non esse reddenda, *ex auxiliaribus copiis*, sed siue Vellcium sequaris, *ex ipsius turma*: siue Plin. 34, 8, 20. *ex amicis eius.* auxiliares

equites Arriano semper sunt vel μισθοφόροι, vel ξύμμαχοι. Alios ab his fuisse apparet τὰς ἑταίρας καλουμένας, vt iterum Arrian.Indic.3,14. vbi itidem interpretes non recte, *& equitatum sociorum VIII. millium.* pro his, *& equises, quos sodales appellant, omnes* (nimirum cum hypaspidibus, & omnibus sagittariis, quos tum secum ducebat) *ad VIII. mil.* hi igitur sunt ex *turma regia*, quomodo Velleius interpretatur τὴν ἴλην τὴν βασιλικὴν, cuius frequentissima apud Arrianum, & exacta mentio. idque verum esse apparet tum ex cetera eius pugnæ descriptione, tum inde quod Alexandro hastam petenti, porrexit Διβάσιτ@ τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἑταίρων, vbi iterum perperam versum *ex auxiliariis*, nulla insuper ratione habita vocum ἀμφ' αὐτὸν. Sic & in fine lib. 1. Gazensium muros primus transcendisse dicitur Neoptolemus ex Æacidarum gente, *vnus ex sociorum numero.* pro, *ex amicis*, vel *ex turma regia.* Quid quod seiungit hos à cetero equitatu Arrianus. nam vt sequitur, *ex reliquo equitatu supra LX. desiderati sunt*, quod honoris auxiliariis vtique non exhibuisset, vt eos tanquam eximios seperatim à ceteris memoraret. Iam vero quæ Alexandri futura fuit inuidia, si neglectis Macedonibus, statuas auxiliariis erexisset? succurunt alia plura, his non leuiora: sed aliqua temporis est habenda ratio, ideoque ad Ind. in *amicorum ala* reiiciemus; præsertim cum hic alia quoque non pauca supersint dicenda. Hic ergo prior est interpretum error: alter, quod verba ὦ Διΐ maluerunt reddere *in templo Iouis*, ne loco quidem vbi illud fuerit, indicato: quam *Dij* vel *in Dio*, cuius & apud Diod. 18, 4. hisdem verbis mentio: τὰς δὲ ναὰς ἐν αἷς κατακαυθῆναι &c. ὦ Διΐ μὲν, τῷ Διὸς &c. *Templa exstruenda erant &c. Dij quidem, Iouis.* quod inter primaria Macedoniæ oppida fuit, & quod præcipue huc facit. *exornatum publicis locis, & multitudine statuarum*, vt ait Liuius 44, 7, 2. vnde colligas ibi quoque fuisse, quas Arrianus exserte ὦ Διΐ repositas scribit, à Lysippo efformatas: qua in re obiter emendo Velleium 1, 11, 4. *Alexandrum impetrasse à Lysippo*: nam si omnia pondero, haud dubie scribendum est; *Alexandrum imperasse Lysippo*, vt iam alibi, credo ad Tacitum, monui. Idem mendum insedit & Hieronymi epistolæ, quæ inter Augustinianas refertur loco XI. *Petrus iure reprehenderetur, qui princeps circumcisionis id impetrauerit gentibus, quod soli qui ex Iudæis erant, debuerant obseruare.* vbi scrib. *imperauerit.* Tot igitur in illa ad Granicum pugna cecidisse ait Arrianus, 30. inquam, pedites, equitum supra 85. quamquam Aristobulus apud Plutarch. Alex. cap. 26. auctor sit 34. omnino cecidisse, atque inter eos nouem pedites. quibus detractis restant 25. equites, quot & Arrianus ex amicorum turma desideratos scripsit. Iustin. 11, 6, 12. nouem etiam pedites numerat, CXX. equites. quem Orosius, vt solet, sequitur. Multas eius generis victorias monumentis scriptorum testatas hic indicatum ibamus, quod & liberalis cognitionis res est, & admirationem diuinæ prouidentiæ, humanæque superbiæ simul & imbecillitatis opprobrium continet. Sed quoniam video vltra morem nostrum hanc notam excrescere: differam ad 4, 16, 26.

TRIGINTA OMNINO ET DVO) Assentior Modio & Glareano *trecenti* legendum pro *triginta.* Nimis enim ille angustus numerus: neque mouere debet ἐπιφώνημα. quod subiunctum, *Tantulo impendio ingens victoria stetit.* Nam etiam sic impendium satis leue. Acidalius. Post quos ita Loccenius: Velim hic simpliciter legi *trecenti*, sublato *& duo.* sic enim respondebit numerus illi Diodori 17, 36. *Ex Macedonum peditibus*, inquit, *trecenti, & 150. equites defuere.* In Iustino 11, 9, 10, item emendarim pro peditum 130. *peditum* 300. Hactenus Loccen. Hos sequitur Raderus, cum alii quoque auctores ampliorem occisorum prodant numerum. Negat insuper Glareanus ex Valla *triginta & duo* Latine dici, sed præponendum esse numerum minorem, adeoque errorem eum ex notis numerorum natum. quæ res suspicionem facit,

facit, alio forsitan exemplari vsum Sabellicum, propius ad veram lectionem accessisse. sic enim ille in narratione huius prœlii Ennead. 4, 4. *Macedonum, quorum fides sit apud autores ipsos, equites centum quinquaginta, pedites duodetriginta desiderati.* Nec sane necesse semper est ampliorem peditum numerum cadere, cum interim, vt hic, vbi *equestri prælio Darius optabat decernere* in pr. huius cap. equites soli, aut præcipue saltem depugnent, quod itidem in pugna ad Granicum euenit, vbi simili ratione plus equitum quam peditum occubuit. Idem Glareanus, hac quam dixi ratione ductus etiam supra 3, 9, 12. inuertenda putauit verba, *Triginta & duo*, vt legeretur; *Duo & triginta.*

TANTVLO IMPENDIO) Illis tamen qui ceciderunt, iactura sat magna fuit, qui victoria frui non potuerunt. Vt Fabius Maximus filium consulem dicentem paucorum iactura collem posse occupari, interrogauit, an ipse vellet esse de illis paucis. Raderus. Memorabilis in eam sententiam est Scipionis vox, *Malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes occidere*, quam idemtidem repetiuisse Antoninum Pium Imp. scribit Iul. Capitolinus cap. 9. quod aduertere velim eos, qui pro ludo & ioco ducunt, homines, & quidem, vt appellantur, Christianos, suarum cupiditatum affectuumue causa periculo & casibus obiectare.

Hæc igitur est illa nobilis ad Issum victoria, de cuius tempore hic disquirit Raderus, quod nondum viderant, cum supra ad verba *oriente luce* 3, 8, 23. scriberem: Illius igitur verba hic referam. Diem, inquit, signauit Ælianus Hist. Var. 2, 25. octauum Idus Febr. qui sextus est Februarii. Sic noster Schottus in Vitis comparatis Aristotel. & Demosthenis, ad Olymp. CXI. Anni IV. Arist. LII. Demost. XLIX. sed meo iudicio Ælianus non loquitur de pugna ad Issum, sed vltima, qua victus est & omnino debellatus Darius, ad Arbela seu Gaugamela. ἢ ἕκτη ἢ τῷ μηνὶ τῷ Θαργηλιῶν@ non est sextus Februarii, sed sextus Aprilis, vt Goyraldus ostendit, quamuis dicant Februarium esse, alii Maium. Accedit ab Arriano 2, 2, 40. exerte proditum mensem non Θαργηλιῶνα, sed Μαιμακτηριῶνα, quem Suidas Ianuarium interpretatur, & cum illo Vulcanius. Bartholomæus Facius prior interpres, mensem omnino prætermisit, vel ex codice corrupto, vel nescio, per quam imprudentiam. nam inscitiæ arguere tantum virum non placet, nec verum est. Dies ergo latet. De mense constituamus, quem Arrianus Μαιμακτηριῶνα appellat, & Suidas Ianuarium interpretatur. Sed pugnam mense Ianuario non commissam ex illo ostendi potest, quod supra 3, 8, 8. dixerat Curtius: *Vique cum iam hyems instaret.* Ianuarius non inchoat hyemem, sed prope finit. Gaza cum Septembri nostro componit. Sed neque Septembrem fuisse conjicio Mæmacterionа; nam statim post pugnam Damascus fuit occupata à Parmenione, cœlo adeo frigido, vt baiuli frigus ferre non possent, quod certe in Septembri temperatissimo mense prope nullum est. Sic enim Curtius mox infra 3, 13, 7. *Hi* (Gangabæ) *cum frigus tolerare non possent, quippe & procella subito niuem effuderat, & humus rigebat gelu &c.* Senserim cum Harpocratione, Lysimachide, Vlpiano & aliis, primum hunc mensem ex hybernis fuisse, quintum quidem Athenienſibus à Iunio annum auspicantibus. qui nostro Octobri, non Septembri respondet, quarto à Iunio, non quinto. [Beutherus Fastor. lib. 2. scribit ex Aristotele colligi, Mæmacteriona primum Autumni mensem fuisse Athenienſibus, ideo à plerisque Septembri tribui. Epiphanium & Suidam Ianuarium, Iosephum Augustum, Octobrem alii pro Mæmacterione intellexisse, idque postremum forsan aliquid rationis habere, cum ipsius maior pars in Octobrem aliquando inciderit.] Et hæc quæ narrat Curtius circa adultum iam Octobrem contigisse, vbi iam annus in hyemem vergit. Μαιμακτηριὼν enim à turbido iam & hiberno Ioue, qui Μαιμάκτης Græcis, hoc est furore correptus & turbidus appellatur, quod hyems, vt ait Lysimachides, hoc mense & aër turbari incipiat. Vlpianus ad Demo-

sthenis

sthenis Olynthiacas hibernum mensem vocat μαιμακτηριῶνα. sic enim ille ad hæc Demosthenis: Μὴν μὲν ἦν μαιμακτηριών, inquit Vlpianus, ἀτὰρ ὁ μὲν ἐξ ἧς δέκνυσιν ὅτι, καίτοι χειμῶν ὄντα, πλεῖν ἐψηφίσατο. *Mensis erat Mæmacterion) hibernus hic mensis est. ex quo ostendit, quamuis hyems esset, nauigandum esse decreuisse.* Hieron. Wolfius Septembrem dubius vertit, & negat se hanc inter Grammaticos litem posse componere. Atqui certe September hybernus mensis non est, æstatem proxime secutus, & ex illo calorem adhuc trahens. Intelligamus ergo hic adultum Octobrem iam in hyemem & Nouembrem inclinantem, immo Nouembrem ipsum, vt meliores auctores sentiunt. Athenienſibus enim ita numerabantur menses à solstitio æstiuo: ἑκατομβαιών, μεταγειτνιών, βοηδρομιών, πυανεψιών, μαιμακτηριών, ποσειδεών, γαμηλιών, ἀνθεστηριών, ἐλαφηβολιών, μουνυχιών, θαργηλιών, σκιροφοριών; qui hoc ordine respondent mensibus Iulianis: Iulius, Augustus, September, October, Nouember, December, Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius: vides Mæmacterionа respondere Nouembri, qui certe mensis hiemat. Sed de his plura Christmannus ad Alfraganum. De Anno & Consulibus sequitur. Atque Alexandri quidem regni fuit tertius, & tertius ac vigesimus ætatis, Athenis prætore Nicocrate, Romæ Valerio Cæsone, & Lucio Papirio Coss. Diodo. 17,29. auctore. Arrianus 2,2,40. Nicostratum vocat, nisi mendum in Codice. Coss. à Latinis eduntur L. Papirius Crassus, & C. Duilius vt Capitolini Fasti, Cicero, Liuius 8,16,1. Cassiodorus testantur. Chronicon Alexandrinum Crassum nominat & Dulium, haud dubie librarii vitio, pro Duilio. A. V. C. CDXVII. Olympiad. CXI. Anno III. vt Fasti Siculi habent. Ad Capitol. est primus annus assignatus. Andreas noster quartum ponit. Ælianum autem omnino falsum putamus, quando nec prima cum Dario ad Issum pugna, nec postrema ad Gaugamela mense Thargelione pugnata est, vt infra copiose ex Alfragano & Christmanno demonstrabo. Hactenus Raderus.

3,12,1. *DIV)* *Ducenta stadia progressus flexit iter media nocte in castra versus.* Diodor. 17,37. ducenta stadia continent sex milliaria nostratia cum quadrante, ex quo intelligis, quantopere vrserit Darium Alexander, & cur tam sero ad suos reditarit. in capto enim Dario belli finem sperabat. At ex Curtio posset doceri, non eousque esse progressum Alexandrum, cum appetente nocte à persequendo Dario destitisse affirmet, nisi tam procul illum insecutus sit, vt sub confinium noctis correxerit iter, & summa demum nocte in castra peruenerit. Raderus. Ceterum hæc & alia similia in quibus aut consentiunt Plutarch. Diodor. Arrian. Iustin. cum Curtio, aut leuiter dissentiunt, ex eorum collatione quilibet harum rerum studiosus facile deprehendet; quapropter in posterum eiusmodi notis haud temere, certe non operose, libri molem aggrauabimus. Ceterum cum Bong. desit *erat*, quod in plerisque editionibus comparet post verbum *fatigatus*, facile recepi lectionem Raderi: *Rex diu Dar. pers. fatigatus, postea quam &c.*

3,12,2. *NON PROHIBEBAT)* Videtur defuisse negatiua Codici quo Sabellicus vsus est; ille enim Ennead. 4,4. *Alex. sub noctem à multa hostium insectatione fessus, in castra se recepit, iussitque principes ad conuiuium vocari, ipse lactatione vulneris interesse non potuit.* nostram tamen lectionem veriorem esse, patet etiam ex Arriano 2,3,1. *Postero die Alexander, quamuis æger adhuc è vulnere quod in femore exceperat, saucios tamen obiuit &c.* quod si potuit, potuit & interesse conuiuio.

3,12,5. *AMICVLVM)* Similis Thysbes error, cum & Pyramum vita priuauit, apud Ouid. Metamor. 4. fab. 4. Verior coniectura Horatiæ fuit, paludamentum quod ipsa sponso neuerat, in manibus fratris cernentis. vide Liuium 1,26,2. Cion Mamertinus *agnico filii sui equo, iuuenem è medio fugientem coniectabat.* Diodor. 22,15.

3,12,6.

3,12,6. *ILLACHRIMASSE)* Idem Plutarchus cap. 35. Diod. 17,37. Arrianus 2,3,3. Nec Alexandri æmulus Cæsar hoc lachrymarum officium in fortuna Pompeii M. prætermisit. *Vt enim,* inquit Valer. Max. 5,1,10. *id* (Pompeii caput) *aspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ suæ lacrymas reddidit: caput autem pretiosissimis odoribus cremandum curauit.* Vere M. Tullius pro Lege Manil. c. 9. *Hoc iam fere sic fieri solere accepimus, vt regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut viuunt in regno, quod regale iis nomen magnum & sanctum esse videatur.* Raderus. A simili humanitate commendat Antigonum Plutarchus in Pyrrho cap. 73. *qui vt caput* (Pyrrhi hostis) *aspexit & agnouit &c. chlamyde oculis admota illacrymauit.* Scipionem Polyb. 10,18. *qui Indibilis filias &c. oculis suis subiectas intuens, lacrimas tenere non potuit.* Adadueddaulam Elmacinus 3,5. *Cum is qui occiderat Azzuddaulam caput eius in disco attulisset ad patruelem eius Adadueddaulam, aiunt eum sudarium suum oculis admouisse, & fleuisse.*

MITHRENEM) De hoc Indicem consule, quo etiam locorum personarumque descriptionem, vt cuiuis in promptu statim sint, referimus.

3,12,7. *NE PRODITOR)* Nec mirum hoc metuisse Alexandrum, quando *proditores etiam iis quos anteponunt, inuisi sunt*, vt Tacitus ait 1,58,2. quem ad locum DEO bene iuuante plenius dicturi sumus.

3,12,9. *TACITE OPPERIEBANTVR)* Malim *tacitæ opper.*

3,12,10. *PRODVCERE)* Bong. Lugd. Amst. *præcedere*, quod non displicet. sed & Sebisius ita legendum putabat.

EA IPSA RES &c.) E vulgatis quidam, *Ea res ipsa.* cur mutarunt? suauius ita ad aures meas accidit: ac nempe sic quoque lib. 4. *Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum intendit.* Leue hoc, sed neque Curtio, neque me indignum. Aliud monebo non maioris etiam momenti: quanticunque est, tu vero tolle comma post *irrupisse.* Veri sensus nonnihil interest, qui alius fit atque alius à leuissimo interpuncto. Hic, vt nos volumus, ille oritur: Erant turbatæ feminæ, quod irrupisse videretur, quia non esset admissus. Alius longe fit retento commate: Pauor illis, quia non admissus, sed irrupisse videbatur. Hic alienus, ille germanus. sic Acidalius. Diodorus 17,37. simpliciter refert Leonnatum Alexandri mentem reginis aperuisse. Iustinus 11,9,13. proxime cum Curtio consentit.

3,12,11. *PROVOLVTÆ AD PEDES)* Hic supplicandi mos pluribus gentibus communis, eius exempla proferunt Liuius 45,7,6. de Paulo & Perseo: *submittentemque se ad pedes sustulit.* Apulei lib. 6. non procul à princ. *Psyche pedes eius aduoluta, & vberi fletu vigans deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis &c.* Cicero ad Attic. 8,9. *cui tali in re libenter me ad pedes abiecissem.* Idem Orat. ad Quirites post reditum cap. 5. *cum Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes eius fleus iaceret.* Iterum ad Attic. de eodem, vt opinor, *abiecta toga se ad generi pedes abiecit.* Cæsar de bell. Ciu. 2,12. de Massilienſ. *Vniuersi se ad pedes proiiciunt.* Cicero ep. fam. 4,4. *cum Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset.* Orat. Philip. 2. c. 34. *supplex te ad pedes abiciebas.* pro Milone c. 36. *Ego me plurimis pro te supplicem abiecì.* in Orat. ad Pop. & Equ. Rom. antequam iret in exsilium: *Oro atque obsecro, quibus singillatim sæpe supplex ad pedes iacui, vt eum, quem singuli stratum atque abiectum sublenastis, nunc vniuersi conseruatum velitis.* Hinc *abiecti* nomen significationem inuenit, pro vili & humili. Nam iste habitus extremam habet submissionem. vnde antiquis etiam Hebræis in vsu fuit, in faciem procidere, nempe ad pedes eius, cui supplicabant, vel quasi ad pedes, cum Dei pacem exorarent. Adde superioribus Cicer. pro Sextio cap. 11. & ad Attic. 1,11. Tacit. 1,23,1. 1,32,4. Histor. Miscel. 19.11. Ouid. Metam. 9,607. Sueton. Augusto cap. XCIV. f.

Ceterum ita procidentes genua eorum, quibus aduoluebantur complecti solebant: cuius moris exempla congeram ad Tacit. 1, 13, 6. *cum deprecandi caussa palatium introissent, ambulantisque Tiberii genua aduolueretur, prope à militibus interfectum, quia Tib. casu, an manibus eius impeditus procciderat.*

PATRIO MORE SEPELIRE) De sepultura, conditoriisque Regum Persicorum, & sollemnitatibus ea caussa obseruare solitis, vide Brissonium fine lib. 1. Quæ Raderus hic commemorat, mox referam ad 3, 12, 14.

3, 12, 13. *CVM CVRA SEPVLTIS MILIT.)* Sic malui. Vide Indicem voce; *Cum.* De re, sic habe, feciſſe id Regem, vt edito hoc beneuolentiæ in suos specimine, omnium animos ad obeunda discrimina alacriores redderet. vid. Diodor. Sic. 17, 21. Infeliciter cum imitatus Philippus vltimus apud Liuium 31, 34, 1. qui *aliquid & ad charitatem suorum, & vt promptius pro eo periculum adirent, ratus profecturum se, si equitum, qui ceciderant in expeditione, sepeliendorum curam habuisset: asservi eos in castra iussit, vt conspiceretur ab omnibus funeris honor.* eodem euentu, quem Tiberius sequuturum prætulit, ex sepultura reliquiis Varianæ cladis à Germanico præstita, apud Tacit. 1, 62, 3. *vt exercitus imagine cæsorum tardaretur ad prælia, & formidolosior hostium efficeretur.* & certe apud Appian. lib. 1. de bell. Ciu. Rutilii cos. corpore, aliorumque nobilium in vrbem ad sepulturam reportato, *Scio decretum fuit, vt posthac defunctorum in bello corpora ibi humarentur, vbicunque cecidissent: ne ob eorum conspectum reliqui segniores ad militiam fierent. id decretum mox cognitum & hostes imitati sunt.* sed ibi aliæ caussæ fuberant, quæ Alexandro non erant metuendæ; igitur ante quoque ad Granicum cæsos *cum armis & reliquo cultu sepeliri iussit,* vt scribit Arrian. 1, 5, 26. & ad Arbela Diodor. 17, 64. Antiocho quoque non bene ceſſit, quod Macedonum qui ad Cynoscephalas ceciderant, ossa legi curauit, apud Liu. 36, 8, 3. & Appian. lib. 4. de bell. Ciu. Plura dicemus ad Tacit. 1, 61, 1.

PERSARVM QVOQVE) Idem priori quoque pugna fecerat. Arrian. 1, 5, 29. *Persarum etiam duces sepeliit: ad hæc mercenarios Græcos, qui hostibus merentes, cæsi fuerant.* Plura exempla eorum qui hostibus suis sepulturam concesserunt, referemus ad illa Taciti 1, 22, 3. *Ne hostes quidem sepulturæ inuident.* Vide interim P. Fabri Semestr. 3, 13. & Kirchman. in addit. ad tractatum de funer. Rom. c. 5.

PATRIO MORE) Auguſtin. Tract. 120. ſuper caput 20. Ioannis. *Non mihi videtur Euangelista frustra dicere voluisse, sicut mos est Iudæis sepelire: ita quippe (nisi fallor) admonuit, in huiusmodi officiis quæ mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse seruandum.* Vide Fabrum dicto loco.

3, 12, 14. *PRO HABITV)* Vt ille exul ſuo libro [Ouidius Triſt. 1, 1.]

Infelix habitum temporis huius habe.

Raderus. Cui ſimiles ſunt etiam ceterorum librorum præfationes, vt quarti:

Excusata suo tempore lector habe.

Exul eram. - - - & quinti

Hic quoque talis erit, qualis fortuna poetæ.

Ceterum haud fruſtra id inculcat Curtius, ſed ad laudem prudentiæ ſimul, modeſtiæque illius Reginæ; quæ mox quoque 3, 12, 25. dicet: *Et præteritæ fortunæ fastigium capio, & præsentis iugum pati possum.* Similis moderatio grauiſſimæ itidem matronæ apud Liu. 26, 49, 9. *quid enim huic fortunæ non satis est?*

QVO PERSÆ) De Perſarum apparatu in funeribus vide Briſſonium lib. 2. in fine. hoc enim malim quam Raderum, quando

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

De loco Iuſtin. 19, 1, 10. *Legati à Dario Persarum rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Pœni humanas hostias immolare, & canina vesci prohibebantur; mortuo-*

rumque

rumque corpora cremare potius, quam terra obruere à rege iubebantur. de hoc inquam loco, quod Raderus ait traiectiuncula ſanari locum poſſe, *mortuorumque corpora terra obruere, quam cremare;* id iam olim Kirchmanno de funer. Rom. 1, 2. placuit. Tu autem vide an verosimilius eadem ſententia reſtitui poſſit, detracto gloſſemate inepto (id enim eſſe puto tria poſtrema verba *à rege iubebantur,* adiecta ab imperito quodam, qui putabat aliquid deeſſe plenæ orationi; qualia certe quam multa in his ſcriptoribus perpetrata fuiſſe omnes ſentiunt) vt legatur: *hostias immolare, & canina vesci prohibebantur, mortuorumque corpora cremare potius quam terra obruere.*

CREMARENTVR) Nam etiam Græcis in vſu fuerat combuſtio. Kirchmannum adi 1, 1.

3, 12, 15. *IVSTIS &c. SOLVTIS)* Bong. 1. pro *iustis* habet *hustis.* Merulæ editio voci *solutis* alteram adglutinat *exsequiis,* cum iam tum, vt vereor, aliena vox *solutis,* in textum irrepſerit, tamquam vmbra vitioſæ *iustis.* Niſi fallor, Curtius ſcripſit: *Iamque vstis defunctorum corporibus, præmittit &c.* Sit tamen quis nimium pro vulgari lectione nitatur, non magnopere repugnem, præſertim cum ita loqui videam Curtium infra 4, 12, 2.

PRÆMITTIT AD CAPTIVAS) Hoc illud eſt opus Alexandri παλυφρόνητον, omnibus aliis factis illius tanto longius anteponendum, quanto illuſtrior eſt omnibus victoriis victoria ſui ipſius. Alias enim alios vicit inuictus ſemper Alexander: hic ipſe, ſe ipſo fortior, ſeipſum vicit. Iuberem macte virtute eſſe [ex Liu. 2, 12, 8.] ſi iſta virtus pro nomine Chriſtiano ſtetiſſet, & vt Gregorius ille Pontifex Opt. Max. (etſi hodie alii alia de hoc) [Vide Baronii Annales ad ann. Chriſti 604. qui operoſe hoc refutat] pro Traiano Opt. Max. Imperatore numen precarus dicitur, vt poſt tot ſæcula pace donaretur, ita ego pro Alexandro vouerem, niſi impietatis crimen hac pietate vererer admittere. Hoc enim ego ſolum & vnum & opere maximo vnice demiror & adoro, ſolumque dignum arbitror, ob quod Graii omnes omneſque gentes ora obuertant ſua, & Orpheus cum Apolline Muſiſque omnibus deſudet. Tertium & vigeſimum agebat annum, in flore & ardore virentis æui: formidabat neminem, ab omnibus formidatus, aut amatus. licebat illi quicquid libebat, in poteſtate habebat reginas Aſiæ totius, & totius Orientis dominas, tanta oris venuſtate, omnes vti Nympharum omnium formas extinguerent, & his comparata Helena turpis, turpis ipſa Venus, ipſo Paride iudice videri potuerint. ab his oculorum illecebris non modo oculos, & vim à corporibus abſtinuit; ſed nec verbum fieri patiebatur, cum ipſe illas oculorum tormenta appellaſſet. [apud Plut. cap. 36.] Quid Iobi, Antonii, Hilariones, Macarii, totaque Ægypti deſerta, ſilentia, & ſolitudines aliud feciſſent? Seruauit caſtas, intactas, ſanctas, vſque dum diem fungeretur. Virginem in partem tori adſciuit, legitimam vxorem maritus; alteram alteri Alexandro, Hephæſtioni deſpondit. An apud Darium tam religioſe ſanctèque fuiſſent eductæ? Plutarchum in contemplatione huius virtutis & continentiæ Alexandri attonitum lege. Philippus pater Alexandri apud Lucianum in Dialog. Mortuor. verſ. 13. hoc vnum ex omnibus filii factis commendat: *Vnum est quod solum laudo abs te gestum, quod à Darii vxore forma præstante abstinueris, & genitricis illius atque filiarum curam susceperis. Regie enim plane fecisti.* Et Diodor. 17, 38. cum Alexandri clementiam & pietatem in Siſygambrim (ſic enim apud hunc ſcriptum) [ed. tamen Laur. Rhodomani Cheruſci Siſygambrim] matrem, vxorem, & liberos expoſuiſſet, & lacrymas præ gaudio reginis expreſſas memoraſſet, addit hoc epiphonema: *Ego quidem ex omnibus rebus, quas maximas & pulcherrimas gessit Alexander, nullam hac magis æstimandam, & historiæ monimentis dignam iudico. Expugnatæ enim vrbes, conflictus, & alia quæ illi prospera euenerunt, fortunæ*

potius quam virtuti eius imputanda videntur. Quod autem in tam potenti fortuna & licentia misericordiam miseris impartitus sit, solius prudentiæ eius munus fuit. Alexander igitur qui seculis non paucis ante nos vixit, iustissimam & meritissimam à posteritate commendationem consequatur. Hæc Diodorus. Quin ergo mirari desinimus mortem Alexandri à Sisygambe familiarius latam, quam ipsius Darii, cum Alexandro superesse recusauit, mortuo Dario viuere non dubitauit. A. Gellius 6, 8. *Victi hostis vxorem facie incyta, vetuit in conspectum deduci, vt eam ne oculis quidem suis contingeret.* quæ ex Appione sunt. Est ibidem elegans comparatio Alexandri cum Scipione Africano, quem Valerius Antias negauit (ex Nævio) fuisse castum, & contraria aliis de eodem scripsit. Sed Lector adeat Agellii caput elegans, totum in hac re consumptum. Raderus. Cuius verba, quamquam prolixiora essent, quia inerant quædam elegantissime dicta, adscribere non dubitaui. Vt & hoc Erasmi ex panegyr. ad Philippum: *Si (gloria) nihil aliud est, quam approbatio rectè factorum cum admiratione, dispeream, si non Alexandri Magni in Darii regis vxorem & filias, integritas comitasque vel omnibus illius victoriis plausibilior est.* Adde Sabellicum exemplorum 4, 10. Nec omittendum tamen, hanc narrationculam, quippe Ptolemæo & Aristobulo prætermissam, fama tamen retentam, in dubium vocasse limatissimi Iudicii scriptorem Arrianum 2,3,5.

HEPHÆSTIONE) Quæ ad hunc pertinent, in Indice nostro ordine suo digesta reperies.

3,12,16. *LIBERTATIS)* Si nihil aliud esset in Curtio, quo prudentiæ politicæ doctrina censeretur, vel hoc vnum sufficeret, quo certe nihil aut moneri vtilius, aut proponi suauius, aut concipi elegantius potest. atque vtinam ii, qui eo loco sunt, vt hæc ad se pertinere putare possint, serio hic aduertant animum, vt imitentur sapientissimum hominem, qui neque vt plerique, vitiorum similitudine, aut affectibus principis adrepens (quorum omnium fœdus semper fuit, erit, exitus) summum amicitiæ gradum tenuit; neque, vt Callisthenes, importune liber, sibi periculum creauit, aliis non profuit: sed ita libertatem monendi temperauit obsequio, & quod rerum omnium primum est, in tempore adhibuit, vt primas obtinuisse videatur inter rarissima exempla eorum, qui ex regia amicitia non speciem tantum, sed vim vsque tenere, & ad extremum potentia gratiaque peruiguere: quod ne Mæcenati quidem contigit. Nisi forte hunc Hephæstionem matura mors vertenti subtraxit fortunæ. Quicquid id est, certe laudatissimus iste modus, & integerrimus, gratia potentium vtendi. Quantum dissimilis ille Thalassii apud Marcellinum 14, 4. qui *considerans imitationem eius (Galli Cæsaris) ad multorum augeri discrimina, non maturitate vel consiliis mitigabat, vt aliquoties celsæ potestates iras Principum molliuerunt: sed aduersando, iurgandoque cum parum congrueret, ad rabiem usibrabat:* (sic distinguo) *Augustum actus eius, exaggerando creberrime, docens, idque, incertum qua mente, ne lateret affectans.* Sed quid sequitur? *Quibus mox Cæsar acrius efferatus, velut contumaciæ quoddam vexillum altius erigens, sine respectu salutis alienæ vel suæ, ad verrenda supposita instar rapidi fluminis irreuocabili impetu ferebatur.* At quanto melius erat *obsequio grassari*, vt Horatiana phrasi vtar, imitarique Annium Bassum Tacit. H. 3,50,4. qui proconsulem suum *specie obsequij regebat?* Aut Lepidum qui sub Tiberio *pleraque ab sanis adulationibus aliorum in melius deflexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium viguerit.* Tacit. 4,20,3. De se quoque non dissimile quid dicere videtur Val. Maxim. 4,7. f. Talis fuit & Aristonicus Ptolemæi Regis Eunuchus, de quo Polyb. apud Vales. pag. 115.

CORPORIS HABITV) Idem alii tradunt, vt Arrianus 2,3,5. & certe infra 6, 5, 29. *habitus eius haudquaquam rerum famæ par* traditur. vt mirer quid in mentem

mentem fuerit Solino cap. 14. scribenti fuisse *forma supra hominem augustiore.* nisi forte conciliemus, non defuisse Alexandro formæ dignitatem: Hephæstionem tamen aliquanto præstitisse. Sed & reliquis Alexandri amicis idem Iustinus 13,1,11. tribuit. *Eius virtutis erant ac venerationis, vt singulos reges putares (diceres huc alludam) quippe ea formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, sed ex toto terrarum orbe electos esse iudicaret.* Vide plura infra 6,5, 29.

3,12,17. *VENERATÆ)* Dio Chrysostomus Orat. 64. de Fortuna, non inficete: Δαρείου ἡ μήτηρ καὶ Ἀλέξανδρον προσεκύνησε, καὶ τὸ ἀπιόντερον, Ἡφαιστίωνα: *Darij mater Alexandrum adorauit, &, quod fœdius, Hephæstionem.* Loccenius.

EX SPADONIBVS) Cum enim *Reginæ apparatu pristinæ fortunæ fore* spopondisset, reliquit iis spadones, qui inseruirent, quorum & supra num. 5. hoc capite mentio, & infra 4, 10, 25. *E spadonibus qui circa reginam erant*, vbi vide. quæ verba adscribo ad firmandam emendationem Arriani 2, 3, 5. καί τις τῶν ἀμφ' αὐτὸν, ἢ Ἀλέξανδρον δείξας: *quidam eorum qui circa eum erant, Alexandrum monstrans:* legendum est enim, τῶν ἀμφ' αὐτὸν, vt referatur ea vocula ad præcedentia τὸν μητέρα τῆ Δαρείου. quod tamen ex solo Arriano facile quis conjiciat, considerato expresse cum dicere, cum solo Hephæstione intrasse regem; ne quis Patricio Senensi de Regno 8, 12. credat, præisse regem (vt moris est, puto in Italia) nonnullos ex familiaribus, inter quos erat Hephæstion. sed licet his politicis ad suum sensum captumque detorquere historias, scriptores earum antiqui velint, nolint. Idem eximiam Alexandri vocem misere eneruauit, referens dixisse, *sibi iucundissimum esse, quod amici sui pro Regibus salutarentur.*

3,12,18. *HAC CONTINENTIA)* Quam vnice necessariam esse iis, qui aliquid præclarum in vita siue domi, siue militiæ efficere volunt, ostendit aliquot exemplis P. Victorius 7, 8. quamquam ibi de voluptatibus tantum sermo sit; Curtio hic præcipuus de superbia & ira. Vide & Gruter. ad Tacit. discursu 5.

3,12,19. *VICISSET PROFECTO)* Abolui particulam *si* ab indocto quopiam inculcatam fulciendo, vt putabat, sensui, quæ postea Acidalium & Raderum frustra torsit. Ast ego cum olim sic vidissem legendum, adeoque ante hoc nouennium, Socero nunc meo correctionem eam probassem; confirmo omnino vt ita edi iubeam, postquam citato paulo ante discursu Gruterum Virum suo iure doctissimum, hunc locum ita recitare comperio. Notaui dudum ad Florum 2, 14, 4. & alibi, infesta fuisse scriptoribus hæc ab ineptorum lectorum contagione inolita carcinomata: iisque locis nonnulla eiusmodi ex variis auctoribus eradicaui, quibus nunc adjicio sequentia. nec enim in huius generis scriptiunculis id inusitatum est, & ad confirmandam emendationem Curtii vltro momentum habet. In Liu. 23, 14, 2. *ad vltimum prope desperatæ Reip. auxilium, quum honesta vtilibus cedunt, desciendit equo.* expungo posteriorem vocem, quia de equo ascenso præcesserat, ineptissime, summoque optimæ locutionis incommodo adglutinatam. Hæc ipsa particula *si*, gemino plane vitio inserta est Sallustio Iug. 14, 20. *Vtinam emori fortunis meis honestius exitus esset: ne vivere contemptus viderer, si defessus malis iniuriæ concessissem*, tolle illud *si*, & habebis quod Sallustius scripsit. Non omitto locum Plinii 14, 5. in quo similis verborum constructio plenissimam emendationi meæ fidem, si adhuc opus sit, faciet. *quod Androcydes (forte leg. Andocides, quod nomen vni ex decem Athen. oratoribus) sapientia clarus ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens: Vinum potaturus, rex, memento te bibere sanguinem terræ: sicut cicuta homini venenum est, sic cicutæ vinum.*

Quibus præceptis (hæc aduerte) *si ille obtemperauisset, profecto amicos in temulentia non interemisset.* Certe illud *profecto* omnino reſpuit particulam *ſi*. Addamne in editione Aldina hoc *ſi* tamquam fatale corrumpendo huic loco tertium etiam intruſum eſſe, ſupra ; *ſi hac continentia animi , ſi ad vltimum vitæ &c.* Eandem particulam expungemus itidem infra 6, 3, 9.

3, 12, 20. *PRUDENTER)* Acidalius malit *pudenter*, haud dubie ſi ita fuiſſet, alterum repoſiturus.

3, 12, 21. *ITA SE GESSIT)* Pleniſſimum teſtimonium ei reddidit, nec minus reliqui hiſtoriæ huius ſcriptores, & præter hos Marcellin. 24, 16. Stobæus ſerm. 5. qui eſt de Temperantia. Athenæus, 13, 8. Agell. 6, 8.

ANTE EVM) Nec tamen ſua laude priuandus Cyrus, qui Pantheam pulcherrimam mulierem, marito ſeruauit. vide ſuauiſſimum Xenoph. *παιδ.* lib. 5. Item alii, de quibus in Orat. de Coniugio Melanchth. Tomo IV. Orat. pag. 483. Ceterum ſimile aliud exemplum de Alexandro legitur apud vnum, quod ſciam, Frontinum 2, 11, 6. Ea autem imitati poſtea ſunt plures, ex quibus inſignis maxime Scipio memoratur Polybio 10, 18. & ex eo Liuio 26, 49. & 50. dein Marcellino 24, 16. Auctori de Viris Illuſtr. c. 49. Floro 2, 6, 40. Val. Max. 4, 3, 1. Frontino 2, 11, 5. Agell. 6, 8. Plutarcho Apophth. Rom. c. 7. Silio 15, 268. Quamquam non deſint, qui contra tot teſtes continentiam Scipionis in dubium vocent. vide Camerar. ſubciſiu. 1, 48. Alexandrum & Scipionem imitatus eſt Iulianus, auctore Marcellino 24, 16. Similia de Beliſario referunt Procop. princ. lib. 3. & de Franciſco Sforzia, nec non Luchino Viualdo Fulgos. 4, 3. de Mahamete Marochenſe Thuanus lib. VII.

VIRGINES ENIM REGIAS) Vulgo *virgines & reginas.* Primus Rutgerſius emendandum vidit *regias*, eoque coniunctione expulſa ſcripſit ; *virgines regias*, optime. vulgatum tamen Loccenius tenuit & explicat *reginas* Darii matrem & coniugem. Omnino Rutgerſii correctio proba eſt. tantum hoc adieci, vt & in *enim* mutarem. Ita forte ſcriptum fuit ; *virgines r. regias* ex quo imperitus aliquis & fecit, inde alius, vt cohæreret oratio, alterum etiam vocabulum *regias*, inſerto *n* corrupit. Ceterum ſenſus præcedentium ita legi poſtulat. exponitur enim quomodo omnes Reges continentia vicerit Alexander. Itaque nullæ hic matris Darii partes ſunt, vt eius cauſſa vox *reginas* ſeruari debeat : ſi enim id voluiſſet auctor, non ſeparatim coniugem Darii nominaſſet, poſtquam expoſuit de filiabus. deinde *excellentis formæ*, quod ad matrem Darii vix referas, quam *anum* ſupra vocauit ; & *quam ſi eodem parente geniæ forent*, omnia pro hac ſententia faciunt. Quibus rationibus addo & Bongarſii auctoritatem, qui in ſuo codice ſic notauerat, vt excerpta Schoppiana fidem faciunt ; malim *Virgines Regias*, aut *Regis Filias*, aut *Darij Filias*. forte propter illius *Darij*, quod ſtatim ſequitur ; *Coniugem eiuſdem*, quod *eiuſdem* certe deſiderat quo referatur. Sed accidit ſæpiſſime, nec deſunt exempla, vt ſcriptorum mentem præcurrat manus, & dum ſe quod in animo habuerant, poſuiſſe credunt, ſubjiciant reliqua quæ ab iis quæ mente conceperant potius, quam quæ chartæ illeuerunt, pendent. Simillimum huic mendum eſt in Ambroſii verbis de S. Agnete apud Baron. Annal. Eccleſ. CCCXXIV. 107. *Erat enim ipſa Conſtantia Regina virgo prudentiſſima, ſed ita obſeſſa vulneribus*, quæ ſic etiam tranſtulit Leucht von den Heyligen ad XX. Ian. quum eſſet ſcribendum : *Regia virgo & viceribus.*

3, 12, 24. *ÆQVITATE)* Darius Macedonas crudeliter vel mactauit, vel mutilauit, ſupra 3, 8, 15. & hoc ante prælium Alexander totum ipſius gynæceum ſacroſanctum ſeruauit. Darius percuſſorem miſſe talentis in Alexandrum immittere conabatur, cum æger Tarſi decumberet, ſupra 3, 5, 15. hoc nunquam fecit Alexander, qui

qui aperta ſemper virtute & Marte graſſabatur ad gloriam. præterea vt ex epiſtola Alexandri ad Darium infra 4, 1, 12. diſces, parens Alexandri Perſarum impulſu, vt ipſi gloriabantur, interfectus eſt : Græci ſollicitati vt Alexandro bellum inferrent, ſocios ab Alexandro abalienarent. æquior ergo Alexander Dario. Intulit Dario bellum Alexander : ſed maiores etiam ſuos & vniuerſam Græciam à priore Dario & Xerxe populatam vltum iuit. Repelli ergo à ſe bellum, non inferri dixit. Raderus.

3, 12, 26. *DARII FILIVM)* Ochum ſexennem, vt auctores tradunt, ſolus Galterus ſeptennem facit:

Septennem puerum in natum ſibi miſis adoptat.

Diodor. 17, 38. ſignate ſexennem affirmat. Raderus. ſupra etiam noſter 3, 11, 24. *filium nondum ſextum ætatis annum egreſſum.*

3, 12, 27. *TRIBVS ARIS)* Errare videntur, qui negant Macedonas trophæa poſuiſſe. dubito quidem eos Pauſaniæ auctoritate niti, qui libro 9. exſerte id ſcribit, etiam addito hunc Alexandrum *neque de Dario, neque de Indicis victoriis trophæum vllum erigendum curaſſe.* ſed quid ſi & hunc erroris arguam ? id certe malim quam Arrianum 1, 5, 30. quam Plutarchum in vita cap. 26. qui etiam ipſam inſcriptionem, & quidem totidem vterque verbis referunt, in parua tantum circumſtantia variantes. Idque ſequutos fuiſſe alios ex Macedonibus reges exemplo eſt Antiochus, qui trophæum erexit, vbi Indatem Parthorum ducem profligauerat, vt apud Ioſeph. 13, 16. auctor eſt Nicolaus Damaſcenus. Quin & ex Himerio non leue argumentum capio, ipſum etiam Alexandrum erexiſſe trophæa. ſic enim ille in excerptis apud Photium Cod. CCXLIII. *Cur ergo non tollo trophæa ?* (Alexandri nimirum, & Demoſthenes ibi loqui fingitur) *cur columnas non euerto ? cur inſcriptiones non expungo ?* Et certe hæ ipſæ aræ quid aliud ſunt, quam ſuperbiſſima trophæa ? vt ita ratio quoque Pauſaniæ ſubuertatur, ob quam Macedonibus erecta trophæa neget, ne videlicet perpetua hac victoriæ exprobratione, hoſtibus locum ſecum in gratiam redeundi præcluderent : certe enim aræ illæ diutius perſtiterunt, quam vlla alterius generis trophæa. Nam & Ciceronis ætate fuerunt poſt annos fere trecentos. ipſe meminit epiſt. fam. 15, 4. *caſtra in radicibus Amani habuimus, apud Aras Alexandri.* Quid autem, quod vrbes adeo condidit in victoriarum ſuarum monumenta ? non ea ſunt quibusuis trophæis durabiliora & ſuperbiora documenta ? vide infra ad 9, 3, 23. Nam & hac victoria potitus, de nomine ſuo condidit vrbem, cuius meminit Plin. 5, 27. & Stephanus in Ἀλεξάνδρεια. quam Herodian. 3, 12. adhuc ſuo ævo teſtatur extitiſſe. Item Alexandria Mygdoniæ ſimilem originis occaſionem habuiſſe videtur, condita in Arbelitide, *vbi Darium Alexander debellauit*, vt colligo ex Plinio 6, 13.

MINERVÆQVE) Vide ſupra 3, 7, 3. & Indicem qui hæc talia plenius dabit, volente DEO.

DAMASCVM) Hæc Regalis quondam ciuitas fuit, & in omnia Syriæ tenuit principatum. quam Iulianus Imp. in epiſt. veram Iouis vrbem, & Orientis totius oculum vocat. Iſidorus à Damaſco diſpenſatore nuncupatam refert, quem Abraham futurum ſibi heredem dixerat, antequam Iſaac illi promiſſus eſſet. Nobiliſſimam hanc Syriæ vrbem Tamerlanes Scytharum præpotens rex diripuit atque incendit. Popma. Damaſcus caput Syriæ ſiue Cœleſyriæ, nam in vtraque ponitur, & oraculum Orientis, vt Iulianus appellat, nobiliſſima ciuitas fuit, vt his verbis laudat in Cœleſyria Strabo lib. 16. *Eſt & Damaſcus vrbs inſignis, & fere nobiliſſima omnium, quæ in ea regione, Perſis vicina.* Stephanus autem : *Damaſcus Syriæ vrbs in continente mediterranea, ſupra Phœnicem ad Bardinem fluuium, dicta quod ex gigantibus vnus Aſcus nomine Lycurgo auctore vinctum Bacchum in fluuium ſparſerit.* Alii à Damaſco Mercurii

dictam

dictam aiunt, qui cum Alimede nympha ex Arcadia in Syriam venit, vrbemque sibi cognominem condidit. liri & gerræ: res ita habet. Damascus vrbium antiquissima, vel ab Huso Semi nepote, vel quod magis crediderim, à Damasce verna Abrahami condita, vt sentit D. Hieronymus, vbi Genes. cap. 15. interpretatur, quamuis idem non pugnet Iosepho. [Certe in quæst. ad Gen. Huz Damasci conditor Hieronymo, vt Iosepho scribitur] Cum Hieronymo facit Comestor, [Munsterus Cosmogr. 5, 58.] Tostatus, Pererius, qui tamen non pronunciat vtra sententia sit firmior, Iosephi Antiquit. 1, 7. an aliorum. Vetustissimam certe affirmant omnes, & montibus vndique cinctam, & munitam, vt neque rhedis, neque vehiculis locus sit: iumentis, camelis, mulis victus importatur, vt non immerito, quod Curtius affirmat, Parmenio sine ducibus viarum se copiasque itineri committere formidarit. Chrysoroas ex Libano ortus mediam interfluit. Illic vestigia ostenduntur, vbi Abelem à Caino pessimo exemplo per nefarium parricidium cæsum aiunt D. Hieron. ad Ezech. cap. 27. Munster. Altissiod. in Chron. Nec procul inde S. Paulus adhuc lupus & Saulus à Christo tantum non fulminatus, quod Christianos insectaretur, in agnum & Christianum est mutatus [eo loci Christianos, qui adhuc Damasci agunt, humari Munster. Cosmogr. scribit. Vide & Willerm. Tyrens. 13, 18.] Ibidem ædificatum ex puluere referunt Adamum. Arx hodie ex porphyretico lapide eleganti opere visi dicitur. [constructa à Florentino quodam vt Munster. Cosmogr. 5, 58. tradit.] Plura super hac vrbe Bellonius. Chorographiam eiusdem spectabis apud Abrahamum Ortelium, Volum. altero Vrbium Orbis terrarum. Raderus.

3, 13, 1. *NATIONE MARDVS*) Mardus gentile nomen est, non proprium. ὁι Μάρδοι, inquit Stephanus, ἔθνος ὑρκανῶν ex Apollodori secundo de terra, prædones & sagittarii sunt. Strabo quoque lib. 11. ex Nearcho Mardos vnam ex quatuor gentibus prædando viuere consuetis esse finitimos Persis. Sed hos infra noster Curtius 5, 6, 17. & 6, 5, 11. & Arrian. 3, 5, 8. copiose describunt. Gentem hanc ante Alexandrum nemo adortus vicerat. Nonnulli codices habent *nomine Mardus*, non *natione*. Sed antiquissimus liber, *natione* melius, quam scripturam etiam Modius sequitur. Raderus. Cui cum adstipularentur Bong. & Merula, facile assensus sum: duplici insuper ratione ductus. nam & indignum Curtio videbatur, omisso Satrapæ nomine, nuncii nomen expromere; & reminiscebar alibi quoque similia peccari. sicut infra 10, 4, 17. est *Thessalus Medicus*, quasi nomine Thessalus, professione medicus fuisset, cum scribendum sit Thessalus Medius, id est quidam oriundus ex Thessalia, nomine Medius, vt suo loco docebimus. Grauis & multiplex est error interpretum in his Arriani Indic. cap. 3. vbi Duces Alexandri recensent: *Præterea Attalus Andromenis F. Symphæus & Peucestas Alexandri Miozis, Python Crateæ, Alcomeneus & Leonnatus Antipatri: Ægæus & Pantauchus Nicolai: Alarites & Mylleas Zoili Berœensis: hi omnes Macedones. Ex Græcis vero Medius Oxythemidis, Dariæus &c.* & mox *Nicocles Pasicratis F. Solius & Nithadon Pnytagoræ.* In his, inquam haud minus sexies septiesve peccatum est. Nam illa, *Symphæus, Miozis, Alcomeneus, Ægæus, Alarites, Solius*, pro virorum propriis nominibus falso habuerunt. distinguendum & legendum ipso in textu sic fuerat: Ἐπεὶ δὲ Ἀτταλόστε ὁ Ἀνδρομένεω, Στυμφαῖος καὶ Πευκέστας Ἀλεξάνδρου, Μιεζόθεν καὶ Πέρδικκας Κρατεῦ, Ἀλκμένεος καὶ Λεοννάτος Ἀντιπάτρου, Αἰγαῖος καὶ Πάντουχος Νικολάου, Ἀλαρίτης καὶ Μυλλίας Ζωίλου Βερροιαῖος. ὅτοι μὲν οἱ ξύμπαντες Μακεδόνες. Ἑλλήνων δὲ Μήδιος μὲν Ὀξυθεμίδεω (quo nomine quidam assentator Demetrii legitur in Athenæi 6, 14.) Λαρισσαῖος. & mox Νικοκλῆς Παστκράτεος Σόλιος καὶ Νιθάδων Πυτναγόρεω. quæ sic reddenda fuerunt: *Præterea Attalus Andromenis F. Symphæus: & Peucestas Alexandri, Miezæus: & Python Crateæ, Alcomeneus: & Leonnatus Antipatri, Ægæus: & Pantauchus Nicolai, Alarites: & Mylleas Zoili, Berrhæensis: hi quidem omnes Macedones. Ex Græcis autem Medius Oxythemidis F. Lariſſæus.* & mox: *Nicocles Pasicratis, Solius: & Nithadon Pnytagoræ.* Omnibus enim illis patris primo nomen subiecit; deinde & patriæ. recte ergo sic emendauit. *Symphæus* esset ab oppido Stympha, quod quidem nusquam reperio, nec mirum. id enim haud dubie pluribus potentioribusque accidit, vt ignorentur: est tamen haud leuis coniectura fuisse in eo tractu quem Arrian. describit 1, 3, 5. *Heordæam itaque & Elymiotin, rupesque Symphæas & Paryæas cum exercitu prætergressus.* vbi videndum an rectius *Parthyæas* legatur. & certe circum ea loca *Stymphæ* mons collocatur à Strabone lib. 7. & à Ptolemæo regio *Stymphalia*, quæ *Stymphalis* est Liuio 45, 30, 6. *Miezæus* autem est ab vrbe *Mieza*, Stephano Μίεζα, vnde τὸ ἐθνικὸν, Μιεζόθεν, καὶ Μιεζαῖος. meminit eius & Plinius 4, 10, 5. & 31, 2. nam Ptolemæo est Μύεζα. Plutarch. Alex. cap. 11. narrat, regem illum præceptori suo Aristoteli eam apud vrbem scholam destinauisse. *Alcomeneus* ab vrbe Ἀλκομενεῖ, quo nomine fuit in Ithaca insula vrbs; fuit & in Illyriis, quæ fortassis Pithonis patria fuerit, Illyriis iam Macedoniæ contributis: potest tamen vt in ipsa quoque Macedonia vrbs eo nomine fuerit. *Ægæus* ab Αἰγαῖ quæ vrbs fuit Macedoniæ, teste Stephano. *Alorites* ab vrbe Ἄλωρος, quæ itidem in Macedonia; vnde Ptolemæus Alorites, qui fratrem Alexandrum Macedoniæ regem interfecit, apud Diodor. 15, 71. cognomentum habuit, & Κνωσσίους Ἀλωρίτης apud Polyb. 5, 65. *Solius* à Σόλοι Cypri oppido apud Ptolemæum. Medium quod attinet, dicemus infra 10, 4, 17. Simile vitium est in versione Thucydidis 8, 6, 30. vbi Τυδέως τοῦ Ἰωνος redditur *Tydeo Ione*, quasi natio eius indigitaretur, quod superuacuum erat, cum omnes Chii, ex quibus ille, essent Iones. sed vertendum, *Tydeo Ionis filio.* Siue eius Ionis cuius Suidas in Ἀθηναῖος meminit, vbi etiam atticismi eius specimen; siue alterius cuiusdam cognominis.

3, 13, 2. *ADIECIT*) Non ausus sum tollere hanc glossam, (pro ea enim dudum habui, & iam Modium Raderumque habuisse disco) quia omnibus libris hærere dicitur.

3, 13, 3. *LITERAS APERIT*) Quamquam ad Regem scriptas: quia tamen à præfecto Damasci missæ erant, cuius recipiendæ cura ipsi commendata fuerat, nec res moram patiebatur (aliter enim aut munire diligentius vrbem eam poterant Persæ, aut gazam auehere) merito literas aperuit, vt quid sibi agendum esset, inde cognoscere posset.

CVM MANV EXIGVA) Non opus futurum ampliori copiis; ita sua opera prouisum esse, ne quis auderet defensionem.

3, 13, 4. *IGNOTVM ITER*) Hic enim fere non impunita abit temeritas. Vide Lipsii Polit. 5, 16, 30. Superiori sæculo primos in Gallia Reformatorum conatus in irritum cecidisse Dinothus in Hist. sua Gallica, magno iudicio, & eleganti stylo perscripta, annotauit: quia *nullis exploratoribus, quod aduersarios in tanta temporis exiguitate copias coëgisse non putarent, incauti in laqueos inciderunt.* Vide quæ notaui ad ista Flori 1, 13, 14. *apertam Vrbem trepidi, ne quis subesset dolus &c. inuadunt.* quibus adde Robertum Monachum Hist. Hierosolym. lib. 8. de vrbe Caphalia deserta ab suis: *Cumque nostri tentoria circa eam vellent ponere, & in gyrum obsidere, mirati sunt, quod de tanta ciuitate non aliquis obuiam veniebat; nec in excelsis turribus aut mœnium propugnaculis apparebat; altumque silentium intus habebatur, nec vllius vocis sonus audiebatur. Tunc miserunt exploratores, qui rem diligenter inquirerent, & inquisitam renunciarent. Illi autem profecti, cum portæ propius accessissent, ianuam quidem apertam inuenerunt, sed intus neminem esse viderunt. Tunc scuta vultibus præponentes, cum aliqua*

adhuc cunctatione portas subeunt &c. & similia referuntur in occupatione Damiatæ, quæ accidit anno Domini 1219. Sed & apud Curtium 9, 1, 27. in vrbe Sophitis *dubitabant Macedones deseruissentne vrbem incolæ, an fraude se occultarent.*

FELICITATI REGIS SVI CONFISVS) Iunge his quæ obseruauimus supra ad 3, 2, 1. *pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam.* vbi diximus putari, ministrorum fortunam pendere ex fortuna dominorum. nec immerito quidem: cum enim omnia horum gesta ad damnum commodumue Principis pertineant, nemo felix possit esse Princeps, qui infelices ministros habeat. Itaque Parmenio sui regis felicitati confisus est, hic quidem prospero exitu: at contra Zopyrion apud Iustin. 12, 2, 16. cum omnibus copiis cæsus est. nec id tamen, vt in tanto omnium successu, modica clades, ad summam rerum, felicitati Alexandri nocuit.

3, 13, 6. *QVO MAIOR PRODITORIS MERCES FORET)* Reputabat enim quod Abelox apud Liu. 22, 22, 8. qui *transfugam sine magnæ rei proditione venientem ad hostes, nihil aliud quam vnum vile atque infame corpus esse ratus, id agebat, vt quam maximum emolumentum nouis sociis esset.* & apud Cæsarem de bel. Ciu. 3, 60. Roscillus & Ægus, qui Cæsare deserto, *conati sunt præfectum equitum C. Voluseni interficere, vt cum munere aliquo perfugisse ad Pompeium viderentur.* atque id appellat Liuius 22, 2, 8. *cum mercede magna fallere.* Sic apud Appian. lib. 1. de bel. Ciuil. Albinouanus ad Syllam transiturus, nobiles quosdam interficit.

GRATIOREM OMNI PEC. PRÆDAM) Merito: nam & si pecuniæ cupido fuisset, magno pretio captiuos illos suis potuissent reddere: & si maior vtilitas optaretur, per hæc nobilissimorum potentissimorumque hominum pignora, eorum fides sollicitari, certe audacia virtusque frangi poterat, mentientium ne in suos vindicaretur, si quid hostibus damni intulissent. Ea mens, in simili fere proditione, Iudimagistro Falisscorum fuit; cum diceret: *Falerios se in manus Romanis tradidisse: quando eos pueros, quorum parentes capitia ibi rerum sint, in potestatem dedideris.* Liu. 5, 27, 4. Infinita ad hanc rem dici posse quis nescit, qui considerat cuius rei caussa obsides imperari soleant? Igitur hæc missa faciamus. sed sequentia me offendunt: *nobiles viros.* at quinam illi? certe infra cum captiuorum istorum nomina tradit, ne vnius quidem viri mentionem facit, præter legatos Athen. Spartanorumque; quos tamen hic non intelligi, constat ex eo quod statim disserte sequitur; *præter hos, vrbium Græcarum legatos.* His ita præstructis confidenter lego; *nobilium virorum prætorum Darij &c.* nec est vt moueamur eo quod infra n. 10. refertur: *ille cultus tot nobilium virorum:* nec enim sequitur ipsos adfuisse; imo res tantum suas eo misisse; nemine id dedecus subituro, vt dum Rex cum hoste decernit, ipse interim muliebri more alibi delitesceret. Vide Herodot. 7, 11.

3, 13, 7. *HVMVS RIGEBAT GELV)* Vide supra ad 3, 8, 23. *orienteluce.* Ceterum quædam hic bene emendat Acidalius, cuius verba adscribo. Abundare *tum* videatur, quod addi non solet, nec debet quidem semper. *Astrictæ* autem *vestes* non male sane dicuntur: imbibitamen, & altius, quam vt refundere possim, non ad vestes eam vocem referendam, sed ad humum: atque ita ex animi sententia rescribo: *& humus rigebat gelu tum adstricta: vestes, quas cum pecun.* Doctis hoc probabo: de vulgo nunquam laborabo.

AVRO ET PVRPVRA) Hæ enim vestes non ab ipso tantum Rege, sed & proceribus eius gestabantur, vnde *Purpuratorum* nomen. Sane apud Constantinop. Impp. purpuræ vsu interdictum fuit priuatis, idque innumeris constitutionibus, vt affirmat l. fin. C. de vestib. holoberis lib. XI. qua de caussa etiam in l. 7. C. de excusat. mun. lib. X. *Purpurarij* dicuntur *inseruire deuotioni* Principis. Certe tempore Nice-

Nicephori Phocæ cum legatus Ottonum Luitprandus purpuras pro heris suis coëmisset, noluerunt Græci concedere vt promiscue exportarentur, sed misso qui inspiceret, separari iusserunt, ipsorum verbo, τὰ κωλυόμενα. Luitprand. in legatione. De isto autem vestium Persicarum luxu consule Brissonium lib. 2.

INDVNT) Non audiendus Raderus, qui emendare conatur, *induerunt.* est enim frequentissima hæc probatissimis scriptoribus temporum enallage.

FORTVNA REGIS) Expertus hoc est Regum maximus Dauid, cum Absalonem fugeret 2. Sam. 16. Sic & Perseo à Rom. victo, *quidam ausi sunt media ex concione succlamare, Abite hinc, ne, qui pauci supersumus, propter vos pereamus.* Factum id Amphipoli, Liu. 44, 45, 10. Sic apud Nicetam Imp. Manuel à Persis valde pressus, *aquam è præterfluente fluuio haustam asserri sibi iussit: qua summis labris gustata, & effusa, quod ex insuaui sapore, tabo infectam cognouisset, cum suspirio: Infeliciter, inquit, Christianorum sanguinem libaui. Ibi quidam audax & importunus homo, & illo acerbissimo tempore acerbior: Non nunc, inquit, Imperator, non nunc primum, sed olim, & sæpe, & ad ebrietatem vsque Christianorum sanguinem hausisti, dum pauperes subditos exactionibus vexas & deglubis. Eum conuiciatorem Manuel ita æquo animo tulit, ac si surdus esset: & cum vidulos in quibus signata pecunia erat, à Persis diripi & effundi videret: Romanos hortatus est, vt impetu in barbaros facto, pecuniam illam ipsis potius debitam arriperent. Tum rursus idem ille impudenter in Imperatorem inuectus: Vltro, inquit, ista prius Romanis danda fuit, non nunc, vbi cum difficultate & sanguine paranda est. Quod si vir fortis est, vt gloriatur, & chlamys postulat, in raptores Persas impetum faciat: iisque fortiter cæsis, rapinas recuperet. Tacuit & ad ea verba hominis importuni Manuel, sine vllo murmure, non secus atque olim Dauid Semeis intemperias tulit.* Locum prolixiorem lubenter adscripsi, quod contineret exemplum haud vulgaris patientiæ in summo Principe. quem qui conuiciantur, male quidem illi, & pœnæ illos suæ inuenient: sed & Principes hinc cogitent, cum omnia incerta, quantoque plus adeptus quisque, hoc magis in lubrico sint, ita sibi instituenda esse omnia, vt in vtraque fortuna, firmum in animis atque fide subditorum habeant præsidium. Vide omnino Gruterum discurs. 31. in Tacitum. Contraria autem sententia & exemplum est infra 3, 13, 17.

3, 13, 9. *OMISSIS ILLIS)* Ita voluit Acidalius, & iuuatur multum Codicum auctoritate: alii tamen haud minus recte delent *illis.* nam eo inducto, tamen habet vox *omissis*, quo referatur. vt supra 3, 1, 24. *adsumptis.* Ceterum elegans Parmenionis strategema recensetin hoc opere Polyænus lib. 4. nam *cogitans se non posse conseruare tantam impedimentorum multitudinem, si calones barbari se fugæ traderent, missis ad eos tribus equitum turmis, promulgauit: Quicunque non propriis manibus sua iumenta apprehenderit, trucidabitur. Hanc promulgationem veriti barbari, ipsi ad iumenta accesserunt, & impedimenta transportarunt.* paulum à Curtio dissentiens, qui illa direpta vult à militibus: nam Arrianus neutrum aperte tradens, magis tamen inclinare videtur ad sententiam Polyæni. ex cuius verbis præcedentibus deforme mendum tollo. narrat enim nobis Parmenionem missum fuisse *Damascum ad impedimenta peditum,* ἐπὶ τὴν ἀποσκευὴν τῶν πεζῶν, quis non videt auctorem scripsisse τῶν πεζῶν? vt non sit exponendum *pediuum*, sed *Persarum.*

3, 13, 10. *SIMVLANS)* Faueam codicibus, si qui hanc vocem deleant: quæ est ipsa expositio verborum: *quasi & ipse conterritus.* Idem iudicium est de voce *ingenti* quæ *stipendio* adglutinatur; quam vtique non vereor ne Curtius agnouerit. Vide simile apud Ioseph. pag. 1028. p. Edit. Græcolat. & Liu. 22, 22, 18. *velut ignarus in præparatas sua fraude insidias ducit.*

AVREI FRÆNI) Notissimum est, & à Brisson. lib. 1. p. 97. &c. & lib. 3. p. 323.

p. 323. &c. traditum, apud Persas multa eiusmodi auro solida fieri consuetisse, insequentibus etiam temporibus. vnum tamen hic adnotandum duxi, quod mihi quidem maxime mirum est visum, pugionem totum aureum Comitis Persici, quem occiso ereptum scripsit Cedrenus in anno XVII. Heraclii. lego tamen & acinaces aureos apud Xenoph. pag. 266. C. Adde eundem pag. 249. B. Maccab. 1, 6. Glabrum Rodulphum Hist. Franc. 4, 7. Dionys. Afrum, vbi de Persepoli. Ὁποῖα τὰς πέρσας φασὶν ἐπιτηδεύειν. *Quibus summopere Persas studere aiunt.* Dio Chrysost. Orat. 2. vbi dicit Homerum quoque non probare eiusmodi ornatum in bellis. Id autem istis nationibus aliter placuit. Sed & nunc antiquum obtinent: quomodo & de Turcis constat, & præsertim in prœlio Varnensi, *aureæ equorum frena multorum visa, & multis galearum argenti atque gemmarum nitor, ipsas quoque gladiorum vaginas prægrandes vniones ornabant.* Æneas Siluius hist. de Europa c. 5. De scutis aureis adde Maccab. 1, 6. Xenoph. ἀναβάσ. lib. 1. vbi de Syenneſe, & iterum vbi de Artapata. Dionys. perieg. v. 1059. sed & Glaber Rudolph. Hist. Franc. 4, 7. eiusmodi ornatum apud Sarracenos in vsu fuisse memorat.

3, 13, 11. *INGENTIS OPVLENTIÆ)* Alii male legunt *genitis*: peius etiam explicant; Syræ ditissimæ: quasi istæ opes Syrorum non Persarum fuerint.

FACIES ETIAM PRÆDANTIBVS) Imitatus est insignem sententiam, immo totam hanc descriptionem, Lud. Tubero Comment. de suis tempor. lib. 1. sub. fin. *Post hoc prælium, vt solita in huiusmodi euentu humanarum rerum ludibria omni ex parte ederet fortuna, supellex tam priuata, quam regia prædæ data, facies etiam externis, & his sæuissimis hostibus commiserationem simul, & indignationem mouere; modo abesset auaritia. Quippe vestis preciosa Regis &c.* Libenter adnoto eiusmodi imitationes recentium, cum simul & dignitas antiquorum scriptorum hinc deprehendi possit, & vtilitas. quin &, ex ipsa comparatione, maiestas.

FIDEM EXCED. FORTVNA) Fortuna hic non idem est quod opes, aut diuitiæ; sed quod successus prosper, & perpetua felicitas. Designat magnitudinem opum earum hoc argumento, quod & multis annis, & rebus ex voto fluentibus collectæ fuerunt: vnde facile quilibet colligat vtique fuisse maximas.

3, 13, 12. *FEMINÆ)* Præter illas quæ hic memorantur nobilissimæ, fuerant & aliæ: nam Parmenio ad Alex. scripsit: captas *pellices regias, quæ callerent musicam, trecentas viginti nouem.* Extat excerptum eius epistolæ apud Athenæum lib. 13.

PARVOS TRAHENTES LIBEROS) Paruuli enim parentum passus æquare non poterant, eoque tracti potius quam ducti. Virgilius Æn. 2, 723.

– – – dextræ se paruus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis;
& 2, 320. *Sacra manu, victosque Deos, parnumque nepotem*
Ipse trahit. – – Raderus.

OCHI) Tametsi liberi ei complures attribuantur, & coniugem vna cum filiabus aliquot captam hic affirmet Curtius; nominantur tamen soli, Arsames, Bisthanes, & Paryſatis. Cum Diodorus hoc quoque impugnans, fratres Arsamis, qui iam iuuenes essent, ad vnum omnes cæsos à Bagoa, dicat. Interim genitam fratribus hisce reor Filiam ἀνώνυμον, quæ nupta Hystaspi propinquo, cum post victum Darium inter captiuos contiuiorum ludibrio adhiberetur, & pudore formaque Alexandro ad genus ipsius percontandum, occasionem præbuisset, dimittitur honorifice, & facultates

tes suas retinere, & redire ad maritum iubetur. Curtius 6, 2, 7. Arsames successit patri, sed post quadriennium à Bagoa extinguitur. Bisthanes contulit se in fidem Alexandri, & fugam Darii ex Ecbatanis illi nunciat. Arrian. 3, 4, 12. Paryſatis ducitur in matrimonium ab Alex. nuptiis regio luxu Susis celebratis. Arrian. 7, 1, 18. Hæc Reinecc. in regno Persico.

CONIVNX ARTABAZI) Hanc eiusque luxum memorat Clearchus Solensis apud Athen. lib. 6. vbi dicit ei, nec non vxori Mentoris (cuius filiæ hic etiam captæ) fuisse mulieres Climacidas appellatas: ideo *quod illis à quibus fuerant accersitæ quidquid adblandientes, & obsequentes, profatis offerebant ita seipsas, vt per earum tergum in currum quo vehebantur, dominæ conscenderent, ex eoque descenderent.* Subjicitque *his modis cum antea mollissime vixissent, dura tandem vitæ sorte consenuisse*, amissis fortunis omnibus in Macedoniam traiectas. Vnde non obscure apparet, de hac femina, deque hac eius captiuitate Clearchum intelligere. errauit ergo vir doctus ad Athenæum, qui ea referenda putauit ad vxorem Artabazi Armeniæ regis cuius meminit Plutarchus in Crasso. Non ita iudicasset si meminisset, verba quæ apud Athenæum eo loco referuntur, esse Clearchi Solensis, qui vt Alexandri temporibus vixit, quippe Aristotelis discipulus, ita longe prius diem obiit, quam Artabazus ille Armenus nasceretur.

3, 13, 14. *MEMNONIS CONIVNX)* Quam cum liberis pro obsidibus Persæ transmiserat. Diodo. 17, 23. quod prius fecerat Nicostratus Argiuus apud Theopomp. lib. 18. histor. quem citat Athenæus lib. 6. Sed coniugi Memnonis nomen fuisse Barsine, pater Artabazus, cuius modo facta mentio, à Plutarcho Alex. cap. 36. traditur: vbi nupsisse dicitur Alexandro. Sed & Iustinus 11, 10, 2. tradit ex Barsine natum ipsi fuisse Herculem, quomodo & noster infra 10, 6, 11. neuter autem patrem eius commemorat. vt sic æqua videatur futura pugna Plutarcho Arrianoque. nam hic Barsinen Darii, non vt ille Artabazi filiam facit, cum eius nuptias narrat 7, 1, 18.

3, 13, 15. *LACEDÆMONII QVOQVE)* Videtur Curtius in vnum confudisse, quæ diuerso tempore acciderunt. nam Arrianus, cui plurimum in hac historia tribuo, ad Damascum captos prodit Græcorum legatos, *qui ad Darium ante prælium aduenerant.* sic ille auctor 2, 3, 21. *Euthyclem Lacedæmonium, Thessalicum Ismeniæ filium, & Dionysodorum Olympionicen Thebanos: Iphicratem autem Iphicratis filium, copiarum ducem* (nisi tamen legendum *ducis* στρατηγὸν, pro στρατηγὸν) *Athenienſem.* Iterum 3, 5, 10. post pugnam ad Arbela in Mardis reperisse Alexandrum *Lacedæmoniorum legatos qui ad Darium missi fuerant.* hi erant *Callistratidas, Pausippus, Monimus, Anomantus; ac Dropides Athenienſium, quos comprehensos in custodiam tradidit.* quæ sane nomina non minimam cognationem habent, cum iis quæ in Curtii codicibus leguntur, quos inde emendari posse autumo: Callicratides, Perisippus, Omaius, Onomastorides, & partim, vbi astipulabantur variæ lectiones, aut ratio firmior, emendaui. Diuersis ergo temporibus hi legati capti sunt. quorum occasione in Arriano 2, 3, 23. corrigebam ista de Lacedæmone: πόλεως περιφανοῦς ἐχθρᾶς, vt legatur; πόλεως ἀδιφανοῦς ἐχθρᾶς: quomodo tamen & legisse videntur interpretes, qui reddunt: *quod ea vrbs tum temporis manifestas cum Alexandro inimicitias gereret.*

ARISTOGITON) An ille fuit in quem Demosthenis duæ extant orationes? ita videtur. Raderus.

IPHICRATES) Alii *Eleutherius.* sed plurimi codices vestigia referunt veræ lectionis, quam auctoritate insuper Arriani nixus, intrepide recepi. Huius Iphicratis (verba sunt Raderi) pater est ille clarissimus Athenienſium dux, quem certatim laudant omnes scriptores: Latini, Probus, qui & vitam huius composuit, quæ hodieque legitur, Frontinus passim in Stratagematis, Seneca Rhetor: Græci,

Diodorus Siculus, Arrianus, Ælianus, Polyænus, Æschines, Aristot. 1. Rhet. Plutarchus ἀποφθεγ. φαρναβ. Suidas, Xenophon περὶ ἱππικῆς, alii.

PAVSIPPVS) Omnino sic reſcribendum fuiſſe credent, qui & Arrianum ſic vocare, & hoc nomen Græcum eſſe, & Curtianos codices eo alludere conſiderabunt. eisdem fere de cauſſis pro *Omaio* ſcribendum putaui Monimo, quo nomine circa eadem tempora fuit & alius Pythionis filius, in quem Panticam Cypriam formoſam, ſed petulantem, in vxorem ducturum, nobile Olympiadis apophthegma, oculis eum, non animo nec ratione vxorem ducere, apud Athenæum lib. 13. legitur. Fuit & Mithridatis vxor an pellex *Monima*, Appian. in Mithridatico. Fuit & Monimus quidam Cynicus, tempore M. Antonini, cuius meminit Imperator iſte lib. II. τῶν εἰς ἑαυτόν. Certe ſi illa duo verba *cum Monimo*, ſimul pronuncientur, aut dictentur, facile quilibet ſcriba exaudiat vnicum modo *m*, qualia ſphalmata innumeris locis bonorum auctorum, hac vna occaſione commiſſa fuiſſe, manifeſtiſſimis indiciis multoties deprehendi: vt ita facile pro *Monimo* ſcribi potuerit *Onimo*, quod nomen cum *Omaio* eosdem fere literarum ductus habet, adeoque paulo negligentius ſcriptum, aut alio quo caſu obſcurata ſcriptura, facile ſic legi potuit. Quin & *Callicratidem* fere eliminabamus, ſi Græciam tam parum ſaperet, quam ſuperiora.

3,13,16. *PECVNIÆ SIGNATÆ*) Quoniam pecuniæ ſignatæ ſæpius facit mentionem Curtius, non omiſerim quo notæ genere Perſæ nummos ſignabant, oſtendere. Perſæ quidem nummis aureis Darii forma percuſſis vtebantur, qui, quod Darii imaginem inſculptam haberent, *Darici* dicti ſunt. nam cum Darius nominis ſui memoriam inſigni aliquo opere ad poſteros tranſmittere vellet, ex auro puriſſimo monetam percuſſit. Darici autem *aurei ſtateres* erant. Heſychius, *Darici, ſtateres aurei appellati ſunt (vt quidam aiunt) à Dario Perſarum Rege.* Perſarum etiam nummos ſagittarii nota ſignatos fuiſſe, & ſagittarium dici numiſma Perſicum, elegans illud Ageſilai dictum declarat, quem cum magiſtratus Lacedæmoniorum ex Aſia reuocaret, ferunt diſcedentem ad amicos dixiſſe, *ſe triginta ſagittariorum millibus ex Aſia à rege Perſarum expelli. hac enim nota erat Perſicum nomiſma.* Tot enim delatis Athenas & Thebas, diuiſiſque inter illos quorum ſumma eſſet in ciuitatibus auctoritas, bellum in Lacedæmonios totius Græciæ concitarunt, vt Plutarchus in Ageſilao cap. 25. & Artaxerxe cap. 31. refert. Herodotus in Thalia ſtateras quoque Perſicos nummos fuiſſe auctor eſt, cum Democedi medico phialam ſtateribus plenam dono à Darii vxoribus datam narrat; qui iidem & Darici. vt idem Pythii Lydi opulentiam memorans 7, 27. refert. At ſtater quadratum nomiſma erat, vt Suidas ait. Procopius lib. 3. de bello Gothico tradit, poſteriorib. temporibus Perſarum Regibus argenteum tantum, non item aureum nummum, nota ſua figuratum, percutere licuiſſe. Popma.

TALENT. DVO MIL. ET SEXCENTA) Alii *ſexaginta*: ſed illud præter noſtros, etiam Budæus in membranaceo legiſſe teſtatur l. 4. de Aſſe. quæ Raderus ſi talenta Attica intelligantur, ad 1560000. philippicorum; ſi Babylonica, vt fuiſſe veroſimile eſt ipſi, ad 1820000. computat. Mihi tamen Arrianus ſuſpicionem facit, longe maiorem pecuniam ibi fuiſſe repertam. ſcribit enim 2, 2, 39. Darium *maiorem pecuniarum partem* miſiſſe Damaſcum, imo Curtius 3, 8, 12. *pecuniam omnem*: qui idem toto hoc capite magnitudinem eius mire exaggerauit: *adeo*, ſubiungit Arrianus, *vt in exercitu vltra tria millia talentorum inuenta non fuerint.* Scilicet cum omnia hoc genus corruptioni ſint obnoxia, in nullam fere ſcriptorum partem plus fortunæ licuit, quam in numeros; quod cum multis aliis, conqueritur Altiſſiod. Chronologiæ auctor, his verbis: *Nihil æque facile, vel antiquitas variat, vel ſcribentium manus imperita deprauat.* Facile ergo intelligi poteſt maiorem multo ſummam fuiſſe repertam, vt apud regem

regem prædiuitem. vide Briſſon. lib. 2. p. 221. & Budæum lib. 4. de Aſſe, & qui ad quingenta hominum millia in exercitu habens, eorum *ſtipendio* hanc *pecuniam præparauerat*, vt loquitur Curt. ſupra 3, 13, 10. niſi quis forte dicat, exteros tantum mercede militaſſe; Perſis, & qui ſub imperio eorum erant, præter victum, nihil fuiſſe collatum. nam hoc nondum ſatis mihi compertum, in medium relinquam.

FACTI ARGENTI) Optima ſcriptura, quam tamen mutauerunt, in *facile argenti. factum argentum* quid ſit, dixi ad Flor. 1, 18, 22.

3,13,17. *SEPVLTVRÆ*) Religio fuit omittere vocem, quam omnes Mss. plurimique impreſſi retinere dicuntur. vt enim corrupta ſit, certe non temere huc inuaſit, & ſananda potius videtur, quam recidenda. ego tamen id præſtare non poſſum, niſi forte cui placeat, quod nec mihi omnino: *Dy tantæ fortunæ proditorem vlturi.* nam *ſepulturæ* vocem ſi quis retinet, non intelligit, plus in ea præmii gratiæque ineſſe, quam pœnæ.

4, 1, 1. *DARIVS*) Eximia hypotypoſis ſuperbæ potentiæ iuſto DEI iudicio euerſæ. Confer cum hoc exemplo Iuſtin. 2, 13, 10. de Xerxe, & Flor. 4, 2, 51. de Pompeio.

TRIVMPHANTIS) Alludit Romanum morem. nam ibi inter inſtrumenta triumphi fuit & currus aureus ex inſtituto Priſci Tarquinii, vt auctor eſt Florus 1, 5, 6. Vide quæ notat Dempſterus ad Antiquit. Roſini 10, 29.

4, 1, 3. *VNCHAS*) Alii libri *Vnchus*, alii *Onchas* nominant. eſt locus inter pylas Amanicas & Thapſacum, fere medius, bidui itinere abeſt à pylis Amanicis. *Sochos* Arrianus 2, 2, 34. haud dubie appellat. Nam cum Darii expeditionem in Ciliciam deſcribit, ab Euphrate Sochos peruenisse dicit: *Eſt is Aſſyriæ locus ab angustiis, seu pylis Aſſyriæ bidui itinere dissitus.* Raderus.

GRÆCORVM 4000.) Arrian. 2, 3, 7. Græcos barbaroſque hoc numero fuiſſe *in vniuerſum* tradit.

4, 1, 4. *PARMENIONEM*) Non Parmenio, ſi Arriano 2, 3, 12. fides habenda, ſed Menon præfectus eſt Cœleſyriæ ab Alexandro, Cerdimas cognominatus, qui poſtea defecit ab Alexandro in Thracia, vt noto lib. 6. initio. Loccenius. Credo Curtium propter affinitatem iſtorum nominum aut memoria lapſum, aut forte vitioſo exemplari vſum, pro ignotiori Menone ſcripſiſſe nobiliſſimum Parmenionem. quem errorem ſemel erratum, non mirum eſt eum tueri infra 4, 5, 9. Certe diligentiæ Arriani tum alibi plurimum tribuo; tum hic ab errore remotiorem eſſe, perſuadeor eo, quod non contentus proprium præfecti nomen exprimere, etiam cognomen addidit.

SYRIÆ QVAM COELEN VOCANT) Syria pluribus diſtincta nominibus. Pomponius Mela 1, 11. *Syria*, inquit, *late litora tenet, terraſque etiam latius introrſus, aliis aliisque nuncupata nominibus. Nam & Cale dicitur, & Meſopotamia, & Damaſcene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene.* Plinius 5, 12. Syriam terrarum maximam vocat, pluribus diſtinctam nominibus, & vndecim regiones ſub ea comprehendi refert, quamuis ab aliis arctioribus limitibus conſtringatur. Scripſit Syriæ deſcriptionem Gulielmus Poſtellus. Popma. Hanc autem Cœleſyriam Strabo lib. 16. ita deſcribit, vt eam oculis, quamuis abſentes, & toto pœne orbe diuiſi tangere videamur: *Duo montes ſunt, qui Syriam concauam* (hoc enim eſt Cœleſyria) *includunt, Libanus & Antilibanus.* Pergit deinde exequi cetera, quæ apud illum cognoſces. *Cana* ergo dicta eſt, quod quaſi quædam ampliſſima vallis inter duos montes ſita ſit. Plin. 5, 20. Libanus & Antilibanus olim muro erant coniuncti, vt Cœleſyria eſſet vndique clauſa. Raderus.

4, 1, 6. *STRATO*) Non eſt hic idem cum Stratone Sidoniorum Rege, de quo

quo mox n. 16. Singulis enim tum suus rex erat, Arado, Biblo & Sidoni: sed Aradi regem Arrianus 2, 3, 13. non Stratonem, sed Gerostratum patrem Stratonis tum absentem fecit. Strato ergo regnum pro patre prorex administrabat. Gerostratus cum Autophradate classis regiæ Darianæ præfecto. Habuit tamen ratam Gerostratus filii deditionem, & ipse quoque re cognita, desertis Darii partibus, se cum Alexandro coniunxit. Raderus.

4, 1, 7. *REGIS TITVLVM)* Fuit & olim nonnunquam & hodie propter præiudicium aliarum rerum, magna superstitio titulorum: idque est quod Patres Romani maluerunt communicare plebi consularem potestatem, quam consulum nomen, teste Dionysio 1, 59. Sic cum Iulius Pontifex Pompeio Columnæ per litteras gratiam & reditum polliceretur, Columna tamen litteras illas, quod Episcopi Reatini titulum in præscriptione non posuerat, reiecit, præconique dixit; alibi eum Pompeium, ad quem Pontifex scripserat, esse quærendum, se esse Episcopum Reatinum. Iouius in Pompeio. Qua de re nonnunquam maximæ controuersiæ fuerunt inter Impp. & Pontifices. Vnde Gunterus:

Verba remittebat cartis odiosa superbis.

Clapmarius de arcan. rerumpubl. 6, 6. Cui adde quod de Tigrane narrat Plutarch. Lucullo cap. 44. offensum quod à Lucullo non esset appellatus in epistola *Rex Regum*, cum rescriberet, ne ipsum quidem salutasse *Imperatorem*. Affine est huic rei, quod Suetonius notat Vespasianum non successisse Prisco Helvidio, *qui reuersum ex Syria, solus priuato nomine Vespasianum salutauerat.* in vita Vespas. cap. 15. qua de re forte plura notabimus ad Tacit. 12, 41, 5. Sed de eodem Vespas. non satis capio narrationem Xiphilini: epistola ab Arsace accepta, quæ sic præferebat: *Rex regum Arsaces Fl. Vaspasiano Sal. iisdem ei verbis respondit, non adscriptis imperatoriis nominibus.* Ambiguum enim reliquit, sicne scripserit *Regi regum Arsaci Fl. Vespas.* an potius *Rex reg. Vespasianus Vologesi.* Scribit Natal. Comes lib. 4. hist. Legatum Moscouiticum literas Regis Poloniæ ad suum principem accipere noluisse, quod diceret, eas ad suum principem non spectare, cum Magnus dux tantum, non Imperator appellaretur in præscriptione. Prudenter sane Clapmar. in verbis præscriptis addidit, propter præiudicium aliarum rerum. hoc enim omnia quæ hac de re disputari poterant, decidere videatur, vt nimirum, quoties illud adest, haud frustra videantur Principes (nam de priuatis, vix est vt eos hæc spectent) insistere dignitati suæ, qui nimium in talibus rebus, vnde nullum ipsis periculum sit, superstitiosi esse velint. Sæpissime enim his ad speciem leuibus maximarum rerum momenta sunt implicita. ita cum aduersus Carolum V. sociati principes ad eum scriberent, *de inscriptione inter duces non conueniebat, Saxone minime eum appellandum Cæsarem consente, alioqui se perduelleis fateri, qui Cæsari, cui fidem & obsequium debeant, bellum denunciarent: Hesso contra dictitasse, non dignitatem & summum Imperij magistratum eo bello peti, sed eum, qui in illa dignitate ac magistratu constitutus sit, quem propterea Cæsarem vocent. altercantibus via media reperta est,* (vt apud Liu. 3, 45, 3.) *inscriptaque epistola, ei qui se pro Cæsare gerebat.* quam merito non accepit Carolus. Thuan. hist. lib. 2. Zvvinger. Theatro pag. 2587. f. Indignatio vanissimorum Græculorum, quod Papa Nicephorum Imp. non Roman. sed *Græcorum* appellasset, elegantissime describitur in Legatione Luitprandi. Soleimanes Carolum V. tantummodo vocabat Hispaniæ Regem, se ferebat esse Imperatorem Romanorum. Leonclau. Pandect. Hist. Turc. cap. CCXXV. De eodem titulo Emanuelis Græci, & Friderici primi æmulationem epistolasque mutuas vide apud Crantzium Saxon. 6, 37. Elisabetha Angliæ regina edicto 24. Martii 1560. promulgato grauiter conquesta est, quod Guisii nomine neptis eorum ex sorore, quæ Scotiæ regi nupta fuerat, Angliæ Hyberniæque titulis & insigni-

gnibus vterentur. Anno 1592. in controuersia Episcopatus Argentorat. pars Lotharingica edito scripto professa est, aduersariorum literis ideo non respondisse, quod illi sibi Decani Capitulique Argentorat. vocabula asserierint. Sic adhuc hodie inter Poloniæ Sueciæque reges haud modica de titulo contentio est; non sane ipsius tantum caussa, sed iuris quod in eo includitur. vt videantur huc non incommode transferri posse verba apud Liu. 35, 17, 7. *nisi crederent, Persas cum aquam terramque ab Lacedæmoniis petierunt, glebæ terræ, & haustu aquæ eguisse.* Arrianus tamen huius rei non meminit, imo contra 2, 3, 15. Darium scripsisse dicit; *se regem à rege* ista petere: Alexandrum id tantum molestè tulisse, quod ei parem se facere videretur.

4, 1, 8. *PECVNIA)* Ardentiorem adhuc erga caritates suas adfectum ostenderunt Armeniæ rex eiusque filius apud Xenophontem παιδ. 3. quorum ille pro vxore à Cyro capta, tantum pecuniæ quantum in sua potestate esset daturum se promisit, & tantundem pro liberis; hic autem suam vxorem vel animæ pretio redempturus fuit.

4, 1, 9. *POTVISSET)* Bongarsius adnotauerat ad oram libri sui *ἐν. posset*, aut *potis esset*, & ipse olim *posset* legendum arbitrabar: sed persuasit mihi C. Barthius Curtium *potuisset* vsurpare pro *posset*, enallage temporis aliis quoque auctoribus vsitata, quorum exempla recenset Aduersariorum 25, 14. & 34, 6.

FIDEM DARE) Vide infra 6, 4, 14. *fidem, quo Persæ modo accipiebant, dare.*

4, 1, 10. *CELES)* Persuasit mihi omnino Raderus vocem hanc non de nihilo hic comparere: quod & Glareanus antea senserat, quamquam inridente Modio. *Celes* enim vt citati à Radero docent, *est equus vnicus, & equo vehens, quem sellarium vocant.* Suidas. *Celes est equus & eques.* Hesychius. *Celes est equus vna freni habena rectus, cursor, hodie sellarius dictus, & singularis:* κελητίων & κελητίζειν, *idem est quod equitare.* Phauorinus. cuius verbi mentio apud Homerum Ιλ. ο. versu 679. & Odyss. ι. Vsus est & Pindarus in epigraphe primi Hymni, Hieroni Syracusio inscripti Ἱέρωνι Συρακουσίῳ κίλητι, eo quod celete singulari equo in Olympiis vicerit, & Euripides, atque alii post Homerum hoc nomine, de quo hæc Eustathius ad dictum Homeri locum: *Nec dubito dicere à verbo κίλω seu κιλέω deduci nomen κίλης, quod equum iniugem, seu non iunctum iugo sonat.* Nec Latini vocem neglexerunt. Plinius & *celetem* 34, 4. & *celetizontas* 34, 8, 30. & 34. dixit. Curtius quoque loco cognominis potuit vsurpare. Dices, nihil narras. non de voce ferram reciprocamus: doce vocatum Darium Celetem, & vicisti. Doceo fuisse equitem præstantem, & appellatum *ἱππέα*, quod idem est τῷ κίλητι. Audi ex Oneficrito apud Strabonem lib. 15. Athenæo, Eustathio in Odyss. 6. huius Darii Hystaspis F. epitaphium, Celes, seu *eques & sagittarius optimus fui.* Videat ergo Modius quamobrem riserit; quem tamen non rideo: nec vt oraculum, quod scripsi. propono. Lector, bonus arbiter esto, cui forte occurret, videri potius Celetem dictum, quod equæ hinnientis auspicio sit creatus rex Persarum. Hactenus Raderus, qui vt prædixi, persuasit non temere hic legi vocem illam. Vide & Tollii notas in Palæphatum. Huc accedit eorum opinio, qui Celtas deriuatos volunt ἀπὸ τῦ κελητίζειν, quos citat & sequitur Coccius in Dagoberto cap. 4. cui tamen non assentior ab eadem voce Græca Germanicum Zelter deducenti. verius enim est id effictum ex Latino *volutarius*, quod antiqui nostri aliter reddere non potuerunt, quam Tölter / id quomodo transierit apud posteros in Zelter / satis euidens est omnibus, qui mediocrem prisci sermonis cognitionem habent. Vide Goldast. Alaman. 206. f. At si coniecturæ locus est, hunc vltimum Darium potius hoc nomine fuisse illusum ab Alexandro crediderim, & sic scribi debere: *Rex Alex. Dario Celeti. Ille cuius nomen sumpsisti &c.* Vt hac ratione superbiam ei suam simul & prioris conditionis vilitatem improperaret.

Dariusita scripserat: *Rex Darius Alexandro.* hic offensus suo nomini regis titulum non additum, ita rescribendo ostendit sibi quidem regis conuenire nomen longa serie maiorum regibus edito: Dario Celetis potius, quippe qui ante regnum Astandes, id est cursor, siue veredarius, fuisset, quod ipse celetis voce græca exprimere maluit. Est & alia coniectura, exprobrasse ei hoc nomine fugam, quod deserto curru, quo sublimis inierat prœlium, solitario equo insidens periculo se eripuisset. Nihil tamen in re obscura, cum ab aliis auctoribus non iuuemur, adfirmare possumus.

CIVS NOMEN SVMPSISTI) Iustinus 10.3,5. *Codomannus post mortem Ochi regis, ob memoriam pristinæ virtutis, rex à populo constituitur, Darii nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratus.* Eadem de caussa Eunus qui seruile bellum in Cilicia concitauit, Antiochus, & alius eiusdem farinæ Tryphon audire voluit. Eclogæ Diodori. Nomen autem Darii *Coercitorem* significare auctor est Herodot. 6,98.

GRÆCOS) Hæc & sequentia copiosissime perscribuntur ab Herodoto & Diodoro. Sed & Iustinus plurima memorat.

4,1,11. *IMMANIVM)* Si mei sit arbitrii, faciam; *cum immanibus barbarorum copiis.* & sic legisse, vel saltem legi voluisse Pizarum apparet ex eius lib. 2. Persic. vbi caussas huius belli recenset.

4,1,12. *PHILIPPVM)* Idem Arrian. 2,3,18. scilicet conatur Alexander transferre paternæ cædis inuidiam in Persas, cum ipse, certe mater Olympias, eo crimine suspecti haberentur. Sed exponemus hæc, volente DEO, in supplemento Curtii.

LICITAMINI HOSTIVM CAPITA) Vide supra 3,5,16. & Arrian. 1,8,3. Recte hoc cum Alexandro detestantur viri prudentissimi Alb. Gentilis de iure belli 2,8.Clapmar.de arcan. 5,7. Albergati del ridurre à Pace l'inimic.priuate 1,13. & distinguit eximius Grotius 3. 4,18. merito iure gentium damnari has insidias, si cum perfidia sint coniunctæ, quibus locis etiam exempla in vtramque partem plurima reperiuntur. Melioribus addi meretur Rudolphus I. Imper. qui cuidam necem Ottocari Bohemi promittenti respondisse fertur. **Ob wol Odacker vnser Todfeind ist / so soll er doch dieses an vns nit erlehen/ daß wir an ihm Recht vnd Redlichkeit vberschreiten solten.** Id est, *Quamquam capitalis inimicus noster sit Ottacarus, nunquam tamen nos experietur recti honestatisque terminos aduersus ipsum transgredi.* Zincgref. in apophth. German.

4,1,13. *DIIS PRO MELIORE STANT. CAVSA)* Hoc sensu Lucanus 7,349.

Caussa iubet superos melior sperare secundos. Propert. 4,6.
Frangit & attollit vires in milite caussa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Vere enim Euripides in Erechtheo.

Iniusta bellans bella salutis haud redit.

Ita sæpe *euentus belli*, vt Liuius 21,10,9. *velut æquis iudex, vnde ius stabat, ei victoriam dedit.* quod tamen non semper verum. In omni antiquitatis memoria cognoscimus, iniusto sæpe appetitos bello succubuisse, quod cum cœleste numen permittat, ipsius sanctioribus arcanorum mysteriis nobis ignotis, iustis tamen, est adscribendum. Tu tamen, quod Pindarus monet, τὰ πόλεμον, τὰ μάχαν χωρὶς θεὸ: *Facesse bellum, facesse pugnam, reclamante numine*, nempe iniquum. Raderus ex Politic. Lipsii 5,3.

SI VENERIS SVPPLEX) Postulat ergo vt ipse Darius ad se veniat, nec Arrianus aliter tradit. quo magis mirum apud eum 2,3,15. scribere Darium: Φιλίαν ἐλθὼν ποιησοὶ πρὸς Ἀλέξανδρον, *amicitiam se cum Alexandro initurum venire.* non certe ea Dario mens, quippe cum, vt apud Arrian. est, ex æquo cum Alexandro agere

agere vellet; vt apud Curtium, etiam vt superior & maior, nunquam certe ad eum veniisset, quæ nota est reuerentiæ atque honoris potentiori honoratioique delati. Sic certe accepit ille ferox Arioui stus apud Flor. 3, 10, 11. *quum legati dicerent, Veni ad Cæsarem: Quis est autem Cæsar? &, si vult veniat, inquit.* Merito igitur superbus iudicatur M. Drusus qui à senatu vocatus, senatum potius ad se venire iussit. Et Augustinus epist. 163. se ad Fortunium Donatistarum episcopum Tubursicum venisse scribens, addit: *quia ætati eius id à nobis deferendum videbatur potius, quam exigendum, vt ipse ad nos veniret prior.* & in eadem epist. scribit Fortunium id sibi officium inuicem exhibuisse. Similia Plutarch. Eumene cap. XVIII. Liuius 31,19,6. Discours de la Succession de Portugal. pag.98. Tacit. 2,58,1. & 2. Hodie etiam in eo multum est superstitiosæ cautelæ, quoties aut principes viri, aut eorum legati vno loco conueniunt. Nec omisit annotare Onuphrius in vita Pauli III. & ex eo Surius in Comment. ad Ann. MDXLI. quod Carolus V. *Cæsar Lucam cum venisset, ter pontificem, pontifex vero semel Cæsarem ad mutua colloquia adiit.* Hæc atque talia cum considero, non adducor vt credam, ita scripsisse Darium, vt nunc in Arriani scriptis legitur, sed proeliui, & alibi à me notato lapsu, transpositas fuisse literas, essequelegendum: φιλίαν ἦλθον ποιησοὶ πρὸς Ἀλέξανδρον, *amicitiam cum Alex. iungere velle.*

4,1,15. *SIDONA)* Hoc vtique loco refellendi sunt duo præclarissimi historici, Diodorus inquam, & Plutarchus. Nam Diodorus 17,47. quæ hic Curtius Sidone accidisse narrat, ad Tyrum transfert: erroris non ex auctoritate tantum Curtii, quam & Iustin. 11,10,8. suffulcit, conuictus, sed aliis quoque rationibus, quarum haud postrema, quam obseruauit Loccenius, quod regi Tyriorum Azelmico veniam concesserit Alexander apud Arrian. 2,4,31. maxime tamen vrget, quod ex ipsius Diodori historia satis constat, vt & ex dicto Arriani loco, Tyrii, vtpote plurimis eorum occidione cæsis, reliquis in seruitutem redactis, non opus fuisse rege. Deinde ridicule facit, qui cum ista modo scripsisset, extemplo subjicit *Ballonymum* (sic enim quem noster, *Abdalonymum* vocat) repertum fuisse in horto quodam mercede aquas haurientem. multa enim hic quæri possent: quo casu vel ipse, vel cuius hortum rigabat, aut cædem, aut seruitutem euasisset, quomodo vacaret aut illi hortum suum ornare, aut huic in tanta rerum conuersione non imminere meliori fortunæ? Perspicue igitur errauit Diodorus. At Plutarchus qui hæc in Papho accidisse vult, in Orat. de Fort. Alex. 2, 19. multo etiam facilius redarguitur, nimium memoriæ confisum hæc peccauisse, tum quod neminem habet assertorem, tum quod hoc errore inductus alium itidem committit haud meliorem. vt enim nouo suo Paphio regi locum faceret, nihil tale merentem Cinyræ familiam eradicat stirpitus, eamque iam tum deficere visam scribit, de qua multis post sæculis Tacitus Hist. 2,3,3. *tantum Cinyrades sacerdos consulitur.* haud dubie de sua ætate locutus.

4,1,16. *DARII OPIBVS ADIVTVS)* Habet hoc qualemcunque sensum, at quanto præstantior exibit si legas, *Darii opibus addictus, & quia &c.* Quam enim exile hoc & putidum, memorare nobis aliquem Sidonis regem adiutum opibus Darii, quem scimus vna cum ceteris imperio Persarum fuisse subditum? Sed hoc notat Curtius, cum studuisse rebus Darii, vt struerct caussam, vnde demotus deiectusque regno fuerit. quam eandem affert Diodor. 17,47. in reliquis omnibus nostro consentiens, nisi quod pro Sidone Tyrum substituit. sic igitur ille: *rex superior ob amicitiam cum Dario imperio exutus fuerat.*

QVIA) Simili animo Theagenes lib. 4. Æthiop. Heliodori ait. *Non se laudare posse eam voluntatem, quæ metu potentioris coacta esse videatur.* Sic apud Appian. de bell. ciu. lib. 1. Sylla Nolam *necessitate potius quam benevolentia sibi obsequentem prædæ exposuit.*

4,1,18. *PER IGNES FERRVMQVE*) Ob conditionem viuendi vt splendidissimam, ita si sapienter æstimes, longe miserrimam, tot ac tanta scelera commissa esse, atque adeo etiamnum committi sentio, vt me ista reputantem haud minus stultitiæ nostræ, quam perfidiæ, superbiæ, atque immanitatis pigeat. Vt alia taceantur, possem recensere plus minus mille nomina eorum, qui à parentibus, aut liberis, aut denique fratribus, ne longius abscedamus (id enim infinitum sit) ob solam regni cupiditatem omnibus sæculis interempti sunt apud Hebræos, Græcos, Barbaros, Romanos, Gallos, Germanos, Italos, Hispanos, Anglos &c. nam de Turcis, & aliis similibus, etiam solemne est. Crudelissima belluarum homo, quis tibi dementiæ sceleruque aut finis est, aut modus vbi semel cæca regnandi sitis inane honesti virtutumque & pietatis pectus occupauit! Merito igitur laudauit hospites suos vir prudentissimus Hephæstio, digni certe sunt, qui nunc quoque tantæ moderationis præmio encomioque fruantur.

QVANTO MAIVS ESSET) Multa à multis egregie in hanc sententiam pronunciata, vt inuicem quasi certasse videantur. Seneca de benefic. 3,37,3. *Hoc est regnum, nolle regnare cum possis.* Pedo Albinou. in obitum Mæcenatis versu 31.

Maius erat potuisse tamen nec velle triumphos,
Maior res, magnis abstinuisse, fuit.

Tragœdus in Thyeste versu 470.

Immane regnum est, posse sine regno pati.

Simile quid Rutilius itinerarii versu 91.

Quod regnas minus est, sed quod regnasse mereris,
Excedis factis grandia fata (sic lego) *tuis.*

Ex his fontibus hauserunt Æneas Silu. Hist. Bohemicæ cap. 57. vbi narrationi de Alberto Bohemiæ regnum oblatum recusante hæc subdit: *Atque ita maiorem se spreto regno monstrauit, & si verum fateri licet, clarissimum egit regem. Nam regnum apud eos qui spernunt, non qui cupiunt.* Lipsius in monitis Politicis cap. 4. f. de Ferdinando Aragoniæ postea rege, qui Hispanis deferentibus regnum id nepoti suo conseruauit *Tu Fides, tu Modestia, è cœlo paulisper descendite, & hunc alumnum vestrum lætis oculis videte: quanto illustriorem spreto sic regno, quam si decem fraude vel ambiguo iure quæsisset?* Quando autem humanum genus non adeo virtutum sterile fuit, quin & bona exempla prodiderit, imitanda posteris, merito heroum istorum nomina æternitati commendantur, sicut è contrario infandissimorum illorum vt animæ, ita & memoria perpetuis tenebris est condemnanda. Vbi non etiam eos nominabo qui vere seu ad speciem inuiti susceperunt imperium; sed qui pernegauerunt. Celebrantur ergo eo nomine præter Albertum, atque Ferdinandum, Siluio, Lipsioque traditos, Lycurgus apud Plut. in vita c. 4. Iustin. 3,2,5. Empedocles apud Laertium. Verginius Rufus apud Tacit. H. 2,68,7. Ionathas Anani filius. Ioseph. Antiq. 19, 6. Germanicus. Tacit. 1,35. 4. Victor Pontifex Rom. apud Sigon. de Regno Ital. lib. IX. Ladislaus Hungariæ rex, Bonfin. lib.4. dec. 2. Sigismundus Polonorum Rex, apud Cromerum. Vide etiam Camerarij Hor. Subcis. 2,45. Vt taceam exempla sanctorum, eorumque principem Christum, qui cum videret se à populo ad regnum rapi, secessit, atque latuit.

4,1,19. *SINGVLIS AMICORVM*) Cum plurimi veterum Codicum sic habeant: *singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupid. adulantibus*, non improbe coniecit Acidalius legendum esse; *singulis amicos Al. ob n. r.c. adulantibus.* cui tamen lectioni præferam ego vulgatam.

ABDOLONIMVS) Quæ perpetua est in nominibus propriis variatio, barbaris præsertim, in hoc quoque reperitur plurima. nam Diodor. 17,47. *Ballonymum* vocat; Iustini 11, 10, 8. Codices varie, vt in lectionibus variis ibi notatum est, fere tamen *Abdalominum*. Plutarch. de fort. Alex. 2,19. omnium corruptissime *Alynomum*, in historia etiam falsus. nam Paphi regnum accepisse scribit. Curtii tamen scriptura præ ceteris placet: præsertim cum *Abdallæ* nomine istis in oris vulgatissimo ita respondeat, vt sane idem videatur, cum additione cuiusdam cognominis: fortasse à paupertate eius orti. nam עני *ani* vel *oni*, pauperem & humilem notat. Abdalla idem sonat, quod aliud iis locis vsitatum nomen *Obadia*, seruum Dei, quod maioribus nostris fuit **Godschalck**/ Persis *Hodabendes*, quo cognomine regnare cepit apud eos Muchemetes Anno 1576. Leunclau. in supplem. annal. Turc. Certe tot codicibus adiutus ausim affirmare, quodquod illud nomen alia fuit, incepisse saltem à literis *Ab*, vt infinita alia eo in tractu, Abraham, Absalon, Abimelech, Abgarus. nam & hoc nomen ita scribi debere ad Tacit. 12,12,3. tento, quo loco iam legitur Abbarus, & in iure Canon. distinct. 15. cap. 3. propius ad veram lectionem *Abbacarus*. proxime autem Dioni lib. 40. Αυζαξ. Quem autem Gelasius in dicto c.3. dist. 15. *Abbacarum* scribit, eum diserte *Abgarum* Elmacin. Hist. Saracenicæ 3,2. in fine. Confer Niceph. Hist. Eccles. 2,7. Ceterum quomodo fortuna faciat reges, præter exempla duo, quæ Plut. dicto loco recenset, plura collegit Bapt. Campofulgosus Memorabilium 6,10. vbi hunc Abdolomynum *Abarthomium* vocat, *Sydoniæ regem.*

LONGA QVIDEM COGNATIONE) Doctissimus Aduersariorum scriptor putat excidisse hic particulam haud, & fuisse; *haud longa q. cogn.* sic apertiorem fore antithesin, & melius intellectum iri, quod Alexander dixerit, infra 4, 1, 22. *habitum fœmæ generis non repugnare.* Adde & Tiraquell. tom. I. pag. 27. p. 1. mihi vulgata est verissima, & omnia hoc volunt. nam quod de fama generis dixit Alexander, eo factum est, quod quamuis per longam cognationem, regiæ tamen stirpi annexum audiuerat; imo hoc longe melius famam nominauit, quæ proprie dicitur de iis quorum non est memoria, aut certa cognitio. Deinde non videtur hominem regiæ stirpi arctius coniunctum, propinquis suis regnum obtinentibus, in fœdam adeo paupertatem dilapsurum fuisse, qui, vt certe huius mores hic describuntur, nullo crimine id meruerit.

4, 1, 20. *CAVSSA PAVPERTATIS PROBITAS*) Ita plerosque probos Crotone pauperes fuisse notat Arbiter; *sin vrbanioris notæ homines sustinentis semper mentiri, recta ad lucrum curritis. In hac enim vrbe non litterarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas sanctique mores laudibus ad fructum perueniunt. Videbis oppidum tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadauera quæ lacerantur, aut corui qui lacerant.* Et Iuuenal. sat. 3, 41.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio - - Et sat. 3, 21.
- - - - - *artibus*, inquit, *honestis*
Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Cedamus patria - - - *maneant qui nigrum in*
candida vertunt. Et Martialis 3, 38.
Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes. Raderus.

Notandum tamen est, quod contra hoc disputare videtur Plutarch. Catone 57. vbi dicit. Aristidis paupertatem in caussa fuisse, vt iustitia haberetur pro ὀνησιφόρῳ καὶ πλουσιοποιῷ, quæ rem familiarem corrumperet, & mendicos faceret, nec ei quem pences esset, sed aliis tantum vtilitatem adferret. Quanquam Plato lib. 3. de republ. dicit poëtas & oratores male loqui, cum aiunt, quod iustitia sit ἀλλότριον μὲν ἀγαθὸν, οἰκεία δ' ζημία, *alienum quidem emolumentum, domesticum autem detrimentum.* nempe qui non

putat beatitudinem consistere in opibus : quæ certe contradicturo nemine neque parari neque haberi solent per bonas artes. Acute igitur Petronius *bonæ mentis sororem paupertatem esse dixit.* Vnde eos fere premere solet, qui bonis literis operam nauarunt, eiusque rei multiplex est ratio; nam & si quas habuerunt facultates, studiis impenderunt; & aliis adquirendis non fuerunt intenti, imo nec suis conseruandis; eaque ipsa re vulturibus istis, qui alienam negligentiam (vt ipsi interpretantur) suam occasionem putant, obnoxii. Sed & liberaliores fere sunt aliis, & non omnem rei faciendæ rationem honestam putant, eoque sæpe maxima lucra, quæ in manibus essent, despiciunt. Nemo tamen egere potest, qui hoc didicit, salutem suam Deo cordi esse. quamquam interim possunt ipsis deesse multa, quæ videantur ad vitam commodius agendam opportuna, vt ostendunt exempla tam vetera quam recentia plurimorum eruditorum, quos recensent citati à Ioh. Weitzio in obseruationibus ad indicatam Petronii sententiam, quibus addi possunt ex libro Barthol. Facii de humanæ vitæ felicit. hæc verba : *Quod autem dicis, magnam vilitatem ex eisdem studiis percipi, id fortasse contingit quibusdam paucis, vel, si vis etiam, Antonio & mihi, quibus est, Dei munere, vnde vita cum dignitate ducatur. Sed non idem omnibus doctrinæ studiosis & eruditis hominibus fortasse suppetit. Vides enim multos viros, ingenio ac doctrina præstantes, rei familiaris inopia laborare, iacere humi, negligi à locupletibus, à principibus contemni; quorum fere nullus est hac nostra tempestate, qui literatorum ingeniis faueat,* & quæ ibi sequuntur.

STREPITVM ARMORVM) Non exaudierat, hoc est, nihil eo mouebatur, tanquam ad se non pertinente. vt enim omnino non audierit, impossibile est. nec enim tanta animi intentione auocabatur, quanta Archimedem intentum lineis suis negant sensisse captarum Syracusarum strepitum, apud Liuium 25, 31, 9. Hunc sensum esse verborum Senecæ Epist. 17. *paupertas expedita est, secura est. Cum classicum cecinit, scit non se peti*, teste Lipsio, recte vidit Gruterus, vsus præter exemplum Curtianum, hoc etiam districho Petronii:

Cum cecinere tubæ, iugulo stat diuite ferrum,
Barbara contemni prælia pannus habet.

Vbi lego *contemtu* hoc est contemtui, quomodo apud Agellium 4, 16. *C. Cæsar grauis auctor linguæ Latinæ in libris Analogicis omnia ifiusmodi* (puta Senatu, Victu, Aspectu &c.) *sine* i *litera dicenda censet.* Atque id quidem tum putari potuit, bellorum calamitatem ad pauperes haud magnopere pertinere : at execrabilis nostrorum temporum rabies docuit istas fuisse cogitationes felicium sæculorum. nam hodie non tantum omnibus, omnibus, ad vilissimam vsque supellectilem, vestimenta, cibaria exspoliantur miseri; sed in quocunque adhuc aut membrorum aliquid, aut animæ minimum inest, inuenit iniuriis suis miles, inuenit crudelitati locum. Sed transibunt aliquando hæ quoque calamitates, DEUSq; sperantes in eo non deseret, sed aut æua hæc tempora illis, aut illos his temporibus eripiet.

4, 1, 21. *REGIÆ VESTIS)* Veste purpura auroque distincta, de qua mox sequitur. nam sceptrum in veste regia computari, ne fando quidem vnquam accepi.

4, 1, 22. *ÆTERNISQVE SORDIBVS)* Coniecturam audacissimi mortalium Palmerii, *veternoque & sordibus*, contra bonam mentem recepit in seriem Curtii Modius. MS. liber habuit *æternique sordibus.* Quæ procul dubio vera & genuina scriptura est. Ineptissima audacia Palmerii. Quid enim homini vigilanti, industrio, labore quotidiano corpus in victum subigenti, cum veterno? *Illuuies sordesque* curæ hortensi conueniunt, comparatæ certe cum habitu Regio. At veternus isti homini minime omnium. *Æternis sordibus* pro perpetuis, iugibusque dixit. Sic Manilius de curis 4, 3.

Æternisque senes curis dum quærimus ævum
Perdimus - - Vt æternas sordes Curtius, sic *æternas rosas* pro vitæ perpetua elegantia Martialis dixit 8, 77.

Liber amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber in æterna viuere digne rosa.

Barthius aduersar. 28, 6. In eademque opinione est Loccenius, adductis his exemplis. Virgil. Æneid. 8, 394.

Tum pater æterno fatur deuinctus amore,

& 1, 40. *- - æternum seruans sub pectore vulnus.*

Apulei. lib. 2. Metamorph. *Inuadit spiritum amoris æterni pedicis alligati.* Et Turneb. Aduers. 13, 8. illud Virg. *æterno amore*, pro magno atque adeo immenso positum ait, adducto exemplo hoc Curtiano, quod & in obseruationes suas transtulit Giphanius, similemque locum annotat ex Horatio Carm. 2, 11, 11. Raderus

- - - quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas. æternis, inquit Acron, *infinitis & diuturnis.* Et Virg. Æneid. 4, 99. *pacem æternam* dixit *exercere.* Quibus vtique libentius assentior, quam Modio & Palmerio, & si qui aliter tentant, *veternique sordibus*, aut *teristque*, vel *ceteristque sord.* aut *illuuie squalidum, deteristque sordibus*, aut *terræque*, aut denique *terrenis sordibus.*

VITÆ NECISQVE) Quod est summæ in ciues potestatis. de quo iure Clapmar. arcan. 1, 17. vide. Cui adde Senecam de clem. 1, 1. *Ego vitæ necisque gentibus arbiter, qualem quisque sortem, statumque habeat, in manu mea positum est &c.* & in Thyeste versu 607.

Vos quibus rectæ maris atque terræ,
Ius dedit magnum necis atque vitæ.

CAVE OBLIVISCARIS) Modeste fecit Gordius, qui plostrum, quo ad regnum fuit euectus, publicum monumentum prioris fortunæ, in publico Iouis posuit templo. supra 3, 2, 14. Modestus & Agathocles Syracusiorum tyrannus, an rex, qui semper vesci è fictilibus consueuit, ne primæ paupertatis obliuisceretur. Plutarch. in Apophth. c. 26. Auson. epigr. 8. Raderus. Quod quidem satis rarum est : vt nimis verum illud Catuli apud Dion. lib. 36. *Magni honores immodicæque potestates etiam optimorum hominum animos ad fastum exsultant atque corrumpunt.* Pertinet eo sanctissima admonitio Placidiæ ad maritum Theodosium, apud Theodorit. Hist. Eccles. 5, 18. Modestioribus tamen exemplis adnumerandus est Primislaus ex aratore Bohemorum Dux, qui *interrogatus, cur nam calceos querno robore factos secum afferret? seruandos in arce Visegradensi respondit, ostendendosque posteris, vt scirent omnes primum, qui principatum inter Bohemos accepisset, ex agro fuisse vocatum : neque insolescendum esse, qui ex humili fortuna solium ascenderit.* Æneas Silu. hist. Bohem. cap. 6. & Willegisius Archiepiscopus Moguntinus, qui plaustrario fabro natus, *omnibus in locis rotam plaustri depingi curauit, cum hac inscriptione : Villegise quis sis, quis fueris, memento* vnde nata hodierna Moguntin. Episcoporum insignia. Bruschius de episcopatib. Hermannus Gigas, Nauclerus. Sic Amicus episcopus Aquilæ & Cardinalis creatus à Paulo II. cum opilione ortus, eidem arti puer vacasset, insignia familiæ finxit, *agnum capite librum gestantem, quorum hic virtutis, ille natalium index esset.* Garimbertus lib. 2. de Vitis Pontif. Eodem pertinet admonitio mortalitatis, qua olim Romæ triumphantibus à tergo ingerebatur, *Respice post te, hominem esse te memento.* Tertullian. in Apologetico cap. 33. D. Hieron. in epist. consolatoria ad Paulam. Quomodo & Philippum Alexandri nostri patrem ferunt voluisse sibi quotidie hoc inculcari, *ὅτι ἄνθρωπος εἶ, quod esset homo.* Ælian. hist. var. 8, 15. Nec priuandus laude sua Vespasianus, qui *mediocri-*

tatem

tatem priſtinam neque diſſimulauit vnquam, ac frequenter etiam præ ſe tulit. Quin & comantes quoſdam originem Flauij generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, cuius monumentum exſtat via Salaria, referre, irriſit vltro. Sueton. Veſpaſ.12, 2. quomodo & Maximilianum I. indignatum Cuſpinianus ſcribit, quod eius ſtirpem Stabius & poſt eum Gebvvilerus ad Noachum vſque retulerint. Adde Zvvingerum theatr. p.2817. volum. 13. lib. 1. vbi plura exempla.

4,1,23. *ILLVDERENT)* Non diſſimile eſt, quod Pertinaci euenisſe narrat Herodian. in eius vita c. 5. *Non definitis ſenem ludere hominem,* & quæ ibi ſequuntur. Raderus, Adde Plutarch. Pompei. cap. LX. de patre Stratonices.

SERIO IAM REX) Sequi amicum monentem debuit Modius, qui *ſerio* (non *ſero*) cum hac diſtinctione volebat, & recte interpretabatur. Hoc apud ipſum vide. Serum vt factum ſit longo ſermone, fieri poteſt: verum & ambiguum, & quid ad rem? Ad rem autem quanto minus, ſi quid in Suetonio ſimile? Acidalius. *Serio rex* qui ſumpſerat iam fidem & auctoritatem regiam, fortunæ obſecundans, vt rectiſſime explicat Barthius aduerſar. 28, 7. nam Raderus illud *ſerio* coniungit cum præcedenti voce *iurantibus*, haud perinde apte.

4,1,25. *NIHIL DEFVIT)* Auaro ſemper deeſt, tamque eo caret, quod adeſt, quam quod abeſt. Omnia poſſidet, qui nihil petit. Senecam vide & Publium Syrum. Legendum vltimum Ciceronis Paradoxum: *Solum ſapientem eſſe diuitem.* Apud Senecam poëta in epiſt. 108, 12.

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit:
Quod vult habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.

Auaro nihil ſatis eſt, qui non tam habet, quod habet, quam habetur. οὐκ ἔχει, ἀλλ' ἔχεται. Raderus. *Pauper is eſt, quem Græci πένητα vocant, ἀπὸ τοῦ πονεῖν, id eſt, laborare, quia cum πόνῳ vitam tolerat, nec viuere poteſt, niſi laborem capiat.* Salmaſ. de fœnore Trapezit. pag. 635.

4,1,26. *EX HOC SERMONE)* Eſt enim haud fruſtra dictum: ψυχῆς χαρακτὴρ ἐστιν ἀνθρώπου λόγος.

Animi character eſt hominis oratio.

Celebratur illud Socratis: *loquere vt te videam.* quare diligenter monet Cicero offic. 1,37. prouidendum eſſe, *ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus.* Tacit. H. 3, 85, 7. de Vitellio: *Vox vna non degeneris animi excepta.*

4, 1, 27. *CVM QVATVOR MILLIBVS)* Arrianus 2, 3, 8. octo millia cenſet. Diodorus 17, 48. cum Curtio facit. Raderus.

IN ILLO STATV RERVM) Simile eſt illud Flori 3, 5, 4. *Spem ac fiduciam dabant noſtra vitia: quippe quum ciuilibus bellis diſiungeremur, inuitabat occaſio.* Suetonii Cæſ. 35, 3. de Pharnace, *occaſione temporum bellantem.* Ammiani 15,20. *hac animati fiducia, quod nos per diſiunctiſſimas terras arduæ neceſſitates adſtringunt.* proprie autem huc ſpectat legatorum Romanorum expoſtulatio cum Antiocho apud Liu. 33, 25, 4. *quod ad eas ciuitates attineret, quas à Philippo poſſeſſas Antiochus per occaſionem, auerſo Philippo in Romanum bellum, intercepiſſet; id vero ferendum non eſſe, Romanos per tot annos terra marique tanta pericula ac labores exhauſiſſe, Antiochum belli præmia habere.*

4,1,28. *SABACEM)* Recte animaduertit Glareanus nomen hoc licet vnius viri (quod tamen confunditur cum alterius nomine, vt mox videbimus) non ſemel variare in Curtio. nam & hic & lib. 3. *Sabaces* vocatur, mox vero *Mazaces*, rurſus *Aſtaces*. Sed vt reddamus verum nomen Prætori, hic & ſupra 3, 11, 10. recte vocatur *Sabaces*. nam eadem eſt perſona, & quod firmat noſtram ſententiam, vtrobique dicitur

citur in acie cecidiſſe. Nec aliter Arrianus 2, 2, 38. vbi de pugna ad Iſſum: *cecidiſſe etiam Sabaces prætor Ægypti.* Ibi vides, Arrianum etiam Σαβάκην vocare, non vero Μαζάβην, vt Glareanus vult. Verum quidem eſt ab Arriano 3, 1, 2. Μαζάκην (vt recte habet editio Vulcanii) adduci, ſed ab hoc diuerſum, de quo mox. Negat autem Glareanus Diodorum quoque mentionem facere huius prætoris, cum tamen ille 17, 34. *Tapſacen* licet deprauato nomine vocet, vbi æque ac Arrianus cæſos primates Perſarum in pugna ad Iſſum refert. Porro quod Glareanus Mazacen illum, de quo Curtius 4, 1, 32. eundem eſſe contendit cum Sabace, non poteſt; cum Sabaces iam obierit, vt dictum, in bello ad Iſſum. Et vt nullus dubitationi ſit locus, Arrianus 3, 1. tradit, Mazacen vbi certior factus de grandi clade Darii ad Iſſum, ex deſperatione ſe dedidiſſe Alexandro. De qua deditione Curtius 4, 7, 4. agit, vbi pro *Aſtaces* leg. *Mazaces.* quod etiam vidit I. Gebhardus. Idem Arrianus vbi de expeditione Alexan. in Ægyptum, Prætorem Ægypti *Mazacen*, non *Aſtacen* appellat. hinc & eod. lib. recte emendat Gebhardus Μαζάκην pro Μαζάϊκ. nam Mazæus Babyloniæ prætor erat, non Ægypti. Quod denique addit Glareanus, non potuiſſe Darium tam cito in fuga cæſo Sabaci alium ſubſtituere, hunc quoque ſcrupulum illi eximet Arrianus vbi dicit 3, 1, 2. Μαζάκης ὁμ Δαρείου κατεστηκώς. *Mazaces à Dario conſtitutus.* & Curt. 4, 7, 4. *in cuius præſidio Mazaces prætor Darii relictus.* Loccenius. Sciendum eſt, eandem Perſis olim fuiſſe prouidentiam, quæ hodie omnibus eſt gentibus, vt nempe ſummo magiſtratui ſubſtituerint, qui per eius abſentiam videret ne quid Reſp. detrimenti caperet. talis fuit Tages de quo Thucyd. 8, 3, 10. ὃν ἦρχεν Τάγης ὑπαρχῶν Τισσαφέρνους: *quos ducebat Tages prætor Tiſſaphernis.*

4,1,29. *FVTVRA PRÆSENTIBVS)* Tacitus H. 3, 85, 2. *natura pauoris eſt, vt omnia metuenti, præſentia maxime diſpliceant.* Ad quem DEO volente, plura.

VTENDVM ANIMIS) Tacit. 1, 28, 5. *Vtendum ea inclinatione Cæſar ratus.* Marcellin. 31, 43. *ne interuallatis ardor intepeſceret moris.* & alibi: *ſtatimque ne alacritas intepeſceret pugnatorum &c.*

4,1,30. *VANA GENS)* Syneſius in encomio caluitii per translationem αἰγυπτιάζειν pro doloſe agere vſurpat. Strabo lib. 17. ἀνθρώπους ἀπολίμους vocat, *homines imbelles*, ad rem gerendam ineptos. Loccenius. Polybius 15, 31. ait eſſe *hoc Ægyptiis hominibus innatum, vt dum feruent irâ, mirum in modum ſint crudeles.* Plinio in paneg. 31, 2. appellatur *ventoſa & inſolens natio.* Tertulliano lib. II. ad Nationes cap. IX. *gens vixoſa, ſuis regibus recontrans, in extraneis deiecta, ſane & gula & ſpurcitia canina.* Et Plato lib. 4. de republ. *quæſtus faciendi amorem, τὸ φιλοχρήματον*, tribuit. Philo in Flaccum ſcribit eſſe Ægyptios natura irritabiles, & è minima ſcintilla ſuetos magnas ſeditiones accendere. item: *Ægyptij*, inquit, *rumpebantur inuidia (quod ipſis natiuum eſt vitium) & alienam felicitatem ſuum interpretabantur infortunium.* Et in lib. de Agricultura: *innatam & inſignem eos habere iactantiam.* Ideo Auguſtus, vt teſtatur Dio lib. 51. Ægyptios ſemper habuit rerum nouarum ſuſpectos. Trebellius Pollio in triginta Tyrannis, vbi de Æmiliano: *Et hoc familiare eſt populo Ægyptiorum, vt vel (an velut) furioſi ac dementes de leuibus quibuſque ad ſummæ Reip. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas ſalutationes, locum in balneis non conceſſum, carnem & olera ſequeſtrata, calceamenta ſeruilia, & cetera talia, vſque ad ſummum Reip. periculum ſeditionis, ita vt armarentur contra eos exercitus, peruenerunt.* Et Vopiſcus in Saturnino: *Sunt Ægyptij viri ventoſi, furibundi, iactantes, iniurioſi, atque adeo vani, liberi, nouarum rerum vſque ad cantilenas publicas cupientes.* & mox ex epiſtola Adriani: *Ægyptum totam didici leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem.* &: *Genus hominum ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, iniurioſiſſimum.* Adde Euagrium Hiſt. Eccleſ. 2, 8. Marcellin. 22, 27. ad quem

Valesius pag. 229. Stuck. in periplum Arriani pag 30. m. Ergo Suetonio teste Cæs. 35, 2. veritus est Cæsar *Ægyptum provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, rerum rerum materia esset.* Eadem Augusto opinio, de *provincia superstitione ac lasciuia discordi & mobili, inscia legum, ignara magistratuum* apud Tacit. H. 1, 11, 1. *Tamen* (vt vtar verbis Tertulliani de anima) *vulgata iam res est gentilium proprietatum. & Tam ciuitatum quam singulorum hominum mores sunt* &c. Liuius 45, 23, 12. vide Cedren. pag. 345. f. Sed de his prolixe Alexander dier. Genial. 4, 13. & ibi Tiraquellus. Vnum autem id tenendum, non perite facere, qui hæc ita accipiunt, quasi non possint fallere. Qua de re egregie disserit Rittershus. in Saluianum. & bene monuit in locis Quintil. Instit. Orat. 11, 1. f. *ne in totos ordines, aut gentes aut populos pestilentia incurrere.* Sæpe enim gentis vitium aliquis aut naturæ bonitate, aut recta institutione, aut alias ducente DEO exuit: sæpe vnius alteriusue mores, tori alicui nationi in crimen imputati sunt. quod quidem valde temerarium est, fieri tamen soleat, vt quod maxime. Sed cogitandum est, non natura hos illosue mores inesse certis hominibus; nec sane solo cœloue eam vim fere tribui: sed institutione & exemplis aliorum velut contagio quodam serpere mores potentiorum; nam ab his denique omnia cuiusque gentis instituta profluere exploratissimum est. quod instigare deberet Principes ad capessendum melioris vitæ iter, à quibus, coniectis in eos omnium oculis, publicæ disciplinæ exempla capiuntur.

NOVANDIS REBVS) Subtilia & ignea ingenia talia esse Lipsius Polit. 3, 4. sciuit, eoque probe dispiciendum esse, ne consiliarii eiusmodi eligantur: ex eoque Hippol. à Collibus in Consiliario, & Chokier Thesaur. Polit. 3, 1, idem tradiderunt.

4, 1, 31. *VELVT IN MEDIO POSITIS)* Ilias hic variarum lectionum occurrit. Aliter editi, aliter membranæ, aliter Modius, aliter Acidalius curat affectum, & prope depositum locum. Mei libri hæc collocant verba. *Castrisque positis victores ad populandos agros eduxit, ac velut in medio positis Diis,* (Hervvartus V. C. legit. *diutiis*) *hostium cuncta agebantur.* Alius antiquior *possitis his.* Alius *agebat.* Alii apud Modium: *positis omnibus hostium cuncta agebantur.* haud dubie mendosissime. Non multo melius Sigebergensis; *Victores ad populandos agros velut in medio positis hostium cuncta agebantur.* Modius ratus se rem acu tetigisse, rescripsit: *Victores ad populandos agros, velut in medio positis hostium, cunctis agebantur.* Sed ipse sibi parum placens, vertit calculum ediditque *Victores ad populandos agros velut in medio positi, hostium cuncta agebantur,* nihilo melius, immo deterius. Modium damnat Acidalius, qui mutat quadrata rotundis. Primum expungit, quod in veteribus libris scriptum est *eduxit,* deinde, *ac velut,* vertit in *hue illac,* præterea pro *in medio positis,* reponit, *incompositis,* illud *omnibus,* mutat *in agminibus.* Demum, quod nullam omnino habet affinitatem, cum voce, & ductu literarum, pro, *cunctis,* scribit, *securi. Ita,* inquit, *paribus reflictis, integrum restitui locum, quomodo, si non persanatus est, audebo dicere, vix alius aliter sanabit.* Ain' tu? an etiam nobis tollere tentandi conatum, cum tibi permiseris omnia, conaris? Ego ita sanari locum arbitror, *castrisque positis victores ad populandos hostium agros eduxit, ac cuncta, velut in medio omnibus positis agebat.* Possis tamen permutato verborum ordine referibere *Castrisque velut in medio positis, victores ad populandos hostium agros eduxit:* Verbum *cuncta,* vel *cunctis positis, agebat* vel *agebantur,* redundat; vel alia desiderantur: neque enim oratio recte connectitur. Intellectus iustus est: *Amyntas compulsis in vrbem victis, castrisque velut in medio* (inter vrbem nempe & agrum) *positis, victores Græcos ad populandos hostium agros, & prædas agendas eduxit.* Alioqui verbum *positis,* altero statim versu incondite recurrit. Optime

me forsan legeris: *Castrisque positis victores ad populandos agros, velut cunctis hostium in medio positis agebantur,* an *vagabantur.* Raderus. Cuius integram notam malui adscribere cum tædio; quam committere, vt in hac editione quisquam quicquam desideret, eorum quæ hactenus ad Curtium qualitercunque notata sunt; in quibus tamen aliquod operæ pretium aut sit, aut videri queat. Ego enim occiso loco sine melioribus libris salutem minime sperandam arbitror. & quanquam esset comminisci quædam minus flagitiosa, quam illa aliorum, malui tamen relinquere Curtio notum malum, eoque letius, quam audaci medicina prouocare malignitatem morbi, & nondum persanatis antiquis vulneribus, infligere recentia: nisi quod non dissimulo videri legendum: *velut in metu positis.* ea enim caussa negligentiæ, credere nihil ausuros hostes aduerso prœlio perculsos. Porro similem ex Iustino locum adnotare non pigeat. sic enim ille 24, 7, 4. de Gallis: *Gallorum vulgus ex longa inopia, vbi primum vino, ceteriisque commeatibus referta rura inuenit, non minus abundantia, quam victoria lætum, per agros se sparserat; desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur.*

4, 1, 32. *ANIMOS TERRITOS)* Vide quæ notauit Gruterus discursu 14. ad Tacit. Hist. 5, 16, 4. *Superesse qui fugam animis qui vulnera tergo ferant.*

VICTORIÆ FIDVCIA INCAVTOS) Res prosperæ plerunque & tantum non semper negligentiam pariunt. Differendi locus dabitur ad illa Taciti H. 3, 69, 6. *Vitellianus miles custodia socordi clausos circumdedit.*

4, 1, 33. *NIHILO MAGIS EI)* Id morum atque naturæ proditoribus esse, multis exemplis ostendit Camerar. subcisiu. 1, 7.

4, 1, 35. *LYDIÆ)* Arrian. 1, 8, 27. *Phrygiæ.* Potest vtramque obtinuisse.

FORTVNA PARTIVM) Sic Epit. Liu. 87. *Eadem vbique fortuna partium.* & Epit. Liu. 104, 8. *Præterea à legatis eiusdem* (Cæsaris) *eadem fortuna res gestas continet.* Iustin. 22, 7, 3. *Domi forisque eadem fortuna Carthaginiensium.* Flor. 4, 2, 29. *omnia felicitatem Cæsaris sequebantur.*

4, 1, 37. *EAS QVOQVE)* Sic olim conieci legendum, pro *is quoque:* & cum videam fauere libros, recepi.

4, 1, 39. *AGIS)* Vide Arrian. 2, 3, 10. Diodor. 17, 48.

4, 2, 1. & seqq.) P. Bertius in libello de aggeribus, hanc Tyri obsidionem comparat cum Rupellana, quam patrauit Galliarum Rex Ludouicus XIII. anno 1627. Videtur autem hæc obsidio Tyri prædicta fuisse ab Isaia cap. 23. nam *Cethim,* vnde excidium vrbi minatur propheta, Macedoniam interpretantur.

4, 2, 2. *SOCIETATEM QVAM IMPERIVM)* Vt suis legibus viueret, socia & amica regi esset; ceterum in omnibus suo arbitrio tanquam libera, nec vllius imperio obnoxia ciuitas ageret. Sicut paulo ante Pisidæ Selgenses πρὸς Ἀλέξανδρον πρεσβεύσαμενοι ἔσχον τε καὶ πρόσχημα εἶπον τῆς φιλίας. *imperata se vt amicos* (non vt subditos) *facere velle significarunt.* Strabo lib. 12.

DONVM AFFEREBANT) In quibusdam edd. *domum aff.* quod idem vitium obseruaui in his Frontini 2, 11, 5. *aurum, quod parentes eius redempturi captiuam domum Scipioni attulerant:* vbi nescio quis, *donum,* probe.

4, 2, 3. *HERCVLI)* Dubitatur tamen quisnam hic Hercules fuerit. nam plures numerabant (Cicero de Natura Deor. 3, 16. & Arnob. lib. 4.) Petrus Faber facit Ægyptium Herculem. vide ipsum fuse Semestr. 3, 4. Loccenius. Vide & dies Geniales Alexand. 2, 14. Plinius 11, 17. eam disputationem superuacuam esse credit, & parum religiosam. de templo Herculis apud Tyrios, ita scribit Theodoretus serm. 8. qui est de martyribus: *Multa Tyri, ciuitatesque aliæ ingentia templa Herculi excitarunt.*

GENVS DVCERE) Ab Hercule, non tamen Tyrio, nisi hic idem cum Argiuo fuerit. Ceterum de stirpe Alexandri prolixe disputantem vide Reineccium in præfat. regni Macedonici. Cuius excerpta dedimus in comment. horum prolegomenis cap. 5. Dexippi fragmentum, editum inter Eusebiana Scaligeri, nihil habet magno promissoris hiatu dignum. Sed *ob hanc stirpem reges Macedonum, pro diademate, & corona, & purpura regia, pelle capitis leonini se ipsos coronant, & id coronam & ornatum arbitrantur: & argumento est nummus Macedonis Alexandri tali imagine insignitus.* vt scribit Constant. Porphyrog. lib. 2. de Themat.

4,2,4. *EXTRA VRBEM)* Quod libertati suæ periculosum arbitrarentur, si Regem armatum intra muros acciperent: forsan & Darii adspectu id declinare malucrunt, ne pendente adhuc bello, si ab eo stetisset victoria, indignationem eius incurrerent. qua mente apud Plutarch. Demetrio cap. 39. Athenienses Demetrium *orauerunt, vt vrbe abstineret, quod sciuisset populus, ne quis ex regibus vrbe acciperetur.* Mediam itaque gerere se maluit, quæ res plurimis male cessisse multoties adnotatum est. Gruteri discursuum in Tacitum cap. 40. vide.

IN EAM SEDEM) Ita retinui, sic enim & supra 3,5,10. *in Ciliciam fore.* Vide Indicem, *in.*

4,2,5. *FIDVCIA LOCI)* Thucyd. 3,14,18. *Melios, cum essent insulani, qui dicto audientes esse nollent, & militiæ societatem abnuerent, subigere volebant.* Flor. 2, 3, 4. de Liguribus: *Tuti locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia, quam bella faciebat.* Vellei. 2,95,2. de Rhetis & Vindelicis: *gentes locis tutissimas, aditu difficilimas perdomuerunt.* Tales ergo, dum in situ locorum ad arcendam vim hostilem, satis sibi putant esse præsidii, libertatem suam ferociter tutari solent: vt contra, quibus ea munimenta non sunt, obedienter imperata facere consueuerunt. Inde factum, vt quorum rebellio metueretur, ex superioribus locis in æqua degredi cogerentur, quomodo Augustus perdomita Hispania, *fiduciam montium timens, in quos se recipiebant Astures, castra sua, sed quæ in plano erant, habitare & incolere iussit.* Flor. 4,12,59. quomodo pater eius Cæsar *montis Herminij incolas in planitiem demigrare iusserat, ne videlicet loco sua natura tuto ad prædas agendas abuterentur.* Dio l. 37. & T. Didius Termisenos. Appian. in Hisp.

IN CONTINENTI VOS ESSE) Et hoc egregie ostendit, cum iacta ingenti mole operum in obsidione Tyri, ex insula continentem fecit. vnde & Ouid. Metamorph. 15, 287.

Fluctibus ambitæ fuerant Antissa Pharosque,
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

Lege quoque Pomponium Melam cap. 12. & Plinium 5,19. Loccenius. Eo autem confidentius hoc minabatur Alexander, quod & prius iactam ibi molem à Nabuchodonosoro fuisse scire poterat, de qua re Hieron. in cap. 26. Ezechielis lege; & ipse antea iam simile opus perfecerat, quando *Clazomenas, Parthenien & Hippos, cum insulæ essent, per duo stadia continenti adnexuit.* Plin. 5, 29. Et ille feliciter perfecit, quod alii non potuere in Isthmo. de quo etiam quid accidisse Venetis dicatur, reperies in Ceuerii Viaie de la Tierra Santa cap. V. nec non Cyzicum, apud eundem Plin. 5,32. Pharum, Tyrum, & Clazomenas, cum insulæ essent, continenti adnexas fuisse refert Strabo lib. 1. Pharum insulam, cum abesset Alexandria quatuor millibus passuum, iacta mole vrbi conjunxit vltima Cleopatra, vt eò pedestri itinere perueniri posset. Epitome temporum, quæ cum Eusebio edita est à Scaligero. & Marcellin. 22, 41. quod Plinium latuisse videtur, qui ex veterum inepta opinione *maiorem Ægypti partem à Nilo* natam putans, eo quoque operante Pharon continenti adiunctam sensit. Hist. Nat. 2, 85. Ceterum & hanc,

hanc, & de Cleopatra opinionem, ex Cæsaris testimonio fine Commentar. III. de B. Ciuil. refutat Scaliger ad Eusseb. num. MDCCXXXIII. Alexandri molem, aliasque similes respexit Florus 2, 2, 2. cum sic scriberet: *Vt quatenus nec mole iungi (*Italiæ Sicilia*) nec pontibus posset, armis bellogue iungenda, & ad continentem suum reuocanda videretur.*

AVT OPPVGNATVRVM) Quod quidem futurum non putabant Tyrii, nec enim credere poterant, Alexandrum post clarissimam victoriam, cum hostem persequi opportunum esset, omissa occasione rerum amplissimarum, ad vnius vrbis obsidionem hæsurum esse. Quem errorem in Bardane, haud dissimilis ingenii Rege, grauiter notat Tacitus 11, 8, 4. *neque cunctatur quin proximas præfecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem eius abnuentibus, in quos vt patris sui quoque defectores, ira magis quam ex vsu præsenti accensus, implicatur obsidione vrbis validæ, & munimentis obiecti amnis, muroque & commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes Dahorum Hyrcanorumque opibus auctus, bellum renouat.* Porro pertinet ad oppugnationem hanc præsidium illud Willerm. Tyrensis Histor. Hierosol. 11, 30. *quod ad expugnandam eam vrbem, olim dicitur fundasse Alex. & de suo nomine Alexandrium vocasse. Est autem locus fontibus irriguus, vix quinque milliaribus à Tyro distans, in littore maris constitutus. Hunc locum hodie appellatione corrupta populares appellant Scandalium. Arabice enim Alexand. Scandar dicitur, & Alexandrium, Scandarium: vulgares vero R in L conuersa, dicunt Scandalium.*

4,2,7. *FRETVM AFRICO OBIECTVM)* Angustiæ freti quatuor stadiorum erant, Tyro ab oriente. Africus ventus ab occidente flabat, & recta mare in angustias propellebat, & fluctus decumanos ciebat. Africus porro Græcis Λιψ dictus, & Vulturno orientali erat obiectus. Vulturnus ab oriente hiberno spirabat inter Eurum & Notum, Græcis Εὐροτον. Africus ergo ab occidente hiberno ortus Vulturnum oppugnabat, vti Virgil. in tempestatis descriptione, cum luctantes inter se ventos committit, Africum contra Eurum & Notum collocat. Æneid. 1, 88.

Incubuere mari, totumque ex sedibus imis
Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volutant ad littora fluctus.

[Hunc vltimum versum in animo habuisse videtur Curtius cum ista scriberet.] De ventis hisce plenius cognosce apud Gellium, & Vitruuium, & Vegetium, item Senec. Natur. quæst. 5,16. Porro angustias fuisse ab oriente postea continenti commissas, facile ex Guilielmo seu Willermo Tyrio discès, qui Hist. Hierosol. 13, 5. *Ab oriente vero,* inquit, *vnde est per terras accessus, muro clausa triplici cum turribus miræ altitudinis, densis admodum, & se prope contingentibus. Præterea vallum late patens, per quod facile eius cines possent mare introducere in alterutrum.* Addit Guilielmus, mare vicinum vrbi, periculosum ignaris fuisse, propter latentes passim scopulos. Nam & vrbs rupi & scopulo maximo imposita est. *Sic ergo,* inquit, *quasi insula est præfata ciuitas, procellosum circa se habens mare, latentibus scopulis & nimia inæquitate periculosum, ita vt peregrinis & ignaris locorum ad vrbem nauigantibus, periculosum sit accedere: & nisi ducem habeant, qui adiacentis maris habet notitiam, non nisi cum naufragio vrbi possint appropinquare.* Raderus.

4,2,8. *PER NEXVS OPERVM)* Qui huic lectioni anteponunt, vel etiam componunt aliam, *per enixus operum*, potius delectantur inueniendis quibus paginas impleant, quam conseruata puritate textus. Ad minimum aduertere debuerant, *enixus*, vt maxime ita legendum esset, aquæ non tribui, sed operibus: *enixus operum*; quomodo si Curtium scripsisse putant, haud leuem iniuriam faciunt maioris elegantiæ iudiciique historico. *Nexus* autem *operum*, quid sint, præter quod candidissime

dissime dictum sponte patet, ipse subinde explicat: mox 4,2,21. *nondum commissum opus.* & 4,3,6. clarissime: *crebrisque fluctibus compages operis verberatæ se laxauere; saxaque interfluens* (an *interluens*) *vnda medium opus rupit.* mox num. 9. *velut quodam nexu continens opus iunxerant.* Paulo ante hæc verba legerim: *Africus v.p.q. congesta pulsu intisi maris obruit.* Certe *maris*, non *mari* habebat etiam Pal. I.

SVMMI OPERIS FASTIGIO) Insuauis iteratio *operum*, & mox *operis.* Vide ne omittendum posterius, legendumque *summo fastigio.* Acidalius. Nihil tamen temere mutandum in his talibus, nisi certior adsit ratio. Sæpe enim vel incuria, vel etiam voluntate scriptorum, minima intercapedine vox iteratur.

4,2,9. *PRÆALTVM MARE)* Idem dicit Plinius 5,19. *Prælto*, inquit, *mari septingentis passibus diuisa.* Sed quam erat altum? Curtius ὑπερβολικώτερον dixit *prælatum.* Arrianus 2,4,3. non nisi tres vlnas, & quidem qua profundissimum est, altum affirmat, vt Vulcanius interpretatur. Verba Arriani sunt: τὸ ἦ πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει, ἵνα τὸ βαθύτατον τῶν διάπλων, τριῶν μάλιστα ὀργυιῶν τὸ βάθος. *Vbi vrbem attingit, quia quidem profundissimus traiectus est, tres summum vlnas altum est.* Profecto exigua altitudo, in qua superanda, non fuisset septem mensibus Alexandro laborandum. Nec tamen Vulcanium ausim vocare in vitium, quod τὸ ὀργυιῶν male verterit: Fauet illi Phauorinus, qui ὀργυιὰ τὸ ἐξαπαλαιμένη μέγεθος τῶν χειρῶν, ἢ τὸ ἴσπασιν τῶν χειρῶν, σὺν τῷ πλάτει ἡθύσης. πιθανὸν τὸ ὀρέγειν καὶ ἐκτείνειν τὰ γόνατα, ὅ ἐστι τὰς χεῖρας. *Orgia est mensura passuum manuum, siue distensio manuum vna cum latitudine pectoris, a verbo ὀρέγειν, quod est extendere membra, seu manus.* Hoc, vt vides, nihil est aliud, quam vlna. Vlnam autem cubita quatuor continent, cubitum sesquipedem. *Prælatum mare*, cum non sit altius octodecim pedibus? nondum habes altum mare. Nec Hesychius à Phauorino abit, qui ὀργυὰν ἔκτασιν ἀμφοτέρων χειρῶν distensionem ambarum manuum vocat. *Eustathius* τρίπηχυ μέτρον *trium cubitorum mensuram*, quæ dimidio pede breuior est vlna. Idem tamen ἡ ἐς πλάτος ἔκτασις ἀμφοῖν χεροῖν, *ambarum manuum in latum extensio.* Herodotus sex pedum facit ὀργυὰν: ita octodecim erit pedum altitudo maris. Nihil hactenus nimis. Plinius 5,4. ex Theophrasto orgyiam decempeda metitur. Ita fierent tres orgyiæ, triginta pedes, tolerabili altitudine maris. *Maxima* (cedrus, verba sunt Plinii 16,40.) *ea in Cypro traditur ad nndeciremem Demetrij succisa, centum triginta pedum longitudinis, crassitudinis vero ad trium hominum complexum.* Accipiamus ergo hic, mare altum fuisse triginta pedes, vt Curtius speciem veri obtineat, qui prælatum mare ait fuisse ad muros. Nam Plinius semper orgyiam interpretatur decempedam, nisi vitium in Plinio est, vt doctissimus Hermolaus censet. Raderus. Ὀργὰ quid sit vide apud Salmasium in Solin. 1234. E. 2.

PRÆCEPS IN SALVM MVRVS) Idem narrat Guilielmus Tyrius 13,5. *Et muri recto limite descendebant in altum mare, vt nullus esset per terram aditus ad ciuitatem mari ambitam.* Murus aggeri obiectus erat altus pedes centum & quinquaginta, vt Arrianus 2,4,18. est dimensus; crassus vt Diodorus 17,43. [cui tamen alius paulo sensus] cubita quinque, id est septem pedes & semis, quem mox duplicauerunt, & medium spacium aggere & lapidibus impleuerunt. Raderus. Sic & Xenophon lib. 1. ἀναβ. Ciliciæ portis tribuit τὰ τείχη ἐς τὸ θάλασσαν καθήκοντα, *muros ad mare pertinentes.*

4,2,10. *PARVA DICTV RES)* Alii cum negatione; *haud parua*, quam, cum bene omnia considero, puto ab alio intrusam. quamquam enim pro illa quædam etiam dici possint, tamen hoc me mouet, quod ita solent historici adnotare, quando aliqua res non maximi momenti, caussam præbet magnis euentibus. Et sane *parua dictu res* erat, Carthaginensium legati, qui non aliam ob caussam, quam celebrandi annuo sacro missi erant, vt ob eorum pollicitos, tam grauem obsidionem sustinendam esse arbitrarentur Tyrii. Quid enim aut ad præsens opis in illis erat; & quod à Carthaginensibus ob consanguinitatis memoriam sperabatur, nonne à quibusuis Tyriorum legatis peti poterat? His rationibus cum accederent etiam codd. nonnulli, inter quos est & ille Danielis, haud postremæ auctoritatis, expungendum omnino τὸ *haud*, vt insititium credidi. Sic apud Liuium 27,17,7. *Fabium Tarentum obsidentem leue dictu momentum ad rem ingentem potiundam adiunxit.* & 30,34,2. *dictu parua sed magni eadem in re gerenda momenti res. Idem* 27,11,1. *adeo ex paruis sæpe magnarum momenta rerum pendent.* & 25,18,3. *restituit his animos, & illis minuit audaciam, parua vna res* &c. Adde Thucydid. 2,3,6.

ANNIVERSARIVM SACRVM) Ad Astartes siue Vraniæ sacra, quæ Dido Phœnissa secum Tyro Byrsam auexerit, aut ad Tyriorum similitudinem Carthagine à se condita sanciuerit atque dedicarit; locum hunc eximium referendum censeo. Quamquam si de sacris Herculis (de quibus huius capitis initio à nobis actum est) Curtii verba malit aliquis accipere, non repugnabo. Faber semestr. 3, 2. cuius posteriorem sententiam amplector.

PARENTVM LOCO CVLTI) Ipsique contra seruantes mutuum affectum. nam imperante Cambyse Tyrii expeditionem in Carthaginenses detrectauerunt, dicentes esse liberos suos. Herodot. 3,19. quomodo apud Polyb. in excerptis Valesii p.49. Timæus apud Locros in Græcia vidisse tabulam refert, cuius principium fuerit: *vt parentes erga liberos decet.* Ὡς γονεῦσι πρὸς τέκνα. relatione facta ad Locros qui in Italia sunt. Sic Ilienses à Romanis culti apud Liu. 38, 39, 8. *Iliensibus Rhœteum & Gergithum addiderunt, non tam ob recentia vlla merita, quam originum memoria.* Postea quoque ii à Claudio *publico munere soluti.* Tacit. 12,58,3. Hinc inter Leges Platonicas lib. VI. pag. 754. A. τῶν τῇ πόλει ἦν δικαίως μέλλωμεν, οἷον πατρὶ καὶ μητρὶ ἐκ εἴνεκα πλὴν τοῦ κατοικίζεσθαι αὐτοῦ πόλιν. Contra qui eam reuerentiam conditoribus suis non exhiberent, impietatis arguebantur. Consules Colonias milites pecuniamque negantes grauiter reprehenderunt: *quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si vlla pietas, si memoria antiquæ patriæ esset.* Liu. 27,11,10. & in eundem sensum Fusetius apud Dionys. 3,9. *quem honorem parentibus liberi, eundem & coloni debent suis conditoribus.* Ita nuper, si vetera illa spectes, Bonifaciani à Rege Alfonso obsessi, Genuenses sic alloquuti sunt: *Vt eam vobis debemus fidem, quam parentibus liberi; ita opem quam iure naturæ liberis parentes debent, à vobis impetrari æquum est.* Bracellus lib. 2. de bello Hispano Alfonsi cum Genuatibus. Vnde Corinthii Corcyræis implacabiliter irascebantur apud Thucyd. 1,9,8. quod cum eorum conditores essent, solitos tamen iis honores non exhiberent. Ceterum de coloniis earumque deductione & iure præclara multa collegit Carolus Sigonius de antiquo iure Italiæ 2,2. &c. vnde sua pleraque descripsit Ioannes Rosinus antiqu. Rom. 10,22. Adde Tolos. de Rep. 6,7,3. Facium in Polit. Liuianæ arte VII. & Valesii notam ad excerptum Polybianum.

4,2,12. *OPIFICES)* Quorum gloria antiquitus præcelluisse Tyrum, vel constructio templi Hierosol. abunde probet. Vide Reg. 3,5. Sic & coloni eorum Carthaginenses à Romanis obsessi, cum arma tradidissent, pauculos intra dies noua fabricauerunt. Flor. 2,15,10. & inprimis Appianus in Libycis.

4,2,13. *SED CVM)* Recenset omina, quæ excidium vrbis præcesserint. & sane si aduertimus animum, verum esse deprehendimus illud Herodoti 6,27. *Quoties ingentes sunt euenturæ calamitates vel ciuitati vel nationi, solent signis præmoniari.* Inter quæ à Curtio omissum, quod Alexander per quietem viderit Satyrum alludentem

tem sibi, & post multas ambages in manus venientem. vnde Aristander respondit, post aliquantulum laborem, Tyrum in potestatem Alexandri futuram. id enim velle id insomnium, quo repræsentatum erat, σάτυρον, quod nomen si diuidas, exit σὰ Τύρον, *tua Tyrus*. Meminerunt eius Plutarchus in Alex. cap. 41. Artemidorus 4, 26. Zonaras. Cedrenus. Qui duo postremi germanum huic somnio imaginatum esse scribunt Imperatorem Constantem, ante pugnam cum Mabia Saraceno: visus enim sibi fuerat venisse Thessalonicam. Θεσσαλονίκην coniector diuidens exponebat: θὲς ἄκρα νίκην, *alteri cede victoriam.*

4,2,14. *EXTRINSECVS*) Q. Seruorius, *cum equitum scuta extrinsecus, equorumq; pectora cruenta subito prodigio apparuissent; victoriam portendi interpretatus est: quoniam illæ partes solerent hostili cruore respergi.* Frontin. 1, 12, 4.

4,2,15. *CLASSEM*) Glareanus docet hoc loco contraria scribi à Curtio & Diodoro. ego secus autumo, fallique aio Glareanum, quando scribit Diodorum statim initio oppugnationis affirmare, Tyrios quamquam classem LXXX. triremium haberent, tamen in vrbem compulsos ab Alexandri classe, quæ & operarios in aggere tutos reddiderit à Tyriorum eruptione, Curtium vero negare, initio oppugnationis Alexandro vllam fuisse in promptu classem. Sed nego ego à Diodoro tradi, statim initio oppugnationis Alexandrum habuisse classem. nihil enim ibi de classe Diodorus, sed tantum de aggere iacto, & iam absoluto meminit, ac tum demum Tyrios senes, & pueros, cum imbelli mulierum turba, Carthaginem deuehere conatos, & vero partem deuenisse: alteram demum partem à classe Alexandri interim comparata, deprehensam, & retro in vrbem repulsam. Raderus.

CONTRA IVS GENTIVM OCCISOS) De huiusmodi iuris humani temeratoribus eorumque pœna late Paschal. in Legato cap. 26. Alb. Gentil. de legation. 2, 14. & Henricus Salmuth. in Notis ad Pancirolli res deperditas, vbi de legatis agitur. Ceterum (verba sunt hæc Raderi) nihil est, quod moueare Glareani suspicione, arbitrantis hanc de legatis occisis historiam esse falsam, quod Diodorus & Iustinus illam præterierint: quasi Iustinus & Diodorus non alia multa transmiserint silentio, quæ Arrianus & Curtius narrant. Quid si hæc, & alia habuere Callisthenes, Duris, Ptolemæus, Aristobulus, & innumeri alii nobis inuisi, Curtio olim forte lecti? Multa Ælianus, Polyænus, Plinius adferunt aliis præterita. Raderus.

4,2,16. *IACIENDA MOLES*) Id quantæ molitionis res fuerit, disci potest ex conatu Nabuchodonosoris, qui primum aggerem iecit, cum vrbem XIII. annis arctissima obsidione terra marique premeret. Id quod sanctissimus & verissimus vates Ezechiel 29, 18. narrat, cum exponit militum laborem, ex quo affirmat, omnibus defluxisse capillitium, & caluitio deformatos, depilatosque humeros onera portantium. Sic enim ille: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis, seruire fecit exercitum suum seruitute magnæ aduersus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est.* Raderus.

4, 2, 17. *HAVD QVAQVAM RVDIS*) Cuius artis experimenta passim dedit: vt in locis parallelis hic adnotamus.

HERCVLIS) Vnde ita coniectores sunt interpretati, cessuram Alexandro vrbem, sed post ærumnosam obsidionem, quod & Herculis omnia opera laboriosa fuissent. Plutarch. Alex. cap. 41.

4,2,18. *DVCIBVS*) Id crebro factum obseruaui, quoties nimirum Imperatores, postquam ipsi milites allocuti erant, sensissent esse adhuc aliquid in animis eorum aut timoris, aut erroris, aut denique contumaciæ.

ORSVS EST) Alexander ipse non tantum ὑφορᾷ operis fuit, sed & teste Polyæno 4, 3, 3. *primus corbem terra impletum attulit*, cuius exemplum militibus postea magnum incentiuum ad laboris alacritatem fuit. Loccenius. Sic apud Tacit. 1, 62, 2. *primum extruendo tumulo cæspitem Cæsar posuit.* Iustinianus templum Constantinopoli, & Murates aliud Hadrianopoli structores, itidem prima fundamenta iecerunt. Vide Leunclau. Pandect. Hist. Turc. cap. 98.

RATIBVS) Verius meo animo quam *cratibus*, tametsi & hæ possent habere locum in obsidionibus. infra tamen 5, 3, 7. dixit *cratibus ac pluteis*. sed hic mare cogita. Poterat & cratibus esse locus ad muniendum vel turres vel aggeres, struendis vel firmandis. Sed retineo rates, quibus opus. Raderus.

4,2,19. *IN ALTITVDINEM MONTIS*) Hoc retinui, quia valde augebat rem, quod hic egit Curtius. respondet enim ei, quod dixit supra 4, 2, 9. & mox hac ipsa periodo: *præaltum mare.* non ad hunc sensum editiones aliæ, *in altitud. modicam.*

4,2,22. *IN EXPEDITO ESSET*) Promptum & expeditum erat Tyriis fugere, si Macedones ingruerent; accedere ad operas, si defensores abessent, quæ res operas conuertebat ad semet tuendos. Raderus.

4,2,23. *REX MVNIENTIBVS*) Gronouius in litteris ad Berneggerum. Ms. alter *ex munientibus.* alter, *ex eminentibus.* Scribendum, *Igitur rex munientibus.* Quam emendationem, vt nec dubiam, recepimus.

EXTRA TELI ICTVM) Sic vere Lipsius poliorc. 5, 9. cuius scripturam confirmat Acidalius, cuius verba subdimus: Nescio an temere discriminanda in genere isto locutionis, *ictus* & *iactus teli.* Differre merito videantur: ac vereor, ne sæpe loco alterius alterum legamus. Etenim vis eorum diuersa nonnihil, si penitius introspiciamus. Extra teli iactum est, quo peringere iacta tela nequeunt. extra ictum, quo perueniunt, sed sine noxa, prohibito illapsu aut tactu. Quod si admittitur, hic nempe legendum potius *ictum.* Neque enim aberant hi tam procul, vt iaci in eos tela non possent: ictui saltem eorum obnoxii non erant coriis veliisque obtentis. Quæ eadem ratio infra 5, 3, 7. *Cæsaque materies cratibus & pluteis faciendis, vt qui turres admouerent, extra teli iactum essent.* Contra mox 4, 3, 8. *Latitudinem quoque aggeri adiecit, vt turres in medio excitatæ procul teli ictu abessent.* Sic enim editio Modiana exhibet, vbi vulgares haud dubie melius *iactu.* Sensus enim ille: adiectam aggeri latitudinem tantam, vt excitatæ in medio turres ab extremo aggeris abessent teli iactu, id est, spatio tanto, quo iacta tela pertingere non possent. hactenus Acidalius. Confer Adagia Schotti & Erasmi.

CORIA VELAQVE) Vide Arrian. 4, 4, 6. & Lipsium Poliorc. 5, 9. vnde sua descripsit Raderus. Citat autem Lipsius & locum Diodori 17, 45. Πρὸς δὲ τοὺς βύρσας καὶ δικτύα διφθέρας πεφυκυίας κρυπτόμενοι τοὺς ἀπὸ τῶν πετροβόλων πλήγας. quem locum olim suspectum mihi reddidit interpres, reddendo: *Ad hæc coria pelleſque duplicatas, & fuco oblitas, consuunt. His ballistarum ictus excipiunt.* Non enim reperiebam, quid iste fucus ad excipienda tela profuerit obsessis. Aduertebam igitur in textu vitium esse, & non πεφυκυίας scribi debere, sed πεφυραμένας. idque & Berneggerus, socer nunc meus, ratum habuit. Confirmabam enim correctionem meam loco Iosephi de bello Iud. 3, 7. vbi simili commento vsus est aduersus ignita tela. quippe *Sudibus fixis per eos boum coria recentia extendi præcepit, quæ emissos tormentis lapides sinuata susciperent, quibusque repulsa tela cetera dilaberentur, & ignis humore langueſceret.* Quod addendum est locis à Lipsio eo capite allatis. Eamque machinam *pluteum* appellant Verrius Flaccus & Isidorus: *Plutei, crates corio crudo intentæ, quæ in opere faciendo hostibus obiiciuntur.* Hinc itaque

 suspica-

suspicabar legendum esse πεφυραμένας, idque inuentum ad ignem extinguendum pertinuisse. Quod nec Lipsium fefellit, nam ex sensu interpretatur; *Praterea coria ac pelles duplices, madefactas, consuentes &c.* Ex sensu inquam, reliquit enim in textu vocem πεφυκωμένας, quam hoc significatu à quocunque auctore, nedum Diodoro vsurpatam fuisse non putem. At verbum φύρω egregie id significat. præter alia exempla quæ in promptu sunt, vnicum, quod hanc etiam correctionem mihi suggessit, adferam illud nobile apud Sueton. Tib. 57, 2. *Seua ac lenta natura ne in puero quidem latuit: quam Theodorus Gadareus rhetoricæ præceptor & perspexisse primus, & assimilasse apprime visus est: subinde in obiurgando appellans eum, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.* lutum sanguine maceratum. Apud Vitruuium tamen 10, 20. lego: *recentibus, percrudis coriis duplicibus consutis, farcitis alga, aut paleis in aceto maceratis tegi machinas,* vnde defendi & exponi τὰ πεφυκωμένας possit. Ceterum aduersus telorum vim aliud quoque commentum exponit Cæsar de bello ciu. 2, 9. *Storias ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt, easque ex tribus partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum terrem, præpendentes religauerunt, quod vnum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo neque tormento trauici posse.* De cratibus, vineis &c. Vide Lipsii Poliorcet. 1, 7.

EX CAPITE MOLIS) Dubium quod hic mouetur ex vtro capite, siue extremitate molis statuæ fuerint hæ turres, ab eo vnde continentem prospiciebat, an ex aduerso, quod contra vrbem erat, facile sibi quisque soluere potuisset, etiamsi non diceret Arrianus 2, 4, 5. impositas fuisse aggeri, *qua plurimum in mare productus erat.* cum enim ad defensionem operis construerentur, facile quiuis conjiciat, positas fuisse eo loco, vnde vis hostilis metuebatur. Quod non hic adnoto, quasi libeat cuiusquam *auriculas* (vt Poëta ait) *mordaci radere vero;* sed vt porro mihi venia sit, si hoc genus plurima silentio transmisero: neque eo minus existimer impleuisse promissum, quo professus sum, omnia quæ ab aliis etiam, quotquot in manus venerunt, ad huius auctoris illustrationem adnotata sunt, me notis hisce complecti.

4, 3, 1. *EA RES)* Hæc periodus vtique coniungi debebat anterioribus, vt nouum caput hinc inciperet; *Inter hæc Tyrij.* sed ob vitandam confusionem & perturbationem, quæ ex huiusce modi mutationibus nasci solet, diuisionem solitam reliquimus.

PERDICCAM CRATERONQ.) Polyæn. 4, 3, 4. Parmenionem in obsidione hac relictum ait. Radcrus. *Interim & aliud agi posse ratus,* vt in negotio simili loquitur Liuius 31, 46, 11.

4, 3, 2. *NAVEM)* Vide Arrian. 2, 4, 8. Videntur ab hoc Tyriorum stratagemate Antuerpienses olim, vt tradit Nicolaus Orlandinus Annal. Societ. Iesu Anno M D LXXXV. suum exitiale naufragium, cui canis indidere nomen, composuisse, quamuis multo ingeniosius & nocentius, quam Tyriorum, ita vt auctor non nisi stygium aliquem genium illius architectum fuisse existimarit. Ita enim ille in obsidione Antuerpiæ duce Alexandro Farnesio Parmensi describenda narrat: *Noua excogitantur diabolo architecto naufragia: neque enim tale inuentum exco[gi]tare humana mens poterat. Horum ex constructio & fabrica fuit, vt honorarij formam cumuli, feraliquæ vrnæ referrent. Erant in nauis alueo transuersa trabes, lapidesque in quadrum coagmentati, & ad fores vsque surgentes. Alueus autem ipse molaribus, & generis cuiusque lapidibus ita refertus, vt & varij cuniculi in spiram acti puluere sulphureo pleni relinquerentur, & pars summa cippis, immensisque lapidibus tegeretur. Latebat insuper fistula, fomentario igni relicta, igniarioque ita librato, vt non ante pulueres inflammaret, quam nauis ipsa in crates ac pontem propemodum impegisset. Fori autem & constratæ nauis tabulata, siue ad terren-*

terrendos timidos, siue ad opprimendos incautos, sparteis, manipulis, pice, resina, sulphureque obliuis, ac malleolis conflagrabant. Quibus artificiis ac machinis cum primum remisit æstus, tetris ardens tenebris ex vrbe nauis emittitur. Quod hostile portentum dum procul aduentare nostri conspiciunt, continuo è castris vna cum Principe, in omnem euentum expediti ad ripam fluminis, pontemque conuolant. Interea dum quidam per audaciam vel nauim ipsam conscendere, vel vncis remorari contendunt: ecce tibi repente conceptus ignis ingenti fragore saxa quatere, torqueare trabes, tempestates ac tonitrua ciere, immanes lapides, ignitosque globos in cœlum vomere, stationarios & classicos in vndas mergere, partem pontis euertere, nemini denique parcere, qui vel propius accessisset, vel etiam longius abesset. Lamentabilis omnium gemitus erat, funestus multorum principium exitus, aliorum vel mutilatione, vel funere: ducentos prope homines lapidum procella contriuit. Princeps ipse Parmensis, quamquam Hispani cuiusdam impulsu, vix sese è periculo eripuerat, tamen vehementi aëris agitatione concussus, vna cum Marchione de Pescara in terram concidit, propiusque factum est nihil, quam vt vterque militarium corporum mole, quæ lapidum prosternebat (postrabat habet Romanus) imber opprimeretur. Vicarius etiam principis & totius equitatus magister, aliique clari viri fluctibus periere. Alij per aërem visi sunt ad passus aliquot volitare: alij flammis, puluerisque cremati, fædo sane horribilique spectaculo. Raderus. Nec omittendam esse duxi, in memorabili strategemate accuratissimam Thuani descriptionem: sic autem ille lib. I.XXXIII. *Tunc vero machinæ ad pontem diruendum apparabantur, earum fabricator erat is, de quo iam diximus, Vrbanus Iunibellius Manuanus, qui specimine artis suæ coram regina Angliæ edito ad Sanctæ Degondium remissus fuerat. Is posthac fabricauerat sibi duas naues vastæ magnitudinis, primam 150. alteram 350. tertiam, cui Leoni nomen 500. amphorarum capaces, in quibus ex cæmentitia materia meatus ac cuniculos struxerat, petierat præterea 60. naues latas & plana carina, quæ rudentibus, cæmis, ac trabibus nexæ supra aquas æstu accedente semilunæ specie fluctuarent, singulæ cum duabus anchoris siue vncis dimidiatis, quæ decem pedes aqua extantes, obuia quæque vehementi impetu traherent raperentque; sed vt in consessu tot hominum sententiis discordantium, neque vnius, secuti in tanto periculo necesse erat, imperio parentium non solum res in longum inutilibus disputationibus extracta, sed præposteræ parsimoniæ postulatis Iunibellij multum detractum fuit, tantumque illi duæ naues minores, quibus Fortunæ & Spei nomina erant, attributæ, vtraque tantum 70. aut 80. amphorarum capax, ac decem aliæ carinis planis, quas Slatas vulgo vocant. machinarum hæc erat ratio. naues duas firmissimis carinis constructas tabulis & asseribus robustis vndique vallauerat Iunibellius & arcam in vnaquaque ex lapidibus albis maioribus quinque pedum latitudine superstruxerat, interius longam pedes 40. latam & altam tres cum dimidio, tum in vnam puteris nitrati librarum 6000. in alteram 7000. & 500. imponit, & vtramque magnis lapidibus cæruleis sepulcralibus tegit, ita vt frons seu cuspis sex pedes lata promineret, & firmitate sua explosos tormentorum globos potenter auerteret; porro in arcis pauebant foramina, quibus funalia ignea indita erant, & supra ipsas naues machinam ignitam ædificauerat architectus, quæ vnius horæ spatio arderet, antequam puluis nitratus flammam conciperet, vt cum nihil pœnæ eo artificio metuerent hostes, securi ad spectaculum sederent, & ita non solum pons euerteretur, sed etiam ipsi incogitantes opprimerentur. instructæ præterea erant 32. cimbæ maiores planis carinis ignibus artificiosis refertæ, quarum octo sesquihoræ quaque aquis refluentibus simul ardentes descenderent: rursus quo magis fallerent aliæ vrinatrices dictæ paratæ erant, quæ puluere nitrato, quem capiebant, incenso, hostium rateis ponti circumdatas flammarum vi propius accedentes absumerent, eo consilio, vt hostis irritatus explodendis omnibus suis machinis spatio duarum horarum occuparetur, lassusque demum desisteret, circa id tempus, quo duæ naues incendiariæ medio alueo ad pontem appellerent, alteraque post alte-*

ram opus destinatum exsequeretur. igitur postridie &c. Hactenus Liuius ille Transalpinus, qui porro exponere pergit, quæ eius machinæ vis fuerit. Accederet his nouissimum ex proximo exemplum, nisi Vinariensis Principis naues, ad soluendum Brisaquensium pontem, pari solertia adornatas, exhaustus longa siccitate amnis destituisset. Ceterum diuersis temporibus locisque eiusce modi repertis vsus fuit. Vide Diodor. 20, 87. de Rhodiis. Cæsar de bello ciuil. 3, 101. Cassius *magno vento & secundo completas onerarias naues tæda, & pice, & stupa, reliquisque rebus quæ sunt ad incendia, in Pompeianam classem immisit, atque omnes naues incendit.* Atque idem refert & Frontin. 4, 7, 14. Appian. de bello Pun. *Carthaginenses, cum ventus flare cepisset, naues sarmentis ac stipulis refertas sub ipsa mania adduxerunt, deinde ignorantibus Romanis in bellum prouocant. Illi modicum fletentes fere in conspectu aderant, cum sulphur ac picem supra naues effundunt, demum vela ventis implentes, ignem scaphis iniciunt, quæ venti violentia & ignis impetu in Romanorum rates delatæ subito incendunt: omnisque pene classis vno momento conflagrare cepit.* Iustinianus Hist. Venetæ lib. 8. Aloysius Lauredanus *nauigium sarmentis, & sulphureo puluere plenum, cum triginta fortissimis, audacissimisque viris, quos ad id facinus elegit, vento, & fluctibus secundis, in Syracusani portus fauces immittendum curauit, eo consilio, vt occupato violenta nauigij irruptione portu, Cebeæ* (nauium id genus) *iniecto igne concremarentur.* isque conatus feliciter cessit. Similique commento Canutum regem Danum, Vlpho Sueonum dux vicit apud Ioan. Magnum, 8, 3. Idemque anno 1588. contra immensam Hispaniæ classem, ab Anglis auctore Draco tentatum Thuanus lib. 89. scribit. Sunt autem & aliæ rationes incendendi naues atque machinas hostium, ex quibus subtilissima, quam excogitasse fertur Archimedes, apud Zonar. tom. 2. qui speculis æreis exceptos solis radios in naues procul diffusos tanta vi impegit, vt nullo negotio conflagrarent. Idemque & Proclus imitatus fuisse dicitur, in obsidione Constantinopolitana, cum eam vrbem oppugnaret Vitalianus. Vide Zonaram tomo 3. Nec minor efficacia Græci ignis proditur, quo Romanus Imperator Constantinopolis mille nauium classem, quam Duce Ingero admouerant Russi, corrupit, vt auctor est Luitprandus. Eumque ignem ab Hugone Rege Italiæ sub annum 941. contra Saracenorum naues, qui tum Fraxineto potiebantur, Constantinopoli impetratum fuisse tradit Sigonius lib. 6. de regno Italiæ. Inuentionem eius Callinico cuidam adscribit Zonaras tom. 3. sub imperio Constant. Pogonati, cum Agareni Byzantium oppugnarent: Constantinus autem Porphyrog. de administr. imperii cap. 13. instruit filium, vt, si à barbaris ignis iste petatur, hanc adferat excusationem: *eum magno ac primo Christiano Imp. Diuo Constantino per angelum ostensum fuisse, atque ab eo illum didicisse, qui vehementer itidem interdixerit, ne ab aliis nisi Christianis, idque in imperatrice vrbe pararetur: neque etiam ad aliam gentem transferatur, docaturue.* τὸ ὑγρὸν πῦρ appellatur apud Nicetam pag. 39. f. in expeditione Manuelis contra Siculos.

4, 3, 4. *ALENDO IGNI APTVM)* Modius expungit *aptum*, cum sufficiant sensui reliquæ voces; & reperit qui consentiant. Sed Acidalii iudicium placet, quod mox altera post hanc nota suo loco adscriptum, huc etiam trahi volumus.

4, 3, 6. *MOTVM EX PROFVNDO MARE)* Adspexit Virgil. Æn. 1, 88.

Incubuere mari, totumque ex sedibus imis
Vna Eurus Zephyrusque ruunt. - - Ex quibus tamen verbis, si quis *totum* in Curtio potius scribendum putet, quam *motum*, falletur. nam mouendi verbum posuit, pro verbo ruendi. Similia reperies apud Diodor. 24, 1. Polyb. 1, 47.

SE LAXAVERE) Non ignoramus, vsurpari *laxauere* posse, quomodo

modo alia innumera, agendi forma, sensu patiendi: sed à Curtio vsurpatum quis nobis probat? Cur autem ineptum ait Modius, *se laxauere?* Scilicet ita non alii, non Curtius ipse solet? Hic tamen supra 3, 9, 12. *Paulatim deinde laxare se finus montium.* Mala quædam scabies est & pruriginosa libido mutandi, si quid nouitatis specie blanditur. Ac sæpe vulgatæ lectiones defendendæ nobis immerito ab aliis damnatæ: in quo equidem non minus de Curtio bene meremur, quam vbi comminiscimur ipsi nouas. Etiam is corrigit, qui corrigere prohibet, vbi nihil corrigendum. Acidalius.

INTERLVENS) Ex duobus lectionibus hæc præplacuit: nam alii lentius, *interfluens.*

4, 3, 8. *QVOD)* Refertur ad vocem *opus*, præcessit enim *noui operis molem*; at qui ad hanc vltimam referendum putarunt, pro *quod* scripserunt *ea*, atque reliqua proinde mutarunt.

PROCVL TELI IACTV) Sic omnino bene. longius enim ita aberant turres in medio aggere locatæ, quam fuerant prius à capite molis. Nec hoc vult vt extra teli iactum omnino essent, sed quo magis ex longinquo mitterentur, eo imbecilliora acciderent. atque hæc lectio multis modis verior est Modiana, *procul teli ictu.* Nam si dicas ob longinquitatem exemptas fuisse telorum ictui, eadem ratio pertinebit etiam ad iactum: sin aliam ob caussam, nimirum quod munitiones essent oppositæ, vt in superiori opere; facile intelligis nihil huc facere *latitudinem aggeri adiectam*, nec opus fuisse dicere *procul* à telis abfuisse, cum ita protectæ ne ex propinquo quidem lædi potuissent. Quin & telorum appellatione hic non ea accipienda putem, quæ tormento iaciuntur, sed quæ emittuntur manu. iis enim maxime infestabant munitores, leuibus nauigiis opus circumeuntes Tyrii, supra 4, 2, 21.

4, 3, 9. *SVPERQVE)* Sic lego (nam vulgo; *super quæ*) & verborum nimium sim prodigus, ei si probando vnum adeo impendam. Acidalius. quem sequuti sumus, quamquam Radero placeret, *super quam.* Ego cetera quoque tentem, vt tota sit hæc pericope: *superque alia strues sax. arb. cumulata, velut nexu quodam cont. opus vinxerat.*

4, 3, 10. *SVBIBANT AQVAM)* Tantum potest consuetudo, vt etiam homini multa liceant in alieno elemento. vt taceantur vetera, nunc etiam quotannis sunt, qui dum Veneti Duces prisco more sibi despondent maria, annulum in vndas coniectum extrahant. Pulchre Manilius Astronom. 5, 428.

Illis in ponto iucundum est quærere pontum,
Corpora qui mergunt vndis, ipsumque sub antris
Nerea, & æquoreas conantur visere Nymphas,
Exportantque maris prædas, & rapta profundo
Naufragio, atque imas auidi scrutantur arenas.

Cuius rei & Callistratus meminit in l. 4. §. 1. de lege Rhod. *mercatorum merces per vrinatores extractæ sunt.* Præ ceteris autem memorabile est, quod de Cola, cui ob eam rem *pisci* cognomen indiderunt, à Iouiano Pontano relatum Alexander dier. genial. 2, 21. adnotauit, *qui plus in aquis degere, quam in terris vitæ tare solebat.* Sed & apud Ioan. Magnum memini me legere nonnulla exempla admiratione digna. Bracellus quidem belli Hispani, inter Alfonsum & Genuates gesti scriptor lib. 1. meminit cuiusdam Andreæ, *quem à frequentatione aquarum Mergum nominabant.* qui & ipse inter pugnam naualem, maximæ nauis hostilis funes anchorarios, sub aqua adlapsus, præcidit, & ingens ad rem bene gerendam momentum suis fecit. Adde Sabel. Ennead. 9, 7. de Metone Tartaro. Herodot. 8, 8. de Scyllia Scionæo. Vide & Antig. mirab. narrat. CXLVI.

4,3,11. *CLEANDER)* Arrianus 2, 4, 13. κατελαμβάνε Ἀλέξανδρον τὸ πολεμοκράτες ἐκ πελοποννήσου ἥκοντα &c. vbi non recte interpres doctissimus. *Alexandrum Polemocratis F. ex Peloponneso venientem cepit.* nam hoc recte de hoste diceretur, non autem de homine earundem partium. κατελαμβάνειν hic est *assumere*, quomodo eo verbo Curtius vtitur supra 4, 1, 34. *assumpta Cappadocum iuuentute.* Sed credo fefelliſſe hominem doctum, ignoti iſtius Alexandri nomen. Sane enim ita ſcribendum non eſt apud Arrian. Sed κλέανδρον τὸ πολεμοκράτες, non ex hoc tantum Curtii loco, ſed ex ipſo Arriano 1, 7, 29 ἔπεμψε δὲ καὶ κλέανδρον τὸ πολεμοκράτες ἐπὶ ξυλλογῇ στρατιᾶς εἰς πελοπόννησον. quod Curtius ſtatim in principio fragmentorum horum ſic effert: *Ad conducendum ex Peloponneſo militem Cleandro cum pecunia miſſo.*

CENTVM ET OCTOGINTA) Arrianus 2, 4, 12. ſingillatim ſingulorum naues exprimit. Phœnicum naues 80. Rhodiorum 10. inter quas vna Peripolus dicta, de qua voce multa Suidas & alii. Ex Solis & Mallo tres, ex Lycia decem. Ex Macedonia nauis vna quinquaginta remorum Protea duce. E Cypro centum & viginti. Plutarchus Alex. cap. 41. CC. triremibus oppugnatam ait Tyron. Raderus.

PNYTAGORAS) Alii libri *Pythagoras.* Arrianus in multitudinis numero, *Cypriorum reges*, dixit. Et erant plures. Plinius nouem reges narrat. Pnytagoram etiam Arrianus 2, 4, 14. appellat, à πνυτὸς quod eſt prudens, & ἀγορὰ forum. Raderus. Meminit eius & Athenæus 4, 19. cuius locus ſic verti debuit: *Duris lib. 7. Macedonicorum de Paſicypro Rege Cyprio loquens, quod luxui dediius fuerit, ita ſcribit: Alexander poſt obſidionem Tyri Pnytagoram dimittens, tum alia ei munera tribuit, tum & regionem quam petierat. Eam antea Paſicyprus obtinuerat: ſed propter luxum Pnytago Citieo quinquaginta talentis cum ipſo imperij iure vendiderat.*

4,3,12. *TRIREMES OMNES)* Hæc vetus lectio. Modius ita interpolat: *Tres omnino naues.* Confirmatum it ſuo Ms. & Arriani Diodorique locis. Verum eſt quidem tres demerſiſſe naues Alexandrum, plures tamen quam tres ante mœnia poſitæ fuerunt, vt ex Arriano 2, 4, 16. patet, cuius verba non recte conſideraſſe videtur Modius. Ille ſic: *quodque multis triremibus aduerſas proras oſtendentibus adius obſtructus eſſet, tres quæ ad extremas fauces poſitæ erant triremes, aduerſis proris in eas latus, demerſit.* Tres in extremo oſtio poſitas demerſas fuiſſe ait, cum plures in ipſo portu eſſent. nec aliter Diodorus 17, 43. Loccenius. Vt plene conſentiat Græcis Curtius, leui mutatione conſequemur, ſi legamus *triremes omnes ante ipſa mœnia oppoſuerunt: trib us rex inuectus, ipſas demerſit.*

4,3,13. *ARIETVM PVLSV)* Tyrii artibus ſuis petiti perierunt. Nam arietem Pephaſmenus Tyrius auctore Vitruuio 10, 19. Pontan. progymnaſm. 4, 22. excogitauit. Tertullianus de pallio cap. 1. Pœnis ſuis inuentionem aſſignat: *Arietem nemini vnquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago, ſtudiis aſperrima belli, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus: commentata vim tormenti, de bile pecoris capite vindicantis. Cum tamen vltimarent tempora patriæ, & aries iam Romanus in muros quondam ſuos auderet; ſtupuere illico Carthaginienſes, vt nouum extraneum ingenium.* At Plinius 7, 56, 12. ſcribit, *Equum (qui nunc aries appellatur) in muralibus machinis Epeum ad Troiam inueniſſe.* Sed diſſentiens ab his omnibus Ὀλυμπ. ἀναχεμφὴ ſubiuncta Scaligeri Euſebio pag. 324. *primum omnium Periclem machinis quas vocant arietes & teſtudines in obſidione Sami vſum eſſe* tradit: *Clazomenio Artemone artifice.* Ædificat arietem Hero Mechanicus de machinis bellicis cap. XI. ex Byzantio principe. Sequior ætas *carcamuſas* dixit. Tantus erat eius ictus, vt nullus murus eſſet tam firmus, quin victus tandem cederet. Ioſephus de bello Iud 3, 9. hunc calamo depinxit, & Lipſius Poliorc. 3, 1. coloribus illuſtrauit, qui dubitat (Vitruuio & Græcis tradentibus longitudinem quandoque ad CXX.

CXX. pedes porrectam) an ex vna trabe fieri potuerit; cum arborem in tot pedes creuiſſe vix vllam putet. Atqui apud Plinium 16, 40. ſego trabem è larice, longam pedes CXX. bipedali craſſitudine æqualem. Quo intelligi poteſt vix credibilis reliqua altitudo, ſi faſtigium ad cacumen æſtimetur. Idem eedrum ad vndecirnem Demetrii in Cypro cæſam ait CXXX. pedum. Sic enim orgyias Theophraſti, Plinius interpretatur. Orgyia aliis eſt, vt ſupra ad 4, 2, 9. docui, ſex pedum, ſiue quatuor cubitorum. omnes enim alii orgyiam vlnam interpretantur. Vlna continet quatuor cubita: cubitum, ſeſquipedem: ergo ſex pedes. Eſſet hac ratione apud Plinium non niſi pedes LXXVIII. Sed eraſſe Plinium tam fœde non crediderim, nec vbique mendum ineſſe verbis integris, vel numeris, eſt veriſimile. Hero ex Byzantio arietem CXX. cubitos longum facit, hoc eſt, pedes CLXXX. Ceterum ex variis ſcriptoribus arietem explicauit copioſe poſt alios Lipſius Poliorc. 3, 1. Raderus.

INTERIOREM MVRVM) De interiore muro ſubſtruendo ſi prior cæſus ſit Liuius 21, 11, 11. adfert exemplum Saguntinorum: *Saguntini murum interiorem ab nondum capta vrbis parte ducunt, vtrinque ſumma vi & muniunt, & propugnant. Sed interiora tuendo, minorem indies vrbem Saguntini faciunt.* Raderus. Adde Liu. 36, 9, 9. Ioſephum de B. Iud. pag. 944. p. Thucydidem de Platæenſibus 2, 14. 22. & 7, 2, 23. Noſtratibus bellis ea res ſæpe vſurpatur, vt interiores aggeres munitioneſque ducantur, inſigni præ ceteris exemplo vrbis Oſtendæ, de qua Meteran. Hiſt. Belgicæ lib. 28. in actis anni 1603.

VNDIQVE ORSI) Mallet Acidalius omitti vocem *vndique*, cum ſtatim redeat: ſed, vt ſupra monui, ſcriptoribus ea repetitio non eſt inſolens.

4,3,14. *DVAS QVADRIREMES)* Simile Demetrii machinamentum eſt apud Diodor. 20, 86. Itemque Pipini Caroli F. in paruulo libello rhythmis Italicis conſcripto, de Origine &c. Venetiarum. & apud Arioſtum pag. 637, 17.

4,3,16. *CVM SVBITO)* Elegantiſſima tempeſtatis, vel potius naufragii imminentis deſcriptio; cuius generis apud poëtas haud paucas reperies. Apud Homer. Odyſſ. 5, 291. Virgil. Æn. 1, 88. Ouid. de Triſtib. 1, 10, 20. & Metamorph. 11, 475. Statium Theb. 1, 345. Valer. Flaccum Argonaut. 1, 615. Senec. Agamemn. Apollin. Amonon. [forte Apollinarem Sidonium, nimis enim flagitioſis mendis ſcatet editio Raderi] l. 2. Varro Marcipore. Apud Petronium, Maffæum hiſtor. Indiæ lib. 16. in Emmanuelis Soſæ naufragio. Hieronym. Oſorium lib. 1. Raderus. Auctoribus illis ſuo iure adnumerandus eſt elegantiſſimus Eraſmus in colloquiis.

SPISSÆ NVBES) Denſæ. Nulla tempeſtas ſine piceis nubibus, ex quibus nox, pluuia, venti, fulgetra & fulmina prorumpunt. Homerus Odyſſ. 5, 293. *Nubibus terram ſimul pontumque operuit, ruit autem è cælo nox.* Virgil. Æn. 1, 92.

Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque.
Et - - - *Ponto nox incubat atra.*
Et - - - *inhorruit vnda tenebris.*

Pacuuius: *inhorreſcit mare, tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbum occæcat nigror.* Sed mittamus poëtas, & quæramus oratores. Petronius illuſtris eſt in tota deſcriptione: *Inhorruit mare, nubeſque vndique adductæ, obruere tenebris diem &c.* & infra: *Et quod omnibus procellis periculoſius erat, tam ſpiſſæ repente tenebræ lucem ſuppreſſerant, vt ne proram quidem totam gubernator videret.* Non minus fere eleganter noſter Maffæus, quem tute lege. Raderus.

4,3,17. *INHORRESCENS)* Fuit hic locus in mentem Maffæo, cum ſcripſit: *Tum inhorreſcens mare paulatim tolli, maioreſque in ſingula momenta ciere fluctus.* Raderus.

4,3,18. *PERTINACIVS EVERBERATVM MARE)* Vsus est hoc Curtii loco Auentinus lib. 5. Annal. Boior. in descriptione periculosi in Danubio gurgitis, quem patria lingua den Würbel vocamus : *Vorticosum barathrum aquam contorquet, hiatu maximo haurit atque absorbet, nisi remis pro viribus incumbatur, naues attrahit, atque subuertit : sed pertinacibus remigibus enerberatum veluti, nauigia classicis eripientibus cedit. Ergo nauta ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse potest, fluctus, qui in se vehuntur, euerberant, undas findunt, gurgitibus nauem eripiunt.*

4,3,19. *CARTHAG. LEGATI)* Solebant Carthaginenses tum ex præda, si quam bello cepissent, tum ex annuis prouentibus Herculi Tyrio decimas mittere, vt constat ex Iustino 18, 7, 7. Diodoro 20, 14. & Plutarcho quæst. Rom. cap. XVIII. Etiam post amissum imperium seruato more, quod ex Polybio discimus, in Excerpt. Legat. 114, 3. Sed & aliis diis dicabantur, vt Ioui Eleo ab Apolloniatis, & Clitoriis, Pausan. lib. V. Apollini à Camillo, Liu. 5, 21, 1. nescio quibus à Moxo Lydo apud Nicol. Damascen. lib. VI. & Pausania ac Lysandro, apud Maximum Tyrium Dissert. XIV. Origo moris processisse videtur ab imitatione praua Iacobi Patriarchæ. Vtrum autem hi legati, an magis priores quorum supra 4, 2, 10. facta fuit mentio, eius rei caussa adnenerint, an hi magis, vt cognoscentes Tyrii, nihil in Carthagine esse præsidij, suis rebus ipsi consulerent, statuere non possumus, quamquam huc potius inclinemus.

4,3,20. *SYRACVSANI)* Hi nunquam leguntur prope Carthaginem castra posuisse, præterquam apud Iustin. 22, 6, 9. duce Agathocle. Sed hic Alexandro posterior fuit. vt Curtii hic error non immerito notetur à Reineccio tom. 2. vbi de Carthag. Republica, & à Radero hoc loco. Fuerunt quidem circa id tempus in Africa turbæ, sed Syracusanorum partes ibi nullæ.

CONIVGES LIBEROSQVE) Adde Thucyd. 2, 1, 25. & 2, 14, 30. vbi de Platæensibus. Tacit. Agric. 27, 3. Liu. 26, 25, 9. de Britannis.

4,3,21. *APOLLINIS)* Reineccius in Regno Phœnicio putat hunc à suis *Baalem* fuisse dictum, motus narratione Plutarchi Alex. cap. 41. nisi obstet Curtius & Diodorus 13, 108. qui non indigenam hunc deastrum, sed aduentitium tradiderunt. Ego potius Heinsio crediderim, & quæ ille de Apollinis cultu atque origine, in admirabili Aristarchi sacri opere tradidit.

VRBEM DESERENTIS) Taubmannus ad ista Virgil. Æn. 2, 351.

Excessere omnes, adytis arisque relictis,
Di quibus imperium hoc steterat. - - -

ita Tacit. H. 5, 13, 2. de obsidione Hierosolymorum : *Expassæ repente delubri fores, & audita maior humana vox, Excedere deos. simul ingens motus excedentium.* Nam proditum est antiquis, cum Troia excidio propinqua esset, visos esse deos è suis templis sua exportare simulacra. Ita Sophocles in Fabula *simulacriferis*, induxit deos suis humeris sua gerentes simulacra. Et Æschylus in *septem ad Thebas* aperte dicit, *vrbes, quæ capiuntur, à suis diis, hominum opinione, deseri.* Sic cum Alexander M. Tyrum obsideret, *Tyriorum multis visus in somnis Apollo est dicere ad Alexandrum se transire. neque enim sibi cordi esse ea quæ in vrbe agerentur.* Plutarch. Alex. cap. 41. Eadem fere Muretus Var. Lect. 5, 19. Quibus sequentia addam ex Radero. Ita Neptunus apud Euripidem : *Relinquo inclitum Ilium, & aras meas.* de Hierosol. vide & Ioseph. de bello Iud. 12, 7. Virgilii locum tractat mirifice S. Augustinus de Ciu. Dei 2, 22. sed & Turnebus, Muretus, Delrius, De la cerda putant à Virgilio respectum ad opinionem hanc antiquorum, contra quam Scruius & Macrobius, qui trahunt ad euocationem Deorum ab obsidentibus factam. Tibullus 2, 5. de fuga deorum ita canit :

Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cœlo

Audi-

Auditæ, & lucos præcinuisse fugam. Virgil. Georg. 1, 476. ante bellum Bruti facit deos è lucis fugientes :

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes.

Raderus. Ego tamen duo postrema loca non bene huc accommodari arbitror. non magis quam illud Lucani 1, 569.

Tum fragor armorum, magnæque per auia voces
Auditæ nemorum. - - - - Imprimis autem huc pertinet illud Lamprid. in Commodo cap. 16. *Vestigia Deorum in foro visa sunt exeuntium.*

4,3,22. *PRONI METV)* Sic ista coniungenda. In metu deteriora facile creduntur. Notauit id Tacitus H. 4, 38, 2. *vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui vna ex rep. annonæ cura, elausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat.* Vbi nos DEO nuante pluribus.

DEVINXERE SIMVLACRVM) Væsana superstitio, & semet ipsam destruens. si enim diis suis tantam tribuebant potestatem, quantam DEO tribui fas est; quo fine suscipiebant cum ipsis imparem contentionem ? sin autem credebant à se in ordinem cogi posse, cur eos diuino cultu honorandos esse existimabant ? Atque hoc quidem dilemmate, aduersus gentilium cæcitatem Tertullianus, Augustinus, Arnobius, aliique patrum efficacissime sunt vsi. Nec enim Tyriorum tantum ea fuit credulitas, sed communis omnium opinio. Sic apud Pausaniam lib. 3. traditur, Spartanos coluisse Martem compedibus irretitum, quo vinculo proprium sibi ac perpetuum bellorum illud numen haberent. Maffæus histor. Indic. lib. 6. scribit, apud Sinas, quoties auspicantibus non addicunt omina, *idolum verbis ac iurgiis male admodum accipi*, mox, *ad verba accedere verbera, in aquas proici, amburi igni &c.* donec videliect impetretur quod petitur. Athenienses Victoriæ simulacro alas adimebant, ne scilicet vrbem desereret. Quomodo & apud Romanos, cum Victoriæ alas decussisset fulmen, sic exposuit omen Pompeius :

Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis?
Vrbem ne valeat deseruisse suam.

Quin & similem Romanis caussam fuisse, cur Saturnum in compedib. habuerint arbitror, præ illa, quam ex Apollodoro refert Macrob. Saturn. 1, 8, 6. ad quam certum est, veteres istos non respexisse. Nec tamen interim non sentiebant se ridicule facere: nam & Pausan. lib. 3. cum tradit apud Lacedæmonem fuisse Veneris Morphus simulacrum, compeditum, compedesque dici à Tyndareo inditos, exprobrante Veneri filiarum adulteria, subiungit: *id vt credam, adduci non possum. quam enim ridiculum, si putasset ab effigie, quam è cedro fecisset Veneris nomine, iniectis compedibus panas expeti posse!* Non dubito quin eo applicandum sit illud Lampridii in Heliogab. cap. 6. *Signum tamen quod Palladium esse credebat, abstulit: & auro vinctum, in sui dei templo locauit.* Sic enim Pal. exhibere Gruterus testatur : cum alii ; *auro fictum.* quod sane quomodo explicari possit, non video. Posset & *fixum* legi, sicut apud Plinium de lapide apud Cyzicenos, quem *fugitiuum* appellabant. *Hunc è Prytaneo*, ait Auctor 36, 15, 2. *sæpe profugum fixere plumbo.* Ratio autem vinciendi fuit, vt quum esset pignus imperii, perpetuo permaneret, vbi collocare libuerat Heliogabalo. Potest tamen etiam intelligi de basi *auro vinctum.* Arnob. lib. 6. *Si permanenai necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita vinci retinent, & plumbeæ vinctionis.* vt pro plumbea vinctione auream dederit Heliogabalus. Sed mentio lapidis apud Cyzicum admonuit alterius cuiusdam ex India Orientali adlati, cuius descriptionem ex Pipini Medici schedis repræsentat Thuanus lib. VI. Is fidem fecerit viuis lapidibus, quos ἡμιψύχους, itemque βωτύλους vocabant Græci, de quibus Salmas. ad

Lamprid. Heliog. c. VII. Incundum est & illud quod Plutarch. in quæst. Rom. c. 61. notat: fuisse qui à diis suis, *quoties eorū simulacra ad lauacrum aut lustrationē aliquam deducebant, fideiussores exigerent*: quo loco quod de Tyriis tradit, eos vincula injicere simulacris, non ad morē aliquem, sed nostram hanc historiam referendū arbitror. Ibid. tradit Romanos dei sui tutelaris & nomen & sexum summa religione tacuisse, ne videlicet euocari possit. Dianam Lygodesinam, cuius in Pausaniæ lib. 3. mentio, huc non traho, nam illa sic vocabatur à situ, quo reperta fuerat, non colendi more. *Dædali* vero *statuas nisi fuerint ligatæ aufugere, & vago quodam sinuosoque impetu ferri in fugam; si ligentur, permanere*, Plato in Menone scripsit. De quibus vide Dion. Chrysost. pag. 457. Scaligerum in Euseb. num. DCCXXXVII. Aristot. Mirab. Auscult. cap. LXVIII. Confer & ea quæ scripsit Dausqueius in Silium pag. 79. Eodem respiciunt & Magica sacra, quibus numinibus suis atrocia minabantur:

- - - - - *iam vos ego nomine vero*
Eliciam &c. Lucanus 6, 732. Contrario Tyriis facto, Ephesii à Crœso obsessi vrbem suam alligauerunt Dianæ, vt scilicet eam retineret, ductis ex ipsius templo ad muros vrbis funibus. Herodot. 1, 26. & Ælian. hist. var. 3, 26.

ARÆQVE HERCVLIS) Non enim simulacrum ibi Herculis erat, sed ara tantum. Herodot. 2, 44. cum templi Tyrii meminit, nullius simulacri mentionem facit, quod argumentum per se infirmum, roboratur ex eo, quod in Herculis Gaditani templo (erat autem eadem ibi religio) nullum simulacrum fuisse dicit Silius 3, 30.

Sed nulla effigies, simulacraue nota deorum.

Alias enim manui potius Herculis, quam aræ vinculum illud inseruissent Tyrii. Herculem quem Carthaginienses colunt *Croni filium fuisse & Cartherem* appellatum nescio quo auctore tradidit L. Ampelius. videtur aliudi ad Punicum nomen Carthaginis. Eundem autem Herculem & Thasii colebant, ipsi quoque coloni Tyriorum. Pausan. lib. V.

VRBEM DICAVERANT) Vtitur in hac significatione verbo ἀναθεῖναι Artemanus in Bithynicis apud Photium Cod. XCIII. vbi scribit Nicomediam patriam suam, Cereri Proserpinæque sacram esse. Tutelares eiusmodi multi enumerantur in hoc epigrammate ad custodem hortorum.

Dodona est tibi Iupiter sacrata,
Iunoni Samos, & Mycenæ Diti,
Vndæ Tenaros æquoriſque Regi,
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis vmbilicum,
Creten Delia, Cynthiosque colleis,
Faunus Mænalon, Arcadumque Siluas,
Est tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis humidumque Tibur,
Cyllene celeri Deo nivosa,
Tardo gratior æstuosa Lemnos,
Ennææ Cererem nurus frequentant,
Raptam Cyzicus ostreosa diuam,
Formosam Venerem Cnidos, Paphosque,
Mortales tibi Lampsacum sacrarunt.

Perusini prius Iunonem, mox Vulcanum habuere θεὸν πάτριον, sic enim tutelarem vocat Appianus lib. V. Ciuilium. Vide multa huc pertinentia in dieb. genial. Alexandri 6, 4. Eo more superioribus sæculis etiam apud Christianos, passim regnorum, populorum,

iorum, vrbium varii patroni allecti sunt; & adhuc hodie à plerisque magna assecuratione coluntur.

SYRACVSIS) Cartalo videtur detulisse, indice Iustino 18, 7, 7. *Interea*, inquit, *Cartalo Malei exsulis ducis F. cum præter castra patris à Tyro, quo decimas Herculis serve ex præda Siculiensi, quam pater eius ceperat, à Carthaginensibus missus fuerat, reuerteretur &c.* Raderus. Ceterum Diodorus 13, 108. simulacrum hoc non Syracusis, nec sane eas vnquam à Pœnis captas fuisse memini; sed à *Gelois* abductum scribit. qui ex Timæo subjicit, Tyrum vbi hæc statua locata fuerat, eadem die horaque ab Alexandro occupatam, qua in eam statuam olim id sacrilegium Carthag. commiserint. quotempore dux Carthag. non Maleus, sed Imilcar fuit. Itaque magis cum Diodoro sentio, quem & Cicero adiuuat in Verrem 4, 33. vbi expugnata Carthagine, Siculis reddita fuisse signa dicit, quæ à Pœnis in vrbem suam translata fuerant, inter quos & *Gelensium* est mentio, & Segestanorum, & Agrigentinorum (de quibus & Diodor. 13, 90. & Polyb. lib. XII. in Excerpt. Vales.) nulla autem Syracusarum, quam vrbem longe nobilissimam haud certe prætermisisset, si hunc ad catalogum pertinuisset.

4, 3, 23. *DIIS MINIME CORDI)* Idem iudicium Thebanorum apud Plutarch. Pelopidam cap. XXXIX. Iustini 18, 7, 1. *Itaque aduersis tanto scelere numinibus.* cum fine præcedentis capitis narrasset, id sacrum Carthagine factum, quem ad locum Socerum meum vide, & me ad Florum 3, 4, 2. & Dausqueium in Silium Italic. pag. 199. quibus adde Arrian. 1, 2, 6. de Taulantiis. Strabon. l. 3. de Gaditanis. Pausaniam lib. 3. de Diana Taurica. Euripidem Iphig. in Tauris v. 380. & seqq. Strabon. lib. 5. Lucian. in dialogo Apoll. & Bacchi. Philostrat. in Apollon. 6, 10. de eadem. Herodot. 1, 216. de Massagetis. Melam 2, 1. de Tauris. Eurip. in Iphig. in Tauris v. 380. Oros. 5, 1. de Ægyptiis, Tauris, Thracibus. cum aliis quos citat ad Alex. ab Alex. Genial. dier. 6, 26. Tiraquellus, & ad Augustin. de Ciuit. Dei 7, 19. Lud. Viues. Zvvinger. theatri volum. 27. lib. 4. & Henricus à Monte acuto in lib. cui titulus, Dæmonis Mimica cap. 38. Merula ad versum Ennii mox referendum laudat Hieronymum Columnam, eumque multa fructus & voluptatis plena in hanc rem collegisse tradit. vbi vides in omnes propemodum populos sparsa nefariæ superstitionis semina, quod merito accidit miseris hominibus, quoties abiecto DEI verbo, fornicantur post cogitationes suas, in sensum reprobum traditi. Manet etiam hodie truculenti sacri consuetudo in profundissima barbarie. Atque vtinam ii qui Christo nomen dederunt, immunes fuissent ab hoc sacrilegio. Nam horrendum exemplum Cedrenus in Theodosio Adramytteno narrat. hoc imperante, Pergamenos à Saracenis obsessos, *magi cuiusdam instinctu, prægnantem mulierem dissecuisse, fetuque in cacabo elixato, quotquot militare vellent, in exsecrando hoc sacrificio manicas dextrarum suarum intinxisse.* Verissimum est iudicium Polybii Hist. 1, 81. Nullam inueniri truculentiorem homine belluam: scilicet in tantum ab imagine diuina defecimus, vt nisi gratia eius subinde in nobis instauretur, nihil aliud quam fœdissimam angeli desertoris effigiem exprimamus. (Sacrificabant autem liberos suos, vt & Carthaginenses, Saturno, cuius rei caussam hanc tradunt, quod Saturni filius, cum post excessum illius periculoso bello Phœnice, cuius rex fuerat, premeretur, hunc in modum immolatus fuisset, vt refert ex antiquo historico Euseb. in præparat. Euangel. Ceterum *Phœnices & Syri Saturnum Bel nominant*, vt ex Damascio in vita Osidori Photius notat. & Hieron. ad Esaiæ cap. XLVI. à pr. Vt iam totus sacrilegæ religionis ordo pateat ex sacra scriptura Reg. 4, 17, 16. & similibus locis. Item Diodoro 20, 14.

CARTHAGINENSES) Ennius annal. lib. 7.

Et Troinei solitei sos sacrificare puellos.

Loccenius. Vide Alexandri Neapol. dies genial. 6,26. & in eum locum eruditissimi Tiraquelli notas, vbi plurimi auctores citantur, quibus addi potest Plin. 36,5,37. vbi dicit, ad Herculis (quod nota, nam alii de Saturno tantum tradunt) statuam *Pani, omnibus annis humana sacrificauerunt victima.* Vide & Scalig. in Eusseb. pag. 53. p. 1. & Porphyrium de abstinent. pag. 39.

AD EXCIDIVM VRBIS) Intermissum tamen semel atque iterum, iussu regum, qui ab eiusmodi immanitate abhorrebant, Darii Persæ, atque Gelonis Syracusani, vide notam Berneggeri ad Iustin. 19, 1, 13. de quo capienda verba quæ leguntur in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ. *Gelon Syracusarum tyrannus Carthaginensibus magna nauali pugna victis, cessare fecit apud eos humanas hostias.* Tali quodam modo videtur etiam accipiendus Orosij locus 4, 21. *Carthaginiensibus aliquando visum est, homines immolare, sed male præsumpta persuasio breui præmissa est.* Nam cum Curtio differte sentit Dionys. 1, 38. & ex eo Eusseb. Εὐαγγ. παρασκευ. lib. IV. pag. 45. τέως ἡ πόλις διέμενε, *donec vrbs* (Carthago) *stetit.* Quin & postea institerunt eidem sacrilegio, vt ex Tertulliano apolog. cap. 8. quo loco scribit Tiberium id vetuisse, crucifixis etiam sacerdotibus: quod alii Claudio tribuunt. Sed animaduertere licet, hos imperatores, quod vtrique Tib. Claudio nomen fuerit, sæpe confundi, vt in gemina narratione apud Plin. 30, 1, 24. legitur Tib. Cæs. sustulisse Druidas: quod à Claudio factum tradit Sueton. in vita 25, 17. Nec est vt dissensum inter eos auctores imaginemur; aut credamus alterutrum in re recenti & illustri hallucinatum esse. Pertinet eodem eruditissima Jac. Gothofredi commentatio de imperio maris, cap. IX.

4, 3, 24. *NECESSITAS)* Vere Carchedonius.

χρεία διδάσκει, κ' ἂν ἄμουσόν ᾖ, σοφὸν.
Casum è rudi reddit magistra necessitas. Et vt Euripides in Helena:
Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχυρώτερον.
Grani nihil necessitate fortius. ἀνάγκη γὰρ θεὸς βιάζεται. *Necessitas enim & deos cogit.* καὶ Πλάτων φησὶν ἀνάγκην ἢ θεὸν θεὸς βιάζεσθαι. *Necessitatem ne deos quidem cogere posse Plato docet.* πρὸς γὰρ ἀνάγκην inquit Euripides in Hecuba: *durum telum necessitas*, vltima tentat, omnesque ingenii vires explorat. Raderus. Vide quæ congessit Reusnerus in symbolo Fl. Constantii II. *parendum necessitati.* Scilicet omnia eo recidunt, quod Archytam lecto Eratosthenis Mercurio exclamasse narrat Stobæus de paupertate.

Χρεὼ πάντ' ἐδίδαξε· τί δ' οὐ χρεὼ κεν ἀνύσειε;
Necessitas omnia docuit; quid enim illa non inueniret? Hinc est, cur hostes non nimium vrgendos esse doceant; ne accidat, quod Agesilao, cui à Thebanis pulso dictum fuisse refert Plutarchus Apophth. Lacon. 19. *habere eum operæ suæ mercedem, quod perpetuis irruptionibus inertes ante Thebanos bellandi artem docuisset.*

ASSERIBVS) Non puto hoc nomine venire perticas. quod nec sequentia facile admittant. Diodorus tamen 17, 44. πεφείας antennas vocat.

CORPVS) Vide quæ notaui ad Florum 2, 2, 9. x.

4, 3, 25. *CLYPEOS)* Diodorus 17, 44. idem prorsus de clypeis æneis & arena. Multa præterea effusa passim in vrbes oppugnantes, oleum feruens, pix, sulphur, bitumen, plumbum fluens, ferrum, arena, retia, & alia: de quibus Lipsius Poliorcetico 5, 2. vbi hunc locum Curtii adducit, & aliis illustrat. Raderus.

CORPVSQVE) Acidalius ingeniose: *corpus visque*, cum arenam hoc etiam penetrasse credi non debeat.

4, 3, 26. *INVLTI PATEBANT)* Simile Liu. 21, 8, 11. de falarica Saguntinorum: *id telum etiamsi hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pauorem faciebat:*

bat: quod cum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omisit cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat.

4, 4, 2. *SE POSSE VINCI)* In quo quantum sit momenti, optime explicat Liuius 23, 16, 15. de Annibale modico prœlio à Marcello victo: *ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit* (leg. *est*) *non vinci enim ab Annibale vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere.* Sic Plutarchus de ira cohibenda cap. 5. scribit: *Thebanos cum primum Lacedæmonios ante inuictos creditos pepulissent, nullo vnquam deinde ab iis victos esse prælio.*

4, 4, 3. *BELLVA INVSITATÆ MAGNITVDINIS)* Diodorus κῆτος ἄπιστον μέγεθος, vt è verbo videatur expressisse Curtius. Solent præludere huiusmodi feræ marinæ secuturis exitiis, vt in Epistolis Indicis memini legere, pro classibus natasse, mox in Syrtes impactos. Tempestatum quoque indices tradunt auctores cum subsiliunt. Sed de ceti magnitudine varia prisci tradidere: Ælian. de Animal. 16, 12. *Cete in mari Indico quintupla ad elephantum vel maximum magnitudine degunt. Nam vna etiam costa Ceti ad viginti cubita accedit. Labrum habet quindecim cubitorum: pinnam ad vtramque branchiam septem cubitos longam.* Sed hæc magnitudo paruitas videri potest, præ illa, quam ponit Plinius 9, 3. *balænæ quaternum iugerum, prisci ducenum cubitorum.* Solinus maiorem facit: *Indica maria balænas habent vltra spacia quatuor iugerum.* Iugerum pedibus 240. definitur. Olaus ad Nortvegiæ littora balænas centum vlnas longas expelli scribit: vlna quatuor continet cubitos, cubitus sesquipedem: 600. ergo pedum erit balæna Olai, quam 360. pedibus vincit Pliniana: cum Olao facit Iuba in libris ad C. Cæsarem, qui 600. pedes longam, 360. latam scripsit repertam. Petrus Siculus historia de Manichæis tradit, tam immania cete versari in aquis, vt procul spectantibus insulæ speciem referant, ad quam appellunt nautæ, vt palos defigant, focum excitent: donec ignem sentiens bellua secum omnes profundo mergat. aspidochelone nomen est belluæ. Adfirmant idem de ceto B. Hieronymus, Ambrosius, Sigebert. in gestis Maclouii, Surius de S. Brendato, seu Brendano, Olaus Magnus 21, 25. 26. Epiphanius Cyri episcopus. Oppian. ἀσπιδόεσσαι χελώνης appellat, quasi scutatam testudinem. Raderus.

4, 4, 5. *ARRIPVISSE BELLVAM)* Acidalius vellet *arguisse*, vt esset sensus, belluam id significasse, Neptunum maris esse vindicem, & molem ruituram. Mihi placet *arripuisse*, vel *abripuisse*, eodem enim vtrumque recidit, & hanc fuisse Tyriorum mentem: belluam vastæ molis, assimilabant operi Macedonum, hoc & illa ob magnitudinem occupabant mare, ergo quod à capite molis se immersisset alto bellua, ipsi etiam aggeri præsagire similem in mare minam interpretabantur. & hactenus ad se trahebant omen Tyri: reliqua enim quod *modo super vndas &c. haud procul munimentis vrbis emersit*, ad Macedonum spem pertinebant.

PRÆCEPERANT) Triumphum ante victoriam cecinere, quod est in paroemia πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδεις, & aliæ affines. Diogenianus cent. 7. n. 56. Raderus.

4, 4, 6. *IN LITORE)* Ex aduerso Sidonii portus. Tyrus enim duos portus habet, alterum clausum & angustis faucibus obuersum Sidoni; alterum apertum versus Ægyptum. Strabo l. 16. Tyrii tamen etiam Ægyptium portum in obsidione claustris munierant, ne Macedones irrumperent. Triginta naues Sidonio obuersæ erant, reliqua classis in altero portu versus Ægyptum statiua habebat. Ea gratia dixit supra 4, 4, 1. Alexandrum desperatione vrbis obtinendæ Ægyptum voluisse petere. Raderus.

DVOBVS CAPTIS) Androclis ac Pasicratis. Arrian. 2, 4, 22. qui & depressarum confractarumque plurium meminit.

4,4,7. *INVICEM TENVIT)* Plane geminus huic locus est apud Liuium 37,30,8. de Rhodia naui, *capta memorabili casu. nam quum rostro percussisset Sidoniam nauem, anchora ictu ipso excussa è naue sua, unco dente velut manu ferrea iniecta, alligauit alteriùs proram: inde tumultu iniecto quum diuellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii, tractum anchorale & implicitam remis latus alterum deterfit: debilitatam ea ipsa quæ ictu cohæserat, nauem cepit.* Idem casus Dinocratem apud Polyb. 16,2. implicuit: *Dinocrates cum octere congressus, ipse quidem vulnus accepit ea parte nauis quæ extra aquam extabat, quod proram vehementer erexerat; hostilem autem nauem læsit qua parte infra aquam est, primum quidem ab hostili naue separari non poterat, quantumuis sæpe conatus esset remos inhibere.* Raderus. Simile narrat & Diodorus 13,99. in prœlio Periclis & Callicratidæ; & Lucanus 3,563. ex emendatione Rutgersij Var. Lect. 1,12.

Tunc quæcunque ratis tentauit robora Bruti,
Ictu victa suo, percussæ capta cohæsit.

Ex quo ipso loco expressa Curtii verba, iurare ausit Rutgersius. nam Lucano posteriorem esse pro comperto habet.

4,4,9. *INHIBENTES REMIS)* Retinui hanc scripturam, sua dente Gronouio. Vide Indicem voce *Inhibere.* Non placet Acidalii: *imitentes remis,*

PORTVMQVE) P. Bertius in libello de aggeribus putat excidisse nonnihilante hæc verba, & supplendum esse sic: *ægre euellere nauem quæ hærebat. Fugam ergo capiunt Tyrij, portumque &c.* mihi non persuadet, qui nihil hic desiderari video.

4,4,10. *INGENTI ANIMO)* Magis ad animum Alexandri: *ingenti periculo, animo maiore.* Maior enim ille semper omni periculo: etsi infra 8,14,14. *Tandem, inquit, par animo meo periculum video.* Acidalius.

4,4,11. *VNVS PRÆCIPVE)* Quippe in quo occidendo, maximum operæ pretium facturi essent hostes. Pertinent huc nonnulla exempla eorum, qui ob hoc periculum vitandum insignia exuerunt, quæ notauimus supra 3,11,11. nec minus omnia illa, quibus vnum præcipue ducem hostium peti iusserunt clarissimi imperatores, de quibus agendi locus erit ad Tacit. 4,25,5.

4,4,12. *IAMQVE)* Sequitur vrbis captæ descriptio, in qua historia proxima Curtio habent Arrianus 2,4,29. & Diodorus 17,46. nam Plutarchus Alex. cap. 43. narratiunculam memoratu dignam inserit: Alexandrum (quod & Curtius refert) exercitum otio dato refecisse, paucis mœnia oppugnare iussis, ne quiescere possent Tyrii. Interea Aristandrum victimis cæsis, inspectisque extis affirmasse, vrbem haud dubie illo mense expugnandam. quæ vox irrisu adstantium excepta est, cum vltimus tum mensis dies ageretur, nec appareret spes tam promptæ victoriæ. Alexandrum autem vaticiniis fauentem, iussisse vt pro trigesimo mensis die, numeraretur vigesimus octauus, simul muros hostiles acriter oppugnare cepisse, ita accursu totius exercitus effectum, vt Aristandri vaticinium exitum haberet. Iustinus 11,10,14. longe abit ab his omnibus, *per proditionem* captam fuisse Tyrum dicens, quod illorum nemo. Sed & Polyænus 4,3,4. seorsim à ceteris asserit occupatam: cuius locum, quia in versione vulgata male accipitur, adscribam ex interpretatione Raderi, quam inserit explanationibus Curtianis 4,2,24. *Alexander circumuallata Tyro in Arabiam excurrit. Tyrij abusi illius absentia, eruptione ex vrbe facta, Macedonibus persæpe superiores redire. Alexander à Parmenione subito reuocatus, cum Macedones in fugam coniectos cerneret, neglectis iis, vacuam defensoribus vrbem inuasit, & occupauit. Quod Tyrij foris conspicati, se cum armis Alexandro dedidere. Adeo* (verba sunt Taciti 3,19,3.) *maximæ quæque ambigua sunt, dum alij quoquo modo audita pro comperris habent; alij vera in contrarium vertunt. & gliscit*

gliscit vtrumque posteritate. Sed & alterius etiam incogitantiæ Iustinum olim argui, qui eodem loco addit *non magno post tempore*, quam scilicet cepisset obsidio, captos esse Tyrios, cum Curtius mox num. 19. & Plutarchus Alex. cap. 41. adserant, ipsos septem menses ea in obsidione fuisse consumptos.

FORIB. ÆDIVM OBSERATIS) Vt Romæ plebs Gallis vrbe potitis apud Liu. 5,41,6. Raderus. Similia legas de Norbanis apud Appian. bellorum ciuilium libro primo.

HAVD INVLTI) Edd. *haud inulte*, sed inusitatum opinor est hoc adverbium; & respexit hic quoque, vt sæpe Curtius Virgilium Æn. 2,670.

nunquam omnes hodie moriemur inulti.

4,4,13. *IN TEMPLA)* Alexander cum in Asiam transisset, *de hominibus quidem dignas rebus ab iis patratis pœnas sumpsit; à templis vero deorum prorsus abstinuit: quanquam Persæ circa hanc partem maxime in Græcia deliquerant,* vt Polyb. 5,10. refert. Popma. Idem ad Megabyzum scripsit de seruo, qui in templum confugerat, euocatum ex templo, si posset, caperet; in templo manum non adferret. Plut. Alex. c.75. Imitatus auctorem generis sui (sic Plut. de fortuna Alex. 1,15.) Liberum, quem & ipsum bello apud Ephesum victorem, *supplicibus Amazonum, quæ aram insederant, ignouisse* narrant Ephesii apud Tacit. 3,61,3. Adde Augustin. de Ciu. DEI 1,7. Plura eius generis exempla collegit V. CL. Georgius Rittershusius in tractatu de iure Asylorum c. 10. Sic apud Alex. Benedict. in Diario de pugna Venet. cum Gallis Tarrensi, lib. 1. Antonius Grimannus occupata vrbe Apuliæ Monopoli, prædæ eam dedit, *saluis sacris ædibus, & muliebri sexu, qui in templis imperatoris iussu custoditus est.* Non meminerat huius exempli Augustinus, quum cap. II. lib. I. de Ciu. DEI scriberet.

IGNEMQVE TECTIS INIICI) Stevvechius ad hæc Veget. 4,25. *innumerabilibus declaratur exemplis, sæpe casos ad internecionem hostes, qui inuaserant ciuitatem,* sic notat: Militibus inprimis seditiosis Romæ id vsui venisse, testatur Herodianus 1,38. hi cum à ciuibus clausis in tecta & culmina enaserant, lapidibus teguliisque desuper incesserentur: terga fugæ mandare coacti sunt. Tecta ea plana erant, in morem Orientis, de quo Coch in Maccoth pag. 111. Huic rei facile tamen remedium opponitur, vt videlicet ianuis, ac ligneis ædificiorum proiecturis, quales in vrbibus plurimæ visuntur, ignem illico admoueas. cuius rei exemplum luculentum apud eundem Herodianum lib. 7. extremo: Item apud Q. Curtium lib. IV. Itidem apud Liu. 5,21. in expugnatione Veiorum. Cedrenum pag. 340. p. Diodorum 17,96. Zonaram in Iustiniano. Quibus à Stevvechio adductis adjicias licet Xenophontem κατ. 7. vbi Cyrus Babylonem intraturus: *At si hoc in mentem alicui venit, quod fertur esse formidabile vrbem intrantibus, ne tectis illi consensis hinc inde tela in nos conjiciant: id ipsum maxime vobis animos addat. Nam si qui consendent ædes, opitulator nobis est deus.* (Persarum scilicet, hoc est, ignis. quod enim in textu post verba ἐχόμενοι σύμπαντες γὰρ, additur ἄφωνον, ab impudenti glossa est.) Appianus lib. 1. bellor. ciuil. narrat, Syllam cum vrbem hostiliter ingressus, à quibusdam desuper tela emittentibus arceretur, eos hac denunciatione terruisse, incensurum se domos eorum, ni quiescerent. & ex Plutarcho in vita c.18. discimus, minas illas in effectum fuisse deductas. Tyrum autem incensam fuisse etiam refert Antonius Diogenes, scriptor quidem fabulæ, sed cui ex historia veri similitudinem peteret apud Photium Cod. CLXVI.

4,4,14. *PER PRÆCONES)* Solebant callidi imperatores desperationem hostium præuenire, aut frangere talibus præconiis. ita apud Liu. 26,12,5. Flaccus edixit, *vt qui ciuis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset.* idemque factum Catilinario tumultu narrat Sallustius. Apud Xenophont. lib. 7. κατ. Cyrus

rus occupata Babylone *cohortes equitum per vias passim dimittebat, edicens, vt si quos extra domos inuenirent, occiderent: at illis, qui adhuc in ædibus essent, per Syriacæ linguæ peritos denuntiari præconio iussit, vt intus manerent.* Apud Liu. 6, 10, 5. *Nepesinis edictum, vt arma ponant: parcique iussum inermi.* Adde eundem 9, 41, 23. & Diodor. 18, 7. & lib. XXXVI. de Saluio. Quo etiam pertinere nobilem, & varijs interpretationibus vexatam Cæsaris vocem, *Miles faciem feri*, haud temere quis suspicetur ex Lucano 7, 318. qui sic effert: - - - - - - *nec cædere quisquam*

Hostis terga velit - - - quasi diceret non esse occidendos nisi resistentes; *vt resistere desinant, fugiendi potestate concessa*, quæ verba sunt Vegetij 4, 25. ad quæ Stewechium vide.

IN VESTIBVLO) Sic Romani senes vrbe capta. Vide Liu. 5, 41, 6. 4, 4, 15. *VTRAMQVE VRBEM)* Dissentire videtur Iustinus 18, 3, 5. qui Sidonem prius conditam; & *post multos deinde annos* (quibus verbis longius tempus complecti solet, quam vnius hominis ætas protenditur) à Sidoniis Tyrum, idque ne quod dubium restet, *ante annum Troianæ cladis.* Tamen vel sic de cognatione Tyriorum & Sidoniorum constat. Curtio consentit Cedrenus, Tyrum ab Agenore extructam fuisse, additque nomen id indidisse vrbi ab vxore Tyro. Cum Stephanus velit à Tyro Phœnicis filio (sic enim Stephanum interpretor) denominatam. Iosephus antiqu. 8, 2. & Eusch. num. 744. scribunt conditam fuisse 240. anno ante templum Hierosolym. quæ fere media esset ætas inter Agenorem, & bellum Troianum.

QVINDECIM MILLIA) Hoc neque in Arriano, neque in Diodoro scriptum, & numerus est ingens. Glareanus 5000. putat rescribendum, quamquam & hoc nimium videri velit. Sed codices coniurant in 15000. & quam facile hoc in turba, & tanto tumultu, cum naues essent ad manum? Raderus. Sic apud Iohnston. Rer. Britann. lib. XX. Angli liberarunt Rupellanos, ad quos expugnandos venisse videbantur. Confer Xenophontem pag. 568. B.

4, 4, 17. *CRVCIBVS AFFIXI)* Crucis pœna omnium grauissima est habita, &, vt D. Augustinus ait, *illa morte peius nihil inter omnia genera mortium.* Herodotus, in Thalia, refert Darium cum Babyloniam cepisset, Babyloniorum quoque procerum tria millia patibulis affixisse, data ceteris venia vrbem incolendi. Crucis vero supplicium à Constantino Christi veneratione sublatum est, cuius loco Tribonianus furcam reposuit; sed crux & furca res diuersæ sunt. cruci criminosi figuntur, furcæ suspenduntur. Popma. De Constantino vide Lipsium de Cruce 3, 14. quo pertinent hæc Augustini in quæst. ex vtroque test. mixtim cap. 115. *Antea cruci homines figebantur, quod postea edicto prohibitum manet.* Post Constantinum igitur desiit id supplicium in orbe Christiano. Nam apud exteros mansit, vt de Saracenis passim Elmacinus, nempe 2, 9. de Baraba & Affino, 2, 19. De Huseino, 3, 5. de Ali f. Abutaheri, & alibi. Sed Tyrios ab Alexandro crucifixos prodit Iustinus 18, 3, 12. *ob memoriam veteris cædis*, quod scilicet orti essent ex seruis antiquorum Tyriorum, qui cæsis dominis rempsibi attribuerant. crux enim seruile supplicium est, vt ad Iustini locum notauit Socer meus; & Lactantius 3, 26. firmat his verbis: *Indignum enim homine libero quamuis nocente supplicium est visum.* Item Seneca Contr. 3. lib. 6. *Fecit se similem seruis, sororem rapiis, libertum cruciariis.* Sic & Spartaci reliquias crucifixit Crassus. Tamen illam Iustini rationem, quamquam nitatur simili exemplo Branchidarum, infra 7, 5, 32. ob maiorum delictum exstirpatorum; haud equidem cuiquam pro certa venditauerim. Ceterum similis crudelitatis exempla, de magna hominum multitudine simul affixa crucibus, præter Babylonios, quorum Popma mentionem fecit. passi sunt etiam Emisseni,

seni, quorum *sexcentos circiter circum* vrbis suæ mœnia *crucibus affixit* Mervvan Chalifa, apud Elmacinum 1, 21. Item Cordubenses, quorum *iuxta portam quæ pontis dicitur, in ripa fluminis 300. & amplius infurcauit* Rex Albacam apud Roderic. Toletan. cap. 24. histor. Arabum. nec non serui, qui duce Spartaco bellum mouerant, de quibus Appianus fine lib. 1. de bellis ciuil. loco persimili huic Curtiano: *depugnabant, donec omnes interfecti cum ceteris occubuere, sex millibus exceptis, qui capti in crucibus sublati sunt per iter quod à Capua Romam vsque protenditur.* Quo, opinor, exemplo mox Augustus, confecto aduersus Sex. Pompeium bello, seruos dominis carentes, adfixit cruci. Dio lib. 49. quos, apud Sueton. ni fallor, legi fuisse numero ad 6000. In obsidione Hierosol. Iudæi sæpius vna die ad 500. à Romanis in crucem sublati sunt, donec tandem cruces deessent. Iosephus de bello Iud. 6, 12. Quod exemplum notabile est, quando inter alia diuinæ vindictæ instrumenta, etiam eodem supplicio, in quo peccauerant, venit super eos sanguis IVSTI.

4, 4, 18. *LEGATIS)* De huiusmodi caussa egregie mihi iudicasse visus est Paschalius in Legato cap. 23. legationes inter hostes alicuius commeantes, ipsi cuiur in exitium tendunt, sanctas non esse: nec iure quem cogi, vt eis parcat; sed si faciat, moderationis atque magnanimitatis sibi parare gloriam. Quod & Gentilis est iudicium de legat. 2, 3. vtrobique plura sunt exempla, quæ, suadeo, consideres. Alexandri factum eo præclarius est, quod in ea ipsa vrbe sui ipsius legati fuissent violati.

4, 4, 19. *MARE)* Vnde & prouerbium natum, *Tyria maria*, vt refert Reinec. in regno Phœniceo, qui vnus sufficere potest pro omnibus ad cognoscendas Tyriorum res, quantum huic instituto sufficit. Extat autem id prouerbium apud Festum.

DITIONIS SVÆ FECIT) Hunc locum, cum aliis similibus obtinendæ caussæ suæ allegat Vir eruditissimus in nobili disputatione de mari libero, clausoue, inter potentes principes populosque, & summa vtrinque ingenia calide agitata.

LITERAS) De primis literarum repertoribus vide Camerar. subciciu. 3, 70. qui merito lauream illam Adamo tribuit. quem sane tot sæculis rem tam necessariam non inuenisse, præsertim cum esset, vt quidem est consentaneum, homo summa prudentia præditus, mihi non fit verisimile. Vnde probo iudicium Altissiod. Chronici: *liquido claret ab ipso primo homine exordium literarum cepisse.* Lipsius ad Tacit. 11, 14, 1. citat consentientes Curtio Tacitum, Clementem Stromat. lib. 1. Isidorum, Plinium 7, 56, 2. & Suidam in φοινικία qui fere Cadmum auctorem nominant, aut certe doctorem, à quo Græci acceperint: alluditque eo idem Plinius 5, 12, 3. Chronicon Stadensis Abrahamo tribuit inuentionem Hebraicarum literarum. Eupolemus citatus in Epitome temporum, quam Scaliger edidit cum Eusebio, Iudæos à Mose literas accepisse scribit, ab Iudæis Phœnices, ab his deinde Græcos. Vide & Philostratum pag. 660. Præter istos auctores Raderus nominat Philonem, Iosephum lib. 1. contra Appion. Diodorum, Herodotum, Ciceronem, Liuium, Eusebium de præparatione Euangel. lib. 8. Melam, Hieronymum, Tzetzem, Pererium, Polydorum Virgilium, Ioh. Goropium Becanum: & Loccenius Hermannum Hugonem Iesuitam, qui post omnes alios obseruauerit hac de re, in libello de prima scribendi origine, & rei literariæ antiquitate. Vide & magnum Scaligerum in digressione de literarum Ionicarum origine ad locum Eusebiani numeri MDCXVII. & Postellum in tractatu de Fœnicum literis: cum Politiano Miscellan. 1, 39.

4, 4, 20. *COLONIÆ)* Præter has quas recensct Curtius, memorantur ad Septentrionem *Tyros, quam præcingit fluuius Tyras* Ammian 22, 18. Leptis & Vtica

in Africa. Plin. 5, 19. (Salluſtii verba mox referentur) de Africanis Tyriorum coloniis ſunt hæc Tertulliani de pallio cap. 1. *Sic & in proximo ſoror ciuitas veſtiebat, & ſicubi alibi in Africa Tyros.*

IVVENTVTI) Salluſt. Iugurth. 19, 1. *Phœnices, aly multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperij cupidine, ſollicitata plebe, & aliis nouarum rerum auidis Hipponem, Hadrumetum, Leptim, aliasque vrbes in ora maritima condidere.* Priorem cauſſam à Salluſtio allatam probat etiam Bart. Felippe de Conſcios diſcurs. 17, 6. *Et hac ratione in vniuerſum æſtimanti, Germanos vel multitudinis minuendæ cauſa, vel vlteriora videndi ſtudio, in Gallias & Britannias vicinas gentis ſuæ examina effudiſſe, credibile eſt.* Lanſius in Orat. pro Germ. pag. 99.

MOTIBVS TERRÆ) Scribit Strabo lib. 16. Tyrum propter altitudinem ædium maximam labem ex terræ tremoribus accepiſſe. Et alias Syria obnoxia terræmotibus, vno fere tempore 170000. hominum perdidit. Iuſtin. 40, 2, 1. Poſidonius apud Strabon. lib. 1. vrbem hiatu terræ mouentis hauſtam in Phœnice ſupra Sidonem ſitam, ipſiuſque Sidonis fere beſſem interiiſſe teſtatur. Tyron inſulam eſſe factam, ex concuſſione terræ. Ariſtoteles 2. Meteor. docet, ea loca maxime tremoribus obnoxia, quæ mare fluxile accedunt, aut ſpongioſa ſunt. Raderus. Sic interpretor Lucan. 3, 217.

Et Tyros inſtabilis – – – –

4, 4, 21. *TAMEN)* Bongarſius libro ſuo ſic adſcripſerat, *Ir. tandem:* quomodo legendum quoque videbatur Sebiſio.

SVB TVTELA) Solet enim ſub magnis imperiis aliquanto certior atque fidelior eſſe ſecuritas: quando mole ſua ab exterorum concuſſionibus facilius defenduntur. expreſſit id Cicero in epiſt. 1. ad Q. Fratrem: *illud Aſia cogitet, nullam à ſe neque belli externi neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam, ſi hoc imperio non teneretur.* Adde Plutarch. de fortuna Rom. & Salluſt. fin. orat. 2. ad Cæſarem, citatos Lipſio ad iſta Taciti H. 4, 74, 6. *pulſis Romanis, quid aliud quam bella omnium inter ſe gentium exſiſtent?* Phraſi Curtianæ ſimilis eſt in Liuio 34, 9, 10. de Emporiis: *erant etiam eo tutiores, quod ſub vmbra Romanæ amicitiæ latebant.* Sic ergo & Tyrii ſub Rom. à quibus ſuis legibus vtendi poteſtatem, quam & ſub regibus retinuerant, impetrauerunt. Strabo lib. 16. poſtea colonia facta iuris Italici l. 1. de cenſib. ſed de his omnibus, fauente DEO, olim diligentius.

4, 5, 1. *STATIRÆ)* Variant in huius loci ſcriptura impreſſi codices, in quibuſdam *Sarinæ*, in aliis, *Satyriæ*, in nonnullis autem *Statyræ* legitur. At ex Plutarcho, & Iuſtino 12, 10, 9. *Statiræ* reponendum. Statiram enim maiorem natu Darii filiam legitimo ſibi copulauit matrimonio Alexander, iuniorem Drypetim Hephæſtioni vxorem dedit. Arrianus 7, 1, 18. refert Alexandrum tres vxores duxiſſe, & maiorem natu Darij filiam, quam matrimonio ſibi iunxit, non Statiram, ſed Barſinen vocatam fuiſſe: & præter hanc aliam Paryſatin, ex filiabus Ochi natu minimam, ſed & antea Roxanem Oxyatris Bactrii filiam: Sed Arriano non aſſentior. nam Barſine Artabazi filia fuit principis purpuratorum, ex qua Alexander filium ſuſcepit Herculem, & quo tempore ceteras quoque Perſidas diſtribuit, & amicis in matrimonium collocauit, alteram ſororem Apamam Ptolemæo, Eumeni Berſinem, vt in Eumene cap. 2. refert Plutarchus. Popma. Statiram autem ei puellæ nomen fuiſſe, potius quam aliud eorum, quæ multiplex librariorum error generauit, etiam argumento eſt Statira Mithridates Pontici ſoror, de qua Plutarch. Luculło cap. 35. ii enim Reges Perſicis fere nominibus vtebantur.

INTER HELLESP. ET HALYN) Strabo lib. 2. *Regio intra Halyn quæ*

quæ dicitur, continens ad Pontum & Propontidem ſitos, Paphlagones, Bithynos, Myſos, & Phrygiam Helleſponto, vt ſolent vocare, imminentem, cuius eſt etiam Troas. Hinc Alexander ſtatim num. 7. *Dotem ſibi dari Lydiam, Ioniam, Æolidem, Helleſponti oram.* Herodotus 1, 72. *Imperium Medicum & Lydium diſterminabat fluuius Halys, qui ex Armeno monte profluens, primum Cilicas &c. interfluit.* Deinde concludit *Ita flumen Halys cuncta fere ſuperiora Aſiæ, à mari, quod Cypro obiectum eſt, ad Euxinum vſque pontum dirimit. Eſt autem totius regionis longitudo quinque dierum itineris viri expediti.* Herodotum Plinius 6, 2. illuſtrat & ſequitur. *Halys à radicibus Tauri per Cataoniam, Cappadociamque decurrens &c. eiuſdemque nominis ſinus, vt Aſiam pœne inſulam faciat CC. M. paſſuum haud amplius, per continentem ad Iſſicum Ciliciæ ſinum.* CC. M. paſſuum, ſi quinque millibus noſtrum milliare definias, efficient 40. milliaria, ſi quatuor millibus, erunt 50. quæ ſi 5. diebus velis percurrere, vno die percurres 8. vel 10. milliaria. quod expedito viatori non eſt difficile. Arrianus miſcet duas Darii epiſtolas, à Curtio ſeiunctas. Raderus.

SE FORE) Omittunt hæc verba quædam edd. haud dubie propter ſequentia; *ſi forte.*

4, 5, 2. *FORTVNAM)* Nihil decantatius hoc vocabulo, quicquid tandem, ſub eo quoquo tempore intellexerint. Vide quæ collegit Reuſnerus in ſymbolo Fl. Focæ: *Fortunam citius reperias, quam retineas.*

NE SE) Sic melius quidam impreſſi, quam alii; *ſe ne*, niſi in fine periodi legas *efferretur:* ſed illud abſque dubio rectius.

4, 5, 3. *NIHIL DIFFICILIVS)* Eodem tendunt verba M. Antonini, filium adoleſcentem amicis commendantis: *Eſt autem difficile, in maxima licentia moderari ſibi.* Herodian. 1, 8. quæ quamuis etiam nonnunquam ſpectatæ grauitatis atque prudentiæ viros conuellat atque mutet, inprimis apud iuuenem principem plurimum pollet. Satis id experti ſunt Burrhus atque Seneca, & ſi qui alii admoti ſunt ſpei adoleſcentium in ſumma fortuna conſtitutorum. Atque hinc eſt quod apud auctores, *iuuenilis animus, audacia, feruor, impetus, calor, inconſtantia*, quam frequentiſſime vapulat. Eo pertinet oratio Annibalis ad Scipionem, apud Polyb. 15, 7. & apud Liuium 31, 18, 4. Philippi; *ætas te ferociorem facit.*

4, 5, 6. *IPSIVS EXITIO)* Sic apud Herodot. 2, 162. Amaſis reſpondet Patarbemi, quem Apries rex ad adducendum Amaſim miſerat, *ſe iam dudum dare operam vt id ageret: nec de ſe Aprien eſſe queſturum. ſe enim illi præſto futurum, & alios adducturum.* Sic & Cyrus Aſtyagi, apud eundem 1, 127.

4, 5, 7. *LEGES)* Ita Cæſari *Arioviſtus reſpondit: ius eſſe belli, vt, qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent.* Cæſar de bello Gallico 1, 36. De quo belli iure plene tractant Petr. Faber Semeſtr. 2, 3. & Grotius lib. 3. de iure belli. Et multa ſimilia dicta exemplaque collegit Alb. Gentil. de iure belli 3, 13.

4, 5, 8. *AVT LYDIAM)* Multi veterum: *aut Lyd. ignorare*, credo fuiſſe: *aut Lydiam; non ignorare quippe tanti belli exig. hanc eſſe mercedem:* ſed &c.

4, 5, 9. *Rhodij)* Adde Oroſ. 3, 17. Quo tempore ſuſpicari licet eos munera miſiſſe Alexandro, inter quæ fuerit & pretioſum illud ἐκπώματον, cuius Plut. in vita cap. 60. meminit. Rex autem viciſſim Rhodios amauit atque auxit, vt videre eſt ex Diodoro 20, 82. Nec diu tamen illi in fide: quippe intellecta morte Alexandri, præſidium Macedonum, cuius infra 4, 8, 12. meminit noſter, eiecerunt, ſeque in libertatem vindicarunt. Diodor. 18, 8.

ANDROMACHO) Hunc ab ipſo Alexandro præfectum locis illis ſcribit Euſeb. n. M. DC LXXXV. *Alexander capta Tyro Iudæam inuadit, à qua fauorabili-*

ter excepius DEO victimas immolauit, Pontificem Templi honoribus pluribus prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso, quem postea Samaritani interficiunt &c. Quam historiam cum alibi, quam apud Eusebium, non legi diceret Scaliger, apparet virum summum id temporis huius loci Curtiani, & item alterius infra 4, 8, 9. non fuisse recordatum. Sed & Cedrenus rei meminit, ὃς καὶ ἐπιμελητὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τόπων Ἀνδρόμαχον κατέστησεν, ὃν ἀναλόντες οἱ τὴν Σαμάρειαν οἰκοῦντες, δίκης ἔτυχον: *Cuius Curatorem cum locis vicinis constituit Andromachum: quem interfecerunt Samariam habitantes, panasque dederunt.*

4, 5, 11. *TEMPORARIA INGENIA)* Cicero pro Flacco c. 4. *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit.* Euripides ipse de suis Græcis: *Græcia nihil fidum nouit.* Raderus.

DVODECIM) Diodor. 17, 48. quindecim legatos fuisse scribit. datum id etiam honori regis, vt multi legarentur: nam inde quoque elucere credunt, quanti quisque à quoque fiat. vnde Demetrius offensus fuit, quod Lacedæmonii vnum tantum ad se misissent; eiusdem Laconica responsione perstrictus: *nempe ad vnum.* Plutarch. Demetr. cap. 56. Contra Æneas, auctore Virgilio 7, 152.

\- - - - *delectos ordine ob omnis*
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet - - - infra 7, 8, 8. ab Scythis viginti mittuntur: rursum 9, 7, 12. duarum gentium legati centum adeunt Alexandrum. Ad rem respexit Lycophron sub fin. Cassandræ:

Ab Æaco atque Dardano ducens genus,
Thesprotus virumque & Chaladræus leo,
Omnem & supinas fratris euersam domum,
Formidolosos coget Argiuos duces
Ditis Chaladræ sæuum adulari lupum. sc. Alexandrum, quem his verborum inuolucris significat.

CORONAM AVREAM) Hæc enim sunt *munera ac dona, quæ bene rebus gestis imperatores ab amicis accipere consuessent.* Hirt. de bel. Alex. cap. 7. vbi statim subiicit, *miserat enim Pharnaces coronam auream.* Adde supra 4, 2, 2. & apud Liu. 7, 38, 2. *Carthaginenses quoque legatos gratulatum (de victoria Samnitica) Romam misere, cum coronæ aureæ dono.* Eius rei, præsertim in historia Romana, infinita occurrunt exempla, vt in singulis fere triumphis eiusmodi coronarum ingens multitudo fuerit translata. cum enim vetus mos fuerit coronandi victores, aurum autem omnium metallorum præcipuum habeatur, eiusmodi coronæ mittebantur, quibus & à veteri more commendatio, & à materia pretium esset. Ita Asiæ ciuitates gentesque *vt quibus libertas Antiocho pulso, pax, Gallis domitis, data esset; non gratulatum modo venerant, sed coronas etiam aureas pro suis quæque facultatibus attulerant.* Liu. 38, 37, 4. Apud eundem 40, 34, 7. L. Æmilius Paulus ex Liguribus Ingaunis triumphans, *transtulit coronas aureas XXV.* item 37, 46, 4. Man. Acilius ex Ætolia *coronas aureas, dona sociarum ciuitatum XLV.* 39, 29, 6. L. Manlius ex Hispania ouans, *tulit coronas aureas LII.* 37, 58, 9. Scipio Asiaticus *aureas coronas CCXXIV.* 37, 58, 9. Q. Fuluius Flaccus ex Hispania *coronas aureas CXXIV.* 40, 43, 4. L. Æmilius ex Macedonia *quadringentas*, Dexippus apud Euseb. Chron. λόγῳ A. Plutarch. in Paulo cap. LVIII. Nam in Liuio pars ea desideratur. Interdum autem & amplissimi ponderis coronæ dabantur, adeo vt ex Charete Athenæus 12, 9. referat, missas ad Alexandrum, quo tempore nuptias sibique & amicis faciebat, talentis decies mille ac quingentis fuisse æstimatas, & Plutarchus in Lucullo cap. 49. ei à Machate Mithridatis filio, qui Bosphorum obtinebat, mille aureorum

rum coronam missam fuisse. Carthaginenses Damaretam Gelonis vxorem centum talentis coronauerunt. Diodor. 11, 26. Quin & aliis rebus datis coronare dicebant bene meritos. *Gerræi Antiochum quingentis argenti talentis, thuris mille, guttæ autem quam stacten vocant, ducentis coronarunt.* Polyb. lib. XIII. apud Suidam in Σταγών. quæ pauca ex quam plurimis exemplis allegasse sufficiat. Atque hanc originem auri coronarii fuisse (quod Iustiniani adhuc tempore obtinuisse, antepenult. tit. lib. X. Cod. ostendit) euidens est ex l. 4. C. Theod. de auro coronario. Vide etiam Lipsii admiranda 2, 9.

4, 5, 12. *ANIMOS FORTVNA)* Sic multo melius, quam cum aliis; *quocunque pendentes animus tulisset, fortunam sequerentur.* Animi enim illorum pendebant in ancipiti: atque ita comparati erant, vt quocunque verteret fortuna, vt solent mortales, eo ipsi quoque inclinarent. at altera lectio, si bene examines, vana est: *quocunque pendentes animus tulisset.* Si animum sequuturi erant haud sane pendere poterant, statim enim suscepissent eorum partes, quibus amplius fauerent: sed Curtius vult nihil in consilio habuisse præter fortunam partium. Sicut Albani apud Florum 1, 3, 6. *medii inter duos exspectauere fortunam.* vbi Notam vide.

4, 5, 13. *CEPIT)* Malim *recepit*, tum quod ita se res habet. prius enim in potestatem redacta ista omnia defectio aut hostis alienauerat: Arrian. 4, 3, 7. tum etiam quod Curtius non videtur facile dicturus, *capere Paphlagoniam, Lycaoniam, &c.*

4, 5, 14. *TENEDON QVOQVE RECEPTVM)* Sic feciſſe dicitur Modius, cum esset, *Tenedon quoque hostium receptaculum:* quam scripturam cum probare videatur Raderus, haud segnius tamen suam ingerit: *Tenedon quoque receptam.* & sane vocem *hostium* etiam prisorum quidam omittunt. possis defendere *Tenedon receptum* dici quomodo illud, *Centauro inuehitur magna*, vt sc. subaudias oppidum.

4, 5, 16. *APOLLON ET DVCES)* Non sperno coniecturam Acidalii: *Apollonidem & Athenagoram duces militum.* Vulgatam si retineas, capies ortam dissensionem inter Apollonidem Chium, cui simul cum Athenagora patriæ imperium tradiderat Pharnabazus; & duces præsidiariorum militum, qui nimirum præsidio præerant, vt Apollonides popularibus suis. Nam ita sæpe euenit, vt oriatur dissidium inter principes ciuitatis, & militum præsidiariorum duces. quo pertinet exemplum Palæpolitanorum apud Liu. 8, 25, 11. & alia similia. Atque hæc opinio verior est. Fallitur Raderus qui putat per duces hos militum intelligi Phisinum & Megareum, de quibus Arrian. 3, 1, 6. nam & illi non militum duces, sed popularis defectionis auctores adiutoresque fuerunt. multo autem grauior error est, quod eodem Aristonicum trahit. quamquam enim Arrianus cum simul cum Chiis istis ad Alexandrum pertractum narret; tamen de his posterioribus tantum intelligit, quod addit de defectione concitata.

4, 5, 17. *PHARNABAZVS)* Hic tamen custodibus elapsus est, vt tradit Arrian. 3, 1, 7.

4, 5, 18. *NAVES)* Non abs re est quod nonnullæ edd. habent *inanes*, nempe sine milite ac remige. possis tamen non incommode retinere *naues*, nimirum alterius generis, haud triremes. vt exempli caussa, apud Diodor. 18, 4. Sunt *naues longæ triremibus grandiores.* Idem mendum reperi in editione Cæsaris in fol. de B. Ciu. 3, 8.

4, 5, 19. *FORTE ARISTON.)* Prorsus geminum huic errorem narrat Osorius de reb. gestis Emanuelis. Raderus. Item Iosephus 10, 11. vbi Ismaël occiso Godolia, sequenti die circiter 80. homines, qui cum muneribus ad Godoliam venerant,

rant, *intro vocauit ad Godoliam, & introgressor clauso palatio trucidauit.* Cui similis est fraus Salapianorum apud Liuium 27, 30, 12. Et apud historiæ Hierosolym. auctorem incertum, quem Bongarsius in Gestis DEI per Francos edidit, narratur occupata ab Salahadino Accone, plura Christianorum nauigia, tanquam in amicum portum suggressorum, intercepta fuisse.

4,6,4. *SVSPECTA PERFIDIA)* Quærit Glareanus, cur descendere iussus sit ad Darium suspectus proditionis? quia absens magis timebatur quam præsens, notandus & coërcendus, si quid præsens moliretur: quod non poterat fieri in absente, rege tam occupato. Raderus. Euidens exemplum in Histiæo Milesio, quem ea caussa euocauit, ille, cuius nomen hic sumpsit, Darius, apud Herod. 5, 24.

4,6,5. *MORE PERSARVM)* Idem Marcellinus 21, 26. *Speculatores & transfugæ subinde venientes repugnantia prodebant: ideo futurorum incerti. quod apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentij quoque colitur numen.* Nec Romani prodebant, quæ in sanctiore senatu de magnis rebus in medio ponebantur. Pompeius testis est, qui ab hoste captus, & rogatus, quid senatus decreuisset, minimum digitum in præsentem focum iniecit; vt regem doceret, frustra à se arcana senatus exquiri, qui paratus esset totum etiam corpus flammis vrere, quam consilia efferre. Certe Valer. Maxim. 2, 2, 1. testatur, tam sancto patrum conscriptorum consilia silentio fuisse custodita, vt multis seculis nemo senator quicquam enunciarit. Peccatum semel à Q. Fabio Maximo, qui tertium bellum Punicum in senatu decretum P. Crasso nondum senatori in itinere domum rure reuertenti significarat, eoque à Coss. vehementer obiurgatus est. Laudata fides & silentium Papyrii prætextati matrem fallentis, à Gellio 1, 23. rem totam elegantissime describente. Laudata & Læna Athenienses apud Polyænum 8, 43. Carthaginenses triginta senatus principes sanctissime decreta senatus reticebant. Raderus. Notabile est exemplum Romani senatus apud Liuium 42, 14, 1. vbi de Eumene rege qui Romæ fuerat: *in præsentia nihil, præterquam fuisse in Curiæ regem, scire quisquam potuit, eo silentio clausa curia erat. bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque responsa essent, emanauere.* His adde *SCtum tacitum* apud Romanos, *quod quale sit* (verba sunt Capitolini in Gordianis cap. 12.) *aut quare sic appellatum, breui exponam. Omnino exemplum SCti taciti non aliud est hodie quam quod vestra clementia, conuocatis ad interiora maioribus, ea disponit quæ non sunt aliis publicanda. de quibus adiurare etiam soleris, ne quis ante rem completam, quicquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres necessitates publicæ repererunt; vt si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere quæ non prius oporteret dici quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, SCtum tacitum fieret, ita vt non scribæ, non serui publici, non censuales illis actibus interessent; Senatores exciperent, Senatores omnium officia censualium scribarumque complerent, ne quid forte prodiretur.* Vbi subiicit ad ea vsque tempora nunquam fuisse factum, vt eiusmodi SCta enunciarentur. De Lacedæmoniis scribit Thucydides 5, 13, 21. eorum numerum in pugna ad Mantineam non potuisse sciri, *propterea quod omnia ferme in Rep. occultant.* Sed *& Turcæ re quapiam decreta dicitur Bassas siue Visieros suos secum aliquamdiu in venationem solitudinemque ducere, quo illis occasio adimatur vulgandi decreta siue arcana bellica.* Clapmar. arcan. 1, 3. Vbi ex Frossardo tradit, Anglos in expeditionem euntes, iurare, se consilia bellica non detecturos. Cui simile exemplum recitat Cæsar de bell. Gall. 1, 30. de Gallis: *Diem concilio constituerunt, & iureiurando, ne quis enunciaret, nisi, quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt.* Hist. Generol. del le Indie cap. LXVIII. de incolis Darienæ regionis ait: *non c'è pia che discopra il secreto per molti tormenti che glidiano, neminem ibi reperiri exploratorem qui secretum detegat, quin multa tormenta adhibeantur.* Adde Chokier. thesaur. polit. 3, 15.

4,6,6. *NEC MAGNAM REM SVSTINERI)* Ita puto scripsisse Curtium. Glossa *& sustineri* fuit olim *agi.* id cum in textum ab imperitis librariis esset relatum, asciuit vnam litteram ex voce præcedente, vnam ex subsequente, & factum ita: *rem magis sustineri.* Importunum hic de Magis quod Rutgersius voluit. Hæc Gronouius in litteris ad Socerum; & in obseruationibus pag. 121. p. Similem sententiam dixit Val. Max. 2, 2, 1. *Taciturnitate optimum ac utilissimum administrandarum rerum vinculum* appellans.

FACILIMVM) Dissentiunt hic à Curtio, seu potius à Persis, omnes vbique sapientes, qui nihil æque arduum ac difficile arbitrantur. Certe Pythagoras discipulos suos primum docuit *res omnium rerum difficillimas, tacere, audireque.* Agell. 1, 9. quod ex eadem schola firmat Iamblichus de vita Pythag. cap. 31. πάντων γὰρ χαλεπώτατον ἐστι ἐγκρατῆσαι τὸ γλώττης κρατεῖν. *Omnium moderationum continentiarumque difficilima est, linguam moderari ac domare.* Vide etiam quæ notauit Rittershusius ad Malchum de vita Pythagoræ pag. 13. vbi hæc verba: ἓν δ' ἡ τυχοῦσα, ἣν παρ' αὐτοῖς σιωπή. Et Epigrammata Græca lib. 1. tit. εἰς σιωπήν. Egregium est illud Zenonis apud Plut. de garrulitate cap. 5. interrogantibus regiis legatis quid de se renuntiari velit? *Senem à nobis conspectum Athenis, qui inter pocula seruare silentium possit.* Multa in hanc sententiam ab aliis præclare dicta, quæ sciens prætereo. Tamen Ouidium Persis conciliat Scaliger in Amor. eius 2, 603. legendo,

Exigua est virtus præstare silentia rebus. Alii legunt *Egregia est virtus* &c.

4,6,7. *BETIS)* Iosepho 11, 8. est *Babemeses.* Propter hoc factum fidem Gazæorum commendat Polyb. apud Vales. pag. 86.

4,6,8. *AGI CVNICVLOS)* Antiquissimum vsum cuniculorum seu subterranearum fossarum fuisse constat ex Heronis vetustissimi scriptoris mechanicis, qui primo capite hæc de cuniculis monet. *Operæ pretium est autem, eos etiam qui sub terra prope murum aguntur cuniculos occultos, profundosque iuxta fundamenta, & non in terræ faciem fieri: ne cum hoc hostes deprehenderint, intus è diuerso fodiant, murumque ipsum cum contra perforauerint, eos, qui cuniculum agunt, fumo & aqua perimant.* [Quale exemplum legitur in annalib. Turcic. Leunclauii de Prusa obsessa à Caramano principe sub an. Chr. 1414.] A cuniculis animalibus didicere mortales terram effodere. Martialis Epigr. 13, 60.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

Ad quem locum nos plura in commentariis ad Martialem. Alii (Stevvechius) à muris deducunt parum probabili ratione. [Nescio quid sibi velit hoc loco Raderus: nam in Stevvechio tale nihil reperio.] Cuniculorum exempla leges apud antiquissimum scriptorem Æneam in Poliorceticis cap. 38. De Amaside Barcæos obsidente: apud Polyænum 6, 6. de Dario Chalcedonem cuniculo capiente. Polybium in fragmentis de Ambracia à M. Fulvio obsessa. Liuium 36, 25, 7. & Zonar. tom. 2. de eadem. Thucydidem 2, 14, 21. in Platæenses obsidione. Cæsar. 3, 21. de Biturigibus, & 7, 22. de Aquitanis. Iosephum de excidio Hierosolymitano. Iterum apud Liu. 4, 22, 4. & 5, 21, 8. de Fidenis & Veiis. Ammian. 24, 15. Herodotum 4, 200. Vitruuium lib. 10. cap. vlt. Appianum de bello Mithridatico. Præcepta de cuniculis habes apud Æneam, Vegetium 4, 24. vbi Stevvechius [vnde propemodum hæc omnia desumpta sunt.] Philonem, Lipsi. Poliorcet. 5, 6. Raderus. Adde Piccart. obseru. 11, 5. & nostrum infra 9, 8, 13.

4,6,9. *VT A SENSV EIVS)* Liuius 4, 22, 5. *Diuersissimis locis subeun-*

subeundo ad mania quadrifariam diuiso exercitu, qui alij aliis succederent ad pugnam, continenti die ac nocte prælio, ab sensis operis hostes auertebat. & 5, 21, 3. *sueperante multitudine ab omnibus locis vrbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset.* Marcellin. 24, 15. *consulto murorum inuaduntur vtrinque frontes, vt dum propulsaturi pericula defensores vltro citroque discurrunt, nec proxima fodientis audiretur ferri tinnitus, nec quoquam intrinsecus obsistente cuniculariorum subita manus emergat.* Simili ratione Annibal tegendis insidiis quas struxerat, *missis paucis prima luce ad capiendum* quendam *tumulum, auertis oculos hostium.* Liu. 22, 28, 7. Belisarius Neapolim capturus, *immisso milite per foramen petræ, cui aquæ ductus inerat, simulauit apparatum ad meralem pugnam.* Felin. cap. 1. de Regno Apuliæ & Siciliæ, ex Blondo 1, 4. Adde Scipionis exemplum in Liu. 28, 33, 10. & 30, 4, 8.

DESIDENTE SABVLO) Arena cedente molibus turrium. At quomodo cuniculos egere in arenis? Arenas altius effodere, donec ad solidam glebam descenderent; quæ tamen ipsa ex arena, sed concreta iam & longo æuo durata constabat. Raderus. De re ipsa vide Lipsii Poliorc. 2, 4. vbi similia exempla subsidentium turrium.

4, 6, 11. *CORVVS)* Confundit hanc narratiunculam cum illa quam Plutarch. in vita cap. 61. refert de aquila, quæ interprete Aristandro victoriam Alexandri portendit, doctissimus Tiraquellus ad Alexandri dier. Genial. 5, 13. non recordatus id quod Plutarchus eo loco recenset, etiam narrari à nostro infra 4, 15, 26. Hanc autem historiolam attigit Plutarch. cap. 43. vbi quidem in nonnullis circumstantiis à Curtio dissidet. Quemadmodum & Arrianus 2, 5, 7. Nam Gregoras 8, 12. ab omnibus aliis diuersus abit, dum id ad Tyrum accidisse vult, non ad Gazam, vt reliqui.

BITVMINE AC SVLPHVRE) Plutarchus νεύροις κικρυφάλοις, *neruorum reticulis* seu laqueis irretitam tradit in machina considentem, quam Alexander ad vrbem oppugnandam excitarat. Sed cur *bitumine & sulphure*, alimentis ignium, illitam? An vt vrbem incenderet? Quomodo turri vrbem incenderet, ex qua pugnabant Macedones? Illitas alumine lego in aliis historiis turres, ne ignem conciperent. Et forte erat *puluere*, [non crediderim] pro *sulphure*, & *alumine*, pro *bitumine*. Alumine certe illini solitæ aduersus ignes. Claudius Quadrigarius, cuius reliquias legimus apud Agellium 15, 1. de turri Archelai Athenis quam Sulla frustra conatus est ignibus soluere: *Tunc Sulla conatus est & tempore (opere* legerim) *magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interposuit ligneam, incenderet. Venit, accessit, ligna subdidit, submouit Græcos, ignem admouit: satis diu sunt conati, nunquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam obliuerat alumine: quod Sulla & milites mirabantur.* Ammianus 20, 29. *Machinas Romanorum Persæ exurere vi magna nitebantur, & assidue malleolos, & incendiaria tela torquentes laborabant incassum. ea re, quod humectis scortis & centonibus erant operta materiæ plures, aliæ vnctæ alumine diligenter, vi ignis per eas laberetur.* Denique inungendi alumine materias mos inoleuit. Hæc primum occurrebant de alumine contra bitumen. Sed nescio, an tam viscosum alumen, vt tenere aues posset. Et ea tempestate nondum reor fuisse artificium cognitum, vt proinde nihil in Curtio mutandum putem; præsertim codicibus nouis & antiquis in *sulphur* & *bitumen* conspirantibus. Turrim ergo non ex materia; neque mobilem [nisi tamen obstet num. 9. hoc cap.] vt alias, latere coctili, aut lapide factam, bitumine & sulphure, pro cæmento interlitam putarim, tegulasque supremas pice inunctas. Raderus.

CONATVS) Glareanus *conata*, quod referenda esset hæc vox ad præcedentem *auis*. Raderus parenthesi interposita saluam præstare ait verborum compositionem, hoc modo: *resoluta defluxit (ipsa autem auis in proxima turre consedit) Illita &c.*

ta &c. Vix dubito Curtium in animo habuisse eorum, adque id conformasse hoc participium, cuiusmodi multa passim occurrunt scriptorum περιφράσεων. qualia notauit Gifanius ad Lucretium in conlectan. voce *Generis mutatio.* Sic Dio 47, 3, 28. quum πλῆθος γερουσίων nominasset, subiicit οἷς, Senatores cogitans. Vide in Lud. Ariost. notam XLVIII. Alia generis est mutatio quum pronomen relatiuum ad posterius membrum, non ad prius refertur. vt apud Ciceron. Philipp. 8, 8. f. *Hic est Campanus ager & Leontinus, quæ duo sunt præsidia.* & de legib. 1, 7. *Animat hoc prouidum, sagax &c. quod vocamus hominem.* Similia in Sallustio.

4, 6, 12. *NON INTACTVS)* Quidam MSS. *non intacta.* legerim; *non intactæ à superstitione mentis.*

VRBIS QVIDEM) Ecce aliud exemplum quod addas notatis ad 3, 3, 3. vbi dixi solitos fuisse homines istos interpretari auguria ex similitudine rerum. Hic vrbem corno assimilat Aristander, qui tacto Alexandro mox captus est: sic Alexandro ab vrbe periculum; vrbi captiuitatem imminere.

4, 6, 14. *HAVD SANE MEMOR)* Talis Pyrrhus apud Plutarch. in vita c. 65.

4, 6, 15. *ARABS)* Betis enim ad tuendam vrbem Arabes conduxerat, Arrianus 2, 2, 3. adde infra 4, 6, 30. Quod attinet Alexandri periculum, geminum ei sustinuit Varrus apud Cæsar. de bello ciu. 2, 35. Augustus & Tiberius, apud Sueton. Aug. 79, 2. & Tib. 19, 3. Traianus apud Xiph. Lucul. apud Appian. in Mithridatico, Frontinum Strateg. 2, 5, 30. & Plut. c. 32. Maxime Stesagoras 2. 3. apud Herod. 6, 38. Mithridates apud Appianum, quem *quidam Rom. centurio, qui specie famuli equitantem eursus æquabat, in femur percussit.* Et Murates, siue vt Laonicus lib. 1. appellat, Amurathes, ad quem in pugna in Cosouæ campis *Christianus quidam transfugit, cum significatione voluntatis suæ, quasi militare deinceps ei cuperet. Igitur ad Muratem deductus, vti pro more pedes eius osculaturus, quam sub veste abditam gerebat sicam ea vi Muratis in ventrem adegit, vt is tam diro vulnere confectus exspiraret.* Leunclau. Annal. Turci sub ann. Chr. 1390. Sed & alia multa damna intulerunt simulati transfugæ. Annibal ante Cannensem pugnam quingentos simul emisit, qui recepti à Romanis mox pugnantium terga ceciderunt. Liuius 22, 48, 2. & 3. Zopyrus & Tarquinius vrbes à quibus susceptri sunt, suis tradidere. Alii copias hostium, fidem illorum, vt ducum, sequutas, in loca iniqua deductas suis cædendos capiendosque præbuere, vt notaui ad Florum 3, 11, 7. i. Quapropter vt in ceteris negotiis, sic & hic cautione opus est.

4, 6, 16. *IN VANVM MANVM)* Nec manum amputauit, nec in vanum lapsam, si fide dignus Hegesias Magnes, cuius fragmentum seruauit Diosyr. ἀβλ συνήγ. ὁμοιοτ. cap. 71. sic enim ille: ἀνὴρ γὰρ τῶν πολεμίων εἰς χάσπα συγκαμφθείς, ἕλκει τὴν Ἀλεξάνδρου τῆς ἱκετείας εἵνεκα πεῖραν. πρόιμενος δ' ἐγγὺς μικρὸν ὑπνώσῃ τὸ ξίφος ἐνίσχυεν· ὑπὸ τὸ πτερύγια δ' ὑράκος, ὥστε γενίας καὶ τὴν πλησίον ἀκαιριώτερον. ἀλλὰ τὴν μὲν χεῖρα ἀπώλισε, τῇ δὲ κεφαλῆς τύπῳ τῇ μαχαίρᾳ. *Vir enim quidam ex hostium numero in genua subsidens, fidem fecit Alexandro supplicandi animo id egisse. Eum ergo admittens propius, vix declinauit gladium, quem transfuga sub ipsas loricæ pinnulas intulerat, vt non acciperet lethale vulnus. Sed eum quidem impacta in caput machæra ipse Rex interemit.*

GLADIO) Quem insigni tinctura & leuitate habebat, Citieorum regis donum. Plutarch. cap. 60.

4, 6, 17. *INEVITABILE)* Respexit Virgilium. Sed & aliorum plurimæ in hunc modum sententiæ, de quibus ad illa Taciti H. 1, 18, 1. *Quæ fato manent, quamuis significata, non vitantur.*

IN HVMERO) Consentit Arrianus 2,5,9. nam Plutarch. in Or. 1,2. de fortuna Alex. in malleolo pedis τὸ σφυρῷ vulneratum fuisse scripsit.

4,6,18. *NVNQVAM TAM ALTE*) Nouum & mirum visum Macedonibus, quod per loricam ita adacta sagitta esset, vt in ipso humero exstaret, qui nunquam ante cognouissent, illa obstante, tamen adeo alte telum penetrasse. Ex ea vulneris insolentia terrorem animis concipiebant. Sic explosa Modii correctione, locum hunc interpretatur Acidalius.

4,6,19. *MANARE*) Expunxit inficetam glossam, quæ proxime præcedebat, *quo recentus erat*. Modius. nec sane habet quidquam quo se tueatur; ergo & nos omisimus.

RECENS) *Tepens* legit Acidalius: nec tamen ego *recens* damnarim, cum vtriusque sit eadem vis. Raderus.

4,6,20. *QVEM PROXIMI*) Literula vna minus hoc recte, quamquam sic etiam recte. Sed auctor omnino *quum* non *quem* scripsit. Acidalius.

4,6,21. *AGGEREM*) De hoc, & contrario Gazensium commento vide Lipsii Poliorc. 2,3. & 5,6.

4,6,26. *INSOLENTI GAVDIO*) Acidalius mutat *inf. incendio mentis efferatus*, adeo licenter, vt ne sibi quidem probet: ideo mox tentat *insol. odio. gaudium* enim locum hic habere posse negat: in quo me facile habet adsentientem. Sed nec illa placent, *vndique telis circumductio*: & sane totus hic locus clamat se passum aliquid à mala manu. Quod si mihi dicenda sit sententia, sic statuam, ope variarum ex MSS. enotatarum: *Sed cum vndique**** (credo enim deesse quædam, vt multis huius historiæ locis. sensus facile expleri potest: vnus omnium telis peteretur, ad postremum exhaustis viribus, viuus in potestatem hostium peruenit, quo ad Regem) *adductio, insolenti gaudio iuuenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator, Non vt voluisti, inquit &c.* Et sane sic feci, mutet qui volet, dum sciat me temere nihil statuisse, sed ex codicum sententia. De *gaudio* addendum est, locum ei vtique hic esse. gauisus enim est Alexander viuum sibi adduci, in quo libidinem vindictæ pro arbitrio expleret. Adductus autem fuit à Leonnato & Philota, si Hegesiæ fides est.

4,6,28. *AD TACENDVM*) Hegesias tamen non modo non tacuisse, sed miserabili voce veniam petiuisse scribit, additis & aliis multis, ob quæ merito deridet eum Dionysius τὰ συνήθη. ὀνόμ. Qui locus dignus est, vt inspiciatur.

VNICAM TAMEN) Sic Ouid. ad Liuiam v. 273.

Adspiciam regum liuentia colla cathenis,
Duraque per sæuas vincula nexa manus:
Et tandem trepidos vultus: inque illa ferocum
Inuitis lacrymas decidere ora genis.

4,6,29. *IRA DEINDE*) Ita habet MSta Scheda Colonienſis, vulgo, *iram*, quod minus longe venustum. *Vertit* pro vertitur vsurpatum Curtio. Ita Rutilius Lupus lib. II. *quum ab ea sententia, quam proposuimus, conuertimus ad aliquam personam.* Ita Vetus Editio Basilienſis, quam architectatus est Magnus Erasmus. Priscianus in periegesi Dionysii:

Marmaridæ post hos Ægypti ad flumina vertunt.

Ita plurimi scriptores actiuæ potestatis verba pro passiuis ponunt, vt in Apuleium frequentibus exemplis notamus. & ad Gratl Cyneget vers. 9. De hoc *vertendi* videlicet, vide plura apud Manutium Scholiis in Sallustium. De ira rabiei comparata vide Ciceronem Tusc. Quæst. 4,36. Eucnum Menandrum, Neophronem, Apollonium Philosophum,

phum, Epictetum, Aristotelem, Plutarchum apud Stobæum sermone XVIII. Antoninum Imper lib. VII. Porphyrium Quæstione XVI. in Homerum. Sidonium Panegyr. Maiorani. Nilum Episcopum Paræn. Apollonium Rhodium Argonaut. III. Q. Calabrum l.V. Homerum Iliad. IX. Senecam de ira 1,1. Scholia nostra recognita in Musæum. Hæc Barthius ad Claudian. Paneg. in IV. Conſ. Honor. vers. 243. Cui in ceteris assensus, hoc vnum excipio, quod ille videtur sic intelligere verba Curtii, *ira vertit in rabiem*, ac si diceret, Alexander ira in rabiem vertitur, vt ira sit nouissimo casu positum. ponitur enim primo, eundemque efficit sensum, quem infra 10,4,2. *Sed in rabiem ira peruenerat.*

ACHILLEM) Sic enim & ille

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,

vt Virg. Æn. 1,487. tradit: aut certe vt Homer. Ἰλιάδ. circa Patrocli sepulchrum. Plura super his citati Radero Dictys Cretensis lib. 3. de excid. Troiæ. Callimachus lib. 22. Iliad. Propert. 2, 8. Ouid. Am. 2, 1. Cicer. Tusc. 1, 44. Schol. Homeri. 22. Iliad. Pentadius, Alii. Ceterum Achillem etiam in luctu imitatus est rasis in Ephæstionis funere capillis. Ælian. 7, 8, 2. Qui iam ante, cum apud Ilium essent, se Patroclo, vt Alexander Achilli assimilauerat. Idem Ælian. 12, 7. Haud insolitum est facta sua, maiorum exemplis protegere, ad amoliendam inuidiam. sic apud Tacit. 2,53,3. Athenienses Germanicum *excepere quæsitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque præferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.*

A QVO GENVS) Velleius 1,6,5. *Caranus vir generis regii, sextus decimus ab Hercule profectus Argis regnum Macedoniæ occupauit, à quo M. Alexander cum fuerit septimus decimus: iure materni generis Achille auctore, paterni Hercule gloriatus est.* Vide ibi Lipsium. Scalig. ad Euseb. pag. 60. & Bongarsium in Iustin. lib. XI. Loccenius. Ita postea Philippus & Perses vltimi Macedonum reges apud Silium 15, 291.

Hic gente egregius, veteriſque ab origine regni
Æacidum sceptris, proauoque tumebat Achille.

& Propertium lib. 4. eleg. vlt.

Et Persen proaui simulantem pectus Achilli.

Raderus. Obiter moneo, in Propertio legendum, *proauo stimulantem pectus Achille*, sensu, quo exponit Scaliger, non quo Beroaldus. quomodo apud Iustin. 29,3,8. *Philippus studio Alexandri æmulationis incensus.*

4,6,30. *DECEM MILLIA*) Hegesias *sex millia* trucidata scribit. Idque magis accedat ad *modicum præsidium*, de quo Curtius 4, 6, 7.

4, 6, 31. *DEVICTARVM GENTIVM*) Inter quas & Iudæorum, *quibus facta potestate, si qui vellent saluis suis ritibus sequi militiam eius, multi dederunt nomina.* Ioseph. 11, 8. vbi & de Samaritanis Alexandrum sequentibus. quibus Iudæis, etiam Alexandriam à se conditam, quod eorum opera Ægyptum pacauerat, bona ex parte dedit habitandam, vt quidem scribit Iosephus de bello Iud. 2, 21. nam antiquit. 12, 1. sentire videtur Iudæos Alexandriam à Ptolemæo fuisse deductos. ipse tamen se explicat lib. 2. contra Appionem, ab Alex. eo primitus deductos, ab eius successoribus auctos fuisse. Cedrenus etiam historiolam de Iudæo, qui auem auspicium facientem sagitta percussit, accommodat tempori, quo profectus Hierosolymis Alexander nonnullos inde belli socios abduxisset. Sed aliter rem narrat Hecatæus Abderita, apud Ioseph. lib. 1. contra Appionem, etiam in nomine viri dissentiens: *Mosollamum* enim vocat, quem Cedrenus *Mosomachum*. Vt vt sit, certe post Gazam occupatam Hierosolymam diuertit Alexander, quam historiam cur hic omiserit Curtius, id causse habuisse

buisse Raderus putat, quod post Christi necem, omnium gentium ludibrio ea gens fuerit propinata. Curtius autem cum ceteris qui superfunt, Alex. histor. scriptoribus, post Christum crucifixum, diruta iam vrbe scripserint. Quæ quidem res de Curtio adhuc incerta est. & tamen, non absimile videtur eum odio fœdæ gentis, sic enim externis habebatur, reticuisse narrationem, in qua non potuisset dissimulare honorem sacris eorum ab Alexandro habitum. Sed quoniam semper procliuiores esse debemus ad absoluendum, libet credere tetigisse Curtium ista in amissis: eaque causa, cum eo ventum erit, suscitare conabimur.

MINOR FIDES) Nec immerito. Recentibus enim adhuc victoriis, pro victis potius quam domitis habendi sunt nuper subacti. & fere viuit in mentibus eorum, cum ereptæ libertatis desiderio, odium oppressoris. Et hoc est argumentum, quo nullum fortius vrget Alexander, domuitionem sperantes militès retenturus, infra 6,3,6. &c. & Galgacus apud Tacit. Agric. 32,3. Quo sensu & Scythæ infra 7,8,28. nostrum monent: *Quos viceris, amicos tibi esse caue credas.* Sic Molo *Susianæ & Babyloniæ populis recens à se & inopinata victoria subactis parum fidebat*, apud Polyb. 5, 52. Nec sane mirum est victis non haberi fidem, cum ne mercenariis quidem habenda sit, vt supra ad 3,2,8. notauimus. Adde Gruter. ad Liu. 25,33,5.

4,7,1. *ÆGYPTII)* Quam elegans & nobilis fabula de aduentu Alexandri ad Iouem Hammonem & Ægyptum sit ficta & propagata, cognosces apud Pierium: nobis verum scribere curæ. Raderus. Quem credo significare fabulam relatam à Pierio Hieroglyph. 1, 7. quamquam ea nihil huc pertineat. Fingitur enim ibi imperante iam Ptolemæo, Alexander, in Deos scilicet receptus, per Ægyptum iter facturus, visendi patris sui Hammonis gratia.

AVARE ET SUPERBE) Scilicet hæc duo sunt, quæ solent auertere subiectorum animos, vt infinitis omnium sæculorum exemplis est testatissimum. Nihil enim verius est, quam quod olim in Senatu Romæ dictum Liuius 8, 21, 6. refert: *nullum populum aut hominem denique, in ea conditione, cuius eum paniteat, diutius quam necesse sit mansurum.* Sic bello Punico secundo maximis odiis certatum idem auctor 21,1,4. asserit, *quod* Pœni *superbe auareque crederent imperitatum victis esse.* Qui paullo ante eadem odia in Afris suis experti erant, *quod iis crudeliter imperassent.* Polyb. 2,72. Hinc Augustus *Pædagogium ministrosque Caij filij, per occasionem valitudinis mortisque eius, superbe auareque in prouincia grassantes, oneratis graui pondere cerucibus, præcipitauit in flumen.* Sueton. Aug. 67,6. Euitans scilicet ex motu prouinciæ cladem, qualem mox intulerunt Germani, qui *libidinem, ac superbiam Vari, haud secus quam sæuitiam exosi*, Florus 4,12,31. cum cum legionibus tribus internecione ceciderunt. *Sunt qui dicant*, Pisone in Hispania cæso, *imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequiuisse pati.* Sallust. Catil. 19,4. De Ægyptiis præter Curtium, Diodorus 17,49. notat: *quod Persæ multa nefaria in sacra eorum commiserant.* (vide Strabon. lib.17. Iustin. 1,9,2. a. quo & confracta Memnonis statua pertinet, de qua 4,8,3.) *& violenter imperitarant, animo inbente Macedones recepere.* Contra cum Annibal Italiam vreret; amici Romanorum extrema patiebantur, aut exspectabant; *nec tamen is terror, cum omnia bello flagrarent, fide socios dimouit: videlicet quia iusto & moderato regebantur imperio; nec abnuebant, quod vnum vinculum fidei est, melioribus parere*, Liuius 22,13,11. Sic Bello Iugurthino Capsæ *ciues apud Iugurtham leui imperio, & ob ea fidelissimi habebantur.* Sallust. Iug. 89,5.

4,7,2. *SEPTIMO DIE)* Eundem Arrianus 3,1,1. numerum ponit. Raderus.

CASTRA ALEXANDRI) Sic quidem impressi omnes: at D. Hieronymus

ronymus pro *castra Alexandri*, legit *claustra Alexandri.* quam lectionem Isidorus lib. IX. Originum confirmat. cuius sunt hæc in dictione *Pyrus* verba: *Deinde pernicibus equis Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibentia ruperunt &c.* Popma. Quem decepisse videtur Erasmus, qui ad hunc auctorem sic notat: *Castra Alexandri. In Hieronymo legitur Claustra Alexandri, & fortassis sic hoc loco legendum est.* Sed errant viri docti, confundendo *castra Alex.* de quibus hic, & *claustra*, quorum infra ad 6,4,16. larga habebitur mentio. Nullum ergo dubium est, quin hic retinendum sit *castra.* Orof. *1,2. loca quæ accolæ Catabathmon vocant, haud procul à castris Alex. Magni.* quo ex loco corrigendus est Æthicus. Et ne quis propter vocum latinarum vicinitatem hic quoque mendum suspicetur, Ptolemæus omnem amputat dubitationem, qui & ipse circum ea loca habet τὸν Ἀλεξάνδρου παρεμβολήν. Ita supra 3,4,1. habuimus *regionem quæ castra Cyri appellatur.* Sed & multæ ciuitates eo nomine fuerunt, quarum certe vnus Stephanus numerat quatuor voce Χάραξ, interque eas item vnam *Alexandri.* Sic enim ibi legendum. Χάραξ Ἀλεξάνδρου πόλις κατὰ τὴν κιλικίας τῆς Φρυγίας, ἔνθα Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου στρατοπεδεύσατο. *Castra Alexandri, regio ad Celænas, vbi Alexander Philippi filius castra habuit.* Σπασίνου Χάραξ etiam à Plinio memoratur 6,27. vide Stephanum de Vrbibus, & Ioseph. Antiqu. 20,2. Emendanda versio Luciani in Macrobiis. *Pasargada* quoque apud nostrum *Persarum castra* interpretamur. Sic auctore Strabone lib.16. πολλαχοῦ Σεσόστριος χάρακας πρόσαγορεύοντας, *multis locis characes, siue castra Sesostridis appellantur*, scilicet vbi ille castra metatus fuerat. Ioseph. de B. Iud. 1,7. loci nomen refert *Castra Iudæorum.* Τυρίων στρατόπεδον, Herodot. 2,112. Sic in Hirtii bello Hispan. cap. 8. *grumus est excellens natura, qui appellatur Castra Posthumiana.* Liuius 32,13,2. *Rex primo die ad Castra Pyrrhi peruenit, locus quem ita vocant, est in Triphylia terra Molotidis.* an *Molottidis*, aut *Molossidis*, vt vocat 8,24,3. an potius leg. *Elidis*, vbi Triphyliam constituit Eustath. ad Dionys. vers. 409? Minime. nam in Epirotis res gesta. Alia ab his sunt *Castra Pyrrhi*, quorum 34,27,10. meminit. Πύρρου χάραξ. haud procul Lacedæmone, vt videre est tam ex illo loco, quam ex Polybio 5,19. Lego & *Castra Corneliana* in Cæsare de bello Ciu. 2,24. haud dubie nominata à Scipionum altero. Sic in vniuersa Europa plurimæ passim sunt vrbes, quæ vt originem debent castris, ita & nomen receperunt. Ita Marcellin. 17,4. *Castellum oppidum memorat.*

NILO) Quo tempore credo accidisse, aut saltem paulo post, quod narrat Lucanus 2,272.

Summus Alexander regum quos Memphis adorat,
Inuidit Nilo, misitque per vltima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda perustis
Zona poli tenuit; Nilum videre calentem &c.

Scilicet origine, cuius perquisitigandæ gratia missi fuerant, non reperta. Alexander enim summo studio inquisiuit in caput eius amnis. adeo vt Maximus Tyrius pr. Serm. 25. prodiderit: *nihil consuluisse Hammonem, præterquam de Nili fontibus.* Certe ad Olympiadem matrem postea scripsit; *existimare se fontes Nili ab se repertos esse.* teste Arriano 6,1,3.

4,7,4. *MEMPHI)* Vbi & ludos edidit, *cum reliquis diis, tum Apidi.* Arrian. 3,1,3. Sed & in honorem ataui sui Persei: coronari iussis victoribus persea, quam Perseus Memphi seuisse traditur. cum alias laurum amaret, quæ Daphnoides appellatur, & ab eo Ἀλεξάνδρου σέφανος. Vide Plinium 15,13. & 15,30. nam alii ad Alexandrum Paridem id referunt. De persea arbore vide Theophrast. Hist. Plant. lib.4. & Dioscorid. 1,188.

MAZACES) Editi *Astaces*. supra 4, 1, 32. prætor vrbis Mempheos nominatus est *Mazaces* seu *Mazeces*. An Astaces fuit totius Ægypti præses, Mazaces tantum vrbi præfectus? an interim extinctus est Mazaces? Raderus. Ego sequutus Loccenium, cuius adnotationem supra 4, 1, 28. retuli, *Mazacem* hoc loco reponendum esse arbitratus sum: hoc magis quod alias etiam editiones huc alludere coniiciam ex eo quod Buntingus in Chronolog. ad Olymp. 112. proposuit: *Alexander Magnus descendit in Ægyptum. Fuit autem illo tempore præfectus ibi Mazabes &c.* forte typothetæ errore ex loculorum vicinia nato, pro *Mazaces*.

ORIO) Iunii scriptura est sine amnis nomine. Extra ordinem versus est, *Oxion* & *Oxo*. Locus affectus nomen verum perdidit: vetustissimus tamen codex Augustanus S. Vdalrici, & Ms. Constantiensis, nomen præfert, quod Modius posuit, *Oron*. Glareani editio *Oxio amne* legit, Argentina vetus eodem modo. Raderus. Sed Ortelius, in voce *Oron*, vitiosum locum esse censet, & sic restituendum: *ocius amne superato*. Nilo nempe. de eo enim, ait, hic sermo: neque alium hoc tractu vllum esse quo Memphi ad interiora Ægypti nauigari possit, omnes Geographiæ periti mecum confiteantur necesse est. Quia,

Vnicus in terris Ægypti totius amnis,

teste Lucretio 6, 680. Pro *ocius*, qui malit, *hocce* legat. Hactenus Ortelius. Ego ex eadem ratione cogitabam rescribi posse; *ostio amnis superato*. amnem enim simpliciter vocauit, securus nisi de Nilo accipi non posse. Sic Iesaiæ 19, 5. & Sueton. Aug. 67, 6. de pædagogo C. Cæsaris in Tiberim præcipitato agens, non expressit nomen, contentus dixisse: *præcipitauit in flumen*. Nam *iuxta Memphin Nilus in duo ingentia brachia diuiditur: quorum vnum, nempe Pelusiacum, ad ortum: alterum, Canopicum ad occasum in mare mediterraneum influit*. Wendelinus in admirandis Nili cap. 25. Atque hanc scripturam firmat Arrianus 3, 1, 3. qui & ipse Pelusiacum ostium ab Alexandro transmissum intelligit his verbis: ἀφίκετο ἐς Ἡλιόπολιν· ἐνθένδε ὁ διαβὰς τὸ πέρα ἦλθεν ἐς Μέμφιν. Prius enim, quod & Raderus notat, Heliopoli fuit, vbi congressus cum Ægyptio sacerdote, didicit veterum Deos nihil aliud fuisse quam homines. Vide citatos Radero Augustin. de ciuit. 8, 5. Cyprianum in Octauio Minut. Felicis, Genebrardum, Athenagoram, quibus adde Gyraldum lib. de annis & mensibus.

4, 7, 5. *COMPOSITISQ. REBVS*) Persæ tenuerunt Ægyptum annos 112. post Cambysem, vsque ad Darium Nothum Artaxerxis filium. Recessit tamen ante à Dario Hystaspis F. Olymp. 73. Sed post quadriennium per Xerxem recepta est Olymp. 74. defecit iterum à Dario Notho anno regni 11. Olymp. 91. anno 3. Recepit Ochus Rex Persarum Olymp. 107. anno 3. pulso inde Nectanebo in Æthiopiam, vt alii, in Macedoniam; vnde fabula nata de Olympiade & dracone, quod Nectanebus magicam exercuerit. Sed iam natus erat Alexander Olymp. 106. anno 1. septem annis prius quam Nectanebus ex Ægypto fugeret. Ægyptum Persis extorsit Alexander Olymp. 112. anno 2. Macedones tenuerunt ad Cæsarem Augustum annos 295. Augustus in formam prouinciæ redegit. Raderus.

ITA VT NIHIL) Sapienter id eum fecisse multis rationibus, & similibus exemplis ostendunt Gruterus in Tacitum discursu 27. & Alb. Gentilis de iure belli 3, 11.

HAMMONIS) Vt sic potius scribendum credam, quam Ammonis, facit inter alia & Festi epitoma, quæ serie litterarum concepta, adspirationem inesse voci aperte testatum facit. nec valde moueor, quod vox ἄμμος, quod arenam signat, vnde nomen deastro factum volunt, adspirationem non agnoscit. Scimus enim in nominibus haud paucis idem accidisse, postquam aliam in linguam migrauerunt. Nec de ori-

originatione illa nimis certum est: nam sane quam liberales fuere Græculi, in omnium ferme nationum locorumque nominibus ex suo sermone deducendis. Præterea nec omnib. illa satisfacit, plures enim commenti sunt, quippe alii ab eiusdem nominis pastore deduxere, vt auctor est Eustath. ad Dionys. v. 212. Herodotus ab Ægyptiaca voce. Ἄμμων enim illos vocare, quem Græci Δία. Quod fortassis nonnihil iuuet Melanchthonem in Chron. Carionis lib. 1. Reineccium tom. 3. in regno Libyco, & eos quos innuit Boissardus de diuinatione, quo loco de Hammone agit. qui consentaneum esse censent, *Hammonis appellationem fuisse eandem, quæ est Cham*. Quod eo magis accedit ad veri similitudinem, quo certius constat, posteritatem Chami ea loca occupasse: ipsam quoque Cyrenen, nomen habere mere Hebraicum, *fontis* enim *vrbem* sonat, nec futilis esset coniectura, ita appellatam à fonte solis, ad Hammonis delubrum, qui est in Cyrenaica regione. Chamum autem illum esse Hammonem, etiam hoc argumento dubites, quod Diodor. 3, 68. scribit Ammonem fuisse Regem Libyæ: item quod fabulæ de Saturno, qui patrem castrauerit, non temere aliam originem quis adsignauerit, quam factum illud Chami, quod refertur Genes. 9, 22. Atque huic opinioni firmamentum ingens accedit ex traditione qualiscunque Berosi lib. 3. qui scribit Chamum qui odio haberet patrem, apud quem alios filios post ipsum genitos potiore loco videbat esse, in ebrietate iacentis virilia comprehendisse, & magicis fisfurris eum effecisse sterilem: quod ipsum, quid aliud est quam Græca fabula, castratum ab Saturno patrem fuisse: scilicet ab hoc ipso Chamo, quem & Saturnum ab Ægyptiis appellatum fuisse, eodem Berosi loco refertur. Nec valde obest, quod hic Hammon, non Saturnus vocetur, sed Iupiter. Nam & inter Ioues medium Cœlo patre editum fuisse, Cicero de natura deor. 3, 21. tradit. Non ignoro tamen ab eodem Berosi patrem Hammoni tribui Tritonem. sed posset dici, idem nomen commune fuisse diuersis. Vide plura in Indice. Græcos autem antiquitus id Oraculum consuluisse, probat Eleorum exemplo Pausanias lib. V.

4, 7, 6. *ITER*) Hoc rerum scriptores, terrarum mensores, Geographi, Poëtæ, naturæ exploratores, Arrianus 3, 1, 9. Herodotus 3, 32. Strabo lib. 17. Plinius 5, 5. Mela 1, 4. Solinus cap. 27. Lucanus 9, 511. aliique testantur. Præter hos Seneca Nat. quæst. 2, 30, 2. de Cambyse signate narrat, quam male expeditio illi Æthiopica cesserit. quam historiam ex Herodoti 3, 26. descripsit, & quodammodo interpretatus est. Iustinus 1, 9, 4. compendio: *Ad Hammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum misit (Cambyses) qui tempestatibus & arenarum molib. oppressus interiit*. Plutarchus Alex. c. 46. idem quod Herod. sed addit L. M. fuisse arenis ex Cambysis copiis oppressa.

TERRA COELOQVE) Hoc sumpsit à Sallustio, qui in Iugurthino 17, 5. de Africa *Cœlo terraque penuria aquarum*. Popma. Hinc *Lybia*, quasi λειπυδία *egens pluuiæ*, vt videtur Varroni apud Seruium in Æneid. 1, 26. Malchus in vita Pythagoræ narrat Herculem στελόμενον ἐς τὴν Λιβύην τὴν ἄνυδρον, *missum in Lybiam aqua carentem*, instructum fuisse à Cerere quadam τροφῇ ἀδίψῳ, *nutrimento quodam quod sitim arceret*. quo non eguisse quendam Andronem Argiuum, refert ex Aristot. de ebrietate Apollon. histor. mirab. 25. quippe qui tota vita sitis atque potus expers, cum ad Hammonem proficisceretur, sicca farina vescens nullum adhibuit humorem. Ex prædictis mirum non est, iis locis aquam esse venalem, vt in l. 14. §. 3. de alim. leg. traditur. Hinc et iam *sicca* appellatur Libya Nemesiano Cyneg. vers. 128. quæ *arenosæ* Virg. Æn. 4, 257. Nescio an ex hoc Curtii loco colligat Wendelinus in admirandis Nili, negare Curtium Alexandriam habere pluuias. mihi enim in præsens alius non succurrit: hic tamen non de Alexandria loquitur, sed de locis per quæ iter erat ad Hammonem pro-

fectu-

fecturo. *Los espacioſos llanos de Egypto iamas veen agua del cielo*, ait Ceuerio en el Viaie de la Tierra Santa cap. XX.

STERILES ARENÆ) Omnium optime hoc deſcribit Lucanus 9, 382.

Vidimus in campos ſteriles, exuſtaque mundi,
Qua nimius Titan, & raræ in fontibus vndæ.

Et quæ ibidem longa narratione ſequuntur, quomodo Romanus miles laborarit, & cum arenis luctatus ſit. Sic Gellius 16, 11. ex Herod. 4, 173. narrat Pſyllos illis in arenis periiſſe, cum arma in Auſtrum ſumerent. eſt elegans fabella. Raderus. De hac igitur dici poteſt, quod Poëta quidam de ſiticuloſa regione:

Ipſe parens rerum quondam infelicibus aruis
Addidit, & multa ſterilem damnauit arena.

Sic apud Claudian. de IV. Conſ. Honorii verſ. 436. legimus

- - - Libyæ ſqualentis arenas.

Idque Pindarum Pyth. 4. ſtroph. 3. intellexiſſe voce χιλιαυτοφίων πεδίων Benedictus autumat: *propter aduſtum terram, & arenæ turbines qui viſum iter facientium offuſcant.*

4,7,8. *INGENS CVPIDO)* Cuius eandem cum Curtio cauſſam aſſignant Iuſtinus 11, 11, 6. & Oroſ. 3, 16. Sed Calliſthenes apud Strabonem lib. 17. φησὶ τ' Ἀλέξανδρον φιλοδοξήσαι μάλιστα ἀναλθεῖν ἐπὶ τὸ χρηστήριον, πιπειθὼς καὶ ἑρσέα ἤκειν πρότερον ἀναβάντα καὶ ἡρακλέα. *narrat Alexandrum ambitione, qua maxima ardebat, inductum ad id oraculum contendiſſe, quod intelligeret Perſeum & Herculem prius eo adſcendiſſe.* Idem Arrian. 3, 1, 9. & copioſius Strabone, qui addit Alexandrum genus etiam à Perſeo & Hercule duxiſſe. Raderus.

4,7,9. *CYRENENSIVM)* Diodoro 17, 49. tum demum narrat occurriſſe, cum dimidium itineris iam ad Hammonem confeciſſet. Arrian. 3, 1, 17. Memphi auditos ait priuſquam deſcenderet ad Mareotim. Raderus.

4, 7, 10. *PRIMO &c. DIE)* Quæro quot dierum iter fuerit à Mareotide lacu ad Hammonis templum? Variant etiam hoc loco auctores. Plinius à Memphi ad Hammonem XII. dierum iter ponit. Diod. 17, 49. inter arenas Alexandrum ait hæſiſſe octo dies, primis quatuor diebus vſum aqua à camelis deuecta, reliquis quatuor cœleſti imbre adiutum, poſtea ducibus coruis veniſſe ad regionem habitatam. Plutarchus Alex. cap. 47. non diſtinguit iter. Arrianus 3, 1, 10. ex Ariſtobulo docet Alexandrum primis diebus iter haud procul à mari Parætonio feciſſe per regionem non omnino ſiccam, ſtadiis mille ſexcentis, hoc eſt, quinquaginta milliaribus Germanicis, quando triginta duo ſtadia vnum milliare ex noſtratibus conficiunt. Dein Ariſtobulus affirmat petiiſſe Alexandrum Meſogabam, vbi Oraculum eſt Hammonis, per regionem omnino ſterilem, ſabuloque impeditam, & aquæ inopem, ſed cœleſtibus aquis effuſis recreatum eſſe exercitum. Strabo à Parætonio ad Hammonem numerat ſtadia MCCC. milliaria quadraginta cum ſemiſſe & octaua. Raderus.

4,7,11. *TERRAM)* Vide Eraſm. & Braſſicanum in prouerbio, *Terram video.*

4,7,12. *CVLTI SOLI)* De hac Lybia Claudian. de raptu Proſerp.

- - - torrida ſemper
Solibus, humano neſcit manſueſcere cultu.

4,7,13. *OMNIA INCEND.)* Bong. *ora inc.* Certe videtur aliquid latere; vix enim eandem vocem, *omnia*, ſtatim tam inepte repetiuiſſet.

4, 7, 14. *LARGVM IMBREM)* Idem de Selime Annales Turcici Leuncl. ſub annum Chriſti 1514. *Solitudinem* (iuxta Alcairum) *ingreſſus eſt, quæ arida*

arida prorſus, aquis deſtituitur. Quum de die in diem progrederetur vlterius, placuit Deo largiri pluuiam: quo factum, vt vniuerſæ illæ copiæ nulla premerentur aquæ penuria.

4,7,15. *QVATRIDVVM)* Et ſupra *biduum* num. 10. ſunt dies VI. vnde liquet perperam legi apud Ampelium: *abeſt* (Ammon) *ab Ægypto & Alexandria millia paſſuum nouem.*

CORVI) De coruis conſentiunt Ariſtobulus, Calliſthenes, Diodorus, Plutarchus. Ptolemæus coruos in *dracones* transformat, quos ait clamore edito agmen præceſſiſſe. Arrianus 3, 1, 12. prodigium quidem aliquod oſtenſum putat, ſed cuiuſmodi fuerit propter ſcriptorum variantes ſententias cunctatur dicere. Raderus. Adde Euſtath. ad Dionyſ. verſ. 212. Simile eſt quod refert Velleius 1, 4, 2. *Chaldæenſes &c. Cumas in Italia condiderunt. huius claſſis curſum eſſe directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt. &c.* Cadmum vacca deduxit ad Thebas, ſi Stephano fides in Μυγαλησσός. & Antinoen Cephei filiam ſerpens ad Mantineam; ſi Pauſaniæ lib. VIII. Sic de Iudæis ſceleſte finxerunt gentiles, aſini ductu deſerta penetraſſe. Sic Africam peragrante Libero, cum exercitus eius ſiti premeretur, arietem ducem ſequuti milites, eo ipſo loco quo poſtea Hammonis delubrum fuit, ingentem aquarum vim repererunt. L. Ampelius, & qui mox referentur ad 4, 7, 23. Quæ quidem aut fabuloſa merito creduntur, aut ex ſtulta atque nefaria ſuperſtitione orta: quod etiam in Chriſtianæ profeſſionis plebecula grauiter notat Albertus Aquenſis, extremo lib. I. expeditionis Hieroſolym. *Fuit & aliud ſcelus deteſtabile in hac congregatione pedeſtris populi ſtulti & veſanæ leuitatis, quod Domino odibile & omnibus fidelibus incredibile non dubitatur. Anſerem quendam diuino ſpiritu aſſerebant afflatum, & capellam non minus eodem repletam; & hac ſibi duces huius ſecundæ viæ fecerant in Ieruſalem, quas & nimium venerabantur, ac beſtiali more his intendebant ex tota animi intentione. Quod abſit à fidelibus cordibus &c.* Elegantem fabellam refert Marin. Sanutus in ſecretis fidelium crucis lib. 3. part. 3. cap. 6. de Carolo Magno: *Cum peruenisſet cis Ieruſalem ad deſertum, quod vix in duobus diebus tranſiri conſueuit, in quo erant vrſi, leones, tygrides, & aliæ feræ diuerſæ; Rexque Pſalmos dicens, cum ad illum peruenisſet verſiculum:* Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui: *vox aliis prope lectum eius audita eſt: quam qui aderant audientes, expergefacti ſunt. Rex vero Pſalmos continuauit, vſque ad verſum illum:* Edue de cuſtodia animam meam. *Et iterum ales clamauit:* France quid dicis? France quid dicis? *Hanc alitem Rex proſecutus eſt paruula ſemita, donec recognouerunt callem quam præcedenti die amiſerant: & peregrini ex tunc ceperunt audire ibidem alites ſic loquentes.* Porro de coruis minus miraculoſa res eſt: quoniam illi ſequuntur cadauera, quæ non temere inueniunt, niſi per loca habitata. Vnde & Barroſius Aſiæ 1, 1, 10. ſcribit Azenegos iter per arenas dirigere ventis, ſtellis, & auibus, maxime coruis, vulturibus, & ſimilibus cadauera ſectantibus.

4,7,16. *ITA VNDIQVE)* Alios hic nihil offendiſſe non miramur. eſt enim non ſane nimis aſperum quod meas tamen aures radit. Leuigabis vnius adiectione literulæ, quæ geminanda, geminæ ſuæ occaſione periit: *Incredibile dictu, inter vaſtas ſolitudines ſita, vndique ambientibus ramis &c. Sita* nempe ſedes. *Ita* ſuperuacuum, niſi ita mutes: Acidalius adprobante Radero. Ego ſuperiora quoque ſic ſcribam; *Tandem ad ſedem d. e. ventum. ea (incredibile dictu) int. u. ſol. ſita &c.*

SILVAS) Lucanus 9, 522.

Eſſe locis ſuperos, teſtatur ſilua per omnem
Sola virens Libyen: nam quicquid pulueris ſicco
Separat ardentem tepida Berenicide Leptin,
Ignorat frondes; ſolus nemus extulit Hammon
Siluarum fons cauſſa loco - - Raderus.

4,7,18. *ACCOLÆ)* *Non satisfacit* (inquit Glareanus) *hæc descriptio Geographiæ periso, quamquam eam ego corruptam & mutilam, denique male distinctam puto. Priorum enim versuum sensus de ortu & meridie, vbi distinguendus est nescitur, Æthiopum, Troglodytarum, & Arabum.* Sed nec corruptus locus est, & distinctu facilis. Ita ergo interpunge: *Accolæ sedis sunt ab Oriente proximi Æthiopum; in meridiem versi* [alii *versus*] *Arabes spectant,* [malim *spectat*, vt referatur ad *sedem*] *(Troglodytis cognomen est) horum &c.* Raderus.

IN MERID. VERSVS) Vide Indicem, voce *versus.*

TROGLODYTIS) Hos enim etiam Arabum esse partem atque constant ex Ioseph. patet, qui Antiq. 1, 16. scripsit, Abrahami filios è Cetura occupasse Troglodyticam, & Arabiæ felicis partem. Raderus ait hodie *Abassinos* dici, regnum *Barnagas* indigenas nominare.

SCENITAS) Quidam libri *Symnos*, quos Raderus ait posse videri *Simos*, quorum mentio apud Diodor. Ego vero nullos ibi reperio *Simos*, sed *Symen* quandam insulam, quæ tamen huc pertinere non potest. De Scenitis dicemus in Indice.

4,7,19. *NASAMONES)* Hunc locum Curtii aperiunt nobis versus Lucani 9, 438.

Hoc tam segne solum gratas non exserit herbas,
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit; nam littoreis populator arenis
Imminet, & nulla portus tangente carina
Nouit opes: sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent - - Raderus.

4,7,21. *VETEREM)* Sebisius malebat *veterum.*

DEI ORACVLVM) Cuius originem Nigidius apud Cæsarem Germanicum ad Arati arietem, refert ad arietem, qui subito ex arenis extitit, cum Bacchus illac exercitum duceret. Immortali autem, inquit, honore donatum (inter astra nempe Zodiaci seu signiferi) quod cum Liber exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiam pateretur, subito aries ex arena exiuit, & Liberum cum suo exercitu ad aquam diuinitus perduxit. Hoc facto Liber eum arietem Iouem Hammonem appellauit, eique fanum magnificum fecit, eo in loco, vbi reperta est aqua; & abest ab Alexandria itinere dierum nouem, locus arenosus, & serpentum multitudine plenus, & ab arena Ammon est nominatus. Ita fere quoque apud Hyginum volum. II. in ariete *Hermippus dicit: quo tempore Liber Africam oppugnauerit &c. aries quidam fortuito ad milites eorum errans peruenit, quos cum vidisset, fuga sibi præsidium parauit. Milites autem qui eum fuerant conspicati, etsi puluere & æstu pressi vix progrediebantur, tamen vt prædam ex flamma petentes, arietem sequi ceperunt vsque ad eum locum, qui Iouis Hammonis postea templo constituto est appellatus. Quo cum peruenissent, arietem quem insecuti* [sic lego] *fuerant nusquam inuenire potuerunt. Sed quod magis hic fuerat optandum, aquæ magnam copiam in eo loco nacti sunt, corporibusque recuperatis Libero statim nunciauerunt, qui gaudium, ad eos fines exercitum duxit, & Iouis Hammonis templum cum arietinis cornibus simulacro facto constituit, arietem inter sidera figurauit.* Alias origines deducit Herodotus 2, 55. quas ait se accepisse ex relatione sacerdotum Iouis Thebani, de duabus feminis sacerdotibus à Phœnicibus adductis: de duabus vero nigris columbis Dodonæorum sacerdotum narratione. Sed hæ fabulæ Herodotianæ sunt, quibus vt pater fabularum abundat. Virgilius Iarbam Africæ Regem videtur conditorem Hammonis laudare, Æn. 4, 198.

Hic

Hic Hammone satus, rapta Garamantide nympha,
Templa Ioui centum latis immania regnis,
Centum aras posuit - - - [Ego nihil tale ex his versibus effingam: sed tantum hoc, Hiarbam in honorem parentis scilicet sui, toto regno, quod late patebat, plurima templa, plurimasque exstruxisse aras. *Centum* enim posuit pro multis: vt in hoc - - *Si linguæ centum sint, oraque centum.* Vnde grauis est error Haurechi, qui in libello de cognomin. deor. ex istis versibus computat in templo Ammonis centum aras fuisse.] Diodorus 17, 50. templum eius ab Ægyptio Danao conditum prodidit. Idem 3, 73. Hammonem Libyæ regem fuisse scribit. *Idem traditur,* inquit, *Ammon galea in bellis vsus, cuius insigne fuit arietis caput. Sunt qui ipsum affirment naturâ in vtroque tempore paruula habuisse cornua, propterea filium eius Dionysium* (Bacchum) *pari fuisse aspectu: posterisque traditum deum hunc cornua gestasse.* Idem 1, 13. Iouem Ammonem Osiridis patrem facit, cui etiam filius aureum templum exstruxerit. Silius 3, 684.

Hanc sedem primo Cytherea condidit ales,
Hic vbi nunc aras, lucosque videtis opacos,
Ductore electo gregis (admirabile dictu)
Lanigeri capitis media inter cornua persistans,
Marmaricis ales populis responsa canebat.

Eandem fere referens fabulam, quæ supra ex Herodoto tacta est: quem imitari volens Silius in hoc errare videtur, quod albas facit columbas, quas Herod. nigras.

At quæ Carpathium super æquor vecta per auras
In Libyen niueis tranauit concolor alis.

nisi velimus ibi pro *niueis* substituere *nigris*: quod facile mutare potuit aliquis fabulæ ignarus, & qui mallet niueam dici columbam, quam nigram. Aliam originem indigitat Theophrastus, referente Fanense ad Ouid. Fast. 4, 791.

- - - *Sunt qui Phaëtonta referri*
Credant - - -

Phaëtontem obiisse in Æthiopia Ammonis, & ob id delubrum ibi esse, atque oraculum. Aliam adhuc Hyginus in Ariete: Ammonem fuisse Æthiopem, qui ad Liberum adducto pecore, sic ab eo fuerit honoratus. Suidas à pastore vocatum vult, qui id templum primus erexerit. Raderus.

4,7,22. *AQVAM SOLIS)* Forte leg. *fontem quem solis &c.* præsertim cum ita videam legere Pal. 1. & ceteros quoque scriptores sic vocare. Meminit eius præter historiæ nostræ scriptores Solinus cap. 27. Plinius 2, 103. qui ex vno hoc fonte duos videtur facere. Scilicet legerat Hammonis fontem hac natura esse: deinde apud alium auctorem, huiusmodi fontem esse in Troglodytis, ergo pro duobus habuit, cum non succurreret, hunc, quisquis est, ipsum fontem Hammonis adnumerasse Troglodytis ob vicinitatem locorum. Quam ob caussam Garamantidi regioni eum adnumerare videtur Altisiod. Chronol. ad Africa: *Garamantis regio, vbi est fons qui frigescit calore diei, & calet frigore noctis.* Sed & Lucan. 9, 511. Garamantis eum fontem tribuit. Quamquam quum in opido *Debris* fuisse Solinus ait, cap. 29. ex Plin. 5, 5. videatur abire ab illa sententia. Hunc enim fontem Solis in huius nominis opido fuisse, nemo ex histor. Alex. scriptoribus dicit. Beniaminus vrbem hoc nomine *fons Solis* siue *Ein-Schemes* collocat in Ægypto; quam doctissimus eius interpres coniicit esse Heliopolin. Ipsius vero rei caussam nititur reddere Lucretius 6, 848. Ouidius Metamorph. 15, 309.

- - - - *medio tua corniger Hammon*

Vnda die gelida est, ortuque vbituque calescit. Vide etiam Dausqueium in Silium pag. 158. pr.

4,7,23. EFFIGIEM HABET) Sane multum abit Curtius à plerisque aliis rerum scriptoribus, qui arietina fronte & ore cornuto, vmbilicotenus Hammonem exprimunt. Sed hic primum de scriptura controuersa videndum est. Chirographa omnia, quæ potuerunt haberi, & ὑπογεγραμμένα exemplaria hæc verba exhibent: *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habebat, quam vulgo diis artifices accommodauerunt. Vmbilico maxime similis est. Habitus smaragdo & gemmis contextus.* Fr. Modius cum Palmerio legit: *Vmbilico tenus arieti similis est*, & geminas voces, *tenus* & *arieti* admensus est ex sito, quæ in Curtio nullæ sunt. Omnes enim & MSS. & vulgati vere rectèque videntur habere: *Vmbilico maxime similis est.* Sed quæ mens, inquis, Curtio? certe Modii verba speciem veri habent. nam, vt pro illo in speciem propugnemus, Sextus Pompeius, *Hammon*, inquit, *cognominatus, quia in arena putatur inuentus, quæ Græce hoc nomine ἄμμος appellatur. Cui cornua affinguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inuentus est.* Et Herodotus 2, 42. *Iupiter cum nollet ab Hercule cerni, ab eo tandem exoratus, id commentus est, vt amputato arietis capite, pelleq; villosa quam illi detraxerat, industa, sese ita Herculi ostenderet, atque inde factum vt Ægyptii Iouis simulacrum arietina facie consingerent, & ab Ægyptiis Ammonios aiunt accepisse.* Græci quoque Ammonem κεραοφόρον nuncupant. Phestus, an Ephæstus, Græcus auctor:

Ω Λιβύης Ἄμμων κεραοφόρε κέκλυθι μαντι.
O Libyæ vates exaudi corniger Ammon.

Iam Lucanus 9, 512. - - - - - *stat corniger illic*
Iupiter, vt memorant - - - Luctatium Placiadem vide ad illa Statii 3, 476. - - - - - *licet aridus Hammon*
Inuideat - - - - *Simulacrum*, inquit, *eius adiectis cornibus arietinis confectum est.* Et ipse Statius:
Quin est cornigeri vatis nemus - - - Ouid. Metamorph. 15, 309. - - - - - *medio tua, corniger Hammon,*
Vnda die gelida est - - - - Martianus: *Ammon apparuit cum cornibus arietinis & vestimento lanicio, ac sitientibus vndam fontis exhibuit.* Seruius ad Virgil. Æn. 4, 198. *ideo arietino capite fingi solitum* ait, *quod eius essent inuoluta responsa.* Traditur Ammon in bellis galea arietis cornibus insigni vsus, indeque putatur fabula nata. Apud Lucianum κεραοφόρωμα appellatur. Arnobius lib. 6. *Itaque Hammon cum cornibus iam formatur, & fingitur arietinis.* Quamquam Arnobius Iouis Hammonis statuam ad modum hominis factam intelligat, eique pro insigni cornua arietis velut pro tegumento apposita. sic enim ille: *Si modo Iouis cornua detrahat, & Martis temporibus affigat, Martem armis spoliet, & his rursum circumcludat Hammonem; interstinctio fieri quæ poterit singulorum? cum qui Iupiter fuerat, idem possit existimari Mars esse: & qui Mauors fuerat, subintroire speciem Iouis possit Hammonis.* [Eandem sententiam tuetur Boissard. de diuinatione, vbi de nemore Hammonio scribens, ait: *in cuius medio statua Iouis erecta erat capite arietino, & vestibus pellibus tecta.* Minutius Felix: *Iupiter cum Hammon dicitur, habet cornua: cum Capitolinus, gerit fulmina: cum Latiaris, cruore perfunditur.* Silius 3, 14. ex correctione Modii Nouant. ep. 34.

- - *cornigeri veneratus numinis aras.* & mox:
- - - - - *nemorosaque regna*
Cornigeri Iouis - - - - Idem sensus Sidonio Carm. 5, 264.
- - *doctis balatibus Hammon*
Si sanctum sub Syrte genit.

& Ta-

& Tacito H. 5, 4, 3. *casso ariete, velut in contumeliam Hammonis.* Ouidius in Ibin vers. 297.

Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
Quam qui cornigero de Ioue natus erat.

Hunc intelligit Tertullian. apolog. cap. 16. *de ariete cornutum.* Pertinet eodem Solinus cap. 27. *Illic & lapis legitur, Hammonis vocant cornu: nam ita tortuosus est & inflexus, vt effigiem reddat cornus arietini.* Ad eiusdem auctoris cap. 52. vbi de arboribus piperis agit, adnotat Salmasius, auctori Græco qui vitam Alexandri fabulose describit, Ammonem vocari κερασίφατον. Vbi etiam de numno Alexandri loquitur, cornutum exhibente regem. Sunt enim & alii eiusdem nummi ea forma. Vide Zamosii analecta antiq. Daciæ cap. 11. nam *& à statuariis cornutus volebat effingi*, vt auctor est Clemens Alex. in Admonit. aduersus gentes. Atque adeo hinc Alexandr. Arabibus *Dhelkarnain* hoc est *bicornem*, appellatum fuisse credam, quam ob rationes quæ in eruditissimi Viri, Amici, dum vixit, magni, Wilhelmi Schikardi Tarich pag. 73. referuntur. Quod magis etiam patet ex Athenæo 12, 9. vbi *Ephippus scribit Alexandrum sacras etiam vestes in conuiuiis gestasse, nunc quidem Ammonis purpuream, per ambitum diuisam, & cornua.* Quod quidem & successores eius Macedoniæ reges vsurpasse, vt cornua gestarent in casside, aliquot exemplis ostendit Lazius lib. 1. rer. Græcarum. Ipsum etiam Hammonem cum cornibus arietis spectari in numo Traiani testatur Schottus de religione prisca: in alio eiusdem Imp. quem Dausqucius ad Sil. 3, 9. exhibet, insidens arieti exprimitur. vbi nonnullos citat Dausqu. qui cornua aut etiam corpus arietis ei adscribunt.] Hæc & his plura à me & aliis laudata Auctorum testimonia videntur pro Modio facere ad corrumpendum Curtium. Sed oportebat Modium ad duplicem Hammonis faciem, animum & oculos aduertere, alteram, quæ pro icone ipsius habebatur; alteram quæ pro ipso numine colebatur. Illa specie arietina fuit; hæc vmbilici, quem hoc loco delineat Curtius. Pro nobis facit eruditissimus vir & Sodalis noster Andreas Schottus apud Ortelium. *Vmbilicum*, inquit, *hic interpretor rem aliquam eminentem* (vt vmbilicus in concharum genere, aut in corpore humano) *metæ instar, veluti conum, aut quadratum, aut rotundum: quemadmodum voluminibus iam fere absolutis (teste Porphyrio) ornamento & vsui apponi solent, atque etiamnum hodie extrinsecus globi dimidiati forma apponuntur. Priscæ enim gentilitatis homines, hac informi forma non raro deos suos indicasse potius quam effigiasse, documenta sunt multa. In templo Delphico vt refert Strabo lib. 6. vmbilicus conseruabatur fasciis velatus, ad demonstrandum quod hic locus in vmbilico, hoc est, medio terrarum esset. Eratque vt Pausanias lib. 10. refert, ex candido marmore. Veneris deæ enim signum, apud Cypri Paphum, auctore Tacito H. 2, 3, 6. continuus erat orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exsurgens. De eadem fere idem Maximus Tyrius Orat. 38. nisi quod albæ Pyramidi similem fuisse dicit. Idem ibidem scribit Arabes deum suum tetragono lapide significare, & vt Suidas in Θεὸς Ἄρης habet, nulla figura incisa, qui hoc de Arabibus Petræis dicit, quorum hunc deum, Martem ait. Informem lapidem facit eundem Minutius Felix. Pessinuntios quoque in Phrygia, lapidem pro matre deorum habuisse, auctor est Liuius 29, 11. 6. Silicem Arnobius lib. 6. non magnum, coloris furui atque atri, angulis prominentibus inæqualem. lib. 2. lapidem nigellum dicit Prudentius. De Solis siue Heliogabali figura, Herodianus 5, 5. fere idem quod Curtius de Ammonis: sunt enim hæc eius verba, Politiano interprete: Simulacrum nullum Græco, aut Romano more factum ad eius dei similitudinem. Sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni formam.* Plura ibidem Schottus, quem inspicies. [Addi potest ex Apuleio lib. XI. *Isidis effigies, non pecoris, non auis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilis &c.*

& quæ notat Scaliger ad Euſebii num. CCCLXXVII. & DCCCLXX. & MCCL. Tertullian. Apolog. cap. XVI. Pauſan. lib. IX. vbi de Hercule Hyettio. Herodot. 4, 62. Solin. cap. XXV. Mela, 2, 1. f. Herald. ad Arnob. Plinius 37, 11. pr. Videndum an huc pertineant *Lapides qui diui dicuntur* in Lamprid. Heliogab. cap. VII.] Habes apud eundem in nummo æreo Imperatoris Antonini vmbilicum expreſſum. Aliter tamen interpretatur vmbilicum omnis antiquitatis ſtudioſiſſimus perueſtigator, Græcæque, Latinæ, & Hebrææ vocis gnarus, nobiliſſimus vir, Io. Georgius Hervvart in libro quem de magnete doctiſſimum condidit, necdum vulgauit: *Ita nullo* (inquit, poſt longiſſimam de magnete diſputationem) *negotio oſtendam, oraculum Iouis Ammonis* (*quod Arriano 3, 1, 9. teſte ἀτρεκὲς ἐλλιπὲς εἶναι*: infallibile dicebatur eſſe) *nihil aliud fuiſſe, quam chartam, quam vocant marinam, pyxidi nauticæ, ſeu magneticæ rite iunctam. idque hac ratione probo. Q. Curtius inquit* Vmbilico maxime ſimilis eſt (*ergo chartam marinam & pyxidem nauticam præſentauit*) habitus ſmaragdo & gemmis coagmentatus. *Quippe lineæ illæ, earumque extremitates, circumferentiam circuli contingentes, quæ vel cardines quatuor mundi, vel reliquos octo rhombos principales, vel denique reſiduos ventos intermedios deſignabant, aliis gemmis & coloribus, vt fit, fuerant inſignitæ.* Hunc (*Iouem Ammonem*) cum reſponſum petitur, nauigio aurato geſtant ſacerdotes, cum multis argenteis pateris ex vtroque nauigii latere pendentibus. *Ad Curtium redeamus.* Habitus (*nam ſic iungenda verba ſunt*) ſmaragdo &c. *Mens Curtii: quod pro deo colitur, formam habet vmbilici, veſtis, habitus, non aliter quam materia vmbilici eſt, ex ſmaragdo & variis gemmis compoſitus. Diodor.* 17, 50. Simulacrum dei ex ſmaragdis & aliis quibuſdam conſtat. [Hic finere videntur verba Hervvarti, ſequentia eſſe Raderi.] Quia tamen vox *habitus* non pro materia ſed materiæ forma apud ſcriptores accepta legitur, vt *habitus corporis, vocis, hominis fuit, quieſcentis, ſedentis, cubantis*, & quæ ſunt huius generis, fortaſſe verius exponemus verba Curtii in hanc ſententiam: *Vmbilico maxime ſimilis eſt habitus, ſmaragdo &c.* Hæc interpunctio eſt omnium antiquorum Codicum, quæ refert hunc intellectum verborum: vmbilico ſimilis eſt habitus, ſeu forma, ſpecies, modus, facies eius, quod pro deo colitur, lapidis, inquam, qui conſtat ex ſmaragdo & aliis gemmis, ſed factus in modum vmbilici. [Huic ſententiæ & ego accedam.] Erunt fortaſſe, qui hoc modo rem interpretabuntur: Effigies ſimilis eſt vmbilico, habitus ſeu veſtis, cultuſque vmbilici eſt ex ſmaragdo & gemmis coagmentatus. Non incommode ſane; ſed nuſquam lego lapidem pro deo cultum, fuiſſe alia veſte contectum. Thebanus enim Iupiter non lapis fuit, ſed ſtatua Iouis arietina fronte, quam pelle contegebant. Si porro quæras quantus fuerit lapis vmbilici? reſpondebo id nuſquam expreſſum; fas tamen eſſe, ab exemplo Arabum docere, de quibus eſt apud Arnob. lib. 6. & Suidam in Θεὸς Ἄμμων ſupra citatos: illos rudem lapidem pro Marte coluiſſe, *quadratum, informem, longum pedes quatuor, latum duos, incumbentem aureæ baſi.* Hammonis lapidem parnum non fuiſſe licet exiſtimare, *quod illum octoginta ſacerdotes humeris in aurea naui geſtarint, quo forte fortuna dei nutus eos agit.* Diodorus 17, 50. Raderus. Confer ea quæ notat Dausqueius in Silium Ital. pag. 101. & Gyraldus Synt. 2. de diis.

SMARAGDO) Circum ea enim loca naſcitur. Plin. 37, 5. vide.

4, 7, 24. *CVM RESPONSVM PETITVR)* Hoc obſeruandum ex Diodoro 17, 50. Herodoto, Calliſthene, Homero, & aliis, multa oracula nutu duntaxat eſſe data à diis paganorum, vt & hoc Ammonis. Euſtathium vide ad Dionyſ. Afrum verſ. 212. Strabonem lib. 17. vbi de Hammone. Raderus. Tamen Boiſſardus nonnulla Hammonis oracula refert, tanquam voce reddita: quem adi in op. de diuinatione.

NAVI-

NAVIGIO) Num id *adiectam* docet *religionem?* Tacit. Germ. 9, 2. Sebiſius. Sic de naue Saturni Ouid. Faſt. 1, 239.

At pia poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata dei.

Simile quid de Hercule Erythræo legas apud Pausan. lib. VII. Ceterum hunc totum locum Curtii Hervvartus allegorice putat accipiendum. ſic enim ille: *Cum itaque Iupiter iſte Ammon, vt reſponſum det, nauigio fuerit geſtandus, quis iam amplius dubitabit, ad rem nauticam eum pertinere; & quidem ad directionem nauis Prætoriæ, quam κυβερνήτην, & βασιλίδα vocant, vt quæ deaurari fuerit ſolita: idque eo magis, quod ab ipſis ſacerdotibus, tanquam nauis illius gubernatoribus, fuerit geſtatus. Pateræ vero argenteæ, ex vtroque huius auratæ nauigij latere pendentes, ſine omni dubio pyxides illæ nauticæ ſunt, quæ in chartæ marinæ circumferentia, octo vel ſedecim numero circumcirca, æquali ſpatio à ſe inuicem diſtantes, delineari ſolent. Et denique ſubiungit Curtius*: ſequuntur matronæ virgineſque &c. *Repræſentant itaque hæ matronæ & virgines, reliquas videlices eiuſdem claſſis, maiores & minores naues, quæ inconditis carminibus & laborem atque tædium nauigationis ſolantur, atque ſimul vnæ remigia moderantur, & nauem Prætoriam, quæ ex arte magnetica prænauigat, atque noctu & interdiu lampades & faces ardentes ſecum gerit: noctu quidem flammam, & interdiu fumum è longinquo cernentes, ſubſequuntur & comitantur.* Hactenus Hervvartus. Sed Diodorus 17, 50. etiam aperte rem denarrat, ingentem ſcilicet matronarum virginumque turbam ſecutam toto itinere Pæanas canentium, deumque hymno patrio celebrantium: allegoriæ nulla mentio, vel ſignificatio. Et reuera longius cum ſuis allegoriis videtur nauigando progreſſus Hervvartus. [Maxime cum pyxidis nauticæ, pauculis ante nos inuentæ ſæculis, nullus tum fuerit vſus.] Raderus.

4, 7, 25. *FILIVM)* Euſtath. in Dionyſ. Afri verſ. 212. forte ex Plutarcho cap. 49. narrat, videri nonnullis errorem id antiſtitis fuiſſe, qui Græcæ linguæ non ſatis peritus, quum Alexandrum blande *παιδίον filiolum*, appellare vellet; ſic dixit *παῖ Διὸς, fili Iouis.* Quam tamen opinionem vix ſane probabilem, non ſecutus eſt Curtius. ne enim errore lapſus videretur, addit: *hoc nomen illi parentem Iouem reddere.* Veriſimilius Oroſius ex Iuſtino 11, 11, 6. ſubornatum ab Alex. ſacerdotem regi volentia reſpondiſſe. quod magis adhuc credibile faciunt multa circa ea tempora, corruptæ Pythiæ documenta, vt reſponderet quod cuique corruptorum cupientibus eſſet. Vide Herod. 5, 63. 6, 66. Thucyd. 5, 3, 14. Diodor. 16, 27. Non contemnendum eſt, quod cap. 3. Plutarchus tradit, Philippo Delphos mittenti reſponſum fuiſſe, vt præcipua religione coleret Ammonem. ſiue iam tum ea dæmonum fuit conſpiratio; ſiue temere datum oraculum ex poſterioribus euentibus obſeruari ceptum, aut etiam plane confictum eſt.

ACCIPERE) Cuius rei non vnam cauſſam habuiſſe comperio. primum enim præter inſitam animo vanitatem, & faſtum ob res ſecundas (quam ei dicam impingunt Iulian. orat. I. & omnes fere ceteri, qui mentionem eius faciunt. & confirmat Zonaras narratiuncula ſingulari: morti proximum in Euphratem demergere ſe voluiſſe, vt fama vulgaret, mortalium oculis ereptum ad deos exceſſiſſe.) famam eius multum valituram credebat ad debellandos hoſtes, vt ipſe innuit infra 8, 8, 15. Deinde etiam *ignominiam ſibi patris incerti, & infamiam adulteræ matris abolere* voluit, vt Oroſius 3, 16. iudicat. Sic enim iam olim natalium ſuorum dedecora velauiſſe didicerat omnes fere eos, qui deorum aliquem patrem ſibi mentiebantur. Vide Zamoſii analecta antiquit. Daciæ c. 11. Et hæc ſane vna eſt ratio, qua factum illud quomodocunque excuſari poſſit. eam enim ſi demas, nihil obſtat iudicio Bocatii de Geneal. deor. lib. 13. ex-

remo:

tremo : *O insipidum inclyti iuuenis desiderium, malle potius se adulterio quam ex connubio genitum, malle draconis se filium credi, quam Philippi clarissimi regis, & potius spurium quam legitimum arbitrari. O mortalium mentium, non solum inanis, sed detestanda gloria! is qui continue in oculis amicorum patiebatur mortalia, per mendaciorum fascinationes ab eisdem se immortalem existimari cupiebat insipide. Sed quid tandem? Hanc ob caussam reiicitur merito, ne fraude gaudeat qui virtute poterat laudari.* Quadrant in Alex. illa Ouidii Metamorph. 9, 24.

Iupiter aut falsus pater est; aut crimine verus
Matris adulterio patrem petit: elige fictum
Esse Iouem malis; an te per dedecus ortum.

Qualis apud Tacitum 15, 72, 4. Nymphidius *ex C. Cæsare se genitum ferebat.* Nescio num ita potius accipiendus sit Sidonius Carm. 2, 124. vbi dicit quæsisse Alexandrum

Cynisia sub Syrte patrem maculis genitricis:

quam, vt explicat Vir doctissimus, de maculis à concubitu draconis, in matris corpore relictis. vt nimirum Sidonius velit, eum per infamiam matris, quam eo modo adulterii ream agebat, Hammonem sibi patrem quæsiuisse. Certe enim de maculis eius generis serpentinis nihil recordor legisse, quod ad Olympiadem pertineat. Nam de Augusti matre proditum id à Suetonio cap. 94, 4. Hanc igitur originem, quacunque caussa ambitam, variis postea modis ostentauit Alexander. Nam inde est quod, teste Clemente Alex. in admon. aduers. gentes, *pulchrum hominis vultum cornu dedecorauit*: qua de re supra ad 4, 7, 23. abunde dictum est. Inde quod in Ægypto *Ammoniam* vrbem condidit, postea *Parætonium* vocatam, vt auctor est Strabo lib. 17. & Stephanus, quam hodie *Raxam* dici, scribit Dominicus Marius Niger Geogr. Aphric. Comment. III. item quod in nummis quibusdam, serpentem qui paruulum infantem ore euomit, repræsentari iussit, qua re *Ioue se natum rex ille per ambages ostendebat*, vt explicat Alciat. de singulari certam. c. 43. & in Emble. à principio: vbi Mediolanensium Ducum idem insigne hinc repetit: & sequutus Alciatum Camerar. subciſiu. c. 2, 9. Eodem pertinere putem, quod ei Corinthii statuam Iouis ornatu intra Altim dedicarunt, Pausan. lib. 5. & quod ab Apelle, apud Plin. 35, 10. fulmen tenens, pictus est. Fulmen enim insigne Iouis habebatur. Quamquam eius rei caussam aliam assignare non foret difficile: argumentum scilicet fuisse celeritatis cum magna audacia atque vi coniunctæ: quam ob caussam & inter Lagidas reperitur Ptolemæus *Ceraunus*, & inter Osmanidas Baiasites *Gilderum*, vtroque hoc vocabulo fulmen siue tonitru significante. Videri tamen possit (si quidem nimia superbia fidem huic assertioni non ademisset) bona potius ratione parentem affectasse Iouem, quod ex sententia Homeri crederet eum omnium esse patrem, maxime autem eorum, qui virtute præcellerent, quem in sensum cum eo colloquentem Diogenem facit Dio Chrysost. orat. 4. idque confirmant Maximus Tyr. orat. 25. & Plutarch. Apophth. cap. 39. & in vita cap. 50, nec se minus dignum eo honore duceret, antiquis illis qui eum similiter adepti fuerant. Quo pertinere videtur quod subiicimus. Cum Olympias audita hac fama, ægre ferret Alexandrum Iouem sibi patrem adoptare, eoque argutissima epistola (quam refert Agellius 13, 4.) reprehenderet hominem, respondisse fertur, compertum sibi ex Ægyptio sacerdote, Leonem appellat Augustin. de Ciu. Dei 8, 5. reliquos etiam priscorum deos, homines fuisse. Cuius rei locupletissimi testes sunt Cyprianus de vanitate idolorum, Athenagoras in legatione pro Christianis, & Minutius Felix in Octauio. Adde Diodor. lib. VI. Excerpto I. apud Valesium. Aliorum qui idem diuinitatis fastigium, tralatitia à primis parentibus ingenii humani cupiditate, affectauerunt, complura exempla leges apud Camerarium subciſiu. cent. 2. c. 9. Clementem Alexandrinum in admonit. aduers. gentes,

tes, Pierium Hieroglyph. 43, 27. Cœlium Rhodig. A. L. 3, 5. & Dempster. ad antiquit. Rosini 3, 18. Speciatim autem de iis, qui à serpentibus concepti voluerunt videri, Camerar. subciſiu. 1, 69. & Gruter. ad Liu. 26, 19, 6.

HVM. SORTIS OBLITVS) Quamquam vulnera, venena, mors illum sæpe suæ sortis admonuerunt. [Quin & Macedonum libertas, de qua mox ad 4, 7, 31.] Pater Alexandri verus, Philippus inquam, vt nunquam se hominem in tanta felicitate obliuiſceretur, quotidie præcepit ephebo, vt mane ingressus Regis conclaue, proclamaret: *Philippe memento te hominem esse.* Ælian. hist. var. 8, 15. Notarunt etiam Sibyllæ Alexandrum:

Post ciuem Pelles, oriens cui paruit omnis
Diues & occasus domitori, quemque Philippo
Restituit Babylon, demonstrauitque putatum
Ammonis falsa Iouis ortum semine fama. Raderus. Quin & ipse *Alex. duabus rebus commoueri se dicebat, quo minus fidem haberet his, qui sese deum esse prædicarent, nempe somno & Veneris vsu: quod in his degeneraret, plusque solito afficeretur.* Plutarch. de discrim. adulator. & amici cap. 53. Idem auctor in vita cap. 50. & apophth. cap. 39. scribit: *iaculo crus ictum, multis concurrentibus eorum, qui ipsum sæpenumero solebant deum salutare, dixisse: hoc quidem sanguis est, vt videtis, non ille* (versus est Homeri IA. E. v. 340.)

Humor, qui superum manat de corpore diuum.

Quod tamen dictum diuersimode refertur. Nam Seneca epist. 59, 19. fere cum Plutarcho consentit. Sed pater eius in Suasor. I. Callisthenı id dictum verosimilius tribuit, eumque inde Alexandri indignationem incurrisse tradit. Verum Aristobulus Cassandreus apud Athenæum 6, 13. Dioxippum eius scommatis auctorem facit. Eodem tamen Athenæi loco Phylarchus rem memoratu dignam tradit: *Niceſiam Alexandri assentatorem, cum regem videret sumpto medicamento cruciari torminibus, dixisse: Quid, o rex, nobis fiet, quando vos deos hæc tormenta premunt? Alexandrumque respondisse vix sublatis oculis: Quales deos esse nos ais? vereor equidem ne inuisi diis inimicique simus.* Non tempero mihi quin adscribam similem de Ptolemæo secundo historiam ex Athenæo 12, 9. eum *sic fuisse dementatum ac perditum importuno luxu, vt sempiternam vitam sibi futuram somniaret, stulte iactans à se solo repertam fuisse immortalitatem. Cum igitur per multos dies articulari pedum morbo afflictatus esset, vbi conualuit, per fenestras deorsum apertas Ægyptios intuitus ad fluuium prandentes, in sabulo temere discentes ac iacentes, Me miserum, inquit, quod non ex illis vnus sim.* Merito igitur Alex. mortuum & falso dicterio Theocritus; & miserabili lamentatione prosecuta est Olympias. nam ille apud Clement. in admonit. aduers. gentes dixisse refertur: *O viri, bono estote animo, donec videtis deos mori ante homines.* Hæc autem apud Ælian. 13, 30. *audito, longo iam tempore sepulchro carere filium, grauiter ingemiscens, atque acerbissime plorans: O fili, inquit, tu, cum in deorum numerum referri volueris, & id perficere summo studio conatus sis; nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale & par ius est, particeps fieri potes, terræ, sepulturæque.*

4, 7, 26. *CONSVLVIT*) Maximus Tyrius Orat. 25. scribit; nihil amplius consuluisse, præterquam de Nili fontibus. Ego Curtii fidem antehabeam sophistæ Græculo.

ÆQVE IN ADVL. COMPOSITVS) Si recte percipio Curtium, ostendit alium fuisse maximum natu sacerdotem, qui Alexandrum filium Iouis appellauit: alium hunc vatem, æque ac illum compositum in adulationem. Quod notandum inuestigando istius pseudohierarchiæ ordini.

4,7,27. *POSSE VIOLARI)* Potuerunt tamen eiusdem farinæ alii. Nam & Diomedes Venerem vulnerauit ; apud Homer. Ιλ. ε. v. 336. quam ibi sic consolatur Dione :

Perfer filia mea, & tolera mœsta quamuis :
Multi enim iam pertulimus cœlestes domos habitantes
Ab hominibus, grauibus malis inuicem illatis.

Recenset deinde Martem ab Oto & Ephialte ligatum ; Iunonem ab Hercule, quin & Plutonem sagitta percussos. Sic apud Pausan. l. 8. Minerua a Teuthide in femore percussa legitur, & alibi similia multa, quæ meritissimo exagitant Clemens Alexandrinus, Arnobius, Minutius, Athenagoras. Lactantius Firmianus, Tertullianus, Augustinus, denique quotquot pro fidei Christianæ veritate scripserunt aduersus gentilium deliria.

PHILIPPI) Sic ipse distinguit inter Philippum & patrem suum in epist. ad Athenienses apud Plutar. cap. 50. *accepistis Samum ab eo, qui tum dominus & pater meus nominabatur : Philippum indicans.*

OMNES) Sic quidem & Appianus testatur lib. 2. de bell. ciuil. in fine. hic quidem fortasse vere : sed falso vates Ammonis. nondum enim eo tempore pœnas dederat Alex. Lyncestes, quem *in Philippi quoque cædem coniurasse cum Pausania pro comperto fuit.* Curtius 7, 1, 6.

4,7,28. *VT IPSI VICTOREM &c.)* Aut nimis hic ego video, aut nihil alii viderunt. Equidem non pannus magis in purpura conspicuus, quam iste mihi in Curtio adtextus. A mala manu puto appendicem illam totam, *vt ipsi &c.* Quorsum enim additamentum tale ? Periculum erat, ne caperemus satis, quid auctor vellet, nisi ipse adderet scilicet, quod sine nausea non legeremus. Glossema est, quod tu ciice lector ; & vindica nobiscum ab impura inculcatione purissimum castigatissimumque scriptorem. Acidalius. Simile autem responsum stercoreus ille deus reddidisse Rhodiis, idem de Ptolemæo querentibus, legitur apud Diodor. 20, 101.

4,7,29. *FORTVNA)* Hæc sententia non alium quam ipsum Alexandrum respicit ; ad quem etiam priora referenda : *æstimanti fidem oraculi, vana responsa videri potuissent* : nec quicquam apertius. non enim finit dubitare Curtius, addens eam *auidos potius gloriæ quam capaces facere*, hoc est, vesanos atque vanos reddere : quo certe pacto quanto auidiores fiunt gloriæ, tanto indigniores minusque capaces eius sunt. Est tamen qui sic interpretetur : Fortunam Alexandri plerisque persuasisse, eum aliquid maius homine habere, quamquam agnoscerent falsum fuisse oraculum.

4,7,30. *ETIAM IVSSIT)* Non quidem statim, sed *Persarum regno in suam potestatem redacto.* Ælian. hist. nat. 2, 19. Vnde ista quæ passim memorantur à scriptoribus : *Gorgum armorum præfectum custodiæ, re cum Alexandro* (qui tum Bacchо sacrificaucrat in Ecbatanis) *communicata, iussisse proclamari, se Alexand. Ammonis filium tribus aureorum millibus coronare.* Sic infra 8, 5. ex compacto res ab Agide & Cleone geritur, Rege post aulæa stante, vt persuaderetur Macedonibus adorandi regis ritus. cum iam *Iouis filium non dici tantum se, sed etiam credi vellet.* infra 8, 5, 5. Verum & tunc temporis Callisthenes, & alias semper non defuere, qui vecordi ambitioni obtiam irent. Sic *Anaxarchus cognomento Eudæmonicus, cum aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens Anaxarchus : At nostro deo (inquit) in cochlearis sorbitione spes sita est !* Ælian. in hist. var. 9, 37. & apud eundem 5, 12. *Conuocata Athenienstum concione, Demades surgens, decreto iussit, vt Alexander scriberetur deus decimus tertius. At populus impietatis magnitudinem non ferendam ducens, Demadi irrogauit mulctam centum* (decem scribit Athenæus 6, 13.) *talentorum, quod Alex.*

mortalem & hominem ascripsisset Olympicis. Sed vrbanissime Lacones idem 2, 19. excepisse literas eius refert, quibus petebat à Græcis, vt se deum facerent. *Itaque aliis aliter statuentibus, Lacedæmonij decretum eiusmodi fecerunt : Quoniam Alexander deus esse vult, esto deus. Laconice simul, & patrio more redarguentes stuporem & recordiam Alexandri.* Et Lycurgus orator *Athenienstibus Alexand. in deos referentibus, qualis vero, aiebat, iste sit deus, cuius è templo exeuntes opus habeant aqua se lustrali conspergere.* Plutarch. in Lycurgo orat. cap. 4. Non defuerunt tamen vilia capita, qui amentiam hominis, fœdissima simul & nefaria adulatione stimularent. Nam eundem illum Anaxarchum, de quo supra (vt scias verum esse illud Senecæ epist. 27, 9. adulatores diuitum esse *arrisores, arrosores, & derisores*) Satyrus apud Athen. 6, 13. tradit, iter cum Alexandro facientem, *cum subito tonuisset, dixisse, nunquid tu hoc fecisti, ô fili Iouis?* Variat tamen nonnihil Plutarch. cap. 50. Et eodem Athenæi loco quidam Niceſias : *quid ô vex, nobis fiet, quando vos deos hæc tormenta premunt!* Quin & fuerunt (de quibus & Ælian. 2, 19. videtur innuere) qui eum publice in deos referrent, *tertiumdecimum in deorum numerum adscribentes*, vt ait Clemens Alex. in admonit. ad gentes. Cuius accessione insigniter confirmatur iudicium CL. Salmasii ad Lamprid. Alex. cap. 63. de loco Chrysostomi ex homilia XXVI. in poster. ad Corinthios, vbi docet, virum illum sanctum, dum scriberet Alex. Magnum à Romanis decimum tertium Deum fuisse factum, in hoc tantum errasse, quod Romanis adscripserit, quæ Athenienſibus aliisque Græculis erant tribuenda. Nam & Athenienses, vt erant mutabiles, deum feciſſe tandem Alexandrum, innuit Plutarch. in Lycurgo oratore c. 4, & Apophth. cap. 68. Et fabella Ægyptiaca, quam retulit Pierius Hieroglyph. 1, 7. argumento est, apud illas quoque gentes habitum fuisse pro deo. Ex eius successoribus solus Antipater vocare noluit deum, vt auctor est Suidas. *Traditum est à Cyrillo lib. 6. contra Iulianum, vt Alexander deus nominaretur, ter & decies decretum fuisse ab iis, qui per id tempus agerent.* In quibus verbis (sunt autem Reinecii in regno Macedonico, vbi de Alex. agit) suspicor esse mendum, & scribendum esse, *vt Alex. Deus nominaretur XIII.* hoc est, *tertiusdecimus.* quod quidem ita fere me reperturum crederem, si ipsius Cyrilli foret copia. Tantum est, hunc Alex. obtinuisse, vt apud aliquos honoribus cœlestibus ornaretur. Quod si quoquam in loco, certe Alexandriæ debuit. quo & alludit noster in fine huius historiæ ; & Dio Chrysost. orat. 32. *Ne igitur & vos talis furor apprehendat, ob zelum quem habetis propter Alexandrum. nam & ille dictus est Iouis filius.* Habuit & templum *apud Arcenam vrbem.* Lamprid. in Alex. Seuero cap. 5. de qua vrbe obiter indicandus error Ortelii, qui hoc nomine vocatam eam ait : est enim *Arœna vrbs* à proprio vocabulo *Arce*, quomodo *vrbem Romanam, Alexandrinam &c.* passim dicunt auctores. Arce igitur dicebatur vrbs illa, in Libano sita, cui Iosephus Antiqu. 1, 7. Arucæum conditorem tribuit. & 5, 1. Aseritis cessisse scribit, alio nomine Actipum vocatam. meminit eius & Stephanus. Vide omnino Scaliger. in Euseb. ad num. MMCCXLII. In ea igitur vrbe, vel apud eam templum Alexandro fuit. Nec defuit diabolus callidis ludibriis confirmare miserorum superstitionem, excitato etiam spectro, quod commessabundi & bacchantis more cum 400. fere hominibus, Mysiam atque Thraciam peruagatum est, nomen atque vultum Alexandri circumferens, vt scribit Xiphilinus in Auito.

CORRVPIT) Vere iudicat Curtius, quasi diceret, opera Alexandri, si iuxta humanæ virtutis modum æstimes, grandia sunt & admirabilia : si quasi à Deo profecta, vt ipse videri voluit, multum de claritudine sua perdunt. Quod & Lucianus eleganter notauit in dialogo Philippi & Alexandri : *Ceterum quod ais Alexander, tibi fuisse conducibile, quo facilius rerum potireris : id profecto multum tibi gloriæ ex bene etiam ac*

strenue gestis eripuit. Πᾶν γὰρ ἐθνικὴ ἐνδύεις νοῦν ἡτῆς γνησίας δόξης : cuius sensum non ceperunt interpretes. est autem hic : *quicquid enim egisti, id omne, siquidem vt à deo gestum æstimari debebat, imperfectum longeque infra dignitatem positum censebatur.* Et patet ratio. nam ab homine victas esse nationes, expugnatas vrbes, euersa imperia si narres, quilibet profecto censebit, eum hominem inter ceteros excelluisse: at si deo, vel etiam angelo tribuas, nemo certe magnopere id mirabitur, cum omnes sciant, *nullas esse hominum aduersus deos vires,* vt loquitur Iustin. 2, 12, 10. & Ouidius Metamorph. 8, 622.

– – – *quicquid superi voluere, peractum est.*

Allúdit huc Arrianus 5, 1, 2. cum dicit : *scripta quibus merito fides derogari posset, quando numinis alicuius mentio accedit, sit vt non omnino incredibilia esse videantur.*

4, 7, 31. *MAIORE LIBERTAT. VMBRA)* Hinc apud Lucian. citato dialogo Philippus eos vocat ἐλευθέρους ἄνδρας, *viros liberos.* & Hermolaus infra 8, 7, 14. *mirarís,* inquit, *si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Idque hac in causa sæpe demonstrarunt, vt videre est in locis parallelis textui adiunctis, præcipuis exemplis Philotæ, Callisthenis (quamuis hic propre Macedo non fuerit) Cliti, Polypercontis, Hermolai & vniuersorum apud Arrian. 7, 2, 8.

4, 7, 32. *TEMPORI RESERVENTVR)* Forte scripsit Curtius *suo quæque tempore referentur.* certe illud *tempore* comparet in Ald. ed. & nonnullis aliis.

4, 8, 1. *AB HAMMONE REDIENS)* [Male Cedrenus μετὰ τὸν ἀπὸ Βραχμάνων ἀναχωρήσαντα, *à Brachmanibus reuersus.* cum ipse paulo ante diuersum scripsisset.] Alexandria ab Alexand. anno regni 5. condita, vt auctor est Diodor. 17, 52. alii verius 6. ponunt ; quod primum regni annum Diodorus præterierit. Eusebius M. DC. LXXXVI. Eutrop. lib. 2. post princ. atque Cedrenus, septimo. (Sed hi finem, Diodorus initium vrbis spectauit) cum 25. ætatis ageret, Olymp. 112. auctore Solino cap. 35. L. Papyrio Sp. F. C. Petilio C. F. Coss. Liu. 8, 24, 1. Diodor. nominat Sp. Posthumium, & Veturium Coss. Athenis Aristophane prætore. Noster Salianus Annal. Eccles. Tom. 5. tempus ædificatæ Alexandriæ ita diserte explicat: *Annus* inquit, *mundi 3723. sextæ ætatis, imperij Persarum 207. Darij 8. Ieddoæ 34. Alexandri 6. (sextum accipe inchoatum; non finitum) Olymp. 112. 2. Archonte Aristophane. Vrbis conditæ 422. Coss. M. Claudio Marcello, T. Valerio Potito, ante Christum natum 330.* Scaliger animaduers. ad Eusebium M. DC. LXXXVI. *Alexandria in Ægypto condita. Metachronismus.* inquit, *vnius anni. condita enim anno antecedente, qui erat 2. Olymp. 112. Aristophane magistro Athenis, C. Valerio Potito Flacco. M. Claudio Marcello Coss. non autem anno primo eiusdem Olympiadis, vt scribit perperam Solinus, & fabulæ addit, L. Papirio Sp. F. C. Petilio C. F. Coss. quum illud par Consulum quinquennio post magistratum gesserit, anno secundo Olymp. 113. nisi quis intelligat L. Papirium Cursorem, C. Petilium Libonem Visolum II. At qui quidam eos consules infulserunt in annum quartum Olymp. antecedentis, neque eorum vllus idoneus auctor meminit. imo puto ex hoc loco Solini eos hoc par consulum expiscatos fuisse. Mira hallucinatio apud Velleium 1, 14, 6.* Fundáni & Formiani in ciuitatem recepti eo ipso anno, quo Alexandria condita est. *Ergo condita numero M. DC. XCIX. annorum. XXIV. metachronismo. quod absurdum.* [Errare videtur & Mercator in Chronol. qui ex Liuio conatur asserere, conditam esse Alexandriam L. Cornelio Lentulo, & Q. Publio Philone Coss.] Qui plenam veluti panegyrim & laudationem Alexandriæ quærit, apud Marcellin. 22, 40. &c. reperiet, qui *verticem omnium vrbium* appellat. Nihil tamen in illo leges; quod Strabo lib. 17. neglexerit. Raderus. Circa hæc tempora Papyri vsum fuisse repertum Varro tradidit, apud Plin. 13, 11. quem refutare conatur Polydor. Vergil. de inuent. rerum 2, 8. quod hic referre non visum est alie-

alienum, *cum,* vt Plinius ibi loquitur, *chartæ vsu maxime humanitas vitæ constet & memoria.* Est tamen papyri mentio apud Isaiam, qui multis ante Alexandrum sæculis vixit, cap. 19. vers. 6. ex versione septuaginta : καὶ ἐν παντὶ ἑλεῖ καλάμῳ καὶ παπύρῳ.

STATVERAT) Sed postea mutauit opinionem, monitus somnio, quo Homerum imaginatus est ostendentem vrbi condendæ locum. Plutarch. Alex. cap. 45.

VRBEM NOVAM) Chronicon Alexandrinum (à quo non longe recedunt Excerpta Latino-barbara, quæ Scaliger subiunxit Eusebio, itemque Vincentius, Antoninus, & historia fabulosa) duodecim ab eo vrbes ex suo nomine conditas recenset. *Alexandriam ad Pentapolim, quæ prius Tettus nuncupata, Mempheos emporium. 2. Alex. in Ægypto. 3. ad Harpam. 4. Cabiosam. 5. Scythiam in Ægeis. 6. ad Porum. 7. ad Cypridis flumen. 8. in Troade. 9. in Babylone. 10. ad Mesargares. 11. in Perside. 12. Casan.* Ex quib. Stephanus præter secundam & octauam, quæ est Troadis, vix vllam agnoscit: præter autem istas duas recensét adhuc sedecim, *Thraciam 2. Oritarum* (sic enim leg. in Indice ostendemus) *3. Opianam* (an *Oxianam?* vide infra ad 9, 8, 8.) *in India. 4. item Indicam. & 5. Arianam.* de quibus infra 9, 8, 8. *6. Ciliciam. de qua ad 3, 12, 27. 7. Cypricam. 8. Caricam. 9. Bactrianam* de qua Plin. 6, 23. *10. Arachosiam. 11. Macarenam* (an *Sacasenam?* vide ad 8, 4, 20.) *12. Sorianam in Indis. 13. Item Arachosiam. 14. ad sinum Melanem. 15. Sogdianam,* de qua 9, 8, 8. *16. ad Tanaim.* De qua infra ad 7, 6, 25. Notandum quod ait Salmas. ad Solini cap. 38. Stephanum *multas Alexandrias quasi diuersas memorare, quæ eædem sunt.* cuius rei documenta nonnulla, volente DEO, dabimus in processu huius operis. Et de Alexandria quidem Ægypti dubitare neminem sinit vrbis claritudo. De Troade, quam τὴν Τρωϊκὴν Ἀλεξάνδρειαν vocat ἡ τῶν Ὀλυμπ. ἀναγραφή, ad Olymp. 65ᵈ. scrupulum mouet Strabo. cum enim Chronicon eserte dicat ab Alexandro conditam; nec dissentiat Stephanus: Geographus lib. 13. originem eius Antigono videtur tribuere, ab eo Antigoneam fuisse vocatam, postea Alexandream, à Lysimacho, in honorem Alexandri. cui consentire videtur Plinius 5, 30. Ea est de qua loquitur Diodor. 20, 109. Ego crediderim ab Alexandro conditam, postea ab Antigono incrementum & nomen accepisse; eo deleto prænaluisse prius nomen, quod vtique Lysimachus potius reduxerit, quam vt hostem suum Antigonum eo honore frui sineret. Atque id aliis quoque vrbibus accidisse scimus. Sic & aliam Alexandriam in sinu Persico, quæ postea *Spasinu Charax* fuit, *Antiochus quintus restituit & suo nomine appellauit.* Plin. 6, 27. Quod supra verbis Salmasii monuimus, Stephanum interdum ex vna Alexandria facere duas, id eum commisisse quoque puto in prima quam Thraciam facit; & decimaquarta, quam locat ad sinum Melanem, quippe sinus ille est in Thracia, si credimus Plinio 4, 11. Vt hac ratione pauciores futuræ sint vrbes hoc nomine quam Stephanus credidit. Quamquam & eruditissimus Scholiastes ad Dionys. perieg. v. 254. adnotat *numerari in historiis Alexandrias supra octodecim.* Inter eas quarum nullum apud Curtium exstat vestigium, est Alexandria ad Pallacopam in Arabia, de qua Arrian 7, 4, 21. Alexandropolis Plutarch. Alex. cap. XIV. de qua loqui puto Stephanum : περὶ Θρᾴκης, πρὸς τῇ Μακεδονίᾳ. non enim Ἀλεξανδρούπολις, quæ vox ob similitudinem soni in locum alterius successerat, quod & in Sabellico factum animaduerti 4, 4. vbi de expugnatione Thebarum. Legitur & Alexandropolis alia apud Plin. 6, 25. f. Heraclea in Matianis. Plin. 6, 16. Alexand. Carmaniæ. Plin. 6, 23. f. Smyrna instaurata. Plin. 5, 29. f. Nicephorium. Plin. 6, 26. Xylenopolis. Plin. 6, 23. & ibid. nescio quod Cadrusi opidum, ad Caucasum. nisi distinguas; *Cadrusi oppidum ab Alex. conditum,* quæ videtur esse Alexandria Sogdiana.

4, 8, 2. *LOCVM)* Strabo lib. 17. docet, eo in solo ab antiquis Ægypti re-

gibus, exstructam fuisse Rhacotin, quæ postea Alexandriæ pars fuerit. quæ verba arguunt Strabonem haud recte intellectum fuisse à Mario Nigro. Ex eo Strabonis loco colligimus cur inter huius vrbis nomina legatur apud Stephanum Ῥακῶτις. Vide & Pausan. lib. V. Apud Cedrenum vitiose legitur Ῥαχίη. Rectissime igitur coniecerunt Ianus Parrhasius in Claudianum, & Pintianus in Plinium 10, 5. legendum esse: *qui locus antea Rhacotes nominabatur.* Hieronymus in Epitaphio Paulæ scribit, *vrbem No postea versam esse in Alexandriam.* & in commentario ad Nahum 3, 8. addit Alexandriam semper fuisse metropolim Ægypti sub primo nomine, scilicet No. Quam sententiam confirmare videatur Nubiensis, citatus ab eruditissimo Interprete ad itiner. Beniaminis, qui annotat: *Alexandriæ magnificentissimæ aulæ reliquias & columnas splendidas supereſſe: quam nonnulli à Salomone structam ferant.* Quem cum ex Reg. 3, 11, 1. sciamus in matrimonio habuisse filiam Pharaonis, cui & in sua regione magnifica exstruxit palatia; mirum non est si etiam in primaria Ægypti vrbe tale quid exædificauit.

EX NOMINE) Fulgosius 8, 15. *Vrbe ab Alexandro nominatæ in India, apud Assyrios, Ægyptum atque Asiam, item à Seleuco Seleuciæ, Antiochiæ ab Antiocho, Cæsareæ quoque per terrarum orbem à Cæsaribus conditæ, quid aliud indicant, nisi immensum famæ desiderium? quia sperabant huiusmodi vrbium conditores, ex appellatione, additis simul præclare gestis rebus, se æternitati nomina sua consecraturos.* Suberat tamen & alia Alexandro tot vrbium condendarum caussa, vt essent *velut fræni domitarum gentium*, infra 3, 10, 16. vbi pluribus.

PRÆESSENT) Ædificandæ vrbi præfectum esse tradit Plutarch. [forte Alex. cap. 124. & Tzetzes Chil. 8, 199.] *Stasicratem*, Strabo lib. 17. & Ælianus *Chinocratem*, quamquam apud Strab. legatur *Chiromocratem*, alii *Chersimocratem*, vt notauit Xylander, [Siluius c. 77. de Asia vitiosissime *Cheromocratem*] Iustinus 13, 4, 1. *Cleomenem* facit ædilem Alexandriæ: Plinius 4, 10. *Deinocharem* scribit; sed exemplaria veriora Dinocratem referunt, vti & Solinus cap. 32. & Vitruuius lib. 2. in præfatione, vbi elegantem de eo historiam exponit. Raderus. Adde Amm. Marcellin. 22, 40. & Valer. Max. 1, 4, 6. ext.

4, 8, 3. *MEMNONIS)* Andreas Schottus, vti arbitror, ad tabulam Ortelii, qua Alexandri expeditio vtcunque adumbratur, hunc Curtii locum illustrat, cuius verba libet hic referre, vt ego interim interiungam. *Hanc Memnonis regiam, in Abydo Ægypti vrbe, describunt Strabo lib. 13. Solin. cap. 32. & Plinius 5, 9. Hic idem vero 36, 7. eandem in Thebis, vt quoque Tacitus 2, 61, 1. Pausanias lib. 1. & Dionysius Afer v. 250.* (Thebas autem, hic pro Thebaide regione, siue Thebarum agro interpretor: vtraque enim, & Abydus & Thebæ sunt in Thebaide regione.) *In hac regia* statuam *fuisse Memnonis ait Plinius 36, 7.* Colossum *facit Strabo:* Saxeam *effigiem Tacit. 2, 61, 1. Erat enim ex lapide eoque solido, teste Strabone: coloris nigri, Philostrato in vita Apollonii 6, 3. rubri, nescio qua fide, Tzetzæ. Scelentis hominis formam habuisse, scribunt dictus Pausanias, & Philostratus. Huius partes superiores à sede sua diuulsas, se vidisse, refert Strabo: quod & Pausanias contestatur, testis & ipse oculatus: reliquamque partem adhuc sedere, videri: Philostratus ait innixi manibus, hominisque surgere volentis formam referre. Hanc statuam omnes dicti scriptores aiunt quotidie sole exoriente* (&, vt ait Philostrat. dum Sol radiis eius statuam tangit) sonum edere, *eumque* vocalem, *Tacitus:* eque ore *Philostratus:* esseque qualem vel cithara, vel lyra edere solerent, *idem & Pausanias.* Crepare, *dicit Plinius 36, 7. Lucianum nugari, palam est, dum scribit se eam audiuisse, & non vulgari modo sonum quendam inanem ex eo accepisse, sed oraculum: idque septem versuum. Nugatorem quoque quemadmodum in multis, sic quoque in his habeo Tzetzem Chiliade 6, 64. vbi tradit eam de die lætum cantum, noctu autem flebile carmen canere. è Callisto hoc forte, qui*

qui scribit, sole huic proximante hilarem, abeunte vero mœstum edere sonum. De hac autem vociferante audiamus potius Strabonem, virum grauissimum, & huius miraculi dignissimum contemplatorem. Is enim per suum interpretem Xylandrum, ita: ipse, cum Ælio Gallo adessem, & cum reliqua multitudine amicorum, ac militum, qui cum eo erant, circiter horam primam sonitum audiui, vtrum à basi, siue à colosso, an vero ab eum circumstantium aliquo editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinem caussæ, quidquis potius credere iubeat, quam ex lapidibus sic compositis sonitum edi. *Per machinam quandam hoc fieri solere, annotat ad Dionysium Afrum, Eustathius: fluxa & hoc fide, ni fallor.* [Netamen omnino incredibile videatur, effecerunt eiusdem generis superiorum sæculorum impostura.] *Pausanias dicit Thebanos negare Memnonis Æthiopis esse hanc statuam, sed Phanemphonis indigenæ hominis. se audiuisse etiam, qui dicebant Sesostris esse. Sunt qui putant Memnonem, tandem dici ab Ægyptiis, vt ait Strabo. Caruisse inscriptione scriptum reliquit orat. 31. Dion Prusæus. Memnonis autem fuisse verisimile est ex eo, quod Heliodor. in Æthiopicis, inter Æthiopum deos Memnonem etiam nuncupet. Huius etiam mentio fit à Iuuenale Sat. 15, 5.*

Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.

Dimidium *dicit, vti existimo, quia eius pars superior* (vt supra auditum) *à corpore reuulsa, quod Cambyses tribuit Pausanias, terræmotui Strabo. Ad dictum Iuuenalis versum, ex quodam Glossario veteri, partim corrupta, partim falsa quamuis, adsciam:* Memnonis ex ære statua citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Caubus rex iussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret. nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magice consecrata, horis statis sonum reddidit. *Ineptiæ, vt & ea, quæ Ianus Dousa F. ex alio veteri in hunc eundem interprete, in Catullum edidit. nempe* hanc statuam solem & regem, voce humana salutare solitam: cum autem Cambyses ab ea partem abscidisset, Solem tantum, non regem, amplius salutasse. *Eusebij Chronicon dicit* (ex vulgi opinione) *loquutum fuisse vsque ad aduentum Christi. Atque hactenus de hac Memnonis statua, cuius* cognoscendæ auidum *fuisse Alexandrum infit Curtius, ad cuius miraculum* animum intendisse *Germanicum Cæsarem, Tacitus 2, 61, 1. & diligenter inspexisse Sept. Seuerum Imp. Spartianus cap. 17.* Hæc Schottus. Porro Memnon, vt Eustath. ad Homer. Ιλ. α. tradit, Tithoni & Dei filius fuit: alibi Auroræ & Tithoni, vt & Hesiodus. Strabo lib. 15. nec Diem, sed Cissiam Memnonis matrem ait. Quæ de eodem fabulosa referuntur, apud Mythologos & Natalem Comitem cognoses. Raderus. Amenophim, sextum Æthiopum Regem, fuisse credit Eusebius hunc Memnonem, λόγῳ A. vbi & de Cambyse narrat, Polyænum Atheniensem citans. Consule & Bibloth. Photii pag. 1131. f.

4, 8, 4. *POLEMONEM)* *Polemonem* habet Arrianus 3, 1, 18. non *Polymenem* vt Curtius. vitium in nomine hærens librariis potest assignari. Duos tamen Polemones Arrianus Ægypti præsides nominat, alterum Pelusii oppidi custodem, alterum classi præfectum: illum Pellæum Megaclis filium; hunc Theramenis. Raderus. Expressi *Polemonem*, quomodo habebant & aliæ Editiones.

4, 8, 5. *CLEOMENES)* Hunc Iustinus 13, 4, 11. nominat architectum Alexandriæ. Pausanias in Atticis: *Cleomenem hunc post Alexandri mortem Ptolemæus Lagi interfecit, quod Perdiccæ studeret.* Quamobrem vero Alexander tam multos præsides Ægypti constituerit, aperit Arrianus 3, 1, 21. *Ægypti*, inquit, *imperium in plures præsides paritus esse dicitur, naturam regionis admiratus & munimenta, neque tutum ratus vniuersum Ægypti imperium vni committere. Quod quidem Alexandri consilium imitati Romani in tuenda Ægypto mihi videntur, neminem senatorij ordinis, sed equestris, prosulem eo mittere soliti.* [De qua re olim, DEO bene iuuante ad Tacitum 2, 59, 4.]

Obser-

Obseruandum præterea multos ab Arriano præsides Ægypti indigitari, Curtio prætermissos. Raderus. Ceterum Vir doctissimus in Miscellaneis lib. 4. cap. 12. Cleomenem hunc *Allica* cognominatum putat, ex corrupto loco Aristot. libro 2. οἰκονομ. vbi de hoc Cleomene multa. Cum enim ibi legatur: Κλεομένης Ἀλεξανδρέως Αἰγύπτῳ σατραπεύων, coniicit mutandum: Κλεομ. Ἀλεξ, Ἀνδρίου. Cui coniecturæ tanto magis inhæret, quod nullibi nisi apud Curtium & Aristot. hominis huius mentionem exstare credit. qua in re eum valde falli, superiora satis docent. Nec sane Andriam ei patriam concedat Arrian. 3, 1, 19. qui diserte facit *Ecnaucratium*, ἢ Ἐκναυκρατίου. quamquam, vt verum fatear, ibi quoque latere vitium opiner: nullibi enim reperio *Ecnaucratios*. forte leg. ἢ ὁ Ναυκρατῶν. i. e. *Naucratium*: siue Ναυκρατιτῶν, si indicatum Stephano, & Straboni lib. 17. vsurpatum Ἐθνικὸν retineamus. Sic apud Thucyd. 1, 15, 21. ὁ Λακεδαίμων & Παυσανίας, *Paus. Lacedæmonius*. Xiphilinus ex Dione pr. lib. LXXI. vbi Antoninum ait καὶ Σέξτον τὸν σοφιστὴν, τὸν ὁ Βοιωτὸν φιλόσοφον. Fuit autem Naucratis vrbs Ægypti à Milesiis condita. quæ res coniecturam meam firmat. Nam ad huiusmodi officium quale Cleomeni commissum legimus, opus certe erat homine regionis perito. His consideratis apud Aristot. confidenter legam Κλεομένης Ἀλεξανδρέως Αἰγύπτῳ σατραπεύων. Nam & ante dictum est, non vnum toti Ægypto, sed plures per partes impositos ab Alexandro fuisse.

EX FINITIMIS) Suspicor fuisse: *Rex fin.* alioqui vix habeat sequens *iussis*, vnde se sustentet.

COMMIGRARE) Id enim ad frequentandas nouas vrbes instituerunt conditores, adeo, vt interdum finitimos non inuitarent tantum ad transmigrandum, commodis immunitatibusque propositis; sed etiam vi cogerent. Qua occasione quomodo tum vsus fuerit vaferrimus bipedum Cleomenes, eleganter tradit Aristoteles lib. 2. οἰκονομ. Sic Baiasites capto Moncastro, Anno 1484. *familias plus minus 500. eorum ciuium Constantinopolim abduci iussit.* Leunclau. Pandect. Turcic. cap. 159. *Cebrenios ac Scepsios, quamquam inimicos, in vnam vrbem Antigoneam à se, postmodo Alexandream dictam, coëgit Antigonus. simul cum ciuibus plurium oppidulorum atque castellorum.* Item *Lysimachus Ilium commigrare iussit circumiacentes vrbes antiquas, iam ruinam trahentes.* Strabo lib. 13. Antiochus restituta Lysimachia *partim redemit seruientes Lysimachienses: partim fuga sparsos per Hellespontum Chersonesumque conquisiuit, contraxitque: partim nouos colonos, spe commodorum proposita, adscripsit, & omnimodo frequentauit.* Liu. 33, 24, 10. Apud Diodor. 20. 111. *Dium & Orchomenon Thebas commigrare iussit Cassander.* Hoc igitur & Alexander fecit, receptis quoque Iudæis, teste Iosepho de belle Iud. 2, 21. & lib. 2. contra Appionem. Rem miram narrant Suidas in Ἀγγέλαι, & Chronic. Alexandrinum, non tamen incredibilem (similes enim πλάσεις Constantinopoli, Parisiis, Neapoli &c. fuisse legimus) iectas in flumen serpentum imaginibus Argo petitis, prohibuisse serpentes, ne vrbem infestarent. Ibidem & de Ieremiæ prophetæ cineribus, Alexandriam illatis, habetur mentio.

4, 8, 6. *VT MAC. MOS EST)* Hoc alibi non reperies. Marcellin. 22, 40. *penuria calcis* id accidisse scribit. Val. Max. 1, 4, 6. *cum cretam non haberet.* Strabo lib. 17. scribit polenta vsum fuisse architectum, eo quod creta defecisset. & eodem inclinat Arrianus 3, 1, 5. & Plutarch. cap. 46. Cretæ enim potius in huiusmodi vsibus officium fuisse, etiam ex Plinio 35, 17. patet: *Est & vilissima qua Circum præducere ad victoriæ notam &c. instituerunt maiores.* Certe Eustath. ad Dionys. v. 254. diserte scribit, *ex more fuisse, vt creta designaretur ambitus vrbis.* Atque id magis credibile est ex communi sensu. si tamen aliter Macedonibus placuisse Curtius reperit, nobis nihil est, quod contra vrgeamus.

DESTI-

DESTINASSET) Hanc lectionem retinendam censet Gebhardus: Loccenius tamen cum Modio, Pintianus in Plin. 5, 10. & Bongars. volunt; *muros polenta &c. designasset*: Ita enim, ait Loccen. Virgilius Æn. 7, 157.

\- - *ipse humili designat mœnia fossa.*

& Æn. 5, 755.

Interea Æneas vrbem designat aratro.

Nam *designare* proprie est σχεδιάζειν, vel ὑπογράφειν. Alia tamen est opinio Gronouii obseruation. pag. 121. & seq. quam ipsius verbis adscribo: Vera lectio est: *cum rex vrbis futuræ muros polenta &c. destinasset. Destinare*, quod fingit Modium, designare est, vt infra. [Vide Indicem] Virgilius Culice v. 390.

\- - *locum capit, hunc & in orbem*

Destinat. Sic Veget. 2, 10. de præfecto castrorum: *ad quem castrorum positio, valli & fossæ destinatio pertinebat.* ibi male Lipsius, *designatio.* Liuius: *ex his CCXXV. qui omnium consensu destinabantur & infandæ cædis, & defectionis auctores.* Hactenus Gronouius, cuius coniectura placet. Consentit & Acidalius ad Curt. 9, 9, 6. Vide Salmas. in Solin. pag. 328. A. 1.

AVIVM GREGES) Arrianus 3, 1, 4. Ammianus 22, 40. & Strabo lib. 17. de auibus omnino tacent, cum Curtio plane consentiunt Val. Max. 1, 4, 6. ext. Plutarch. cap. 46. Eustath. in Dionys. v. 254. Stephanus in Ἀλεξάνδρεια.

FREQVENTIAM) De aduenarum frequentia & opibus conueniunt scriptores prodigio explicato. Diodor. 17, 52. cum in Ægyptum traiecisset, notauit Alexandriæ liberorum hominum capita censa fuisse plus 300000. Vectigalia capta ex Ægypto vltra 6000. talentum: quæ summa efficit 3600000. Philippicorum 20. victoriatis æstimamus. Sed Strabo lib. 17. ex Cicerone docet vectigal fuisse 12500. talentorum, quæ sors excessit ad 7500000. Certe Romam postea Ægyptiæ & Alexandrinæ naues aluere. Iosephum de bel. Iud. 2, 16. adi. Raderus.

4, 8, 7. *PLVRIBVS)* Nimio inconsiderate ruentium onere subsidere naues, hauririque ab vndis passim obuium est. Videatur interim Gellius 10, 26. f. Cæsar. bell. Ciu. lib. 2. f. Hirtius bel. Alex. cap. 31. f. Dio Cassius 41, 28. f. Tacitus H. 3, 77, 4. Hæc Gruterus ad ista Liuii 44, 45, 13. *lembum vnum in ostio amnis multitudine grauatum merserunt.* Adde Herod. 8, 118. de Xerxe Diodor. 19, 18. de Antigoni militibus.

4, 8, 9. *ANDROMACHI)* Quæ hic adnotat Raderus, iam retulimus supra 4, 5, 9. Tale supplicium Crœsus comminatus est Adrasto, apud Diodor. in Excerpt. Vales. pag. 238. Huius vt nomen, ita fatum sortitus est Andromachus Carrenus apud Nicol. in Excerpt. Vales. pag. 501. Cæpionem quoque comburere voluerunt sui equites. Dio apud Vales. pag. 621.

4, 8, 10. *QVANTA MAXIMA)* Sic Acidalius fecit, probante Radero, cum fuisset; *quanta maxime*, minus recte. Sic infra 4, 13, 36. cursu quanto maximo poterat.

4, 8, 11. *QVI PRÆTOREM INTEREM.)* Sic etiam Pyrrhus apud Appian. in Excerpt. Vales. pag. 554.

E MVRIS) Hanc lectionem omnes quos vidi codices exhibent. Modius è suo illa, *è muris*, emuniuit, quod ego cum omnibus cautis nec laudo, nec damno. Redundant illa quidem, vt nobis parent, sed quid si vox alia vel desideretur, vel pro *necauerunt*, legendum *suspenderunt*, vel *præcipitauerunt.* Raderus. Forte sic possit: *quos illi priùs ob iniur. &c.* quomodo infra 8, 8, 21. Reineccius in Tyrannide Lesbia, vbi Chrysolai stirpem exponit, veterem scripturam retinet. Forte quid simile fuerit, quod de Dusme seu Pseudo-Mustapha narrant annales Turcorum

apud Leunclauium; *Hadrianopolim ad Sultanum Muratem perductum, illius iussu de pinna quadam ad murum vrbis suspensum, laqueo vitam finiisse.*

4,8,12. *ATHENIENSES)* Quorum preces ante distulerat. vide Arrian. fine lib. I. nunc autem concessit, aduectis naue sacra legatis Arr. 3,1,22. Quærenti quæ sit illa nauis? abunde satisfacere poterat Suidas & Harpocrat. in πέμπτη, Thucyd. 3,5,15. & 3,12,4. & Sigon. de rep. Athen. 4,5. Igitur honoris caussa; forte etiam ideo, quod iam inaduiuerant de Hammone, πέμπτον ipsi sacram nauem miserunt, quæ alias Θεωρὶς dicebatur, quasi ludis sacris, atque sacrificiis seruiens. Hunc intellectum habet, quod Plutarch. Demetrio cap. 13. tradit, haud diu postea decreuisse eos, vt qui ad Antigonum & Demetrium publico nomine irent, *non legati, sed Theori dicerentur.* & de fortuna Alex. 2,12. πρέσβεις πρὸς αὐτὸν ἐκ Ἰσπανίας, ἀλλὰ θεωρὸς αἱ πόλεις, καὶ πᾶς ἑλληνισμὸς, χρυσοῦς προσηγόρευον. *non legatos ad eum mittebant vrbes, sed consultores numinis, responsaque illius oracula dicebantur.*

OMNES) Coniunxit Athenienſium aliorumque Græcorum legationes, quaſi eodem tempore aduenissent. at illos Arrianus 3,1,22. Tyrum venisse scripsit, hos Memphim. 3,1,17. Simile vero postulatum Macedonum legatorum habes in Liu. 30,42,3. Locrensium, Liu. 29,16,4. *Vnde accidit vt vndique conuenientium querimoniis legitime terminatis, vnusquisque cum gaudio rediret in sua,* vt in re non dissimili ad Ann. DCCCLXXIII. notat Anonym. apud Pythœum in Annal. Franc. pag. 85.

ÆQVA) Alii *ea quæ*, & Raderus id habet pro genuino. mihi non placeret, quod sequitur, *visi*, nisi scribas *æqua.*

4,8,13. *OBSIDES)* Malim: *& obsides.*

4,8,15. *PIRATICIS CLASSIBVS)* Hac forte occasione perductus ad eum est pirata, cuius liberum cum rege colloquium referemus DEO dante, infra ad 7,8,19. Hæ vero piraticæ classes causſam dederunt emendatoribus, vt in hoc num: *Spartanorum* loco ponerent, *piratarum.* Nam de Spartanis ibi sermonem esse sciet, qui cum hoc Curtii loco, & alio 4,1,40. Supplem. 6,1. comparauerit. & quoniam de re constat, de verbo omnem dubitationem eximunt Var. Lect.

QVIPPE) Confer cum his Florum 3,6,1. & ibi notata.

4,9,2. *BACTRIANI)* Lego cum Acidalio vere coniectante: *Bac. Scythæque & Indi conuenerant iam, & ceterarum &c.* potest tamen, *Iam*, puncto separari, & necti cum seqq. *Iam & cet. gentium copiæ &c.* Raderus. Tamen seruata veteri scriptura, non incommode locum explicari sic putem posse. *Bactriani &c. conuenerant. nam & ceterarum gentium*, quæ videlicet primo prælio non interfuerant, supra 3,2,9: tum *assuerunt partibus, simul* cum his, qui prius depugnauerant. Persis videlicet, Medis, Armeniis, Derbicibus &c. Atque hunc ferme sensum huius loci existimauisse Bongarsium colligo, ex eo quod codici suo adscripsisse dicitur, pro *ceterarum* videri legendum *exterarum.* Et sumat id Arrianus 3,2,7. *Coniunxerant sese his etiam Sacæ ex Scythis oriundi, iis qui Asiam incolunt: non imperio Bessi subiecti, sed Dario confœderati.*

4,9,3. *DIMIDIO)* Vide infra ad 4,12,23.

ARMA) de armatura Persarum vide Brissonium. lib. 3. pag. 287. & deinceps. Ceterum haud imprudens armorum Dario cura erat, quippe experientia docuit, multoties exercitum animis & viribus parem, vel etiam superiorem, cæsum fuisse ab hoste, nulla re magis, quam armorum præstantia, præcellente. Vide Diodorum in hac historia. Exempla præbent Tacit. 2,21,1. *Nec minor Germanis animus; sed genere pugnæ & armorum superabantur.* Polyb. lib. 2. vbi de Gallis. & 15,13. & 15,15. vbi de Pœnis & Hannibale. Xenophon. παιδ. 7. vbi de pugna Persarum contra Ægyptios. Sic Alex. Benedictus in Diarior. de Tarrensi Venetorum cum Gallis pugna lib. 1. armorum id

id discrimen notat: *Galli*, inquit, *plurimi primo procursu prolapsi concidere. Pila enim breviora gestant, ob id priores ictus sentire. Verum Galli gladio aptiores videbantur. nam quo brevior est, eo aptior habetur.* Adde Sansouin. de regnis, pag. 47. b. Memorabile exemplum est in Chron. Marcellini ad annum Chr. 432. *Ætius longiore Bonifacij telo prius die sibi præparato, Bonifacium congredientem vulnerauit illæsus.* Itaque Milesius Aristagoras Spartanos, & mox Athen. in bellum Persicum excitarus, non oblitus est armamentum Persicum eleuare. Vide Herod. 5,49. & 97. vt & Alexander infra 4,14,5.

TEGVMENTA) Supra ad 3,11,15. Adde Stevvechium ad Veget. 3,23.

4,9,4. *EQVITATVS)* Ea enim parte virium magis fidebat. supra 3,11,1.

FALCATÆ QVADRIGÆ) Quarum mentio est primum in literis Iudicum cap. 1. & 4. dein apud Liuium 37,41. Diodorum 17,58. Vegetium 3,24. quas Stevvechius cælo adumbrauit in commentario ad Veget. formasque earum ex Curtio accepit, qui eam rem parum accurate delineauit & assequutus est; Liuium & Diodorum præteriit. Appianus de bellis Syriacis, & Mithridaticis docet, armatas has quadrigas magnam & horrendam stragem edidisse in exercitu. Raderus. Optima eorum curruum est descriptio apud Xenoph. lib. 6. παιδείας, vbi Cyro inuentionem eorum, vt quidem postea à Persis vsurpati sunt, tribuit. Eodem libro & de Abradatæ curru, non vulgaria referuntur. Vide omnino Brissonium. lib. 3. pag. 308. & seqq. Dempsterus ad Rosini antiquit. 10,10. producit locum ex incerto auctore de Reb. Bellic. vbi itidem describuntur hæ quadrigæ. *Falciferos currus* appellat Lucretius 3,746. loco elegantissimo, quem adscriberem, nisi paulo longior esset. Corrigendus hic L. Ampelius: *Apud Arbela, tribus præliis, triginta peditum legionum, equitum bis mille falcatorum curruum vicit.* Scribo: *Apud Arbela, tertio prælio, trecenta peditum regiorum M. equitum C. M. bis mille falcatorum curruum vicit.*

4,9,5. *ROTARVM ORBIBVS)* Hoc non promptum est assequi. nam si ea fuit species falcium, quam Stevvechius ad Veget. 3,24. expressit, quomodo potuerunt circumagi rotæ? Ego Curtium hic intelligo summæ curuaturæ rotæ, vt eam Ouid. Metamorph. 2,108. appellat, fuisse infertas falces, quæ extra rotam in latera porrectæ nunc sursum spectabant, qua incuruantur; nunc deorsum: sed qui deorsum, ad axem versas, quæ sursum, auersas ab axe fuisse. Raderus.

4,9,7. *SATROPATEM)* Nomen hoc varie scribitur; ego sic malui cum melioribus MSS. præsertim cum videam aliis etiam auctoribus ita fere scribi. Cognominem enim huic Mediæ Satrapam Athenæus 12,9. *Satrabatem* appellat, non *Satrabacem*, Arrian. 7,1,15. & 7,3,2. *Atropatem* vocat, ὄνομα Σ. vt Stephanus in Σίκυος. quomodo & Strabo lib. 11. quamquam interpres *Atropatum* vertat, nam genitiuus Ἀτροπάτης non est ab Ἀτροπάτ@, sed ab Ἀτροπάτης. Idem Arrian. 3,2,8. vitiose *Arrocatem*, & 6,5,13. paulo melius Atrobatem vocat. Porro Strabo inde Atropatiam scribit vocatam fuisse, Mediæ partem, quod mihi argumento est melius scribi nomen hoc illis, qui omisso S. scribunt *Atropates.* Quibus accedit Iustinus 13,4,13. quamquam apud eum paulo aliter *Acropates* vocetur. Tantum est extremam syllabam semper in *tes* finiri: nunquam in *ces.* Quod autem ex hoc Satrapæ Medi nomine, Curtiani Satropatis appellationem inuestigo, recte atque ordine facio. nam & iste Medus fuit, teste Arriano 3,2,8.

4,9,8. *RAPIENDO)* Liuius 22,40,6. *Annibal quamquam parte dimidia auctas hostium copias cernebat, tamen aduentu consulum mire gaudere. non solum enim nihil ex rapto in diem commeatibus superabat; sed ne vnde raperet quidem, quicquam reliqui erat.* Sic apud Dionys. 6,54. Appius Claudius putat plebem, quæ secesserat,

facile opprimi posse, quod rapto expedienti commeatus, non in longum sufficturi essent.

ARBELA) Locus hic lectori dubius & ambiguus occurrere possit, primum, quod auctor videatur in se pugnare: cum Arbela modo cis, modo trans Tigrim videatur ponere. Nam hic Curtius docet Darium superato Tigri ad Arbela peruenisse: infra autem mox 4, 9, 14. narrat Alexandrum *præter Arbela ad Tigrim* demum *penetrasse*, quæ caussa fuit, vti Glareanus existimarit, pro Arbelis Cauras reponendum. Sed locus bene habet, quem Glareanus non est assequutus, frustraque alienam vocem subiecit. Hoc dicit Curtius: Alexandrum non traiecisse Tigrim eo loco, quo trans Tigrim Arbela sunt, sed Arbela è regione Tigris transisse, & vada quæsisse, per quæ Tigrim traiiceret. Certum est ergo, Ptolemæo, Strabone lib. 16. Arriano 3, 2, 9. ipsoque Curtio testibus, trans Tigrim, Orientem versus Arbela sita fuisse. Cum enim Darium omnes ex prœlio fugientem Arbela properasse tradant, nec tamen Tigrim traiecisse, sed Lycum & versus Mediam Ecbatana fugisse, dubitari non potest, quin Arbela fuerint trans Tigrim ex Mesopotamia venienti. Alterum est, quod Curtius apud Arbela prœlium commissum scribat, & tamen Darium media demum nocte ex fuga Arbela peruenisse affirmet, cum alii plerique omnes, Arrianus 3, 2, 9. Plutarch. c. 56. & apud eos Ptolemæus, & Aristobulus prodant pugnam factam non ad Arbela, sed Gaugamela. Sed hunc nodum Strabo soluit, quem mox in testem adducam. Interim Curtius non negat prœlium ad Gaugamela commissum, sed Arbela, tanquam locum celebriorem, & Gaugamelis non longissime, si nostras terras respicias, distantem nominat. Alioquin ipse Curtius infra narrat Darium ab Arbelis mouisse castra Lycum versus, illoque traiecto ad Boumellum [nos alias edd. sequuti Bumadum scribemus] flumen, quod 80. stadiis inde distat, veniisse, atque ibi totis castris decertatum. Id flumen *Bumadum* appellat Arrian. 3, 2, 9. distareque Arbelis ait, stadiis 600. h. e. 19. milliaribus, & paulo amplius quadrante. Nec tamen videntur inter se pugnare, cum Curtius à Lyco 80. stadia numerat ad Boumellum, Arrianus ab Arbelis 600. stadia. Hunc locum omnium optime describit Strabo lib. 16. ipso fere initio: *Aturia similis est locis iis quæ circa Arbela sunt; & Lycum flumen intermedium habet. Arbela enim ad Babyloniam pertinent, & iuxta eam sunt. Trans Lycum vero Aturiæ campi Ninum circumiacent. In Aturia quoque pagus est nomine Gaugamela, apud quem Darius superatus amisit imperium: quare hic locus insignis est; vt & nomen. Camelo enim domus interpretatur: nam sic Darius Hystaspis F. nominauit, cum hanc possessionem Camelo in alimentum daret, in via (qua per deserta in Scythiam itur) oneribus portandis, in quibus regis etiam alimentum erat, maxime defatigatæ. Pagum Macedones hunc cum tenuem viderent, Arbela vero habitationem memorabilem, ab Arbelo, vt tradunt, Alumonei F. condita, circa Arbela & prælium & victoriam fuisse famam spargerunt, eamque scriptoribus tradiderunt.* Arrianus 3, 2, 9. paulo expressius locum designauit, quam Strabo. De Gaugamelis idem Plutarchus cap. 56. quod Strabo, & Arrian. 6, 2, 19. Diodorus 17, 53. tacet omnino Gaugamela, & prœlium ad Arbela consertum refert. Solin. cap. 58. Arbela indigitat locum prœlii, vti & Plinius 2, 70. & 6, 13, 7. Tacitus 12, 13, 3. *Ninos vetustissima sedes Assyriæ, castellum insigne fama, quod postremo inter Darium & Alexandrum prœlio, Persarum illic opes conciderant.* Ergo, vt vides, Tacitus ad Ninum factum prœlium dicit, quia non procul inde fuerat commissum. Raderus.

Cuius notam integram hic descripsi, non quod per omnia approbem, sed quia intererat exactæ cognitionis, ne quid ex ea subduceretur. Fateor enim, ex primo dubio me non expedire eius explicationem. Video tamen quid Glareanum offenderit, nempe quod putaret duobus ex aduerso congredientibus exercitibus, non potuisse

tuisse fieri, vt eundem fluuium ambo transgressi, in vnum locum conuenirent. Sed hoc accidit propter flexus atque sinus eius amnis, qui efficiunt, vt tam Dario, qui ex Babylonia Arbela petebat, quam Alexandro, qui ex Syria per Mesopotamiam; transeundus esse Tigris. *Præter Arbela*, vt recte exponit Raderus, non hanc habet significationem, quasi Arbela inter Alexandrum & Tigrim media fuissent; sed quod Arbelis trans amnem sitis, ipse non ea parte, qua proximum ad eam vrbem iter erat, transierit fluuium, sed alio latere, quod non ex directo respondeat vrbi. Quod ad alterum dubium attinet, illud plane decidit Strabo loco recitato, cuius interpretatio Raderum fefellit, lectio interpretes. Sic enim transtulerunt: *Aturia similis est locis iis, quæ circa Arbela sunt.* In textu legitur: Ἡ δ' Ἀτυρία, τοῖς περὶ Ἄρβηλα τόποις ὁμοία ἐστί. & notatur in margine pro ὁμοία, scriptos habere, ὁμοίως. Nihil verius est quam scribendum, ὁμοιοτάτη. *Aturia finitima est locis iis, quæ circa Arbela sunt.* Atque id nulla alia fini præstruxit, quam vt ostenderet, vnde plerisque scriptoribus nata sit opinio, Darium apud Arbela fuisse debellatum. Quomodo præter citatos à Radero tradiderunt Dionys. Halicarn. in epist. ad Ammæum de Demosthene. Polyæn. 4, 3, 6. & 17. Lucian. in Dial. Mortuor. vbi Alexandrum cum Scipione & Hannibale de imperatoria virtute disputantem inducit. Plutarch. non posse suauiter viui secundum Epicur. cap. 4. & de fortuna Alex. 2, 15. & apophth. 38. Ælian. histor. var. 3, 23. Frontin. 2, 3, 19. Zonaras tom. 1 vbi de vaticinio Danielis. Zosimus lib. 1. Sed Strabo lib. 2. Marcellin. 23, 20. & Xiphilinus in Traiano Gaugamela nominant. Eademque designare Tacitum 12, 13, 3. vbi bene notat (priori coniectura recte omissa) Lipsius: scribendum, *sedes Assyriæ, & castellum &c.* vt intelligantur, non Arbela quidem, nam & ea vrbs magna erat; sed *Gaugamela*. quæ sita in Aturia, vbi & Ninus. Orosius 3, 17. *apud Tharsum* depugnatum scribit quo auctore, nescio. Epistola, quæ fertur Alex. ad Aristot. *ad Gangem amnem.* Sunt & in Galilæa *Arbela*, de quibus Ioseph. 12, 18. & Hieron. de locis Hebraicis. item *Gamala*, sic appellata à similitudine cameli. Ioseph. de bello Iud. 4, 1. Vitiose ergo apud Zonar. tom. 1. in descriptione huius prœlii legitur Γαυσταμήλα.

NOBILEM SVA CLADE) Florus 2, 6, 15. *Cannæ; ignobilis Apuliæ vicus: sed magnitudine cladis (Romanæ) emersit; & 40000. cæde parta nobilitas.* Ita Iouius scripsit à memorabili pugna Selimis cum patre Baiasite, commissa ad Zorlum, pagum hunc, prius obscurum & ignobilem, nomen aliquod, & splendorem fuisse consecutum: refutatus à Leunclauio Pandect. Turcic. cap. 193. Sic apud Moriscetum in Henrico Magno cap. 20. *Yuriacum oppidum ignobile antea, postea victoria Regis ad posteritatem cum gloria deductum.* Sed cur Arbela *vicum* nominat Curtius, quæ alii vrbem insignem? an hoc argumento est, eum non *Arbela*, sed potius *Gaugamela* scripsisse?

SICVT ANTE EVPHRATEM) Non dubito quin hæc verba sint insiticia. Quis enim credat Curtium monuisse tam putida? Acidalius tamen, adsentiente Radero, maluit vltimam vocem *exercitum*, abundare, quoniam verbum *traiecit*, iam occupatum ab *Euphratem*, non posset inferuire alteri accusatiuo, *exercitum.*

4, 9, 10. *BVMADO)* Quidam impressi *Bumello*: alii *Bumado*, quomodo & in Arriano 3, 2, 9. legitur. at Arr. 6, 2, 20. Ptolemæum & Aristobulum sequutus hunc amnem *Bumelum* vocat. quare non multum interest quæ lectio recipiatur. Popma.

EQVITABILIS) Quædam edd. habent *æquabilis*. non recte. *Equitabilis est ἱππήσιμος.* Loccenius.

NE STIRPES QVIDEM) Paulus Venetus 1, 27. de regionibus orientalibus refert, regnum Timochaim esse confine Persidi à parte Aquilonis, in quo nunc quoque patens campus, & vasta planities, vt ne vnam quidem arborem in ea inuenias. in qua aiunt Alexandrum cum Dario conflixisse. Popma.

PERMITTITVR) Modius: *permetitur*, non male. & fere inclino, vt sic fuerit. alii vulgarem lectionem fulciunt, inditis voculis, *ad ea quæ pr. rec. permittitur*. Sed in melioribus & pluribus libris non comparent, *ad ea*.

4, 9, 12. *PONTIBVS IVNCTO)* Vide supra ad 3, 7, 1. vbi ostendi, quo loco Alexander transiuerit. Confer cum hoc loco Arrian. 3, 2, 1. De alia expeditione intelligendum est, quod scribunt nonnulli eum transiuisse ad Zeugma, vt Plin. 34, 15. Dio lib. 40.

4, 9, 14. *QVARTO DIE)* Mirum hoc de quarto die. Nam Strabo l. 2. iter ex Eratosthene à Thapsaco seu Euphrate ad Tigrim, numerat stadia 1400. quæ nostratia efficiunt milliaria 40. cum triente, siue passium 255000. Raderus. Sed notum est de celeritate Alexandri: cuius & alia quamplura exempla tradit Curtius.

PRÆTER ARBELA) Vide supra ad 4, 9, 8.

EFFVDERAT) Bongars. haud male coniecit *offuderat*.

4, 9, 16. *A CELERITATE)* Isidorus 13, 21. & Rupertus 2, 29. de operibus Trinitatis, ab animalis Tigridis velocitate dictum putant, de cuius tremenda pernicitate Plin. 8, 8. multa. Sed cum Curtio facit Strabo lib. 11. & Plinius 6, 27. Theopilus tamen lib. 1. de lapidibus ab animali Tigride nomen fluminis inditum tradit apud Plutarchum in de fluuiis, quod Bacchum per Tigrim transportarit. Hermesianax Cyprius & Aristonymus lib. 3. adhuc absurdiora commentatur apud eundem de Alphesibœa nympha à Baccho in forma Tygridis per flumen transuecta. Hebræis appellatur חדקל Hidekel, teste Dauid Chimki, vel ab acuto sapore, vel celeritate cursus. Chaldaice Diglath. Plinius 6, 27. alluisit in voce *Diglito*. In Epitaphio Iuliani, epigr. 3, 7. dicitur ἀγαπῶν celeriter fluens. Raderus. Mauiacus in notis ad Plutarch. de flumin. non Persica, sed Medica lingua sagittam *Tigrim* appellari contendit, idque aliorum auctoritate assertum it. nec ego id negauerim. Sed auctores quoque promiscue Medos pro Persis & contra ponere solent propter vtriusque gentis vicinitatem. Vide Scalig. in Catalecta Virg. pag. 224. Loccenius.

4, 9, 17. *IGITVR PEDES)* Diodor. 17, 55. paulo aliter: *Alexander, vt vehementiæ vndarum obsisteret, manus inter se arcte conserere, totamque corporum molem veluti iugo connexam habere iussit.* Nescio quo auctore Patricius Senensis 3, 4. de regno scripsit, Alexandrum in hoc transitu, cernentem omnibus militibus suis id flumen ingressu esse formidabile exclamasse: *O me deterrimum, qui nunquam nare didicerim!* Certe nihil tale Curtius: cuius tamen verbis, vt plurimum ibi Patricius vtitur. Plane Zonaras tomo 1. hoc Alexandri apophthegma memorat, sed fluuii nomine non edito. At Plut. c. 102. *ad Nylam* accidisse tradit. Porro rationem Alexandri, traducendi copias, imitatus videatur Perdiccas apud Diodor. 18, 35. non ita felici euentu, quam Demetrius apud Polyæn. 4, 7, 12. qui in Lyci transitu, equites qui robustissimos equos habebant, triplici ordine opposuit fluctibus. *his fracta rapiditas fluminis, transitum peditibus faciliorem præbuit.* Pompeius apud Dionem lib. XXXVII. in transitu Cyrni. Cæsar apud Lucan. 1, 220. in transitu Rubiconis:

Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
Excepturus aquas: molli tum cetera rumpit
Turba vado fracti faciles iam fluminis vndas.

& ipse Cæsar de bello ciu. 1, 64. *magno numero iumentorum in flumine* (Ibero) *supra atque*

que infra constituto, transducit exercitum. pauci ex his militibus vi fluminis abrepti ab equitatu excipiuntur, ac subleuantur: interiit tamen nemo. Eodem fere modo Rhodanum traiecit Annibal, apud Liu. 21, 27, 8. & secundum Cœlium, Padum quoque; quod tamen non credit Liuius 21, 47, 6. In bello Genuensi cum Florentinis propter Lucam, pugna ad Auserim fluuium commissa, *pedites, equoque vsos debiliori equites multos absorpsit amnis, plurimos inuoluturus, nisi singulis quibus maiores melioresque essent equi, illis retinendis subleuandisque vsui esset in alueo Picciminus.* Blondus Dec. 3. lib. 4. Quod autem ait Curt. *leuatis super capita armis* transisse, admonet me virginum Romanarum, quæ duce Cœlia tranarunt Tiberim, ἀναδησάμεναι ἐπὶ τὰς κεφαλὰς τὰς χιτωνίσκας. Plutarch. de virt. Mul. cap. XX.

4, 9, 19. *DVM SVA QVISQVE)* Nam in huiusmodi discriminibus statim admonentur, nescio quo instinctu, animi; quemque proximum esse sibi. Ergo quod in hoc periculo Macedones; idem in hostili fecerunt Pœni, apud Liu. 21, 33, 5. *plusque inter ipsos sibi quoque tendente* (sic lego,) *vt periculo prius euaderes quam cum hostibus certaminis erat.* Et apud Tacit. 1, 65, 4. *vt tali in tempore sibi quisque properus, & lentæ aduersum imperia aures.* Procop. lib. 2. de bel. Gothic. in fuga Gothorum ad Ariminum: *vasis raptim collectis tanto cum tumultu atque clamore discesserunt* (lego enim ἔχοντο, significantius, & narrationi aptius, quam εἶχον) *vt neque imperium accipere possent, neque quicquam aliud in animo haberent, præter qua ratione quisque primus desertis his castris in ea quæ ad Rauennam erant, peruenire.* Sic Liuius 35, 11, 9. de Liguribus: *Sine consilio, sine imperio, pro se quisque currere ad sua tuenda.* Confer Gruteri Notas Polit. ad Liu. 5, 40, 10.

4, 9, 20. *HINC METVS)* Tentat hanc lectionem Acidalius *hinc metus, hinc inuicem &c.* Non tamen insolens est scriptoribus deflectere nonnunquam ab vsitatis formulis, quod in Tacito præsertim sæpe est animaduertere.

INVICEM NATANTIVM) Non intelligo quomodo hæc duo verba conianctim explicari possint. plane fuit, *inuicem vocantium*, idque volunt quæ statim subiicit; *mutuus clamor.*

4, 9, 23. *AVDACIÆ)* Possit Ennii dictum ad Alexandrum quoque trahi ex Æacidarum sanguine oriundum. Cicero de diuinat. 2, 56. *semper fuit, vt est apud Ennium 6, 20.*

- - - stolidum genus Æacidarum:
Bellipotentes sunt magis, quam sapientipotentes.

Augustus tamen nepotem in Hispanias mittens, precatus est illi gratiam Pompeii, & audaciam Alexandri, vt est apud Plutarch. Apophth. cap. 47. Raderus. Idem explosa Acidalii coniectura, qui sic emendabat: *audacia quoque &c. ratione niti potest.* retinet *audaciæ ratio minui potest*, & sic explicat, vt rationem pro caussa, caussam pro culpa accipi velit: vt tandem fiat, non magnam fuisse Alexandri culpam, in tanto fortunæ obsequio temerarios conatus. Sed non admitto, non vtique magis, quam alium virum doctum, qui scribit: *audaciæ ratio iniri potest.* hoc est, inquit, facile ratiocinari queas, quantæ audaciæ fuerit Alexander, cum nunquam dubitauit se temere fecisse, licet interdum temeritas interueniret. Sed valde falsor, aut longe diuersus est Curtio animus: quem olim hac correctiuncula euidentiorem feci: *audaciæ &c. admiratio minui potest.* nec sane nouum in MSS. exemplaribus, nonnunquam antiquitatem detergere nonnullas literulas, præsertim si temere marginibus hæserint, quod & Floro 2, 7, 8. vitium oblatum fuisse existimaui. Sensus igitur est: Nullo magis quam audaciæ nomine celebris fuit. Sed ita in potestate habuit fortunam, vt eius rei admiratio valde hinc minui possit. Nemo enim merito audax dicitur, qui nullo periculo, quicquid vult,

vult, conficit. Iam autem Alexandro ira succesſerunt omnia, vt ex euentu rem æſtimantibus, omnia eius opera videantur facilia fuiſſe. Poſſet tamen eadem forte ſententia erui, nihil mutata lectione priſtina, ſi *rationem* capias pro calculo, ſumma, æſtimatione, notione ſatis vſitata, vt ſcilicet de ea detrahatur nonnihil, nec tanta fuiſſe videatur hominis audacia, quanta vtique apparuiſſet, ſi inimicam etiam fortunam ſæpius eſſet auſus lacesſere. Huc credo reſpexiſſe Hermolaum Barbarum, cum in orat. ad Federicum Imp. quæ eſt edita in lib. XII. Epiſt. Politiani, ſic ſcriberet: *Alexandrum illum Macedonem ſunt qui minus egregium bello ducem fuiſſe prædicent, quod ei nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuerit.*

PERARMATOS) Alii diuidunt, *per armatos*. Sed iungenda in vnam eſſe vocem, recte vidit Acidalius. Ego præterea diſtinctione, & alterius voculæ diuiſione, alterius additione, perſanabo locum. ſcribe: *Mazæus, qui* (voculam hanc agnoſcunt merito plerique libri.) *ſi tranſeuntibus flumen ſuperueniſſet* (vide Polyæn. Strategem. 1,13. f. Cæſarem de bello Gall. 2,10. Liuium 21,5,9.) *haud dubie oppreſſurus fuit incompoſitos; in ripa demum, & iam perarmatos, adequitare cepit.* Quod quia ſat certa ratione nititur, in textum recipiendum exiſtimauimus.

4,9,24. *PÆONVM)* Vitioſo exemplari deceptus Patricius de regno 9,18. *Pœnorum* legit. vbi etiam, neſcio quo ex Plinio lib. 3. cap. 1. ait Pœnorum reges caput cæſi à ſe hoſtis offerentem aureo poculo donaſſe. Tanta eſt citandi ſecuritas, his fere potiſſimum, qui ſibi fidem in omnibus haberi poſtulant. Ex Plutarchi cap. 70. narratiunculam iſtam hauſiſſe potuit Patricius. Ille enim ſic: *Pœnum præfectus* (non ſane *Pœniæ*, permultum enim intereſt) *Ariſto, cum hoſtem obtruncaſſet, oſtendiſſetque Alexandro caput; Hoc donum, Rex, inquit, apud nos poculo aureo penſatur. Arridens Alexander, nempe vacuo, inquit. Ego vero tibi plenum propinabo.*

IN GVTTVRE) Similis euentus certaminis ſingularis, quo Satibarzanes occidit infra 7,4,36. forte etiam ſimilis conditio hic fuit, vt nudo capite pugnauerint.

4,10,1. *ITER)* Vocem hanc merito & Mſſcr. & Editis nonnullis inſeri, præter Acidalii Raderique conſenſum, docebit etiam Curtianæ phraſeos obſeruatio, quam exhibet Index, in *pronunciare*.

4,10,2. *LVNA DEFICIENS)* Illuſtrant has lunæ tenebras nobiliſſimi Scriptores. Cicero de diuinat. 1,53. Plinius 2,70. Manil. Aſtronom. 1, 220. Lucret. 5,746. Arrian. 3,2,4. Plutarch. cap. 56. Ptolem. Geographus 1, 4. Διαγραφὴ τῶν Ὀλυμπιάδων. Quos fere explicat Scaliger de emend. temp. lib. 5. & Canon. Iſagog. lib. 3. pag. 293. vbi ſcribit contigiſſe hanc defectionem die 20. Septembris. cum quo conſentit etiam Buntingus, qui eclipſin illam accurate delineauit. Videndus & Chriſtmannus ad Alfraganum. Ex Radero.

SVFFVSO) Malim, *ſuffuſa*. Virg. Æn. 3,232.

- - - - - *lacrimis oculos ſuffuſa nitentes.*

FORMIDO) Hoc factum & apud barbaros, vt narrat Ioannes Roianus in hæc verba: *Colonus* (ſiue *Columbus*,) *ductor exercitus Ferdinandi regis Hiſpan. ſuperioribus annis, quibus nouus orbis Indiæ Occidentalis detectus eſt atque exploratus, apud Iamaicam inſulam totum exercitum Chriſtianorum ab imminente morte huius diuinæ diſciplinæ auxilio eripuit. Cum enim vniuerſus Hiſpanorum exercitus in vltimo iam vitæ periculo eſſet conſtitutus, neque Dux à Iamaicenſibus alimenta vllo poſſet modo impetrare (hac enim ratione ſperabant barbari exercitum Chriſtianorum facile ſine armis poſſe expugnari) vectorib. Iamaicenſium renuntiari iubet, ni ſibi, ſuiſque omnibus neceſſaria ad victum ſubminiſtrent, plurima illis ac ſuprema mala imminere: In cuius rei teſtimonium non multo poſt lunam eos*

eos obſcuratam eſſe viſuros, quam quidem ipſe in Aſtronomia eximiæ verſatus iamiam defecturam cognoſcebat. Contemſerunt quidem primo barbari iuſſa ducis Chriſtiani, ac minas: At cum ad conſtitutum ab ipſo tempus lunam deficere ſenſim conſpicerent, neque huius rei cauſſam intelligerent, illius tum verbis primum fidem præbentes, & commeatum Chriſtianis affatim ſubminiſtrarunt, & ad ipſius ducis, ceterorumque militum pedes prouoluti, vti ſibi ignoſcerent, obnixe efflagitarunt. Raderus. Tale quiddam, ni fallor, de ſe ſcripſit, Ioan. de Staden, cum inter barbaros Americæ captiuus ageret, iamque neci deſtinatus; hoc commento imminens exitium depulſiſſe, quod præcognita lunæ defectione, metum iis incuſſerit diuinæ vindictæ, ni deſiſterent cepto, eiuſque certiſſimum fore argumentum, lunæ paucos intra dies defectionem. Eadem formidine Nicias, *veritus claſſem portu educere, opes Athenienſium afflixit.* Plin. 2, 12. & Plut. de ſuperſtit. cap. 13. Defectu ſolis perculſum etiam fuiſſe Annibalem, ante vltimum cum Scipione prœlium, tradit Zonaras tom. 2. ſimilique poſtea cauſa, turbatæ ſunt Macedonum mentes, quo tempore Perſeus bellum cum pop. Rom. gerebat. Liuius 44,37,6. Ne Romanos idem timor inceſſeret præcauente Sulpitii Galli prudentia, qua eam rem euenturam dixerat. Liu. & Plin. dd. locis, Front. ſtrategem. 1,12,8. quo pertinere puto Polybii fragmentum apud Suidam in Δεισιδαίμων. & Suidam apud Schottum prouerb. 11,88. A quibus paululum diſſentit Val. Max. 8,11,1. & Plutarch. Æmilio cap. 28. Atque de Agathocle ſimile factum memorant Frontin. d. loco & Iuſtin. 22,6,1. de Claudio Imp. Dio lib. 60. Metum Archelai Macedoniæ regis narrat Seneca de benef. 5,6,4. Sed cauſarum ignaros percelli nihil mirum; cum *defectum ſiderum paueant & quadrupedes.* Plin. 8, 54. quem metum vehementer intendi par erat cæcatis gentili ſuperſtitione mentibus, *in defectibus ſtellarum ſcelera aut mortem aliquam ſiderum pauente*, teſte Plinio 2, 12. vnde *æris ſonus* & cetera ludicra, de quibus DEO volente ad Taciti 1,28,3. vbi ſimiliter ex defectu lunæ nata formido militum deſcribitur. Multo magis æquum eſt terreri Peruuianos, ſi qui adhuc credunt inſtare finem mundi, quotics eclipſes fiunt. Vide Carate Hiſt. del Peru 1,10. Contra Libyes cum ab Echerophe Rege Ægypti defeciſſent, Luna ſupra morem augeſcente, per metum ſe dediderunt. Africanus in adiunctis Euſebio Scaligeri, pag. 355. f. 1. Eſt & alia fanatica ſuperſtitio, qua ſibi perſuadent homines, qui reliquis eminere ſe putant, tanta propter ſe moueri, quæ & ipſa multis ingens terroris cauſſa fuit, adeo vt de Ludouico Pio, laudato cetera principe, tradiderit Sigonius de regno Ital. lib. 4. cum *anno* 840. *Sole prodigioſe obſcurato, tantam ex ea re animo triſtitiam concepiſſe, vt in pernicioſum morbum inciderit*, & ex eo a. d. XII. Kal. Iulii obierit.

Scilicet hic ſuperis labor eſt; ea cura quietos
Sollicitat.

4,10,3. *DIIS INVITIS)* Ex ſideris luctu putarunt iratos ſibi deos. Raderus.

ADIRI) Vane nimium exaggerant, ſi ita dixerunt, *adiri*: Neque enim verum, quid enim adire prohibuerit? Sed non id verbi Curtius iis tribuit: à librario affictum querelæ augendæ. *Vadari*, credo, auctor ſcripſit, aut *tranſiri*, ſed illud potius, quod ad literas propius. Ad recentem quidem in tranſeundo Tigri caſum reſpicitur ſaltem in quo firmare gradum non potuerant propter & fluminis rapacitatem, & ſaxorum lubricitatem. Acidalius.

IN &c. IACTATIONEM) Recte hanc ſcripturam præferunt Modianæ; *vnius hominis iactatione.* Acidalius & Raderus. At enim,

Humanum paucis vixit genus - - - - vt adſeuerat apud Lucan. 5,343. Iulius Cæſar, de qua re nos vberrime locuti ſumus ad illud Taciti H. 5,25,6.

bellum vni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Hæc Gruterus ad ista Ammiani 22, 29. *vnius corporis permutatione tot cieri turbas &c.* Lucani locum videtur in animo habuisse Iornandes de reb. Getic. cap. XXXVI. f. *probatum est, humanum genus regibus viuere &c.*

PETERE) Melius alii *peti.* Forte fuit *peti & iam &c.* vt ex isto & præcedenti verbo adcreuerit syllaba.

4,10,4. *PERITISSIMOS)* Ægyptii enim sibi sideralis scientiæ inuentionem arrogarunt. Astronomiæ certe Theutem Plato in Phædro nominat auctorem; Aristoteles Ægyptiis tribuit Mathematicas disciplinas, hoc est, Astrologiam, vt explicat Fonseca, vere. nam & Plato adstipulatur. Pythagoras, Plato, Democritus, aliique complures Ægyptum petiuere, Astrologiæ & Geometriæ caussa. Plato X. de legibus Ægyptum opportunam affirmat astris considerandis. Idem Picus Mirandula, propter plana camporum docet. Diodorus 1, 69. etiam Ægyptiis hanc Astrologiæ laudem tribuit. Alii Chaldæis primam siderum cognitionem assignant. Iosephus contra Appion. lib. 1. pr. ab Abrahamo siderum disciplinam Ægyptiis traditam narrat: ab his ad Chaldæos, inde ad Græcos profectam. Pherecydes, Pythagoras, Thales Ægyptiorum & Chaldæorum fuere discipuli. Poëtæ Atlantem conditorem fingunt Astrologiæ, eoque pingunt humeris cœlum sustinere. De eodem Plinius 7, 56, 12. qui tamen 6, 26. Belum Iouem sideralis scientiæ inuentorem fuisse refert. Seruius ad Virg. Ecl. 6, 42. Prometheum laudat repertorem. Iosephus 1, 3. Setho primam omnium siderum cognitionem adscribit. Certum est ex cœlestium literarum doctoribus & Iosepho, cognitionem siderum ab ipso primum Adamo traditam literis, à Setho & posteris ad Noë, ab hoc eam ad Abrahamum peruenisse, à quo ad Ægyptios, ab his ad Chaldæos, Phœnicas, Græcos. Videatur Clauius ad cap. 1. Io. de Sacrobosco. Habes ergo caussam, quid sit quamobrem Alexander Ægyptios potissimum sacerdotes & Vates ad interpretandas siderum naturas adhibuerit, quod illis in ea, vtpote inuentoribus & magistris Astrologiæ, maxime fides adiungeretur. Raderus. Id autem Alexandrum credo fecisse, non quod ipse veræ eius caussæ ignarus esset, vt postulat Vir doctissimus 3, 9. de legation. qui enim posset, Aristotelis discipulus, eiusque disciplinis plures per annos imbutus? Sed vt militi eo magis eximeretur metus, quanto à pluribus, & perioribus, vt ipse quidem opinari poterat, res ea non ominosa iudicaretur.

4,10,5. *QVI SATIS SCIRENT)* Qui germanas & certas defectionum solis & lunæ caussas ex Mathematicorum disciplina discere & pernosse desiderat, Ioan. Sacrobosci um cap. 4. Sphæræ euoluat, Vitellium præterea in Opticis propos. 26. & Clauium ad Sacrobosci um. Lucret. 5, 746. Lucan. 1, 539. Ciceron. de natur. deor. 2, 40. Raderus. Adde ex veteribus Iustinum 22, 6, 2. Senec. de benef. 5, 6, 5. Plutarch. de superstit. cap. 13. Augustin. epist. 19. & Dion. lib. 60. Inprimis Marcellin. 20, 3. & notatos ibi à Cl. Lindenbrogio. Cleomedem 2, 6. περὶ τῆς σελήνης ἐκλείψεως. Geminum cap. περὶ ἐκλ. τῆς σελ. Plinium 2, 10. Sic *ab hominum genere definitus est dies, mensis, annus defectionis Solis & Lunæ cognitæ prædictæque in omne posterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ sint.* Bernegg. Orat. Acad. VII. Quo vno argumento satis arguuntur, qui suæ naturæ ignari, homines, vt cetera animalia, nihil esse præter corpus imaginantur. Nec prætereundum, quod Arriano 3, 2, 4. traditum Loccenius ex hac caussa fuisse, recte notat: Alexandrum Lunæ, Soli & Terræ fecisse, vt nimirum omnes placaret, qui istius deliqui auctores fuisse viderentur.

4,10,6. *SOLEM GRÆCORVM)* Ex Herodoto 7, 37. apud quem hebescente sole Xerxi Vates responderunt, defectionem Græcarum vrbium significari, quod Sol esset præses Græcorum, Luna Persarum. Quod autem solis deficientis labores,

res, Græcis exitium portenderint, Lunæ Persis & barbaris, non semper vsuenit. perinde enim sub defectionibus lunæ Græcos fuisse afflictos ac barbaros intelligo, vt hoc vatum Ægyptiorum commentum videri possit ab Alexandro fortasse dictatum, vt antea Hammonis sacerdotes monuerat, quid sibi vellet scisitanti responderi. Raderus. Citat hunc Curtii locum Iacobus de Vitriaco Acconensis Episcopus, hist. Orient. lib. 3. in Actis anni 1218. Vbi scribit simili ratione interpretatum se defectionem lunæ, quæ tum contigerat, quamquam caussarum naturalium non esset nescius, *contra Saracenos, quasi prætendentem* (an *portendentem?*) *eorum defectum, qui sibi Lunam attribuunt, incremento vel decremento vim Lunæ magnam ponentes.* In alio genere callidita tem interpretationis huius imitatum refert Epaminondam Plutarch. Apophth. 97. qui *cum iam ad hostem cum copiis accederet, & tonitru exstitisset; interrogantibus suis, quid significari tonitrus eo putaret, respondit: Deum attonitos reddidisse hostes, simulque eis iniecisse, qui cum prope apta loca essent, iniquo loco castra ponerent.* Crassus apud Plut. cap. 36. cum exta ab aruspice tradita, non terruisset: idque exercitus vt malum omen horreret, ádridens dixit; *hæc nimirum vitia sunt senectutis: sed non perinde arma nobis elabentur è manibus.* Vide Frontini strateg. toto cap. 12. lib. I. Apud Liuium 26, 45, 8. Scipio in oppugnatione Carthaginis Hispanicæ, comperto æstum stato tempore decedere, eam rem *in prodigium ac deos vertens, Neptunum iubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno euadere ad mœnia.*

LVNAM ESSE PERS.) Nescio an probe ex hoc loco coniiciat Vir Doctus de coron. 9, 18. Persicum diadema lunatum fuisse. Quod enim hic dicitur; *lunam esse Persarum*, non sic accipiendum est, vt intelligatur *symbolum, aut insigne, aut omen & vaticinium*, vt ille putat: sed vt ex Herodoto 7, 37. discimus *protectorem, atque præsidem.*

VETERAQVE EXEMPLA) Verbi gratia Anno Mundi 3478. obscurata est luna, quo anno pugna Marathonia superati sunt Persæ. Vide Buntingum.

4,10,7. *SVPERSTITIO)* Contra quam disputat Cicero libris de diuinatione, & de natura deorum passim. Conatur dein separare suam religionem à superstitione, cum dicit; *Non enim philosophi solum, verum etiam maiores nostri superstitionem à religione separauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Ad quem locum multa D. Augustinus de Ciuit. Dei 6, 9. Sed atheus ille cum suo Epicuro Lucretius omnem religionem cepit conuellere, ipsoque religionis nomine superstitionem complecti, cum dicit; 1, 62.

Humana ante oculos fœde cum vita iaceret
In terris, oppressa graui sub religione,
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans.

Et laudato Epicuro subiicit vers. 78.

Quare religio pedibus subiecta vicissim
Obteritur - - - - Ostendit dein, quæ mortalibus mala ex superstitione, quam religionem vocat, euenerint, ac tandem addit epiphonema vers. 101.

Tantum religio potuit suadere malorum.

Propter pop. Romani superstitiones S. Gregorius Liuii omnia opera conatus est abolere, quod nimius esset in iis enarrandis ac laudandis. Legitur elegans Plutarchi libellus de superstitione. Raderus.

Quod, equo frenum, id populo, & pacis & belli tempore superstitio. eam igitur vti-

liter vsurpat magistratus, auctoritatis sibi conciliandæ caussa, aduersus dissolutos contumacesque. inquit Plutarch. de Socratis genio cap.13. quæ ipsa prolixius interpretatur Polybius 6,54. & 10,2. Curtius [hoc loco] Numam, circa res ciuiles, præiuit Rhadamantus, Minos, Lycurgus; secuti sunt Zaleucus, ac P. Scipio Africanus, de quibus, præter alios, iunctim fere Valer. Maximus 1, 2. Belli etiam tempore latua hac vsos esse reges ducesque plurimos, cumulate ostendimus ad illa Taciti 1, 28, 4. *mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes.* [Quem ad locum & Cl. Forstnerus, copiose.] Imo & Getas quoque artificio isto regibus suis obsecutos sic persequitur Strabo lib.7. Cordate igitur de Mose Ioseph. lib. 2. contra Appionem. Hæc Gruterus ad ista Liuii 1, 19, 4. *rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem efficacissimam, Deorum metum inliciendum ratus est.* Quomodo hac vulgi inclinatione vsus sit Scipio, discas ex Liu. 26, 19, 4. & quomodo hic idem Alexander ostendit Polyæn. 4, 3, 14. *cum* enim *ex aruspicibus cognouisset, deos omnia fausta portendere: circumferri hostias iussit, & militibus ob oculos demonstrare, vt non solum ex auditione, verum etiam ex adspectu spem bonam de periculo haberent.* similia plura vide apud Frontin. strateg. 1, 11. inter quæ excellit, quod XIV. loco positum, recitabo, quia ad Alexandrum pertinet, & forsan idem est, cuius & Polyænus meminit. Ille igitur *sacrificaturus, inscripsit medicamento aruspicis manum, quam ille extis erat suppositurus: literæ significabant victoriam Alexandro dari, quas cum iecur oculdunt rapuisset, & à rege militi esset ostensum; auxit animum, tanquam deo spondente victoriam.* Curtii sententiam imitatus est Tubero comment. de tempor. suis lib. 1. haud longe à prine. vbi dicens, apud Hungaros vix haberi pro Rege legitimo, qui diadema non haberet; subiicit: *tanta est ignorantiæ vitio, humanis mentibus superstitionis, vel ad impellendos vulgi animos efficacissimæ auctoritas.*

MELIVS VATIBVS) His verbis vsus est Cunæus de repub. Hebr. 2, 17. f.

4, 10, 10. *EXPLORATORES)* Mss. Modii, & vnus Gruteri, *moratores*, quod verissimum putat amicorum nostrorum vnus: explicatque, qui legitimum exercitum præcederent, & primum impetum hostis tardarent atque hebetarent. Idque confirmatum it locis Cæsar. de bello Gall. 2, 19. & 4, 11. item de bello ciu. 2, 26. & nescio quo Hirtii: *equites præmisit, sic paratos, vt confligerent, atque omne agmen morarentur.* quibus locis legimus præmissos equites, qui hostilem impetum morarentur. At hoc loco sic accipi non posse manifestum est ex eo, quod tum temporis nondum aduenie-bat Darius, nec illi mille de eius exercitu erant, sed ex Mazæanis, qui ad vrendam regionem dimissi erant. Præterea hoc cuiuis potest esse perspectissimum, Darium qui & copiis abundaret, & quam cum strenuo res esset, non ignoraret, vtique mille admodum equites non fuisse præmissurum, ad eius hostis impetum inhibendum. sed & manifestum est ex antecedentibus & sequentibus, hos homines ne animo quidem pugnandi ibi fuisse. Itaque credam ex istorum MSS. auctoritate legendum esse *moratores*, sed longe alio sensu, eo nimirum quo vocem eam ponit Liuius 21, 47, 3. *Prius Placentiam peruenere, quam satis sciret Annibal ab Ticino profectos: tamen aliquot moratorum in citeriore ripa segniter ratem soluentes cepit.* & 21, 48, 5. *quum iam transgressos Trebiam Romanos, metantesque castra conspexissent, paucos moratorum occiderunt circa flumen interceptos.* Quibus certe locis, si recte examinas, moratores sunt qui moram nectunt, non qui ad morandum hostem relicti sunt, vt forte nonnemo velit intelligi. Possit tamen videri *moratorum* in Liuio esse à Nominatiuo *moratus.* Thuanus tamen etiam vsurpat *moratores* nostro sensu. Sic & hoc Curtii loco, quod ex ipsa re claret. Mazæus trans Tigrim erat supra 4, 9, 14. relictus vt totam eam regionem vastaret, per quam iter futurum erat Alexandro. Ergo à ripa Tigridis ad vsque interiora, omnia vastabant, & vt quæq; corru-

corruperant, recedebant. Alexander contra summopere contendebat, vt quanta maxima celeritate posset, superueniret hostibus, priusquam omnia corrumperent. ita accidit, vt reliquis cedentibus, mille ifti tardi deprehenderentur ab Alexandro.

AVGVRANTVR) Modius ex MS. docet scriptum, *falsa per metum augentur.* Codex Augustanus S. Vdalrici: *Quippe vbi vera explorare non possunt, falsa per metum augurantur.* Certe *augurantur* μαντικῶς, ego non memini legere. quamuis enim *augurio* apud Ciceronem & alios reperiatur, non perinde tamen patiendi figura *auguror* dici deprehendatur. Raderus. Actiuum *auguro*, est apud Virg. 7, 273. vbi Seruius: *auguro dicimus secundum Plinium, cum præsagio mentis futura colligimus: auguror vero tunc, cum futurum veris captamus auguriis.* Sed vides ex locis, quæ monstrat Index, hoc discrimen à Curtio non attendi. Mihi prope compertum est, fuisse: *falsa per metum figurantur.* Sic infra 7, 1, 36. *Vtinam non inanes quoque species anxio animo figuraret.* Sic apud Cæsarem de bell. Gall. 1, 22. legimus: *Consilium timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renunciasse.* Ea enim natura metus: vnde Tacit. 2, 24, 6. *miracula narrabant, vim turbinum, & inauditas voluces &c. vera, siue ex metu credita.* Adde 7, 7, 24.

4, 10, 13. *FESTINANDVM)* Polyænus strateg. 4, 3, 18. *Alexander Tigrim traiiciens, Persis terram igni populantibus, misit qui omni vi & contentione eos persequerentur, vt suæ saluti consulentes, regionem intactam relinquerent.*

4, 10, 16. *RECITARET)* Callidum est Eumenis illud apud Iustin. 14, 1, 10. qui, coniectis in eius castra huiusmodi libellis, *vocatis ad concionem militibus* persuasit, *conflictas has à se epistolas ad experiundos suorum animos esse. Hoc facto & in futurum prouidit, vt si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur.*

4, 10, 17. *VEL VNIVS)* Tacit. H. 2, 75. *fluxam militum fidem, & periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si vnus alterque præsenti facinore, paratum ex diuerso præmium petat? Facilius vniuersos impelli, quam singulos vitari.* Eumenes apud Iustin. 14, 1, 12. *Salutem suam in omnium potestate esse.*

AVARITIÆ) Adeo splendens hoc *aurum præstringit oculos.* Varro Fragm. & alte impressum omnibus μηδὲν εἶναι σὺν κερδεῖ κακόν. *nihil esse cum lucro malum.* Sophoc. apud Athen. lib. XII. Lipsius polit. 4, 11. Vide Reusneri Symbola in Symb. Iustiniani II. *Multi nimium, nemo satis.*

4, 10, 18. *SPADO)* Liquet his verbis eunuchos quoque circa reginas fuisse, & infra 4, 10, 25. Idem probatur Esther 4, 5. *Accitoque Athach eunucho quem rex ministrum ei dederat.* Eoque respexisse videtur Terentius Eunucho 1, 2, 97. cum ait:

Eunuchum dixti velle te: quia solæ vtuntur his Reginæ. Hos etiam pellicibus & contubinis regis custodes adhibitos, supra pag. 78. ostendimus. Brisson. lib. 1. pag. 139. Adde supra ad 3, 12, 17. Et Augustin. contra Faustum 30, 3. qui huc alludit his verbis: *significans virgines & pueros, qui nubendi ipsa à cordibus suis exacta cupiditate, spadonum vice in eius ecclesia semper, tanquam in domo regia conuersentur.* Pertinet eodem Philostrat. in Apollon. 1, 23.

4, 10, 19. *ITINERIS)* Plutarch. cap. 52. & Iustin. 11, 12, 6. scribunt, ex partu obiisse. Et potest, vt animi ægritudo doloribus partus addita malum duplicarit. Loccenius.

4, 10, 23. *TANTVM)* Bong. coniiciebat, *tantæ.* me consentiente. De re simili est locus Diodor. 17, 38. *Itaque Alexander, etsi hanc vitæ nostræ tempestatem multis ætatibus præcessit; iustam tamen etiam à posteris, dignamque suis virtutibus prædicationem nanciscatur.* Et sane cum Tacito 3, 65, 1. *præcipuum munus hi-*

ſtoriæ *reor*, *ne virtutes ſileantur*, *vtque praui dictis factisque ex poſteritate & infamia metus ſit.*

4,10,24. *SEMEL OMNINO*) Meminere huius hiſtoriæ A. Gellius 6,8. & Athenæus 13,8. Ceteras autem captiuas vt vidit Alexander, ſpecie, & ſtatura eximias, dixit ioco, ὡς ἐστὶν μεγάλην ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ περσίδες, *Quam magni oculorum dolores ſunt Perſides.* Popma ex Plutarch. Alex. c.36.

SED VT VIDERET) Male alii *viderat*, vt olim vidi, & poſtea conſenſu vnius atque alterius impreſſi confirmatus ſum. Sic enim & ipſe Alexander conciliabitur Curtio cuius verba Plutarch. cap.37. refert in hunc ſenſum. *Ego enim non ſolum non vidiſſe inueniar Darij vxorem, aut videre cogitaſſe: verum nec verba facientes de eius decore, ſuſtinuiſſe audire.* Concilia, inquam, viſam eſſe ſemel, non data opera, ſed obiter, quia aderat matri Darii, ad quam viſendam Alexander venerat. Quomodo etiam explicanda videntur illa Plutarchi de curioſitate cap. 21. *Alexander Darij vxorem, quia formoſiſſima dicebatur, noluit in ſuum venire conſpectum: ſed ad matrem eius animo accedens, videre iuuenem & pulchram non ſuſtinuit.* Sic Iulianus *ex virginibus quæ ſpecioſæ ſunt captæ, vt in Perſide, vbi feminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre, Alexandrum imitatus & Africanum.* Marcellin. 24,16. & ex eo Fulgoſus 4,3.

4,10,25. *E SPADONIBVS*) Variat pauliſper Suidas in Ἀλέξανδρος. Plutarch. cap. 52. *Tireon* appellat, quem Curtius *Tyrioten.*

AVERSA) Quomodo in Romanis caſtris *decumana.* Tacit. 1, 66, 1. *cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, auerſa hoſti, & fugientibus tutior.* Auerſa enim parte eam collocabant, quia omnium erat maxima, & perinde, ſi vis ingrueret, defenſu difficilima.

LEVIVS CVSTODIEBATVR) Quaſi extra periculum eſſet. quod ipſum ſæpius maximum, negligentibus, creauit. Liuius 10,32, 8. ita Romanorum caſtra ab Samnitibus oppreſſa oſtendit: *Samnites vix dum certa luce, & eam ipſam premente caligine, ad ſtationem Romanam in porta ſegniter agentem vigilias, perueniunt. Improuiſo oppreſſis, nec animi ſatis ad reſiſtendum, nec virium fuit. Ab tergo caſtrorum, decumana porta impetus factus.* Raderus.

4,10,26, *DIDICI*) *Iam pridem didici fortiter eſſe miſer.* Ouid. Raderus.

NOSSE SORTEM SVAM) Adſcribam magni ſane doctoris verba, Polit. 5, 18. In clade duo moneo, vt Prudenter eam, & Fortiter feras. Prudenter, hoc ſenſu: vt noris eam ſerio, & appendas. Nam quidam, *è contrario læta omnia ſibi fingunt.* Tacit. Hiſt. 3,54,1. *Et nuntios cladis occultantes, ſtulta diſſimulatione, remedia potius malorum, quam mala differunt.* Ibid. Quod nulla ratio eſt, vt fiat. Nam primum

- - - clades ſcire qui refugit ſuas,
Grauat timorem, dubia plus torquent mala.

Seneca Agam. v. 419. Sicut contra, *ſæpe calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſortem ſuam.* Curtius. Deinde, profecto

Iuris malorum remedium, Ignorantia eſt.

Seneca Oedip. v. 515. Imo nullum: nec mederi tibi fas, cum neſcis. Tu vero agnoſce, atque adeo examina & appende.

4,10,27. *MIHI*) Alium longe horum eſſe ſenſum quam vulgata diſtinctio pariat, oſtendit mihi amantiſſimus Socer, ſi ſic diſtinguas, *nunciaturus es; mihi, &, vt credo ipſis quoque, omni grauiora ſupplicio.* Vt iſtud *mihi*, non pertineat ad præcedentia *nunciaturus es*, ſed ad hæc *grauiora omni ſupplicio.* Confirmatur hæc diſtinctio verbis Diodori 19,8. διὸ καὶ γὰρ ὁρῶντα τὰς μὲν ἀνδρας καὶ πατέρας ἐπὶ τῷ πάθει τῶν γυναικῶν ὑβρεις, καὶ παρθένων ἀκμὰς ἀνελεημόνως ἀναλισκομένας. *Ipſa enim morte acerbiora paſſuros viros & patres, ſi vxorum & virginum ſtupra per contumeliam illata conſideraſſent.*

4,10,28. *TOTIS CASTRIS*) Hoc ego vix concoquam. quomodo ſtatim eiulatus *totis caſtris?* dum eius cauſſa in tabernaculo regis, & vt credibile eſt, tantum non ſoli regi, adhuc exponitur. ſequitur tamen mox n. 32. de *ſubmotis arbitris*, qui forte eiulatum concitauerint.

4,10,29. *AGERE*) Malim, *gerere.* Sic mox 4,11,17. *bellum cum captiuis & feminis gerere non ſoleo.*

4,10,31. *OB HÆC IPSA*) Sic feci, ex quibuſdam editis, coniecturam adiuuantibus Berneggerianam, manifeſto melius, quam alii, qui legunt; *Ob hæc ipſe amantis animus.*

IN SOLICITVDINEM) Sic Tacit. H. 2,21, 4. *Dum atrociora metuunt, in leui cetera habentur.*

4,10,32. *TORMENTA*) Perſas quæſtionem de reis per tormenta habuiſſe, teſtis eſt & Epiphanius lib. II. contra hæreſes. cap. de Manichæis. Popma.

SI QVID TIBI) Ratio loquendi poſtulare videtur: *Si qua tibi tui regis reuerentia eſt.* Quomodo apud Senec. de breuit. vitæ; *Si quis inferis ſenſus eſt*, & ſimilia. Deſeam etiam duo verba; *in te.*

4,10,34. *CAPITE VELATO*) Velabant & operiebant ſe veteres parte veſtis, vel propter ſacra, vel ob deſperatam aliquam rem, aut malum. Plaut. Amphitryone 5,1,41.

Inuocat deos immortales, vt ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. Seneca Herc. Furente verſu 355.
Namque ipſa triſtis, veſtis obducto caput
Velata, iuxta præſides adſtat deos. Popma. Ita Aman genti Hebrææ exitium machinatus, quod in auctorem redundauit, cum Mardochæum per vrbem deducere cogeretur, domum reuerſus lugens obduxit caput: idemque velatus in crucem iuit. Eſther 6,12. & 7,8. Aben-ezra morem fuiſſe ait, vt cui rex iraſceretur, eius ſtatim vultum miniſtri obnuberent, quaſi, qui regem aſpiceret, indignus foret. Sed mos fuit communis. Ceterum reis in crucem agendis capita obnubebantur, vti Liuius 1,26,6. de Horatio docet. Ap. Claudius metuens vitæ, ex iudicio capite velato in propinquam domum ſe recepit. Liuius 3,49,5. Obnubebantur & nouæ nuptæ flammeo: vnde & nuptæ dicuntur. Ænea etiam auctore certis hoſtiis litaturi capita velabant. Plutarch. quæſt. Rom. cap. 10. Hebræi quoque in graui luctu capita velabant. Rex Dauid cum Abſolonis arma fugeret, caput obnupſit, Samuel. 2, 15, 30. De Suſanna quoque apud Daniel. 13, 32. ad tribunal operta legimus. Raderus.

AD COELVM) Veteres oraſſe manibus ad cœlum ſublatis, Apuleius in libro de mundo tradit. *Nam habitus*, inquit, *orantium hic eſt, vt manibus extenſis ad cœlum precemur.* Vnde Virg. Æn. 1, 97.

Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert - - - - & Æn. 2, 688.
- - cœlo palmas cum voce tetendit. Idem 3, 264.
- - - - paſſis de litore palmis
Numina magna vocat - - Et regius propheta Pſalmo 63, 5. *in nomine tuo leuabo manus meas.* Popma. Adde Virgilianis Æn. 2, 405.
- - cœlo tollentem lumina fruſtra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas. Seneca Epiſt. XLI. pr. *Non ſunt ad cœlum elemandæ manus &c.* Vide & Nehemiam 8, 6. Hinc dicit Apoſtolus ad Timoth. 1, 2, 8. *leuantes puras manus.* Et Tertullian. de oratione cap. 11. *quæ ratio*

vatio est manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? quasi nec ipsis manibus spiritales mundities sint necessariæ, vt à falso &c. ceteris que maculis quæ spiritu conceptæ manuum opere transiguntur, puræ alleuentur. Idem in Apolog. cap. 30. *manibus expansis, quia innocuis &c. oramus.* Ambrosius reprehendens Theodosium: *Qui, quæso, manus iniusta cæde & sanguine respersas extendere audes?* Theodor. hist. Eccl. 5, 17. Mos natus ex ipsius naturæ magisterio: cuius instinctu paruuli infantes, in quocunque periculo aut metu, manus ad parentes tendunt, quasi illos apprehensuri, aut petentes vt arreptis manibus, velut extrahantur ex calamitate, quam inciderint. Inde etiam cum homines orabantur, eadem consuetudo tenuit. De qua forte ad illa Taciti 1, 11, *6. ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.* Sed in Curtio olim blandiebatur hæc coniectura, *ad Solem manus tendens*: Nam ille, vt notum, Persarum deus. & firmabat eam egregie Athenæus 13, 8. vbi in hac ipsa historia; Δαρεῖος τῶν μαγῶν ἤκουσε, τὸν ἥλιον τὰς χεῖρας ἀνατείνας. Sed nolebat Curtius, qui mox Darium facit inuocare *deos patrios*; non vnum vtique Solem.

DII PATRII) De his vide Brisson. lib. 2. à pr.

4, 11, 1. *VICTVS CONTINENTIA)* Virtus & æquitas hostis non raro bella diremit, vt apud Liuium 5, 27, 11. Polyænum 8, 7. Frontinum 4, 4. & alios cognosces. singillatim de Camillo apud Plutarch. cap. 19. Flor. 1, 12, 5. Valer. Max. 6, 5, 1. qui Falisios sibi dedito magistro proditore conciliauit. Fabricius apud Valer. Max. 6, 5, 2. Plut. in Pyrrho cap. 45. Liu. 39, 51, 11. Agell. 3, 8. Cic. offic. 3, 22. Pyrrhum, Timochare Ambracienſi medico insidiatore edito, ad amicitiam pop. Rom. attraxit. Scipio Africanus multas Ibericas ciuitates Romanis amicas sua continentia fecit. Liuius 26, 50, 11. &c. Raderus. Ab hac virtute Iasonem quoque Thessalum egregie commendat Polydamas Pharsalius, apud Xenoph. lib. 6. Hist. Græc.

4, 11, 3. *AGENS)* Acidalius malebat, *agis*, vt omnia sint eodem flexu.

4, 11, 4. *LVGES)* At Diodorus 17, 54. vxorem Darii vult extinctam post hanc legationem, vel certe inter eam: eoque nullo verbo eius meminit, dum exponit mandata legatorum.

QVID OPVS) Videantur hæc translata ex oratione Calliæ apud Xenoph. hist. Græc. lib. 6. πῶς ἂν ἐκεῖνός τε αὐτὸ γεγενόσεσθαι, φίλος μᾶλλον ἀλλήλοις, ἢ πολέμιος εἶναι; Cum Henrico tertio *coronam in præsens, amicitiam in perpetuum postulanti, virumque se daturum archiepiscopus* (Mediolani Heinbertus) *ostendisset, continuo ab armis discessum est.* Goulart. ex Sigon. de Regno Ital. lib. VIII.

4, 11, 5. *QVAM TIBI TRADIT)* Intellige filiam: frustra hæc mutatum iuit Modius.

4, 11, 6. *XXX. MIL. TALENT.)* Diodorus 17, 54. tria millia, Plutarch. vero cap. 51. 10000. talentum oblata fuisse auctor est, non adiecto, auri vel argenti. Vnde Budæus lib. 4. de Asse, corruptum esse hunc locum putat, aut certe *argenti* legendum; non *auri*, quod nullæ opes eam summam æquare possint. Verum cum varia genera talentum sint, non eiusdem pretii; & immensæ fuerint Persarum opes longa iam ætate cumulatæ, vulgatam lectionem veterum codicum auctoritate confirmatam seruauimus. Popma. Leg. *tria millia*, vt Diodorus habet, quod & probat Glareanus. nam 30000. nimis amplus numerus, licet defendat Popma. Sed & amplior in Valerio Max. 6, 4, 3. ext. *decies centum millia.* Puto τὸ *centum* abundare. *Decem millia* quoque habet Arrianus 3, 5, 1. Loccenius. Anno 1527. Francisci Gallus liberos suos obsides, à Cæsare redimere voluit *vicies centenis coronatorum millibus.* Bellai comment. de reb. Gall. l. 3.

4, 11, 7. *NON DICEREM)* Vir doctissimus mihique longe amicissimus

cissimus expunctum ibat negatiuam: ego puto necessariam. Idque euidens est ex iis quæ sequuntur. si enim legas *dicerem*, certe intelligeres eum non fuisse tam operose dicturum, vt vero facit, per omnem reliquam orationem. Sensum esse credo: Nisi scirem moderationem tuam, nollem verba tecum hac de re facere, quippe constaret, apud animum ambitione & cupidine præcipitem nihil me profecturum. at cum ita moderatus sis, spes est, si monearis & docearis fortunam non amplius esse tentandam, locum te daturum esse meis adhortationibus. Ideoque loquar apud te, vt hominem moderatum, quod apud alium qui ita comparatus non esset, non facerem. Retinenda igitur hic est particula *non*, quam contra obiter inducendam esse monco apud Hirtium de bello Alexandr. cap. 70. in his: *neque prouinciarum publicas iniurias condonare iis posse, qui non fuissent in se officiosi.* Vult enim dicere quod apud Iustinum 31, 7, 5. Scipio: *priuata beneficia à publicis secreta esse.*

4, 11, 8. *PRÆGRAVE IMPERIVM)* Vide quæ colligit Arnisæus de Rep. 1, 5, 6. & de iure maiest. 2, 8. Clapmar. de arcan. 3, 16. Brantius ad Cæsar. de bel. Gal. 4, 8. & inprimis Gruterus toto discursu 18. ad Tacitum, vbi de consilio Augustæo *coercendi intra terminos imperij.* Quorum summam continent hæc ex Apologia Apulei: *Omnibus ad vitæ munia vtendis, quicquid aptam moderationem supergradiatur, oneri potius quam vsui exuberat.*

NAVIGIA) Ex Aristot. polit. 7, 4.

4, 11, 9. *TVERI)* Lipsius Polit. 4, 9. hunc locum citans scribit *tenere*, ex memoriæ, vt opinor lapsu. Sed ad sententiam eandem pertinent, quam & Florus firmat 2, 17, 8. *Plus est prouinciam retinere, quam facere.* vbi nota nostra. caussam eius aliquam ostendunt illa Ouidii de arte 2, 21.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri:
Casus inest illic; hic erit artis opus. Ælianus hist. var. 4, 14. elegantem similitudinem excogitauit de pecuniæ adquisitione & custodia, quæ pari ratione ad regnum transferri potest. *Quemadmodum, inquit, echinum, sic etiam nummos capere facilius est, retinere vero difficile.*

4, 11, 10. *INCERTA REGIS VOLVNT.)* Veriti vnusquisque ne à regis sententia dissentiret, vt Piso apud Tacitum 1, 74, 6. Tiberio rogante. *Quo loco, inquit, censebis Cæsar? si primus, habebo quod sequar: si post omnes; vereor ne imprudens dissentiam.* sed Diodor. 17, 54. *propter magnitudinem & momentum propositæ quæstionis* ait neminem ausum respondere. Raderus. Adde Gruter. discurs. in Tacit. 37.

4, 11, 11. *ANTE SVASISSEM)* Euidens est, quamquam non omnibus, recte censuisse Budæum de Asse pag. 165. orationem hanc oblique referri à Curtio, vt ostendit indubitabili argumento n. 13. hoc capite, & vero hic ipse, in voce *potuisse*: legique debere: *Ante suasisse*, & conuenienter in seqq. *redderet: censere: permutet.* Non accedo Acidalio qui legit, *Et ante.* Vide etiam Varias Lect. quæ nonnihil hic iuuant.

QVI MVLTI VINCTI) Non immerito hic offendunt viri docti. mirum enim, si Curtius ita scripsit. Acidalius aliquando volebat; *simul vincti.* Loccenius; *qui vincti viror. fort. manus inulti occup.* Raderus putat duo verba *multi vincti* ex ora libri ab aliquo explicationis caussa notata, in Curtium irrepsisse. Idem tamen cum Acidalio dubitat retineri posse vulgatum. quod ibi *multi* videantur opponi *tribus corporibus*; de quibus nunc agitur. Ego suspicor librarios pro *vincti*, quod fortasse non bene expressum erat, putasse scriptum fuisse *multi*, idque deinceps peperisse variam lectionem, quæ postea à describentibus addita sit veræ. Sensum tamen videre facile est, idque sufficit.

4,11,14. *SI PARMENIO ESSEM)* Hoc inter apophthegmata Alexandri, maximi regum, dictum plane regium à Plutarcho cap. 51. & Apophth. cap. 38. Arriano 2,5,2. Diod. 17,54. relatum. Val. Maximus 6,4,3. ext. vocat *vocem, nobiliter editam*: item *vocem duabus victoriis respondentem, dignamque cui tertia, sicut euenit, tribueretur.* Iniuriam Plutarcho facit Patricius de regno 8,20. vbi de fide agit: Dum quasi ex eo, scribit Alexandrum hoc respondisse Parmenioni *suadenti quippiam quod præter fidem esset.* & subiungit plura in hanc sententiam. Melius Amiratus dissert. polit. 5,10. qui hoc refert inter exempla, quibus adstruit, *non eadem omnibus decora esse.* Imitatus autem videri possit Alexander Callicratidam Lacedæmonium, cui cum ex consiliariis Cleander quidam diceret, *Ego hoc facerem, si tu essem? & ego, inquit, si tu.* Plutarch. apophth. Lacon. cap. 70. Simile Demosthenis dictum Lucianus in encomio illius refert: *Ego persuaderi mihi paterer, si Archias essem: sed quia sum Demosthenes, ignosce mihi ô infelix, ad ignauiam non nato.*

NVNC ALEXANDER) Hæc appendix eneruat præcedentis dicti venustatem.

4,11,15. *HONESTIVS DONO DABIMVS)* Pari magnanimitate Pyrrhus apud Ennium lib. 6. de captiuis redimendis:

„Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis,
„Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
„Ferro, non auro, vitam certamus vtrique &c.
„Dono ducite, doque volentibus cum magnis Dis.

Et Æneæ suo applicat Virg. Æn. 10,827.

Arma quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus & cineri (si qua est ea cura) remitto.

Loquitur de Lauso, cuius cadauer gratis remittit: honestius certe, quam Achilles Homericus.

4,11,16. *GRATIARVM ACTIONEM)* Toto hoc capite irrepserunt Iustini verba à Glareano & Iunio, aliisque compluribus pro legitimis admissa. In MS. Constantiensi non apparent, & à Modio quoque vt spuria reiecta sunt. vere. nisi Iustinus (nam posterior fuit) ex Curtio est ad verbum mutuatus, quod vero simile non est, cum sua ex Trogo acceperit. Nec Gualterus, qui Curtium in carmen (sæpius ipsis quoque Curtii verbis in numerum coactis) transtulit, hæc pro Curtianis agnouit. Raderus. Ea igitur insiticia quo dignosci possint à genuinis & legitimis, vncis inclusi curamus.

4,11,17. *CALAMITATES)* Quid de hoc loco sensérimus, ad Iustin. 11,12,13. notatum est. Non vult Alexander durus esse in hostem, qua calamitosus est, sed qua superbus & viribus minax. Denique paratus est, vt Virg. Æn. 6,853.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quem sensum amplectitur, qui olim *caritates* legebat, suffragantibus mihi præter eam rationem, quod *caritatum* nomine venirent vtique & adulti liberi, quibus arma in se ferentibus haud equidem pepercerit Alexander; præterque omnium codicum consensum: etiam Liuio 42,8,7. *Claram victoriam vincendo oppugnantes; non seruiendo in afflictos, fieri.* Sic accepit etiam Rod. Santius Hist. Hisp. 4,37. Sic Sultanus apud Nicetam lib. VI. de imperio Manuelis: καὶ ὁ τλιὸ βασιλεὺς ἀφτιλὸ αὐδάμως ἀπόπτως, τὴν πρὸς τοῖς ἐκείνε συμφορᾶις ἐπικλᾶτιν, de Sultano loquitur, qui calamitatibus adfecto Manueli vltro pacem offerebat. Hic igitur amicæ litis est exitus. Monendus præterea est lector istud *calamitates* accipiendum esse non absolute, sed cum voce sequente *hostium.* Se contendere non aduersus calamitates hostium, sed aduersus eorundem

eorundem vires. Iustinianus plane loquendi modus. nec enim vsquam Curtio similis. Id autem moneo propter interpretem Iustini Hispanum, qui similem plane dicendi formam non cepit. Iustini locus est 2,15,11. vbi Themistocles castigat Spartanos, *quod non virtute, sed imbecillitate sociorum, potentiam quærerent.* Reddidit Hispanus: *como no por esforçarse ni virtud, que en ellos viuiesse, querian impedir el poder y valor de sus compañeros: si no con flaqueza y floxedad.* quasi dixisset Iustinus: quod non virtute sua, sed ignauis machinationibus, potentiam sociorum impedire niterentur, cum lateat optima sane sententia, bonos & fideles socios non esse debilitandos, sed in eorum virtute atque fide potius statuendum esse potentiæ nostræ præsidium, quam in hoc calliido & suspicionis prauæ pleno consilio, operam esse dandam, vt imbecilles redditi socii, vel inuiti nostris imperiis pareant.

ET FEMINIS) Vide Grotium de iure belli 3,11,9. Gentil. 2,21. & Clapmar. arcan. 5,7.

ARMATVS) Liuius 5,27,8. *Arma habemus non aduersus eam ætatem, cui etiam captis vrbibus parcitur; sed aduersus armatos.* Item 28,23,1. *Iure belli in armatos repugnantesque cædes edebatur.* Tacit. 1,59,4. *Non enim se proditione, neque aduersus feminas grauidas; sed palam aduersus armatos bellum tractare.*

4,11,18. *PERCVSSOR VENEFICVS)* Inserenda copula, *vt percussor, & venef.* [Idem ego conieceram] nisi iterandum potius ipsum *vt.* Nam diuersi venefici & percussor, & vtrumque increpat Darium diuersa caussa: percussorem, quia milites; venificum, quia medicos sollicitaret. Ac vide ne pro *amicos* hic plane scribendum etiam *medicos*: de quo non pugnabo tamen. Acidalius.

4,11,19. *LIBERALITER DONAT)* Hæc ironice dicta accipe: idemque eorum sensus est cum eo quem expressit Iustinus 11,12,4. *sua sibi dari.* Athenienses apud Thucyd 4,20,11. negant Bœotiorum esse agrum, quem ipsi armis obtinerent Atticis. Sic Archiepiscopus Nicææ Nicolaus τῷ ἀνεψιῷ ἐς τὸ φιλόπτωχον διαπλῆσαι, quæ defendi non poterat vrbe Andronico vltro dedita. Nicetas in Andronico.

4,11,20. *EADEM LIBERALITATE)* Hinc disce quam vere & apte narret Patric. de Rep. 4,6. *Contempsit Alexander magnus Darij filiam; quamuis dotem haberet regni partem, & magnum auri pondo, maluitque ducere Barsynen Græcas literas optime eruditam sine dote vlla, quamuis inops esset, regio tamen genere oriunda esse diceba-tur.* Nec minus sibi licere putauit Marselaer legat. 2,39. qui in contrarium fingit, post alia plura, Alex. respondisse; *Oblatam filiam omni quidem honore dignissimam, sed destinationi suæ nondum conuenire:* quem etiam *Vicedeatum in terris* sibi attribuisse ibidem refert. Æque iucundus est Hispanus Anonymus, quem se in Italicum sermonem transtulisse ait Mambrinus Roseus de Fabriano, inscriptione hac addita: *La Institutione del Prencipe Christiano.* Vbi hæc verba leguntur pag. 54. *Il famoso Re Dario prima che fusse nell' vltima battaglia perditore, per mezo de i Sacerdoti Caldei fece tentare accordo con Alessandro Magno, offerendogli dargli vna figliuola per moglie, & essendo il maneggio gia in buono essere, fu allentato da Alessandro, iscusando si che non hauendo piu di 24. anni, non poteua maritarsi secondo le leggi di Macedoni, che sino alli venticinque prohibiuan la donna, & sino à trenta l'huomo di matrimonio.* Quibus deinde suffercit alia haud minus ridicula & falsa: Ideo noluisse id matrimonium, quod quamquam audierat (non enim potuisset videre) puellam esse pulchram, tamen bonarum artium rudem comperisset. ideoque Barsinam duxisse pauperem, sed Græce Latineque (en tibi acumen hominis!) egregie doctam. deque ea re interrogatum respondisse, sufficere in coniugiis vt maritus sit diues, vxor prudens & bene morata: illius enim officium in adquirendis bonis magis versari, huius, in conseruandis. Scilicet excusasset

Alexander legem Macedonum, quæ prohiberet minorem 25. annis nubere minori tricenario! qui viuo adhuc patre ambiuerat Caris Pexadori filiam, vt locupletissimus refert testis Plutarch. cap. 16.

SERVORVM) Sic appellat Persicos proceres à re ipsa, quam licet & alias certam, ex lepida narratione colliges, quæ est apud Victor. de Cæsar. cap. 5. *Legatus Parthorum* ad Neronem, *forte inter epulas, auulcis, vti mos est, canentibus, cum sibi citharistam poposciſſet; responso dato, liberum esse, adiecerat: sumeret ipse quem vellet è suis, ostentans qui conuiuio aderant, quod liber sub imperio nullus haberetur.* Idque notum est & hodie de Imperiis ad Orientem: quorum reges subditis vtuntur in modum mancipiorum. Quod aliter apud Romanos se habuisse, ostendit Piso apud Tacit. 2, 57, 6. & H. 1, 16, 7. memorabilibus his verbis Galba: *Neque enim hic, vt in ceteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & ceteri serui: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam seruitutem pati possunt; nec totam libertatem.*

4,11,21. *ET QVÆ ADHVC HABET)* Probus Imp. referente Campofulgoso 3, 7. ex Vopisci Probo cap. XVII. *Narsetis Persarum regis oratoribus, qui cum ingentibus donis ad se missi erant, dixit, vt regi suo referrent: mirari Probum, quod è tantis rebus, quæ cum iam captis Probi futuræ erant, illique bene vsurus esset, tam paruum ad ipsum partem misisset.* Eundem Ammerigi Regis Alamaniæ fuisse animum Nicetas arguit, pr. lib. 2. de reb. gest. Alexii Comneni: *Antonios & Augustos Cæsares subinde somnians, & ad eorum principatum cupiditatem extendens, & tantum non vt Alexander dictitans, τὰ τῆδε κἀγὼ τὰ τῆδε πάντα ἐμά: Et hæc, & illa, mea sunt.* Quippe *equi, tela &c. omnesque opes, Fortunæ bona proponuntur fortioribus, & hæc omnia largitur victoria.* Aristides in Panathen. Sic Galli apud Liu. lib. V. clamitant, *Omnia virorum fortium esse.* Ceterum respectus habendus ad eum, cuius in manu & fortitudo singulorum est, & victoria.

VT AB ALIIS ACCIPEREM) Seneca epist. 53, 10. *cuidam ciuitati, partem agrorum, & dimidium rerum omnium, promittenti*; respondisse refert Alexandrum: *Eo proposito veni in Asiam, non vt id acciperem quod didissetis: sed vt id haberetis, quod reliquissem.* Pertinet huc Cæsar de bel. Ciu. 3, 10. negans *esse vsurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur: neque fore æqua parte contentum, qui se omnia habiturum confideret.* Idem apud Hirt. de bel. Hisp. cap. 13. Cordubensibus *respondit, se conditiones dare, non accipere, consueuisse.* Atque eodem modo Heluetii, de quibus Cæsar. bel. Gal. 1, 14.

4,11,22. *DVORVS SOLIBVS)* Stultissima comparatio: quam tamen probare videntur non infimi nominis viri. Secuti etiam aliquot tyranni; quorum Suleiman obsessis Viennæ nuntiari iussit: *quando vnus deus sit, qui cœlestia moderetur; æquum esse, vnum caput, vnum principem, orbi terrarum imperare: eum sese esse velle, vitamque acerbam habituram, quoad illos, vniuersamque Christianorum nationem armis subegerit, suæque ditioni parere coegerit.* Obsidio Viennæ scripta ab Anonymo, Regis Ferdinandi Nobilium puerorum præceptore. Idem interempto filio Mustapha proclamari iussit: *Vnus in cœlo Deus, vnus in terris Sultanus.* Sed efficere prius debebant homines ambitionæ amentes, vt quæ saltem soli est ad orbem terrarum lustrandum fouendumque indefessa & stabilis facilitas, eadem & ipsis foret: quo omnes imperii sui partes pari celeritate & efficacia curare possent. Quod quia natura hominis non capit, intellectu facilimum est, nec exsistere posse talem monarchiam, nec si exsistat, durare. Plane si de vnius populi principatu sermo esset, aliter sentirem. probo quippe Lydi cuiusdam comparationem apud Stobæum serm. 45. ex Scrini apomnemoneumatibus; qui Cœso, fratri partem imperii concedenti, dixit: *Omnium in terra bonorum auctorem*

rem solem vides: si geminarentur soles, periculum esset, ne omnia conflagrarent. Alia similitudine vsus Bulgarorum Rex Delcanus regnum contra Tichomerum solus obtinuit, dicens: *vt duos erithacos vnum arbustum non alit: sic vnum regnum feliciter à duobus principibus administrari non posse.* eius rei veritatem ipse mox expertus. Cedren. in Anno mundi 5548. Porro quod legatis hic respondit Alexander, id etiam in nummo quodam, per ænigma expressisse patet ex Zamosii analectis antiquitatum Daciæ cap. 11. vbi *quadrigæ sunt pernici cursu præcipites: currui cymbæ speciem habenti Apollinis radiantis imago inest, cum sceptro: inscriptio Græca subter: μόνῳ.* Idem inquam penitus est, vnum esse solem: sic vnum habendum imperatorem.

4,12,2. *GRAVIORE COMITATV)* Non gratis additur, *grauiorem* comitatum relictum; impedimenta leuiora secuta, vt sequitur. Raderus. Grauiorem comitatum interpretor, qui valde moraturus erat agmen, quo numero sunt pecuniæ, & quicquid multis iumentis opus habet: item captiuorum multitudo. eos enim in quibus plurimum erat momenti, vt matrem, liberosque Darii secum duxisse ex sequentibus patet.

4,12,3. *IN DVO CORNVA)* Sequutus sum Acidalii correctionem.

IN VTRVMQVE) Pulcherrime alter MS. *vtrimque latera equite circumdato* Græcismo vsitato. Ita scripsisse Curtium putem. Nam illud vulgatum *in vtrumque latus*, nec in Modianis: nec in vtro nostrum reperitur. Gronouius. Dubitabam tamen leuiter, legendumne esset, *vtrimque alario equite circumdato.* Bongarsius sic voluit: *vtrimque equite circumdato.* bene, si libri patiantur.

4,12,4. *PRÆMISSVM)* Sic coniunxi quæ male hactenus diuidebantur. Vox enim *præmissum* rectius respondet sequenti *Menidam*, quam præcedenti *agmen.*

CONCITIS) Omnia, ante Modianum, exemplaria præferunt hanc scripturam: Modius reponit, *cum Scythis: sic emendo*, inquit, *ex eo quod libri habent* concitis, *& Musis gratia, cum bene ita emendo.* Modianæ emendationi fauet Ms. Constantiensis & editio Antuerpiensis anno 1546. ante Modium vulgata, quæ ad oram habet *cum Scythis.* Quid si legas *concitis equis?* vt alibi Curtius loquitur. Quid enim hic Scythæ equites, cum nullos in exercitu suo Scythas habuerit Alexander? Lego ergo hoc loco, *Menidas cum equitibus*, erat enim præfectus equitum: vel *concitis equis.* Raderus. Posset tamen defendi lectio Modiana, nec enim opus est, vt *Scytharum* nomine intelligantur inde oriundi, sed & qui eo armatu vtuntur. Sicut reperimus equites *Tarentinos*, sic Astrologis *Chaldæi*, rectoribus elephantorum *Indi* nomen dedere. Alia quoque exempla similia reperies infra ad 5, 1, 22. voce *Chaldæi.* De Scythis expresse Ælianus tact. 2, 13. *οἱ ἵππιοι τάξεις χρώμενοι, ἱπποτοξότας λέγοντες: ὑπ' ἐνίων ἢ Σκύθας. Equites qui arcu vtuntur, equites sagittarij dicuntur: à nonnullis Scythæ.* Inter quos tamen fuisse Curtium vix mihi persuadeo, potius, scripsisse *cum citis equitibus.* Sic Plaut. Amphit. 1, 1, 90.

Equites parent citi - - - quamquam paulo diuerso sensu. propiore Liuius 26, 15, 9. *eques citus ab Roma venit.* Ouid. Fast. 2, 372.

Inde cito passis petitur Lucretia - - Sic Tacit. 14, 26, 1.

4,12,5. *ACIEMQVE DISPONIT)* *Descriptionem acici post pugnam repertam*, ex Aristobulo refert Arrianus 3, 2, 20. vbi vide.

4,12,6. *SVSIIQVE)* Secutus Modium in prima Curtii editione, scripsi *Suasique.* Sed dum voluo scriptores Strabonem, Ptolemæum, Æthicum, Melam, Plinium, Atrianum, Solinum, & alios, nullos vsquam lego Suanos. [apud Plin. tamen

6, 11. & Ptolem. 5, 9. sunt *Suani*] Antuerpianus Curtius anno 1546. inuulgatus, *Susios* in contextu scripsit: in ora *Suaui, Suani, Suzii*. Beatus Rhenanus ante annos quinque supra centum Argentorati *Sueuos* expressit. Quid Sueuis cum Indis, Bactrianis &c.? Colonienſis tamen codex vetus etiam *Sueuos*, edidit; nouus, *Suanos*; nouissimus *Susiisque*. MS. Constantienſis *Vanique*, æque vanum. Ego ex Suanis facio *Susianos*, vt ab regione Susa, *Susiani* dicantur, quemadmodum cum Plinio 6, 27. Mela 1, 2. appellat. ita syllaba haud dubie interiecta operarum negligentia extrita est. Hos infra 5, 3, 16. Curtius ipse *Susianos* appellat. Ex vitiosa illa Argentin. editione Auentinus Boiaricæ mirus conditor historiæ, occasionem sumpsit fingendi Sueuos Germanos fuisse in exercitu: & vlterius progressus Boios & Noricos Alexandro M. bellum indixisse. *Alexander*, inquit lib. 1. *popularibus nostris etiam imperitis notior est, quam sui reges & imperatores: quorum ne nomina quidem norunt. Saxones & Sueui tum se stipendia fecisse prædicant. Noricos Boiosque eidem bellum indixisse antiquis canitur carminibus.* Et supra: *Ea tempestate Germanos in Asia militasse præter famam vulgatissimam antiqua carmina, domestica videlicet testimonia, auctorem habeo Q. Curtium, qui inter auxilia Darij Regis Persarum, Sueuos commemorat.* Raderus. Idem Auentinus, eodem mox loco meros Germanos facit eos, qui Macedoniæ Regem profligauerunt. Ridicule sane omnium prope nationum historici, trahunt ad suam quique gentem, si qua antiquitatis gloriam conciliare posse videantur; aut notam habere virtutis. Ita hæc vna prope superest æmulatio decoris, vt quam nobis haud audemus tribuere laudem, vel per mendacium maioribus nostris vindicemus.

4, 12, 7. *PEDITES*) Accipe hoc primo casu; ordo est: *Pedites plurium gentium, his* (prædictis) *iunxerant copias, non mixtas, sed quisque suæ nationis* sc. copias. Vides non perinde esse, *non mixtas* quis legat, siue *non immixtos*, quod postremum Modius volebat, merito repugnante Acidalio. Raderus qui vtramque lectionem idem velle putat, vocem *pedites* quarto casu accepisse videtur.

OROBATES) Hic Arriano 3, 2, 8. est Κονδοβάτης. sicut *Orsines* Ὀξίνης, vitiose. nam apud eundem 6, 5, 19. scribitur Ὀοξίνης.

4, 12, 8. *ILLI PARTIBVS*) Merito vapulat ab Acidalio Modius, qui fœde corrupit hunc locum, deceptus à nescio quibus manuscr. legit enim: *Illis partibus copiarum Orsines præerat.* vt verbo dicam, pessime. Sic apud Procop. 1. Pers. ἄρχοντες ἦσαν τῶν ἄλλων τε ἅπαντων, &c. φατράζης ὁ ἐς ἅπαντα ἐφιστηκώς.

A SEPTEM PERSIS) Errat scriptor Explanationum, & nescio quos sibi *septem regni Satrapas* fingit, *per* quorum *stirpem longa serie ductam ortus Orsines, quoad Cyrum ipsum Persarum primum attingeret.* Qua re merito negat, qui illi septem Persæ fuerint, quemquam prodidisse. Nec enim de talibus Satrapis sentit Curtius, sed de septem Persis nobilissimo Magicidii facinore decantatissimis. Ab horum aliquo (potest & à pluribus: quid enim vetat cognatione & affinitate fuisse iunctos? & vero fuisse, partim scimus) hunc Orsinem vult originem habuisse; sed & Cyrum inter maiores suos numerasse: cuius forte filiarum aut neptium aliqua cuidam ex Orsinis maioribus denupserit. Atque vt video, idem de hoc loco sensit Popma. De ratione autem ista loquendi vide nostrum Indicem, in *Numerus integer pro imminuto positus.* Ab iisdem VII. Persis deducebant etiam genus Cappadociæ Reges, Diodor. 31, 3. & Pontici, Florus 3, 5, 1. & Armenii, Strabo lib. XI. f.

4, 12, 9. *NOMINA VERIVS QVAM AVXILIA*) Magnus mihi politices doctor, magnus eruditione, magnus ingenio, magnus iudicio, Lipsius inquam, Polit. 5, 8. *Cui vsui quamuis magna equitum peditumque multitudo, si ignaua, imperita, & tantum multitudo? Tu scito* non vires eam habere, sed pondus: *Sen. de benef.* 6, 31.

6, 31. *Et esse* impedimentum maius, quam auxilium. *Liu. 9, 19, 5. Græcus ille (Synes. Ep. 79.) scite monuit:* Χειρῶν δεῖ τοῦ πολέμου, καὶ ἐκ ὀνομάτων πολλῶν: Manibus opus est bello, non multis nominibus. *Tolle mihi vana, & in oculis vulgi magna, quoniam* in omni conflictu non tam prodest multitudo, quam virtus. *Veget. 1, 8.* Etiam in multis legionibus, pauci sunt, qui prœlia profligant. *Tacit. 14, 36, 3.* Hactenus Lipsius. Cui alia non addo, cum id cumulate, nec sine delectu tamen, præstiturum scio meum amantissimum Socerum, Matthiam Berneggerum, in editione Lipsianorum Politicorum, quam adornat.

4, 12, 11. *GENTES EVBOICÆ*) Malim *gentis:* Quæ vnde sequuta sit Medos, nescio quam caussam dubitandi habuerit auctor Explanationum. Apparet enim sermonem esse de Eubœa Græca insula.

IAM DEGENERES) Vide quæ notaui ad ista Flori 2, 11, 4. *frugum semina mutato solo degenerant &c.*

CATAONAS) De his Strabo lib. 12. sub ipsum initium. non accedo viro docto, qui malit hoc loco *Sitacinos* vel *Sitacenos*, quando nihil ita mutare iubet.

PARTHORVM) Non satis expedio me ex hoc loco, præsertim illud turbat, quod subiicit: *terras, quas nunc Parthi, Scythia profecti tenent.* quæ vix est vt aliter accipi possint, quam Parthos qui nunc ibi sunt, post tempora Darii eo venisse. Sed id non patiuntur præcedentia, in quibus & eam gentem quæ tunc ista loca tenebat, disserte vocat *Parthorum gentem.* & infra 6, 2, 12. eandem proponit sententiam. Quin & certum est; *etiam inter antiquos barbaros genus eorum fuisse: nam nomen Parthorum etiam sub Persico regno gesserant.* quæ fere verba sunt Dionis lib. 40. nec quisquam aliorum, quod meminerim dissentit. Quare videndum, si ita possit constitui sensus verior: *terras, quas nunc Scythia profecti tenent.* Verum quidem est, Parthos etiam ex Scythia deduci auctoribus, Iustin. 41, 1. vide. Sed cum illi sedes iam fixissent, & à conditoribus suis locis, nomine, & inimicitiis dissiderent, orta inter eos fuisse bella, quorum & Iustinus 41, 1, 9. obiter meminit, per quæ bella haud dubie *Scythæ regionem campestrem ac fertilem occupauerunt, graues adhuc,* ætate Curtii, *accolæ.* Si verum est quod ille scribit 6, 2, 12. quisquis es

- - Si quid nouisti rectius istis,
Candidus imperti.

4, 12, 13. *SVMMA*) Demirari satis non possum quo pacto error in omnia antiquiora exemplaria & edita & inedita irrepserit, fieri enim non potest, vt numerus iste exercitus Dariani, vel ipso Curtio teste, sit iustus. 245000. hic censa sunt. In Cilicia 311200. numerati. Ad Arbela seu Gaugamela dimidio fere maior exercitus erat, vt Curt. 4, 9, 3. recensuerat, & 4, 9, 11. maiores prioribus copias fuisse ostendit. Itaque editio Colon. Allobrogum, equitum numerat 145000. peditum 600000. nullo tamen alio codice Curtiano suffragante. Iustinus 11, 12, 5. narrat Darium postremum occurrisse cum 100000. equitum, 400000. peditum. Oros. 3, 17. 404000. peditum, 100000. equitum recenset. Diodor. 17, 39. & 53. 200000. equitum, 800000. peditum. Arrian. 3, 2, 8. equitum 40000. peditum 1000000. sub signis habuisse Darium affirmat. Plutarch. Alex. cap. 54. vniuersim indistincte 1000000. ponit. Cum ergo in 1000000. consentiant, non absque ratione apud Curtium numerum emendes, & tres nobilissimos scriptores sequaris. Vulcanius in equitibus vehementer aberrauit à numero Arriani. nam πεζακισμυρίους non valet 400000. vt ille transtulit, sed 40000. vt recte vertit antre Vulcanium Barth. Facius. Is vero numerus verusne an falsus sit, penes Arrianum esto, quando scriptores inter se variant. Raderus.

4, 12, 14. *PAVOR*) Paulo aliter Polyænus 4, 3, 26. hanc historiam enarrat:

rat: *Alex. ad fluuium Tigrim præuertere Darium festinabat: panicum ab extrema acie peruasit vniuersum exercitum. Rex mandauit tubicini, vt securitatis signum promulgaret, & anteſignanis militibus, vt ante pedes arma proiicerent, atque idem ſequentibus ſe dicerent. Sic omnes ex ordine hoc facientes, cauſſam terroris cognouerunt. Cum Panicum ceſſaſſet, milites ſublatis armis proceſſerunt.* Ex quo loco diſcis pauorem illum ſubitum Græcis πανικὸν appellari, cuius cauſſam idem Polyænus 1, 2. aperit: *Pan Bacchico exercitui noctu ſignum dedit, vt maximum & inconditum clamorem tolleret. His vero clamantibus petræ ſonum exceptum referebant, & cauitas ſaltus longe maiorum copiarum fremitum hoſtibus reddebat. Quare metu perterriti, ſe in fugam coniecerunt. Cum igitur Pan hoc ſtratagema vſurparit, Echo Pani gratam, & amicam eſſe fingimus: atque vanos nocturnoſque terrores exercituum panicos appellamus.* Romani vim eam Fauno tribuebant, teſte Dionyſ. Halicarn. 5, 16. quo magis conſtet, ſic eos appellaſſe Pana Græcorum. Exempla porro copiarum panico terrore ſubito ſine cauſſa percuſſarum vera non multa proferuntur. Nam quæ literis ſacris produntur, diuinitus perpetrata ſunt, vt eſt in Paral. 2, 20, 22. in Ioſaphato: de Ammonitis, Moabitis, & aliis populis, qui magnis exercitibus regem Iudæ oppugnatum venerant. Nec Panicus timor fuit, cum Rex Syriæ Benadadus Samariam obſedit, territuſque eſt cœleſti curruum, equorum, & exercitus fremitu. Nec cum Romani ex præſidiis fugerunt, cum Hannibal cornibus boum faſces fœni alligauit, & accenſos per noctem aduerſus Romanos egit. Liuius 22, 17, 17. Cauſſa enim ſuberat, ſaltem in ſpeciem vera, quam præſidiarii per tenebras iudicare non poterant. Ille vero plane vanus & Panicus terror fuit, qui Germanos inuaſit, cum anno 1420. Sigiſmundi Imp. ductu, aduerſus Ziſcam ducem infamem, luſcum, imo cæcum ierunt. Imperator enim totius imperii viribus ſtipatus, fuſus tamen & fugatus eſt, & quam turpiter audi. 200000. militum Bohemiam ingreſſi, totidem [nemo ergo effugit? ne nuntius quidem cladis!] ferro abſumpti ſunt. Nam ita Henrici Ducis Bauariæ, qui magna pars illius belli, ſeu fugæ fuit, epiſtola ad Albertum Preiſingium Vicarium narrat: *Bohemiam intrauimus quinquies: copiis, impedimentis, tormentis, carris, machinis, armis, annona, commeatu, ſupellectile, inſtrumentis bellicis, catonibus amiſſis, pleriſque occiſis, multis in fuga obtritis, necdum viſo hoſte, turpiter terga, neſcio quo fato iniquo, vertimus.* Auentinus Panegyriſta p. 26. Scripſit Angelus Politianus vir elegantiſſimi ingenii, & exquiſitæ doctrinæ Miſcellan. 1, 28. de Panicis terroribus, à quo tamen nobilem Polyæni locum præteritum demiror. Raderus. Panici terroris exempla non ita rara fuiſſe videntur Plutarcho qui in Apophth. cap. 95. notat pro ſingulari: *Epaminonda Thebano imperatore, nunquam Panicum terrorem exercitui incidiſſe.* Certe præter notata Politiano, apud Herod. lib. 7. legimus πανικὸν φόβον incidiſſe Xerxianis. idem apud Ioſephum: ὡς πανικῷ δείματι κατασχόντες. id eſt, vt noſter loquitur, lymphatis ſimiles. in Liuio 7, 17, 3. Romani, *velut lymphati, & attoniti, munimentis ſuis trepido agmine inciderunt.* Sed & Procopii inſignem locum ſuggeſſit Socer, ex lib. 4. Gothic. de Gepidis & Longobardis inuicem bellantibus: *δείματι δή τινι πανικῷ κεκλημένῳ ἐξαπιναίως ἐκπεσόντες ὑπὲρ πόντου, φύγοντας, ἀπ' αἰτίας ἀδήλου, ἅπαντας ὁπίσω ἀπήνεγκε. Terrores, quos vocant Panicos, vtrique ſubito incidentes, omnes in fugam, cuius cauſſa non ſuberat, conuerterunt.*

COELI FVLGOR) Ad quem illa refero Ariſtotelica in libello de mundo, ſi is Ariſtotelis eſt tamen ſatis certo; quæ ſic Apuleius noſter vertit: *Horum pleraque iaculari credas, alia labi, ſtare alia: Iaculatio igitur tunc fieri putatur, cum meatu aëris impulſi generatus ignis celeritatem ſui curſumque rapidæ feſtinationis oſtendit.* De his quidem ardoribus indubitatim locus interpretandus. Acidalius.

INLATI TEMERE PRÆSIDIIS) Præ hac lectione valide ſperno alio-

no aliorum commenta. hæret enim proxime membranis, & ſenſum habet commodiſſimum: Fulgore eo conſpecto Macedones crediderunt Darii caſtra in propinquo eſſe, ſeq; in præſidia hoſtium temere & nec opinantes incidiſſe. quicquid alii hoc loco comminiſcuntur. Hanc meam coniecturam validiſſime confirmari poſtea vidi, Doctiſſimi Gronouii literis ad Amant. Socerum ſcriptis, vbi ſic reperi: *Memini me tentaſſe apud te locum Curty lib. 4. ſed poſtea deuenerunt in manus noſtras excerpta aliquot Mss. Cod. ex quibus ita legendum eſt;* Cœli fulgor æ. t. i. i. p. s. flammaſque ſplendere ex Darii caſtris velut inlati temere præſidiis credebant. *Eam lectionem multis firmant miſcella noſtra, inſtar omnium ſit locus ex epiſt. ad Attic. 8, 15.* Neque enim eos ſolos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidiſſent, ſed eos nihilo minus, qui regionibus excluſi, intra præſidia, atque intra arma aliena veniſſent: Ego nunc etiam video plane ſic eſſe in editione Aldina. Adde eiuſdem obſeruation. pag. 123. & ſeq.

4, 12, 16. *IPSOS ARMA DEPONERE)* Ex chartis aſſumpſi vocem: *ante ipſos*, quæ in editis deeſt. Acidalius pro *ante* legendum putat *inde*, ſed retineo ſcripturam ex ſcripto, & Polyæno ſuffragante, qui hanc hiſtoriam 4, 3, 26. attingit & ſcribit, θοῦς πὸ ὅπλα ἀφ' ὧν πόδων, *ante pedes arma ponere.* Raderus. Iſta lectio leuiter me mouebat, vt dubitarem fuiſſe, *anteſignanos arma depon.* cum idem ille Polyænus hoc quoque nominatim tradat.

LEVARE CORPORA) Ipſa armorum depoſitione leuarunt corpora. Quia tamen adhuc mihi diſplicebat ea verborum ſtructio, diuinabam, *leuari torpore.* Metu enim *torpere* dicuntur, qui pertimuere.

4, 12, 19. *TVTIOR PLANITIE)* Hoc eſt *tutior, quam planities.* tutiora enim quæ in arduo ſunt, quam iacentia & plana. Poteram immunem à puerilibus eiuſmodi notulis chartam ſeruare robuſtioribus curis, niſi quandoque cogerent Explanatores, tueri verum planumque auctoris ſenſum.

4, 12, 21. *MOVEBAT)* Hanc periodum vſque ad vocem *diſſimulato*, ex Iuſtino 11, 9, 2. huc fuiſſe tranſcriptum inter omnes conſtat: etiam MSS. falſum prodentibus: itaque incluſi vncis, vt prius alia.

4, 12, 22. *DISSIMVLATO EO)* Pronomen *eo* non habet vnde ſuſtineatur, editi nonnulli ſubſtituunt; *diſſim. pauore*, ſi *diſſ. metu* legas eodem retento ſenſu propius aberis à veſtigiis antiquæ lectionis.

EX PÆONIA) Arrian. 3, 2, 27. *Ante Agrianos poſiti erant equites antecurſores & Paones, quos Aretes atque Ariſto ducebant. Vniuerſis autem præfuit erant equites mercenary, Menida duce.*

4, 13, 4. *FVRTO NON PRŒLIO)* Variat nonnihil in circumſtantiis Arrian. 3, 2, 16. quem ipſe conferes. Porro eiuſmodi furta non licita tantum & honeſta, ſed & laude digna probat Lipſius Polit. 5, 17.

HOSTES. DISCORDES) Diſtinctione vera lucem reddidi ſententiæ. minus apte prius cohærebat; *hoſtes diſcordes &c.*

NOCTVRNA TREPIDATIONE) Tacit. 4, 48, 3. *tenebræ inſuper delectæ, augendam ad formidinem.* cum ſeqq.

4, 13, 5. *INTONSAS COMAS)* Plutarch. Craſſo cap. 44. *cum reliqui Parthi Scythico adhuc more, ad perterrendos hoſtes comam alerent.* Ita *Lycurgus Lacedæmonios eius adſuefecit ad alendam comam, inquiens, ea formoſos, pulchriores: deformes terribiliores reddi.* Plut. Apophth. 76.

VANIS ET INANIBVS) *Sæpe vana pro veris, maxime in bello, timere.* Liuius 34, 12, 3. quem ad locum Gruteri notam conſule, cum Polit. Lipſii 5, 16. Virdungo in Taciti Agricol. 26, 3. Floro 4, 12, 16. Z. & Indice eius, voce *inſitata.*

Communi enim fit vitio naturæ, vt inuisis, latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus, magisque exterreamur. Cæsar de bell. Ciu. 2, 4.

4, 13, 6. *CIRCVMFVNDI)* Liuius 31, 21, 10. de Gallis: *circumuenire à cornibus, & ampletti hostium aciem (quod multitudini aduersus paucos facile videbatur) conati sunt.* Ceterum hunc Curtii locum tuitus sum aduersus virum doctum, qui legebat, *circumfundi pauciorib⁹ non posse*; in Indice Floriano, voce *Circumfundere.*

4, 13, 8. *LATRVNCVLORVM)* An ex hoc loco descriptus est Iambus?

Latrocinio clam vincas, prælio palam. & qui sequitur:

Latrunculorum ac furum votum, fallere est. ex verbis sequentibus Apud Maronem. Æn. 9, 150. Turnus Latinorum dux contra Æneam & Troianos, contemptis Græcis, hæc subiicit:

\- - - *tenebras, & inertia furta*
Palladij, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in aluo.
Luce palam certum est igni circumdare muros.

[Quo loco obiter indicabo, quatuor verba post vocem *Palladij*, videri spuria] Potuit Curtius respexisse locum Virgilii Æn. 2, 390.

\- - *dolus an virtus quis in hoste requirat?*

inquit Chorœbus in nocturno prœlio. *Multi victoriam quacunque gloria malunt.* Et occurrunt passim apud nobiles rerum scriptores nocturna prœlia: apud Florum 3, 5, 23 Plut. in Pompeio cap. 53. Orosium 5, 19. Appian. de bell. Mithrid. Dionem lib. 36. Eutropium lib. 6. singulare est propter vmbram lunæ qui Romanis contra Mithridatem peperit victoriam. Adde Vespasianarum & Vitellianarum copiarum prœlium nocturnum, apud Tacit. Hist. 3, 23, 6. Raderus. Vide Gruter. ad Liu. 1, 11, 8. *Consilio etiam additus dolus.* & Forstneri notas Polit. ad Tacit. 4, 47, 1. vbi eximie hac de re disputat Vir Prudentissimus.

QVAM PRÆCIPITIS) Gruterus dicto loco, & Gebhard. Crepund. 1, 11. citant: *quam præcitis*, approbata etiam à Ms. Bong. altero lectione. Et sane id verbi non raro simili sensu reperitur. vt obseruauit Brissonius. lib. 1. de formulis. Mihi tamen præplacet Pithœani cod. scriptura, *præcipis.* modo enim præcessit, Alexandrum noluisse Parmenionem increpare, igitur intuitum fuisse Polyperchontem. at certe si plurali numero fuit vsus, non, vt voluit, peperciisse videatur Parmenioni.

4, 13, 9. *VRTVM NOCTIS OBSTARE)* Transtulit hæc in suum Panegyricum Claudianus in VI. Honorii consulatum versu 477.

Ecce virum, taciti nulla qui fraude soporis
Ense palam sibi pandit iter, remeatque cruentus,
Quantum nox tenebris, manifestaque prælia furtis &c.

Nec solum inglorium sic vicisse: sed etiam sic cecidisse. Statius Theb. 3, 160.

\- - *Sed nec bellorum in luce patenti*
Conspicuis satis, æternaque gentibus ausis,
Quæsistis miseræ vulnus memorabile matri:
Sed mortem obscuram, miserandaque funera passi,
Heu quantus furto cruor, & sine laude iacetis!

Gebhard. Crepund. 1, 11. Porro quem hic animum Alexandro, Iustinus 11, 6, 8. Dario tribuit, eum *affirmasse suis, occulta consilia victoriæ furtiuæ conuenire.* Vbi notam vide.

4, 13, 10. *VIGILIAS)* Hoc vno verbo Parmenionis consilium euertit Alexander, quod barbarus vigilaret: affirmat idem Arrianus 3, 2, 19. totam nostem exercitum

ercitum Darii in armis peruigilem stetisse, vti locus nocturnis insidiis nullus esset, eamque rem fatigato per insomniam milite vehementer Dario obfuisse. Raderus. De vigiliis Persarum vide quæ obseruat Brissonius. lib. 3. pag. 346.

COMPERTVM HABEO) Abesse possint hæc nullo sententiæ damno. Sed quando in longe pluribus reperi; reliqui.

4, 13, 11. *FRÆNATOS EQVOS STARE)* Transcripsit hunc locum Alex. Bened. lib. 1. Diatior. de pugna Tarrensi inter Galliæ regem Carolum IIX. & Venetos: *Octauo Idus rex Gallus ducibus omnibus assentientibus post primas vigilias frenatos equos stare, & vniuersum exercitum in armis esse iubet &c.*

IGNIBVS) Vigilum, scilicet. Vide Gruter. ad Tacit. 1, 65, 1. *apud Rom. insaliti ignes.*

4, 13, 13. *ADHVC)* Vide infra ad 4, 14, 14.

ARMA IACIENTES) Quam hoc cum probro coniunctum sit, docet Gruterus ad ista Liuii 1, 27, 15. *arma fade iactantes.* Cuius obseruationi addi potest exemplum illustre ex Valer. Max. 3, 2, 24. de Scæua viro fortissimo: *tragula femur traiectus, saxisque pondere ora contusus, galea iam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti, ac duabus loricis onustus, inter undas, quas hostili cruore infecerat, enatasti: visoque imperatore, armis non amissis, sed bene impensis, cum laudem mereris, veniam petisti; magnas prælio, sed maior disciplinæ militaris memoria.*

4, 13, 14. *QVAM EXPETERET)* Acidalius præpositionem abjicit, &, *peteret*, contra omnium codicum fidem censet: nec male sentit, quod compositum idem paullo ante præcesserit. Sed nihil muto, cum & hoc ferri possit. Raderus.

4, 13, 15. *IN CANDIDA VESTE)* Solennis mos Romanis sacra sic peragi. Ouid. Fast. 1, 79.

Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

Etiam spectaculis intererant candidati. Martial. Epigram. 4, 2.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis;
Cum plebs, & minor ordo, maximusque,
Sancto cum duce, candidus sederet.

Apud Græcos quoque plurimus vsus albæ vestis. In Panathenæis nefas atra veste spectare. Raderus.

VERBENAS) *Sagmina* & *verbena* eadem herba. Plin. 22, 2. *Non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, & in sacris, legationibusque verbenæ. Certe vtroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra euulsum: ac semper & legati cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clare repetitum, vnus vtique verbenarius vocabatur.* Ad quem Dalecampius: *Liuio 30, 44, 6. Nœuio, Seruio, Turnebo verbenæ, non herbæ priuatum genus dicuntur, sed rami, virgæ, frondes, omnium sacrarum arborum, vt lauri, oliuæ, myrti: quin etiam herbas ex puro loco decerptas, quibus festis diebus aræ coronantur.* Terent. in And. 4, 4.

Ex ara hinc sume verbenas tibi. Myrtum apud Menandrum fuisse, ex quo illa comicus transtulit, constat. Virg. Ecl. 8, 65.

Verbenasque adole pingues & mascula thura.

Verbenas, *quasi* herbenas *dictas volunt, ilasque facile accendi, & flammam concipere ob pinguedinem. Apud Tranquillum in Vespas. 7, 2. in Serapidis templo verbenæ, coronæ, & panificia fuerunt.* Guilland. Græcis ἱερόβοτανα, id est, *sacra* dicitur

verbenaca. Eisenkraut. Raderus. Vide plura apud Tiraquell. in notis ad Alex. dies Genial. 5, 27.

PRÆIBAT PRECES REGI) Sic olim conieci, quomodo postea & Acidalium vidi coniecisse, & vero Raderum ex Ms. edere: qui vere adstruit ex Brissonio de formulis lib. 1. pag. 61. vbi multa huius phraseos exempla, constare, non aliter legendum esse.

IOVEM) *Iouem* quod hic addit, insolitum. Nam alibi *Minervam* saltem iungit, & *Victoriam* infra 8, 2, 32. *Victimis Minervæ Victoriæque cæsis.* 8, 11, 24. *Aræ in petra locatæ sunt Minervæ Victoriæque.* An ergo Iupiter ex hoc deorum collegio excludendus, alii vidento. Acidalius.

4, 13, 17. *ALTIOR SOMNVS)* Iustin. 11, 13, 1. Suetonius de Augusto in vita 16, 3. *Sub horam pugnæ tam arcto repente somno deuinctus, vt ad dandum signum ab amicis excitaretur.* Satis memini tale quid alicubi memorare Bonfinium, de Matthia Coruino Vngariæ rege, ni fallor in obsidione Sabbatii. Idque euenire post grauissimas curas cum defessam cogitando mentem sopor oppressit, præter hæc exempla ostendit etiam Otho apud Sueton. 11, 2. Quæ consideratio nonnihil ponderis adimit defensioni Philotæ, quam faciunde exsequitur noster infra 6, 10, 13.

LVCE ORTA) Indicandum quænam illa fuerit, qua Persarum opes concidere. Il Giornale di M. Lodouico Dolce, & Reusnerus in Diario historico referunt ad VII. Kal. Sept. siue 26. Augusti Anni Mundi 3634. quo ipso die, Anno Christiano 1516. meminerunt etiam Selymem Turcam insignem de Persis victoriam reportasse in campis Calderanis, quod quidem Leunclau. in Pandect. Turc. accidisse scribit anno 1514. Sed de prœlio ad Arbela pergamus. Ergo cum Dulci & Reusnero consentit in die, Zvvinger. Volum. 24. lib. 1. vbi tamen notat alios 25. Septemb. statuere diem huius pugnæ. Buntingus in Chronol. id refert ad diem 2. Octobr. A. M. 3638. Raderus in fine Explanat. ad hunc Curtii librum, ponit A. M. 3724. & Kal. Octobres, ex Scalig. de emend. temp. lib. 5. vbi de initio Olympiad. & inprimis lib. eod. vbi de Anno primo Calippi, & initio Imperii Asiatici Alexandri. De Æliani loco supra disputatum est ad 3, 8, 23. Vide etiam quæ de Lunæ defectu (vnde hæc dies quam proxime & certissime deprehendi potest) adnotata sunt ad 4, 10, 2.

4, 13, 18. *ALIAS)* De vigilantia Alexandri singulare est quod narrat Marcellin. 16, 6. *Ille namque æneæ conchæ suppositæ, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam, vt cum nervorum vigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum.* Hinc Sidonius Carm. 5, 202. Maiorianum a vigilantia commendaturus, sic ait:

- - - - Totus dormitat ad istum:
Magnus Alexander - - - - -

4, 13, 20. *IPSE PRONVNCIAT)* Multo melius sic vulgati, quam Mod. *cibum vt caperent ipsi, pronunc.* ipse vltro iubet, non exspectato amplius Alexandro. Raderus. Hic quoque prouidi ducis munere functus est Parmenio, vt quod è re esset administraretur, nec tamen offenderetur Princeps, qui vtique hoc volebat fieri: & absque dubio in eam diem pugnam edixerat. Quantum autem in eo sit, vt corpora militum bene curentur, nec labore vel inedia defatigata exponantur laboribus & discrimini, satis approbauit euentus variorum prœliorum. Vide insigne eius rei exemplum apud Liuium 21, 54.

4, 13, 23. *QVOD SECVRVS SOMNVM CEPISSET)* Obserua cum Acidal. illa verba per glossema irrepsisse in contextum. Sed cum in omnibus exemplaribus apparerent, malui illa parenthesi claudere quam omittere, cum incertum sit irrepsisse, quamuis omnino id factum iudicem. Raderus.

QVID

QVID METVAM) Tetigit eleganter hanc historiam Sidonius Carmin. 9, 57. vbi de Dario sic:

Qui cum maxima bella concitasset,
Tota & Persidis vndique gregatæ
Vno constituisset arma campo;
Hoc solum perhibetur affectus,
Dormire vt melius liberet hosti.

Quod fallor, si hactenus ita intellectum est vulgo. certe præteriit Vir Doctiss. cuius solidi exstant in id opus commentarii.

4, 13, 25. *RARO ADMODVM)* Hanc lectionem merito suo traduxerunt Acidal. & Rader. vt intricatam & vix ferendam. Ille vero multa cum violentia, vix tamen verum Curtii sensum deprehendit; quem credo me assequutum esse ex scriptura Vett. Cod. quam inter varias redegimus, verbis etiam proxime verum constitutis: *Raro admodum, admonitu magis amicorum, quam metu discriminis, quod adeundum erat; vti solebat munimento corporis, tum quoque sumpto, processit &c.* quo loco ablatiuus *sumpto* eadem forma ad præcedentia refertur, quomodo *omissis*, supr. 3, 13, 9. *At illi, qui sub oneribus erant, omissis per metum, capessunt fugam.* Ceterum si amicis ita monentibus parere potuisset, viueret adhuc fortassis & Successus Alexander. Certissimum autem est, si quando, vt voluuntur vices rerum, exsistant qui veterem armaturam adsuescant ferre, eos quantumuis hostium numerum, nudis corporibus ruentium, ex facili esse propulsaturos.

TAM ALACREM) Siue ex animi sententia: seu vultu ita comparato ad confirmandas spes militum. quam inter artes ducum esse monuimus supra ad 3, 8, 11. & pluribus Gruter. in Tacit. extremo discursu 21.

ET VVLTV) Ita omnes edd. & membranæ. Acidalius contendit legendum esse; *& ex vultu eius*, clarius quidem hic & liquidius. Sed possis ita accipere verba Curtii, vt intelligas; milites conspecto eius vultu, victoriam auguratos esse. Sic apud Hirtium de B. Afric. cap. X. milites Cæsaris nihil *solatii in præsentia, neque auxilium in suorum consilio animaduertebant, nisi in ipsius Imperatoris vultu, vigore, mirabilique hilaritate.*

AVGVRABANTVR) Vere Senarius: *Vultus ducis, victoriæ augur optimus.* Raderus. Alterius etiam ominis meminit Plut. in vita cap. 54. Calones in duas partes se diuisisse, vtrique ducem fuisse, quorum ii alterum Alexandrum, alterum Darium nominarint. *Hæc vt audiuit Alexander, iussit ipsos duces singulari prælio decernere, Alexandrumque ipse, Darium Philotas armauit. duellum exercitus spectauit, in omen futuri eam rem trahens. Dimicatum est acriter Alexandro victore.* Refert id ex Plut. Camerar. Subcisiu 2, 19. adiunctis pluribus eius generis exemplis.

4, 13, 26. *PRORVPTO VALLO)* Vt simul exire versus ordine possent. res longa fuit, si per portarum angustias singuli cogerentur exire. Raderus.

ACIEMQVE DISPONIT) Proderit his Curtianis conferre Diodor. 17, 57. & Arrian. 3, 2, 23.

4, 13, 27. *ARGYRASP.)* At hos demum fecit Alexander in Indiam moturus. Vide Notam ad 8, 5, 4.

4, 13, 28. *ORESTES LYNCESTESQVE)* Non sunt hæc virorum nomina, sed populorum, qui alias Græca terminatione *Orestæ, Lyncestæque* appellantur. Clarum id ex Diod. 17, 57 De ipsis populis vide Strab. lib. 7. Stephanum; in Λύγκος. qui gentile format *Lyncistæ* per *i*. Plinium 4, 10. & Ptolemæum.

PEREGRINI MILITIS) Diodor. Polyperchonta Stymphæorum

ducem facit. Certe si qua in alia re, in acierum descriptione non satis fido Curtio, vel librariis eius.

HVIVS AGMINIS) Recte vidit Acidalius hæc nullo modo cohærere præcedentibus: deinde illud *princeps* nouo more accipi pro duce: denique *Amyntam* hic nominari, qui tamen ei prœlio non interfuerit. Postremum tamen omnium optime ordinasse videtur Loccenius, cuius verba subiicio: Mirum in modum hic æstuant Acidalius & Modius, incerti quid nominis pro *Amynta* reponant. nam illum plane ex hoc censu eiiciunt, & in Macedoniam relegant. Acidalius modo *Menidam*, modo *Stymphæos*, modo nescio quem vel quos substituit Amyntæ, nullo tamen auctore. Mihi pro *Amynta* placet *Simmias*, quem Amyntæ locum supplere iubeo vsque donec alius sese offerat, & sic iubet Arrian. 3, 2, 24. *ab hoc Amyntæ Philippi F.* (agmen) *Huius agminis dux erat Simmias, quod Amyntas in Macedoniam ad conscribendum militem missus esset.* Miror quomodo sese adeo torqueant Modius & Acidalius, cum hæc plana sint omnia. Confirmat nostram lectionem, quod Polyperchontem & Amyntam in vno ordine se inuicem subsequentes ponit Arrianus, æque ac Curtius. Quamuis hic quoque ferri posset *Amyntas*, si per Modium & Acidalium liceret. Nam cum legatio in Macedoniam ipsi commissa esset, iam dux factus erat suî agminis, vt colligere est ex Arriano. Cum autem in eo esset vt obiret legationem, transtulit agminis sui præfecturam in Simmiam. interim nihilominus forte à veteribus Historicis respectu prioris officii in ducum numerum relatus est. Sed malo abesse *Amyntam* in gratiam Acidalii & Modii. Hactenus Loccenii verba: nec alia fere Raderus affert, quam quæ viderat Loccenius.

PHILAGVS BALACROS) Omnia hæc sunt obscurissima, nec mirum si palpamus in his tenebris. At cum idem & alii fecerint, quid vetat, vt & nos tentemus si qua eluctari detur. Nec enim largiar Radero iustam hanc esse scripturam: nec si quædam membranæ sic seruent, reliquas consciscere video. Et Raderus nullam gentem, quod hic oportuit, ostendit Balacrorum nomine notam: nec quisquam scriptorum eos prodit, si Arrianum 3, 2, 27. excipias, mendosum tamen. nam quod ibi leguntur οἱ Βάλακροι ἀκοντισταί, re ipsa sunt οἱ Βαλάκρου ἀκοντισταί, *iaculatores quos ducebat Balacrus*: ii inquam ipsi, de quibus mox 3, 3, 4. idem auctor. οἱ ξὺν Βαλάκρῳ ἀκοντισταί, *iaculatores quibus Balacrus præerat.* Erat autem iste Balacrus Amyntæ filius, præfectus auxiliaribus copiis ἐπὶ τὴν συμμαχίαν, hi sunt, quos noster vocat, *in societatem nuper adscitos*, vt me docet Arrian. 1, 8, 27. eam præfecturam in Phrygia nactus est; vt inde suspicio incesserit, Curtium scripsisse, *Phrygas Balacrus regebat, in soc. nup. adscitos.* Certe hominis hoc nomen esse, non nationis vel ex ipso Curtio constat, qui eum nominat, 4, 5, 13. & 8, 11, 22. Philam Antipatri filiam in matrimonio eius fuisse, ex Antonio Diogene apud Photium Cod. CLXVI. didici, quod alibi vix reperias. nam de Cratero & Demetrio, quibus postea nupsit, exploratum est. Diodor. 17, 57. filium ei tribuit Philippum, eumque proximum à Polyperchonte locum obtinuisse scribit. Qui hæc recogitantem admodum animi dubium facit, annon de illo potius accipiendus sit Curtius, præsertim cum Balacrum in Ægypto fuisse relictum, scribat Arrian. 3, 1, 20. & accedat lectio quorundam Codd. *Philacrus Balacriseos regebat:* vt credas scriptum fuisse *Philacrus Balacri*, sic appellato per Curtium homine, & expresso nomine parentis, vt in reliquis lateat vocabulum gentis in fidem adscitæ, quod non expedio, & ineptiarum piget. Sabellicus Enn. 4, 5. mire retulit hæc Curtiana: *Subsidio his esset*, inquit, *Cenos Oreste, & Lycesta: Peregrinum inde agmen sequi, cuius Amyntas erat princeps. Aderant Philagus & Balatros nuper in societatem asciti, & ipsi quidem moderatores.* Est & alius apud Arrian. 2, 3, 2. *Balacrus Nicanoris F. Ciliciæ satrapa.* Alius

Alius præterea Nicandri F. Pyrrhi amicus, apud Dionys. sub fin. Excerpt. Valesianor.

4, 13, 29. *MALEON)* Græca terminatione, pro *Malienſium*, hos enim equis tum meruisse constat ex Diodoro 18, 11.

4, 13, 31. *CRETENSIBVS)* Nam hos sagittarios optimos fuisse videre est ex auctoribus quos citat Tiraquellus ad Alex. Dies Geniales 6, 22.

4, 13, 32. *VERSATILEM)* Huius verbi vim ipse Curtius exponit, *versatilis acies*, quæ verti & circumagi potest: vbi vbi vsus postulet. Atque ea accedit quidem quam proxime ad ἀμφίστομον de qua, indice Radero, copiose Ælianus Tactic. cap. 38. & Sixtus Arcerius ad eundem locum. Frontinus 2, 3, 19. de hac ipsa Alexandri acie: *Alexander ad Arbela, cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem flectentem ordinauit, vt circumuenti, vndique pugnare possent.*

4, 13, 33. *FALCATOS CVRRVS)* Romani aliam rationem aduersus falcatos currus pugnandi habuerunt, vt docet Veget. 3, 24. Front. 2, 3, 17, 18. Macedonas autem primos vsos esse non persuadet Ælianus. Raderus. Locum Æliani non reperio.

4, 13, 34. *NEC TAMEN &c.)* Ita vt singuli militum latius spatium in sua quisque statione occuparent, ne densius & artius comprimerentur & circumuenirentur. c. c. miles, qui prius tres pedes occuparat, sex occupare iussus, manente eodem ordine & numero, in latum & longum, ita fiebat, vt media acies non exhauriretur, sed par vbique esset spatium, quamuis laxius starent. Raderus.

MEDIAM) Modius ediderat *vltimam*, ex qua voce coniicit leg. *intimam* Acidalius.

4, 13, 35. *HAVD PROCVL ACIE)* Vulgo *ab acie* legitur, apud Modium *haud procul aciem*, quod Acidalius lapsum operarum censet, & *acie* rescribit. Pro scriptura Modiana exempla ex Liuio lib. 31. Plinio 9, 53. & Curtio ab recentioribus Grammaticis adferuntur, sed testimonia sunt intestabilia. nullus veterum ita locutus, nec Priscianus annotauit, nec vllus priscorum. Dicamus ergo *procul acie*, non *aciem*. Apud Liuium *procul muros*, rescribendum *procul muro*, vt emendatiores codices docent, vt & apud Plinium *procul Neapoli*, non *Neapolim*. Grammatici recentiores etiam hunc Curtii locum addunt, & mendum mendo confirmant. Raderus.

4, 13, 36. *MVRICES FERREOS)* Præter ea quæ de muricibus (siue, vt ibi aliquoties scribitur, nescio qua caussa, *rumicibus*) & tribulis sparsis, item sudibus defixis, Lipsius Poliorc. 5, 3. & 2, 2. de stilis cæcis: item Rittershus. ad ista Saluiani lib. 6. *exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foueis intercidere, aut sudib. præfigere, aut tribulis infestare dicuntur.* & Stevv. ad Veget. 3, 24. tradunt: addi possunt illa Herodoti 8, 28. de Phocensibus, qui *iuxta vrbem Hyampolim, depressa ingenti fossa, amphoras illic inanes deposuerunt.* in quas Thessalorum equi incidentes, crura fregerunt. Cui simile Dio lib. 40. ex lib. VII. Cæsaris, de Gallis ad Alexiam: *conati noctu per munitiones Rom. in vrbem peruenire, magnum detrimentum passi sunt. in iis enim locis quæ equitatu accedi poterant, occultas fossas Romani duxerant: defixisque in eas stipitibus, superficie tenus texerant, vt æquales reliquo circumpositio solo essent: in eas fossas equi virique imprudentes delapsi peribant.* His similes fossas à Peruuianis aduersus Hispanos esse factas, scribit in Hist. del Peru. August. Garate lib. 2. cap. IX. & Barthol. de las casas de crudelit. Hispan. in Ind. Itemque Petro de Ceca Chron. del Peru. 1, 22. Adde eundem Dionem paulo supra, de regulo Britanno qui aduersus Cæsarem Thamesis *vadum fudibus, partim ex aqua exstantibus, partim infra eam defixeratibus,*

tibus, præmuniuit. quarum quidem vestigia Beda 1. 2. scribit suo tempore adhuc ibi visa, infixa à Cassibelauno: quem etiam ex Cæsare de bell. Gall. 5, 11. & Floro 3, 10, 18. f. nouimus tum imperasse Britannis. quod noto propter citatum Dionis locum. nam in eo pro καὶ Σουήβων &c. προσηκάμενοι, legendum, Καστουέλλαυνον, sic quoque paulum detorto nomine barbaro. De tribulis narrat etiam Emacinus Hist. Sarac. 3, 4. Domesticum Rom. qui Halebum anno Hegiræ 351. siue Christiano 951. obsedit, habuisse *quatuor millia vehentia tribulos ferreos, quos in circuitu castrorum suorum collocauerit.* Quod autem has insidias à transfuga proditas vitauit Alexander, eadem felicitate vsus est, qua superioris sæculi anno 15. Sultanus Selimes, quando hostis eius Ægyptius *tormentis bellicis, ea communierat itinera, quibus hostis venturus exspectabatur. Sed transfuga quidam ex castris ipsius ad Selimem se contulit, eique consilia & insidias hostium detexit. Quibus Selimes cognitis diuerso itinere copias Alcairum duxit.* Leunclau. Annal. Turc.

4, 14, 2. *REPREHENSOS EX FVGA)* Confer cum his Tacit. Agric. 34, 4. *quos quod tandem inuenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi, ideo extremo metu corpora defixere in his vestigiis &c.* vter ab vtro sumpsit? nec enim, opinor, in idem incidit vterque fortuito: præsertim cum similitudinem Taciti de feris, noster quoque retulerit supra 3, 8, 10. Porro affine est illud Arrian. 1, 5, 23. de mercenariis Persarum ad Granicum: *quorum agmen eodem loci vbi consistere iussum erat, siuore potius inopinati euentus, quam certa aliqua ratione se continebat.*

QVOD AGROS SVOS VRERENT) Vide Berneggerum ad Iustin. 11, 6, 1. vbi Alexander *hostem potens milites à populatione Asiæ prohibuit, parcendum suis rebus præfatus, nec perdenda ea quæ possessuri venerant.* Adde Arr. 3, 4, 7. Nullo enim certiore indicio, vt vere Alexander hic argumentatur, se prodit obtinendi quæ occupaueris desperatio, quam exactionibus, rapinis atque vastitatibus, quæ edi tum solent maxime, vt à festinantibus: Sic apud Plutarch. Demetrius cap. 8. cum alteram Babylonis arcium, duæ enim erant, occupauisset, & præsidio firmasset, *militibus permisso vt quantum possent ex agris prædam agerent, confirmauit Seleuco regnum, quod tanquam alienum infestans, videbatur ipsi concedere.* Ceterum Alexander factum illud Persarum callide detorquet in alienam interpretationem. ipse enim satis nouerat, & modo 4, 13, 23. Parmenioni confessus erat, hac ratione Persas vastatione paucorum reliqua conseruaturos esse. Idipsis consilium initio belli dederat Memnon approbante Curtio supra 3, 4, 2. Fecerant id ipsum Persæ contra Cyrum minorem, apud Xenoph. ἀναβ. 1. Q. Fabius Dictator bello II. Punico, Liu. 22, 11, 4. Nuper etiam Anno Chr. 1536. *Techmales vti facultatem sui persequendi Osmanicis adimeret, suam ipsemet regionem vastauit, annonam omnem corrupit & exussit, subditos suos passim abegit.* Leunclau. Annal. Turc. Et anno sequente Francisco I. Prouinciam ingresso Carolo V. sua vri iussit. Bellai lib. VII. Sic apud Marin. Sanutum in Secret. Fidel. Crucis 3, 13, 8. *Ad Euphraten rediit Gazanus Anno M CCCIII. & inuenit cuncta combusta germina à Soldano: & ideo, ne pabula animalibus deficerent, in Syriam transire non potuit.* Nempe velut exorto magno incendio, ne per contiuentia ædificia latius grassetur ignis, vel ex ruina remedium quæritur.

4, 14, 3. *SCYTHÆ)* Nomen id suspectum Acidalio & Radero, quia Scythæ, inquiunt, satis noti fuerant Macedonibus. Sed idem etiam de Cadusiis possit dici, quorum & ipsorum mentio est apud vetustiores Alexandro scriptores, siquidem hoc ad rem pertineat, & sane dum ait nihil interesse, *qui ab his* (sic rectius, quam Acidalii *ex his*) *Scythæ appellentur*, non vult etiam ipsa nomina esse incognita, sed gentes quibus ea tribuantur. & quam late patuerit appellatio Scytharum neminem fugit. ideo præcedit, *vana ignotarum gentium nomina.* vt nomina ipsa non sint ignota, sed gentes quibus

quibus ea induntur: quæ tamen quocunque vocabulo appellentur nihilo meliores sint futuræ. Ipsæ, inquit, gentes ignotæ sunt, sed appellantur formidolosis nominibus Scytharum atque Cadusiorum, quid hoc ad discrimen belli, quomodo appellentur. num ideo fortiores erunt si his vocentur nominibus, quam si quibusuis aliis. Hæc istorum ni fallor, mens est. Quod autem hos populos nominat, verissimam ex Arriano 3, 4, 11. caussam assigno: quod eo tempore magna de his gentib. fuerit opinio, apud Asiaticos, eorumque robur haud dubie multum extulerint Persæ. legimus enim ibi fuso iam ad Arbela Dario, rumorem increbuisse, *Darium Alexandro obuiam ire statuisse, denuoque prælij fortunam experiri velle, Scythas enim & Cadusios ei auxilio venire.*

QVOD IGNOTI ESSENT) Bene sic ratiocinatur Macedo, solent enim viri fortes, Virg. Æn. 6, 806.

– – – virtutem extendere factis.

& hercle raro *nobilissimi in ipsis penetralibus sibi* sunt, vt de se iactant Britanni in Agric. Taciti 30, 3. sed fere cum nomine dominatum quoque protulerunt. Accidit tamen, in armata quidem virtute perraro, in aliis frequentius, vt alii habeant famam, alii mereantur: & quidam *noti magis, quam nobiles sunt*, vt loquitur Seneca de benef. 3, 28, 2. Sic in libris antiquæ sapientiæ legitimæ, Iustiniano in §§. 17. constitutionum de Confirm. Dig. attestante, *multi fuerant & ipsis eruditissimis hominibus incogniti.*

4, 14, 5. *SAXA LIBRARE)* Qua de caussa iactus eorum non admodum longe pertingebat, multumque superabant, qui plumbeas glandes iaculabantur. Vide Brisson. de regno Pers. lib. 3. pag. 297.

IVSTA ARMA) Quorum momentum attigimus supra ad 4, 9, 2.

ILLINC PVRES STARE) Hoc sic expressit Iustinus 11, 13, 10. *Dario maiorem turbam hominum esse; virorum fili.* Vbi vide.

4, 14, 6. *NEC POSTVLARE SE)* Omnibus magnis Impp. *res* potius quam *verba* cordi fuere, vt Scipioni apud Liuium 28, 27, 1. & apud eundem 28, 40, 7. Fabio Maximo. Annibal, Dione teste in Excerpt. Vales. *militibus* (ἐκ' ὀνομ. ἰσοθίμοις, ἀλλὰ καὶ ἐσυνιδυσι ἐπιχαίροις, πάνυ' ὅσοι ἀπ' ἐκ παιδ' αὐτῶν σκῶπτ. ἐυπονίαις.) *similem se præstabat non in victu modo, sed etiam in periculis: primus tolerando, quæ ab ipsis postularet.* Hinc ergo maxime solebant hortari suos: vt & Valeriue Cos. apud Liu. 7, 32, 11. *Facta mea, non dicta vos milites, inquit, sequi volo: nec disciplinam modo, sed etiam exemplum à me petere.* & Iulianus apud Marcellin. 23, 14. *Adero vbique vobis adiumento numinis sempiterni Imperator, & antesignanus, & conturmalis.* Philippus apud Liu. 31, 24, 3. *se intuentes pugnarent.* Andronicus apud Nicetam lib. 2. *Me sequimini paratum vna vobiscum perpeti, quicquid fors dederit. Neque enim committam, vt quisquam dicat, Andronicum solertem esse ad verba facienda, & acuendos militum animos: sed ducem ignauum, & vltiscendi hostis rudem. Imo & in prima acie stabo, vt decebit; & extremum agmen claudam, vbi oportuerit.* Qualem quidem hortationem perspicuum est altissime penetrare militares animos. nam etiam in aliis deliberationibus, multo magis in talibus, *ipse qui suadet considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum.* Mutianus apud Tacit. H. 2, 76, 2. Sed & secundum Horatium

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Vnde diuine Chrysostomus in illa Act. Apost. 1, 1. οὐ ἤρξατο Ἰησοῦς ποιεῖν καὶ διδάσκειν: Οὐδὲν διδασκάλῳ ψυχρότερον ἐν λόγοις φιλοσοφοῦντος μόνον. τοῦτο γὰρ ἐ διδασκάλου, ἀλλὰ ἀγωνιστοῦ. *Nihil doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur: Neque enim hoc doctoris est, sed histrionis.* Onosander tamen cap. 33. Strategici non absurde monet, hactenus *ostentare* debere *Imperatorem militibus suide se & alacriter pericula suscepturum, vt eorum hoc modo animos prouocet; sed ipse vix in certamen veniat &c.* Eam

litem optime componere videtur Imp. Constantius hoc moderamen inculcans Iuliano Cæs. apud Marcellin. 15, 21. *Si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consiste inter signiferos ipsos, audendi in tempore consideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautissime.* Vide supra ad 3, 2, 1. & infra ad 7, 3, 17.

PRO SE) Hæc mutat Acidalius in *prorsus*, expuncto *spondere*. Mihi nec lectio satis placet, nec correctio, illam tamen explicem, sibi nihil deposcere præter gloriam ex vulneribus, quæ propter illam non sit refugiturus. & iuuent sequentia. Idem autem animi statim in pueritia habuisse memoratur. nam *patri Philippo hasta femur in Triballis transfixo, cum is euitato mortis periculo claudicationem iniquius ferret, Bono animo es pater mi, inquit, ac palam progredere vt ad singulos gressus virtutis tuæ recorderis.* Plutarch. de fort. Alex. 2, 13. Multa in hunc sensum congesserunt Sauaro ad illa Sidonii Carm. 23, 75.

– – – in corpore fortium virorum
Laus est amplior, amplior cicatrix.

& Dempster. in antiqu. Rosini 10, 10. Confer mores Tarquinii Prisci descriptos à Dione in Excerptis Vales. pag. 578.

4, 14, 7. *VNDE FVGERE NON POSSENT)* Quantus sit ad fortiter pugnandum stimulus, necessitas atque desperatio, supra ad 3, 5, 7. nonnihil innuimus. Eo loco dictis adde, si placet, Forstner. in Tacit. 2, 15, 5. Thucyd. 6, 11, 17. Polyb. 15, 10. Liu. 30, 32, 3. & 21, 44, 9. Tacit. 1, 67, 2. & Virdung. ad Tacit. Agric. 33, 9.

4, 14, 9. *OCEANVS)* Indicus ad quem demum penetrauit Alex. infra 9, 9, 1. quemque hodie nauigant quotidie Lusitani & Hispani, Bataui, Britanni, multo longius progressi, quam Alex. qui auream Chersonesum, seu Malacam, Molucas & Iaponas & Sinas nunquam vel vidit, vel auditione perceperit. Raderus. Eodem loco pro *domini*, malim *dominis*.

4, 14, 11. *CONIVGES ET LIBERI)* Xenophon παιδ. 4. vbi in pugna cum Crœso tradit fuisse *intercepta carpenta cum præstantissimis mulieribus*, addit: *Nam Asiatici cum expeditiones instituunt, sic eas hodieque suscipiunt, vt res maximi pretij secum ferant.* Aiunt enim, se pugnandi auidiores esse, quum eæ res *adsunt, quas sibi carissimas habent.* Forte ex veteri instituto id fecerint, postquam Persarum aciem duce Cyro trepidantem, feminarum interuentus restituit. Iustin. 1, 6, 14. Similia de maioribus nostris memorat Tacitus Germ. cap. 7. & 8. Brissonium vide de regno Pers. lib. 3. p. 312. Maximum Tyr. Dissert. XIV.

4, 14, 12. *LOCVM)* Hoc enim vel præcipue ad curam ducis pertinere expertus erat malo suo Darius. Vere Vegetius 3, 13. *Bonum ducem conuenit nosse magnam partem victoriæ ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere.* Et similia præcipit Onosander strateg. cap. XXXI. Ergo Ciuilis apud Tacit. H. 5, 17, 3. similiter hortatur suos; *Quæ prouideri astu ducis oportuerit, prouidisse: campos madentes, & ipsis gnaros, paludes hostibus noxias &c.* Adde Florum 2, 6, 16. n. Sallust. Iug. 49, 3. & Cæsar. de bell. Gall. 3, 23. ibi: *loca capere:* item 7, 52. *exposuit, quid iniquitas loci posset, quid ipse ad Auaricum sensisset &c.* de bel. Ciu. 3, 73. in quo mendum tollo, certe indico; *quod esset acceptum detrimenti, eius* (fortunæ) *iuri potius, quam suæ culpæ debere tribui: locum se tum ad dimicandum dedisse &c.* Scribam: *locum se aptum* (aut *tutum*) *ad dim. legisse.* Adde supplementa mea Liu. 8, 23. vbi de Xanthippo & Regulo.

4, 14, 13. *PRIMVM IMPETVM)* Quem & Germanis tribuunt Tacit. G. 4, 2. Cattos tamen excipiens. Ibid. 30, 3. & Seneca de ira 1, 11. cum Floro 3, 3, 5. & inprimis Gallis Liuius 10, 28, 4. & ceteri. Quin & secundum Iustin. 41, 2, 8. Parthi *intolerandi forent, si, quantus his impetus est, vis tanta & perseuerantia esset.*

AMISSO

AMISSO ACVLEO) Aristoteles de hist. animal. 3, 12. testatur, apiculam si percutiat & infigat aculeum alteri, vel illi euellatur, mori: cui Menander accinit:

Κίνησον γὰρ πολλῷ σοὶ κρείττων ἐμμανὴς ὅσος
Κίνησον δὲ ζωὴν φέρες ἀνατέτηκε μελίσσῃ.

Alii negant mori, sed torpere, & fucos fieri: Plinium 11, 17. consule. Raderus. Atque hanc opinionem præter Curtium, amplecti videtur Liuius 23, 42, 4. eodem simili vtens, & hinc absque dubitatione corrigendus: *te ad vnum modum ictum vigentem, velut iaculo emisso torpere,* pro *velut iaculo*, inquam, scribe *veluti aculeo.*

4, 14, 14. *NAM VLTIMI)* Oratorium videatur hoc, & imprudenti Curtio excidisse, dum ingenio indulget in oratione fingenda. Sane suspectum ea dubitatio facit, qui Darius scire potuerit de ordinibus auersis. Bonis enim oculis & vix humanis necesse est fuisse, qui totam aciem visu permetiretur, & ad vltimos ordines ita penetraret, vt discrimina etiam agminum & positus eorum peruideret. Nisi si à transfugis accepisse credemus, quod solum excusando Curtio dici possit. Ac in eadem plane causa superius etiam illud est 4, 13, 13. *adhuc lymphatos ferri agique.* Dubites enim & ibi, vnde idem tam cito de formidine hostium cognouerit. Sed esto apud transfugas & exploratores Curtio perfugium. Ita tamen omnia debebant temperari, vt nihil nisi verisimile dicatur: nihil admittatur, quod vel minimam excitare suspicionem queat dubiæ veritatis. Acidalius.

4, 14, 15. *BELLO VICERIMVS)* Hanc sententiam Alexandro tribuit Modius, ad illa Liuii 9, 19, 10. *prælio victus Alexander, bello victus esset.* Item alius Vir sane doctus in notis Polit. ad Tacit. 2, 21. tanquam Curtius id hoc libro prodidisset. quod adnotare placuit propter duplex genus hominum: quorum alii leues huiusmodi hallucinationes ingenti fastu atque acerbitate exagitare solent, humanitatis oblii; alii contra ab eiusmodi viris prolata, nulla infirmitatis humanæ memoria, ne examinata quidem, statim arripiunt, deinde vulgant: vnde secundissima fere errorum seges in his aruis.

4, 14, 16. *IMPLICATOS ERGO)* Supra ad 3, 3, 27. pleniorem aliquanto huius rei tractationem hic promisimus. Ergo sciendum est nimiam impedimentorum multitudinem, necessario maxima comitari incommoda. quæ res quia adhuc hodie sine cura habetur, esse potest initium grauissimæ calamitatis. Sed quoniam exemplis amplius creditur quam rationibus; ea potius proponemus; nam & iis penitus insunt caussæ, & quando cuentibus coniunctæ sunt efficacius persuadent. Ergo apud nostrum infra 6, 6, 15. Alexander impedimentis ignem subdidit, quippe futuris moram agminum itinerumque. Nouerat enim patrem suum Philippum, cum præda ex Scythis redeuntem à Triballis opportuna loca insidentibus pene cæsum, certe grauiter vulneratum fuisse. Nouerat, quid ipsi accidisset supra 4, 9, 19. quando in transitu Tigris, *dum sua quisque spolia*, amnis impetu prouoluta, *consequi studet, maior inter ipsos quam cum amne orta luctatio est.* Nouerat se ipsum contemnendo sarcinarum damnum, summam rerum tenuisse, supra 4, 15, 7. *magno consilio*, vt iudicat noster 4, 16, 28. Vide Iustin. 9, 3, 2. & Plutarch. de fort. Alex. 1, 13. Atque simile aliquid diu post accidit Manlio exercitum ex Gallogræcorum bello reducenti, in iisdem fere locis, in quibus & Philippus periclitatus fuerat: nam latrunculos Thracas incidens, pene cæsus, fugatus, exutus impedimentis est. Liu. 38, 40, 6. iuncto 38, 46, 5. Arminius insidiatus Cæcinæ locis opportunis ante captis non *statim prorupit, sed vt hæsere cæno fossæque impedimenta, turbati circum milites; incertus signorum ordo; vtque tali in tempore, sibi quisque properus, & tentæ aduersum imperia aures; irrumpere Germanos iubet.* Ta-

cit. 1, 65, 4. est enim vt apud eundem 2, 5, 4. recte æstimat Germanicus *longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum.* Cæsar. bel. Gal. 7, 66. *relictis impedimentis, suæ saluti consulant.* Annibal Alpes maximo cum periculo transiit, vide Liu. 21, 33. quamquam impedimentorum magnam partem in Hispania reliquisset. Sic enim Liu. 21, 60, 7. *omnibus fere charis rebus (ne grauia impedimenta ferentibus essent) circa* (scribo *citra*) *Pyrenæum relictis.* Eumenes quem paucissimis ducibus postpono, cum videret suos se ire implicitum impedimentis hostium, quorum diripiendorum consilium ceperant: cum apud ipsos monendo parum proficeret; clam misit ad hostes, vt impedimenta sua tuerentur, hortatus, eoque æstu præuenit exitiale suorum lucrum. Polyæn. 4, 8, 5. Plutarch. Eum. cap. 17. Sed hæc indigitasse sufficiat, cum in omnibus fere antiquis atque recentibus historiis, plures occurrant pugnæ, ob impedimenta male pugnatæ. Quin & ipsa nominis notio præ se fert, quid ea res habeat incommodi. Sane ad vsum quotidianum sobria & frugali sarcinarum copia maxime opus est: præsertim in hostico, aut omnium rerum sterili solo. Inde merito veritus est Annibal solers Imperator, si quis alius, *ne exutum impedimentis exercitum nequicquam in eolumem traduxisset.* Liu. 21, 33, 9.

4, 14, 17. *NON CORPORA)* Macedones omnes bellis prioribus attritos, præsentem Alexandri militem peregrinum esse, non Macedonicum. Raderus.

IN PAVCITATE) Eundem in sensum Dio lib. 40. Galli *ob abundantiam suorum ne seniebant quidem si quos amisissent: contra Romani, quorum & ante numerus non ita magnus fuerat, & tunc subinde idem decrescebat, facile obsidione coercebantur.* Idem vult Tacit. H. 4, 28, 7. paucis vt solet verbis: *superante multitudine, & facili damno.* Liuius 2, 64, 5. *Romani, quia paucitas damno sentiendo propior erat, gradum retulissent &c.* Idque eleganti similitudine demonstrat 22, 8, 3. *Vt in affecto corpore quamuis leuis caussa magis quam valido grauior sentitur: ita quum* paucis & inualidis *quodcunque aduersi incidit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis, quæ nihil quod aggrauaret, pati possunt, æstimandum est.* Sic Marcellin. 14, 11. *vtque ægrum corpus quassari etiam leuibus solet offensis, ita &c.* Æneas Siluius cap. 5. de Europa, in clade Varnensi: *illud exploratum est, longe plures ex Turcarum acie cecidisse, cæterum pro numero copiarum longe maius damnum Christianis illatum.* vt sic (exemplo Spartanorum in Iustino 2, 11, 18.) *non victi, sed vincendo fatigati,* succubuerint.

4, 14, 18. *VNVM ANIMAL)* Liuius 9, 18, 7, de eodem Alex. *Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, vnius tamen ea magnitudo hominis erit. Animal* per contemptum appellat Darius: sed hircus iste Græcus, arietem Persam intertam dicerem *hircauit,* si fas; Curtius, *arietauit,* dixit. Raderus.

QVAM SVA VIRTVTE) Id ineulcare solent callidi Imperatores, vt eo alacrius fortunam denuo tentent victi. Quousque enim nostra culpa cladem nobis accidisse credimus, remedium aut cautelam in posterum itidem in nostra potestate sita esse opinamur. Sic apud Tacit. Agric. 32, 2. *Nostrâ illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt.* Sic H. 2, 76, 7. *Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum.* Ergo Agric. 27, 3. *Britanni non virtute sed occasione & arte ducis se victos rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuuentutem armarent &c.* Syphax apud Liu. 30, 4, 8. *Scire incendio, non prælio cladem acceptam, eum bello inferiorem esse, qui armis vincatur.* Sic Vercingentorix consolatur suos, Auarico amisso: *ne se admodum animo demitterent, neu perturbarentur incommodo, non virtute neque acie victisse Romanos; sed artificio quodam, & scientia oppugnationis, cuius rei fuerint ipsi imperiti.* Cæs. de bell. Gal. 7, 29. Contra vbi confessio imbecillitatis semel expressa est hosti, vt nulla aduersarii prærogatiua victus, nesciat infortunii

tunii sui culpam, in quamuis aliam rem, quam suammet infirmitatem conferre, non cogitabit amplius de resistendo, sed libenter imperata faciet. exemplo Pori, infra 8, 14, 42. Carthaginenses tum demum bona fide pacem orauerunt, postquam Annibal *fassus in curia est, non prælio modo se, sed bello victum: nec spem salutis alibi quam in pace imperanda esse.* Liu. 30, 35, 8. Nobiliter apud eundem 42, 47, 9. melior pars senatus: *Eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus iusto ac pio bello esse superatum.* Quod expressum sentio ex Polyb. 13, 1. qui Achæis suis id tribuit. Quibus concinit & Claudianus in VI. Consul. Honorii vers. 248.

- - - nulla est victoria maior,
Quam quæ confessos animo quoque subiugat hostes.

Atq; ideo Parmenionis consilium à Rege spretum Arrianus 3, 2, 13. putat: *ne victo ruursum Dario, clanculariæ nocturnæque à suis irruptio facta, in caussa esset quo minus Darius confiteretur, se pariter & militer suos Alexandro & Macedonibus bellica virtute inferiores fuisse.* Vide Buchanani Hist. Scot. pag. 210. f.

4, 14, 19. *MVTABILES VICES RERVM)* Ergo vt sapienter monet Seneca Thyeste 3, 3, 70:

Nemo confidat nimium secundis. Willerm. Tyrius histor. Hierosol. 3, 12. *Ignorat mortalis infirmitas quid sibi pariat dies.* Laberius apud Agell.

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Consistes ægre: & citius, quam adscendas, decides.

Bene Tiberius apud Tacit. 3, 72, 2. *cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico.* Exemplum notat idem Tacit. H. 2, 12, 1.

4, 14, 20. *SECVNDO CVRSV)* Haud dubie nec enim aliter intra tempus istud tam immensam potentiam comparassent. nihil enim ad rem, si interim regum quidam priuatim infelices, vel etiam cum modica imperii clade.

CCXXX. ANNOS) Non tamen vltra ducentos annos regium hoc imperium stetisse, Dionys. Halicarn. lib. 1. scribit. Curtio consentiens D. Hieron. ad Daniel. cap. IX. (vbi tamen aliorum diuersa computatio) continua XIV. regum serie regnatum in Perside per CCXXX. annos, notat. At Strabo lib. XV. permixtis Persarum Macedonumque temporibus, Imperii illius annos paulo longius profert. Clemens vero Alexandrinus lib. 1. Stromat. accuratius subductis temporum rationibus, summam efficit annorum CCXXXV. In quo & variari inter alios quoque video. Nam D. Augustin. de Ciuit. DEI 12, 10. annos colligit CCXXXIII. Sulpicius autem Seuerus lib. 2. sacræ histor. CCL. Est & inter Constantinum Manassem, & Georg. Cedrenum, non parua dissensio: quorum hic, in suis Annalibus, non nisi CCXIV. annos Persarum imperio adscribit: ille τὴν μεσῶν βασιλείαν ἐφ' ὅλως πεντεκαίδεκα ἔτεσι πεμπτοσίοις, ait. A quibus etiam discedens Agathias lib. 2. annos CCXVIII. Persarum Monarchiæ tribuit. Brissonius pr. lib. 1. de regno Persico.

4, 14, 21. *IMPERIVM)* Vniuersalis imperii gens ita capax non est, vt illud teneat absque certamine, & proinde periculo: cum vt res, qua nulla vulgo putatur beatior, à multis ambiri appetique soleat. Nolite ergo mirari, si fortuna suo ingenio instabilis, audaciam Macedonum hactenus iuuit, vt imperium hoc concuterent. ad summam tamen nos obtinebimus. Hanc Darii sententiam fuisse vult Curtius.

4, 14, 22. *REGVM INSTAR)* Quippe opulentis prouinciis cum amplissima potestate præfectos. Adde infra ad 5, 1, 37. voce *regibus.*

4,14,23. *OMNES)* In Bong. fuit; *omnes hos*, quæ res facit vt sic ab auctore concepta credam ista: *restituite mihi pignora, pro q. m. non recuso; parentem, liberos, nam coni. in i. c. amisi. Credite nunc omnes hos &c.*

FASTIDIVNT) Malim, *fastidiant.*

4,14,24. *ÆTERNVMQVE IGNEM)* De quo prolixe Brissonius lib. 2. pag. 164. & supra ad 3,3,9. Viues in Augustin. Ciu. DEI 16,16. Æternum ignem habuerunt passim gentiles, omnes ad imitationem Hebræorum; apud quos ex præscripto diuino perpetuus ignis alebatur. Vide eruditissimum opus Cunæi de rep. Hebr. 2,13. Proxime ad morem Persicum Spartani, quorum *Rex in expeditionem proficiscens, primum domi adhuc sacrum Ioui ductori, & adiunctis ei diis facit, ac si litatum illic fuerit, ignifer siue fecialis sublata ab ara igne, ad regionis fines præcedit, vbi Rex Ioui Mineruæque rursum sacrificat. Vbi diis hisce litatum ambobus est, tum deinde limites regionis transit. Atque ab his sacris sublatus ignis præfertur, & nunquam extinguitur, sequenti omni hostiarum genere.* Xenoph. in Republ. Lacedæm. Sed & aliis Græcis hunc fuisse morem ex Herodoto 8,6. tibi persuadere possis. ἐδέῃ μᾶλλον πυρφόρου, τοῦ ἐκείνων λόγῳ, ὀνομαζόντων ἀσεσανίδην. *quum tamen, vt quidem illi consilium inibant, ne igniferum quidem fuga superesse oporteret.* Quid si tamen explices τοῦ ἐκείνων λόγου, *ipsorum verbo*, solet enim hic auctor ostentare barbaricorum rituum, verborum, atque adeo prouerbiorum notitiam. vt hoc ita adagii vice apud eos iactatum fuerit, *ne igniferi quidem euasit.* de copiis occidione cæsis. Nec enim absurdum est coniicere igniferis istis ob reuerentiam numinum parci consueuisse: & propterea quoties ipsi quoque interfecti narrarentur, intellectum omnes hostes ad internecionem fuisse cæsos. Videmus igitur homines istos qui ignem præferebant πυρφόρους à Græcis fuisse appellatos, sic enim & in adducto Xenophontis loco vocantur. Sic & triremes quæ Græcum ignem portabant, πυρφόροι vocantur à Niceta lib. II. de Imperio Manuelis.

4,14,25. *QVAM GLORIAM)* Idem inculcauerat suis Xerxes apud Herod. 7,53. *Viri præstantes existatis, neue res hactenus gestas à Persis magnas præclaraque dedecoretis.* Hoc & in prouerbium abiisse discimus ex Polybio 154. Φυλάξαι χὴ τὸν παροιμιῶν, παλαιὸν ἔπος κείμενον ἔπος. *vt veteri verbo dicitur, maiorum exempla tueri.* Sic Philippus hortatur suos apud Iustin. 30,4,6. & 13.

IN DEXTRIS VESTRIS) Sic Ælian. Hist. Var. 11, 9. Sallust. Cat. 58,10. *memineritis, vos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare.* Simile his est istud ex Liu. 21,41,17. *Vnusquisque se non corpus suum, sed coniugem ac liberos paruos armis protegere putet. nec domesticas solum agitet curas, sed identidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus Senatum Populumque Romanum* &c.

QVISQVIS CONTEMPSERIT) Sallust. Iug. 87,3. *Videre fugientes capi, aut occidi fortissimum quemque tutissimum.* Item Cat. 58, 9. *semper in prælio his maximum periculum esse, qui maxime timent.* Liuius 22,5,2. *quo timoris minus, eo minus ferme periculi esse.*

4,14,26. *CVRRV VEHOR)* Vide supra ad 3,11,7. & infra ad 5,12,16.

FORTITVDINIS EXEMPLVM) Nam vtraque acie ipse quoque depugnasse legitur, apud nostrum, ex quo Brissonius lib. 3. pag. 340. notat sua ad tempora respexisse Marcellinum 19,15. cum sic scriberet: *Rex enim ipse Persarum, qui nunquam adesse certaminibus cogitur, his turbinum infortuniis percitus, nouo & nusquam antea cognito more, præliatoris militis ritu, prosiluit in confertos.*

4,15,1. *VT ET DEMONSTRATVM)* Sic edidi locum, adiutus excerptis Bongarsi. Codicum: quæ verissima & aptissima est lectio. Pessime omnes alii: *vt est demonstr. à transf. cum insid. &c.*

LÆVM

LÆVVM CORNV) Supra ad 3,9,4. notauimus Persarum ex more regem mediam aciem tenuisse. Quod si læuum cornu hic rexit, eo accidit quod Curtius totam aciem non in tres partes, sed duas tantum dispertitus, reperit eum propiorem fuisse læuæ. Possit etiam extra ordinem in id transgressus videri ea causa, quod Alexandrum in dextro pugnaturum esse compererat. Sic contra Veientes, tanquam acriores hostes, in dextro cornu collocatos, constitit Tullus in sinistro suo, Metio in dextra parte Fidenatibus opposito. Liu. 1,27,5.

AGMEN OBLIQVVM) Polyæn. 4,3,17. ἐπὶ δεξὺ πορεύεσθαι ἀναλαβόντα. hoc est, *obliquato in latus dextrum agmine sequi se iussit*: non vt reddit interpres: *recta iussit sequi.*

4,15,2. *A LATERE)* Sic edidit Modius adstipulantibus etiam MSS. nec sane superuacua sunt hæc duo vocabula: ideo postliminio reducimus.

4,15,3. *SIGNO DATO)* *Persarum vsus inuenit, quomodo quod solus dux vtile iudicasset, per signa totus adgnosceret & sequeretur exercitus.* Brisson. lib. 3. p. 343. vbi signa ista diuidit in vocalia, semiuocalia, & muta, quorum singula deinceps latius exsequitur.

4,15,4. *LACERAVERE)* Arrian. 3,3,4. nullum effectum habuisse currus istos asserit: Diodor. 17,58. fere cum nostro consentit, circa prima signa terrorem atque damnum intulisse, à phalange fuisse elusos, quod ait noster infra 4,15,14. crudele porro fati genus, quod intulerint quibus inciderunt, apud eundem Diodor. & nostrum hic, & mox 4,15,17. describitur. Quo pertinet Plutarchi Artaxerxes cap. 8. qui *ante suam phalangem Græcæ aciei opposuit falcatorum curruum robustissimum quemque, vt nimirum priusquam manus consererentur, vi impetus eorum Græcos ordines dissiparet.*

4,15,5. *MILLE EQVIT)* Imo *tribus millibus*, secundum Diodor. 17,59. & colligi potest ex nostro infra 4,15,12. maiorem aliquanto numerum fuisse.

4,15,7. *ABI, NVNCIA)* Valde laudat hoc consilium Alexandri Curtius infra 4,16,28. apud Plutarch. cap. 59. vehementer exagitatur Parmenio, quod impedimentorum causa turbaretur in conflictu. Raderus. Adde Polyæn. 4,3,6. Sic apud Liu. 8,38,17. in pari causa A. Cornelius Aruina: *Sine modo, inquit, sese præda præpediant &c.* & Plutarchi Eumenes cap. 32. suos argyraspidas cordate monet, *non in impedimentis, sed in armis esse victoriam.* Pertinent huc quæcunque de præda ante victoriam non persequenda, de præceptis prudentium, & magnis vtramque in partem exemplis, passim monent eruditi. Affine dictum est Catonis apud Plutarch. cap. 19. qui, Celtiberis in auxilium vocatis, tam illi ducenta talenta mercedis nomine poscerent; cererique Romani id aspernarentur: *nihil esse mali affirmauit. victoria enim parta, non de suo, sed de hostilibus bonis mercedem iis soluturum: sin secus euenisset, neque qui poscerent superfuturos, neque vnde exigerent.*

4,15,8. *PHILIPPO PATRE)* Oblitus hic est Curtius Alexandro non amplius Philippum fuisse patrem; sed Hammonem.

4,15,9. *CAPTIVI)* Confer Arrian. lib. III. duobus locis, vbi nimirum Alexandri consultationem ante prœlium, & vbi prœlium ipsum describit.

4,15,11. *IN EODEM)* Sic ad *animum*, siue ad *mœrorem* referas, dura constructio est. Si nihil excidit, quod magis credo, tentem; *eadem quæ antea fuit, perseuerauit.*

4,15,12. *AMYNTAS)* Modius *Menidam* substituit, approbante Acidalio & Radero. & certe Menidam eo in prœlio vulneratum fuisse discimus mox 4,16,32. sed quando *Amyntam* omnes libri præferunt, nihil hic mutandum censuimus.

quip-

quippe ex multis qui tum eo nomine vocari potuerunt, etiamsi vnum alterumue huic pugnæ non interfuisse probemus, qui excludemus ceteros. de *Amynta* disputatum etiam supra ad 4, 13, 28.

4, 15, 15. *VALLO SIMILIS ACIES*) Sic *apud antiquos* Murus *dicebatur pedestris exercitus* Veget. 1, 20.

4, 15, 18. *MISSI*) Ego cum Bong. hanc vocem expunxerim.

4, 15, 19. *IVBET*) Admodum velim exesse hanc vocem.

4, 15, 20. *AD OPPRIMENDA*) Acidalius legebat, *ad obtinenda*, quod iam alii oppressissent, id est, inuasissent: ego mutandi recepta caussam hic non video. vtique enim hi quoque opprimendis impedimentis absceserant, cum ii qui prius id egerant, tenendo proposito impares essent. *opprimere* enim non tantum est inuadere, sed etiam effectu conatus potiri.

4, 15, 24. *ANTE OCVLOS*) Quam enim id accendat virtutem militum, per spem, metum atque pudorem, tetigimus paululum supra ad 3, 6, 3. Adde nostrum 3, 11, 9. Arrian. lib. IV. vbi de Aorno petra. Pulchre Virgil. Æn. 9, 70.

Tum vero incumbunt: vrget præsentia Turni.

Notauit Herodot. 8, 86. in pugna ad Salaminem barbaros *extitisse longe scipsis præstantiores, Xerxem reformidantes, quod ab eo se singuli conspici arbitrabantur.* Item ad Thermopylas acriter ab iis pugnatum fuisse scribit Diodor. 11, 7. *dum virtutis inspectorem & testem haberent regem ipsum.* Monet Imp. Constantius Iulianum Cæs. prudentissime, apud Ammian. 15, 21. vt ipse necessitate exigente interesit prœliis; *turbatos subsidiis fulciens, modeste increpans desides, verissimus testis adfuturus industriis & ignauis.* Apud Sallust. Iug. 74, 4. *qua in parte rex pugnæ adfuit, ibi aliquamdiu certatum: ceteri omnes eius milites primo congressu pulsi fugatique.* Liuius 31, 37, 4. *eo quoque superiores Macedones erant, quod & rex ipse hortator aderat &c.* Obseruat idem Cominæus auctor sane prudens lib. 1. Comment. in conflictu Caroli Burgundi cum Ludou. XI. *Eramus numero superiores, veruntamen Regis præsentia magnum suis attulit momentum, quando militem, & præsertim equites, ad virtutem cohortabatur. nam alioqui crediderim omnes fuisse præcipites in fugam abituros.* Magnificum simul & elegans est apophthegma siue maioris, siue minoris Antigoni, quod recenset Plutarch. in Pelopida cap. III. & apophth. cap. 48. *Nauali prœlio cum Ptolemæi legatis congressurus, dicente gubernatore multo plures numero esse hostium naues. Me vero, inquit, ipsum præsentem quam multis comparas?* Quapropter, licet alias ob caussas exitiale danti, tamen bonum & prudens fuit consilium Sinanis, cum à Persis cladem accepissent Muratis copiæ: quando Imperatori, qui Constantinopoli remanserat, *Vt his rebus, inquit, obuiam eundo remedium inueniatur, Scacho Scachus opponendus erit. Quibus verbis innuere volebat, aduersus regem, regis opus esse opera: planeque necessario requiri ad obtinendam de hoste victoriam, vt ipse Sultanus Murates, dux belli aduersus Muchemetem Persarum regem proficisceretur.* Leunclau. in suppl. Annal. Turcic. ad ann. 1583.

4, 15, 26. *AQVILAM*) Seneca Natur. quæst. 2, 32. *Aquilæ hic honos datus est, vt magnarum rerum faceret auspicia.* Exempla plura collegit Alexander dier. genial. 5, 13. Sidonius Carm. 2, 127.

Multos cinxerunt aquilæ, subitumque per orbem
Lusit venturas famulatrix penna coronas.

Vbi doctissimum Sauaronem consule.

4, 15, 27. *MONSTRAVIT*) Sciens gratum id Alexandro fore. nam & ipse, *cum ab aruspicibus cognouisset, deos omnia fausta portendere, circumferri hostias iussit, & militibus ob oculos demonstrare, vt non solum ex auditione, verum etiam ex adspectu spem bonam de periculo haberent.* Polyæn. 4, 3, 14.

4, 15, 28. *HASTA TRANSFIXVS*) Ab ipso Alexandro, vt auctor est Diodorus 17, 60. *Dumque Imperator Imperatorem infesto animo petit, misso in Darium iaculo Alexander, ipsum quidem non contigit, sed aurigam illi adsistentem feriens prosternit.* Rader. Memorabile est quod reperio in Epitome temporum Græca, quam editioni suæ Eusebianæ subiecit Magn. Scaliger in Olymp. 319. Coss. Ioanne Scythopolita, & Paulino: Ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἱππικὴ ἀγομένη ἐτέλεσε (de Anastasio sermo est) τὸ Δωρεχὼ ὄντα τῆς Μεσοποταμίας μέγα πάνυ καὶ ὀχυρὸν, κείμενον μέσον τῶν ὁρίων Ῥωμαίων καὶ Περσῶν. καὶ ἐποίησεν ἐν αὐτῷ δημόσια λουτρὰ β. καὶ ὁπλοπαίας, καὶ ἐμβόλους καὶ ὅρια εἰς ἀπόχετα σίτου, καὶ κισήρεως ὕδατον. τὸ δ' αὐτὸ χωρίον διὰ τοῦτο λέγεται κληθῆναι Δῶρος τοῦ Ἀλιξάνδρου Μακεδόνος, διότι Δαρεῖος ὁ βασιλεὺς Περσῶν, ὁ αὐτὸς Ἀλιξάνδρῳ ὁπλὴ δόρατι ἐκρισεν· ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα ἔχει μέχρι νῦν. Quæ quia vitiis non carent, prius vt poterimus emaculata, Latine reddemus. Depranatum autem loci nomen est τὸ Δωρεχὼ ὄντα &c. μέγα πάνυ, in quibus nulla neque constructio est, neque sensus integer. Crediderim fuisse, τὰ Δῶρα χὼν ὄντα τῆς Μεσοπ. μέγιστα πάνυ καὶ ὀχυρὰ. atque sic infra quoque legendum λέγεται κληθῆναι Δῶρα. Hoc sensu: *His consulibus Iudis equestribus editis, muro circumdedit* (Anastasius) *Duras, tumulum Mesopotamiæ admodum magnum atque munitum, situm in limine Romani Persicique imperii. Et construxit ibi balnea publica duo, & ecclesias, & embolos, & horrea seruandis frugibus, & cisternas aquarum. Locus autem ille occasione Macedonis Alexandri vocatus dicitur Dura. quod Darium regem Persarum Alexander ibi hasta percusserit: vnde & nomen loco hæsit in hæc vsque tempora.* Sic igitur vocatus ille locus ab hasta, quæ Græcis effertur δόρυ. Sed Euagrius Hist. Eccles. 3, 37. eadem de Anastasio memorans, *Duras* vocat locum, & à Dario ibi victo nuncupatum putat. eo nomine regionem Bosphoranam memorat Procop. περὶ κτισμάτων Ἰουστινιανοῦ 3. f. quo minus absurdum credas, etiam vrbi hinc impositam appellationem. Atque hanc ipsam suspicor fuisse vrbem cuius apud Polyb. 5, 52. & 66. est mentio, tanquam vrbis munitæ. quæ posterioribus temporibus destructa, sub Iuliano desertum *oppidum* vocatur à Marcellino 23, 12. & 24, 2. vbi pro *Duram* & *Duram* rescribendum est *Duræ* plurali numero, si Polybium sequi velimus, cuius scriptura hac in parte extra suspicionem est vitii. adstipulante itidem Zosimo, qui idem fere quod Marcellin. in Iuliano tradit. Eandem enim esse vrbem, quam incertus temporum Epitomator indigitat, præter alia hinc quoque constat, quod & à Polybio & ceteris, in Orientali Rom. imperii limite collocatur: & quod apparet alias eo in loco vrbem fuisse, nec enim verisimile est nomen id hæsisse loco vacuo, & nullo certo monumento insignito. Iuuat adscribere quod de vrbis eiusdem conditione refert Marcellini Comitis Chronicon ad ann. Christi 518. *Duras* (sic enim ibi dicitur) *quædam possessio in Mesopotamia LX. ab Amida ciuitate milliaribus ad Austrum sita, & XV. millibus à Nisibino oppido ad Occasum distans, Amidensi Ecclesiæ reditum pensauit. Huius ergo humilis villæ casas Anastasius Imp. ob condendam ibi ciuitatem dato pretio emit, missisque continuo fabris construi præcepit. Calliopum deinde Antiochenæ vrbis Patricium huic operi præfecit. Nempe hic in colle in planicie desinente mira sagacitate ob fundamenta locanda sulcum sarculo designauit, muriusque firmissimis facie tenus consummatis vndique texit. Rinum quoque, qui ex prædii nomine, iuxta quod nascitur, Cordissus nominatur, serpentisque per murmura DV. milliariis eundem collem nouamque diuidit ciuitatem, concesso vtrique (an vtrinque) ostio prolabentem includit. Publicis præterea manibus decoratæ ciuitati pristinum nomen villæ reliquit. Ingens huius frontispicio ciuitatis in editiori loco constructa, murisque continuata turris Herculeæ nomine dicta sustollitur, Nisibinum ad Orientem, Amidam Aquilonem respiciens.* Non tamen diu subsistit hæc vrbs, quippe *Anno IIX. Iustini* iunioris, *Persæ cum Romanis pacis fœdera rumpunt: & con-*

greſſione facta Daras ciuitatem fortiſſimam bello ſuperant, & cæſa multitudine Romanorum memoratam vrbem ingreſſi depopulati ſunt. Enagr. 5, 10. Ioan. Abbas Biclar. in Chronico. Qui & ipſe *Daras* appellat. Quomodo iterum Marcellini Chron. Ann. 537. *In Oriente quoque Ioannes Scotiſſis arripiens Tyrannidem, antequam aduerſi quicquam tentaret, Daras extinctus eſt.* Quod ipſum acciditſſe refert ἐν πόλει Δάρᾳ, Procop. lib. 1. Perſic. in fine. Quo libro meminit etiam ab Anaſtaſio fuiſſe conſtructam. De eadem ni fallor ſentit Euſebius, vbi ſcribit Aſiæ regem Demetrium Demetrii filium obſediſſe Antiochum Alexandri εἰς Δάρᾳ κατεφυγόντα, ſic enim ibi ſcribitur. Vt ita ſeu librariorum vitio, ſeu potius quod, vt omnia humana, ſic & vrbis huius nomen aliquando mutauerit, varie id videas efferri ab auctoribus. Alia eſt *Dara* Iuſtini 41, 5, 2. licet viro doctiſſimo in Solin. 922. b. eadem eſſe videatur.

4,15,29. *TVRBAVERE*) Hunc locum ſic interpolat Acidalius: *Lugubri ergo vlulatu & in c.cl.g.t.f. a.a.æ. M. p. turbauerant cognati Darij: & armigeri lænam tuentes in fugam effuſi deſtituerant currum, quem à dextra parte ſtipati in medium agmen receperunt.* Quam emendationem mire commendat Raderus, quamquam faſſus nimis à verbis Curtii recedere. Mihi ne probabilis quidem eſt: Cum & illud *turbauere* fruſtra mutetur, & lectio vulgata, MSSorum etiam auctoritate ſubnixa, commodiſſimum habet ſenſum obſeruata ſaltem diſtinctione quam adhibuimus.

COGNATI) Hi enim circa ipſum erant in ſæuo cornu. Diodor. 17, 59. & Arrian. 3, 2, 21. Ergo horum fuga læuum iſtud cornu deſtituit currum regis, quem ideo qui in dextro ſtabant, in medium ſui receperunt. hæc enim pars aciei pugnabat adhuc, vt ex ſequentibus clarum eſt.

4,15,30. *HONESTA MORTE*) Iuſtin. 11, 14, 3. *Darius cum vinci ſuos videret, voluit & ipſe mori: ſed à proximis fugere compulſus eſt.* Suetonius Cæſ. 36, 2. Cæſarem quoque vltimo prælio in Hiſpania de conſciſcenda ſibi nece cogitaſſe refert. Multi alii in extremis ſæpe periculis ſibi ipſi omnino violentas manus intulerunt, M. Brutus, Otho, alii, vt omittam oppida & ciuitates, caſtra tota apud Cæſarem de bell. Gall. 5, 37. Raderus. De *honeſta morte* vide ſupra ad 3, 8, 21. De oppidis totis ita pereuntibus, infra ad 9, 4, 6.

4,15,33. *EXAVDIEBANTVR*) Sic malui cum pleriſque editionum veterum: & cum iiſdem mox, *tantum*, & *trahentes*.

4,16,4. *FORTVNA PART. TERRITVS*) Ita Brutum ſcribit Florus 4, 7, 14. *in Caſſio etiam ſuum animum perdidiſſe.* Liuius 1, 11, 3. de Cruſtumeniis: *iam alienis cladibus ceciderant animi.* Idem ſcribit 1, 25, 12. Curiatiorum vltimum *victum fratrum ante ſe ſtragem fuiſſe.* Magis autem id accidere neceſſe eſt ipſo capite iam cæſo aut pulſo, quod pluribus exemplis exſequitur Gruter. diſcurſu XI. ad illa Taciti H. 4, 34, 9. *Credita* (an *dilata*) *fama per vtrumque exercitum, vulneratum aut interfectum, humane quantum ſuis pauoris, & hoſtibus alacritatis indidit.*

SVA SPONTE) *Omiſſa cunctando victoria erat.* Liu. 7, 24, 4.

4,16,5. *AD SE VOCARI*) Quid? ad ſe vocari iubet equitatum? totum, an duces modo? quod ſi hoc, cur non expreſſit? immo cur ſubiicit, vnde colligas cum vniuerſis eſſe locutum? At hoc ſane quam putidum eſt. Equites enim in ipſo pugnæ diſcrimine conſtitutos Imperator ad ſe vocet, hortandi cauſſa? non certe ſi ſapiat. Si quid video fuit, *Theſſalos equites aduectus, Ecquid, inquit &c.* Tacitus 2, 45, 4. de Arminio: *equo colluſtrans cuncta, vt quoſque aduectus erat, reciperatam libertatem &c.* ingerebat. Liuius 7, 24, 4. *Conſul vulnere alligato, veuectus ad prima ſigna, Quid ſtas miles? inquit &c.* Ita ſcilicet duces militibus in acie ſtantibus aduectos paſſim legimus; non contra. Sed nimirum iſta vox, cum forte legi non poſſet, impoſuit

ſuit diuinatori non optimo, qui cum de vocando aliquid hic eſſe coniiceret, non grauatus eſt aliam inſuper voculam, *iubet*, inculcare: quæ & ipſa qua iure, qua iniuria multa huius ſcriptoris loca obſedit. De ipſo autem Parmenionis hoc ſtrategemate vide infra ad 4, 16, 28.

4,16,6. *VERA DICERE*) Quæ res acerrimos habet aculeos. Tacitus H. 4, 78, 1. *Vera erant. & à tribunis præfectiſque eadem ingerebantur.*

4,16,8. *LYCVM*) Recte meo animo Iuſtinum 11, 14, 4. corrigit ad hunc locum Acidalius, ſic legens: *Suadentibus deinde quibuſdam vt pons Lyci* (pro *Cydni*) *fluminis ad iter hoſtium impediendum intercideretur*: (pro *interclauderetur*) *non ita ſe ſaluti ſuæ velle conſultum ait, vt tot millia ſuorum* (pro *ſociorum*) *hoſti obiiciat.*

SOLVERET PONTEM) Sæpe factum ad præcidendum hoſtibus aditum, vt portæ ciuitatum clauderentur, magno interim excluſorum ſociorum damno. Liuius 25, 15, 15. Thurini *conclamant, inſtare Pœnum: permiſſoſque hoſtes vrbem inuaſuros, ni propere portas claudant. ita excluſos Romanos præbuere hoſti ad cædem.* Sic Anno 1543. in obſidione Albæ, cum ſuburbia occuparentur à Turcis, *paucis feſtinatus ad ſalutem receptus profuit, quum per anguſtam ianuam aditus pateret, & Albani nulla fugientium miſericordia permoti muralis portæ pontem ſuſtuliſſent.* & mox: *Reliqua autem multitudo quod portulam occiſorum cadaueribus obſtructam, ac Albanorum malignitate pontem ſublatum videbat, in foſſam præaltis aquis profundam ſe coniecit.* Pantaleon de Ord. Ioannitarum Rebus geſtis Lib. X. Sic apud Moriſot. in Henrico Magno cap. 20. de pugna ad Yuriacum: *Fugere coniuratorum Duces, & ipſe Meduanus rupto interfluentis riui ponte, ſequentes milites hoſtibus tradidit.*

4,16,12. *MISERICORDIA*) Amat hunc ſenſum Curtius, ideoque ſæpius expreſſit. Fecit & Cæſar de bel. Gal. 7, 26. *plerumque in ſummo periculo timor miſericordiam non recipit.*

RIVIS) Sic malui cum paucis. ita mox num. 14. & certe ſi omnibus viis fuiſſet reperire præterfluentem aquam, forte non ita ſitiſſent.

4,16,14. *AVIA*) Mod. *auida*, vnde Acidal. tentabat *arida*, non inepte. nec tamen ipſe vulgatam lectionem damnat; & ego præfero.

4,16,17. *IMPROVIDE*) Facilius omnino ex vulgatis reſcribi *improuida fuga* poterat, quam *fugæ* ipſum penitus deleri. niſi forte, quia *fugientes* iam anteceſſerat, hoc repeti noluerunt. Acidalius. Raderus tamen teſtatur lectionem eſſe MSS. ſuorum *improuide*.

QVIPPE) Haud procul abludit Liuius 29, 32, 10. *amnis ingens fugientes accepit (neque enim cunctanter, vt quos maior metus vrgeret, immiſerant equos) rapiſque gurgite, & in obliquum relati.* Nam interdum, teſte Plin. Epiſt. 6, 16. m. *timorem timor vincit.* Vtque recte notat Marcellin. 16, 26. *nihil cauere ſolet, præter id quod occurrit.*

4,16,18. *ABEVNTEM*) Acidalius ex vulgatis bene reduxit vocalam *impune abeuntem*. illud non erat neceſſarium, expuncto poſt verbum *cauſſatus* ſubſtantiuo, omnia vnam intra periodum redigere.

HEBETIA TELA) Liuius 8, 38, 16. *Iam viris vires, iam ferro ſua vis aderat* & 22, 59, 6. *nec ſuperſumus pugnæ, niſi in quibus trucidandis & ferrum & vires hoſtem defecerunt.* Florus 2, 6, 17. *duo maximi exercitus cæſi ad hoſtium ſatietatem, donec Annibal diceret militi ſuo: Parce ferro.* Lucanus 7, 728.

Cæſar vt Heſperio vidit ſatis arua natare
Sanguine, parcendum ferro, manibusque ſuorum
Iam ratus - - -

4,16,19. *DE LÆVO CORNV*) Non amice ſolum, ſed & prudenHh 2 tur

ter feciſſe hinc iudica Quinctium conſulem, referente Liuio 3, 70, 11. qui collegæ nunciari iuſſit: *victorem ſe iam imminere hoſtium caſtris, nolle irrumpere antequam ſciat debellatum & in ſiniſtro cornu eſſe: ſi iam fudiſſet hoſtes, conferret ad ſe ſigna, vt ſimul omnis exercitus præda potiretur.* Certe eius rei neglectus præſtantiſſimum ducem Iudam, & victoria priuauit, & vita. Macchab. 1, 9, 16.

4, 16, 20. *PERICVLVM)* Quale adiit & Maſaniſſa eo prœlio quo Annibal profligatus eſt à Scipione. Nam, vt tradit in Punicis Appianus, vetus ille belli Imperator, *inter fugiendum conſpicatus conglobatos equites Numidas, accurrit, rogauitque ne ſe deſererent: quo impetato, in perſequentes fecit impetum, ſperans ſe eos in fugam verſurum &c.*

4, 16, 23. *OB IDIPSVM)* Seneca de ira 1, 11. docet eam nuſquam minus vtilem, quam aduerſus hoſtes, licet vulgo contra videatur: idque multis rationibus & exemplis confirmat, quæ cognitu conſideratuque digniſſima, diligentiæ lectoris ex ipſo fonte petenda relinquo.

4, 16, 26. *FINIRE)* *finis inire.* Bongarſius.

XL. MILLIA) Si quis reſcribat *quadringenta M.* haud difficulter aſſentiar. ſic enim à reliquis ſcriptoribus, ipſaque rei magnitudine propius abierimus.

MINVS QVAM TRECENTI) Etiam in prœlio contra Porum amiſiſſe traditur *trecentos equites, peditesque vltra* DCC. quum occidiſſet hoſtium 20000. cepiſſet 9000. Diodor. 17, 89. Sic in victoria Marii de Cimbris apud Flor. 3, 3, 14. *Millia inde ad ſexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus.* Et ſimilia quidem exempla multa paſſim occurrunt, vbi minimo victoris damno, ingentes exercitus conciderunt. Sic in pugna Goſcelini cum Balae, *referuntur tria millia ex eis eſſe interemptorum, qui milites fuerunt: de peditibus autem illorum ignoratur numerus. De noſtris autem, triginta milites ibi perempti occubuerunt: de peditibus vero noſtris ſexaginta fere.* Anno 1124. Fulcherius Carnotens. in geſt. peregr. Franc. Quinquennio ante Rogero principe Antiochiæ cæſo *de tot millibus qui eum ſecuti fuerant, vix vel vnus qui nunciaret euaſiſſet: de hoſtibus vero, vel paucis, vel nemine interfectis.* Willerm. Tyrenſ. 12, 10. de victoria Alexandri ad Cilicias Pylas ſupra 3, 11, 27. relatum eſt. ad Granicum vero cæſis aduerſariorum viginti amplius millibus, quatuor & triginta de ſuis deſideraſſe, apud Plutarch. cap. 26. auctor eſt Ariſtobulus. Athenienſium, duce Miltiade 6400. Perſarum trucidatis, centum nonaginta duos occubuiſſe Herodotus 6, 17. refert. Agathocles cum 2000. ſuorum 30000. Pœnos Hannone duce aggreſſus, tria eorum millia cum ipſo duce interfecit, duobus tantum ex ſuis deſideratis. ſi fides eſt Iuſtino 22, 6, 6. P. Scipio Cn. F. ad 12000. Luſitanorum occidit, de exercitu Rom. amiſſis LXXIII. Liu. 35, 1, 6. Contra Antiochum haud minus feliciter pugnatum eſt, plus 50000. hoſtium cæſis, viginti quatuor equitibus, & 300. peditibus Romanis deſideratis. Liuius 37, 44, 1. & 2. Idem ex Valerii Antiatis auctoritate 36, 19, 13. ſcribit ex regio exercitu 40000. millia cecidiſſe, ſupra 5000. capta, Romanorum autem 150. interfectos fuiſſe. Sylla apud Plutarch. cap. 40. Archelaum ducem Mithridatis, ita cecidit, vt ex viginti hoſtium millib. vix decem millia ſuperfuerint, ex Syllæ vero exercitu vix quatuordecim deſiderati ſint. Ipſi Mithridati Pompeius 40000. milites occidit, non pluribus viginti ex ſuis interfectis. Appian. in Mithridatico. Syllani in Italia ad Canuſium ad 6000. è Norbani exercitu deleuerunt, amiſſis ſuorum duntaxat ſeptuaginta. Appian. de bell. Ciu. lib. 1. Lucullus in prœlio cum Tigrane ſupra 100000. hoſtium occidit, Romanorum vero non vltra centum vulnerati, occiſi autem quinque dicuntur. Plutarch. in vita Luculli cap. 61. *Leonnatus Oritas vicit, cæſis VI. M. ducibusque eorum omnibus: à Leonnati partibus, equitibus XV. peditibus non multis & Apollophane Gadroſiorum ſatrapa,*

pa, deſideratis. Arrian. Ind. 4, 12. Claudius Cof. CXVII. naues, & 20000. virorum amiſit nauali prœlio: Carthaginenſium *non ſolum nemo occubuit, ſed etiam pauci vulnerati ſunt.* Diodor. 24, 1. Ælius Gallus in expeditione Arabica plus 30000. hominum varie cæſis, non amplius ſeptem ex ſuis amiſit. Strabo lib. 16. Cæſar de bel. Ciu. 3, 97. ſcribit in prœlio Pharſalico *ſe non amplius CC. milites deſideraſſe: ex Pompeiano exercitu circiter millia XV. cecidiſſe.* Idem de bel. Gal. 4, 15. cum inter Moſam & Rhenum Germanos cecidiſſet; Romani *ad vnum omnes incolumes, perpaucis vulneratis, ex tanti belli timore, quum hoſtium numerus capitum DCXXX. millium fuiſſet, ſe in caſtra receperunt.* Idem in Hiſpania Labienum, Attiumque Varum cum 30000. & amplius hoſtium occidit, amiſſis de ſuo exercitu *ad hominum mille, partim peditum, partim equitum.* Hirt. de bell. Hiſp. cap. 32. *Spartacum conantem erumpere vt Samnium peteret, Craſſus repreſſit, cæſis mane ſex millibus, nec paucioribus ſub veſperam, tribus tantum è ſuis amiſſis, ſeptem ſauciis.* Appian. de bell. Ciu. lib. 1. f. *Sexta feria, prid. Idus Auguſti menſis commiſſum eſt prœlium à 20000. Chriſtianorum aduerſus 300000. Gentilium, Saracenorum, Arabum, Publicanorum, Mauorum de terra Æthiopiæ. Quorum 30000. in aperta camporum planicie ceciderunt, nobis retulerunt, qui in eodem certamine præſentes affuerunt: præter 2000. ſuffocatorum & occiſorum in porta vrbis; & abſque his, qui armorum pericula vitare exiſtimantes, vndis abyſſi maris ſubmerſi ſine numero perierunt. Nulli vero Chriſtianorum viri nomina, ſi illic ceciderunt, præter paucos pedeſtris vulgi, vt procul dubio à veridicis fratribus compertum eſt.* Albertus Aquenſis Hiſt. Hieroſol. 6, 50. In victoria Marcelli de Annibale ad *Nolam quidam auctores ſunt, 2300. hoſtium cæſos: non plus vno Romanos amiſiſſe.* Liuius 23, 16, 15. Tradit Auguſtin. de Ciu. dei 10, 7. *Obuios hoſtes tranſiuitque prohibentes atque praliantes, orante Moyſe, manibusque eius in figuram crucis extenſis, nullo Hebræorum cadente proſtratos.* Sub Q. Petilio Coſ. *ad 5000. Ligurum occiſa: ex Romano exercitu duo & quinquaginta* ſcribit Liu. 41, 18, 11. eodem 30, 35, 3. ex Polyb. 15, 14. tradente in pugna cum Annibale, Scipio 2000. amiſſis ſupra 20000. hoſtium occidit, tantundem fere cepit. L. Furius in agro Cremonenſi ſupra 35000. Gallorum cecidit & cepit, *Romanorum ſociorumque ad duo millia ceciderunt.* Idem 31, 21, 15. Iulianus Cæſar occidit 6000. Alemannorum, *& inæſtimabiles mortuorum acerui per vndas fluminis ferebantur,* amiſſis Romanis CCCXLIII. Marcellin. 16, 34. Anno 1587. menſe Auguſto, Georgius comes Zerinius Turcarum 5000. cum ſuorum 2000. aggreſſus, ad duo fere millia hoſtium concidit, ex ſuis deſiderauit dumtaxat vndecim. Leunclau. in ſupp. Annal. Turc. Archidamus inſignem ex Thebanis victoriam reportauit, nullo penitus ſuorum amiſſo. Xenoph. rer. Græc. lib. 6. Heraclius Imp. cum Razaſtem Perſam vinceret, maiorem exercitus eius partem vna cum ipſo duce peremit. *de Romanis ceciderunt L. ex quibus decem mortui ſunt.* Cedrenus. Vbi tamen pro *interea ceciderunt* dubito ponendum eſſe verbum, quod ſonet *vulnerati ſunt:* ſi quod reperiatur haud procul ab hac ſcriptura recedens. *Claudius dux Luſitaniæ cum CCC viris LX. millia ferme Francorum noſcitur infugaſſe, & maximam eorum partem gladio trucidaſſe.* Accidit id Anno VII. Mauricii Cæſaris. Ioan. Abbas Biclar. in Chronico. Arnolphus Imp. cecidit Normannorum 100000. vix vno ſuorum alteroue deſiderato. Hondorf. Promptuar. ad Præcept. III. ex Helmoldo, Sigeberto & Reginone. Hannibal ad Traſimenum Rom. 25000. occidit, 5000. cepit, ſuorum 2000. amiſſis. Hiſtor. Miſc. 3, 8. Ad Cannas amiſſis 3000. ſuorum, (ſi fides Hiſt. Miſc. 3, 9. nam Liu. 22, 52, 6. 8000. ponit) 44000. Rom. interfecit. Contra Scipio in Africa *cum 4500. militibus* 11000. *Pœnorum occidit.* Hiſt. Miſc. 3, 18. Et ibid. 4, 7. 20000. de exercitu Perſei occiſis, P. Æmilius centum milites amiſit. Plutarch. Æmil. cap. XXXVI. ſupra 25000. hoſtium millia ſcribit occiſa, Romanos centum, vel vt Naſica ſcripſerit, octoginta. Obſeruandum autem quod in Hiſt. Miſc. 4, 2. ad-

notatur, Philippo per Flaminium victo, Polybium 8000, cæsorum, Valerium 40000. Claudium 32000. tradidisse. vbi eleganter subiicitur: *Sed hæc varietas scriptorum vtique fallacia est. Fallaciæ autem caussa profecto adulatio est, dum victoris laudes accumulare, virtutemque patriæ extollere, vel præsentibus, vel posteris student. alioquin si inquisitius non fuisset numerus, qualiscumque fuisset expressus. Quod si gloriosum est & duci & patriæ, plurimos hostium peremisse, quanto magis lætum patriæ & ducibus beatum potest videri, suorum vel nullos, vel paucissimos perdidisse? Ita lucidissime patet, quia simili impudentia mentiendi, qua occisorum hostium numero adiicitur, sociorum quoque amissorum damna minuuntur, vel etiam omnino reticentur.* Quæ verba, iudicio sane non incepto, sunt Orosii 4, 20.

4, 16, 27. *VIRTVTI SVÆ)* Plutarchus de fortuna Alexandri duobus voluminibus ostendit, Alexandrum semper aduersa vsum fortuna, quam sola virtute vbique superarit, contra, quam multi, non bene, senserunt. Ælianus [immo Polyænus 4, 3, 5.] stratagemate Alexandri superatum ait Darium. *Alexander*, inquit, *cum Dario signa collaturus, præceptum dedit Macedonibus: vbi in Persarum conspectum venerint, procidentes in genua terram manibus converite. Vbi vero tubæ signum dederit, tum consurgentes strenue & fortiter impetum in hostes facite. Macedones ita fecerunt. Persæ formam adorationis conspicati, incitatum ad bellum impetum remiserunt, animisque facti sunt mollicres. Darius gloriabatur & gaudebat se absque prælio victoriam obtinere. Macedones ad signum tubæ exilientes vehementi impetu in hostes feruntur, & rupta phalange in fugam conuertunt.* Raderus. In extremis verbis Polyæni pro τῷ φάλαγγα ῥήξαντες rupta phalange, legerim, τῇ φάλαγγι phalange rumpentes. Macedonibus enim haud dubie phalangem tribuit, vt eiusdem cap. num. 16.

4, 16, 28. *PRO VICTORE)* Docet Onosander cap. 23. strategici; *Vile esse in ipso conflictu Imperatorem fausta & læta militibus inclamare, etsi ea falsa sunt.* Excitantur enim ea ratione animi, & vires pugnantium bona spe geminantur. Fecit id hoc in conflictu Parmenio supra 4, 16, 5. Idem narrat Liuius 10, 41, 10. de Papirio consule, *clamitante inter prima signa, ita vt vox etiam ad hostes accideret: captum Cominium; victorem collegam adesse: anniterentur vincere prius quam gloria alterius exercitus fieret.* Inprimis memorabilis est locus eiusdem auctoris 2, 64, 5. *Romani gradum retutissent, ni salubri mendacio consul* (T. Quintius) *fugere hostes ab cornu altero, clamitans, concitasset aciem: impetu facto, dum se putant vincere, vicere.* Adde eundem, 3, 61, 6.

4, 16, 31. *DVCES)* Arrian. 3, 3, 11. Diodor. 17, 61.

4, 16, 32. *ET REGEM)* Æque rotundum illud Ciceronis vltima Philippica: *dignus Imp. legione, digna legio Imperatore.* Virdungus ad illa Taciti Agr. 33, 4. *Neque me militum, neque vos ducis pœnituit.* Libanius in Epist. ad Marcellin. κἀγὼ σὲ ζηλῶ τὸν Ῥώμῃ ἔχειν, κἀκεῖνῳ σὲ οἱ &c. quod sic vertit Valesius in præfat. edit. Marcellini: *Et tibi quod Romæ es gratulor, & Romæ quod te possidet.* &c.

5, 1, 1. *QVÆ INTERIM)* Narrata Curtio à pr. lib. sexti; nunc maiori ex parte temporis iniuria deperdita.

5, 1, 2. *HAVD PAVLO APTIVS)* *Historicam enim narrationem perpetuo veluti filo ductam & colligatam oportet esse; præsertim vbi res exponuntur & multæ, & eiusmodi quæ cognosci ac percipi non facile queant.* Dionys. in iudicio de Thucyd. Hist. vbi toto cap. 9. & 10. hoc ipsum rationibus exemplisque pulcherrimis luculenter ostendit. Atque ita Ezechielis cap. 29. & 30. connectit D. Hieronym. *Quia*, inquit, *de Ægypto & superior, & hæc quæ nunc dicitur prophetia contexitur, licet diuersis sit facta temporibus: tamen quia de vna prouincia prophetantur, iunctæ sibi sunt.* Obseruauit idem Suetonius Ner. cap. XIX. Eusseb. de vita Constantini 3, 23. Simocatta 1, 9. Buchanan. lib. XII. in histor. Saracen. Elmacinus 2, 19. *Gesta autem sunt hæc pleraque post hunc annum, & propter filum orationis hic solum à nobis tacta, ne dispergantur.* Item 3, 5. *Atque hæc omnia, licet quædam eorum annum hunc transgrediantur, hic commemorauimus propter filum historiæ.* Adnumerabimus his Surium in Comment. Anni 1556. in historia Georgii Dauidis, & Leunclauium in suppl. Annal. Turc. ad An. Chr. 1584. *Expositis hactenus continua serie Persicis rebus, nunc subiicienda quædam veniunt: quæ licet ad superiores annos pertineant, tamen huc referre maluimus, ne belli memorabilis series interrumperetur.* Quæ res quod incommodum habeat, exponit Marcellin. 26, 12. his verbis: *Quia igitur vno eodemque tempore vtrobique turbines exarsere mœstissimi, competenti loco singula digeremus, nunc partem in Oriente gestorum, deinde bella barbarica narraturi: quoniam pleraque & occidentali, & in Eoo orbe iisdem mensibus sunt actitata: ne dum ex loco subinde saltuatim redire festinamus in locum, omnia confundentes, squalidiusque maxima rerum ordinem implicemus.* Imitatus, vt suspicor, Sisennam apud Nonium in verbo *Saltuatim*: *Nos vna ætate in Asia & Græcia gesta literis idcirco continentia mandauimus, ne vellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.* Et prudentissimus Tacit. 12, 40, 8. *Hæc, quamquam à duobus proprætoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne diuisa haud perinde ad memoriam sui valerent.* Item 13, 9, 5. *Quæ in alios consules egressa coniunxi.* Sic & Velleius 1, 14, 1. agnoscit: *quod facilius cuiusque rei in vnum contracta species, quam diuisa temporibus, oculis animisque inhæreat.* Itaque Eusseb. in Histor. Ecclesiast. procemio merito sperat, gratum fore, quod aliis σποράδην, *sparsim* memorata, vnum in corpus redegerit. Hinc intelligenda *series dilata gestorum* apud Marcellin. 29, 1. f. Vide & notam nostram ad ista Flor. 2, 19, 5. *Quæ etsi iuncta inter se sunt omnia atque confusa: tamen quo melius appareant, separatim proferentur.* vbi Sisennæ locum aliter accepi quam oportuit.

5, 1, 3. *MEDIA FERE NOCTE)* Ingens certe spatium intra paucas horas emensus, milliaria German. 18. cum triente: 600. quippe stadiis Arbela distant à Gaugamelis, vbi prœlium est factum; vti supra docuimus. Raderus.

5, 1, 5. *BELLO &c. REPARAT)* Acidal. malebat; *belli vires &c. repetiturum*, fretus simili Curtii loco, quem considerabimus, volente DEO, infra 5, 10, 4.

5, 1, 8. *NON SPECIOSA DICTV)* Sic Lipsius Polit. 4, 13. vult Principem, alto quidem splendidoque ingenio: sed tamen (ex Agric. Taciti 8, 1.) *eruditum vilia honestis miscere*, quod mireris in Stoico, illi enim recte sentiebant, *sola honesta esse vtilia.* quod nos Christiani certissimis diuinæ scripturæ rationibus eruditi, vtinam tam firmiter crederemus, quam certum esse indubitatis argumentis nouimus. Egregie tamen in viam redit Lipsius in fine dicti lib. quarti. Illud iam *honestum* appello, quod vnum ita est, non quæ videntur, vt sunt fere omnia ὅσα δὴ (verbis Dionys. Longini) ἔχει πολὺ τὸ ἐξαγγελτικὸν προσπαγὲς ἀμεινον. Non igitur insipienter Cicero Philipp. 2, 15. *incolumitati ciuium primum, & postea dignitati*; quo tempore Pompeius *præsumti dignitati potius, consulebat.* Nec Athenienses, quibus *imminente periculo belli, maior salutis quam dignitatis cura fuit.* Iustin. 5, 3, 4. vbi similia quædam notauit Amanuiss. Socer meus. Quibus addi possunt Liuius 22, 3, 3. vbi narrat punitam Flaminii temeritatem atque superbiam, ferox consilium sequuti, licet *ceteris omnibus in consilio salutaria magis, quam speciosa suademibus.* Apud eundem 23, 14, 2. M. Iunius dictator, *ad vltimum prope desperatæ Reip. auxilium, quum honesta vtilibus cedunt, descendit.* Sic enim lego. male, quisquis adtexuit vocem *equo.* Velleio quoque 2, 113, 3. laudatur Tiberius *vtilia speciosis præferens.* Quod plerumque fecerunt qui alios vincere volebant, non qui se. Quare meritissimo præconio Folieta in coniuratione Fliſci, celebrat Octauianum.

uianum Fregosum, quod expugnata arce, quam cohibendis Genuensibus, loco longe munitissimo exstruxerat Ludouicus XII. Gallorum Rex, quum opprimendæ patriæ certissimum haberet instrumentum, *neque deessent auctores speciosis consiliis vtilia anteferendi, tanta tamen in Octauiano fuerit animi celsitudo; itaque Patriæ charitatem omnibus rebus prætulerit, vt arcem è vestigio demolitus sit.* Splendide T. Quintius apud Liu. 34, 57, 6. *honesta aut sola aut prima pensari decet* magnis populis ac regibus.

VRBIVM TECTIS) Oblique adludit probatam Themistocli sententiam, *patriam municipes esse, non mœnia; ciuitatemque non in ædificiis, sed in ciuibus positam.* Iustin. 2, 12, 14. vbi Socer meus, & Gruterus ad ista Liuii 1, 8, 6. *ne vana vobis magnitudo esset.* Quibus iunge Appianum de bell. Ciu. lib. 1. in oratione Pompeii vrbem deserentis. Atque in oratione Augusti Dio lib. 56. Vt sic intelligas verum esse quod apud Aristidem tomo 3. Orat. 2. legimus: *Themistoclem comprobasse dictum, quod cum Alceus protulisset olim, multi postea vsurparunt: non lapides, nec ligna, nec fabrorum artem ciuitates efficere, sed vbi viri sint, qui seipsos seruare norint, ibidem & vrbes esse & mœnia.*

IN PRINCIPIO RERVM) Non bene, qui putat hic esse sermonem de exitio Cyri. item de cladibus Cambysis, Darii, Xerxis. hæ enim nec in principio rei Persicæ acciderunt: illud quem tetigit, pristinam fortunam haudquaquam reparauit. Plane adspicit initia Persarum, cum post victoriam de Medis, Harpagi transitione partam, ab Astyage susi, mulierum contumelia pudefacti, resumpsere certamen. Vide Iustinum 2, 6, 10. &c. Sic & Romanos in omnibus magnis bellis victos viciſſe Liuius alicubi adfirmat. Idem 21, 1, 3. adserit secundo bello Punico Martem adeo ancipitem fuisse, *vt propius periculo fuerint, qui vicere.* Sed & primo bello Punico plus damni sustinuisse Romanos probat Polybius 1, 63.

5, 1, 9. *IMPERIVM MAGIS)* Consilium seiungitur ab imperio. Liuius 1, 29, 5. *Nec imperium illud meum, sed consilium & imperij simulatio fuit.* Et lib. 6. *Sed imperium quam consilium segnius fuit.* & lib. 22. *Non imperio modo, sed consilio etiam ac prope precibus agens.* Clapmar. arcan. 1, 10.

5, 1, 10. 4000. *TALENTVM)* 2400000. aureorum Rhenanorum, proxime ad nostri numismatis mensuram: Diodor. 17, 64. 3000. talenta habet: id est, aureos nostrates 1800000.

PRECIOSÆ VESTES) Vir Eruditus Aduersar. 52, 16. malebat *preciosæ vis vestis.* Cui adsentior apud auctores sæpius reperiri singulari numero *vestem*, sed si id sequamur in Curtio, sufficerat legi *preciosa vestis.* vt apud Ciceron. Philipp. 2, 27. *maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, preciosa vestis, multa & lauta supellex &c.* Item in Verrem 1, 10. *argenti, vestisque stragulæ quod fuerit, curasse auferendum.*

SVPRA) Nisi me memoria fallit, fefellit Curtium, si tamen ab ipso hæc parenthesis. Nihil enim tale supra, quod sciam. Immo contra *maiorem sarcinarum commeatuumque partem* apud Arbela relictam supra 4, 9, 9. scripsit. Forte tamen capias de alio loco 4, 9, 2. vbi legis omnes Darii copias Babylonem fuisse contractas, vt ex ipsa re coniicias, quod expresse non est additum, ibi potissimum relicta fuisse impedimenta.

5, 1, 11. *ODOR &c. VVLGAVERAT)* Odor aërem infecerat, haustus aër viscera: ita propagata lues, vt solet in pestilitate. Proinde magna semper ratio habita est, vt castra à sordibus essent pura. quod in sacris paginis à Domino exercitium Mosi præceptum est. Et Vegetius 3, 2. *Si autumnali æstiuoque tempore diutius in iisdem locis militum multitudo consistat, ex contagione aquarum & odoris ipsius fœditate vitiatis*

tiatis haustibus, & aëre corrupto perniciosissimus nascitur morbus, qui prohiberi non potest aliter, nisi frequenti mutatione castrorum. Raderus.

EVNTIBVS) Sequuti sumus pristinam scripturam, qualis nimirum fuit, priusquam interpolaretur à Modio. Est enim locus hic à librariis & criticis varie agitatus. Horum primo Glareanum ablego, qui pro *Arabia*, substituerat *Aturiam.* Sed enim in ipsa Aturia prœlium ad commissum fuisse, ipse quem Glareanus citat, Strabo à princ. lib. 16. tradidit. Deinde apponit: certissima Arabiæ nota, *odorum fertilitate nobilis regio.* Nec placet, quod alii seiungunt ab inuicem hunc sensum *Euntibus campestre iter est.* Dicitur enim sicut in Testamento Caroli M. *quicquid inde Romam pergenti ad leuam respicit.* Item quod simpliciter dicto *Euntibus*, nec designato loco quo, vel qua eant, statui non possit quid læuum dextrumue sit. Taceo iam quod de *itinere* noue dicatur *vber esse.* Quæ ratio mouit Barthium Aduersar. 52, 16. vt rescribendum crederet, *Eunt. à parte læua Arabiam (odorum f. n. r.) campestre iter est. Inter &c.* quam equidem lectionem (nisi mancus sit hic locus) proximam esse veræ arbitror: ne enim omnino veram putem, vnum obstat, quod repugnat locorum situs. In quo tamen quid prohibet ertasse Curtium? nonne erranit & in aliis locorum descriptionibus? Et certe errori ansam præbere potuerit, quod auctores in ipsa Mesopotamia collocant Arabum gentem. Virum Doctum qui sic faciebat: *Campestre iter est int. Tig. & Euphr. Lætitia tam vberis &c.* vt *Lætitia* Curtio sint κατ' ἐξοχὴν, pascua siue fundi, merito non admittit Sebisius.

5, 1, 12. *A PASTV REPELLI)* Ridere sane libet, quoties auctores Latini terræ fecunditatem commendant, quod à pastu pecora repelli dicantur, ne satietas perimat: quasi pecora per se ipsa nesciant cibi modum, in quantumuis pingui regione. Vtinam multi mortales tam probe nossent sibi temperare. Pomponius Mela de Hybernia simile quiddam scripsit: *est adeo luxuriosa herbis non lætis modo, sed etiam dulcibus, vt se exigua parte diei pecora impleant: & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant.* Glareanus. Adde Iustin. 44, 4, 14. de parte, nescio qua, Hispaniæ: *In hac tanta pabuli lætitia est, vt nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur.* In nota ad eum Iustini locum dicitur Curtius idem scripsisse de Arabia: nempe decepit Virum Optimum corruptum, seu mauis correctum à Modio exemplar. Nec enim dubium esse potest, quin id dixerit Curtius de terra interamna, fluminibus Tigri & Euphrate intercepta, quod Arabiæ certe non congruit.

PROPTER VENAS) Si hæc communi significatu accipias, aptior certe est lectio Aldinorum & aliorum Vett. Codd. approbante etiam C. Barthio 52, 16. Aduersar. *per venas.* Sed nempe aliud latet. *propter* hic significat idem quod iuxta, siue prope. quomodo apud Tacitum in Indice plura loca notauimus. Sic igitur distinguendum, legendumque: *toto solo propter, venis aquarum resudante.* nam & postponi solere particulam istam, itidem ex vno itemque altero Taciti exemplo cognosces. Apulei. Metamorph. lib. IX. *feruuli cubiculum propter adstantes.*

5, 1, 13. *DIVORTIO)* Eodem enim fonte scaturientes postea diuortium faciunt, quod nemo potest, nisi qui antea vna fuerunt. Diuortium est interuallum amnium profluentium. *Sallustius*, inquit Seruius ad Æn. 3. *certissimus auctor asserit Tigrin & Euphratem vno fonte manare in Armenia, qui per diuersa euntes longius diuidantur. spatio medio relicto multorum millium, quæ tamen terra, quæ ab ipsis alluitur, Mesopotamia dicitur.* [Hoc non exstat in Seruio, sed Sen. nat. quæst. 7, 8. Fefellit Raderum, quod in Editione Sallustiana Gruteri, huic fragmento statim subiicitur nomen Seruii ad Æn. 3. Sed nimirum illud lemma ad sequens fragmentum, quod ibi ex Seruio recitatur, pertinet.] Diuersis tamen fontibus nasci plerique alii tradidere. Soli

nus cap. 40. Eustath. ad Dionys. vers. 985. *Fontes autem horum duorum fluminum aiunt inter se distare* 1500. *stadiis.* Raderus.

DVO MILLIA) Ex modo relato Eustathii loco, emendari Curtianum hunc volebat Raderus, vt pro 2500. stadiis 1500. rescriberentur. Sed videntur conciliari posse scriptores hi: cum Eustath. loquatur de distantia fontium, Curtius de diuortio ipsorum fluminum, qua longissime inuicem discedunt.

5, 1, 14. *MEDIÆ)* Tigris & Euphrates Mediam nusquam attingunt, tantum abest vt secent. Ergo pro *Mediæ* legam *Armeniæ*, & pro *Gordianorum, Gordiæorum*. Neque id temere, siquidem præcipuos in Geographicis viros audire voluerimus. In hoc sane auctore multa temere corrupta videntur, maxime vero in Geographicis. Sero nimis, docti ei adhibuere manus. Glareanus. Sic equidem credebam animo, recte sentire Glareanum, & ipse iam vocem *Mediæ* mutaram in *medias terras*, nempe Gordyæorum. sed cum locum diligentius inspicerem, & reuoluerem auctores, dispiceremque, falli Glareanum deprehendi, qui nusquam ab Euphrate & Tigri Mediam attingi putat. Diodorum audiat scriptorem antiquissimum & doctissimum qui 2, 11. ita tradit: *Post Nilum & Gangem, totius prope Asiæ nobilissimi amnes sunt Euphrates & Tigris, ac fontes suos habent ex Armeniæ montibus: distantque à se inuicem stadia* 1500. *Ac per Mediam Paratacenamque delati, Mesopotamiam ingrediuntur.* Raderus.

5, 1, 15. *VICINI)* Ita lege, scribe, doce, non vt Modius, *vicina*, nam de animbus agitur, & perpetuatur oratio, vt vere notauit Acidalius. Raderus. Sed & quod sequitur *campis* perperam mutarunt quidam in *campi*. sensus est, amnes hos postquam diu in diuersum ierint, sensim deinceps iungi, sed in Mesopotamiæ campis (sextus enim casus est) maxime sibi vicinos esse: *Tandem* (sic putem mox legendum, non *Idem*, vt putabant Acidal. & Rad. minus etiamnum *Eadem*, vt ceteri) *per Babyl. fines in rubrum mare prorumpere.*

MEDIAM) *Mediam* hic adiectiuum est, non substantiuum: vt intelligatur, terra hisce inclusa fluminibus. Glareanus. Porro eandem nominis huius rationem tradiderunt Strabo lib. 16. Diodor. 2, 11. & 18, 6. Philostr. de vita Apollon. 1, 14. Dio lib. 35. Arrian. 7, 2, 2. Tacit. 6, 37, 5. Est autem *Mesopotamia* Græcum nomen, quo illi appellarunt istam regionem, siue ab ipsis incolis vocabulo idem significante vocatam; siue alio quocunque. Alexander Imp. latina voce reddidit, apud Lamprid. cap. 56. *Terras Interamnas*. Fuit & Interamna ciuitas Italiæ, simili de caussa sic nominata.

5, 1, 16. *MENNIN)* Alii *Memnium*, Modii editio *Memnim* leg. *Memnonis vrbem*, vel *Memniam* [forte *Memnoniam*] *vrbem*. vt Strabo lib. 17. Loccenius. Strabo tamen non in hac orbis parte collocat, vbi tum Alexander egit. Quæ caussa est cur nec Ortelio adsentiar legenti, *Memnonium*. Putes autem *cauernam* quam vrbi illi tribuit Curtius, adscribere Plutarchum cap. 64. *Ecbatanis*. Nisi forte ibi legendum *Batanis*. hoc enim nomine locum iuxta Euphratem adgnoscit Stephanus. quamquam & duplicia *Ecbatana* prodat, altera Syriæ, altera Mediæ, quorum hæc quidem huc non pertinere constat. de illis etiam merito non creditur, cum in Syria collocet. Vide ipsum in Ἀγβάτανα. Interim sciendum est, non de eadem vtrumque caucrna loqui. Plutarchus enim de cauerna narrat, vbi *naphtha* nascatur: Curtius, vbi *bitumen*. non idem autem vtrumque, præterquam quod expresse tradit Plutarch. *naphtham similem esse bitumini*, ex eo potest intelligi, quod bitumen id adhibitum fuerit solidandis Babyloniorum mœnibus; ad quod naphtha, cuius natura est, vt facilime flammam rapiat, ineptissima fuisset. Bitumen autem illud non vno certo loco, sed *illis locis passim exæstuare* Iustin. 1, 2, 7. tradit. De muris Babyloniis mox videbimus, DEO volente.

5, 1, 17.

5, 1, 17. *VRBEM)* Deditam Alexandro fuisse Babylonem consentiunt conscisciuntque Plutarch. Alex. cap. 64. Arrian. 3, 3, 16. & Diodor. 17, 64. Contra quorum concentum parum mihi fidus est Frontinus 3, 7, 4. quem, vt opinor, fugit memoria, cum scriberet auerso flumine, Alexandrum per exsiccatum alueum introiuisse. Vitio, inquam, memoriæ tribuit Alexandro, quod de Cyro legerat apud Herod. 1, 191. & Xenoph. lib. 7. *mæd.* vbi notabis obiter quod apud Euseb. Berosus lib. 3. scribit Nabuchodonosorum prospicientem id accidere posse, magnis operibus præcauere voluisse. Sed & Patricius de Repub. 8, 4. solenne peccat arbitratus quod Aristot. Polit. 3, 3. scripsit: capta Babylone, nonnullos ciues id post tertium demum diem resciuisse, ad Alexandri tempora pertinere. cum id iam olim sub Cyro euenerit, vt ex Herod. 1, 191. colligo.

5, 1, 18. *EXEMPLO)* Liuius 22, 22, 21. *Abelox vir prudens haud frustra videbatur socios mutasse. itaque ingenti consensu ad defectionem omnes spectare &c.* Similima sunt, quæ de Q. Metello Sullæ partes optante scripsit Dio in Excerpt. Vales.

CVM LIBERIS) Vetustiores; *cum liberis eius.* id *eius*, nuper eiecerunt. quod nollet factum scriptor Aduersar. 52, 16. qui corruptam eam vocem autumat potius, quam spuriam. Sicque tentat, *cum lib. geminis.* sed pace Viri doctissimi, nimis abit hæc lectio à vestigiis scripturæ, sed & ipsa phrasis est horridula. Ego potius nihil mutem, aut leuiter: *cum liberis suis.*

5, 1, 19. *QVADRATO AGMINE)* Sic fieri solet vbi metus periculi. Curtius &c. Verum de hoc quadrato agmine nos plura exempla ad Liuium, ad Tacitum. Sic contra apud Cæsarem de bel. Gal. 5, 31. *Prima luce sic ex castris proficiscuntur, vt quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo Ambiorige consilium datum, longissimo agmine, maximisque impedimentis &c.* Gruterus ad ista Ammiani 24, 1. *metuens ne per locorum insolentiam, insidiis caperetur occultis, agminibus incedere quadratis exorsus est.* Marii quoque circumspectam diligentiam in itinere faciendo commendat Sallust. Iugurth. cap. 45. & Marcelli Liuius 24, 35, 7. *agmine ad omnes casus composito ibat.* Idem 21, 34, 4. de Hannibale: *obsidibus quos dabant acceptis, & commeatu, quem in viam ipsi detulerant, visus: nequaquam, vt inter pacatos incomposito agmine ducs eorum sequitur.* Ammian. 31, 47. de Gothis: *formas quadratorum agminum insidiarum metu seruantes, ire ocyus festinabant.* Idem & Saracenis tribuit Leo in Tacticis 18, 119. & 120.

IN MVRIS) Qui totam etiam ciuitatem capiebant, tam lati erant, vt infra mox demonstrabimus. Raderus. Eiusmodi spectandi studium exprimitur in illis Martialis 10, 6.

Quando erit illa dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru.

Socrates histor. Eccl. lib. 6. cap. vlt. *cuncti circa oratorium habitantes, volentes Imperatorem videre, currebant &c.* Claudian. de 3. consul. Honorii vers. 126.

Quanti tunc iuuenes, quantæ sprenere pudorem
Spectandi studio matres, puerisque seueri
Certauere senes - - -

Plinius Panegyr. 22, 2. *Non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes &c.* Quos egregie imitatus est Vir dignationis doctrinæque præcipuus, Henr. Sauilius in dedicatione Chrysostomi, ad Iacobum Magnæ Britanniæ Regem: *Cum finibus nostris, tanquam salutare sidus post naufragium affulsisses, Deus immortalis, qui concursus è regionibus finitimis, longinquis, ex agris, vicis, domibus, spectandi tui causa! qui plausus,*

clamores, exultationes omnium ordinum, ætatum, hominum! omnes obsessæ semitæ, omnes angustiæ obseptæ, vt tuos vultus intuerentur. non fœminas domi pudor continuit, non viros domestica aut forensis occupatio, non pueros ætas, metus, magister, prohibere potuerunt. floribus constratæ viæ, aulæis contecta oppida: vt non à porta ad Capitolium, sed ab vltimis regni finibus vsque ad regiam vrbem perpetuus quasi triumphus, non de victis hostibus; sed ciuibus conseruatis agi videretur. & quæ ibi sequuntur. Ardentissimum autem sanctissimumque spectandi studium in Zachæo describit Lucas Eu. 19, 1. Confer cum dictis & Liu. 30, 45, 2. & 31, 14, 11.

5, 1, 20. *PECVNIÆ CVSTOS)* Habebant enim Persarum reges in singulis prouinciis Ærarium Ærariique præfectos. Et ita Curtius &c. Extat Darii epistola apud Ioseph. 11, 4. qua sumptus ad templi Hierosolymitani constructionem, ἐκ τῶ βασιλικῶ Γαζοφυλακίε τῶ φόρων τῆς Σαμαρείας, *ex regio ærario tributorum Samariæ*, suppeditari mandat. Apud eundem Ioseph. eiusdem lib. cap. 5. Xerxes Esdræ præberi iubet sacrorum sumptus ἐκ βασιλικῶ Γαζοφυλακίε. *Eaque de re scripsisse se Præfectis ærarii per Syriam & Phœnicem.* Sic & Esdræ cap. 7. ab Artaxerxe Edictum ad omnes qui thesauris suis, trans flumen, præpositi erant, emissum, vt quicquid ab eis Esdras postulasset, illico præstaretur. Strabo lib. XV. Persarum Reges, licet Susa valde ornassent, nihilominus etiam coluisse Persepolin, & Pasargada scribens, addit, illic, Gazam & Thesaurum Regum fuisse. Pasargadis quoque, *Cyri prioris thesauros* reconditos Arrian. 3, 4, 7. scribit. Pecuniæ ergo quæ thesauris inferebantur, Custodes habebant, qui Γαζοφύλακες vocantur à Iosepho 11, 1. & 4. & Γαζοφυλακῦντες à Diod. Sic. lib. 17. *Regiæ pecuniæ custodem* vocant Æmilius Probus in Datame, & Q. Curtius. Vetus Bibliorum interpres, in Esther cap. 3. *Arcarium Gazæ* vertit. Ex Brissonio lib. 1. de regno Persarum p. 120. Cui adde Strab. lib. 15. Gazophylacii vocem crebro vsurpatam exhibent Concordantiæ Bibliçæ.

FLORIBVS CORONISQVE) Persis moserat; floribus & odoribus vias quibus Rex incedebat sternere. Herodot. 7, 54. de ponte quo Xerxes Hellespontum continenti iunxit; *omnis generis odores in pontibus congerentes, ac myrto iter consternentes.* Curtius &c. Sed & pro lætitiæ publicæ argumento coronis & floribus vias stratas fuisse Herodot. 8, 99. ostendit. Nam cum nuncius Susa de captis ab Xerxe Athenis esset allatus: *Ades*, inquit, *nuncius relictos ibi Persas affecit, vt vias omnes myrto sternerent, odoresque vicatim incenderent.* Brisson. lib. 2. pag. 271. Eundem morem aliis quoque gentibus fuisse apparet ex citatis Casaubono in Sueton. Calig. 13, 2. Cicer. in Verrem 4, 35. & Ammian. 21, 17. quibus Bulenger. de Imperat. Rom. 3, 8. adiicit Tacit. H. 2, 70, 3. Sueton. Neron. 25, 3. Ioseph. 8, 11. Xiphilin. in Seuero. Athenæum ex Herodoto, Dionem in Nerone triumphante, & Tiridati diadema imponente, Gregor. Nazianzen. Steliteut. 2. contra Iulian. Eumen. in Paneg. Constantin. pro Flauiensib. cap. 8. Nicetam lib. 3. de Manuele Antiochiam ingresso. Raderus hinc quoque deducit morem, quo in festo, quod corporis Christi vocant, viæ omnes qua pompa incedit, flore virentique herba conspergantur. Idem obseruauit locum Ouidii Trist. 4, 2, 49.

Quaque ibis manibus circum plaudere tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias. & de Ponto 1, 2.
Quaque ierit felix adiectum plausibus omen,
Saxaque iactatis erubuisse rosis.

Quamquam hæc potius ad iactos flores, quibus adspergebantur bene meriti, aut quibus is honos habebatur, pertinere videantur. Quo de more multa reperies apud Casaub. & Bulenger. locis citatis, sed & ad Florum 2, 7, 14. olim exempla nonnulla collegimus. quibus addi potest Arrianus 6, 2, 28. & apud eundem Indic. 6, 15. & 7, 12. legitur

gitur *Nearchus, sertis ac floribus ab omni exercitu petitus.* Sed hic scilicet honor, licet ingens, minor tamen erat eo, quo publico iussu viæ, qua honorandus venturus esset, consternebantur: nam hic singulorum magis affectus spectabatur. Porro apud Bulengerum reperies etiam viam nonnunquam *croco*; vt in fragm. Sallustii 2, 2, 2. alias *aurosa arena*, quin & ab Heliogabalo *scrobe auri atque argenti* fuisse stratam.

ALTARIBVS) Fœdæ sed veteris adulationis morem primus, quod sciam Lipsius adnotauit ad Tacit. H. 2, 70, 3. ex Iustino 24, 3, 4. Valer. Max. 9, 1, 5. Cæsare de bel. Gal. 8, 51. Sueton. Calig. 13, 2. & Galb. 18, 2. Plinio panegyr. c. 23. Item alio paneg. ad Maximianum cap. 6. Quibus addit Casaubonus ad Sueton. locum in Calig. & in Athenæum 6, 15. Ciceron. in Verrem 4, 35. ex quo probe colligit honorem eum diis suis primitus habuisse homines, cum imagines eorum transferrentur: postea translatum ad principes ostendit ex Plutarcho in Dione c. 37. Itemque Suetonio Aug. 98, 2. Appian. de bel. ciu. lib. 5. Philostrat. 5, 9. Iterum superioribus adiicit Bulengerus Herodian. 4, 15. & Sueton. Neron. 25, 3. Adde Sallust. fragm. 2, 2, 2. Iisdem in auctoribus reperies & quod de *odoribus* subiungit Curtius. Animaduerti etiam hic & superiore libro altaria ea fuisse *argentea*: quod non puto temere factum, nam si precium metalli spectarent, ex auro facerent. forte igitur color hic placuit: vt in equis sacris, atque vestibus.

THVRE) Thure enim Persas diis suis sacrificasse ex Sidonii Carm. 2, 88.

Fudit thuricremis carchesia cernuus aris,

& hoc Curtii loco clarum est, quod tamen Brisson. se legisse non meminit l. 2. de reg. Persarum. Sauaro in recitatum Sidonii versum.

5, 1, 21. *DONA)* Rex enim apud istas gentes non adibatur sine muneribus, noto satis, atque hodiernis adhuc temporibus vsitato more. Quippe Principes Orientales etiam fastidiose precium muneris exquirunt, & nonnunquam exigunt. De Persis veteribus vide apud Brisson. de reg. Pers. lib. 1. pag. 26. Eodem spectat Marcellin. 17, 12.

LEONES) Inter regia munera hæc quoque censa. Adnotauit Marcellin. Chron. in anno Chr. 496. *India Anastasio Principi Elephantem, quem Plautus poeta noster Lucam bouem nomine dicit, duosque Camelopardalos pro munere misit.* Feras enim & olim & hodie nimis adamarunt magnates. Philostrat. in Apollon. 1, 23. narrat Regem Babylonium in hortis aluisse leones, vrsos panthersque ad venationem. idque moris etiam veteribus Medis fuisse discimus ex Xenophonte *passim*. lib. 1. Addit Philostratus, Babylonios Reges possedisse duos Syriæ vicos, quos maioribus eorum dederint Antiochus Seleucusque, *pro educandis feris, quæ à Babyloniis capiæ per Euphratem ad eos perueniant.* Ludouicum XI. summo studio, magnaque impensa comparasse feras, scribit Cominæus lib. 9.

5, 1, 22. *CANENTES)* Vt supra 3, 3, 9. Vnde colligas solenne hoc ipsis fuisse in omni insigniore pompa. Carmen autem eorum ad deorum laudes pertinuisse arbitror, & quia inter eos iam haberi volebat Alexander, pet metum & adulationem ad ipsum quoque transtulerunt.

CHALDÆI) Strabo lib. 16. notat duplicem intellectum esse huius nominis. nam & populum esse Babyloniæ, sic appellatum; & Sectam. Quod certum est euenisse ex eo, quod cum essent illi populi deditissimi Astrologiæ, in eorum quasi nomen adoprarentur, qui eadem studia tractarent. Idem accidit in aliis, vt *Indæi, Hellenes*, siue *Graci, Nazorai, Samaritani, Thraces, Picardi, Wallenses &c.* vocentur, qui institutum cuiusque eorum approbant. *Magi*, qui Magorum disciplinam exercent. *Mauri*, qui fusco colore sunt. Vide Leunclau. Pandect. Turc. cap. 165. & 211. *Ægyptij*, qui

qui variis præstigiis victum expedientes passim circulantur. iidem à Gallis etiam *Bohemi, Scythæ & Peusini* apud Athen. pro lictoribus, vt notat Salmasius in Solin. cap.40. pag. 827. vt apud Rom. *Brutij. Heloræ*, pro seruis, apud Lacedæm. apud Latin. *Syri, Getæ, Sardi. Samnites*, gladiatorum genus. *Tarentini & Scythæ*, equitum vide supra ad 4, 12, 4. verbo *concitis. Atellani* comœdorum. Sic est & in animalibus, arborumque fœtibus, atque mercimoniis, vt appellentur ab ea regione, vnde prima cuiusque origo in alias transiit; v. g. gallinæ quas vocamus *Indicas*, quasque *Phasidis aues: poma Persica, Medica, Vrania*, siue *d'Oranges. gemmæ Turcicæ, Chalcedoniæ &c.* pannus *Londinensis, Brugensis. smegma & vitrum Veneta. chordæ Romanæ &c. pruna pannusque cum gladiorum laminis Damascena. Indos* pro rectoribus elephantorum accipi, fortassis haud cuiuis notum est. At facient fidem optima Vegetii exemplaria, in quibus teste Stevvechio 3, 24. legitur *Indos per quos regebantur elephanti.* non vt editur, *Illos.* Quam lectionem firmat imprimis Diod. 18, 34. τὸ δ' ἐπιφανέστατον Ἰνδῶν τραυματίαν ἐποίησε. *Indum* elephanto *insidentem vulnerauit.* Vide Indicem, *India.* Sic igitur & in Curtio *Chaldæorum* nomine non venit peculiaris aliqua natio, sed sectæ cuiusdam consortium. De qua amplius dicendi campus erit ad Tacitum.

5, 1, 23. *CVM CVRRV)* *More triumphantis* supra 4, 1, 1. & videtur sane hoc sæpius factitasse in ingressu celebrium vrbium. Nam & in introitu Hierosolymorum *curru descendentem* facit Eusebius. Et hinc est forte, quod Philostratus fine lib. 2. narrat, si verum est, loco quo Porum vicerit Alexander, ipsius effigiem *conspici quadrijugo curruí superstantem.* nam sic pugnasse, non persuadeor.

POSTERO DIE) Iustinus 11, 14, 8. *XXXIV. continuis diebus prædam recognoscit.* totidem Oros. 3, 17. ponit; alii *XL.* Curtius mox 5, 1, 39. *XXXIV. dies* in vrbe moratum scribit.

5, 1, 24. *IPSIVS VRBIS)* Scriptorum qui Babylonem calamo suo elegantius depinxere, primus omnium & antiquissimus est Moses Gen. 10. & 11. Secutus Mosen post multa sæculorum interualla Herodotus 1, 178. Herodotum Ctesias, Ctesiam Berosus [apud Ioseph. 10, 13. & Eusebium] verus ille, non qui hodie spurius extat Annii Viterbiensis, Diodorus Siculus 2, 7. Strabo lib. *16.* Dionysius Periegetes versu 1005. cum suo interprete Eustathio diu post nato. Iosephus lib. 1. cont. Apion. Plinius 6, 26. Philostratus Apollon. 1, 18. Iustinus 1, 2, 7. Orosius 2, 6. Tzetzes Chiliad. 9, 275. & ante haud multos annos nosterPererius ad 11. Gen. copiosissime. Prætereo alios: ad Curtii descriptionem venio. *Pulchritudinem vrbis* cum Curtio ex scriptoribus antiquis laudat D. Hieronymus ad Isa. cap. 14. describit ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque refulgentes, & multa alia, quæ pæne incredibilia videntur. Sed longe planius Philostratus Apollon. 1, 18. *Regiæ etiam ære adoperæ fulgent: thalami vero & conclauia virorum porticus atque atria cum argenteis, tum etiam aureis texturis, atque ipso auro tanquam picturis niuent &c.* Herodotus 1, 178. tribus verbis: κόσμητο ὡς οὐδὲν ἄλλο πόλισμα τῶν ἡμεῖς ἴδμεν: *ornata est, vt nulla alia vrbs quam nos nouerimus.* Sed de his infra mox plura. Raderus.

SEMIRAMIS) Tres Babylonis conditores nominant tam sacræ, quam profanæ literæ. De Nimrodo testatur Moses Gen. 10, 10. quod initium regni eius fuerit Babylon, quam idem à confusione linguarum denominat cap. 11. Semiramidem conditricem Babylonis iactitant Herod. 1, 184. Diod. 2, 7. Strab. lib. *16.* Mela 1, 11. Iustin. 1, 2, 7. Hieron. in cap. 2. Oseæ. [Plut. de fort. Alex. 2, 8. Solin. cap. *56.* L. Ampelius.] Daniel vero, cap. 4. introducit Nabuchodonosorem gloriantem: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ædificaui.* Ceterum Berosus Annianus Semiramidi non asscribit nisi ampliationem vrbis, de qua Quid. Metam. 4, 57.

vbi

- - - - vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

& Pererius Nabuchodonosori restitutionem lib. 15. in Genes. disp. 4. lib.5. in Dan. pag. 351. Plerumque enim nomen Autoris non soli primo fundatori, sed & restauratori & innouatori attribuitur. Quemadmodum Nehemias autor murorum Hierosolym. dicitur Ecclesiasticic. 49. quos tantum refecisse legitur c. 1. & 2. & 4. Nehem. Quin etiam verba Nabuchodonosoris, vesanam iactantiam redolent, & plus autori arrogant, quam competebat. Tribuit quidem Curtius Babylonis ædificationem Belo: sed eum à Nimrodo non distinguunt Euseb. in pr. Chron. Hieron. in c. 2. Ose. August de Ciu. DEI 16, 17. Primus igitur Babylonis conditor esto Nimrodus, quem perperam Gerh. Mercator in Chronol. ex lib. 4. recogn. Clement. confundit cum Nino, [Idem facit & Lipsius in Monit. Polit. 2, 1, 1.] quia Ninus non condidit Babylonem, sed Niniuen, & cum Babyloniis, iam à Nimrodo constitutis, pugnatum venit. Oros. 2, 6. Euseb. 9. præpar. Euang. c. vlt. Hæc Arnisæus de Republ. cap. 2. sect. 1. num. 7. Verum Herennius Philo à Babylone Beli filio conditam scribit, qui fuit 1800. annis antiquior Semiramide, teste Stephano de vrbib. in Βαβυλών. Sed Herod. 1, 184. inique à Stephano reprehensus, rectissime tradit Babyloniam à multis Assyriorum regibus conditam fuisse paulatim. Vnde Ammian. 23, 20. *mania quidem vrbis à Semiramide constructa fuisse ait: arcem autem ab antiquissimo rege Belo.* Et Oros. 2, 6. *Babyloniam à Nemrod gigante fundatam: à Nino vel Semiramide reparatam.* Ac Nemrodum quidem primum conditorem faciunt & Iosephus ant. Iud. 1, 6. [Augustin. de Ciu. DEI 15, 2. f.] Zonaras tom. 1. & Cedrenus in hist. compendio. Hæc Berneggerus in Iustin. 1, 2, 7. Inter eos qui Semiramidi opus hoc adscribunt, numerat etiam Hyginum fabula CCLXXV. Popma. Sed Babylonem diluuio antiquiorem faciunt Apollodorus & Alexander ex Berosi primo Babylonicorum apud Eusebium: eamque ab iis qui post diluuium arcæ egressi sunt, instauratam fuisse scripsit idem lib. 2. Proxime ad veritatem accedit excerptum ex Assyriacis Abydini, relatum ab Eusebio: *gigantes ædificasse immensam turrim, vbi nunc est Babylon &c.* & Ibidem Histiæus Milesius, qui etiam terram *Semnaar* nominat. Apud eundem Eusebium est & Cephalæonis fragmentum, qui asserit Semiramidem muro circumdedisse Babylonem, sequutus auctores Ctesiam, Zenonem, & Herodotum. Nabuchodonosori autem instaurationem ampliationemque & ornatum magna ex parte vrbis eius, tribuit Berosus lib. 3. apud Eusebium & Iosephum. Noua opinio est, quam nescio vnde refert Suidas in Σεμίραμις: *Prima quoque Niniuen manibus cinxit, quam mutato nomine vocauit Babylonem*: duabus nobilissimis ciuitatibus perabsurde in vnam confusis.

REGIA) Duæ regiæ erant, de quibus Philostratus 1, 18. quem supra adduximus. Sed longe clarius Diodorus 2, 8. *Regias etiam duas ex vtraque pontis regione ad fluuium ædificauit &c.* Raderus. Adde eundem Diodorum 18. Plutarchum in vita Demetrii capite 8. De templo quoque Beli, quod Plin. 6, 26. suo tempore *adhuc duravisse* scribit, passim legimus. Nam à Nabuchodonosoro conditum auctor est Berosus lib. 3. à Xerxe dirutum Alexander instaurari iussit. Strabo pr. lib. 6. & Arrian. 3, 3, 17. & 7, 3, 31. De eodem Daniel cap. 4. & fuse Herod. 1, 181. Camerar. subcisiu. 2, 51. ab Arriano *commissum* credit *errorem* (quod destructionem istius templi referat ad Xerxem, cum ante eum dirutum id fuisse ex Daniele constet) *in nomine, cum Xerxis vel Artoxerxis* (*quod significat* Bellatorem, *vel* magnum Bellatorem, *secundum Herod. 6, 98.*) *communne nomen Regum Persarum fuerit, sicut* Pharaonum, *Regum Ægyptiorum.* Strabo lib. 16. & Ælian. hist. var. 13, 3. etiam sepulcrum eius ibi collocant: ex quo firmatur quod gentilibus obiiciebant nostri, deorum istorum templa non fuisse nisi sepulcra. Vide Arnob. lib. VI.

5.1.25.

5,1,25. *MVRVS)* Hunc inter firmissimos omnis ævi primo loco nominat Seneca de constant. Sap. 6, 6. Nam & inter septem mundi θαύματα secundum obtinebant gradum, apud Nicetam. Sed enim Epigr. Græca 1,54,1. statim primo nominant. Cassiodor. Variar. 7, 15. sextum. Plinius 6, 26. Strabo pr. lib. 16. Hyginus fab. CCXXIII nullo certo ordine collocant. *Laterculo coctili & bitumine* fuisse constructum cum nostro tradunt Herod. 1, 178. Diod. 1, 7. Iustin. 1, 2, 7. Plin. 13, 15. m. Propert. 3, 10. Iuuenal. Sat. 10, 170. & eius Interpres, Lucan. 6, 49. Tzetzes Chiliad. 9, 275. Marcellin. 23, 20. Oros. 2, 6. Vitruuius 1, 5. Nicetas, & Gallus Confessor cap. 3. Hyginus fab. CCXXIII. *latere cocto & sulfure vinctum* fuisse scripsit. fortasse quia teste Plinio 35, 15, 16. *Sulphuris & bituminis vicina est natura.* Eustathius ad Dionys. vers. 1005. nouam ex aliorum opinione sententiam profert, interprete Radero : *Babylon sacra vrbs muro aheneo circumdata, vt quorundam est sententia, & flumine circumfusa. Hanc, inquit Dionys. irruptis muris coronauit Semiramis. Vnde quidam, vti dictum, murum vrbi aheneum circumdatum scripsere.* Ast ego, addit Raderus, facilius inducar vt credam, quod in Menæis Macario Romano narratur à cœlito, Paradisi hortum duplici *muro* cinctum à DEO fuisse, *ferreo & aheneo*, quam Babylonis mœnia fuisse ærea. Ceterum quod ad Babylonem attinet, cum vrbs centum habuerit portas, & fores aheneæ essent omnes, quales Virgilius de Carthaginensis ædis, quam Dido moliebatur, cardinibus cecinit Æneid. 1, 450. Ita reor à parte mœnium, portarum, inquam, nonnulli tota mœnia ærea dixere. Idem Eustathius ad Periegesin Dionysii vers. 1006. ex aliorum sententia scribit mœnia non tantum ex coctili laterculo, sed ingentibus saxis, cæsis etiam & politis, tricubitalibus, qua latitudinem, tanto altero longis, exædificata & surrecta. Hactenus Raderus. Qui si omnes Babylonis portas *Belides* appellatas fuisse putat, fallitur. certum enim est vnam tantum fuisse, vt coniicio, quæ ad Beli templum deduceret. error autem hinc est, quod portam Græci libentius plurali voce πύλας dictitant. Eorum sententia quæ ænea credidit Babylonis mœnia forte exinde nata est, quod cum ænea monumenta haberentur pro perennibus, atque aliqua ære exstructa essent, vt templi fores apud Ioseph. de bel. Iud. 6, 6. firmissimi quique muri ænei sunt appellati. Hinc est illud Horatii epist. 1, 1, 60.

\- - - - *hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi. & alibi: *Inclusam Danaën turris ahenea* &c. De *quadrigis* præter ceteros, & Propert. 3, 9, 23. Tzetzes Chil. 9, 275. Epigr. Græc. 1, 54, 1.

Καὶ χεραιὰς Βαβυλῶν ἱππόμου ἅρμασι τεῖχος,
Et robustæ Babylonis murus, curruum decursibus aptus.

LATITVDINEM AMPLECTITVR) Forte *in lat. amplect.* Vt hic sit ordo verborum, *Murus amplectitur spacium 32. pedum in lat.* Quomodo fere Liuius 37, 31, 7. de Phocæa: *In sinu maris intimo posita hæc vrbs est, oblonga forma: duum millium & quingentorum passuum spacium murus amplectitur.*

5, 1, 26. *C. CVBITORVM)* Alii habebant *L. cubit.* in quam altitudinem cum omnes consentire dicit Raderus, refellitur statim ab omnium præcipuo Herod. 1, 178. qui eis altitudinem *CC. cubitorum regiorum* tribuit, Ctesias apud Diod. 2, 7. *L. orgyias.* Hyginus fab. CCXXIII. *Pedes LX.* Plinius 6, 26. & Solin. cap. 30. Herodotum sequuntur, etiam ratione cubitorum regiorum ad Romanos exposita. Sed & Oros. 2, 6. *CC. cubitos* numerat. *L.* tamen *cubitos* Strabo à pr. lib. 16. & Diod. 1, 7. ex Clitarcho & iis qui cum Alexandro fuerant, determinauerunt.

PEDIBVS) *Cubitis* legebat Brisson. lib. 1. pag. 59. vbi describit hanc Vrbem, ex auctoritate Strabonis. atque idem etiam tentat apud Plinium 6, 26. *CCCLXVIII. stadia.* Eundem Brisson. etiam de ambitu eius Vrbis disceptantem, adi. Tzetzem ab Radero

dero indicatum ex Chil. 9, 275. adscribam: *Omnis autem circuitus fuit Babylonis, Stadiorum 360. Ctesiæ. Secundum vero Clitarchum ipsum & eum qui post Alexandrum* (immo *eos qui cum Alex.*) *Et secundum Diod. ipsum Siculum, Trecentorum sexaginta & quinque stadiorum. Cocceianus autem Cassius Dion, scripturis Latinis Quadringentorum scripsit hanc stadiorum esse. Herodotus autem historicus in Musis nouem. Et Philostratus, ipse in vita Tyanei, stadiorum octuaginta, cum quadringentis. Altitudo quinquaginta passuum* (*mororum, iuxta Ctesiam, Aliis quinquaginta cubitorum, videtur autem Ctesias Tzetzæ veriora describere, quam alij: Saltem in iis quæ scripsit de Babylone. Trecentorum enim ipse sexaginta stadiorum Omnem illius perimetrum esse describit. Alij autem augent plus & amplius hanc. Qui igitur circuitum minuit longitudine, Non longe ab eo quod decuit, auxit altitudinem. Sed quando hæc æque quidem consexit Ctesias, Erant 60. vlnarum altitudines turrium, Et sane 50. vlnarum murorum altitudines. A bellis atque commotionibus autem forte deiectas, Postea videlicet Clitarchus, atque omnis post (cum Alex.) Alexandrum Conspexerunt sic humiles vlnarum* (an potius *turrium*, vt in textu pro ἐχυρῶν legatur πυργῶν) *attitudines, Velut ad cubitorum diminutionem vix quantitatem accipientes. Latitudine autem Babylonis erat, iuxta aliquos, murus sex curribus equitabilis: tribus autem secundum alios.*

SINGVLIS DIEBVS) Non adsentior Brissonio *hæc verba indicare numerum stadiorum, dierum quibus annus constat, numerum æquasse.* quasi necessario hæc verba vertentem annum arguant, & plures paucioresue anno dies cum ratione *singuli* dici non possint? Certe non hoc adspectu adiecit hæc verba Curtius, sed vt doceret quanto studio atq; ardore operi tum institerint, quicumque tandem eos muros eduxerunt. Sic apud Ammianum 23, 4. *Septem diebus totidem stadia molibus iactis in mare solo propinquanti terræ sunt vindicata.* Ita Berosus lib. 3. apud Euseb. indicat opera Nabuchodonosori quamquam magna & excellentia intra 15. dies fuisse perfecta. & Liuius 28, 45, 19. Scipionem naues fabricantem *ita institisse operi, vt die 45. quam ex siluis detracta materia erat, naues instructæ armatæque in aquam deductæ sint.* Scribit tamen Clitarchus apud Diodor. 2, 7. ambitum vrbis continuisse *CCCLXV. stadia, quod anni dies stadiorum numero æquare studuisset* Semiramis. Sed Curtium eo collimasse non putem. A quo valde diuersum tradit Tzetzes, non vno die singula stadia fuisse perfecta, sed omnia vno anno: *Vt celerius opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id necessariis, attribuit, & anni spatio negocium peragere iussit.*

VNIVS IVGERIS) Diodor. 2, 7. *Inter domicilia & mœnia via relicta erat duorum iugerum.* Raderus.

5, 1, 27. *HABITATVR)* Melius ita quam secundum alios *habitabatur*: quamquam id antehabeat Acidalius. Sic & mox in præsenti loqui pergit: *Cetera ferunt coluntque.*

TVTIVS) Propter incendia. Tacitus Germ. 16, 2. de maioribus nostris: *Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spacio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi.*

SERVNT) Id ab initio sic institutum vult Curtius: postea ampliauit occasio. Diod. 2, 9. *Babylonis exigua quædam portio nunc habitatur, maximaque intra muros pars agrorum cultui est exposita.* Accidit id post Seleuciam conditam, à qua valde exhaustam esse Babylonem, hominibus illuc commigrantibus, tradit Plinius 6, 26. & Strabo lib. 16.

ALIMENTA) Iactatur id de paucis vrbibus atque arcibus. Inter cetera memorabili inprimis exemplo, quod memini me legere vrbem Tataricam, ni fallor, Quinsaium, cum ad 25. annos obsidionem tolerauisset, deditam fuisse solummodo ob vestium penuriam, cum alimenta quotannis intra ipsas munitiones nascerentur ob-

sessis. Herodotus tamen 1, 190. affirmat, Babylonios cum Cyrum obsidionem moliri cognouissent, permultorum annorum commeatum comparasse ad obsidionem sustinendam. Atque idem tempore Darii, apud eundem 3, 150. factum intelligitur.

5, 1, 29. *SVFFICIENDO*) Al. *fulciendo*, ex vtrisque coniiciebat Bongarsius. *Suffulciendo* non male: nec tamen præferam vulgato.

REPERIVNT) Non recte vir doctus *repererunt*, vt restringat eam rem ad tempus eorum qui pontem exstruxerunt. Sed videlicet naturam fluminis ostendit Curtius, vt inde augeat admirationem operis. Cum Euphratis ea conditio sit, vt altissimum limum vehens, vbicunque aliquid inædificare velis, vix firmum præbeat solum: tamen immensi operis pontem ibi fecerunt. Hoc inquam, miratur, insanam ædificii molem in solo non satis fido. Ostendit eam fluminis naturam Strabo lib. 16. Ad fossas iuxta Euphratem faciendas *opera multa opus est. Nam cum terra profunda sit, & mollis ac facile cedat: nullo negotio ab aquis abripitur, & campos nudat, ac limus fossas implet, eorumque ora obstruit &c.*

5, 1, 30. *ACRIVS*) Ex hoc Curtii loco Gebhardus Crepund. 1, 16. firmat lectionem Pal. membranarum optimarum, in illis Ouid. Metamorph. 3, 568.

Sic ego torrentem, qua nil obstabat euntí,
Eorius & modico strepitu decurrere vidi;
At quacunque trabes, obstructaque saxa iacebant,
Spumeus & feruens, & ab obice sæuior ibat.

Legit ergo Gebhardus: *obtrusaque saxa tenebant.* Contraria de hac re sententia est Quintiliani 9, 4. *Quanto vehementior fluminum cursus est prono alueo ac nullas moras obiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus: tanto quæ connexa est, & totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio.*

5, 1, 31. *XX. STADIA*) Ambitus autem tetragonos, quadrato, inquam, schemate & figura, ita vt singula ambitus latera, tria continerent plethra, hoc est, 300. pedes, adeoque quatuor latera efficiebant pedum 12000. qui numerus iste 20. stadia explet, vnum quippe stadium pedibus 600. definitur, & plethrum vnum pedibus 100. sed alii quatuor plethra vni lateri assignant; ita, vt 16000. pedum, arcis ambitus contineat. Si Curtius 800. pedes stadio tribuit, salua res. Nec idem plethron quod iugerum; illud Græcum 100. pedes continet, hoc qua longum 240. qua latum 120. quod qui non obseruarunt, procul à vero repulsi sunt. Vide Comment. ad Martial. p. 19. secundæ edit. Raderus. Hodie arcem Alcahiræ non minus complecti spacium quam vrbem Vlmam, tradunt quidam apud Munster. Cosmogr. 6, 23. Erant autem, vt supra ad 5, 1, 24. verbo *regia*, monuimus, duæ arces. Quarum quæ hic describitur, non putem fuisse Beli regiam, sed aliam à Semiramide vel regum aliquo recentiore constructam. Immo à Nabuchodonosore, vt efferre in promptu est, indicium deferente Iosepho 10, 11. & Beroso lib. 3. apud Euseb. qui & à Iosepho citatur. Cum enim supra Beli regiæ meminisset Curtius, hoc loco arcis huius descriptionem iis verbis subiicit, vt appareat nullam omnino eius mentionem prius ab ipso fuisse factam.

PENSILES HORTI) De quibus Iosephus 10, 11. Diodor. 2, 10. Eustath. ad Periegetem Dionys. versu 1010. Plutarch. de fortuna Alex. Orat. 2. Dio Chrysostomus orat. 79. in fine, qui Susis hos per errorem collocat. Strabo lib. 16. quanquam & Thebis in Ægypto Plinio 36, 14. & in Italia, eodem 26, 3. auctore fuerint alii. Raderus ex Brisson. lib. 1. p. 55. vbi etiam citatur Lactantius 3, 14. qui hortos illos in miraculis septem numeret. Adde Philostratum 1, 18. & Suidam in Nabuchodonosoro. *Balneas* etiam *pensiles* habuit Romæ Sergius Orata. Macrob. Saturnall. 2, 11.

5, 1, 33. *ARBORES*) Sic tenui cum veteribus, construe: *Moles sustinent validas arbores.* si pro *sustinent* malis *sustinet*, me non inuito feceris.

5, 1, 34. *VETVSTAS*) Seneca Cons. ad Polyb. pr. *Nihil immortale manus mortales fecerunt: nihil perpetuum; pauca diuturna sunt: quicquid cepit & desinet, & nihil, quo stet loco, stabit, omnia sternet abducetque secum Vetustas.* Idem Epist. 91, 15. *Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt, & inter peritura viuimus.* proinde Horatio Carm. 3, 30. & Ouidio Metamorph. fine, non immerito *tempus edax* dicitur. Bene Rutilius Itinerar. versu 412.

Non indignemur mortalia corpora solui,
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Ἀποθνήσκουσι γὰρ καὶ πόλεις, ὥσπερ ἄνθρωποι, vt ait Mercurius in Charonte Luciani. Seneca Epist. 91, 19. *Nihil priuatim, nihil publice stabile est, tam hominum, quam vrbium fata voluuntur.* Vtilis & necessaria meditatio aduersus superbiam atque cupiditatem cæcæ mortalitatis. Adde Florum 1, 12. f.

5, 1, 35. *SYRIÆ REGEM*) Iosephus 10, 11. & Suidas *Nabuchodonosorum* hortorum pensilium faciunt auctorem. Plin. 19, 5. *Cyrum* vel *Semiramidem*, cui & Eustathius in Semiramide subscribit. Raderus. *Syrum* etiam *regem*, nomine non edito, hortorum istorum exstructorem refert Diodorus 2, 10. quem cum Curtio & Iosepho de Nabuchodonosore sentire, credit Rualdus animaduers. cap. 17. in vitas Plutarchi. Post Brissonium lib. 1. de reg. Pers. pag. 56. Quibus auctoribus ingens accedit momentum ex consensu Berosi lib. 3. loco, quem Eusebius recitat, & Ioseph. 10, 11. Ceterum non absque miratur Popma, in tam diligenti mirandorum Babylonicorum descriptione, prætermissam à Curtio turrim, sacris literis memoratam, cum & apud Strabon. lib. 16. extet eius mentio; & magis adhuc in excerpto ex Assyriacis Abydini apud Euseb.

CONIVGIS) *Concubinam* facit Diodorus 2, 10. Χαρὶν γυναικὸς παλλακῆς, *in gratiam mulieris concubinæ.* Deceptus enim est vir doctus qui nomen mulieri fuisse *Pallaca* credidit. At vox γυναικὸς hic per appositionem vim habet adiectiui. Sic enim & γαμετὴν γυναῖκα dicit Herodianus 1, 16. de Martia Commodi ἣν ἔιχε τῶν παλλακίδων πρωτοτόκον, ἢ ἀδέν τι ἀπεῖχε γαμετῆς γυναικὸς, vbi *mulier nupta* dicitur ad differentiam *concubinæ*, vt etiam notauit in quodam Lysiæ loco Budæus apud Stephanum in Lexico voce Γαμετὴ. Eadem igitur forma *mulierem concubinam* dixit Diodor. ad differentiam *legitimæ*. quomodo *mulierem meretricem* Plaut. Mercat. 4, 1, 19. Sallust. Iug. 12, 5. *mulierem ancillam.*

AMOENITATEM NATVRÆ) Alii: *naturæ genium amœnitate huius operis imitari.* Venustius sane. sed in illam lectionem tot exemplaria conspirant, vt non possim quin genuinam esse arbitrer.

5, 1, 36. *DISCIPLINÆ MILITARI*) Nihil inimicius enim illi, quam voluptates. notum illud prouerbii vice iactatum apud Florum 2, 6, 21. *Capuam Hannibali Cannas fuisse.* Vide Gruterum discursu 26. & 38. ad Tacit. 4, 64, 7. 2, 44, 1. Quibus adde Liuium 29, 34, 8. & 36, 11, 2. Sallust. Catilin. 11, 4.

5, 1, 37. *CVM HOSPITIBVS*) Huc pertinet amarus ille iocus Mustaezami, postremi Chaliphæ Bagdadensis, qui Naraddino celebri Mathematico & Euclidis commentatori, librum offerenti, vitium id veluti patrium obiecit. Iuchas. f. 152. a. *audiui Tusæos* (populares tuos, indigenas terræ Chorasan) *habere cornua: vbinam tua sunt?* alludens ad inhonestum illum lenocinandi morem, quo mariti aduenis viatoribus vxores locabant sub specie hospitalitatis, vt M. Polus Venetus de prouincia Camul refert lib. 1. cap. 46. Hæc ex Tarich Virí immensæ eruditionis Wilhelmi Schikardi.

di. Vide & Tiraquell. Tom. II. pag. 119. pr. 1. & Cæsarium quæst. XLVII. De Babyloniorum turpitudine lege Herod. 1, 196. Tangit Scholiastes Iuuenal. Sat. 1, 104. *Mesoporamenī*, inquit, *homines effrenatæ libidinis sunt in vtroque sexu, vt Sallustius meminit.* & Cedrenus ex Cæsario Gregorii Magni fratre: *Chaldæorum & Babyloniorum leges plenæ sunt impudicitiæ atque turpitudinis.* Quo pertinet & domesticum Berosi testimonium, qui eo ipso tempore vixit, quo vrbem eam occupauit Alexander: ζῆν αὐτὰς ἀπέκνως, ὥσπερ τὰ θηρία. Alexander Polyhistor apud Eusebium, eum Berosi locum recitat: vbi & de *Belo* multa fabulatur. Haud procul ab hoc more abfuerunt Lacedæmonii, quibus Lycurgus, *si quis feminæ coniugium auersaretur, ac nihilominus præstantium liberorum cupidus esset; lege permisit, vt quamcunque fecundam & indolis generosæ consexisset, eius marito persuasione suam in sententiam adducto, ita deinde prolem ex ea procrearet.* Xenoph. in Laced. repub. Tertullianus autem in Apolog. cap. 39. commune hoc facit gentium crimen. *Omnia*, inquit, *indiscreta sunt apud nos, præter vxores. In isto consortium soluimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia vsurpant, sed & sua amicis patientissime subministrant; ex illa, credo, maiorum & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores suas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa & alibi creandorum. nescio quidem an inuitas, quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facile donauerant? O sapientiæ Atticæ, o Romanæ grauitatis exemplum. Lena Philosophas & Censor.* Vbi constat eruditissimum scriptorem maiori Catoni tribuere, quod Lucanus 2, 331. & alii, minori. Sed & *Hercules Megaram vxorem suam nuptum dedit* Iolao. Plutarch. Erot. cap. XII. qui & cap. XXIII. narrat vxores prostituentium exempla. Vide Zvvingeri theatr. pag. 3462. f. Dedecus autem illud Lenocinii iure ciuili interdictum est, & L. Iulia coërcetur.

CONVIVALES LVDI) Vide Brisson. lib. 1. pag. 67. & deinceps. Curtium 6, 2, 5. Nicobule scripsit, Athenæo 12, 9. referente, de Alexandro, ὅτι παρὰ τὸ δεῖπνον πάντες οἱ ἀγωνιοῦ ἐσπάδιζον πέρσειν τὴν βασιλέα. *In cœna musicos ac ludiones concertatores Regem oblectare studuisse.*

REGIBVS) Malebat Scbis. *regulis.* Sed illud antepono. Mouit illum, credo, quod putaret vnum tantum fuisse Persis regem, non plures simul. Hoc tamen nihil obstat, quo minus de pluribus sibi subinde succedentibus Curtius accipiatur. Quin & nihil absurditatis habuerit interpretari hæc de ævo Curtii, vt complura alia hoc capite. Eius igitur ævo, quamquam vnus cum suprema auctoritate esset, quem ideo *regem regum* vocatum fuisse apparet, multi tota Perside fuerunt reges: latius sumpto Persidis vocabulo, vt fecit Eusebius, qui omnes circumuicinas prouincias hac appellatione complectitur. In ea igitur numerata sunt *regna duodeuiginti*, tempore Plinii, apud ipsum 6, 25. Et sane sub ipso Dario, quantum aberat vt præfecti eius reges dicerentur? Ipse supra 4, 14, 22. *Duces vestros regum instar.* De potentia Bessi & Nabarzanis mox 5, 10, 3. mira narrantur.

5, 1, 38. *PVDOREM PROFANANT)* Contra morem hunc detestandum multa grauiter & emdite dixit Philippus Camerarius subcisiu. 1, 34. Quem citat, & adductis aliorum auctorum locis locupletat Henricus Salmuth in Pancirolli res deperditas loco, *de Thermis aut balneis*, vbi infectantur etiam fœdam illam consuetudinem, qua nonnullis locis viri feminæque promiscue lauantur. quam non ita pridem salubri decreto sustulit ex vrbe sua Argentoratensis Senatus. Sane apud maiores nostros fœminæ, ab illustrissimo scriptore Romano honorificentissimum reportarunt testimonium: *Septa pudicitiæ agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiniorum irritationibus corruptæ.* Tacit. Germ. 19, 1.

VIRGE-

VIRGINVMQVE) Nihil video obstare in re manifesta, quin recipiam emendationem indubitatam Cl. Barthii, quam proposuit Aduersar. 52, 16. cum antea legeretur, *virorumque, apud quos &c.* Et ne quem moueat *virginum* cum morem esse non posse, quin statim indignæ sint hac appellatione; notandum est id verbi non semper integritatem adspicere, sed notare tantum *ætatem & sexum*, vt obseruat Seruius ad Virg. Æn. 1, 497. puellas innuptas, vt nostras Jungfrawen/ & Gallorum *filles*. adeo vt Iustinus 1, 3, 2, appellet *virgines*, quas modo *scorta* vocauerat. Quin apud Virgil. Eclog. 6, 47. *Virgo* appellatur Pasiphaë, quamuis nupta esset, & iam liberos enixa. quomodo & *puellæ* vocem non raro reperiri, alio loco notauimus.

COMITAS) Videtur & huc respexisse Minutius Felix Octauio, vbi sic inter alia: *Ista enim impudicitiæ eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas.* Loccenius. Adde Zvvingeri theatr. pag. 2852. f. 2.

5, 1, 40. *D.)* Infra 7, 1, 40. leges *DC. præferimus huius loci* scripturam propter auctoritatem Diodori 17, 65.

EIVSDEM GENERIS) Videtur illud dicere, gentilium & cognatorum turmas etiam in exercitu Macedonico Alexandri fuisse. Nisi verius & simplicius *eiusdem generis* dici existimemus, eiusdem generis Macedonici equites, vt frustra de illius loci sententia aliter senserit vir doctus apud Vegetium 2, 2. Hæc Colerus Taciti Germ. 7, 3. Recte. Genus enim hic non familiam, aut cognationem sonat, sed totam gentem complectitur. Sic apud Sallust. Cat. 39, 4. *Lentulus sollicitabat &c. neque solum eiues, sed cuiusquemodi genus hominum, quod modo bello vsui foret.* Quo exemplo firmissime stabilitur mea coniectura in Hirt. de bel. Afr. cap. 19. pro his verbis: *legiones conscriptæ ex cuiusquemodi generis amplius XII. millibus.* legendum: *leg. conscr. ex cuiusquemodi generis militibus, amplius XII.* Videtur tamen non hunc Curtii locum in animo fuisse Stewechio, quem Colerus arguit: sed alium infra 5, 2, 6.

5, 1, 41. *CVSTODIAM CORPORIS)* Haud tamen hi miscendi cum aliis Somatophylacibus, Ptolemæo, Leonnato &c. Hi enim iampridem ex illo puerorum censu exempti, post magnarum rerum experimenta, in virtutis præmium inter maiorum gentium Somatophylacas, siue corporis custodes, vt Curtius vocat cooptati sunt. Clarissimum id, nam alia sciens prætereo; ex Aristobulo apud Arrian. 6, 5, 9. vbi tradit: Alexandrum *Peucestam in corporis sui custodem adscripsisse, quem quidem iam Persidis satrapam constituere decreuerat, sed antequam illi satrapatum deferret, ne hoc quidem honore fideique testimonio carere eum voluit, ob eximiam eius operam apud Mallos præstitam. Fuisse autem illi tum temporis septem corporis custodes, Leonnatum Antei, Hephæstionem Amyntoris, Lysimachum Agathoclis, Aristonum Pisæi filium: hos Pellæos. Perdiccam Orontis ex Orestide, Ptolemæum Lagi & Pythonem Cratæ F. Eordenses: Octauum vero iis accessisse Peucestam qui Alexandrum scuto suo protexerat.* Vbi vides in hac classe neminem fuisse præter summos amicorum. Illa autem numerosior corporis custodia, vt functionis plus habebat, ita longissime infra hanc dignitatem erat, immo huius aliarumque similium *seminarium*, vt vocatur hic, & infra 8, 6, 6.

5, 1, 43. *PRÆTORES)* Σατράπας, vt vocat Diod. 17, 64. qui nimirum præessent militibus: vt Mazæus Satrapa prouincialibus. Sic postea sub Impp. Rom. quædam prouinciæ simul præfidem, atque ducem habuere. Aliud igitur est hoc loco *Prætor*, aliud *Satrapa*. Aliud etiam Φρούραρχος, quem male cum Σατράπῃ confundit Interpres Arriani 3, 3, 20. Vbi refert similiter ordinatas Susis res: *Abulite homine Persa Satrapa Susianis relicto, Mazaroque vno ex sociis præfecto præsidij arcis & Archelao Theodori F. constituto,* debuerat: *Maz. vno ex soc. præf. præsidij arcis, & Arch. Th. F. præfecto*

constituto. Isti præsidiorum præfecti à prætoribus haud aliter differebant, quam in Galliis hodie arcium atque oppidorum à Rege constituti præfecti, à ducibus toti prouinciæ præpositis.

ET CIVITATI) Nihil absoni habet hæc *lectio*, sed nescio quomodo præplacet alia: *& Ciliciæ*, siue, vt ex Diod. 17, 64. Bongarsius emendabat, *ad Ciliciam.* Quid si sic legas, *qui regionib. à Babylonia ad Ciliciam præessent.* Ex qua abbreuiatione vsitatissima perfacile nasci potuit illud, *regioni Babyloniæ.* Sic enim sane Diod. *Apollodoro Amphipolitæ, & Meneti Pellæo Babylonis & Satrapiarum ad Ciliciam vsque administrationem* (euidentius, *tutelam*) *commisit.* Nec leue argumentum est, quod, tradente Arriano 3, 4, 13. Alexander Thessalis equitibus domum remissis, *Meneti per literas mandat, vt quum ad mare peruenerint, nauibus in Euboeam transuehendos curet.* Quæ quidem res proprie ad Ciliciam spectat, ad Babyloniam neutiquam. Legimus quidem supra 4, 5, 9. *Ciliciam Socrati traditam*: & apud Arrian. 2, 3, 2. *Balacrum Nicanoris F. Ciliciæ Satrapam:* sed interim multa potuerunt mutari. Potuit & ille Satrapa Ciliciæ manere, sicut alias quoque regiones proprios habuisse Satrapas consentaneum est; illi autem duo maius adhuc quoquo adissent, in illo tractu imperium habuisse. vt Germanicus apud Tacit. 2, 43, 2. Sed omnem omnino dubitationem præcidit Arrian. 3, 3, 20. vbi disertis verbis ὑπαρχον siue *prætorem Syriæ, Phœniciæ, & Ciliciæ* vocat Menetem. Atque hanc dispositionem etiam successores eius seruasse apparet. Nam Maccab. 2, 8, 8. legitur *Ptolemæus dux Calesiriæ, & Phœnicis.* & 2, 3, 5. *Apollonius.* qui locus in Epitome temporum, subiuncta Eusebio, sic citatur: Καὶ ἦλθεν πρὸς Ἀπολλώνιον τὸν Συρίας, καὶ Φοίνικης, καὶ Κιλικίας στρατηγὸν ὑπηκόοντα χρήματα καὶ τὰ λοιπά.

MENETEM) Sic scribo cum Acidalio a recto *Menes.* Clarum id ex Græcis, qui de hoc homine scripserunt. Porro tunc accidisse videri potest quod narrat Plinius 9, 8, 10. de puero in Iasso delphino vehi solito, quem postea *Alex. Magnus Babylone Neptuni sacerdotio præfecit, amorem illum numinis propitij fuisse interpretatus.* Quo tempore inter sacerdotes Beli fuit Berosus historicus, vt ex ipsius fragmento constat, quod apud Eusebium legitur.

5, 1, 44. *EX PECVNIA)* Numerauit Alex. sub signis equitum 7000. peditum 40000. quando dimicauit cum Dario. demus ergo equitum Macedonum fuisse 3500. totidemque peregrinorum. Denarius decem assibus, vnde & nomen accepit, permutabatur, hoc est, quatuor sestertiis numis, siue duobus victoriatis, quos barbari *Bazios* dicunt. Erit ergo Denarius ex primo Romanorum precio, octo cruciferi. Singulis ergo Macedonibus equo bellantibus cedebant 80. aurei germani, qui in 3500. ducti, efficiunt 28000. peregrinis 65. quæ in sorte excrescunt ad 17500 summa equitibus data 45500. peditibus singulis 25. aurei, qui in 40000. ducti, summam reddunt 1000000. tota summa equitibus & peditibus data, 1045000. aureorum fuit. Quantum vero auri è gazophylacio Babylonico exhauserit ipse rex, prodidit nemo. Raderus.

STIPENDIVM) Non autem stipendium id fuit, sed donum, vt ratio, & Diodor. 17, 64. docent. Accepit igitur hoc loco stipendium Curtius pro voluntaria largitione? an errore & inaduertentia quadam stipendium fecit, quod liberalitas erat?

5, 2, 1. *SATRAPENE)* Hanc etsi nec apud Marcianum &c. nec quenquam alium legam: & Glareanus omnino *Sitacenem* (quam regionem plerique omnes laudant, & hic Diodor. 17, 65. pro Satrapene ponit) rescribendum: *Satrapenem* tamen apud Polybium & Plutarchum in vita Luculli legi putant, quos *Satrapenes* appellat Plutarchus, cuius locum quem Ortelius laudat, nondum reperi. Polybius lib. 5. *Satrapeis*

trapeios à Satrapene haud dubie. Et Mediæ regio, cuius cultores pro Tigrane contra Lucullum propugnarunt. Eadem regio *Sitacene*, recentioribus dicitur *Apolloniatis*, vt docet Strabo. de Satrapene nihil: nisi dicas legendum *Sagapenem*, de qua Strabo lib. 16. & est in illa vicinia. Certe quæ de copia rerum & abundanti commeatu affirmantur à Curtio in Satrapene, eadem de Sitacine Siculus narrat. Interpres Polybii vocem Σατραπένης vertit *Atropatios*, quorum regio est *Atropatene* etiam Plinio 6, 13, 17. Sed hi proximi sunt populis qui ad Pontum Euxinum colunt, pars Medorum, nihilque huc faciunt. Vel ergo iidem fuere Satrapeni & Sitaceni, vel Curtiana vertenda. Raderus. Ego puto Diodori auctoritatem hac in re merito magni fieri à Glareano. Apud Plut. Lucullo cap. LXVI. pro Σατραπηνοῖς legend. Ἀτραπηνοῖς ostendo in Commentario Critico ad Supplem. Lüiii.

5, 2, 2. *PRÆMIAQVE PROPOSVIT)* Multa Agesilai instituta videtur æmulatus hic Alexander, inter quæ & istud. Nam & illum Xenophon in oratione de laudibus ipsius post initium tradit, *proposuisse turmis equestribus præmia, quæcumque ex iis equitandi artem optime teneret: iisdemque pedestribus, quæcumque corporibus esset egregie exercitatis.* Idem auctor de vtroque Cyro tradit, eos præmiis propositis suos excitasse. Xenophonti consentit etiam Corn. Nepos in Agesil. 3, 2. Etiam pro *dimitterent* secundum alios reposui *dimitteret*, ad Alexandrum referens.

5, 2, 3. *NOVEM)* Sic retinui cum veteribus, & nota lacunæ quam expressit Aldus mox num. 5. Nihil vidi quod persuaderet rectius facere, qui *octo* hic reposuerunt.

QVINGENARIÆ) Alii male *quinquagenariæ.* Nimia enim & insolens fuisset hæc mutatio à quinquagenis ad millenos, & numerus ille cohortis nomine vix dignus. reponendum igitur olim videbam, *quingenariæ*, hoc est 500. aut circiter militum, quales & Romanis fuerunt, teste Vegetio 2, 6. Et nunc quia aliquas editiones sic habere, hunc que locum à Lipsio, aliisque Viris doctis, citari video, merito recepi.

GESSERANT) Lego *cesserant*: quoniam adsignificat Chiliarchias iisdem ex virtute cœptas, antea non factum. Lipsius de Mil. Rom. 2, 9. Quam emendationem & Acidalius sibi vindicat.

5, 2, 4. *MILITVM TVRBA)* Quam ipsam iudicem fecerat Germanicus in agendo centurionatu. Tacitum 1, 44, 8. vide.

5, 2, 5. *ADARCHIAS)* Hunc Curtius 8, 1, 36. *Atharian* vocat. quare vide an hic etiam ita legendum sit. Popma. De pugna à senioribus instaurata vide Diodor. 17, 27. Puto hominis huius mentionem etiam haberi infra 7, 1, 5. vbi *Aphavias* legitur. Vide Var. Lect. Denique eundem esse quem Plutarch. de fort. Alex. *Tarriam* appellat; & Diodor. 19, 36. *Atharriam.*

5, 2, 6. *EQVITES)* De equitibus disertius Arrianus 3, 3, 21. Καὶ ἔστιν ὃ καὶ λόχους δύο ἐν ἑκάστῃ ἴλῃ, ἃ πρόσθεν ὄντας λόχους ἱππικοὺς. *Instituit autem in singulis turmis decurias duas, cum ante nullæ essent decuriæ.* Hæc ita vt verba Arriani sonant interpretatus sum, vt mirer quamobrem Faciius & Vulcanius, vocem λόχους alter *decuriones*, alter *tribunos* verterit, cum λόχος nec decurionem, nec tribunum significet, sed vere & proprie decuriam, vt Ælianus in Tacticis cap. 4. diserte docet. Alter eorum dem error, quod confundunt λόχους καὶ ἴλας, cum λόχος proprie tantum *decuriam*, ἴλη *turmam* sonet. Proprie loquendum erat hic, cum Arrianus dicat ab Alexandro singulas ἴλας seu turmas εἰς δύο λόχους in duas decurias diuisas esse. Sequitur in Arriano: Καὶ λοχαγοὺς ἐπέστησε τοὺς κατ' ἀρετὴν προκριθέντας ἐκ τῶν ἑταίρων. Vulcanius interpretatus: *Ad hoc munus ex sociis eos, qui virtute bellica præstitissent, elegit.* non proprie. melius

lius Facius: *Quarum ductores delegit ex amicorum numero lectis, qui maxime virtute præstarent.* Verius tamen transtulisset etiam Facius, si λοχαγὸς, *decuriones* proprie dixisset. quamuis λοχαγοὶ ductores sint, nomen *Ductoris* generale est, & vocem λοχαγὸς non exprimit, qui sunt proprie decuriones, sicur λόχος est decuria. Raderus. Quem tamen verborum nimium tenacem in ipsa re offendisse deprehendo. Dum enim λόχους & λοχαγοὺς præcise *decurias, & decuriones* vult reddi, non animaduertit se turmas seu potius *alam*, quod est ἴλην, viginti hominum constituere, quam scimus longe fuisse plurium. nec certe valde honorasset amicos Alexander, si quemque eorum decem equitibus præposuisset. Scio quidem aliquando λόχον denotare decuriam, vbi nimirum res coincidit: sed non semper. Frustra sumus si Græcis nominibus æquipollentia apud Romanos quærimus: cum ipsæ res variauerint. Sufficit vt quam potest proxime accedentes, ἴλην *alam* vertamus, λόχους *turmas: Instituit in singulis alis turmas duas, cum ante nullæ essent turmæ.*

DELECTIS) Sic feci, cum bene huc inclinarent alii codd. & præsertim MSS. qui iidem paulo supra *præfectis* maluerunt. Idem obseruaui fieri in Gallico Nanceii præsidio, vt nimirum quoties stationes atque vigiliæ locabantur, sorte ducerentur qui centuriones cuique cohorti præessent, quo ignaris quos secum habituri forent, nec conspirare inter se, aut cum hoste; nec si conspirassent, exsequi consilia in expedito esset.

5,2,7. *PERTICAM)* De signis pugnæ Lipsius de Mil. R. 4, 12. vbi hunc Curtii locum adducit. *Nec,* inquit, *huic rei aliud legi, nisi si forte in Curtio de Alexandro, qui cum tubæ sonus haud pariter ob omnibus exaudiretur, cum castra mouenda essent,* Perticam quæ vndique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum. *Sed id quale fuerit,* inquit Lipsius, *non dicit.* Imo dicit, & statim sequenti versu; *Obseruabatur ignis noctu, fumus interdiu.* Hoc erat ergo signum profectionis: quemadmodum Israëlitis castra mouentib. per diem nubes, per noctem ignis præcedebat, signa à DEO assignata, & nunquam à castris recedentia. *Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes; à vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque mane.* Num. 10, 15. De signis aliorum gentium, & Romanorum, Lipsius vbertim. Raderus. Hæc igitur pertica cum in modum comparata fuerit, quo in plerisque ciuitatibus passim prominent, quibus in extremitatibus adnexæ sunt lucernæ, susciendis funibus pice & sulphure in alimentum clarioris flammæ subactis: vt in incendio vel tumultu nocturno vicatim succensi, lucem præbeant vltro citroque discurrentibus. Hodie tormenta disploſa in quocunque fremitu satis exaudiuntur.

OBSERVABATVR) Libenter omiserim hoc verbum; & reliqua aptius cohæreant præcedentibus.

IGNIS NOCTV) Tum enim latissime conspicitur. Igitur ob euidentem vsum, consensu receptum hoc signum. Vegetius 3, 5. *Si diuisæ sint copiæ, per noctem flammis, per diem fumo significant sociis, quod aliter non potest nunciari.* Exemplum in Appian. lib. 1. de bel. Ciu. de Bouianis à Sylla superatis: *Ille nonnullis præmissis, quam primam ex omnibus arcem ascendere possent, iubet occupare, deinde ex fumo rem notam sibi facere. Prodeunte igitur fumo &c.* Idem de bel. Hisp. *Interdiu rubro panno hastæ prælongæ infixo, noctu vero igne signum datum.* Liu. 21, 27, 7. *Postero die profecti ex loco, prodito fumo significant se transisse, & haud procul abesse.* Idem 32, 12, 1. *quum verticem, quem petierant, Romani cepisse ac tenere se fumo significarent.* Vide Sigon. in Liu. pag. 54. f. Cæsar. de bel. Gal. 2, 33. *Celeriter, vt ante Cæsar imperauerat, ignibus significatione facta ex proximis castellis eo concursum est.* Idem ibid. 5, 48. *Fumi incendiorum procul videbantur,*

quæ res omnem dubitationem aduentus legionum expulit. Thucyd. 2, 20, 5. *Ab his, qui expugnabantur leuati sunt ignes Athenas versus, aduentum hostium significantes.* & 3, 4, 13. *Faces hostilis aduentus indices Thebas versus sublatæ sunt.* Et Polyb. 2, 26. *Cognito Consulis aduentu, id enim per nocturnos ignes intelligebatur.* Frontin. 2, 5, 16. elegans ex hoc more strategema refert: *Arabes cum esset nota consuetudo eorum, qua de aduentu hostium interdiu fumo, noctu igne significare instituerant, vt sine intermissione ea fierent præceperunt; aduentantibus autem aduersariis intermitterent: quâ cum cessantibus luminibus existimarent ignorari aduentum suum, auidius ingressi, oppressique sunt.* Eum etiam morem igneorum signorum ad Siciliam suam venuste transtulit elegantissimus Barclaius lib. 1. Argen.

5,2,8. *ABVLITES)* Hæc omnia ex Diodoro 17, 65. non solum expressa; sed propemodum etiam translata. vbi *Abuleten* vocatur. & apud Arrian. 3, 4, 11. Hunc tamen postea Alex. cum ex Indis reuerteretur, & inopia pabuli laboraret, quod non cum commeatu necessario occurrisset, in vincula compegit, vti Plutarchus cap. 118. testatur. Arrianus 7, 1, 14. vna cum filio occisum tradit, quod res Susianorum male administrassent. Raderus. Eo loco & 3, 3, 20. apud Arrian. etiam scribitur Abulites. Interpreti Zonaræ male, *Abulitus.*

FILIVM) *Oxoathrem,* vt ex Arriano 3, 3, 11. constat. Hunc Alex. Plutarcho cap. 118. teste, postea hasta traiecit. Plutarcho *Oxyartes* dicitur. Arriano 7, 1, 14. *Oxathres.* Raderus.

5,2,9. *CHOASPEN)* Alii male *Hydaspen.* Vt & Ortelius notauit. quem non intellexit Raderus, cum scriberet eum *dubitare idemne sit Hydaspes & Choaspes. sed frustra esse.* nunquam enim id Ortelio in mentem venit: sed hoc, corrigendum esse Curtii locum. Idem vitium aduertit correxitque in libris Solini cap. 37. Salmasius ille, in exercit. Plinian. p. 699. D.

DELICATAM) Bongarsius coniiciebat; *regibus dedicatam,* quo sensu retento propius scripturam esset *regi dicatam.* Scimus enim ex Herodoto 1, 188. Strabone lib. 15. Plinio 31, 3. Solino cap. 33. & Eustathio ad Dionysii versum 1073. ex eo solo reges Persarum bibere consueuisse. Ea tamen ipsa res argumento sit, non male scribi *delicatam,* nec enim aliter eam aquam delecturos fuisse credibile est. Non prætercundum videtur quod Plutarch. de exsulio c. 8. de eo Persarum more dubitabundus loquitur.

5,2,10. *OPES VICTI)* Liuius 45, 27, 4. *Inchoatas in vestibulo columnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinauit.*

5,2,11. *L. MILLIA)* Totidem Arrianus 3, 3, 18. At Iustinus 11, 14, 9. Diodorus 17, 66. & Plutarch. c. 66. *XL. millia* habent. Bernegg. in Iustinum. L. millia talentum efficiunt tricies millies centena millia Philippæorum [immo 30000000. tricies millies mille Philippæos] hoc est, vt vulgo loquuntur, triginta milliones. Raderus.

5,2,13. *REGIA SELLA)* De hoc Curtii loco & sella regia copiosissime disputat Brissonius lib. 1. pag. 50. de regno Persarum, quem consules. Raderus. Adde Bulenger de Imp. Rom. 2, 29. Consedit autem ea in sella Alexander vt opere ipso ostenderet, opes Persarum imperiumque se tenere. Notatum aliquid simile in Hist. Misc. 16, 7. de Belisario: *Carthaginem introiuit, & adscendens palatium, in Gelimeris solio sedit.* ostentui nimirum, Vandalis nunc imperitare Romanos & horum principem Iustinianum.

5,2,15. *HOSPITALES DEOS)* Mensæ enim (quæ Persis aureæ & argenteæ) diis sacræ, quibus statuæ deorum inferebantur, veluti tutelæ mensarum &

conuiuiorum. Martialis de sigillo Herculis in mensa Alexandri Epigramm. 9, 44.

Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe iacet.

Et Satius 4, 6, 32. de eodem

- - - Castæ genius tutelaque mensæ

& 4, 6, 59. *- - - - - Pellæus habebat*
Regnator lætis numen venerabile mensis.

hospitales deos vocat, quod velut conuiuæ & hospites ad mensam inuitarentur, & in ipsa mensa eorum statuæ collocarentur. Raderus. Pertinent eo extremi versus citati ab Radero epigrammatis:

Vtque fuit quondam placidi conuiua Molorchi,
Sic voluit docti Vindicis esse deus.

LIBAVIT) Epulas diis libasse Persas & velut cœnæ primitias iis dedisse, docet Xenophon pr. lib. 7. παιδ. *Cyrus ita vti consueuerat, delibatis cibis prandebat; & semper ei, qui maxime indigeret, impertiebatur; quumque post libationem precatus esset, tum ipse bibit, tum ceteri, qui aderant, similiter fecerunt.* [non enim interpreti negligenda erant verba ὕστερ ἐπόιει, quæ libationem etiam comprehendant] Brissonius de regno Pers. lib. 1. p. 177.

5, 2, 16. *XENOPHILO)* Huius & Callicratis nulla nec apud Arrianum 3, 3, 20. nec Siculum 17, 65. mentio: decerpsit enim sua Curtius ex pluribus. Sed ex Arriano & Plutarcho æuo posterioribus non potuit. Raderus.

MACEDONVM) Sic malui cum melioribus libris, quam vt exprimerem certum numerum, quem suspicor ab aliis ingeniose magis, quam vere, ex prima voce istius litera dempsum. legimus infra quoque 7, 3, 23. hos in coloniis relinqui solitos. In ceteris etiam huius periodi magis vett. Codd. & meum iudicium sequutus sum.

5, 2, 18. *HIS, QVÆ)* Sic optime Pal. 1. Feminas enim fuisse consentaneum est: idque mox patebit ex notatis ad 5, 2, 20.

5, 2, 19. *IVSSIT)* Haud dubium quin hoc verbum non iteraverit Curtius, scripsisse credam: *tradi Sysigambi iussit (omni namque honore eam, & filij quoque pietate prosequebatur) admonerique &c.*

DONOQVE) Ne cogitarent sibi opera sua victum deinceps parandum, sed tantum vt tempus commode exigerent. Raderus.

IN CONVMELIAM) Seruile enim id munus. Inde quæ in seruitutem incidebant, inter cetera vilia ministeria, hoc quoque memorabant, vt Hector ad Andromachen. Homer. Ilias 7. 454. *quando aliquis Achiuorum loricatorum Lacrymantem abduxerit, liberum diem eripiens: Et Argis agens ad alterius telam texeris.* Briseis Ouidiana in Epist. ad Achillem versu 69.

Vicferem captiua sequar, non nupta maritum:
Est mihi quæ lanas molliat, apta manus.
Inter Achæiades longe pulcherrima matres
In thalamos coniux ibit, eatque, tuos &c.
Nos humiles, famulaque tuæ data pensa trahemus:
Et minuent plenas stamina nostra colos.

Apud eundem in epist. Heroid. Deianira id exprobrat Herculi apud Omphalen famulæ more colo manum admouenti, versu 77.

Crassaque robusto deducis pollice fila,
Æquaque formosæ pensa rependis heræ.

Valer.

Valer. Flaccus 3, 139. *- - famulasque fatigat*
Velleribus. Polyxæna in Euripidis Hecuba v. 360.
- - - quicunque argento me emet,
Adigens me ad panificium in ædibus,
Verrereque domum, & radiis textoriis insistere,
Tristem agentem diem, me coget. Et certe feminam principem iuberi cogique manus admouere lanæ, contumeliosum est. Sicque arbitratum Lycurgum eo munere soluisse mulieres suas, idque mandauisse ancillis, tradit Xenoph. in pr. de Lacedæm. republ. Persides etiam forte nimio luxu opinatæ sunt, fastigio suo indignum esse, si quacunque causa, manus labore occuparent. Sed apud meliores id haud quaquam indecorum fuit, vt mox videbimus.

5, 2, 20. *PERVENIT)* Malui *perrexit.*

ETIAM OPVS) Pheretima mater Arcesilai regis Cyrenæorum, multis beneficiis affecta ab Euelthone principe Salaminis, ad quem exulatum profugerat, tandem etiam exercitum pro reducendo filio rogauit, qua importuna rogatione turbatus Euelthon, fusum aureum misit & colum penso circumdatum, talia deberi munera muliebri arrogantiæ rescribens, non exercitus. Herod. 4, 162. Cyrus adignauiam reducturus Lydos, non tantum habitum, sed & opera muliebria iis imperauit, texere & psallere. Herod. 1, 155. Polyæn. 7, 6, 4. Iustin. 1, 7, 12. Salomon Prouerb. c. vlt. dum describit operas probæ mulieris. *Cum lana, inquit, & lino occupatur, vestem & stragula ipsa sibi texit. Manum suam extendit,* vt legit vulgata, *ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Nec dissimilia officia eidem asscribit Virgil. Æneid. 7, 247.

Iliadumque labor vestis - - - & 8, 410.
- - - femina primum,
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerua
*Impositum - - Græcorum Regum filias & vxores non abhorruisse telas operosæ Mineruæ ex Homeri testimoniis & Penelopes penso notum est. De Romanorum moribus testatur Arnob. lib. 2. *Matres familias vestræ in atriis operantur domorum industrias testificantes suas.* Nam Lucretiam omnes prædicabant, quod cum ex improuiso superuenissent, haudquaquam, vt regias nurus, quas in conuiuio luxuque viderant, tempus terentes, sed sera nocte deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inuenerint. Liuius 1, 57, 8. Tatius cum pacisceretur cum Romulo de raptis Sabinis etiamsi eas ab omni opere immunes haberi vellet, lanificium tamen iis iniungi concessit. Plut. in problem. [vel potius in Romulo cap. 35.] in cuius rei argumentum Iberorum vxores olim colum & fusum cum stamine ad maritum deferebant. Alex. ab Alex. 4, 8, Augustus ad hanc faciem filiam & neptes instituit, vt lanificio assuefaceret. Suet. in August. 64, 4. cui soli omnes feminas olim studuisse auctor est Plutarch. de clar. mulier. nec veste temere alia, quam domestica vsus est Augustus, ab vxore & sorore, & filia neptibusque confecta. Sueton. Aug. 73, 2. Viteis Rex Chinensium ad fusum & acum adeo detrusit mulieres, vt ne fuam quidem vxorem aliis operis voluerit traducere vitam. Hieron. Henning. in Geneal. Chin. Icti inter operas, quas vxor marito debet, l. *sicut* 48. de oper. libert. lanam carpendi, & vestimenta viro conficiendi artem annumerant, l. *sed si vir* 31. in pr. & §. 1. de donat. inter vir. & vxor. vnde colligit Accurs. in l. *si paterno* C. de negot. gest. fuere & texere esse proprium mulierum, cui subscribit Homer. Iliad. 6, 490. sub persona Hectoris increpantis vxorem: *In domum vadens tua ipsius opera cura, Telamque columque, & ancillis iube Opus accedere: bellum autem viris curæ erit.* Imitatus est Ouidius Metamorph. 12, 474.

- - - Columque

I, cape cum calathis, & stamina pollice torque,
Bella relinque viris. - - - Et Naumachus Poëta apud Stob. serm. 71. *Externa negotia, quæ conficere potest* (vir) *ipse relinques. Tibi vero cura rei familiaris sit, & custodia domus.* Hæc ex Arnisæ de Repub. cap. 2. Sect. 12. num. 82. & deinceps. De Lucretia est etiam elegans Ouidii locus Fastor. 2, 741.

Inde ubi passis petitur Lucretia: cuius
Ante thorum calathi, lanaque mollis erat:
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant
Inter quas tenui sic alii illa sono &c.

Quibus paria; quamquam de impari femina, Propertius 3, 5, 15.

Tristis erat domus, & tristes sua pensa ministræ
Carpebant, medio nebat & ipsa loco.

Assyriorum feminis id haud indecorum visum ex Iustino 1, 3, 2. patet: vbi Arbactus *inuenit* Sardanapalum *inter scortorum greges purpuram colo nentem, & pensa inter virgines partientem.* Quod in gynæceis factum, ostendit Claudianus in Eutropium 1, 273.

Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ,
Tu telas, non tela pati, tu stamina nesse;
Tu segnes operum solers vrgere puellas,
Et niueam dominæ pensis inuoluere lanam.

Ex eo more profecta contumelia Theodoræ Augustæ in Narsetem, Paul. Diac. de gestis Longobard. 2, 5. *cui illa inter cetera, quia eunuchus erat, hæc fertur mandasse, vt cum puellis in gynæceo lanarum faceret pensa diuidere.* Porro, Homer. Il. 6, 289. Sidonias mulieres commendat à texendi peritia. & Xenoph. lib. 6. παιδ. innuit inter alia quæ Panthea donauit viro, nec ipsa potuit fabricare, confectam ab ipsa fuisse purpuream tunicam. Idem Xenoph. memorab. lib. 5. qui est de admin. domest. feminarum opus esse vult *vestis ex laneis elaborationem.* & in pr. de Laced. Rep. scribit, Græcos exceptis Spartanis, *puellas ab omni motu liberas lanificium exercere voluisse.* Augustum vestibus à Liuia sua confectis vsum, ex Suetonio meminimus. Eodem traho somnium Germanico visum apud Tacit. 2, 14; 1. *sanguine sacro respersa prætexta, pulchriorem aliam manibus auiæ Augustæ accepisse:* vt scil. illa prætexta auiæ *non modo donum sed etiam opus* fuerit. Vt Pantheam Xenophon, sic Argiam viro suo vestem neuisse fecit Statius Thebaid. 11, 400.

- - - - *opus ipsa nouarat*
Mæoniis Argia modis, & pollice docto
Stamina purpureæ sociauerat aurea telæ.

& Parthenopæo matrem 9, 691.

- - *hoc neuerat vnum Mater opus* - - Simile de matre Euryali Virg. Æn. 9, 488. Idem de Horatia commemorat Liuius 1, 26, 2. de paludamento quod sponso suo neuerat. Sed & Helenam; quamuis Spartana esset, *ita domi fuisse institutam & assuefactam*, adductis aliquot Homeri locis ostendit Athenæus 5, 4. Vnde patet, eum morem, cum prius obtineret Lacedæmone, Lycurgum immutasse, vt ante ex Xenophonte didicimus. Qui idem lib. histor. Græc. Leontiadem polemarchum Thebanum interemptum narrat, *adsidente vxore, quæ lanificium exercebat.* Apud Romanos id exercitium matronarum omni tempore fuisse, cum adductis exemplis, patet ex Symmachi ep. 8, 67. *Interea, Domina filia, honoratum me opimo lanificij tui monumento satis gaudeo. Vna quippe & amor in parentem tuum & industria matronalis inclaruit. Sic priscæ feminæ vitam coluisse traduntur &c.* Idem epist. 40. eiusdem libri de eadem: *quæ se contexendis in apparatu ludorum vestibus religiose à nobis voluit commoueri.* Sozomenus Hist.

Hist. Eccles. 9, 3. narrat Pulcheriam & sorores *pro honestarum mulierum consuetudine, texturis & huiusmodi operibus vacauisse.* Europe apud Horat. Od. 3, 27.

- - - - *nisi herile mauis*
Carpere pensum.

Qui plura desiderat, adeat Titaquellum in leg. connub. 10. num. 38. & deinceps. Dempsterum ad Antiquit. Rosini lib. 1. in Paralip. de Sango deo & lanificio Tanaquillis. & Bernartium ad ista Statii 4, 202.

Stat, dubium cœtu solante timorem
Fallere - - Sansouin. de regnis pag. 42.

5, 2, 22. *CONSIDERE*) Similem apud Romanos fuisse morem indicant illa Capitolini Gordian. cap. 6. *Socero Iuo Annio Seuero tantum detulit, vt in familiam eius quasi filium migrasse se crederet, vt nunquam cum eo lauarit, nunquam illo præsente sederit ante præturam.* & Tertull. de orat. cap. 12. *Irreuerens esse adsidere sub conspectu, contraque conspectum eius, quem maxime reuereris, ac venereris.* Quare non frustra monet Curtius 8, 6, 5. *honorem habitum* principum liberis, *quod licebat sedentibus vesci cum Rege:* Pertinet huc, quod eruditissimus Cunæus de Republ. Hebr. 1, 14. probat, *sedendi ius in atria sacerdotum soli regi datum, non ipsis sacerdotibus, nec aliis.*

5, 3, 1. *PASITIGRIM*) Ne fallare, non est Tigris ille supra descriptus, qui cum Euphrate Mesopotamiam efficit &c. Raderus. Vide omnino Salmasium in Solini caput 37. pag. 701. Vbi tamen quod p. 702. c. eundem fluuium *Choaspen* veteribus, recentioribus *Eulæum* vocari tradit; contra quis putare possit, ex Daniele 8, 2. vnde constat Susa vrbem sitam fuisse ad flumen אוּלַי *Vlai*, quod mire congruit cum *Eulæo*, seu *Eulæo* Græcorum. vt monet Schickardus in suo Tarich. Affert & aliam dubitandi causam Fern. de Cordoua in cap. 31. didascal. multiplicis, quem vide.

5, 3, 3. *AGRIANIS*) Hæc satis corrupta sunt in Codicibus. Alii *Satrianos* addunt, quos vt Agrianorum istorum illegitimum partum, excesse iubeo. reliqua sic constituam: *atque Græc. mercenariis militibus, tribus additis millibus Thracum.*

5, 3, 4. *MADATES*) Hinc corrigi potest Diodor. 17, 67. in cuius exemplaribus legitur ὑπὸ Μίτυ; in aliis, ὑπὸ Μαδάτυ, scribe ὑπὸ Μαδάτυ. facit hanc correctionem certiorem Xenophon, ex cuius παιδ. lib. 5. coniicere liceat, hoc nomen esse Persicum. Quid autem in aliis auctoribus addatur dematurue huic narratiunculæ, quilibet harum rerum studiosus, ex ipsa collatione perfacile deprehendere poterit. Tangit & Strab. lib. 15. *Sunt & aliæ complures angustiæ Vxios transeunti iuxta Persiam, quas Alexander vi permeauit.*

5, 3, 5. *SVPER CAPITA HOSTIVM*) Quod optimum in tali rerum statu, vel etiam vnicum est consilium. Ita visum viro & duci sapientissimo Xenophonti lib. 4. ἀναβασ. *Multo potius fuerit, aliquam deserti montis partem clam ipsis furtim nos occupare &c.* Fecitque Alex. cum hic, tum alibi apud Curtium. Ita liberatos exercitus Romanos à Decio primum, mox à Calpurnio meminimus ad Florum 2, 2, 13. l. & à Germanis Cæsar de bel. Gal. 7, 67. Idque obseruari præcepit Onosander strateg. cap. 7.

5, 3, 7. *PLVTEIS*) De his vide Lipsii Poliorcet. 1, 7.

5, 3, 9. *SIMVL IAM*) Alii, *simul admouens iam.* ex quo coniecerat Bong. *Simul admonens.* Eam vocem omnino sustulerat Modius, sed intercedit Acidal. glossam potius ista arbitratus, *inter hæc.* Nam, inquit, *simul admonens iam*, valet, interea dum admonet etiam; dum milites adhuc instigat. Is particulæ *iam* vsus etiam infra 9, 5, 12. *vt, antequam vltimus spiritus deficeret, dimicans iam extingueretur.* pro, dum etiam dimicaret, inter ipsum dimicandum. Apuleius fere consimiliter lib. 6. *Et simul dicens:*

dicens libellum ei porrigit. Ego tamen potius cum Modio voculam *admonens* exturbem, quæ in his libris, cum sui similibus, sæpe locum alienum insederunt; dum cetera sic ordinentur: *castelli exigui & ignobilis simul? Iam inter hæc eminus petebatur.*

QVI VT) Sebis. legebat *quem vt &c.*

5,3,14. *VT IPSAM)* Qui vim verbi *excusares* non perceperunt, sic mutauere. sed recte se habet vetustior lectio *vt ipsum*: melius etiam si facias *id ipsum.* Indicem adi.

5,3,15. *SINE TRIBVTO)* Contra Arrianus 3,3,26. narrat *tributum annuum impositum, equos centum, iumenta quingenta, pecudum 30000. quod pecunia signata carerent.* Raderus.

5,3,16. *CONTRIBVIT)* Ab vno Satrape interdum plures prouinciæ regebantur. Sic Lydiæ Ioniæque totiusque Phrygiæ eundem Satrapam, Æmilius Prob. in Datame, & Arrian. 1,5,18. commemorant. Herod. quoque 5, 127. Oroetem, νόμων τῶντε φρυγίων καὶ λυδίων καὶ Ἰωνικῶν, obtinuisse refert. Apud Arrian. 6,5,3. Stasanor, ὁ Ἀρείων, καὶ ὁ Σαράγγου Satrapes. Ibidem Phrataphernes παρθυαίων καὶ Ὑρκανίων, Satrapes. Sed & Xerxe regnante vnum eundemque τῆς Συρίας, καὶ Φοινίκης, καὶ Σαμαρείας ὕπαρχον fuisse ex Iosepho 11, 8. & Esdra 3, 6. patet. quibus in locis ὕπαρχος appellatur, qui alias *Satrapes.* Brisson. lib. 1. de regno Pers. pag. 113. Adde supra ad 5,1,43.

5,3,17. *PERSIDEM)* At quomodo Persidem prius intrare potuit, quam Susidas pylas. Certe latet hic ingens vitium aut scriptoris, aut voluminis. Ego magnopere velim exsectis duabus vocibus legere; *Omni hac regione vastata, die quinto* (*die quinti* diceret Agellius) *angustias &c. intrauit.*

PYLAS) An & sic legendum in Diodoro 17, 68. τὰς Σουσίδας καλουμένας πύλας pro πέτρας?

QVINDECIM) Ex Diodoro, quem hic maxime sequitur, legend. XXV. quamquam Arrian. 3, 4, 2. quatuor tantum millia tribuat Ariobarzani.

DE INDVSTRIA) Simulationis huius multa passim exempla. Liuius 29,34,12. *Masanissa ex composito, nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo cum timoris simulati specie audaciam hosti faceret, ad insequendum temere eliciebat.* Proprium id esse Parthorum notaui ad Flor. 4, 10, 3. g.

5,3,19. *INVLTI FERARVM RITV)* Explicaui hæc ad Florum 3,3,17. m. Locis ibi citatis adde Quid. Metam. 9,131.

- - *neque enim moriemur inulti.*

Habent autem hic quidam libri vocem abundantem, *quod inulti quidem ferarum ritu*, quod non incommode mutari possit ex Bong. *quod inulti, quod fer. ritu.*

5,3,20. *ALIVS ALIVM LEVANTES)* Sic apud Nicetam lib. 3. de Alexio, in oppugnatione Prosaci Blachorum castelli: *erant qui per præcipites tramites fumibus sese attollentes, & in rupibus instar caprearum hæsitantes, mania transcendere, & in ipsam arcem euadere niterentur.* Cæsar. de bel. Gal. 7, 47. *L. Fabius &c. tres suos nactus manipulares, atque ab iis subleuatus murum adscendit. eos ipse rursus singulos excepta, in murum extulit.* Xenophon ἀναβαν. *Cherisophi copiæ quum tubam audiissent, mox sursum via manifesta tendebant, præstantibus ceteris per tramites non tritos, qua quisque forte fortuna peruenerat, pro viribus sursum pergentibus, hastisque se mutuo subleuantibus.* Denique sunt in toto isto libro plurima egregia de itinere per loca ardua & ab hostibus obsessa faciundo, quæ vtile sit conferri cum Curtio. Nos ad præsentem obseruationem de mutuo auxilio in conscendendo, adiiciemus adhuc eximium Liuii locum de arce Illiturgitana capta 28, 20, 2. *Leuium corporum homines, & multa exercitatione pernicium,*

cium, clauos secum ferreos portantes, qua per inæqualiter eminentia rupis poterant, scandunt. Sicubi nimis arduum & leue (sic scrib.) *saxum occurrebat, clauos per modica interualla figentes, quum velut gradus fecissent: primi insequentes extrahentes manu, postremi subleuantes eos qui præ se irent, in summum euadunt.* Quem locum compara cum Curtiano infra 7, 11, 13.

5,3,21. *TANTÆ MOLIS)* Quibus etiam in oppugnationibus vrbium, non homines modo, sed & machinæ comminuuntur. Vide Lipsii Poliorc. 5, 4.

PVDOR) Qui hercle non minus vrit animos generosos: vt aliquando vel mortem præoptent. sic apud Flor. 2, 6, 17. *Paulum puduit.* Et 4, 2, 34. *Curioni pudor suasit, vt amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur.*

5,3,22. *AD EAM)* Ex Pal. 1. est, quod prætuli vulgato; *ante eam diem.*

MARI) Tangemus volente DEO, in supplemento.

5,3,23. *TRIGINTA)* Quid est, quod Siculus 17, 68. vnde totus hic locus expressus, *trecenta stadia regressum* dicat? longa locorum intercapedo est trecentorum stadiorum. Trecenta stadia efficiunt nouem milliaria Germanica cum sesquiquadrante; triginta autem non plenum milliarium. Nullum tamen reor mendum intercedere, eo quod Curtius tantum de angustiis loquatur, per quas ad vnum prope milliare est Alexander ingressus; Siculus vero de toto itinere & loco castris in campo delectis. Raderus.

5,4,2. *PRÆDICERE POTERAT)* In Serenissimæ Reginæ CHRISTINÆ Bibliotheca MS. fuit, in quo desiderabatur *re poterat.* quod si recipimus, leg. est, *prædiceret.*

PER MEDIAM) Extremæ dementiæ damnant Alexandrum, qui *medium iter*, sic enim vulgo legitur; interpretantur *regiam populumque viam per campos, Græcis* λεωφόρον. si enim tale iter ea parte patuisset, Alexander cum aperto discrimine, nulla vrgente necessitate, nullo temeritatis præmio, impeditos illos arduosque calles eligeret? Quanto æquiorem iudicem habuit Virum præstantissimum Bongarsium, qui & veram lectionem diuinauit, adiutus MSS. suis, in quibus erat *per medium iter:* quam lect. & alii MSS. fouent. Et sane apertior Persis qua Medos adspicit. situm locorum, atque descriptionem, quæ mox num 5. subiicitur, introspice. Hinc apud Diodor. 17, 68. periti locorum negant *alibi patere iter*, ea scilicet parte, qua ingredi conatus erat Alex. vbi igitur ista via regia? *multorum tamen dierum circuitu intrari posse.* Curtius etiam addidit qua intrari possit, *per Mediam* scilicet.

5,4,3. *INSEPVLTOS)* Vide supra ad 3, 12, 13. & citatos à Radero Homer. Il. ψ. vers. 110. &c. & ω. versu 554. Alex. dies genial. 3, 3. Plutarch. Demosth. c. 29. Panormitanum lib. 1. de rebus Alphonsi regis. Virgil. Æn. 11, 102.

5,4,4. *QVIDAM)* An Pharnuches Arriani 4, 1, 16.

5,4,5. *PERSIS)* Persidem Strabo quoque lib. 15. descripsit, & post hunc Plinius 6, 27. Solinus cap. 54. Ammianus Marcellin. 21, 18. Sed parum inter se & cum Curtio consentiunt. Quicquid est terrarum & montium inter mare Caspium à septentrione, & sinum Persicum, seu mare rubrum à Meridie, Persidi assignatur. Hodie tractus ille, qui est inter Tigrim, sinum Persicum, mare Indicum, seu rubrum, Indum & Iaxartem & Caspium mare, à Sophis Persiæ regibus possidetur, quam terrarum portionem Agrippa apud Plin. 6, 27. Medis, Parthis, & Persis attribuit. Raderus.

M. DC. STADIA) Longitudo ex Eratosthenis apud Strabon. lib. 15. sententia ad Caspias portas 8000. stadiorum est, milliaria nostratia 250. Reliqua non est supra 2000. stadiorum, nostratia 62. & semis. Longitudo in mediterranea à Susis Persepolim stadiorum 4200, milliaria nostratia centum & vnum supra triginta.

Hinc

Hinc vsque ad Carmaniæ fines 1600. stadia, milliaria nostratia 50. & hanc postremam dimensionem accepit Curtius tantum, qua regio porrigitur in longum. Raderus.

HOC DORSVM) Ab Occidente ergo ad Orientem per iuga & dorsa montium tendamus, Susis ascendamus, per Persidem transeamus, Carmaniam superemus, Drangianam percurramus, ac tandem in Paropanisum altissimum & asperrimum montem enitamur. qui Ptolemæo Caucasus est, totius Asiæ eminentissimus, glacialis & caluus, de quo infra copiosius. Ad hunc, Larnacem Noachi applicitam ait Goropius in Indo-Scythicis pag. 473. Hanc montium catenam intelligit hic, quam dorsum appellat Curtius, per quod post terrarum inundationem reliquiæ humani generis in larnace seruatæ paulatim ex Oriente & Paropanisо seu Caucasо ad Babylonem sunt profectæ, sese que tandem in campos demissere, & Babylonem condidere. Est enim Caucasus mons Goropio ex antiquis id docenti tam longe extensus, vt Taurum etiam qui à Pamphylia surgit, ab eodem deriuari dicant, & alios quamplurimos montes ingentes, qui pro diuersitate gentium diuersas sortiuntur appellationes, quos Plinius 5, 26. vnius Tauri nomine complexus est. Idem Plinius breuius de Persarum regnis: *Namque Persarum regna quæ nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria Persicum & Hircanum Caucasiis iugis attolluntur.* Strabo pr. lib. 11. clarissime: *Taurus eam continentem (Asiam) mediam fere cinguli in morem diuidit ab occasu ad ortum porrectus manque eius partem versus meridiem relinquens. Latus est Tauri sæpe etiam 3000. stadiorum, longitudine (quanta etiam Asiæ est) 45000. à continente quæ Rhodo opposita est, vsque ad extremitates Indiæ & Scythiæ Orientales.* Raderus.

5,4,7. *ARAXES)* De hoc vide Plutarch. de fluminib. cap. 23. Strab. lib. 15. Obseruandum ab Herodoto 1, 202. Araxen nunc Istro maiorem, nunc etiam minorem dici. Nam Ister Araxe haud dubie maior est circa ostia, minor circa fontes. Mela 3, 5. graphice nobis fontes, cursum & ostia Araxis proponit. Solin. cap. 15. cum Plinio 6, 9. fontes Araxis ex Heniochorum montibus, breuibus ab Euphrate interuallis deriuat, atque in Caspium mare exonerat. Raderus.

IN MEDVM) Rara Medi fluminis apud alios scriptores & geographos mentio. Strabo tamen lib. 15. non præterit, quem Araxe excipi affirmat, non Araxen Medo, vt Curtius tradit. Ferri à mari, ait Curtius, ad Meridiem, à Septentrione ergo & Caspio mari. *Minor amnis*, inquit, eo quem accipit. Araxes enim maior. Sed cum à mari in Meridiem fluat, quomodo rursus in Septentrionem versus in Caspium exoneratur? cum enim Araxen excipiat, & Araxes in Caspium delabatur, vbi hæret Medus? Strabonem sequamur, qui Medum in Araxem decidere docet, per quem rursus ad Septentrionem in Caspium deuehitur. Quæ sequuntur apud Curtium de Medo apto ad herbas gignendas &c. omnia rectius Araxi adscribuntur. Raderus.

A MARI) Alii *à mare*, quomodo potuisse dicere Curtium, ostendit Raderus exemplis Ouidii in Ibin vers. 198.

Et summum Lybico de mare carpat aquam.

Atacini: *Cingitur Oceano, Lybico mare, flumine Nilo.*

& Plauti: *Dicant in mare Commani captos.* Ipse tamen malit legere: *ad mare meridiem versus*, quod Medus in montibus Septentrionalibus ortus ad mare Persicum, quod è regione Caspii est, versus, iterumque flexus in Caspium demum delabitur. Habent & Impr. quidam, *ad mare & ad Merid. versus* mihi tamen vulgata longe videtur potior.

5,4,11. *LYCIVM CIVEM)* Ciuem ergo non cognomento, *Lycium*, vt perperam putat vir doctus. Similem historiam, vt fere solent variis accommodari miracu-

miracula, de Cyro tradit Iustin. 1, 6, 1. *Somnio monito, vt quam primum postera die obuium habuisset, socium ceptis assumeret.*

5,4,12. *MONSTRARET)* Rectius legas, monstrare.

5,4,13. *EORVM)* Impense placeat *meorum*, si absint & illa, *qui sequuntur.*

5,4,14. *PLVRES IGNES)* Hoc consilium Frontinus contulit in lib. 2. stratagem. num. 15. cap. 5. quod est de insidiis. Huius generis stratagemata plura apud Liuium & Romanis in historiis leges, vt de Crasso contra fugitiuos pugnante, ex ipso Liuio Frontinus quoque eodem cap. ostendit. Raderus. Imitatus id est Eumenes apud Plutarch. c. 28. apud Liuium 21, 32, 12. & 22, 42, 8. Hannibal. & 36, 16, 11. *Ap. Claudius castra metatus latius quam pro copiis, & plures quam quot satis in vsum erant, ignes quum accendisset, speciem quam quæsierat, hostii fecit: omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse.*

SAGITTARIIS EQVITIBVS) Inseritur alicubi, *& sagittariis (ducensis) & equitibus.* Male. Non nouerant illi genus hoc equitum, non temere quidem alias Curtio etiam nominatum. Apud Arrianum frequentius est, qui ἱππακοντισὰς vocat. vt lib. 3. Ἀναλαβὼν ὁ τοὺς τε ἱππέας ἱππέας καὶ τοὺς ἱππακοντισὰς, καὶ τοὺς τοξότας. Vbi per viam moneo corrigendum [male: sic enim & 3, 4, 1. & 4.] leuiter ἱππέας. Nec vertendum fuit de sociis equitibus, aut capiendum de amicorum ala: sed hoc dicitur, & alios equites & hos sagittarios siue iaculatores cum peditibus etiam sagittariis assumptos. Acidalius. Id genus equitum alii vocant ἱπποτοξότας. vt Hirtius de bel. Afric. cap. 19. *Sagittariis ac funditoribus, hippotoxotisque quamplurimis.* & ipse Cæsar, de bell. Ciu. 3, 4. *CC. ex Syria à Comageno Antiocho missi erant, in his plerique hippotoxotæ.*

5,4,15. *EVM)* Bene habet hæc particula. Sic modo; *ipsum regem.*

5,4,16. *PERSEQVENTIVM REGEM)* Fallor, aut hæc verba non sunt à Curtio.

NE DVBITARET INGREDI) Variis glossematis hic locus ante conspurcatus, neque dum opinione mea purus putus. Lectionum diuersitatem apud Modium vide. Nos ex iis hoc exsculpimus, quando pertinaciter libri scripti vocem *regem* habent, ab ea fontem omnis variationis. Hæc corrupta scholiis & additamentis occasionem dedit. Emendanda autem iterum *relegere.* Quod ex animi sententia dico, ac serio, spretis reliquis, ita scribo: *cum trepidantium b. t. exaudisset, relegere idipsum iter, q. p. p. f. ne dubitaret.* Non proprie, non venuste magis potuit: & inficeta præ illo, non *persequi* tantum vel *ingredi*, sed quidquid aliud excogitare ingeniosi glossographi potuissent. Acidalius.

5,4,17. *TRIDVI ALIMENTA)* Nihil hoc est, tridui alimenta portare militem, Stevvechium ad illa Vegetii 1, 19. verba consule: *Necessitas imminet, annonam pariter & arma portandi. Verumque onus*, inquit, *subeundum militibus fuit in expeditionibus arduis, sed Ciceronem Tuscul. quæst. 2, 16. audi:* Nostri exercitus vnde nomen habeant, vides. deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre, si quid ad vsum velint, ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus; arma, etiam membra milites esse ducunt. quæ quidem ita geruntur apte, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint. *Si quis vero Ciceroni, quasi in scholis philosophicis hæc de re disputanti fidem derogare ausit*; aliud testimonium ex ipsa historia accipiat. Ammianus 17, 18. Tutum, inquit, exannona decem & septem dierum, quam in expeditionem pergens vehebat cruciebus miles. Hactenus Stevvech. Sed

enim nec hoc mirandum. vsuenit vt 30. dierum, & totius mensis cibaria suis humeris ferre cogerentur, quod plurium auctoritate confirmat Lipsius Mil. Rom. 5, 2. Raderus.

5, 4, 18. *NIX)* Liuius 21, 35, 6. de copiis Hannibalis, in Alpium transitu: *Fessis tædio tot malorum, niuis etiam casus occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adiecit &c.*

5, 4, 19. *INCERTVM)* His enim hominibus temere fides habenda non est, qui sæpius vel cum ipsius vitæ discrimine patriæ consulentes, hostem in impedita & auia loca perductum, in maximas angustias coniecerunt. Qualia exempla leguntur in epist. quæ inscribitur Alexandri ad Aristotelem: *Illi* (duces) *maiorem hosti quam mihi fauorem accommodantes, efficere pergebant, vt nos in exitialia serpentium & rabidæ ferarum genera ignaros regionum inducerent.* Idem expertus & Hannibal in Alpium transitu apud Liuium 21, 34, 4. & 21, 35, 4. Ita Dani *ductore Saxone Harvvaro peruenerunt in difficilima loca, cæsique sunt ad vnum omnes.* Krantz. Wandal. 2, 40. Quibus exemplis adde quæ notaui ad Flor. 3, 11, 7. i.

SI CVST. FEFELLISSET) Recte sic legendum vidit Sebisius: nam profecto de duce itineris hic sermo est. Duces itineris, suspecti præsertim, & ignoti, asseruabantur, quod satis constat, additis sc. custodibus. Quamobrem duo hæc verba coniungi amant, vt apud Cicer. ad Attic. 10, 20. *custodiæ, quibus asseruor.* Liu. 24, 45, 10. *eum interdiu solutum custodes sequebantur, nocte clausum asseruabant.* Id etiam morum Alexandri fuisse satis constat ex Curtio infra 9, 9, 1. *duces secordius asseruati profugerant.* Hinc est quod Xenophon ἀναβασ. 4. Cherisophum erroris grauissimi notat, qui ducem quem verberibus affecisset, negligenter asseruauerit, cum facile coniicere potuisset, illum fugiturum esse, quod & accidit. Eandem ob caussam Carthaginenses suspectos habuere Romani, *quod quem Romam mitti placuisset &c. non custodissent*, Liu. 34, 61, 6. Errorem autem ducis sui quomodo vltus sit Annibal, apud Liuium 22, 13, 9. reperies.

QVASI FERAS BESTIAS) Illæ enim in montibus rupibusque versantur, atque capiuntur. Pari similitudine vsus & alibi noster; & Liuius 22, 14, 10. *nos hic pecorum more per æstuosos saltus, densosque colles exercitum ducimus.*

VEL ANIMA) Recte sic, non animo. sensus: seu fides ducem nostrum; seu vita deserat, perimus.

5, 4, 20. *EQVES)* Vix hic capio, cum pedites ægerrime ex his locorum tesquis & rupibus eniterentur, quomodo equites fuerint secuti. Videtur Curtius non sine auxesi inuium iter prorsus inexplicabile reddidisse præsertim equiti. Raderus. Pro Curtio responderi possit, habuisse equos locis asperis innutritos, quales describuntur Numidæ apud auctores, item Hispani, (Strabonem vide lib. III.) quorum certe multa millia per Alpes traduxit Hannibal, & ne hoc mireris, etiam elephantos, vt noueris, verum dicere Tacitum 15, 59, 3. *multa experiundo confieri, quæ segnibus ardua videantur.* Certe in Romanis equitibus necessitas & timor id docuit, apud Liuium 22, 15, 9. *qui prope inuiis callibus ad dictatorem perfugerunt.* Vide Indicem *alæ.*

DVCES) Vulgo male *duces erant*, quod ab inepta glossa intrusum corrumpit sententiam. Et video iam hoc notasse Acidalium.

5, 4, 27. *EVADVNT ERGO)* Ibi Alexander cippum, seu arcum, seu absidem erexit, in qua viatorem secuturum admonuit de læuo viæ latere sequendo, dextro velut inuio vitando. Extat inscriptio in vita S. Macarii Romani apud Rosvveid. l. 1. vitæ Patrum p. 226. *Absidam istam fecit Alexander Philippi* [Ego tamen dubito an eo tempore huius nomen adscripturus fuerit Alex. idque iam supra ad 4, 15, 8. notaui]

notaui] *Macedo Imperator quando persecutus est Darium Regem Persarum. Qui terram hanc ingredi voluerit, ad manum sinistram vadat. Ad dexteram enim terra inuia & rupibus & angustiis est plena.* Hanc è Græco translatam nemo dubitabit, qui auctores vitæ, non interpretes legerit. Raderus.

5, 4, 31. *NECESSITAS)* Statius 10, 487.

Est vbi dat vires nimius timor - - Silius 1, 557.
- - - clausos acuunt extrema pericli,
Et fractis rebus violentior vltima virtus.

Tacitus H. 3, 60, 4. *esse adhuc Vitellio vires, acres si desperassent.* & 12, 31, 5. *illi obseptis effugiis, multa & clara facinora fecere.* Sallust. Cat. 58, 10. *Necessitudo etiam timidos fortes facit.* Vide Lipsium Polit. 5, 18. Veget. 3, 21. *ex desperatione crescit audacia.* Hannibal hinc stimulat suos apud Liu. 21, 44, 10. *vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemque certa desperatione abruptis; aut vincere, aut si fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga, mortem oppetere.* Seneca de clem. 1, 12. *Acerrima virtus est quam vltima necessitas extundit.* Pulchre Xenophon hist. Græc. lib. 7. quo loco narrat Thebanos qui post profligatum Spartanorum exercitum, ipsam vrbem inuaserant, vix centum à viris esse repulsos, præmittit: ἔξεστι μὲν τὸ θεῖον αἰτιᾶσθαι, ἔξεστι δ' ἀνέχεσθαι, ὡς τοῖς ἀπεγνωκόσιν ἐλπίς ἐστι νικᾶν. *Id partim numini potest adscribi, partim dici, desperatis neminem posse resistere.* Prudenter ergo à Scipione Numantiam obsidente, *non est permissa pugna morituris*, apud Florum 2, 18, 13. vbi notam nostram inspice.

5, 5, 1. *LOCORVM FRAVDE)* Hoc μεταφορικῶς. fraus enim non cadit, nisi in hominem, & humani generis hostes stygios genios: nam cœlestes non fallunt. Poterant tamen & loca esse suspecta ab hostibus ad perniciem aliorum comparata & instincta, cum sæpe in pontibus, siluis, campis, montibus fiunt, quando scrobes fodiuntur, murices & stimuli, tribulique & pali defodiuntur. Raderus. Fraudem locis tribuit Curtius ob fossas præaltas, siue eas ad impedienda itinera hostes effecisse, siue ipsius naturæ impetus, vt supra 5, 4, 23. Simili figura dici solent *insida* loca. Vt apud Flor. 3, 4, 5. *infidum glacie flumen.* in Tacito 1, 61, 2. *fallaces campi &c.*

5, 5, 2. *OCCVPARE)* Insertæ vulgo binæ voces *thesauros dimissos*: quas plane insititias non Modius, non alius mihi persuadebit. Emendo ego: *properaret occupare thesauros ditissimos, expeditum iter esse.* Inuitabat & incitabat eum, quod cum iter facile, tum præda esset maxima. Acidalius.

QVAMQVAM) Valde dubito de scriptura huius loci, nec enim ita in letu habendum puto hunc fluuium, vt diceretur *expeditum iter esse, quamquam interfluat amnis*, quem propter copiam aquarum nec nando superare possis, nec vado. Id autem sic fuisse, clarum ex sequentibus, nam Alexander ibi pontem struere necesse habuit. Scripsit omnino Curtius: *expeditum iter esse, quam qua Ar. amnis interfluat.* Hoc est, si inire rationem possit traiiciendi fluminis, ceterum iter in expedito fore. Et sane apparet Alexandrum non temere ad fluuium procurrentem, ibi substitisse hiantem & circumspicientem, quomodo transiret, sed ante capto consilio, à peritis locorum edoctum, eo animo processisse, vt ad pontem fabricandum vicorum istorum, de quibus Curtius, materia vteretur. Vnde facile intelligitur fabros etiam aut præmisisse, aut secum deduxisse: denique omnia ex præparato fuisse gesta.

CELERITATEM) In celeritate itinerum conficiendorum nullum ex omni memoria antiquitatis & posteritatis Alexander habuit parem, præter Iulium Cæsarem, cui plerumque etiam celeritas peperit victoriam, vt verum sit, quod Vegetius 3, 1. pro oraculo dixit, *quia in reb. bellicis celeritas amplius solet prodesse, quam virtus.* Cicero in epist. ad Attic. 8, 9. f. Cæsaris commendat celeritatem, quando di-

cit, πέρας illud est incredibili celeritate. Vnde eius dictum, *Veni, vidi, vici.* Ouid. de arte 2, 731.

Cum mora non tuta est, totis incumbere remis
Vtile, & admisso subdere calcar equo.

Lucan. 1, 281. *Tolle moras, semper nocuit differre paratis.*

Celebrat & Arrianus 3, 4, 7. & 20. incredibilem Alexandri celeritatem. Ælianus histor. Var. 10, 4. eandem prædicat: *Alexander Philippi ter quadringenta stadia continuo itinere armatus confecit, & antequam quietem caperet exercitus, cum hostibus congressus eosdem vicit. Quadringenta stadia* conficiunt nouem nostratia milliaria ferme cum triente. Illud τρὶς seu *ter*, accipe pro diuersis temporibus. Extat Alciati emblema 3. in Alce & Alexandri celeritate.

Alciatæ gentis insignia sustinet Alce
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλόμενον.
Constat Alexandrum sic respondisse, roganti,
Qui tot obiuisset tempore gesta breui?
Nunquam, inquit, differre voleus, quod & indicat Alce,
Fortior hac dubitet, ocyor ante fiet.

Ad quem locum plurima Claudius Minos, quem videbis. Raderus. Quibus adde Valerium Max. Christianum Exneri pag. 53. Chokier thesaur. polit. 3, 21. & me ad Flor. 3, 6, 15. Idem testimonium Alexandro reddit Himerius apud Photium Cod. 243. *Alexandri mores considerans, & quisnam ille sit, qui simul & aggreditur & perficit: imo vero rebus, quas aggreditur, famam, & eos qui nuntiant, anteuertit &c. Cæsar* de se, in hist. de bel. Gall. 5, 48. *esti, opinione III. legionum deiectus, ad II. redierat, tamen vnum communis salutis auxilium in celeritate ponebat. Sic tamen habendum, vt, quemadmodum Sallustius* Cat. 1, 4. *ait*, & consulto & mature facto opus sit. vt notat Ioach. Camerar. ad illa Homeri Il. 2, 435.

Μηκέτι νῦν δηὖτ' αὖθι λεγώμεθα, μηδὲ τ δηρὸν
Ἀμβαλόμεθα ἔργον, ὃ δὴ θεὸς ἐγγυαλίξῃ.

Celeritatem Catonis commendat Liuius 36, 21, 5. Theodosii Claudianus de IV. cons. Honorii, versu 101.

Nuncius ipse suis, longas incognitus egit,
Præuento rumore, vias - - - -

Datames Æmilius Probus in vita: *Thyum cepit cum vxore & liberis. cuius facti ne prius fama ad regem, quam ipse, perueniret, dedit operam &c.* Lapardæ, Nicetas lib. 1. de Andronico: *statim iter ingressus famam ea quoque quæ sub terra latent, perspicere, & futura sæpe tanquam iam facta promulgare solitam, anteuertit.* Pseudo-Agrippæ Tacitus 2, 39, 5. *relinquebat famam, aut præueniebat.* Sic & bellum cum Gentio *prius perpetratum, quam ceptum Romæ auditum est.* Liu. 44, 32, 4. Florus 2, 13, 2. quod & de bello Gildon. Claudian. versu 14.

Rumoremque sui præuenit laurea belli.

Eleganter Turnebus fine Panegyrici de Calisio capto:

Imperium est mundi iuuenis Pellæus adeptus,
Dum victis instat, dumque omni à parte timetur,
Creditur & tergis hærere fugacibus, & dum
Hostibus improuisus adest, nec nuncius illum
Aduentare ferit rumor, venisse sed hostis
Conspicit oppressus, nec fidit ad arma vocare.
Bella Dionæus quoque fulminis ocyor alis

Cæsar

Cæsar vt excussus Balearis verbere fundæ

(Hoc expressit ex Lucano 1, 229.)

Gessit, vincendusque mora, fuit impete victor.

Non omitto hic nummum Alexandri, qui (auctore Zamosio in analect. antiqu. Daciæ c. 11.) *eius typum cum nomine habet, altera facies numi Mercurium cum pegaso alato & caduceo, infra literæ Græcæ 5. vel 6. ex quibus ternæ conspicuæ: .. ΕΥΔ.. ceteræ vetustate absumptæ vestigiis paulum apparentibus. Eæ vel significant εὐδαιμονίαν, hoc est, felicitatem rerum gestarum Alexandri, vt videatur deorum auspicio & nuncio per Mercurium prosperitas significari, vel certe, vt & primarum literarum lacunæ expleantur, fuit,* ΣΠΕΥΔΕ, *id est, festina, manifeste illud suum Apophthegma exprimens &c. μηδὲν ἀναβαλόμενον, nihil comperendinans.* Quod Homeri scholiastes ad dict. loc. Il. 2, 435. iisdem; & paulo aliis verbis refert Leo Imp. cap. 2. Vnde Demosthenes in epistol. 2. de concordia: *Si quis Alexandrum eo fortunatum putat, quod ei prospere successerunt omnia, is illud reputet, eum agendo & laborando & audendo, non desidendo fuisse fortunatum.* Quem sensum expressit auxitque Sallust. Cat. 52, 17. *vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: vbi socordiæ tete, atque ignauiæ tradideris; nequicquam deos implores: irati infestique sunt.* Sic Tacitus Fabium Valentem notat H. 3, 40, 4. *agendi tempora consultando consumentem.* sumpsit autem id verbum Alexander ex Hesiodo quem poëtam ab Aristotele cum aliis, ei fuisse prælectum Dio orat. 2. adseuerat. sic enim ille Georg. 2, 28. interprete Valla:

Ad cras rem differre nocet: nunquam horrea nunquam
Implet iners, aut qui tempus producit - -

hoc est ἀναβαλόμενον, vt habet textus.

5, 5, 4. *PONTEM)* Hic ad Augusti fere ævum permansit, nisi quod fluminis incrementa valde ruperunt. postea Augustus firmiorem subiecit. Seruius in Vergil. 8, 728. Loccenius. Dubitat tamen Sebisius, an eousque durare potuerit, tumultuario tantum opere constructus. Ego plane alium pontem fuisse credo de quo Virgilius: imo & alium fluuium. Nam de Armenio Araxe Virgilio Seruio est; Curtio de Persico: quos non pro vno fluuio habendos, etiam Salmasio ad Solinum pag. 1201. placuit, & multis rationibus ostendi potest.

5, 5, 5. *QVATVOR MILLIA)* Diodorus 17, 69. & Iustinus 11, 14, 11. non nisi *octingentos* recensent. Apud Plutarchum & Arrianum nulla horum mentio. Raderus. *Octingentos* numerat & Suidas in Ἀλέξανδρος.

5, 5, 6. *PEDIBVS)* Ita beatos Christi martyres in Cappadocia & Ponto, cruribus debilitatos fuisse tradit Euseb. hist. Eccl. 8, 18, 19. & 24. & Sozomenus 1, 10. Sic & Andronicus Imp. in Prusaenses sæuiit, *quorundam pedibus amputatis, nonnullis oculo dextro & pede sinistro mutilatis, aliis contra.* Nicetas in Andron. lib. 1. Auidius Cassius *desertoribus* quibusdam *crura incidit ac poplites.* Vulcat. in vita cap. 4. Eam pœnam seruorum fugitiuorum Constantinus esse voluit, *vt pede amputato debilitentur.* l. 3. C. de seru. fugit. alterutro sc. non vtroque, id enim fieri prohibuit Iustinianus Nou. 134. cap. 13. vbi vulgo perperam verterunt ἀκρωτήρια τὰς χεῖρας ἢ καὶ πόδας πεποιεῖν, *alternas manus aut pedes abscindi*, cum *vtrasque* dicere debuissent. Quæ forte causa, item quod de vnius etiam pedis abscissione exsertis verbis nihil subjicitur (quia nihilominus ex prædictis posset intelligi) mouit Tholosan. syntagm. iuris 31, 16, 6. vt putaret ibi tradi: *si criminis qualitas exigat membri alicuius abscissionem alterius, quam manus: manum pro eo abscindi.* Ceterum Cyrum minorem sic aduertisse in sacinorosos, Xenophon ἀναβασ. lib. 1. tradit. Phocam tyrannum *pedibus* quoque *amputatos* periisse, nonnulli auctores sunt, apud Zonar. tom. 3. pag. 66. Ceterum crura etiam

cruci adfixis frangi solita, ex Ioanne. 19, 32. & 33. colligitur. apud Marcellin. 14, 30. *Apollinares ambo pater & filius &c. fractis cruribus occiduntur.* Augustus, Suetonio teste, in vita 67, 4. *Thallo à manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Ab eiusmodi cruriſragio non multum abit supplicium rotæ, quod hodie in vsu est. L. Sylla per crudelitatem inter alia tormenta, M. Mario *perfringi crura iussit.* Seneca de ira 3, 18, 1. Florus 3, 21, 26. Carthaginenses Hannoni. Iustin. 21, 4, 7. Adoni-bezec septuaginta regibus ita mutilatis, idem deinde expertus est. Iudic. 1, 6. Hannibal *captiuos oneribus & itinere fessos infima pedum parte succisa relinquebat.* Mercenarii rebelles Gesconem alioſque Carthaginenses inter cetera, etiam cruribus truncatis confractisue, miserabili morte consumpserunt. Polyb. 1, 80. qui seq. cap. verissime subiicit, *nullum animal inueniri posse, quod impietate atque crudelitate homo non superet.*

MANIBVS) Vide supra ad 3, 8, 15. Exemplis eo loco citatis adde Diodor. 1, 78. vbi falsariis Ægyptiaca *lex vtramque manum præcidi iussit, vt qua quisque corporis parte in legem peccasset, hac ad finem vsque irreparabili cum damno & ipse culpam lueret, & alios, pœna hac sua commonefactos, ab id genus facinore deterreret.* Quod & Claudius iussit, apud Sueton. 15, 4. & Galba *numulario non ex fide versanti pecunias, manus amputauit.* Suet. 9, 2. Populi Darienes furibus amputata brachia de collo eorum suspendebant. Lopez de Gomara in Hist. General. delle Indie cap. LXVIII. Ex eadem ratione fluit, quod apud Strabon. lib. 15. Megasthenes tradit, in Indis *qui membro aliquo quempiam orbauerit, non modo talionis pœnam subire, sed etiam manu truncari.* quodque apud Scythas dextram amittebat, qui singulari certamine superatus fuerat, si verum dicit Lucian. in Toxari. & quod secundum Heraclidem Ponticum, citatum à Cuiacio obseru. 7, 13. οἱ νομοθέται τὰς πατροτύπλας χειροκοπῶσι, τὸ δυσσεβοῦσαν αὐτῶν μέρος ἐξαιρίτως ἀποτιμώντες: *legislatores iis qui parentibus verbera intentant, manus præcidunt; id potissimum membrum, quo commissa est impietas, resecantes.* Ergo cum in iurando manus leuari soleat, etiam periuris adimebatur legib. Longobard. lib. 2. tit. 51. l. 2. & tit. 58. l. 2. & 3. cuiusmodi morem respexisse putandus est Rodulphus, qui in prælio contra Imp. Henricum amissa dextra, cum decumbenti afferretur, exclamauit: *ecce hæc est manus qua domino meo Henrico fidem sacramento firmaui &c.* Naucler. in Generat. Noui Testament. XXXVII. Transtulerunt id supplicium in Christianos postea tyranni, non quasi ob meritum, sed ne quid deesset crudelitati. Vide Euseb. histor. Eccles. 8, 25. Iustiniani tempore nonnulla flagitia coërcebantur amputatione manuum; ipse tamen sanciuit, ne vtræque præciderentur, Nou. 134. cap. 13. Seditiosos monasterio Pictauensi à Chrodieldi immissos pœnas truncatione manuum dedisse, scribit Gregor. Turonens. 10, 15. nec non aliquos ex percussoribus à Fredegunde immissos Childeberto, Ibid. cap. 18. Ioannes XII. Papa, Cardinali cuidam, quod apud Imp. Othonem I. per literas de eo questus esset, manum abscidit. Naucler. in Generat. XXXIII. noui Testamenti. Crudelis ille Andronicus, apud Nicetam lib. 1. multos Prusaënsium sic afflixit: nonnullos desertorum Auidius Cassius, vt Vulcat. in vita cap. 4. refert. *tabellarios, qui à Corduba ad Pompeium missi fuerant,* Cæsareani. Hirt. de bell. Hisp. cap. 12. Quod diu antea fecerat Flaccus in obsidio Capuæ, apud Zonaram tom. 2. pag. 85. Exactorem non ex præscripto legis apochas conficientem, sic à præsidibus puniri Iustiniano placuit. Nou. 17. cap. 8. qui idem eandem pœnam indicit *scriptori librorum hæreticorum,* Nou. 42. cap. 1. §. 2. Quomodo olim Antonius Ciceronis *manus quibus orationes in Antonium Philippicas scripserat,* ab Herennio iussit amputari. Plutarch. Cic. cap. 71. Ioannem Damascenum, ob confictas eius nomine, assimulatasque literas idem passum, abscisa iussu Damasceni principis dextra, quæ miraculose postea eidem restituta

tuta fuerit, narrat in eius vita Ioan. Patriarcha Hierosol. Idque supplicium ætate Tertulliani in Africa vsitatum fuisse, colligitur ex lib. eius de idololatria, cap. 7. sic exclamantis: *semel Iudæi Christo manus insulerant, isti quotidie corpus eius lacessunt. ô manus præcidendæ!* Iure Græco-Romano falsæ monetæ reis hæc pœna præstituta erat. Βασιλικῶν lib. 16. tit. 44. cum ex l. 1. C. de falsa moneta capitalis esset. Id Visigothorum leges sequutæ, in seruis qui solidos circumcidissent, siue rasissent, vt dextræ manus iacturam facerent. Leges Wisig. lib. 7. tit. 6. l. 2. quæ pœna in omnibus promiscue obtineret, *qui falsam monetam sculpserint siue formauerint.* Quod & Rothari Regi Longobardorum & Imp. Hludoico placuit, Leg. Longob. lib. 1. tit. 28. & Carolo Magno capit. 4, 23. Idem obtinebat in *eo qui cartam falsam scripsisset.* tit. sequ. eandem pœnam minitantibus Longob. legibus lib. 2. tit. 10. l. 2. scribæ, qui instrumentum conscribit venditionis factæ per mulierem, sine consensu propinquorum. Legibus autem Wisigoth. lib. 7. tit. 5. *his qui regias auctoritates & præceptiones falsare præsumpsissent:* si videlicet *minores personæ* essent; honestioribus media bonorum parte multatis. Sic Honorius puniuit Attalum, tyrannidem, vt videtur molitum, si recte capio Marcellinum in Chronic. ad annum 412. Sed & sacrilegis manus abscindebantur, Iustiniani tempore, si Zonaræ fides tom. 3. pag. 52. quo loco agit de pœnis, quas Imp. ille statuebat in concubitores masculorum. Phocæ quoque manus amputatas fuisse, ex sententia quorundam tradit Zonaras tomo 3. pag. 66. Abigei hoc supplicium fuit tertium deprehensi, in Basilic. lib. 60. tit. 25. cap. 4. Item eius qui liberum sciens emit, aut alienauit. Bas. lib. 60. tit. 48. cap. 18. Imp. Constantius eam pœnam interminatus est Eusebio, ni decretum de Meletio redderet, dextram eius amputari, quamquam per simulationem iubens: at ille vtraque extensa, ambas potius præcidi voluit, quam decretum reddere. Theodorit. Eccles. hist. 2, 32. Carolus Magnus eam pœnam periuris præstituit. in capit. suorum lib. 5. cap. 125. *Q. Fabius Maximus transfugarum dexteras præcidit,* vt ait Frontin. strateg. 4, 1, 42. & Val. Max. 2, 2, 11. Idem Capua capta feciſſe Romanos, scribit Appian. de bel. Annibal. Itemque Metellus receptis à Iugurtha transfugis. Appian. in Excerpt. Vales. Sed & Cæsarem Vxelloduno expugnato, *omnibus qui arma tulerant, manus præcidisse,* constat ex lib. 8. de bel. Gall. cap. 44. De Adoni-bezec ex Iudic. 1, 6. supra diximus. In quibus exemplis plerisque sic statutum animaduertimus, *quoniam,* vt ait Imp. Leo, Nou. 92. *scelerata manu mutilari æquum esset,* qui ea ad facinus abusus fuerat, aut fuisse putabatur. Ita Nicanore victo, dextram eius, quam contra Ierusalem sustuliſſet, amputari, suspendique iussit Iudas Maccab. 2, 15, 30. Ergo & scribam, qui in casu prohibitæ alienationis feudi, instrumentum conscripsisset, manum amittere iubet Fridericus, Feudor. 2. tit. 55. Lege diuina manus amputabatur mulieris quæ verenda viri alieni apprehendisset. Deuteron. 25, 11. Ex constitutione quoque Friderici, ei *qui alium intra pacis edictum vulnerasset, nisi quod in duello & vitam suam defendendo hoc feciſſet.* Ante Iustinianum & furi, vt colligi potest ex d. Nou. 134. cap. 13. Per iram ita mulcari iussit M. Marium Sylla, apud Senec. de ira, 3, 18, 1. Flor. 3, 21, 26. Lucan. 2, 181. Hannonem & Carthaginenses, Iustin. 21, 4, 7. Mercenarii Carthaginensium bellum iis inferentes decretum fecerunt de Pœnis cum cruciatu tollendis, auxiliaribus eorum præcisis manibus remittendis Carthaginem. Diodor. lib. XXV. in Excerpt. Vales. Vide & Xenophont. pag. 457. C. & Simocattam 4, 13. f. Nec reticendum, Halæ Suenicæ, vbi nobilibus duello congredi mos fuit, hanc legem tenuisse, *vt qui alterutrum inuasset acclamatione &c. manus dextræ & pedis sinistri truncatione plecteretur.* Crusius Annal. Sueu. in lib. Paraleipom. pag. 62. ex Munsteri Cosmogr. 3, 302.

AVRIBVSQVE) Vide Brisson. lib. 2. pag. 267. Idem quoque supplicium inter alia pertulisse Christianos Martyras, ex Euseb. hist. Eccles. 8, 24. discimus.

Ex

Et illi quidem immerito: ceterum iustissimo iure Iudæi sub Constantino, quos ille patriam armis repetentes, hac rebellionis impressa nota passim dissipauit. D. Chrysost. non longe à fine orat. 2. aduers. Iudæos. Et sub Childeberto Droctulfus quidam, apud Gregor. Turon. 9, 38. ob insidias in regiam coniugem. Item apud eund. 10, 15. nonnulli seditiosi ob turbas in monasterio Pictauensi excitatas. & 10, 18. quidam eiusdem regis vitæ insidiati. De aliis eiusmodi mutilationibus caussisque ex quibus irrogabantur, vide præcipue Eruditiss. Fabrum semestr. 3, 19. vnde multa nunc mutuati sumus. Adde Apollodor. pag. 85.

INVSTISQVE) Mos notandi frontes & inurendi non Persis tantum & barbaris vsurpatus, sed Græcis etiam & Romanis vsitatus. Multa nos passim de stigmatis ad Martialem. Lipsius Electorum 2, 15. plurima de eodem argumento. Raderus. Vide & obseruationes Cuiacii 7, 13.

5,5,7. *SIMILES QVIDEM)* Propter Acidalii coniecturam, etiam Radero probatam, explanandum hic est necessario quid simile distet à pari. *Par* enim esse dicitur, quod tantundem habet aut virium, aut magnitudinis, quamquam alia sit forma aut specie: vt contra simile quod eandem figuram habet, magnitudine dispari puta, duobus angulis rectis, pares sunt qui triangulum constituunt; quamquam dissimiles: quadrato quadratum simile; quamquam possit esse dispar. sic intelligenda sunt & alia exempla, vt præclarum illud apud Quintilian. 10, 1. T. Liuius *immortalem illam Sallustij velocitatem, diuersis virtutibus conjecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Seruilius Nouianus, pares eos magis quam similes.* Contra Liu. 45, 43, 2. de triumphis Pauli, & Anicii: *Similia omnia magis visa hominibus, quam paria: minor ipse imperator, & nobilitate Anicius cum Æmilio, & iure imperij prætor cum consule collatus: non Gentius Perseo; non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniæ, non dona donis comparari poterant.* Hinc intelligas legendum in Apuleio de habitud. doct. Plat. *Nec solum æqualitas, verumetiam similitudo cum Virtutis ingenio coniungitur.* Vitiosum enim est, quod editur ibi, *qualitas.* Sic itaque in hac miserorum turba, similis erat omnium pœna, quippe mutilatio: sed tamen dispar, leuius enim afflicti erant qui aures puta, quam qui manus, pedesue, aut oculos perdiderant. & quamquam reuera erat calamitatis diuersitas, tamen tristi hoc spectaculo subito offuso, non liquere poterat intuentibus quis maxime esset miserabilis in tanta turba miserorum. his igitur sic, vt debent, acceptis, inepte subjiceretur: *omnes pari supplicio affecti sibi videbantur.* quod tamen Acidal. ea adseueratione volebat, vt si hic falleret aut falleretur, nec crederem vltra quicquam, nec credi velle paciscerer. ego vero potius omnia alia credam. quis enim ferret ita loquentem in *disparibus pœnis pari calamitate affecti sibi videbantur.* deinde si sic volebat, cur retinuit illud *sibi?* quo expuncto, illud *videbantur* rectius retulisset ad præcedens *intuentibus.* Sed fefellit Virum Eruditum & acutum, tum mens Curtii, tum ipsa vis verborum. Vtraque hoc volunt: agmen hoc miserorum ipso conspectu mouisse lacrymas procul visentibus. dein postquam propius suggressum, etiam clamorem eum sustulisset, mixtum commemoratione malorum suorum, & congratulatione vindictæ, sic tetigisse animos audientium, vt non secus afficerentur, ac si ipsi idem supplicium in suis corporibus pertulissent.

5,5,8. *VISVROS VRBES SVAS)* Similia sunt apud Surium Comment. pag. 278. de Christianis expeditione Tunetana liberatis.

5,5,11. *QVI ABSCONDVNT)* Eodem recidit illud Pindari Pythionic. 3, 146.

* - - νὺξ μὲν ἄγ'
Οὐ δύνωται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
Ἀλλ' ἀγαθοί, τᾶ κῆλα πρὶν ψαύσαντες ἔξω,

Res

Res aduersas, inquit, *nescium moderate ferre stulti: at sciunt sapientes, quæ pulchra sunt suas & in publicum verentes:* abstrusis scilicet tristioribus. quo ingenio proponit nobis in politica prudentia Tacit. 1, 24, 1. *abstrusum, & tristissima quæque maxime occultantem Tiberium,* & 3, 18, 3. *domestica mala tristitia operientem.* Ita enim plane faciendum est in desperatis, aut cum nos credimus sufficere remedio. Alias enim grauissime peccatur cum Vitellio, apud eundem Histor. 3, 54, 1. qui *stulta dissimulatione, remedia potius malorum, quam mala differebat.*

5,5,12. *SVPERBA)* Quæ moleste fert obtundi se querelis miserorum: in quorum fortuna horret fragilitatis humanæ speculum, & dedignatur occursu eorum, tanquam sæuo omine, interpolari sua gaudia. Vide Tiraquell. tom. II. pag. 25. f. 2.

5,5,13. *GRATI)* Reduximus veram lectionem ex MSS. nonnullis. Per ironiam autem hæc dicta aculeum habent: quod qui non receperunt ingratiis mutauerunt, *ingrati.*

ET FRATRES) Hanc & copulam in membranis non esse Modius notat: & videri sibi aliud omnino latens vlcus subesse. Recte suspicatus ille: nobis ipsum vlcus magis notum, quod & sanamus leui manu. scribimus: *Liberi in flore ætatis & verum patres agnoscent ergastuli detrimenta?* Quod si copulam obteri non pateris, muta *vt: vt patres agnoscent.* quomodo Vellei. 2, 10, 1. *At nunc, si quis tanti habitet, vix vt senator agnoscitur.* Acidalius.

5,5,16. *PRÆSENTIA)* Male interpreteris, (si cum vulgatis *præsentium* retineas) præsentium coniugum; frustra, præsentium nostrum. Omnino *præsentia* scribendum. Voce *pignorum* coniuges hic simul & liberi veniunt: alibi nec hi tantum, sed necessarii quicunque. Acidalius.

5,5,17. *TRISTEM ENIM)* Malebam sic, quam *tristem eum,* vt esset confirmatio proxime præcedentium: & quoniam sic deinde in libris haberi comperi, libens rescripsi.

5,5,19. *A BARBARIS EXPETI)* Hoc non intellexit Raderus, vt nuper ex vastis eius commentariis didici. Egregie explicat Nicias apud Thucydidem 7, 11, 18. *Quotquot antea pro Athenienſibus, quamuis non essetis, habebamini, & cum ob sermonis peritiam, tum ob institutorum imitationem, toti Græciæ summo in pretio eratis.* Et Aristides rhetor in panathenaico: *Tota vestram sapientiam & consuetudinem terra affectat, vestrumque sermonem toti hominum generi communem iudicant. Ita factum est vt per vos orbis totus in vnum sermonem consenserit &c.* Gronouius.

INGENITA) Sic legendum videram, socioque nunc meo ante hoc nouennium, Vormatia scripseram his verbis: Ingenita *hic legendum, non* ingentia, *vt cuiuis liquere potest.* Postea & Acidalium in voce *ingentia,* quæ substituta fuerat germanæ, hæsisse deprehendi: & vero nuper Gronouius in eruditis ad socerum meum literis, indicato Ignatium Hannielem voluisse, *quæ in Græcia nati, vel qui ipsi in Græcia nati,* subiecit: *Quis dubitabit hic Curtium scripsisse:* quæ ingenita ipsi omissuri? Quo minus veritus sum suum Curtio tribuere. Notissima hæc phrasis, & vsu trita. Apulei lib. 9. *ingenita mihi curiositate recreabar.* Rutilius Itiner. 1, 7.

Qui Romanorum procerum generosa propago
Ingenitum cumulant vrbis honore decus.

Arnobius lib. 1. *Quisquamne est hominum &c. cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse regem ac dominum, cunctorum quæcumque sunt moderatorem?* sic *vetera & ingenita odia.* Seneca de benef. 5, 16, 2. Iustinian. Nou. 26. pr. de Thracum pugnacitate, & virtute: *Sunt enim ista ingenita & quasi patrio quodam iure huic regioni attributa.* Hoc ergo loco suadet Theæterus, non

esse deferenda patria & ingenita bona, cum etiam barbari, quibus natiua non sunt, ea summopere appetant. Ita noster supra 3,6,17. *ingenitam* Macedonibus *erga reges suos veneration*em dixit. Est autem similis oppositio qualis apud Sallust. Ing. 31. 8. *serui, ære parati, iniusta imperia dominorum non perferunt: vos, Quirites, imperio nati, aquo animo seruitutem toleratis.* Multo enim flagitiosius est deesse bonis, velut ipso successionis iure ad nos deuolutis, quam alienis & aliunde petendis. Hinc Tertullian. apolog. cap. 6. grauiter pulsat Romanos: *Nunc religiosissimi legum & paternorum institutorum protectores & cultores respondeant velim, de sua fide & honore & obsequio erga maiorum consulta &c.* Hinc in omnibus fere adhortationibus promptissimus locus est, à maiorum virtutibus quosque excitandi. vide supra ad 4,14,25.

DETINERET) Vulgati quidam auctiores vno verbo, *amor detineret, haberent, relinquerent.* Vnde fortassis emendandum: *si q. c. l. q. s. c. a. amor detineret, manerent: rehqui irent, quibus nil patria carius est*, vel *esset*. Sed fortassis inquam: nec enim certo scio. Acidalius. Ego potius nihil mutem, *si quos &c. amor detineret, haberent: relinquerent, quibus patria &c.* si qui amarent tantopere coniuges, liberos, haberent sibi, fruerentur: alii qui patriam præponerent, relinquerent seruiles istas necessitudines. aut si *relinquendi* verbum pro dimittere accipis; quædam diuortii species fecit, vt *habendi* verbo vsus, solenne illud tangeret; *res tua tibi habe.*

5,5,21. *CONSVETVDO*) Magna vis est consuetudinis, quæ non modo lex ipsa, sed altera est natura. *Neque* enim *solum legem imitatur, sed & vincit legem:* adeoque plus valet, quam lex ipsa, teste Aristotele. sic vere *est consuetudo, quod dicitur, tyrannus, quæ principis habet potestatem*, vt Cyprianus loquitur: *Quam sane vincere, dura pugna est*, secundum Augustinum in Psalm. 30. conc. 1. *Grauissimum enim*, vt Seneca vult, *imperium est consuetudinis: eaque natura potentior*, teste Curtio. Quo fit, vt *agre reprehendas, quod finis consuescere*, auctore Hieronymo in epist. ad Gaudentium. *Facile* enim *cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret: eoque ipso consuetudo facit debitores*, vt scribit Bernardus. *sic incipit esse licitum, quod est publicum*, secundum Cyprianum, *& consuetum, quicquid est, semper præsumitur iustum*, vt ICtis placet. Reusnerus ad Symbol. Fl. Anastasii II. Vide Plinium præfatione lib. XXXIII. Heliodorum lib. III. τέχνη καὶ φύσιν νίκᾶ βιάζεσθαι: *ars etiam naturam cogere nouit.* Simylum apud Stobæum serm. I. VIII. Barthium ad illud Claudiani in Consul. Manli versu 184.

\- - - - *natura fortior vsus.*

5,5,23. *TERRAM INTVEBANTVR*) Vt solent, quos fortunæ sitæ pœnitet pudetue. Sic apud Liuium 45,8,2. Perseus *terram intuens, diu tacitus fleuit.*

5,5,24. *POENITENTIAE*) Crediderat enim eos, cum antea reditum in patriam mallent, nunc accuratiori sortis suæ contemplatione sententiam mutauisse.

TERNA MILLIA) Singulis 300. Philippæos. summa 1200000. Philippæorum, siue 1600000. florenorum. Raderus. De denis vestibus, si quis dubitet, adeat Diodor. 17,69.

5,6,1. *POSTERO DIE*) De hac vrbe, eiusque diuitiis & excidio consule Brissonium lib. 1. pag. 47. In ea fuisse columnam eam æneam credo, in qua inscriptum fuerat iuxta leges Cyri, quid singulis diebus in prandium cœnamque regis insumendum esset. Vide Polyæn. 4,3,32. Admodum appositè huc transtulit Raderus, quod de Troiæ ruinis exclamauerat Poëta Æn. 2,361.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis aquare dolorem!

Vrbs

Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

PARENTANDVM) Sic & Strabo lib. 15. Speciosum hoc dictu, re inane, imo perniciosum fuisse, postmodum agnouit ipse Alexander mox 5,7,11. & apud Plut. c. 69. *Caterum neque mihi hoc prudenter ab Alexandro factum videri potest, neque vlla de veteribus Persis hac ratione vltio sumpta fuisse*, Arrian. 3,4,8. Neque enim iam Persarum vrbem excidebat, sed suam: vt prudenter de Sardibus captis Cyro respondisse Crœsum refert Herodot. 1, 88.

5,6,2. *QVA QVEMQVE*) Sic fere Liuius 28,13,7. *qua cuique proximum fuit, in fugam effunduntur.* Cicero Verr. 1, 26. f. *Iste &c. cupere aliqua evolare, si posset.* Vide supra ad 3,11,12.

5,6,3. *OPES*) Inter quas etiam fuisse dubito statuas excellentium artificum, inductus loco Plin. 34,8,25. *Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas, quos à Xerxe Persarum rege captos victa Perside Athenienses remisit Magnus Alexander.* Sic & Carthaginenses vtramque patriam suam captis statuis exornauisse, supra 4,3,22. legimus. Nec tamen nego, alibi quoque collocare eas statuas potuisse Xerxem, vt Susis, Ecbatanis, Persagadis &c.

AD VSVM) Ita Florus 1,16,7. scribit fuisse Samnitium *gentem aureis & argenteis armis, discolori veste, vsque ad ambitum armatam.* & 3,12,4. Romanos *Armenios & Britannos, vt non in vsum, ita ad imperij speciem magna nomina acquisisse.*

5,6,4. *INTER IPSOS VICTORES*) Quid enim in animis cupiditate ardentibus non possit auaritia? Notarunt idem & alii: In occupatione Constantinop. Siluius Æneas cap. 7. de Europa: præda *ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam vel gratia templorum dona sibi quisque traheret, maiore aliorum vi truncabatur.* His enim Taciti in direpta Cremona verbis, H. 3,33,3. secure vtitur. Vt & Curtianis Alex. Benedictus lib. 1. belli Veneti cum Carolo VIII. *Inter ipsos victores dum dimicaretur hostis erat qui preciosiorem occupasset prædam &c.* Et hoc quidem ita fieri consueuisse, inter cetera captiuarum vrbium mala notauit Quintilianus 9, 3,50. *& sicubi maius est lucrum, pugna inter victores.*

IAM RES) Ita rectius, quam vt vulgo, *nam res.*

NON OCCVPABANTVR) Quod alias fieri solet in eiusmodi direptionibus, vt proxima quæque inuadantur, metu ne cunctando amittatur opportunitas rapiendi, dum ceteri impigre quæ possunt sibi vindicant. At in tanta rerum copia, cum viderent plus esse prædæ, quam vt omnis asportari posset, elegerunt preciosiora, dispexeruntque ne frustra se vilibus sarcinis onerarent. Ita supra 3,13,11. factum.

5,6,6. *VILIA CAPTIV.*) Tacitus vbi supra, H. 3,33,3. *vilia ad prædam, in ludibrium trahebant.*

PRECIVM SVI) Nec enim aliam ob caussam miserebantur eorum victores, quam vt ex distractione corporum istorum rem facerent.

5,6,8. *SVIS*) Acidalius malebat *suos*: quod accusandi casu plerumque cum *iubere* verbo Latini vsi sint, si infinitiuum, vt loquuntur, aliquem adderent. Sed defendit receptam lectionem Gronouius similibus exemplis Curtii 7,1,18. *armigero lanceam ei dare iussit* (qui tamen locus adhuc dubius est) & §. 1. Inst. de fideic. hered. *iussit consulibus auctoritatem suam interponere.*

CORPORIBVS) Quibus? feminarumne tantum? an quanta hæc inæqualitas, his non corpora tantum salua esse, sed & cultum: viris ne vitam quidem? at illis certe abunde præstitisse putari poterat, si incolumitatem concessisset meliori sexui negatam. Credo voluisse abstinere corporibus in vniuersum, præterea feminarum cultu; vt ita cædibus finem imponeret, rapinis modum. Quamquam eum præcipue

feminarum etiam pudicitiæ consuluisse non infitior, in hanc laudem alias ambitiosum, vt supra 3, 12, 22. Nam *captiuis mulieribus cum ipse abstinuit, tum vim facientes puniuit.* Plutarch. pr. de fortuna. Quod & de Scipione tradit Liu. 26, 49, 8.

5, 6, 9. *C. ET XX. MILLIA TALENTA)* Eundem prorsus numerum Diodorus 17, 71. expressit. quæ sortem efficiunt septuagies bis millies centena millia [imo septuagies bis millena millia, 72000000.] quibus si addas quinquaginta millia talenta Susis exhausta, prodibunt centies bis millies centena millia [imo bis & centies millena millia, 102000000.] hoc est, vt hodie vulgus loquitur, duo supra centum milliones: vt taceam prædam Babylone & Damasci captam. Addas licet & 6000. (talenta) ex Pasargadis, (quæ efficiunt Philippæorum) 3600000. summam supra ex variis prædis positimus centum & octo milliones. Sed hoc parum est ad prædam Cyri, quam deuicta Asia reportauit, vt auctor Plinius 36, 3. nam argenti talentum 500000. exhausit, quæ tercenties millies millena reddunt, hoc est, trecentos milliones. Raderus. Diodorus 16, 57. scribit, *non deesse auctores, qui non minus sacrilegio* (Phocensium ex templo Delphico) *abreptum fuisse tradant, quam Alexander in Persarum thesauris postea acquisiuit.* Non adsentior eruditissimo Viro, qui lib. 4. de Asse, *non* centum & viginti millia talenta *legit, refragante loquendi consuetudine doctorum sed* centum millia & viginti talenta. Id quidem haud difficulter largiar, *talenta* sic non recte dici, quomodo & Acidalius hic adnotat; & ipse Budæus sub fin. lib. 1. legendum monet *talentum.* Sed nimirum id potius reformandum erat, quam numerus iste tantopere minuendus, vt viginti talenta superent de viginti millibus. hic enim per millena talenta computare videmus Curtium, vt in immensa opulentia, ad quam indicandam præfatione opus sibi putauit: non itaque hic enumerasset singularia talenta, nec certe adiecisset viginti talenta centum millibus, nec plura quidem, vt arbitror.

5, 6, 10. *PERSAGADIS)* Sic omnino tenui cum multis & bonis libris; quamquam alii præferant *Pasargadis*: quomodo nomen hoc scribi solitum à Græcis, indubitabili testimonio est Dionysius Alex. versu 1069. sicque reperitur apud Herod. 1, 125. Arrian. 3, 4, 7. & 6, 5, 13. Strabon. lib. 15. Maxim. Tyr. Dissert. XIV. f. & Ptolemæum. quamquam Stephano πυσαργάδαι sint geminato σ. quomodo & Solini nupera editio habet cap. 55. in quem vide Salmasium pag. 1202. D. 2. Agatharchides 1. 1. apud Photium Cod CCL. Plin. 6, 26. *Passagardas* appellat, proxime à vera lectione Appian. in Mithridat. *Parsargadas.* Verum enim vrbis nomen esse *Parsagada* facile credent, qui Hebraicam linguam à primo saltem limine salutarunt: viam præfucente etymo, nam *Persarum castra* significare. Diotimus ex Anaximene apud Stephanum, & Eustath. ad Dionys. vers. 1069. scribunt. adsignata etiam caussa, quod bello Cyri contra Astyagem, ibi Persarum castra fuissent. quod & Strabo lib. 15. confirmat. Ita *castrorum* nomen multis ciuitatibus fuisse, supra ad 4, 7, 2. dictum. *Persagada* igitur, vel *Parsagada* leui, nec Hebræis etiam inusitata, literarum transpositione, in *Pasargada* transiit: quomodo Ciliciæ vrbs, quæ Marcellino 14, 25. ab auctoris nomine *Anazarbus* est, in *Anauarzam* mutatur cum alibi, tum in Hist. Hierosol. Willermi Tyrensis 3, 18.

5, 6, 11. *ARCEM)* Quam describit Diodorus 17, 71.

NICARTHIDEM) Scribe *Nicarchidem* ex Arriano Indic. 3, 11. deductum à Nicarcho nomen, sicut Agatharcho Agatharchides. Similis formæ sunt Anaxandrides, *Cleandrides*, pro quo apud Strabon. lib. V. male *Cleandrias.*

5, 6, 12. *VERGILIARVM)* Curtius hic de occasu Pleiadum seu Vergiliarum intelligendus: nam quando Sol cum Scorpione adscendit, Taurus cum Pleiadibus suis & Suculis descendit, & hyemem inchoat: est enim Taurus Scorpioni oppo-

positus. Plinius 2, 47. *Vergiliarum occasus hyemem inchoat, quod tempus in III. Idus Nouembris incidere consuenit.* Et cum Curtio mire facit hæc explanatio Vergiliarum occidentium. Quæ enim hic ab Alexandro gesta narrantur, per hyemem facta sequentia mox verba testantur: *multisque imbribus &c.* Raderus. Sic intelligendus geminus Liuii locus 21, 35, 6. *Fessis tædio tot malorum, nisis etiam casus, occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adiecit. Per omnia nisse oppleta &c.*

5, 6, 14. *ERVBVERVNT)* Vide pulcherrimum caput 15. discursuum Gruteri in Tacit. verba 14, 24, 1. *Sola ducis patientia mitigabantur, eodem plura quam gregario milite tolerante.*

5, 6, 15. *COMITARI)* Alii *sequi.* quod istius interpretamentum esse cognoui.

5, 6, 17. *MARDORVM)* Recte viderunt viri eruditi pugnam inter hunc locum, & alium infra 6, 5, 11. vbi tradit Alexandrum tum primum inuasisse Mardos, eaque in re assertorem habet Arrianum 3, 5, 8. & Diodor. 17, 77. præsentis autem expeditionis neminem, quod sciam, habet testem. Nec placet cum Radero, coniectura Glareani, qui alteribi censet legendum *Margi*, cum Margiana longe diuersa fuerit à Mardorum terra, situ cultuque, & incolarum moribus. Neque tamen accedo Radero qui conciliandis his locis ait videri sibi duplices fuisse Mardos, cognomines voce, sed terris longe inter se diremptos: quod nimirum Suidas, vbi de Mardis agit, duabus sectionibus, vtrique nomen præmittit: *Mardi Gens tota latrociniis dedita &c.* & iterum: *Mardi Gens hominum multitudine abundans &c.* Sed hoc videlicet indicio est, à diuersis auctoribus, sed de vna eademque gente, hæc hausisse Suidam. quod vel sexcentis aliis ipsius exemplis certissime affirmare promptum esset. sic statim sequente pagina, vbi de Marino, idem facit: quo loco qui duos Marinos vellet comminisci valde falleretur. Nondum ergo defensus est Curtius: nec ego sane reperio quod pro hoc loco adferam: nisi forte per incuriam vno tempore gesta diuisit, diuersos auctores sequutus.

PECORVM CARNE) Intellige, tantum: non cum pane, vt aratores populi. sic maiores nostros victitasse retulit Cæsar de bel. Gall. 6, 22. & Altisiod. de Scanzia insula: *est & ibi alia gens quæ frumentorum non quærit victum, sed carnibus ferarum, atque ouium aniumque viuit.* Numidas *lacte ac carne vescentes* hoc sensu vocat Liuius 29, 31, 7. Sic Polyb. 2, 17. Gallis tribuit τὸ κρεωφαγεῖν, *carnibus vesci*, tanquam proprium morem: quamquam etiam agriculturæ non expertes ibi faciat. quod miserioribus populis adeo barbarum visum, vt propemodum fame se premi putarent, in quantalibet carnium copia, si deesset panis. Xenophon Ἀναβάσ. lib. 1. *Iam frumentum milites defecerat &c. quamobrem se carnibus milites sustentabant.* Cæsar de B. Gall. 7, 17. *vt complures dies milites frumento caruerint, & pecore, è longinquioribus vicis adacto, extremam famem sustentaret.* Tacit. 14, 24, 1. *Ipse exercitusque, vt nullis ex prælio damnis ita per inopiam & labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famem adacti.* Albertus Aquensis histor. Hierosol. 3, 7. *ex præda quam contraxerant ex montanis, & regione, in bobus & armentis, cibum mactant, & parant: ignique apponunt: quos sine sale coctos diutina fames manducare cogit, prorsus pane illic cunctis deficiente.* Plane vsuenire solet, vt multæ carnis esu, præsertim cum, vt in castris, non satis bene coquitur, grauentur milites & per eruditatem in morbos incidant. Quod Romanis atque sociis accidisse refert Diodor. 24, 1. in obsidione Lilybætana. nam errabat qui sic correxit locum, vt hic sensus exiret, *Soli enim Romani carnibus vescebantur & Socij*: quum deberet τὸ μόνον ad carnes referri: *Solis carnibus.* In qua re notaui strategema Hannibalis ex Frontino 2, 5, 13. *qui cum sciret sua & Romanorum castra, in eis locis esse, quæ lignis deficiebantur, ex in-*

dustria, in regione deserta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit. qua velut præda Rom. potiti in summis signationis angustiis, insalubribus se cibis onerarunt: Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos & semicruda graues carne, maiorem in modum vexauit. Eam cruditatem Alexandri milites curarunt silphii esu, vt auctor est Strabo lib.XV. & Ælianus hist. Var. 12,37. Stanihurstus de reb. Hibernicis lib. 1. prodit Hibernos suos, cum *carnibus non admodum coctis, nec plus satis assis delectentur, tamen cruditate minus sæpe nauseare. Viuntur* autem pro *panchresto medicamine, ignito quodam vino, nullo alio liquore permixto, quod communiter Aqua vitæ dicitur, cuius ardore cibus facilior ad concoquendum redditur.* Adiice locum Hirtii de bell. Afr. cap. XLVII.

5,6,18. *FVNDA*) Strabo lib. 3. de Balearibus; *Tres fundas circum caput habent. vnam longioribus habenis, ad longiores iactus; alteram breuibus, ad breuiores; tertiam mediis, ad medios.* De discrimine & causa, bene & vere: ambigo an de positu. & an non melius Diod. 5, 18. qui disponit *vnam circa caput, alteram circa ventrem, tertiam in ipsa manu?* Commodius hoc videatur, aptiusque. Et de capite, non nouum: cum etiam Mardis, genti Persicæ, simile Curtius scribat factitatum. *Funda vinciunt frontem.* Sed funda, non fundis: & vidi imaginem in columna veteri Antonini, in qua Balearis capite, & ventre, & humeris eam gestat. Lipsius Poliorcet. 4, 2. Adde Dausqueium in Silium pag. 220. & seq.

5,7,1. *CETERVM*) Præter veteres notosque scriptores, qui facinus hoc Alexandri narrant & vituperant, vide Cæl. Rhodig. V. L. 14, 15.

5,7,2. *DE DIE*) *De die conuiuia*, sunt tempestiua: quæ nimirum, vt longius luxui atque voluptatibus otium esset, temporius inibantur. De his prolixe Lipsius ad Annal. XIV. Taciti Excursu A. Cui adde Cicer. in Verr. 1, 26. *mature veniunt: discumbitur.* item de offic. 3, 14. *Ad cœnam tempori* (sic enim rectius quam *tempore*) *veniri Canius.* Hirt. de bel. Hisp. cap. 33. de Scapula: *ipse de tempore cœnauit.* Plaut. Captiu. 1, 2, 80. *sed si venturus, tempori* & mox: - - *venias tempori. PAR. memorem mones.* Græcis id quoque in vsu fuisse, vt cœnarent ἐν ὥρᾳ docet Casaub. ad Athenæum Animaduers. 4, 9. Pertinet huc etiam Quintilian. declam. 260. m. vbi de adolescente corrupto: *cum sodalibus iniit paulo tempestiuiora conuiuia.* Sic intelligo Horatium de arte versu 209.

- - - - - *vinoque diurno*
Placari Genium festis impune diebus.

Ceterum, vt de tempestiuis conuiuiis protinus adsentior magno magistro; sic est, quod de intempestiuis dubitem. sunt enim quæ suadent non opponi tempestiuis, vt quomodo illa de die fuerint inita, sic hæc noctu: sed intempestiua capiamus, quæ temporibus, hoc est, rerum publicarum priuatarumque statui non conueniunt. Atque hoc malint ipsa duo exempla ex tribus quæ adducit Lipsius. Caligula apud Sueton. cap. 45. *Senatum populumque obiurgauit edicto, quod Cæsare præliante intempestiua conuiuia &c. celebrarent.* quid enim? non obiurgasset, si tempestiua celebrauissent? Audis quo sensu intempestiua vocet, nimirum tempori non congruentia *Cæsare præliante:* ergo & ceteras voluptates iungit; *circum & theatra, & amœnos secessus.* Sic & Curtius 6, 2, 2. *intempestiua conuiuia* obiicit Alexandro, quia rebus gerendis, quæ tum vrgebant, impedimento futura. Eodem certe loco statim repetit hanc vocem, additis aliis, quæ Lipsianam interpretationem minime omnium patiuntur: ait enim *quum intempestiuis conuiuiis dies pariter nocteque consumeret.* Vides ergo intempestiua conuiuia tam diei tribui, quæ alia significatione proprie *tempestiua* dicuntur, quam etiam nocti.

FEMINÆ) Quod turpe Græcis habitum ex Æmilii Probi exordio disce: *Quem enim, ait, Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? &c. quod multo sit aliter in*

in Græcia. nam neque in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum &c. Sic Lampsaci in conuiuio apud Philodamum, cum Rubrius filiam eius intro vocari iuberet; ille *negauit moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres.* Cicer. in Verr. 1, 26. Certe apud Babylonios id in vsu fuisse, supra vidimus. Quos imitari cum voluissent Persæ ad Macedonum regem Amyntam missi, debitum petulantiæ suæ præmium retulerunt, astu Alexandri interfecti. Vide Iustin. 7, 3, 3. Nec enim, vt illi fingebant, Persicum eum fuisse morem, ostendit eo loco Amantiss. Socer. Adde Muret. Var. Lect. 7, 2. Paschal. de Coron. 2, 7. In eadem illa historia Herod. 5, 18. etiam Amyntam sic introducit loquentem: *Nobis, Persæ, ista consuetudo non est, sed viros à feminis semouendi.* Verum Curtius innuit Alexandrum Babylonica conuiuia iam celebrare occepisse. Id Verri patrique eius obiicit Cicero Verr. 3, 68. *qui in patris luxurie sic vixerit, vt nullum vnquam pudicum, neque sobrium conuiuium viderit.* Huiusmodi conuiuia etiam Augusto cordi fuisse ex eius vita apud Sueton. cap. 69. constat. Quod autem subiicitur: *licentius quam decebat cum armato viuere*, in iis τὸ *quam* non apparet in MS. Christiniano. forsan & τὸ *decebat* παρέλκει. sufficit enim: *licentius cum armato viuere.*

5,7,4. *SVBDIMVS*) Veram lectionem arbitror, Pal. 1. *subicimus* pro *subjicimus*: quomodo in Curtianis codd. perpetuo scribi monuerunt, qui eos inspexerunt.

5,7,5. *PEPERCERANT*) Sic est. nec te moueat quod supra 5,6,1. legis: *excidio illius parendum esse maioribus.* Non enim tum statim illud sequutum vult intelligi Curtius. Cuius hæc verba esse potius arbitror, quam Alexandri: qui forte nihil in eum sensum dixit; aut si dixit, fuit id accendendis militum animis, ad contemnenda pericula, quæ in oppugnatione nobilissimæ vrbis, haud immerito suspicari poterant esse subeunda. Sed neque supra 5,6,7. vbi dicit Persas ipsos ædibus suis ignem subiecisse; statim intelligendum est totam vrbem periisse.

CEDRO) Quæ *non sentit cariem nec vetustatem*, Plinio 16, 40. teste. proinde [immo *inopia abietis*, ait Plinius.] classes quoque è cedro in Ægypto & Syria ædificatæ. *Memorabile*, inquit Plin. *& Vicæ templum Apollinis, vbi Numidicarum cedrorum trabes durant, ita vt positæ fuere prima vrbis eius origine, annis mille centum octoginta octo.* Ingens est arbor, Dioscoride etiam teste. *maxima* (Plinii verba sunt) *ea in Cypro traditur ad vndecimum Demetrij succisa, centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum.* Salomon etiam, vt est in 3,5,6. Regum, multam cedrum ad templi molitionem & laquearia, domumque regiam adhibuit, ita vt vix nobilior cedro materia fuisse videatur. Raderus. Sic in regia Ecbatanis *vniuersa materia erat è cedro, aut cupresso.* Polyb. 10, 24.

5,7,8 *CONTABVLATO MARI*) Sueton. Calig. 19,5. de Baiano sinu ponte iuncto: *Scio plerosque existimasse, talem à Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulauerit.* Pete eam historiam ab Herodoto 7,33.

PERFOSSISQVE MONTIBVS) Xerxes Atho Thraciæ montem perfodit, non tam commodioris nauigationis ergo, quam iactantiæ gratia, vt conjicit Herodotus 7,24. Quo ex facto ingens postea campus declamationum. Himerius apud Photium Cod. CCXLIII. τότε ἐκεῖνον παρῃνοῦσιν οὐκ ἀπὸ ῥημάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς φύσεως ἄρχεσθαι. ὑπόθεσις δὲ θαλάττῃ μὲν ὑπεῖναι, δι' ὁρῶν δὲ μέσων ἐναυπλεῖσθαι· θαλάττῃ μὲν ὅσον γῆ, γῇ δὲ ὅσα θαλάττῃ χρώμενον, quod fragmentum euidenter ad Xerxem spectat: quem dicit non ἀπὸ ῥημάτων (quod corruptum esse arbitror) sed ab ipsa natura incepisse ostentare insolentiam suam mari terram imponentem, per medios autem montes nauigantem, vt ita mari tamquam terra, terra tamquam mari vteretur. Vide Senecam suasiora fecunda. Tangit eam historiam & Marcianus Geographus:

Τὸν

Τὸν Ἄθω ὄρος περαιωθυσανη πυρόλι& πόλις
Ἀκανθος ἐστιν Ἀνδρίων ἀποικία.
Παρ' ὃν διάρυξ δέκνυται πλημμέλη
Ἑπτὰ σταδίοις, Ξέρξεν ὃ λίγετ' αὐτὸ τεμεῖν.

Athon montem prælegenti maritima ciuitas occurrit, Acanthus, Andriorum colonia. Iuxta quam ostenditur fossa septem stadiorum, vbi Xerxes montem secuisse dicitur. Eum montem cum Dinocrates (sic enim potius, quam Staficrates) in Alexandri imaginem redigere vellet, ita regem ei respondisse fingit Plutarch. de fort. Alex. 2, 6. *Tu tamen, Athonem intactum relinque. Satis est eum esse monimentum petulantiæ quam vnus in eum rex* (Xerxes videlicet) *exercuerit.*

FRETVM) Id alludit Senecio in suasor. 2. Senecæ, de Xerxe: *ille qui classibus suis maria surripuit, qui terras circumscripsit, dilatauit profundum, nouam rerum naturæ faciem imperauit.*

5,7,9. *LONGA ÆTATE)* Quadringentorum circiter annorum ad Curtium. Raderus.

MACEDONVM) Diuinabam, *Medorum*: vt scilicet simul intelligantur & Persæ. Sic mox de *Ecbatanis capite Mediæ*: *Vrbem hanc nunc tenent Parthi.* Et sane iure quæras, cur hoc loco, vbi de Persepoli sermo est, mentionem faciat vrbium, quas Macedones tenuerint. Si tamen *Macedonum* retineas; intelliges de successoribus Alexandri, non qui Macedoniam, sed qui has terras tenuerunt, vsque ad Arsacis tempora. hoc est, de Nicatore Seleuco, Antiocho Seleuci, Seleuco Antiochi, à quo defecere Parthi.

RESVRREXIT) Sed Machab. 2, 9. traditur, Antiochum Epiphanem ingressum Persepolim, voluisse templum & ciuitatem illic spoliare. vbi Serarius: *At dices*, inquit, *Persepolis ab Alexandro diruta, vt ait Plinius 6, 26. & combusta fuit, neque longa ætate post rursus erecta, vt ait Curtius*, adeo, *inquit*, vt eius vestigium non inueniretur &c. *Mouerunt hæc Curtij verba Pererium lib. 9. in Danielem, vt Persepolim non proprium alicuius nomen putarit, sed commune Persidis vrbium: quod & de Elymaide dici posset, cum à Porphyrio & D. Hieronymo* regio *vocetur, itemque à Stephano, ab ipso Daniele initio cap. 8. medinah à Septuaginta item vertatur* regio, *à Symmacho* ciuitas. *quod Latinum nomen, sicuti & Græcum πόλις, non vrbem tantum, sed multitudinem etiam & quandam communitatem interdum significat, vt infra patebit. Propria tamen esse nomina nihil impedit, primo quia quemadmodum eiusdem vrbis diuersa interdum nomina sunt, sic diuersarum idem quandoque nomen est, vt Ecbatana, Babylon, Antiochia, Salamine, Tiberia, Massilia, Neapolis. Deinde videtur Persepolis postea restituta fuisse, ex Diodoro lib. 19. Athenæo 12. Quemadmodum de Heraclea vrbe scribit Plinius 6, 16. Et de Charace seu Alexandria, Pellaque pago ad sinum Persicum 6, 27. vbi & Durinem regiam, Alexandri temporibus interiisse scribit, fierique potuit, vt rumore quodam deceptus sit Curtius, sicut etiam dum ad Araxem illam fuisse ait, cum sic in Perside proprie non esset, & à Ptolemæo* [de quo vide Salmas. in Solin. qui Curtium defendit, pag. 1202.] *ad Rhogomanem fluuium statuatur, & quidem ita, vt ipsius adhuc tempore stetisse videatur, imo & floruisse, inquit in Strabonis lib. 15. Casaubonus. Certe ipse Strabo 15. & Arrian. 3, 4, 8. Cyri tantum, quæ ea in vrbe fuerant palatia, combusta tradit.* Raderus. Sed tamen Maccab. 1, 6. vrbs ista non vocatur *Persepolis*, sed *Elymais*, quomodo & apud Iosephum 12, 13. nisi forte perinde est, & *Elymais* idem quod *Persepolis*, ab *Elam* qua voce Persis significabatur. Vt vt sit, sane permagna apud me in talibus est auctoritas Curtii, quem ex historia nihil temere adfirmare video. & vero eum latuisset instauratio tam præclaræ vrbis, si qua interim fuisset subsecuta? haud sane arbitror. Itaque si qua postea hoc nomine vrbs

vrbs fuit, vocabulum potius idem, quam idem solum habuisse crediderim. Nec enim adsentiar Sansouino, qui eam vrbem alio nomine adhuc scribit esse caput Persiæ. sic enim lib. 6. del gouerno di diuersi regni inquit: *La citta principale* (di Persia) *è Sirae, detta dagli antichi Persepoli?* Sed quo auctore id nobis persuadere nititur? quo argumento?

VESTIGIVM) Sic de Veiis Florus 1, 12, 11. *Hoc tunc Vientes fuere: nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quodue vestigium? Laborat annalium fides, vt Veios fuisse credamus.* Sic Carthaginis solo aratrum inductum esse à Modestino in l. 21. quib. mod. vsufr. amitt. didicimus. Iosephus de bel. Iud. 7, 1. *ambitum ciuitatis* (Hierosol.) *ita complanauere diruentes, vt qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent.* Sed quid hæc conquiro, quasi rara aut singularia? Quin potius cum Auentino lib. 1. hist. Bauar. verba Flori proferam in communem de mortalitatis imbecillitate definitionem: *Maximarum vrbium, populorum potentissimorum nullæ reliquiæ, nulla vestigia supersunt: laborat annalium, diplomatumque fides, vt illos fuisse credamus.* Adde Leandri descriptionem Italiæ fol. 7. f. 2.

5,8,1. *ECBATANA)* Herodotus 1, 98. *Deioces igitur imperio potitus, Medos compulit vnum oppidum condere: vt hoc vno communito exornatoque, aliorum non ita magnam curam haberent. Obsequentibus quoque hac in re Medis, mania constituit ampla simul & valida, quæ nunc Ecbatana appellantur &c.* Plin. 6, 14. *contra: Ecbatana caput Mediæ Seleucus condidit.* Ego interpretor prius dirutam postea à Seleuco instauratam. neque dubitandum. Alii Dario Hystaspis F. attribuunt. Est & aliud oppidum in Syria huic amplissimæ ciuitati cognomine. Herodotus 3, 62. Ἐκβάτανα τῆς Συρίης. Meminit & Plin. 6, 13. Est autem nomen compositum. prius membrum monosyllabum est nomen fortasse proprium. Nam id asserere meum non est. Alterum constanter asserimus Chaldaicum esse, & *palatium*, siue *regiam* significare, בֵּיתָן *Bethan*, aut *Baithan*. Vnde & illa vrbs sine priore membro dicitur Βαθάνεια, vel Βατάνεια, auctore Stephano. Βάτανα bis legitur apud Isidorum Characenum. Demetrius apud Stephanum: *Aghatana duplicia sunt, alia quidem Mediæ, alia vero Syriæ.* Diuersitas prioris membri Αγ-Βάτανα, & Εγ-Βάτανα satis ostendit vocem esse compositam. Scaliger ad Num. Euseb. MCCCIX. vbi *Deioces Ecbatanam condit.* Diodor. 2, 13. antiquiorem eam vrbem facit Semiramide, & propterea multo magis Deioce. Historia Iudith. cap. 1. quendam *Arphaxad* eius conditorem tradit. Sed *condere* dicuntur etiam qui instaurant. vt ostendi ad Flor. 1, 3, 1. & in Indicibus Flori ac Iustini. vnde non meruit censuram viri docti (in vita Plutarch. cap. 1.) Apollodorus lib. II. rer. Bœoticarum ita scribens: λέγεται δ' οἰκισθῆναι ὑπὸ Δηϊόκου & πολίσματ& (χωρογνέσας) Καλέαινα. Ceterum pro *Ecbatana* in Curtianis Codd. aliquot locis scriptum est *Batana* & *Batana*, vt non immerito dubites sic scripsisse Curtium: quando & in aliis auctoribus ita reperiri ex Scaligeri verbis didicimus, eoque modo apud Nonium in *Cereurus* ex Lucillio scriptum fuisse tradit Bapt. Pius Annotat. poster. sylloge 3. c. 130. *Bathanam & Babylonem ibo.* quamquam ibi rescribendum omnibus etiam Curtianis locis putauerit *Ecbatana* vel *Ecbatanam.*

VRBEM HANC) Plures MSS. *Vrbs hæc*: manifesto indicio nihil horum esse à Curtio.

ÆSTIVA AGENTIBVS) Alii *gentibus*: omissis quæ sequuntur, *sedes est.* pro quo Rader. mallet *regibus*; Acidal. *genti*: sed rectum est *agentibus*, vt intelligantur Parthi, non quilibet, sed reges. Ceterum æstiua ibi habuere, quia Ecbatana Aquiloni obuersa, per æstatem frigent, cum in Asia passim vapor solis omnia accendat. Athenæus 12, 2. *Persarum reges Susis hyemarunt, æstiuarunt in Ecbatanis, in Per-*

sepoli per autumnum morati, Babylone vero anni reliqua parte. Parthorum etiam reges ver traducunt Rhagis, hyemant Babylone, in Hecatompylo, quod ex anno superest, transigunt. Hic itaque *Rhagas* pro Ecbatanis nominat. cum Curtio facit Strabo lib. 16. qui de Ctesiphonte pago locutus, inquit: *ibi Parthorum reges in hyeme propter aeris temperiem degere solent: aestatem vero in Hyrcania & Ecbatanis agunt.* De Ctesiphonte idem Ioseph. scribit fine lib. XVIII. & Marcellin. pr. lib. XXIX. Dio Prusæus princ. orat. 6. de Diogene Synopæo: *viuebat nunc quidem Corinthi, nunc autem Athenis. Dicebat autem se imitari regis Persarum viuendi rationem. Quippe vt ille hyeme quidem in Babylone & Susis, interdum autem in Bactris, in serenissimis totius Asiæ locis: aestate autem in Ecbatanis Mediæ prouinciæ viueret, vbi fere semper aër frigidissimus est, similisque aestas hyemi circa Babylonem: ita etiam se mutare habitationem iuxta anni tempora.* Raderus. fere ex lib. 1. Brisson. de regno Pers. pag. 46. Vbi tamen & in præcedentibus paginis alia multa eo pertinentia traduntur, ex variis scriptoribus. quibus adde Plutarch. cap. 10. de profect. virtut. sent. Diogenes suam *Athenis Corinthum, Corinthoque Thebas transitionem, regis Persarum migrationibus comparabat, vere Susis, hyeme Babylone, aestate in Media commorantis.* Strabon. lib. 11. *Ecbatana &c. ibi aestiua habent reges (Parthi) frigida enim est Media: hyberna Seleuciæ Tigridi impositæ prope Babylonem.* Vbi veriorem, vt reor, eius moris rationem reddit a temperie aeris, quam in citato loco ex lib. 16. vbi dicit propter antiquam vrbis dignitatem id ita obseruatum. Ælian. hist. an. 3, 13, 8. de quibus: *more regis Persarum aestiua ac hyberna conficiunt: cuius homines admirabilem sapientiam ad deprehendendam cœli commoditatem existimant, illinsque vtroque Susis migrationes ad Ecbatana pernagatas prædicant.* Plutarch. cap. 3. an vitiosit. ad infelic. fuffic. *Metrocles, qui hyeme inter oues, aestate in vestibulis templorum dormiens, prouocat ad certamen de felicitate Persarum regem Babylone hyemantem, & aestiuo tempore in Media degentem.* Suggillat hac caussa Persarum regem Xenophon in orat. de Agesilao, hunc cum illo comparans: *Augebant ei lætitiam & illa, quod se quidem sciret absque animi ægritudine posse deum dispositione vti: illum vero videret æstus & frigora fugere, ac propter imbecillitatem animi non fortium virorum, sed debilissimarum bestiarum vitam imitari.* Pertinere videtur eodem Arist. de mirabil. auscult. cap. XXV. de multitudine scorpiorum circa Susa. vbi verba ὅτι διοδεύοι, non de fortuito aliquo transitu, sed de hoc solenni itinere accipio. Eam mutationem aliis quoque Persis in vsu fuisse, populo, vt fit, regem imitante, video ex Agatarchide lib. 1. cap. 1. apud Photium Cod. CCL. *Erythras quidam genere Persa tempore hyberno ad Pasargadas commigrabat, & sub ortum veris ad rem suam familiarem rediebat, tum aliam ob militatem, tum vt aliquam vitæ suæ voluptatem hac ratione indulgeret.* Persarum regem imitatus hic etiam est Xerxes ille togatus (sic enim Lucullum a Tuberone vocari solitum accepimus) qui *a Pompeio reprehensus, quod villam optime ad aestatem comparasset, verum habitationi brumali fecisset incommodam: arridens, putasne minus me, inquit, quam grues & ciconias sapere, quæ cum temporum articulis commutem diætas?* Plutarch. Lucullo cap. LXXXII. Idque Romæ vulgo fieri solitum innuunt illa Flori 1, 12, 7. *Tiber nunc suburbanum, & aestiuæ Prænestæ deliciæ,* vbi notam c. vide. Sueton. Galb. 4, 8. *Tusculum, vbi aestiuare consueuerat.* & Vespas. 24, 1. *Cutilias, ac Reatina rura, vbi aestiuare quotannis solebat, periit.* Contra Augustus in vita 72, 4. *per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme & aestate mansit: quamuis parum salubrem valitudini suæ vrbem hieme experiretur, assiduoque in vrbe hiemaret.* Forte sic quoque suo exemplo cupiens obuiam ire corruptis moribus, cum ea tempestate, Horatio Epist. 1, 1, 92. este, etiam pauperes mutarent

\- - - - - *canacula, lectos,*
Balnea, tonsores - - - - -

Vnde

Vnde in l. 1. §. 3. de aqua quotid. & æst. *dicimus vestimenta æstiua, salsus æstiuos, castra æstiua.* Vide Tiraquell. de nobilit. cap. XXXII. num. CXXXI.

5, 8, 2. *STADIA M. D.)* Quadraginta septem (stadiis minus quatuor) milliaria Germanica, Italica centum & octoginta septem eoque amplius.

5, 8, 3. *TRIGINTA MILLIA)* Mihe fide hic dignior Arrian. 3, 4, 12. Darium ab Ecbatanis fugisse, *cum exercitu equitum trium millium, peditum sex millium.*

5, 8, 4. *FVNDITORVM)* Peculiaris ista manus, non comprehensa numero 30000. superiorum; leuis nimirum hæc armatura. Adde infra ad 5, 12, 4.

VRBIS) Expungunt hoc alii: ego necessarium putem. tam enim vrbi quam regioni vult fuisse præpositum: quod ita non semper solere notaui supra ad 5, 1, 4. & vero nulla suspicio est hæc verba ab alio quam auctore, hic fuisse inserta.

5, 8, 5. *IMPEDIMENTORVM)* Alii *impedimentorumque*: quod scilicet lixis ea nollent committi: sed nihil mutandum puto. Hi enim iumentorum, curruum &c. custodes, rectoresque erant; nec tamen obstabant, quin vbi res poscceret, extra ordinem militare præsidium adderetur.

5, 8, 6. *CONSILIO)* Ne te fallat Vir Doctus in Hist. Fori Rom. 3, 13. qui putat fuisse hic *gregarios simul cum illustribus conuocatos.* Certe enim non fuerunt. non hoc ex sua maiestate duxisset Darius: & vt hoc parum validum arbitreris, ipsam historiam inspice, nullam de cuiusquam gregarii admixtione suspicionem ibi reperies. nisi id vnum quod sequitur: *ex multis millibus &c.* sed ea oratio etiam sibi constat, si ad duces præsentes, quamquam absentibus eorum copiis, referatur. Sane fraudi fuit Erudito Viro lectio alia & deterior quorundam codicum: *Concilio*, quod, vt ibidem illo ostendit, *ad plebeculæ temere coactæ turbam fere referrur.* Scio tamen sæpe confundi, seu quod promiscue vsurpari solita essent; siue procliuis vnius literæ error multis in locis obseruatum ab auctore discrimen sustulit.

5, 8, 7. *ETIAM)* Vide ne legendum, *id iam.* Acidalius.

5, 8, 9. *NON HERCVLE)* *Nam proditores etiam iis quos anteponunt, inuisi sunt.* Tacit. 1, 58. 2. cui loco reseruamus, quæ hac de re fueramus dicturi.

5, 8, 11. *IN REGNO)* Eadem fortuna Mithridatis fuit: eadem Iugurthæ: quem Florus 3, 1, 12. *finium suorum regnique fugitiuum* venuste appellat, quomodo fere Cyprianus lib. 4. de idol. vanit. Iudæos *soli & cœli sui profugos.* Quo loco male distinguitur: *Dispersi & vagabundi vagantur soli. Et cœli sui profugi per hospitia aliena iactantur.* Sic Curt. 5, 12, 2. *Terrarum orbis exul.*

5, 8, 13. *VIVVS)* Sic apud Sueton. cap. 42. Nero querebatur se *inauditæ & incognitæ pati, qui imperium suum viuus amitteret.* Id enim nondum acciderat Romæ: qui enim id tenuerant, non nisi cum spiritu posuerunt, excepto Sylla qui sponte abdicauit. reliquis cordi fuit, quam apud Liu. 24, 22, 8. marito Demarata sæpe ingerit, Dionysii tyranni vox: *qua pedibus tractum, non insidentem equo relinquere tyrannidem dixerit debere.* quod quidem aliter alii referunt. Hoc fere modo Bassis imperium Selimi poscentibus, pater eius Baiasites: *quam quidem diu superstet ipse foret, imperium se nemini traditurum respondit.* Leunclau. Annal. Turc. Cicero ad Attic. 3, 10. de sua dignitate & opibus: *Hic vtrum tandem sum accusandus, quod doleo; an quod commisi, vt hæc aut non retinerem (quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur) aut certe viuus amitterem?* Quare typographicum potius sphalma arbitror, quod in Pompæ notis hic Curtii locus; item iste Suetonii sic referuntur, vt pro *viuus* vtrobique sit expressum, *vnius.* quamquam sic quoque legi aiunt in Palatino primo.

5, 8, 16. *GENTISQVE)* Cuius autem gentis nobilitatem laudat Da-

rius? An Persarum? atqui illos notauerat voce *vestra*. an Macedonum? at quid de horum nobilitate & fortitudine sentiat, cum in aliis orationibus, tum in præcedentibus verbis satis docuit. Lego indubitato: *nobilitate vestra gestisque*. Isocrates ad Philippum: μεγάλην νῦν δόξαν καὶ περιουσίαν καὶ σὺ καὶ τῶν προγόνων καὶ τῶν ὑφ' ὑμῶν πεπραγμένων. *magnam gloriam decentem & te & maiores tuos, resque à vobis gestas*. Gronouius. Ita supra 3, 7, 12. Sisinem Nabarzanes stimulat, *vt dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet*. Ceterum si quis malit retinere *gemisque* habet quo defendat. *nobilitate vestra, gentisque*, hoc est qua priuatim quisque ob genus aut facta pollet, quaque gens vniuersa ob imperii magnitudinem atque diuturnitatem celebris est. Hac forma legimus aliquoties in hoc auctore, *se vrbemque dedere*, cum tamen incolis deditis, vrbs vtique dedita intelligeretur. item *se gentemque*; vt non solum princeps gentis suo nomine se dedidisse putetur, sed & se, & simul totam gentem in fidem victoris tradere. Præsertim autem in illa exhortatione magnam vim habet vtriusque argumenti coniunctio, vt non à priuata tantum virtute, sed & gentis gloria quisque stimuletur. Sic apud Senec. suasor. 2. *Trecenti sumus: sed viri; sed armati; sed Lacones*. Ita Liuius coniungit *viros & Romanos*.

5, 9, 1. *SÆPE DIXIMVS*) Ait sæpe dixisse: nec vel semel inuenio in hoc & superioribus libris, quos habemus. in amissis primo & secundo an vsquam meminerit quis scire potest? Credere tamen id licet: at sæpe ibi fecisse, non hoc etiam licet. Igitur, si cui ita videatur, in locum *& sæpe*, reponam *supra*, quod respiciat ad priores duos, aut alterum eorum, & magis secundum, in quo coniicere possumus locum fuisse potius ei mentioni. Si minus aliis hoc videtur, at illos delere penitus iubebo. Infra 6, 5, 2. scio idem dici. Acidalius. Non tamen impossibile est, duobus istis libris crebram huius hominis factam fuisse mentionem. erat enim occasio narrandi, quo tempore quaue causa patria pulsus Philippum adiuerit, quæque interim dum ibi esset egerit, quomodo deinde redierit. Consentaneum enim est Curtium vtique primo libro de prædecessoribus Darii, deque Alexandri patre Philippo, nonnulla, & vtique extrema tradidisse, vt ad sequentis historiæ planiorem intellectum necessariæ narrationes præstruerentur.

PRECIOSISSIMA VESTIVM) Ita melius quam *pretiosissimam vestem*, alio quoque Curtii loco 5, 6, 7. adstipulante. De re ipsa vide Kirchmannum de funer. Rom. 1, 1, 10. & Magium Miscell. 2, 21. Quibus adde Xenophontem ἀνάβασ. lib. 3. qui locus huic valde est similis: postquam enim recitasset vltima verba ex oratione Cleanoris; *vbi fortissimis animis dimicauerimus, quicquid diis visum fuerit, feramus*. subiicit: *Hinc Xenophon surgit, quam elegantissime potuit, ad pugnam ornatus. Existimabat enim, si diu victoriam largirentur, pulcherrimum ornatum victoriæ conuenire: sin moriendum esset, elegantissimo se dignum cultu iudicabat, quo ornatus diem in terris extremum clauderet*. Sic & M. Curtium *equo quam poterat maxime exornato insidentem armatum se in specum immisisse*, Liuius 7, 6, 5. tradit. De Cleopatra ad Flor. 4, 11, 11. diximus. Mos exinde fluxit, quod hominum alii crederent ista sibi apud inferos profutura (vnde apud multos barbaros ea quæ viuis acceptissima erant, in rogum, aut sepulchrum immittuntur) aut per inuidiam secum asportarent quæ possent, ne inimici iis potirentur; de qua re dicemus, DEO dante, ad Tacit. 3, 46, 8. aut etiam *in nouissimam voluptatem*, vt ait idem auctor 2, 31, 2. vbi dicit Drusum Libonem ea causa *epulas adhibuisse*. Ex hac aut alia qua simili superstitione processit consuetudo, qua nunc etiam in curandis honestiorum corporibus, nullo sitorum commodo, viuentium vsibus multa subducuntur: more non vsque quaque improbando, si modus adsit.

5, 9, 2. *INAVDITI ANTEA FACINORIS*) Nihil hic rhetoricum

ricum & hyperbolicum, si Curtii mentem percipis: qui non cum quouis facinore hoc comparat, nec in mentem ei venit id omnibus aliis, quæ vnquam accidissent, grauius prædicare, sed simpliciter indicat, istam perfidiam ante ea tempora nunquam in Persis fuisse auditam, apud quos semper *regum eximia maiestas*, vt infra 5, 10, 2. dicit, fuerat.

5, 9, 3. *SCIO ME*) Huius orationis apud Caussinum in Parallelis eloquentiæ, hæc est œconomia lib. 13. pag. 563. Primo insinuatione vtitur vulpes in re ambigua, proponens se austera quidem, sed salubria dicturum, ducto à medicis exemplo. Hanc similitudinem fuse prosequitur Augustinus Epist. 48. ad Vincentium, & Epist. 1. ad Bonifacium, & Ser. 59. de verbis Domini. Cæsarius Arelatensis hom. 8. Philo Iudæus de sacrificiis. Secundo opponit religionem, & infelicitatem ad deterrendum Darium, quo prætextu ambitiosi & improbi, vt videre est in variis historiis, sæpe abuti solent: quippe *nil efficacius multitudinem regit*. (Curtius supra 4, 10, 7.) & vt ait Iustinus 8, 2, 7. *Iure ille à diis proximus habetur, per quem deorum maiestas vindicatur*. Verum huiusmodi homines prætextu cœli, captant terras. Tertio addit fraudi suæ delinimenta, & spes præclaras in posterum colligit ex adiunctis, si Darius tantisper huic infelicium rerum velut effuso torrenti se subtrahat. Quarto quod vafræ artis est, etiam sententiosius est insidiator, quo sincerius loqui videatur, & facilius in errorem inducat. Sed χρυσὸν κηλώνειον suspecta prudentibus oratio. Ad summam, rem de compacto gerunt perfidiosi, vt in Velabro olearii.

Sic multi, animus quorum atroci iunctus malitia est,
Composita dicta ex pectore euoluunt suo,
Quæ cum componas dicta factis, discrepant.

Accius in Eumenidibus. Raderus.

MEDICI) De hac similitudine indicati auctores in superiore nota: quibus addi poterit Plutarch. apophth. de Scipione: *Bonum imperatorem itidem, vt medicum, ad malum curandum vltimo demum loco ferrum adhibere*. Tacit. 3, 54, 2. *ne corporis quidem morbos, veteres, & diu auctos, nisi per dura & aspera coerceas*. Vide præterea Marcellin. 17, 10. Maxim. Tyrium Dissert. XXX. Hieron. de vitando susp. contubernio; ipsaque sacras literas passim. Denique non in auctoribus tantum, sed quotidiano quoque sermone, omnis fere oratio hac comparatione adspergitur, cum in tota vita quicquid perperam se habet, recte morbidum vocari possit; & opus habeat correctione, quam non incommode medicinam appellarunt, vt Socrates apud Platonem diuersis locis inculcat. Atque hoc ita receptum est omnium gentium consensu, vt prope constet nullam esse linguam, quin similitudine & vocabulis à re medica desumptis, familiarissime vtatur.

GVBERNATOR) Vtitur hac similitudine Cyrillus, in cap. 16. c. 1. quæst. 7. *Sicut ij qui mare nauigant, tempestate vrgente, nauique periclitante anxiati quædam exonerant, vt cetera salua permaneant: ita & nos cum non habemus saluandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despicimus ex eis quædam, ne cunctorum patiamur dispendia*. Τὸ μὲν ἀνάγκη κακὸν ὑπὲρ ὅλης, ait Max. Tyrius Dissert. XXV. *necessium est, vt pars patiatur pro salute totius*. Ex hac causa orta est Lex Rhodia de iactu, cuius adhuc in Digestis nonnulla superant vestigia, eruditissime excussa à summo Viro Iacobo Gothofredo in libro singulari ad l. 9. eo tit.

5, 9, 4. *OMNIBVS*) Sic omnino legendum adspiratione recisa, quæ sæpius addita perperam, aut etiam omissa vitium facit auctoribus. Exemplo sit Plinius 9, 35, 24. *Conchylia & purpuras omnis hora attrit*: pro quo male legitur *ora*. Nam de tempore ei sermo est, opponitque ista vnionibus quos dicit *æternæ propo possessioni* esse. De auspiciis istis summæ fortunæ obiter diximus supra ad 3, 2, 1. quam mate-

riem prolixe tractauerunt Gruterus ibi citatus, & Dempsterus ad antiqu. Rosini 2, 16. Tangit id Victor de Cæs. cap. vlt. quem adscribo vt persanem, olim etiam ad Florum tentatum: *quæ quamquam in eius fortuna, principis tamen consilio accidere.* Scribe; *quæ quamquam vi eius, fortuna principis tamen & consilio accidere.* Vim pro *efficacia*, hoc est ἀντὶ ἐνεργοῦντος, quomodo isto vocabulo Marcellin. 14, 26. vtitur, posuit: vt Tacitus Varum *vi Arminij cecidisse* ait, 1, 55, 3. Est ergo idem fere illorum verborum sensus, qui Tiberianorum istorum apud Tacit. 3, 47, 1. *fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse.*

5, 9, 6. *FORTIVM*) Hæc illa sunt, quibus iugulare Stoicos aduersa omnis manus solet: pro quibus scutum habeo equidem quod opponam, nisi religio me vetet. In hanc mentem igitur & Lucan. 7, 105.

\- - - - *fortissimus ille est,*
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest - - - - -

Illa virgo apud egregium vatem (intelligo qui Thebaida scripsit:) versu 190.

\- - - *non est, vt putas, virtus, pater,*
Timere vitam: sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.

Cæsar de bel. Gal. 7, 77. *Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre non posse. Qui se vltro morti offerant facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.* Curtius: *Fortium &c.* Biberunt omnes è patera Aristotelis, cuius hoc scitum in Ethicis 3, 7. *mori autem fugiendæ paupertatis, aut amoris, aut molestiæ caussa, id vero non est animi virilis, sed potius vilis & ignaui.* Lipsius ad ista Taciti H. 2, 46, 4. *Maiore animo tolerari aduersa, quam relinqui.* Quo loco defensurus videtur αὐτοχειρίαν, quam tamen aperte damnat tota dissertat. XXIII. lib. 3. manuductionis ad Stoicam Philosoph. Aristotelis sententiam merito commendat Muretus Var. Lect. 4, 2. vbi vide. Eam etiam in animo habuit Dio Chrysost. Orat. 29. *Vulnera contemnere non fortitudinis est, sed ignauiæ.* Contra Stoicos tamen hac etiam in parte facere videtur ipse Seneca, vt cum de tranquillit. cap. 14. ait; *Potuit posthæc iubere illum* (Iulium Canum) *Caius viuere*, subnectit; *non timuit hoc Canus &c.* Et expresse Epist. 78, 2. *Aliquando & viuere, fortiter facere est.* & Epist. 104, 5. *Qui perseuerat mori, delicatus est.* Et inprimis epist. 24. à num. 30. ad finem. vbi verba ista; *In vtrumque monendi &c.* sic legenda arbitror; *In vtrumque muniendi ac firmandi sumus, & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus.* Præclare omnino Cleomenes apud Plutarch. cap. 44. Therycioni suadenti vt se interficeret: *Tu vero, respondit, improbe fortis videris mortem appetens, qua nihil omnium humanarum rerum omnibus magis in promptu est situm: turpior hæc tua priori est fuga. hostibus quidem etiam aliis nobis præstantiores concesserunt, aut fortuna aduersante, aut multitudine oppressi: qui vero ob labores & miserias, aut opinionem, reprehensionesque hominum animum dessondet, is à sua ipsius vincitur mollitie.* Vere pro se Iosephus de bel. Iud. 3, 14. *Iidem timidus est habendus, qui mori non vult cum opus est; & qui vult, cum non oportet &c.* vbi locum illum porro facunde & sapienter exsequitur. Eius sententiam iisdem fere verbis expressit Iulianus apud Marcellin. 25, 10. *Æquo enim iudicio iuxta timidus est & ignauus, qui cum non oportet, mori desiderat, & qui refugiat, cum sit oportunum.* Vide etiam Arnis. de iure Maiest. 2, 3, 9. & qui ibi citantur. Item Martialem Epigr. 1, 9. Idem non inepte Epigramm. 11, 57.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Et sane ita se habet. Debebant meminisse Stoici Imperatoris sui, quo nomine non absurde

surde DEVM intelligunt, illiusque iussis in omnibus obsequi. Sicut igitur non inutilis tantum miles esset, sed & facto, & vero magis exemplo perniciosus, qui eum maxime in hostem esset pugnandum, in sua viscera ferrum inergeret: ita pro transfuga est quilibet homo, qui quamcumque stationem in qua DEVS cum collocauerit, iniussu summi istius Imperatoris deserit. Et certe omnia exempla qui sibi manus intulerunt, quot quidem eorum in meam notitiam peruenerunt, exacte considerans, deprehendere visus sum profecta ex quadam animi mollitie, cum officii sui contemptu, quod ab vnico illo bono magistro nondum didicerant, aut si didicissent, flagitiose neglexerant. Etiam quæ speciosissima videntur, eadem scabie penitus infecta coniicere est. Excedere enim aiunt se è vita, vt suo potius arbitrio, quam alieno moriantur, ne contumeliis & doloribus ad iussum alicuius tyranni corpus atque membra præbeant: vt denique ostendant nihil in se licere quantumuis potenti domino, si ipsi noluerint. At totum hoc, quid aliud est, nisi quædam animi tenuitas, qui infirmitatis suæ conscientia, quicquid molestum sentit, fugit potius, quam constanter aut perfert aut profligat? falsa persuasione cæcatus, hac ratione finem malorum quæri. Sed ô miseros, qui sero deprehendunt, infinitis partibus maiora pluraque supplicia in immortali ista morte, vbi nihil præter pœnam viuit, esse perferenda, quorum essugium alia vlterior mors non reperiat. Adde Berneggerum in Tacit. Quæst. XXX.

5, 9, 7. *ITAQVE*) Acidalius aptius credit *Vtique.* Ego illud malim, optime cohærens præcedentibus. *Virtus nihil inexpertum omittit, itaque vltimum omnium mors est,* non ergo præcipienda, aut priori loco tentanda quam ea, quæ ordine præcedunt. quæ si omnia exhausta sint, tum demum tempus est *non pigre eo ire.*

5, 9, 10. *CIRCVMSTETISSENT*) Haud magnopere dissimilem scenam exhibet nobis Elmacinus Saracen. hist. 2, 5. *Eodem anno occisus fuit Muhtadis Billa. cum enim Musa f. Nugæ, & Bancialas consentirent de eo occidendo, suasit Musa Bancialo, vti Muhtadim adiret, & simularet se ei subiicere, interim autem neci eius studeret. Abiit itaque Bancialus ad Muhtadim: sed hic eum in vincula coniecit. vnde tumultum excitantes Principes circumdederunt arcem, petentes à Muhtadi vt Bancialum dimitteret &c.*

5, 9, 12. *SVORVM TAMEN*) Hoc *tamen* omittunt quidam Impressi, & mox alieno loco inferciunt: *Instare tamen Alexandrum &c.*

A REGE. EA RE) Haud dubito quin verissime emendauerit Acidalius: *alienentur. Ægre patiti &c.* Sic etiam sub fin. huius cap. *ægre à Dario impetrauit &c.*

5, 9, 16. *SIMVLQVE QVÆ*) Quis hoc ferat? Scripsit Curtius: *simul quæ.*

5, 9, 17. *NON ANTE*) Malim, *nec ante.* Vide Indicem, *infinitiuus.*

5, 10, 2. *ILLIS GENTIBVS*) Tetigimus supra ad 3, 6, 17.

5, 10, 4. *VIRES IMPERII*) Totius Asiæ, Persidis, Babyloniæ, Mediæ, & quicquid Dario paruisset recuperaturi, si Bactrianam regionem occupassent, sibique parere coegissent. Vel: Inde vires bello accisas instauraturi. Raderus. Forte legend. *vices imp. repetituri,* hoc est, viciſſim repetituri imperium orbis terrarum, quod iam Alexander occupauerat. hoc enim eorum consilium fuisse, supra quoque 5, 9, 2. ostendit, cogitabant enim idem, quod sic expressit Lucan. 2, 13.

\- - *fors incerta vagatur fertque referque vices*

Dubito etiam annoa pro *regionis potiri* leg. *regis potiri.* h. e. regem in potestatem redigere.

5, 10, 9. *RVINÆ RERVM*) Similitudine eadem aliter vtitur Barclaius lib. 1. *Iussus est nihil mouere Gelanorus; sed tamquam à communis domus exci-*

dio

dio ceruices subtrahere. quem locum longe diuersum in sensum detorquet interpretatio Germanica.

DONIS) Imo vero *bonis.*

5,10,12. *OFFICII)* Simile de Cæsaris nece Sueton. cap. 82. *Assidentem conspirati specie officij circumsteterunt.*

5,10,15. *QVALEM ET VIRVM)* Cicero apud Dionem 45,5,10. *tanto is* (Antonius) *maiore odio dignus est, quod vos homines tanta bonitate iniuriis lædere non desinit.*

5,11,1. *PATRON)* Fallit Virum doctum memoria, cum negat apud alios scriptores huius mentionem esse, quapropter opus est cum etiam in adsignanda eius rei caussa falli. Meminit enim Arrianus 3,3,15. quamquam *Paronem* pro Patrone vocet; Phocensem patria fuisse, ex eodem auctore discimus.

IN SARCINIS) Tanquam omnibus ad iter potius fugamque, quam ad prœlium paratis. Nec enim fere expediebantur, hoc est, ex sarcinis atque tegminibus proferebantur, aptabanturque arma, quam vbi prœlium sperabatur. De quo more Lipsium in Analect. ad Milit. Roman. dial. 2. vide. Sic ergo & alia huius auctoris loca capienda. vt supra 3,8,25. *itineri quam prœlio aptiores erant, raptimque arma capiebant.* & de Alexandri militibus in transitu Tigris supra 4,9,19. *cumulis sarcinarum passim fluitantibus rex monet, vt satis haberent arma retinere:* tamquam quæ & ipsa inter ceteras sarcinas erant. Idque magis etiam intelligetur ex Xenophontis loco lib. 4. ἀνάβασ. vbi similiter de fluuii transitu: *In hoc conatu quum aqua mamillas superasset, ac flumen propter ingentia saxa, eaque lubrica, esset asperum; armaque in aqua gestari non possent, quod flumen eos abriperet: ac si quis in capite gestare vellet, nudos incedere aduersus sagittas & tela reliqua oporteret; remoueserunt.* Atque hinc ex contrario cognoscitur quid sit *itineri simul & prœlio paratum esse:* nempe armis non in sarcinas colligatis, sed aptatis corpori, & ad congressum paratis iter facere.

5,11,2. *CVSTOS)* Non vt corpus eius tueretur; sed ne qua elaberetur, quem vel capere, vel mactare cupiebat. Raderus. Eleganter in hunc sensum Barclaius lib. 5. *Itaque exploratorem veritus esse, honorarios custodes clam tribuit; qui incautum, nec ratum se timeri, solerter obseruarent.*

5,11,3. *REVOCATO)* Sic olim legendum conieceram, & postea expressum vidi in vno Elzeuiriano posteriore: nescio quid sibi velint alii *sermone reuocatus,* at *reuocato sermone* est, cum sæpe dicturus toties se repressisset, vocemque iam prodire volentem quasi reprehendisset.

5,11,4. *BVBACEM)* An è Bubacene natum? multi enim peregrini à patria nomen traxerunt. Est autem Bubacene Asiæ haud procul ab Indis à Polyperconte subacta, vt infra 8,5,2. Curtius docet. Raderus.

IPSE) Pal. 1. *ipsi.* probe.

LOQVI VELLE CVM EO) Acidalius de his quoque verbis dubitat; sed cum sensum habeant, inque omnibus libris reperiantur, & vero si iste mos admittatur, nihil vnquam suspicione vacuum sit futurum; merito ferimus.

5,11,5. *HAVD RVDIS)* En & barbari reges Græce discebant, quod hodie miraculum, si quis principum, regum, Cæsarum Græce vel discat, vel sciat, quam tamen linguam Carolus Magnus omnis Germaniæ & Occidentis imperator optime percalluit, cum Michaëlis Rangabæ legatos Græce perorantes humanissime audiuit, & Cuspiniano teste, magnis muneribus prosecutus est. Mithridates rex Ponti duarum & viginti linguarum idiomata percalluerat, quot nempe gentib. imperitabat. Romani Cæsares omnes Græce norant. *Chosroes Persarum rex, Iustiniano & Romanis per suas clades notus,* inquit Lipsius monit. polit. 4,8,19. *& eloquentiam Græcam adamauit, & Philosophiæ ipsius non limen, sed adyta penetrauit: Aristotelem totum percalluisse aiunt, Platonis lineas & numeros: sed & ipsa Græcorum opera in suam linguam multa transtulisse. Hæc aiunt: & demus famam aliquid adstruere: vel conatum ista. nonne magnum in magnis istis regum?* De eodem mira Agathias sub fin. lib. 2. Fridericus secundus Imp. ille ingens, Italice, Gallice, Turcice, Germanice, Latine, Græce ad miraculum doctus erat. Hodie pro literatore proclamaretur, si quis Imperatorum Græce legeret. Si quis etiam paulo nobilior liberos ad publicum gymnasium mittit, hoc primum est, vt eos à Græcis velit eximios, quos immerentes Attica tota proscriptos vltro volunt exulare. O inficetum sæculum. Raderus. Græcæ linguæ studium olim latissime per omnem Asiam diffusum fuit, vt etiam Indiam penetrauerit, vbi regem Phraoten eius peritissimum facit Philostratus in Apollonio 2,13. Sed & nostris in regionibus nondum omnino exspirasse videtur eius disciplinæ honos. De Elisabetha & Iacobo Angliæ regibus, item Principe Hassorum Mauritio, aliisque nonnullis, qui summo fastigio egregiam eruditionem linguarumque studium coniunxerunt, recens adhuc est memoria. Sane Darium Græce sciuisse haud valde mirandum est, quippe cui cum Græcis florentissimo tum temporis literis armisque populo, plurimum erat commercii, quique suo sub imperio nationis eius linguæque ciuitates haberet haud paucas. Sic nec hodie nouum est principes operam dare linguis earum gentium, quas aut vicinas, aut amicitia coniunctas, vel etiam infensas habent: quotidiani enim vsus commoditate eo compelluntur. At Græci sermonis nulla fere nisi in legendis antiquorum scriptis vtilitas: quam, vt longe maximam esse non negauerim; ita nullo insigni blandimento extrinsecus ornata est, quo in alia omnia intentos aut allicere possit, aut retinere. Ergo & Carolus IV. in aurea bulla extrema sanxit, vt Electorum filii instituerentur in linguis, & nominatim Latina, Italica & Illyrica. Quod enim in *Grammatica* iubet eos institui, ad Latinam linguam pertinet, ne cum viris doctis aberremus.

QVINQVAGINTA) Persarum *copiis* 30000. *Græcorum mercede conducta, adiecta sunt,* vt supra 3,9,2. refert Curtius. posset igitur non iniuria, cuiquam rem attentius consideranti oboriri suspicio, vt pro *quinquaginta, triginta* legendum crederet. Popma. Si tamen omnes ad Granicum, ad Issum, ad Gaugamela colligas, facile quinquaginta millia conficias. Raderus. Imo multo plura: quando Leosthenes *Græcos conductitios, qui Persis stipendia fecerant, ad quinquaginta prope militum millia in naues impositos, inuito etiam Alexandro in Graciam incolumes reportauit.* Pausanias lib. 8.

5,11,6. *IN CETERIS)* Melius *ceteris.* Vtinam & ceteris non alibi nisi in te spes essent sitæ. innuit eos qui rebus nouis cum Besso animum adiecerant. Fero tamen & vulgatum, *in ceteris:* quamquam, si quid iudico, multo languidior inde sensus exit.

5,11,8. *ET FORTVNÆ)* Non audio Acidalium qui *es* pro *& velit:* nec in anterioribus potius *concipi* quam *conspici* legendum arbitror: cum enim vtrumque recte dicatur, vnus puto, librorum consensus est, qui monstrare possit vtrum vtri præferri debeat.

5,11,9. *TVLERAT)* Hoc est laturus fuerat, si scilicet paruisset Darius. Huius formulæ aliquammulta in priscis scriptoribus occurrunt exempla. Ammianus 21,25. *Si permeato flumine nullum qui resisteret inuenissent, absque difficultate penetrarat Euphraten.* & 19,13. *ni obstitissent violentior casus, in ipsis tentoriis obtruncarant:* & 26,15. *cuncta confuderat, ni gladio perisset vltore.* Cicero Epist. Famil. 2,4. *qui se interdarant aduersarios in eius Tribunatu.* Liuius 34,29,8. *difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quinctius &c.*

tius &c. superuenisset. Florus 4, 2, 19. *peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuissent. & ceperat. sed &c.* & 4,3,2. *& redierat, nisi &c.* Virg. Æn. 4, 603.

- - *anceps belli fuerat fortuna* - - Tacit. 1, 63. 3. *trudebanturque in paludem &c. ni Cæsar productas legiones instruxisset.* Senec. Consol. ad Marc. 1, 6. *detrimentum resp. ceperat, si illum non eruisset.* Plin. paneg. 8, 5. *Temere fecerat Nerua, si adoptasset alium.* Zonaras Tom. II. pag. 115, 30. εἴλον ἂν τὸ Μαγνῆτον οἱ χαλκηδόνιοι, ἢ καὶ διέφθειραν, εἰμὴ &c. Sic Augustin. Tom. II. pag. 752. a. Præterita subiunctiui sic poni, nihil attinuit notari ab Acidalio: nam id nimis frequens est, nec à ratione loquendi omnino alienum.

5,11,10. *ELVDANT LICET)* Sic plane Liuius 6, 41, 10. *Eludant nunc licet religiones, quid enim est &c.* Hunc Curtii locum in animo habuisse putem Bracellum, cum Hispani belli librum primum scriberet: *Garriant quantum libet, nosque irrideant, qui negant Deum res humanas curare &c.* Simili formula Cicero paradoxo I. *Quamobrem licet irrideat, si quis velit &c.* Adde Liu. 26, 22, 13. Sic Oros. 3, 14. *Asserant nunc.*

QVEMQVE) Merulae editio; *quæque.* quam lectionem præfert Acidalius, nimirum quia omnia fato regantur. ego communem veram puto, vt ad homines, quorum præcipua in hoc theatro scena est, tantum respexerit Curtius.

IMMVTABILI LEGE) De Fato vide Lipsium Polit. 1, 4. satis prolixe & accurate differentem. Auctoribus ibi relatis compara Marcellin. 23, 11. *Posthabito tamen suasore cautissimo* (non secus atque Darius Curtianus) *fidentiius vltra tendebat: quoniam nulla vis humana vel virtus meruisse vnquam potuit, vt quod præscripsit fatalis ordo, non fiat.* Aurel. Victor. in Numeriano: *Arduum fatalia deuertere: eoque futuri nosio superflua.* Senecam suasor. III. *Hoc Cestius diligenter diuisit. dixit enim, deos rebus humanis non interponere arbitrium suum. sic interponant, voluntatem eorum ab homine non intelligi: vt intelligatur, non posse fata renocari. Si non sint fata, sacra profutura: si sint, non posse mutari.* ex Homer. Od. 3. v. 147.

Οὐ γάρ τ' αὖψα θεῶν πίτνει νόος αἴσιμα εἰδώς.
Non etenim diuum mens vertitur æternorum.

Herodot. 3, 43. *intellexit non posse præstare hominem, vt alterum hominem fato impendenti eripiat.* Val. Max. 1, 6, 10. *Octauius consul dirum omen quemadmodum timuit, ita vitare non potuit.* Plutarch. Camillo cap. 17. *considerato, fatum ineuitabile esse.* Apulei. pr. lib. 9. *nihil fortuna renuente licet homini nato dexterum prouenire: nec consilio prudenti, vel remedio sagaci diuinæ prouidentiæ fatalis dispositio subueniri vel reformari potest.* Adde eundem lib. de Mundo, pag. 75.

5,11,11. *A POPVLARIBVS)* Neque id sine ratione: nam eo facto maximopere eos offendisset: &, vt seq. cap. loquitur, *parricidio excusationem obtulisset.* Nam quanta cum inuidia res ista coniuncta fuerit, satis apparet ex eo, quod infra 6, 4, 9. Nabarzanes non aliud magis prætexit facinori. Sic & Macedones infra 10, 4, 5. nihil molestius tulerunt, quam regem custodes corporis ex Persis delegisse. Sertorium multi, qui cum eo fugerant, Romani postea deseruerunt *hac præcipue causa quod ia custodes à Celtiberis vndique acciuerat, & Romanis à corpore amotis, eorum loco exteris se credidderat. Non enim milites æquo animo perferre poterant, se infidelitatis ab eo argui.* Appian. lib. 1. ciuil. Hinc Buchanan. lib. 18. hist. Scot. narrans, *Mariam reginam suasu Dauidis Riccij, Italos sui corporis custodes elegisse*: addit, *quæ proxima ad tyrannidem via est.* Ergo Ludouicus Sforzia, nunciata Sanseuerini Calatiæ comitis defectione dixisse fertur, *se non minorem minusue perniciosam calamitatem existimare, vana suspicione se fidorum hominum*

minum opera priuare, quam incauta credulitate illorum se fidei committere, qui suspecti esse debebant. Guicciard. hist. lib. 4.

SERO SE PERIRE) Similiter Scipio apud Liuium 28, 27, 9. *Equidem si totum exercitum meum mortem mihi optare crederem, hoc statim ante oculos vestros morerer &c.* ad quem locum nos ex Isocrate, Cicerone, Seneca, Plutarcho, Cassio, aliisque plura. Gruterus ad ista Sueton. Calig. 56, 2. *sponte se periturum si & illis morte dignus videretur.* Tiberius, qui inter initia imperii *quoties casus ita tulisset precari solitus est, tantum sibi vitæ & imperij tempus, quantum reip. conduceret*: postea quoque accusato Lentulo quasi vitæ principis insidias strueret; *vita se iam dignum amplius negauit, vbi Lentulus quoque ipsi infensus esset.* Dio lib. 57. Idem apud Tacit. 6, 2, 5. *neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret.* Gelon comperta coniuratione armatus in concionem ascendit, mox exutis armis, dedere se vitamque suam vniuersis dixit, occiderent, si ita videretur. Ælian. hist. Var. 13, 37. Sic Eumenes apud Iustin. 14, 1, 12. *salutem suam in omnium potestate esse.* Apud elegantissimum Barclaium Poliarchus de Archombroto: *Dignum se peiori calamitate fore, si de illius fide auderet dubitare.* Dion apud Plutarch. cap. 70. *demonstrauit sæpius cupere iam se subire mortem, iugulumque cuiuis præbere, si ita viuendum foret sibi, vt non tantum ab inimicis, sed etiam ab amicis cauendum esset.*

MILITES) Posset quidem abesse hæc vocula, sed cum in omnibus libris compareat, nec lædat sententiam, aut structuram verborum, quis spuriam cum Acidalio pronunciet?

5,12,1. *CONCEPERAT)* an *ceperat?* quomodo & alibi non semel legitur.

5,12,4. *TRIGINTA MILLIA)* Totus igitur exercitus erat, ne Græcis quidem exclusis 1, 8, 3. Quid si rescribamus *tria millia*, vt de Bactrianis intelligatur. nam ceteros innocentes fuisse n. 6. & 7. probant. Sebisius. Cui ne adsentiar, facit quod tota ista argumentatio concideret, qua Darium Curtius ostendit noluisse paucorum societatem amplecti, multo pluribus neglectis offensisque. Quod autem triginta potius millia, quam triginta tria & trecentos nominauit (ad eum enim numerum superiori loco relata ratio consurgit) more consueto auctorum fecit, qui rotundo numero vti gaudent. Græcis autem exceptis tamen adhuc triginta millia barbarorum fuisse, & supra ad 5, 8, 4. ostendimus, & hoc etiam loco adiuti euidenter confirmare possumus.

5,12,6. *MORE SOLITO)* Nec Parthis patrium, aut consuetum fuisse, noctu pugnare, Plutarchus in Crasso cap. 57. tradit. Cuius locum huic nostro comparat Brisson. lib. 3. de regno Pers.

5,12,8. *VELVT A REGE)* Alii *velut à rogo.* quæ ego apta non negem plane, neque eo minus à nasutulo aliquo interpolata constanter ausim affirmare: De rogo sit aliquid, atque ipse scio, quod dici, qui interpretari, qui defendi possit: verumenimuero Curtius aliter scripsit, ac vera lectio non diu quæsita, feliciter inuenta nobis. Nam vel quouis sacramento contenderim rescribendum: *vel à tergo.* Hæc Curtii mens, hic Darii adfectus, qui abeuntem amicum nec à tergo sustinebat intueri. Sic Radero probante Acidalius.

5,12,9. *ARMATIS)* Alii auctiores: *tum* vel *cum armat.* forte non frustra ibi inserta vocula; & potest fuisse *tot armatis.*

NON HABEBANT) Quippe viles apud alios & contempti. quæ inter ceteras caussa Cyrum mouit, vt eiusmodi homines sibi fidissimos futuros crederet, si Xenophonti in lib. 7. παιδ. fides habenda.

5,12,10. *PEROSVS*) Simile illud Taciti 2,31,2. in extrema anxietudine Libonis, *ipsis, quas in nouissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus.*

5,12,11. *QVAM MEO*) Non audio Acidalium, qui inserta vocula malit, *quam metus meo.* Sane potuisset ita scribere Curtius, sed voluisse, quis monstret? & tamen sic concepta sententia Dario non indigna, ipsa autem structura verborum etiam elegantior. At supra 3,6,6. de Alexandro sic locutus est, *satius est alieno me mori scelere quam metu meo?* scilicet pro subiectæ materiæ ratione aliter ibi loqui non poterat: quæ hic longe diuersa, aliam quoque sententiam postulauit. Sic Carthaginenses apud Florum 2,15,9. *patriam suam malebant hostium manibus, quam suis euerti.*

5,12,16. *DEORVM*) Post hanc vocem intrudunt libri *auspiciis.* quod videtur ex inepta glossa marginali, volentis explicare quid sint deorum honores, in textum irrupisse.

EXTERNA OPE) De huius quoque loci integritate multum dubito. nec abest multum, quin mutilum pronunciem &c. Et tamen integer etiam videri locus, si recte capias, possit. *Non admota externa ope,* cuius iam scilicet egebat, à suis plane destitutus. Infra 6,3,13. *regem suum etiam externæ opis egentem.* Acidalius. Melius tamen illud *nulla externa ope,* cum Berneggero retuleris ad *captiuus.* Darius fuit à seruis propriis captus, nulla externa ope admota, h.e. vt serui non iuuarentur iuberenturue ab hostibus.

5,12,17. *PECVNIA*) Strabo lib.15. de thesauris Alex. *Nonnulli omnia undique Ecbatana comportata dicunt fuisse C & LXXX. millia talentorum. VIII. millia vero, quæ cum Dario è Media fugiente exportata, ab iis direpta fuerunt, qui eum necauerunt.* Arrianus 3,4,12. Darium Ecbatanis *ad VII. M. talentum abstuliſſe* scribit. vter horum verius narret, nostra parum interest.

5,12,19. *NEMO ALIVS*) Tum enim facile est exercitu, vel regno potiri. Sic apud Appian. in Syriac. Antiochus in Ægyptum properat, ὡς ἔρημον ἀφ' ἡγεμόνος ἁρπασόμενος. Dicemus olim, DEO volente, ad ista Taciti 6,34,3. *inanem mox regiam Æetæ, vacuosque Colchos repetiuit.*

5,12,20. *AVREIS COMPEDIBVS*) Dio Chrysostomus oratione vltima, & Iustinus 5,11,4. narrant, huiusmodi vinculis oneratos etiam, à Cyro Astyage, ab Artaxerxe Cyrum fratrem. Antonius quoque regem Armeniæ *Artauasden fraude deceptum, catenis; sed ne quid honori deesset, aureis vinxit.* vt Velleius 2,82,7. refert. Popma. Vide etiam SchegkI notam ad citatum Velleii locum, & de eodem Armeniæ rege Dionem lib.49. Sic apud Marcellin. 27,26. Sapor Arsacem *vinctum cathetis argenteis, quod apud eos honoratis vanum supplicium æstimatur esse solatium, exterminauit &c.* Tertullian. de cultu feminarum 1,6. respiciens ad Æthiopas Macrobios Herodoti 3,23. *Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* Quem locum illustrat alius ex Heliodori Æthiop. lib.9. vbi de Theagene. & Plutarch. Erotico cap. IX. De Dario & Iustinus 11,15,1. Sic in Appiani Mithridat. rex ille filium cognominem *vocatum ad se vinxit aureis compedibus, nec multo post necauit.* Adde Dempsterum ad antiq. Rosini 10,29. Voss. ad Vellei. pag.96. p.

PROCVL) Eundem nimirum ad finem, ne inde suspicio oriretur, regem eo curru vehi.

5,13,1. *PATEBAT*) Alii *petebat.* Forsan legend. *parabat.*

5,13,2. *TABAS*) Non ausim adfirmanti Radero credere, vere emendare Glareanum *Ragas.* præterquam enim quod ea Mediæ vrbs non *Ragas* nominatur recto casu, sed *Rhagæ;* etiam supra veri fidem non est, aliam ibi fuisse, *Tabas.* nec sane

sane multum ad rem facit, quod Stephanus tres hoc nomine vrbes alibi, nullam in Parætacene nominet. Scribit quidem Arrianus 3,4,16. Alex. Rhagas peruenisse, sed in tota ista narratione sæpius à Curtio dissidet, vt hunc ex illo corrigere non satis tutum sit, aut integrum. Mox pro *præcipitem* ponerem *præcipite.*

5,13,3. *BAGYSTHENE*) Rectum videatur hic cum Radero sequi Arrian. 3,4,12. qui Bisthanem hunc appellat, Ochi, qui ante Darium regnauerat filium. Sed sunt quæ dissuadent, tum, quod modo dixi, perpetuus fere horum auctorum in ista narratione dissensus: tum etiam quod hic additur *Babylonio,* quod cur illi Bisthani tribui debeat, docendum erat: Raderus *Megistbane* edidit: atque ita Modii codices habuisse affirmat. Certe Brissonius lib.1.p.134. *Megistanem Babylonium* hic reperit, atque sic Persarum Parthorumque proceres purpuratosque interdum appellari, non paucis Græcorum Latinorumque scriptorum locis ostendit. Supra etiam 5,1,20. habuimus *Bagophanem Babylonium,* quo & ipso loco dubitabam, an Megistanem legi rectius foret, cum aliæ edd. *Bagistanem* habeant. Est & *Megistanum* mentio in Syrac. 23,19. ἀνὰ μέσον δὲ Μεγιστάνων συνεδρεύσεις. *nam inter purpuratos considebis.* Item in adiunctis Eusebianis: Μετὰ δὲ τὸν Ἀλεξάνδρου τελευτὴν διαιρέντες τὸν βασιλέων οἱ Μεγιστᾶνες ἀρχὰς: *Post Alexandri vero finem diuidentes imperium proceres eius.* Et aliquanto post: Καὶ εἰσῆλθον οἱ Μεγιστᾶνες Ναβυχοδονόσορ εἰς τὴν πόλιν: *Et ingressi sunt Megistanes Nabuchodonosoris vrbem* Hierosolyma. Inter Latinos est & Frontinus strategem. 2,9,5. *in quendam ex Megistanis* (Armeniis) *quos ceperat, animaduertit.*

5,13,4. *SVPEREST*) Hæc ita edidimus volentibus bonis Cod. & egregio sensu. Ipsum quippe Darium vocat maximum opus, & breuissimum laborem eadem figura, qua infra 7,5,36. *Spitamenes eum* (Bessum) *tenebat, collo inserta catena, tam barbaris, quam Macedonibus gratum spectaculum.* Hic loquendi modus paullo ignotior, corrupit hunc locum, quem præ manibus habemus: itidem vt alium Liuii, quem ad Flor.4,2,81. l.emaculauimus.

IN ILLO CORPORE) Vide Gruteri discurs. cap.10. ad illa Taciti 4,25,5. *Non nisi duce interfecto, requiem belli fore.*

5,13,5. *NEC LABORI*) Forte fuit, *neu labori, neu periculo parceret.*

5,13,6. *VICVM*) Nomen non exprimit. Iustinus 11,15,1. *in vico Parthorum Thara* vinctum fuisse scribit; non etiam ibi interfectum.

5,13,7. *INTERPRES*) Reges, Persici sermonis ignaros Græcos, per interpretem audiebant: atque ita, Syloſontis Samii verba à Dario exaudita Herodotus 3,140. refert. Themistoclem quoque, vbi primum in Artaxerxis conspectum colloquiumque venit, per interpretem locutum, Plutarch. in Them. cap.47. scribit. Sic etiam cum peregrinis egisse reges indicat. Herod. lib.3. sermones à Dario, coram Græcis, habitos cum Indis narrans. Brisson. lib.1. pag.137.

5,13,8. *DIMACHAS*) Alexander maximus Imperatorum inuenit, vt apud Sixtum Arcerium p.156. not. ad Ælian. Iulius Pollux testatur, cuius hæc verba sunt: *Erat & aliud equitum genus, Dimachæ dicti, ex inuentione Alexandri, armorum apparatu instructi leuiore, quam qui est peditum grauis armatura, graviore vero, quam qui est equitum: exercitati in vtramque, & pedestrem, & equestrem pugnam. vt & in locis equitatui aptis equis vtantur: & vt ne, si in loca deuenirent iniqua, & minus apta, omnino ad pugnandum inepti essent, idemque experirentur, quod Lydis quandoque accidit. Equum autem apprehendebat, ac custodiebat famulus aliquis, qui in solum eum vsum vna sequebatur. ipse qui ex equo descenderat, consistim inter pedites armatos pugnabat.* Annotauit etiam Arcerius ex Hesychio eosdem dictos ἀμίππους. *Dimachæ sunt, qui Hamippi dicti, qui quidem interdum pedites, interdum equites pugnant.* Hamippi autem, quasi

dicas, *pedes simul & eques.* Non absimiles ab isto genere sunt equites, qui hodie in militia nostra *Dragons* nuncupantur, bombardas gestantes oblongas ex humeris dependentes. Raderus. Dimachas istos eo demum tempore instituisse Alexandrum ex Arriano 3, 4, 23. colligas: *quum intelligeret non posse pedites se festinanter equitantem sequi, equites circiter quingentos equis desilire iubet, & duces peditum aliosque praestantissimos quosque ita vt pedites armati erant, equos conscendere.* Quam rem, licet alia de caussa imitatus Cæsar de bel. Gall. 1, 42. *commodissimum esse statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, legionarios eo milites legionis decimæ, cui quam maxime confidebat, imponere.* Hamippos autem istos tam ex equis pugnauisse, ex Isæo; quam inter pedites, ex Thucydide & Xenophonte, Harpocrationis Lexicon notat: additque à Philochoro eosdem παρεμβόλους siue *antecursores* vocari. Vide etiam Tollii notas in Palæphatum. Valesium in Excerpta Polybii, pag. 36. pr. & Alex. ab Alex. pag. 980. m. Valde falsus est Vir doctus in Miscellaneis, qui apud Curtium pro *Dimichas*, vt falso edebatur, dubitauit legere *Dimoiritas*, aut *Dioclinitas*, cum hæc ipsa posterior vocula in Marcellino 27, 20. & Capitolini M. Antonino cap. 21. corrupta sit, legendumque pro ea, *Diagmitæ*, vt ostendit Cl. *Salmasius* ad dictum Capitolini locum.

5, 13, 10. *IPSE QVADRATO)* Vereor vt hæc bene sana sint. Dixit eum cum expeditis equitibus iter ingressum, phalangem sequi iussisse quantum posset: nunc statim subiungit *ipsum* quadrato agmine incessisse. Quid si fuerit? *sequi iussa quadrato agmine. Incedens &c.* Phalangem nimirum quadrato agmine sequi iussit, vt Arrianus monstrat 3, 4, 23. τὰς δ' ἄλλας πεζὰς, phalangem nimirum, οἱ πεζοὶ ἑπεσθαι. vbi illud οἱ πεζοὶ reddidit Doctiss. interpres; *quadrato agmine*, ex ipsa mente auctoris.

5, 13, 11. *BRQCVBELVS)* Alii *Proculus*, quod Romanum nomen est: at illud & barbaricum; & propius accedens ad id quod ei homini imponit Arrian. 3, 4, 11. *Antibelum* appellans.

5, 13, 14. *NOMEN)* Sic apud Claudian. de bello Gild. vers. 384. Stilico ad Honorium

\- - - - - *plus nominis horror*
Quam tuus ensis ages - - - - - Vide Gruteri discurs. ad Tacit. cap. 7.

5, 13, 16. *DEOS VLTORES)* Nihil huc facit aut *Arimanes* Persarum, aut *malus genius*, ex Agathia & Plutarchi Alex. cap. 52. Nam in hoc loco ὁ δαίμων πεσὼν, nihil aliud est, quam *pertinax* illa *fortuna*, quæ Curtii verbis, *Persas vrgere non desinebat*, eademque vi est exclamatio illa Darii, quæ Annibalis, apud Liu. 27, 53, 12. *agnosco fortunam Carthaginis. Arimanem* autem quamuis pro principio mali haberent Persæ, forte post Manichæorum insaniam, quæ in illis partibus plurimum polluerat, non tamen sequitur eum potius vindicem malorum statuisse, quam bonum aliquem deum. Vindicta enim scelerum, cum ex iustitia oriatur ad finem bonum, & mortalitati salutarem, non certe adscriptam fuisse ab hominibus ratione non omnino destitutis, credibile est malo genio: quem & ii non per iustitiam tanquam delicta vlciscerentur, sed quod calamitatibus humanis delectaretur, mala immittere credebant, vt Veiouem suum Romani, & modo Indi suos Aygnanos, quos ideo venerantur, ne noceant. At bonis geniis vltionem tribuerunt omnes gentiles, adeoque istud in ore vulgi erat, DEVS, scilicet ille verus & vnus (hoc enim est illud testimonium animæ, de quo Tertullianus librum composuit) vltor erit. Ergo & ex suis diis, quos pro bonis habebant, Ioui, *Vindicis* cognomen Romani indederunt, *Vltoris*, Marti. Flor. 3, 11, 5. *dij fœderum vltores.* Vide Plutarch. de Cleomene cap. 73. apophth. Lacon.

TELA

TELA INIICIVNT) Perditissimorum hominum perfidiam magis etiam aggrauat canis exemplum, qui parricidis istis longe melior, prosperiorem quam illi meretur memoriam. Nam *Dario, cum à Besso multis vulneribus confossus esset, & iaceret stratus; omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus solus permansit fidelis, eumque tametsi non amplius ab eo nutriretur, eodem affectu obseruauit, ac si adhuc viueret.* Ælian. hist. anim. 6, 25, 4.

5, 13, 18. *QVA QVEMQVE)* Vide supra ad 3, 11, 12. Florus 3, 11, 10. *Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga &c. distractæ.*

INCERTI ADHVC) Sic bene coniungitur *adhuc*, nam Acidal. iungebat voci *resistere*, vel etiam *melius*: vtrumque sensus penitius introspectus renuit.

5, 13, 20. *SINGVLI)* Malim, *singulos, vt quemque prehenderant.* illud *quæque* pro *quemque* etiam supra 5, 11, 10. inuito auctore nonnullos in codices irrepserat: & hoc etiam loco multi bonique præferunt, *quemque.* An retinenda prior lectio, & de vehiculis exponenda, vt scrutati fuerint vehicula, vt quæque in manus venerant? Magis est, vt captiuos singulos perscrutati fuerint; ex iisque quæsiuerint, vbi Darius esset: atque hoc præcedentia velint.

5, 13, 22. *TERRITIS)* Plutarchus extremo lib. 1. de fort. Alex. *Rationes periculo imminente franguntur, atque imaginationibus iudicium expellitur, vbi prope adsunt res terribiles. Motus enim non solum memoriam consternat, vt ait Thucydides; sed & insitutum animi omne, & laudabilem conatum incitationemque.*

PLVRES CAPTIVI) Idem accidit Anglis, à Cobione Scoto victis, apud Thuan. lib. V.

5, 13, 24. *GALEA HAVSTAM)* Ritu militari, quia nihil ad eam rem accommodatius ad manum erat. Vide Senec. de benef. 5, 24, 3. Tibull. 2, 7, 8. Frontin. 1, 7, 7. Lactat. Placid. ad Statium Theb. 3, 663. Pedo Albinou. de Obitu Mæcenatis in pr. Lucan. 9, 502. aliosque, quos citat Vir multiugæ lectionis & accurati iudicii, Dempsterus, ad antiquit. Rosini 10, 12.

5, 13, 25. *SEMIVIVI)* *Hæc vltima*, inquit Modius, *huius libri vox in membranis fuit, nisi quod quæ deesse videbantur, à nescio quo, ex Iustino velut supplementum adiecta erant, sed hæc talia satius erit, apud ipsos auctores legere, quam Curtio temere aliena, vt pannum purpuræ assuere.* Idem finis est in Constantiensi Codice. Raderus. Nos igitur non vulgare tantum supplementum, sed etiam nostrum, auctoris verbis subiecimus; ne lectorem interrupta historiæ series moraretur: & tamen alio charactere expressimus, addita etiam monitiuncula, ne quis amplius existimaret habenda pro Curtianis, quod video retro doctissimis viris accidisse non quin statim videre potuerint aliena esse, si disquirendum putassent, sed quoniam iisdem typis statim textui subnexa erat, festinantes facile fefellerunt.

5, 13, 26. *APVD INTELLECTVRVM)* Hinc quoque deprehendas hæc non esse à Curtio apud quem paulo supra 5, 11, 5. legitur *haud rudis Græcæ linguæ Darius.*

5, 13, 28. *EXEMPLI)* Vide notam Amantissimi Soceri ad Iustin. 11, 15, 10. vnde hæc desumpta.

5, 13, 31. *LACHRIMIS)* Notatum id in aliis quoque, eos illachrimasse victis hostibus. Vide supra ad 3, 12, 6. sic Eumenes *cæde Crateri nunciata aduectus ad eum, atque vbi spirantem & mentis compotem vidit, equo delapsus illachrymauit, dextramque ei iniecit &c.* Plutarchus Eum. cap. 13. Nec alienum est quod de M. Marcello refert Valer. Max. 5, 1, 4. cum captis à se Syracusis *fletum cohibere non potuisse, quem si quis ignarus vir (forte veri) aspexisset, alterius victoriam esse credidisset.* Atque idem etiam de Scipione in excidio Carthaginis proditur.

CHLA-

CHLAMYDE) Idem in Marcello fecit Annibal apud Plutarch. Marc. cap. 53. & Val. Max. 5, 1, 6. ext. *Punicoque (i. e. puniceo) sagulo, & corona donatum lauream rogo imposuit.* Vbi obiter rescribe *aurea*, sic enim Plutarchum in libris Valerii, nam ipsum inspexit, legisse, ex Græcis verbis ambiguum esse non potest, χαὶ χρυσῆν ἐμβαλὼν χλαμύδα. Sed de chlamyde: pridem Annibal Æmilium funerans, apud Silium 10, 569.

- - - - - fulgentia pingui
Murice, suspirans, iniecit velamina, & auro
Intexam chlamydem - - - - -

Sic Antonius Brutum honorauit. Plut. Ant. c. 28. & Bruto cap. 78. Alexandri tumulum Caracallus apud Herodian. 4, 15.

6, 1, 1. *PVGNÆ*) Hanc quoque lacunam explere tentamus. Interim consulatur Diodor. 17, 48. & 17, 63. Ceterum adsentior Radero capienda hæc de Agide qui cum videret suos laborantes & prope iam victos, *immiserit se in medium pugnæ discrimen.* quæ fere verba supra quoque 3, 11, 2. leguntur: *ceteros in medium belli discrimen strenue transfert.*

6, 1, 4. *CIRCVMFERENS*) Quia vbique expositus periculo. Sic in nocturna pugna, & ancipiti discrimine Tacit. H. 4, 29, 3. *vnde clamor acciderat circumagere corpora.*

6, 1, 6. *EFFVSE FLVENTEM*) Sic scribendum esse olim ipsa res mihi indicauit, dein Acidalii lectio, quam & Raderus approbat.

6, 1, 8. *VETERA*) Nam in veteri quoque fama multum esse roboris, exquisitis auctorum locis prolixe ostendit Gruter. toto discursu 7. in Tacitum, quem & alibi iam citauimus. Similimus autem huic locus est in Iustino 30, 4, 15. vbi iam & Macedonum gloria consenuerat; Romana vigente: *vtrinque concitati milites prælio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis imperio gloriantes; ferenteque in bellum, alij maiorum suorum antiquam & obsoletam gloriam, alij virentem recentibus experimentis virtutis florem.*

LIBERTATE) Tacitus 2, 46, 4. *His vocibus instinctos exercitus propriæ quoque causæ stimulabant. cum à Cheruscis, Longobardisque, pro antiquo decore, aut recenti libertate; & contra, augendæ dominationi certaretur.* Sed libertas fortiores stimulos habere debet. Philippus apud Iustin. 30, 4, 7. *tanto fortius hoc bellum quam illa sustinendum, quanto sit libertas imperio carior.*

6, 1, 10. *ANGVSTIÆ*) Sic apud Senec. suasor. 2. Pompeius Silo: *Xerxes multos secum adduxit; Thermopylæ paucos recipiunt: nihil refert quantas gentes in nostrum orbem Oriens effuderit, quantumque nationum secum Xerxes trahat. tot ad nos pertinent, quot locus ceperit.*

CLAMORE) Vt fieri solet à spectantibus. Liuius 1, 25, 10. *clamore qualis ex insperato fauentium esse solet, Romani adiuuant militem suum.*

6, 1, 11. *COEPIT*) Malim abesse. Nam infinitiuus pro imperfecto indicatiui ponitur. Vide Indic. in *infinitiu.*

6, 1, 17. *NEC FALLEBAT*) Nihil hic deest, ne fallere. Sed Curtius hæc ita stricte proposuit, vt tamen non deessent verba pleno sensui, si cum iudicio legantur. Ita sæpissime optimi quique scriptores volunt quædam intelligi ex consequentia verborum quæ ipsi non aperte dixerunt. Sic apud Tacit. 2, 46, 7. *missus Drusus, vt retulimus, pacis firmator*, cum id nullo expresso verbo retulisset, sed ita indicasset, vt lectori rerum simul orationisque non imperito facile intelligi potuerit. Sic apud Liu. 36, 13, 4. *ad recipienda oppida &c. ierunt. Erant autem hæc Æginium, Ericinum, Gomphi,*

Gomphi, Silana, Tricca &c. Inde Pellinæum &c. Vbi supra nominata oppida non expresse quidem scripsit esse recepta, sed tamen ex dictis, & præsertim vocula *Inde*, intelligi voluit. Hic itaque pari modo cum de *gratulantium vultu* loquatur ipse intelligere per te potes, eos & coram ipso stetisse, & vt ipsum conuenirent, profectos esse, idque ex eorum ciuitatibus & ædibus adeo: sed ista omnia commemorare putidum & puerile foret. Sic in fine huius capitis non exserte tradit Lacedæmoniorum Megalopolitanorumque legatos ad Alexandrum profectos fuisse (quæ etiam caussa fuit cur Vir quidam Eruditus putaret ibi quoque aliquid deesse) sed ex omnibus circumstantiis ab attento lectore facile colligi posse, sufficere putauit. Breuitati narrationis inseruit, *si exitus rerum ita exponimus, vt ante quoque quæ facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus. Quod genus, si dicam me ex prouincia rediisse, profectum quoque in prouinciam intelligatur.* Rhetor. ad Herenn. 1, 9.

OPVS ERAT DECIPI) Eodem modo simulauerunt apud Tacit. 1, 11, 6. *Patres, quibus vnus metus si intelligere viderentur.* vbi loca parallela.

INVIDIAM) Ex hoc aliisque compluribus exemplis demonstrat Gruter. discurs. in Tacit. 33, 8. & seqq. *quam stet in lubrico Dux regius: qui necessario vtique subuertatur, si res ei cum Principe iniquiore.*

6, 1, 18. *DEMPTVM GLORIÆ*) Infra ad 8, 14, 46. Inde *Perdiccam oderat, quod esset bellicosus: Lysimachum, quod imperatoriæ artis peritus: Seleucum, quod forti animo esset. Antigoni vero liberalitas eum offendebat, & Attali imperatoria dignitas & Ptolemæi prosperitas.* Ælian. hist. var. 12, 16. Turpis nævus in tanto principe; & indicium animi non vere magnanimi.

6, 1, 20. *MITTERE LICERET*) Ita postea fere obseruatum apud Romanos, vt Imperatores ducesque de pace cum hostibus suo arbitrio non agerent, sed annuerent petentibus, vt legatos Romam mittere liceret. Vide Liuium 10, 5, 13. 26, 27, 9. 37, 7, 3. 38, 10, 2. & passim.

VENIAM) Omisi duo verba *non grauate*, quæ inculcauerat Modius, volente cum libris veteribus Acidalio. Deinde sequentia constitui ex oratione Æschinis contra Ctesiphontem: *Elei & Achæi omnes &c. deficiebant, & tota Arcadia, præter Megalopolim, cuius, cum obsideretur, excidium in dies expectabatur.* huic igitur Alexander damna quæ ob fidem in ipsum pertulerat, haud dubie ab auctoribus sarciri voluit. vide Supplem. 6, 1, 14.

PRÆTER AVCTORES) Sic fere semper statutum à prudentissimis quibusque. Eximia illa consultatio apud Liuium 28, 26, 1. *vtrum in auctores tantum seditionis (erant autem hi numero non plus quam quinque & triginta) animaduerteretur; an pluvium supplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis quam seditio esset? Vicit sententia lenior, vt vnde orta culpa esset, ibi pœna consisteret: ad multitudinem castigationem satis esse.* Nam si vltra punias *haud* fere *medicina, sed clades est*, verbis Germanici apud Tacitum 2, 49, 3.

A DEFECTIONE) Forte pro *defectione*, hoc est, vt alii legunt *ad defectionis mulctam.* Si tamen à *defectione* retineas, recte cum præcedenti *obsessa* iunges: capiesque vrbem à defectione, id est post defectionem, obsessam fuisse.

6, 2, 1. *VT PRIMVM*) *Amisso* videlicet, *cui æmulari consueuerat*, vt de Atheniensium ciuitate loquitur Iustinus 6, 9, 2. Mature tamen excussit istum torporem Alexander.

6, 2, 2. *INTEMPESTIVA CONVIVIA*) *Eum singulis diebus in cœnam, ad quam vocauit sexagenos, aut summum septuagenos conuiuas, expendisse centenas minas Ephippus Olynthius tradidit, vt est apud Athenæum lib. 4. Hæ vero efficiunt aureos*

Vngaricos 848. semuncialem vnum, duodenarios quinque, duplos duos, simplum vnum. Agricola de precio veterum monetarum lib. 3. Quæ de tempestiuis intempestiuisque conuiuiis contra Turnebum Aduersar. 6, 16. & Manutium de quæsitis per epist. 1, 6. disputat Lipsius, supra ad 5, 7, 2. monuimus. quo pertinet & iste locus Apulei ex Apolog. prima. *Nuptiane illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an tempestiuum conuiuium?*

LAPSA SVNT) Alii omittunt, *sint*: propius, opinor, à vero. Ego etiam altius metuo, & ita potius olim hæc concepta fuisse suspicor: *quem arma Persarum non fregerant, vicerunt intempestiua, conuiuia & p.p.i.d.l.e.g.p.o. in externum lapsa morem &c.*

6,2,5. *CONTENTVS ARTIFICVM*) Gisanius in obseru. in Ling. Lat. *Contentus alicuius rei: pro, re aliqua. Claud. IC. l. 37. Cum quis decedens, §. Nupturæ. in fine de leg. 3. Quoniam in his expressit, vt contentus esset partis dimidiæ dotis. Sic Curtius Contentus artificum. vbi vulgo tamen contra vet. lib. addunt, opera.* Hactenus Gisanius, qui si ita in MSS. reperit, mirum à nullo alio vnquam hactenus animaduersum fuisse. Sane in omnibus quos vidi, aut de quibus relatum mihi est, vel *turba* adiectum est, vel *turbæ*, nullibi quod sciam, omissa ista voce. Ego quidem in his talibus memini diffidere. Sæpissime enim aduerti monstrosos ineptissimorum librariorum partus, blandiente nouitate, à multis pro certissimo Latinitatis genuinæ pignore exceipi fouerique. Eiusdem generis esse arbitror quod infra 9, 4, 11. volunt scripsisse Curtium *maiora omnium. In oculis duo maiora omnium naufragia submersa sunt.* Qui tersissimum auctorem tam horridi sermonis reum faciunt, næ illis aut iudicium deest, aut voluntas vere de antiquorum geniis sentiendi. Sed de eo loco infra pluribus.

E GRÆCIA) Liuius 45, 32, 8. de Pauli Æmilii ludis: *Nam & artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, & athletarum, & nobilium equorum conuenit; & legationes cum victimis: & quidquid aliud deorum hominumque caussa fieri magnis ludis in Græcia solet.* Ibi enim eiusmodi hominum maxima erat copia, quia *ibi ludicras quoque artes exercere honestum erat.* Auctor de Causs. corruptæ Eloqu. 10, 7.

FEMINARVM) Lubenter cum lib. Bong. exesse iubeam hanc vocem. nam video inde receptam fuisse, quod in aliquibus scripserant *turbæ* pro *turba*. quam vocem proinde non ad *artifices* referendam putarunt, sed ad *captiuas*, & cum à *turbis captiuis* non admodum suaue carmen expectarent delicati homines, restrinxerunt eum chorum, adiectione voculæ, ad feminas.

6,2,6. *VERECVNDE RELVCTANTEM*) Sic de Aspasia *ad cænam Cyri inter alias mulieres introducta*, Plutarch. Artaxerxe cap. 42. *parantibus adducere ipsam cubicularijs: Væ ei, inquit, mihi qui admouerit manus.* Additque Cyrum inde etiam indolem mulieris perspexisse atque æstimasse. Videatur Fr. Iunius de pictura veterum pag. 261. f.

NOBILIOREM) Quo maiore vituperio dignus scelestus ille Nero, qui natus in vrbe seuera, vbi istarum artium studium infamia sequebatur, non solum ipse cecinit, saltauit, aurigauit, sed & *nobilium familiarum posteros, egestate venales in scenam deduxit.* Tacit. 14, 14, 5.

6,2,7. *FILIO EIVS*) Vide supra ad 3, 13, 12.

6,2,8. *FORTVNAM*) Reputans idem accidere posse suis liberis posterisque, videns tanti regis neptem in eas fortunæ angustias, eamque calamitatem incidisse.

6,2,10.

6,2,10. *XXVI.*) Acidalius hunc & sequentem numerum transpositos fuisse iudicat, & omnino cohærere vult de Oxathris & Oxydatis fortuna narrationem, quem plane secutus est Raderus. Aldus totum eum versum aut non reperit in libris suis; aut si reperit pro spurio habuit: omisit enim. Hoc quidem patet, etiam ita vt illi volunt transpositum, non admodum concinnum esse aut congruum antecedentibus & sequentibus verbis. Sane de Oxydatis fortuna diu ante tradidit Arrian. 3, 4, 17. cum adhuc viueret Darius. Et si hæc non resecemus ad viuum, tamen vitiosus adhuc esse videtur locus. apparet enim totam eam pecuniæ vim, ex Curtii sententia, tum fuisse alienatam atque exhaustam. ea ratio vt constet, aut pro *XXVI.* legendum est *XXIV.* aut *XIII.* pro *XII.*

PROXIMA PRÆDA) Nam præda non pro militum lubitu diripienda est, sed ad totam ciuitatem, aut ad regem, cuius auspiciis bellum geritur, pertinet. Nisi quod leuiora nonnulla, & alia aliis etiam de causis militi permittuntur, qua de re præclare, vt solet, differentem vide Grotium de iure belli 3, 6, 8, & deinceps.

CVSTODVM FRAVDE) Diodorus 17, 74. *A gazarum custodibus IIX. M. talentum acceperat. Præter hæc in militem distributa, cum ornamentis & poculis XIII. millia talentum efficiebant. Summa autem furto sublatorum, & per vim abstractorum longe amplior censebatur.* Vbi præsertim Harpalum, aut Harpagum verius, occasioni non defuisse, Deo volente in supplemento libri decimi monstrabimus. Sed & Eumenes magnam pecuniam congessit, vt tradit in vita eius Plutarch. cap. III.

6,2,11. *IN VINCVLIS*) Ita quod ait Seneca ep. 91, 16. *sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria. Quid nocet Iosepho*, inquit Magnus Theolog. ad cap. 27. Genes. *venditio & exilium? imo ad quid non ei profuit? aut quomodo potuissent eum fratres maiore honore & dignitate ornare? Nam eo ipso quo conantur eum impedire & opprimere, commodissime eum ad fastigium & culmen illud regni euehunt, quod paulo ante somniauerat.* Sic *Matthias Huniadis filius ex Vienna ductus, qua die rex* (Ladislaus) *obijt, Pragam applicuit atque in potestate Georgij factus est. Nec diu postea rex Hungariæ designatus, magnis sponsionibus dimissus, è carcere euolauit ad regnum.* Æn. Siluius hist. Bohem. cap. 71. f. quam historiam prolixe narrat Bonfin. lib. 9. dec. 3. Porro de carceribus quoque Persarum dicere non omisit exactissimus Brisson. lib. 2. p. 258.

6,2,12. *CAPVT*) Iustinus 41, 1, 1. *velut diuisione orbis cum Romanis facta, imperium Orientis* eis asserit: Tacitus 2, 60, 5. Parthis *vim*, Romanis *potentiam* tribuit. Vt mirari Liuii 9, 18, 5. stomachum libeat, *repertos ex Græcis qui Parthorum contra nomen Rom. gloriæ fauerint.* Nec ambigam, hos Græcos Strabonem imitatum lib. 11. vbi Parthos *tantum possidere terrarum, tot gentibus dominari* affirmat, *vt ob imperij magnitudinem, Romanorum potentiæ quodammodo pares sint.* Reineccius de regno Parthico.

6,2,13. *GRAVES ADHVC ACCOLÆ*) De Scythis intellige, qui accolæ tum Parthorum, nec imperio eorum subiecti, & sæpius hostes. Iustinum lib. 41. & 42. & Tacit. 6, 36, 5. 6, 44, 1. &c. inspice. Proinde iocabatur Acidalius, cum emendandum suspicaretur, *gnaui adhuc agricolæ.* Nec serio rem dispexit Raderus, qui accolas Romanis fuisse tradit Parthos; cum Curtio de Scythis Parthorum accolis sit sermo.

BORISTHENEM) *Tricosi sunt qui negant Boristhenem esse, qui hodie* Neper, *aut* Nieper *vocatur. Nam de Borysthene ita scribit Periegetes Dionysius* vers. 3, 11.

Vbi Borysthenis fluuij extensa aqua
Miscetur Euxino, arietis ante frontem (promontorio nomen est) *Hodie in toto illo tractu nullus magnus fluuius in Euxinum exoneratur è regione ϑ κριῦ μετώπου*

(frontis arietis) *in fine Tauricæ Peninsulæ, præter* Neper. *Ergo* Neper *est Borysthenes, & Bog, qui in illum illabitur, is est Hypanis : quod & doctis quoque placere video.* Scalig. in Eusseb. num. M CCCLXII.

6,2,14. *MEDIVS*) Inde *terminus gentium*, hoc est Europæarum atque Thracicarum, appellatur Floro 3, 4, 6.

PARTHOS CONDIDERE) Persas etiam à Scythis conditos Marcellinus 31, 6. tradit. Quod non quidem est impossibile : tamen magis Parthos ab eo, vel auctore certe, quem ibi sequitur, intelligi, credibile est. Et vulgo notum circum ea tempora Persarum Parthorumque nomina promiscue à Græcis Latinisque fuisse vsurpata, sicut etiam aliquanto prius Persarum & Medorum, ex eadem caussa. Vide eruditissimas Cl. Salmasii notas in Tertullian. de pallio cap. 2. vbi *Scythæ exuberant Persas.* Et ipse Marcellin. præced. cap. dixerat Persas vicinos populos *in gentilitatem nominis sui traxisse.*

6,2,15. *HECATOMPYLOS*) Vox ipsa Græca est, & è Græcia profectos conditores ostendit. vrbem significat, quæ centum habeat portas. Sed Polybius 10, 25. aliam etymi caussam adfert : *In media Parthia hæc vrbs sita est : cum autem diuerticula vicorum ad omnes regiones ibidem coëant ex euentu ipso centum portarum nomen locus inuenit.* Strabo lib. 17. à Caspiis portis ad Hecatompylon regiam Parthorum (ita appellat) 1260. stadia auctore Apollodoro numerat, hoc est, 12. stadia supra 39. milliaria Germanica. Diodorus 17, 75. Hyrcaniæ quidem assignat, sed Parthiam quoque Hyrcaniæ nomine complectitur. A quibus autem Græcis condita sit, nondum legi. Vrbis Stephanus quoque mentionem habet, sed simplicem, vt & Ptolemæus. Raderus. Quod Strabo regiam eam Parthorum vocat, id confirmat lectionem MSS. apud Athen. 12, 2. *Parthorum reges &c. hyemant Babylone* vbi vulgo lacuna est χειμάζειν δ' ἐν Βαβυλῶνι [.... τὰ λοιπὰ τῆς σατραπείας) quam optime explent γρ. διάγειν δ' ἐν Ἑκατομπύλῳ τὰ λοιπὰ. *in Hecatompylo autem reliquum anni exigunt.* Fuit & Thebarum Ægyptiarum cognomen *Hecatompylos*, à centum portis quas habebant : quod cum hac vrbe Parthica non est confundendum. Ceterum non credo Radero Diodorum Hyrcaniæ assignare Hecatompylon, minus etiam, Parthiam quoque Hyrcaniæ nomine complecti. Hoc enim vix pro sano fecerit. Sed certe non fecit, tantum dixit Alexandrum in itinere cum Hyrcanos peteret, venisse Hecatompylon : nimirum priusquam Hyrcaniam intraret, per Parthiam ducens, vt ita examussim Curtio adsentiat. Dubito autem an hanc vrbem intellexerit Vincent. Beluacens. in speculo hist. lib. 30. cap. 89. ita scribens : *Tartari Persidem inuaserunt. ciuitatem in ea centum portarum, quæ vocatur Saphan acceperunt.*

VITIVM) Haud dubie vera hæc est scriptura, quam in Cod. Sigebergensi Modio repertam merito vulgatæ præfert Acidal. Raderus etiam ex Constantiensi codice firmat. Sic apud Tacit. 14, 58, 4. *Hæc more famæ, credentium otio augebantur.*

6,2,16. *SIGNVM DATVM*) Polybius 6, 38. de Romana disciplina : *E castris suis discedunt hunc in modum. Cum primum signum datum est, tabernacula sua deuendunt; & sarcinas componunt omnes &c.* Quem ad locum vide Lipsium de Mil. Rom. 5, 12.

6,2,17. *SENA MILLIA*) Diodorus 17, 74. ἐδωρήσατο τῶν μὲν ἱππέων ἑκάστῳ τάλαντον, τῶν δὲ πεζῶν μνᾶς δέκα. *Equitibus singulis talentum dono dedit, peditibus denas minas.* Adde Plut. Pompeio c. 56. Talentum igitur, & sena millia denariorum eandem sortem efficiunt. De peditibus autem tacuisse Curtium, cum equites nominasset, mirum mihi fit ; & libenter hominum aut temporum iniuriam incusem.

6,2,20.

6,2,20. *APTA ORATIONE*) *Oratio ducum ad milites nihil non perficit.* Gruter. discurs. ad Tacit. cap. 54. Quare merito Vitellium culpat Tacitus H. 3, 36, 1. hac etiam de caussa, quod *alloquio militem non firmaret.* Eloquentiæ igitur non vltima cura principibus esse debet : quod & hunc Alexandrum puerum adhuc intellexisse refert Chrysostomus Dio orat. 2. cum patre colloquentem fingens, atque disputantem : *Et rhetorica opus est regi. Nam tu frequenter rescribere cogeris & contradicere Demostheni &c.* Et post pauca recitat exemplum ex Homero, valde præsenti loco accommodum : *Quum enim iam Græci propter belli prolixitatem &c. desponassent animum ab expeditione ; insuper & inter eos quidam orator surrexisset, turbareteque concionem, multitudo ruit impetu ad naues, confestimque illis consensis volebant fugere, & nemo eos retinere poterat ; neque Agamemnon quidem habebat, quo pacto rebus consuleret præsentibus. Hic igitur solus ipse potuit eos reuocare & immutare Vlysses, & tandem, cum concionaretur, adiunctò Nestore, persuasit vt manerent. Itaque hoc factum manifeste rhetorum fuit.* Et quæ ibi sequuntur. Exemplum Iuliani refert Marcellin. 17, 1. Philippi, Diodor. 16, 96.

6,2,21. *AVRES PRÆPARENT*) Non protritæ prudentiæ hoc præceptum. Sane enim si animis alia omnia volentibus, ex abrupto contrarium aliquid destinatis eorum suadeas, parum differre videaris ab iis, qui munitas ædes, ipsi robore impares, aperta potius vi irrumpere velint, quam per artem atque cuniculos intrare. Sic apud Tacit. 1, 28, 6. in seditione militari : *accitur centurio Clemens, & si alii bonis artibus grati in vulgus : ij vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum imtendunt &c.* Qui sane insignis est locus, & consideratu dignissimus. Cui iunge Ioseph. 15, 8. *Ita affectos rex excitabat, duces eorum appellando, & quantum in se erat conando illis animum addere : cumque generosiores quosdam in meliorem spem restituisset, tum demum ausus est etiam exercitum alloqui, quem prius viderat ira recentibus cladibus nullam orationem admittere.*

6,3,1. *MAGNITVDINEM*) Huius quoque orationis argumentum & œconomiam Caussinus proposuit in suis eloquentiæ parallelis pag. 574. & seq. Raderus.

6,3,2. *ALIA DVCTV*) Sueton. in Augusto 21, 1. *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis &c.* Apud Plin. 3, 20. extat de eodem Augusto vetus inscriptio : *Quod eius ductu auspiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium pop. Rom. sunt redactæ.* Ductu, id est, per se ipsum ; auspiciis, quando per legatos bellum agitur, vt notum est. Tamen apud Plautum confunduntur. Sosia enim de hero Amphitruone loquens, Amphitr. 1, 1, 41. qui contra Thelebœas militauerat, ait : *vt gesserit remp. ductu, imperio, auspicio suo.* & ipse Amphitruo 2, 2, 25. *eos auspicio meo atque ductu, primo cœsi vicimus.* Nam vere Creontis Thebani regis auspiciis bellum patratum fuerat. Pichena ad illa Taciti 2, 41, 1. *Ductu Germanici, auspiciis Tiberij.* Lipsius ostendit Curtium hoc loquendi genus ad res Græcanicas transtulisse à more Romano, quem ipse diligenter explicat in opere de Militia Rom. 2, 12.

6, 3, 4. *QVÆDAM*) Malim *quasdam*, nisi intelligas loca vel regna. Lycaoniam certe prætermisit, nisi sub Cappadocia comprehendas. prætermisit & Lyciam, cuius mentio supra 3, 3, 1. Raderus. *quasdam* etiam hic edidit olim Frobenius.

6, 3, 6. *IN NOVO*) Ergo illi populi videntur Alexandro *iam domiti vt pareant, nondum vt seruiant :* quod de Britannis recens subactis Tacit. Agric. 13, 1. Florus 4, 12, 2. *Nouæ quippe pax : nec dum assuetæ frenis seruitutis tumidæ gentium inflataque ceruices ab imposito nuper iugo reflectebant.* quæ eo loco notaui non repeto. Vide Epist. Innocentii III. apud Bzouium Annal. Eccles. MCCVI, 2. Interim experien-

tia testatum postea fecit, gentes illas Asiaticas vtpote seruitio suetas, adeo de Alexandri iugo depellendo non cogitasse, vt etiam diu postea, in medio rerum cursu, nullo certo herede, rege mortuo, satrapis ducibusque eius promptissime paruerint. Multarum itaque gentium spiritus alieni imperii impatientes sunt, quod compluribus exemplis Gruterus in Tacitum discursu 25. ostendit, at sane non omnium. Sciuerunt hoc veteres Galli, quorum Ciuilis apud Tacit. H. 4, 17, 7. accurate distinguit inter nationes: *Seruirent Syria, Asiaque & suetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia viuere ante tributa genitos.* Solerter id animaduertit Forstnerus (vt est vir præter vsum rerum etiam ingenio validus) ad Tacit. 2, 1. vbi ipso Alexandri exemplo docet, externum principatum facile tolerari illis gentibus, *quæ dominatui assuetæ integram seruitutem nullis adstrictam modis aut legibus ferre queunt.* vbi vide.

PRECARIO IMPERIO) Quamquam enim Persarum rex magnis aliquot præliis victus erat; multas tamen nationes habebat id imperium, quarum vnaquæque suis viribus bellum contra Macedones gerere potuisset: itaque recte dicit precario potius imperio eas teneri, quam vi, si verum fateri oporteat. quanquam enim postea de armis suis subjiciat; intelligit tamen in illis ad obtinendum tantum imperium plus terroris esse, quam virium.

6, 3, 7. *STATVTO)* Numquid melius *stato?* vt alibi in his libris. Vide Fr. Iunium de pictura veterum pag. 58. pr.

6, 3, 9. *SIMVL TERGA)* Hunc quoque locum occupauerat nullo iure *si* particula: vt supra ad 3, 12, 19. notauimus; & hic à Radero, item Amst. & Lugd. edd. prætermissam video. aliæ habebant; *simul si terga &c.*

SVIS AVTEM) His paria dixit Aristides Oratione Sicula posteriore: *non iam illos magis oderunt, quam nos metuunt: sic vt à nobis inter se sint conciliati. Malent enim profecto domesticos ac pares etiamsi nonnihil sit illis concedendum, quam alienos & aduenas.* Nec sententiæ alterius Gregoras lib. 4. *His vero cum Latinorum iugum longo iam tempore molestè ferrent, & alioquin etiam popularium suorum quam alienigenarum consuetudine vti mallent, optatissimus Cæsaris aduentus fuit.* Hinc est cur maximi fieret Annibali Pyrrhus apud Liuium 35, 14, 5. *Artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, vt Italicæ gentes regis externi, quam populi Rom. tam diu principis in ea terra, imperium esse mallent.* Hæc Gruterus discurs. in Tacitum 25, 9.

6, 3, 10. *TIMERI)* Sensus: etiam asperum & immitem principem, dum indigena sit, tolerari præ externo & alieno, quantumcumque humano & leni.

6, 3, 11. *MEDICI)* Hausit ex Hippocrate Epidemion 6, 2. cuius hic est aphorismus: *Quæ relinquuntur in morbis post crisin, recidiuas facere consueuerunt.* Atque idem & Auicennæ scitum est.

SCINTILLA) Cicero Philipp. 5, 11. *Omne malum nascens facile opprimitur: inueteratum, fit plerumque robustius.* Curtiana similitudine vtitur & Florus 3, 5, 14. *incendia parum fideliter extincta maiore flamma reuiuiscunt.* item iis locis, quæ ad recitatum notauimus: & indicati à Popma. Horatius Ep. 1, 18, 85.

Et neglecta solent incendia sumere vires.

ac Ouidius Metamorph. 7, 80.

Parua sub inducta latuit scintilla fauilla.

NIHIL TVTO) Securitas fugienda. *Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet; & frequentissimum initium calamitatis, securitas.* Velleii. 2, 118, 4. *Sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesque perleui momento victi sunt.* Liuius 21, 43, 13. *Nihil tuto &c.* Itaque ego *vt nihil timendi, sic nihil contemnendi auctor sim.* Liu. 6, 6, 12. *Sæpe in bello, paruis momenta, magni casus intercedunt.* Cæsar. de bel. Ciu. 1, 21. *Et nihil tam leue est, quod non magnæ interdum rei momentum faciat.* Liu. 25, 18, 3. *Quo magis præceptum illud in omnium animis esse debet. Nihil in bello oportere contemni, nec sine caussa dici, matrem timidi flere non solere.* Probus in Thrasib. Incredibile est, *Nimia fiducia quamæ calamitati soleat esse.* Hæc ex polit. Lipsii 5, 16. Sic apud Tacit. 2, 40, 2. cautissimus imperator in motu serui, *nihil spernendum reputabat.*

6, 3, 12. *SEDEM CYRI)* Quod Plutarchus lib. 2. de fort. Alex. in Darii precatione *Cyri thronum* dixit, Horat. Od. 2, 2, 5. *Cyri solium*, Curtius *Cyri sedem* vocat. Brisson. lib. 1. p. 51.

BAGOAE) De quo narrabimus in supplemento.

6, 3, 17. *PRIMA)* Alii; *præmia.* non istud quidem male, sed tamen illi non prætulerim.

DARII) Multi & meliores libri: *Darium quoque hostem*: & sane oritur dubitatio sic fuisse, omissa voce *parricidas*, quæ mox sequitur.

6, 4, 1. *ALACRITATE)* Sequuto effectu, quem supra 6, 2, 20. ei promiserant duces. Ea re nihil non effici posse imperatoribus, ex Grutero, quem & supra laudauimus, cognosces.

6, 4, 2. *EA MANV)* Non dubito sic scribendum supra 5, 4, 14. *Cratero relicto cum peditibus quis adsueuerat, & eis copiis quas Meleager ducebat.* Et de hac ipsa re Arrian. 3, 5, 2. Κρατερον ὁ τὴν τε ἰωτῦ τάξιν ἔχοντα, καὶ τὴν Ἀμύντα &c. *Craterum cum suo & Amyntæ agmine, cumque equitibus* &c. & vero absurdus vulgatorum sensus *ex manu*, qui vellet sexcentos, seu vt alii codd. habent, sex ista millia equitum &c. fuisse ex manu quam Amyntas ducebat, quod ita non fuisse constat.

SEXCENTIS) Ita melius, quam aliorum sex millibus. Arrianum dicto loco vide.

6, 4, 3. *ERIGYIVM)* Hic à Sabellico Ennead. 4, 5. vitiatos codices sequuto, perperam appellatur *Phrygius.* De aliis Edd. vide in variis. Sed & Indicem consule.

EMINENTIBVS) Melius *imminentibus.* ita supra 3, 4, 12. *Dorsum montis imminebat viæ, crebris oberrantibus riuis, qui ex radicibus montium manant.* Sane Gebhardus in Crepund. 3, 23. citans hunc locum ait: *Sic eleganter Curtius* imminentes petras *dixit.*

6, 4, 4. *ZIOBERIS)* Diodoro 17, 75. est *Stibatis* Σπβάτης. Cuius quidem vocis ductus etiam in Curtiano nomine apparent, quod facilius corrumpi potuit, quam illud Græcum. Certe non longe abludit *Zibetes*, quomodo Boccatium legisse pro Zioberi Raderus ait. Item *Ziobetis* & *Obetis* Manuscriptorum. Ceterum multorum fluminum par natura proditur, *qui se cuniculis condunt vel in partem, vel in totum. pars Rheni subit vada circiter 4000. pass. ab arce Canba, & rursus emergit antequam deueniat Bonnam: item pars Danubij absorbetur apud Greinam oppidum Pannoniæ superioris quo in loco maximum à naufragio periculum est. toti autem fluuij in profundum terræ aguntur multis in regionibus: in Hispania Ana: in Narbonensi prouincia Gardo: in Alpibus Padus, qui, vt Plinius 3, 16, 1. scribit, in Forouibiensium agro iterum exoritur: Martia aqua postquam transiit Fucinum lacum, quæ, vt idem 31, 3. autor est, in Tiburtina se rursum aperit: Timauus in campo Aquileiensi: Erasinus in Argolica: Eurotas & Alpheus in Arcadia: quorum aquæ commiscentur, & ad viginti stadia commune habent flumen, deinde condunt se in voraginem, atque Eurotas rursus emergit in Lacedamoniorum agro, Alpheus in finibus* [leg. *finibus*] *Megalopolitidis: quod in Arcadicis Pausanias memoriæ mandauit. In Asia vero Cadmus specu mergitur, non longe à Laodicea: Pyramus in Cataonia:*

taonia : *Lycus in ora ſubiecta Libano : Orontes in Syria : in Medis Enleus mox ab ortu. atque etiam in Arabia fluuij conduntur, vt Strabo lib. 16. ſcribit : Polytimetus in Sogdiana, vt Arrianus 4, 1, 33. Zioberis in Hircania, vt Q. Curtius. alij ſubeunt arenas : vt Ariſtobulus in Sogdiana : Arius in Aria : Epardus, qui per Mardorum regionem fluit ; Etymandrus, qui per Euergetarum : Nilus in Æthiopia. aliqui ſubeunt paludes, veluti Bimma circiter lapidem tertium ab ortu : oritur vero ad Rauam pagum in Luneburgenſi ericeto. Sed is poſt X. millia paſſ. rurſum emergens propter Rotenburgam arcem ditionis Bremenſis fluit. quidam ſubeunt vada maris : ſicut Alpheus, de quo iam dixi, in mediterranea Elidis ripa. etenim in eum iacta in Arethuſa fonte Syracuſano redduntur ex ſcriptorum, non poëtarum tantum ſententia : tametſi Strabo lib. 6. eum in mare influere aſſerat. ſimiliter ac Alpheus maris vada ſubit fluuius in Ionia, cuius fons eſt in Mycale monte : ſubter medium enim mare cæco alueo penetrans exit rurſus iuxta Branchidas ad portum Panormum, vt in Eliacis prior. Pauſanias tradit : alij occurrentem montem ſubeunt, ſubterque lapſi à latere eius altero erumpunt : quomodo Tigris per Taurum permeat & tranſit. aliqui à ſumma ad imum perfundunt altiſſimos montes : vt Pyramus eundem Taurum.* Georg. Agricola lib. 3. de natura eorum quæ effluunt ex terra. Eiuſmodi fluuiorum catalogum, cum auctorum nominibus, ordinem literarum ſequuti ſubijiciemus. Sunt autem hac natura *ABLAS* aut *ANLAS*, nam diuerſe ſcribitur, apud Strabon. lib. 8. f. *ADRIATICVM & ÆGÆVM maria*, ex mente Theopompi, quem tamen redarguit Strabo lib. 7. *ÆSCVLAPII fons Athenis.* quo iniecta in Falerico redduntur. Plin. 2, 103. *ALPHEVS* in Arcadia, qui iuxta Eurotæ fontes ortus, cum eius flumine commiſcetur, & poſtquam ſimul terram ſubierunt, Eurotas rurſus emergit in Lacedæmon. agro, Alpheus in finibus Megalopolitidis. Pauſan. lib. VIII. itemque lib. XVI. in Excerpt. Valeſ. & Strabo lib. 6. & 8. idem Alpheus ſubter mare lapſus creditur Syracuſis extrudere fontem Arethuſam. Plin. 2, 103. & 31, 5. Lucilius & Virgil. Eclog. 10, 4. apud Senec. Nat. quæſt. 3, 26, 9. & 6, 8, 3. etiam oraculum apud Pauſaniam lib. 5. Pindarus, & Timæus apud Strab. lib. 6. & Antigonum mir. narrat. 155. Himerius in propemptica oratione apud Photium Cod. CCXLIII. tamen Strabo lib. 6. nihil motus aliorum opinione, fabulam eam mendacii coarguit ſolidis rationibus, ibidemque aliam Homeromaſtygis Zoili, qui *ſcribit Alpheum è Tenedo fluere.* *ANAS.* Hiſpaniæ fluuius, corrupte hodie *Guadiana* dictus. qui, vt Lud. Nonius in flum. Hiſpan. ſcribit, *quum procul ab ortu ſuo ex hominum conſpectu ſe eripiat, per cæcos & ſubterraneos meatus, ad ſeptem milliaria lucifugus fluit ; donec prope Villabarta (loci id nomen eſt) iterum in lucem erumpat :* & mox: *amnis huius latebræ incolis iocandi materiam præbuere, dum patrio ſermone ferunt, pontem eſſe in Hiſpania, vbi perpetuo plurima armentorum millia paſcantur.* *ARABICÆ* paludes Eratoſthenes reprehenſus à Strabone lib. 16. De *ARETHVSA* modo dictum in *Alpheo.* *AREVS.* vnde Arianæ regioni nomen. Arrian. 4, 1, 33. *ARISTOBVLVS* ab Agricola nominatus eſt, decepto per vitiatam Strabonis ſcripturam : nam *Polytimetus* nomen eſt fluuio, Ariſtobulus auctori, qui de eo tradit : vt & Caſaubon. aduertit. *ASOPVS* in Peloponneſo. Hunc Mæandrum Phrygium eſſe traditur à Phliaſiis & Sicyoniis apud Pauſan. lib. 2. & Ibyco, quem refutat. Strabo lib. 6. Ex illa fabula nata eſt alia de Marſiæ fiſtulis in agro Sicyoniæ repertis, apud Pauſan. lib. 2. *ATINAS* quidam innominatus fluuius apud Plin. 2, 103. *BIMMA.* apud Agricolam in relatis ſupra verbis. *CADMVS* in Phrygia. Strabo ſub fin. lib. 12. *CORYCIO* in ſpecu fluuius anonymus. Mela 1, 13. *DANVBIVS.* Agricola. *EPARDVS* (niſi rectius *Amardum* voces) in Mardis. Arrian. 4, 1, 33. *ERASINVS in Argolica.* Plin. 2, 103. Strabo lib. 6. & 8. in fine. Seneca natur. quæſtion. 3, 26, 6. *ETYMANDRVS* in Euergetis. Arrian. 4, 1, 33. *EVLÆVS* in Suſiana. Plin. 6, 27, 16. *EVPHRATES* Arrian. 5, 1, 23. Strabo lib. 16. Chronol.

nol. Altiſſiod. in pr. vbi hunc & ceteros Paradiſi fluuios, ſubterraneos per meatus emergere, vt alibi naſci videantur, haud præter rationem proditur. Atque eodem Fulcherii Carnotenſis inclinat opinio, in geſtis peregr. Franc. cap. 43. *Quin & ipſum Nilum fama eſt Euphraten eſſe, qui vbi paludi immerſus diu latuerit, ſupra Æthiopas Nilus euadat.* Pauſan. lib. 2. *EVROTAS* in Laconia. Vide ſupra in *Alpheo.* *GANGES.* Altiſſiod. Chron. in pr. *GARDO.* Agricola. *ILLA haud procul à pago Herckheim citra vllius terræ hiatus veſtigium (mirabile dictu) abſorptus, alueo omni exiccato ſubterraneis quibusdam meatibus ad certam diſtantiam prolabens denuo ebulit, priſtinæ ripæ reſtituta.* Gebwiler in panegyri Carolina. *INACHVS* in Argiuorum terra. Sophocles reprehenſus à Strab. lib. 6. *INOPVS* apud Delios, qui eum è Nilo ad ſe peruenire credebant tempore Pauſaniæ, vide ipſum lib. 2. & Strab. lib. 6. qui fabulam reſpuit. *IONICVS* quidam amnis in Branchidis. Pauſan. lib. 5. *IORDANES.* Ibid. & inprimis Ioſeph. de bel. Iud. 3, 18. *LADON* in Arcadia apud Phenecum. Strabo extremo lib. 8. iuncto Plin. 31, 5. *LYCVS in Aſia.* Plin. 2, 103. Seneca nat. quæſt. 3, 26, 6. *Apud Coloſſas Phrygiæ oppidum.* Herod. 3, 30. *MÆANDER.* vide in *Aſopo.* *MARCIA AQVA* in Tiburtino agro. Plin. 31, 3. vbi tamen de ſpecu manu facto loqui videtur. Adde Frontin. de aquæduct. *MARSIAS* apud Celænas Phrygiæ. Plin. 5, 29. ad *METAVRVM* quoque in Sicilia tale flumen deſcribit Strabo lib. 6. *NILVS* in Africa, non procul à fontibus. Ibid. & Plin. 5, 9, 10. Pauſan. lib. 5. Altiſſiod. Chronol. in pr. Fulcher. Carnot. de geſtis peregr. Franc. cap. 43. Habes de eodem & ſupra in *Euphrate* & *Inopo.* Illas Nili latebras inter æſtiuæ eius inundationis cauſſas reddi, Seneca nat. quæſt. 6, 8, 3. prodidit. *ORONTES* apud Antiochiam. Strabo lib. 6. & 16. *PADVS* in Liguribus. Plin. 3, 16. *POLYTIMETVS* in Sogdiana regione, Arrian. 4, 1, 33. Strabo lib. 11. *PYRAMVS* in Cataonia. Strabo lib. 12. *RHENVS.* Agricola ſupra. *STIBOETES*, quem diximus eſſe Curtii Zioberim. Diodor. 17, 75. *TIGRIS in Meſopotamia.* Plin. 2, 103. & 6, 27, 3. Strabo lib. 6. Iuſtin. 42, 3, 9. Seneca epiſt. 104, 22. & nat. quæſt. 3, 26, 7. & 6, 8, 2. Altiſſiod. pr. Chronol. Marcellin. 23, 19. *TIMAVVS* in ſinu Adriatico. Poſidonius apud Strab. lib. 5. *VADIMONIS lacus in flumen egeritur, quod vbi ſe pauliſper oculis dedit, ſpecu mergitur, alteque conditum meat : ac ſi quid, antequam ſubduceretur, accepit, ſecum & profert.* Plin. epiſt. 8, 20. *Cauſſa,* inquit Seneca natur. quæſtion. 3, 26, 5. *manifeſta eſt, ſub terra vacat locus. Omnis autem humor natura ad inferius, & ad inane deferitur. Illo itaque recepta flumina curſus egere ſecreto : ſed eum primum aliquid ſolidi, quod obſtares, occurrit, præruptа parte, quæ minus ad exitum repugnabat, repetiere curſum ſuum.* Vt venia ſit longiori adnotationi, claudam eam verbis, quibus epiſt. 20. lib. 8. Plinius : *me nihil æque ac naturæ opera delectant.*

INTERPELLAT) Conſtantienſis manu exaratus exerte habet *interpellat*, quomodo etiam Acidalius legendum putat. Raderus. Sic & in Var. noſtris legebatur : itaque maluimus præ illo *interpolat.*

RHIDAGO) Nec hoc nomen apud alios memini legere. Nam quod nonnulli Rhindacum ex Rhidagone [videtur igitur illud *Rhidago* pro primo caſu accipere, quod ego cum Sabellico Enn. 4, 5. pro tertio habebam] faciunt, procul à vero abeunt. Rhindacus enim Stephano eſt ciuitas inter Helleſpontum & Phrygiam, vnde Rhindaceni populi ſeu ciues. Plinio idem nomen eſt fluuius inter eundem Helleſpontum & Phrygiam, (ſed hic noſter) mille prope paraſangis abeſt ab Helleſponto & Phrygia. Glareanus Syderin à Plinio dictum putat, coniectura dubia & incerta. Raderus.

6, 4, 7. *QVÆCVNQVE DIMISSA*) Sic malui ſenſu, & nonnullis edit. volentibus, longo melius, quam vt habebant alii : *quicunque dimiſſi.* Id autem

tem de plerisque eorum fluuiorum, quos sub terra condi modo diximus, asseuerari; facile reperiet, qui citatos ibi scriptores volet euoluere.

6,4,9. *DVCENTOS ET TRIG.*) Hoc *Q. Curtius iustissimo & ne minimum quidem fallente calculo tradidit: cui etiam adsentitur B. Hieron. ad IX. cap. Danielis.* Atlas Maior Mercatoris, in regno Persico. Vide supra ad 4, 14, 20.

6,4,10. *REPETISSE*) Prorsus (cum Modio) & ipse malo *repetisse*, præ vulgatorum *reperisse?* quod tamen neque ipsum inelegans præpositione mutata: *consilium è præsenti necessitate reperisse.* id est, quæsisse & inuenisse consilium è re nata, atque vt præsens necessitas subiiciebat. Acidalius. Excusat autem se à necessitate quæ summum quibuslibet factis præstare creditur patrocinium. Sic apud Thucyd. 1, 12, 18. Athenienses: *Nec iniudiosum est, aliquem qui in summum periculum deducatur, consulere vtilitatibus suis.* Poplicola apud Dionys. 5, 64. f. *Necessitati impares sunt humani ingenij vires: omnesque tum demum de decoro desperant, cum iam versantur in tuto.*

INSIDIANTEM) Sic etiam facinus suum excusauit Tissaphernes, ducibus Græcorum cæsis. Xenophon ἀναβάσ. lib. 2. Ratio autem, cur Darius occiso Bagoa satisfaciundum popularibus putauerit, est; quod Bagoas potentia & gratia ad populum plurimum pollebat, tum etiam ipsi illi Dario imperium dederat: purgandus igitur erat, ne pro summo beneficio, necem reddidisse videretur. atque ex eo facto odium gentis incurreret, animum regis subdolum & crudelem odiis, & fortasse seditionibus agitaturæ.

6,4,11. *AMORE EIVS*) Nimirum spiritus atque vitæ suæ, non sane Darii, quod persuadere nobis vult Raderus.

6,4,13. *PATRIAM*) Ouid. Fast. 1, 493.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor.
Παντὶ γὰρ ἰχθὺϊ πᾶσ' ἰν' ἂν ἁρμύρῃ τις ὕδωρ.

Iterum gnome communis, de qua multa passim gnomologi. Raderus. Tencteri apud Tacit. H. 4, 64. 6. *Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Elegantissime Heldenbuch strophа XXXI. Ich weyß das byderman erbe in allen landen lit.

6,4,14. *NEC DVBITAVIT*) Miror Sabellicum Enn. 4, 5. cum Nabarzanis literas verbis Curtianis recitasset, contra manifestam auctoris mentem subjicere: *Adhæc nihil Macedo respondit.* cum Curtii verba eundem plane sensum habeant, quem illa Virgil. Æn. 3, 610.

Ipse pater dextram Anchisæ, haud multa moratus,
Dat iuueni atque animum præsenti pignore firmat.

QVO PERSÆ MODO) Sic Cornel. Nepos in Datame 10, 1. Scilicet vt dextram rex daret, aut præsenti; aut per internuncium. Vide Brisson. lib. 1. p. 107. Qui ibi citatus ex Diodoro locus, non est in lib. 18. vt ex Brisson. Popma & Raderus edidere, sed in cap. 34. lib. 16. Præter auctores quorum Brissonius meminit, huc pertinent excerpta ex Ctesiæ Persicis cap. 8. *Illos & mutuo & cum Amorge dexteras in amicitiæ testimonium iungere voluit.* Xenophon lib. 1. ἀναβάσ. *adeoque dextram ipsi & dedi, & accepi:* Cyrus de Oronte loquitur & in hist. Græc. lib 4. paulo post pr. *datis* (Spithridati nimirum) *acceptisque dextris, Coyys dimissus fuit.* Polyb. 5, 54. de Antiocho Magno: *rebellem exercitum duris verbis increpitum in fidem data dextra recipit. dextram Pharnabazo porrigenti, suam vicissim ei porrigit Agesilaus.* Idem & aliis gentibus obseruatum. Anchisæ suo tribuit Virg. Æn. 3, 610. loco præcedenti nota recitato. Item Æneæ 3, 412.

* - - *cur dextræ iungere dextram Non datur* - -

& 3, 83.

& 3, 83. *Iungimus hospitio dextras* - - - Admetus ita fidem Themistocli dedit. Corn. Nepos Themist. 8, 4. In Appiani Punicis Lentulus, pacem cum Carthaginensibus dissuadens: *At fides firma est, ac dextera.* Chalcocondylas lib. 3. de Temire. *Dubitabat autem quo pacto eum mori cogeret, qui olim regi, priuato adhuc, dextram societatis dedisset, ne pactis contrauenire videretur.* Hist. Miscella 22, 10. de Hizid. *obtinuit Damascum & dextras accepit vt principatum.* S. Paulus ad Galat. 2, 9. *dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis,* de Petro & Iacobo Apostolis agit. Liu. 30, 12, 11. de Sophonisba & Masanissa: *quum modo dextram ampectens, in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret.* & mox: *data dextera in id quod petebatur obligandæ fidei.* Idem 30, 13, 5. de Scipione & Syphace: *recordatio hospitij dextræque datæ, & fœderis publice ac priuatim iuncti.* Probus Themistocle: *inde non prius egressus est, quam rex* (Molossus) *eum data dextra in fidem reciperet.* Cicero ad Cæsarem pro Deiotaro cap. 3. *Per dexteram te istam rogo, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam* (hoc *tam* omittendum putem) *in bellis, & in præliis, quam in promissis, & fide firmiorem.* Idem in Verrem 5, 40. *Vbi fides? vbi exsecrationes? vbi dextræ, complexusque?* Idem Philipp. 11, 2. *dextræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt & scelere violatæ.* Id. ad Attic. epist. 7, 1. *Vbi illæ sunt densæ dexteræ.* Euseb. de vita Constantini 2, 15. Φιλικὰς ἀνδρὸς ἀντιόσας δεξιάς, συνθήκας. *Dextræ dicuntur, coniunctio manuum dextrarum in fœderibus, in signum, firma fore quæ conuenerunt.* Apud Homer. Ιλ. ω. vers. Achilles:

Sic fatus Priami dextram, ne forte timeret
Prendit, & hoc dubiam firmauit pignore mentem.

Vbi notat Eustathius, non in vola manus, sed in iunctura, fuisse fidei sedem, Plinius 11, 45. indistincte: *dextra in fide porrigitur.* Apud nos peruulgatum; *manu data* (mit Handtrew) aliquid promittere.

QVADRATO AGMINE) Liuius 35, 3, 2. *inde quadrato agmine ad Pisas duxit.* Contra Ibid. 35, 1, 4. *Superior aliis: nam & acie frequenti armatis aduersus longum & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite aduersus fessos longo itinere concurreret.* Quæ addenda notatis supra ad 5, 1, 19.

6,4,16. *LVNÆ*) Strabo lib. 11. An de hoc situ locutus? *Sequitur Hyrcania. exinde mare altum iam fit, donec Medicos & Armenios attingat montes. Horum montium radices in lunæ formam curuantur, quæ ad mare desinentes, intimum maris sinum efficiunt.* Raderus. Sic & Plin. 6, 13, 8. *vbi cepit in latitudinem pandi, lunatis obliquatur cornibus.*

6,4,17. *MOSYNI*) Sic potius quam *Mossini* scribendum, certum est, quantum quidem ad priorem syllabam attinet, ex Tibullo 4, 1, 147.

Quaque Hebrus, Tanaïsque Getas rigat atque Mosynos.

A Græcis fere *Mosynæci* dicti sunt, quod in turrib. habitarent, quæ gentili lingua *Mossyni* dicerentur. De iis latissime simul, optimeque tradit Reineccius in regno Sarmatico: qui hoc loco sit instar omnium.

6,4,18. *PISCES*) Valde hic turbant libri: planum est fuisse; *serpentes alii, & pisces longe diuersi ab aliis coloris.*

QVIDAM CASPIVM) Hæc verba omittuntur in quibusdam editt: quæ res mouit Sebisium, vt reliqua quoque delenda opinaretur. præsertim cum crederet Caspium & Hyrcanum mare non prouno eodemque vsurpare auctorem, infra 7, 3, 21. vbi certe manifestam antithesin instituit inter Caspium & Hyrcanum. Sed possit dici, eum ex diuersis auctoribus ea hausisse, & cum alii Caspio, alii Hyrcano mari eandem rem adscriberent, etiam re, vt nomine, separatos istos sinus, cum ista scribe-

ret credidisse, præsentis loci immemorem, sic supra etiam nobis in Mardos duplicem Alexandri expeditionem ex vna fecerat. Vel potius cum Mela 3, 5. dicemus, Caspium mare interdum generaliter sumi, vt & Caspius sinus proprie ita dictus, & Hyrcanus, & vero Scythicus eo nomine comprehendatur: interdum primum horum sinuum *proprie & totius nomine Caspium appellari.* Et hoc verum est. Vtcunque autem ea se habeant, illud vtique constat idem mare ab aliis Caspium vocatum, ab aliis Hyrcanum. *Ea multis ante Alexandri expeditionem annis scripserunt, in quatuor finibus, qui ex Oceano subeunt continentem hunc maxime ad Boream vergere. Hyrcanum pelagus & Caspium pariter nuncupant.* Plut. Alex. cap. 78. Sic Arrian. 7, 3, 25. *Cupiebat enim etiam illud mare, quod Caspium simul & Hyrcanium appellatur* (sic enim vertendum fuerat) *cui mari committatur cognoscere: vtrum ponto Euxino, vtrum ab orientali mari Indos versus circumdato Oceanus in sinum Hyrcanum refundatur (quemadmodum etiam Persicum, rubrum mare alij vocant, sinum Oceani esse compererat) Neque enim adhuc inuenta erant Caspij maris initia.* Corrigendus leuiter idem Arr. 5, 4, 6. *Indicum sinum cum Persico consluere, Hyrcaniam cum Persico sinu coniungi.* lege, τὸν δ' Ὑρκάνιον τῷ Ἰνδικῷ: *Hyrcanium* (nempe Sinum) *cum Indico.* Adde Strabon. lib. 11. Qui Hyrcanium mare pro Pontico accipiunt, non mihi magis, quam Radero ad 3, 1, 12. & Scbisio persuadent. Cum aliis etiam facit Dionys. versu 49. *Caspio profundum fluentem intromittis mari: Quod etiam Hyrcanium alij nuncuparunt.* Plin. 6, 13, 5. *mare id pluribus nominibus accolarum appellatum: celeberrimis duobus, Caspio & Hyrcano.* Diodor. 17, 75. *Hyrcaniam ingressus, oppida illius cuncta vsque ad mare Caspium, quod & Hyrcanum appellitant, subegit.* Zonaras in Alex. *barbari quidam circa pelagus Hyrcanum, quod & Caspium dicitur.* Sic & hodie multis nominibus vocari, ab accolis gentibus inditis, apud Ortelium, & in Atlante Mercatoris leges.

MÆOTIM) Hanc credo fuisse rationem, propter quam nonnulli Caspium mare cum Pontico confuderint, quod viderent Curtium illi tribuere Mæotidis influxum, quem constat ad Ponticum spectare: deinde etiam dulcius ceteris facere, quod itidem Ponto conuenit. Sed enim id ex aliorum opinione se scribere testatur Curtius. Eos autem Macedonas fuisse, cum Alexandro militantes, prodit Strabo lib. 2. qui multa finxerint, quo latius orbem domuisse viderentur; Iaxarti Tanais nomen, Caucasi Parapanisi indiderint. Idem & Plutarchus arguit, in Alex. cap. 78. *descendit in Hyrcaniam. Sinum illic maris Ponto (vt apparebat) inuenit non minorem, sed cetero mari dulciorem. Verum certi nihil habuit de eo discere. Omnino coniecit Mæotin lacum illuc restagnare. Atqui non præterijt physicos veritas &c.* De argumento autem, quo illi apud Curtium contendunt Mæotin illabi Caspio mari, dulcedine nimirum aquarum, vide prolixe differentem Stuckium in Periplum Ponti Euxini ab Arriano scriptum, vbi de sapore Pontici maris.

6, 4, 19. *NON CASPIVM)* Ea dubitatio orta ex eo quod longinqua ea loca sint, & insuper feris gentibus, cum quibus nullum fere nostro orbi commercium est, habitata. Quæ eadem caussa confudit veram de *portis* etiam *Caspiis* narrationem. quæ quoniam & ipsæ ad res Alexandri pertinent, hoc loco non incommode tractari potest. Nam, vt Æn. Siluius cap. 33. de Asia fatetur, *de portis Caspiis multa memoria est. Nemo tamen satis explicat, vbi terrarum existant.* Et sane fallitur Raderus, quod in prolegom. cap. 8. dum *perpetuam vallem*, cuius hoc in Curtii capite ter recurrit mentio, pro Caspiis pylis accipit. Primo igitur in Ptolemæi tabulis inter Mediam & Parthicam collocantur. Ibidem ponit eas & Strabo lib. 11. & Arrian. 3, 4, 16. vbi Darium in fuga sua, & Alexandrum in persequendo per eas Parthienem ingressos narrat. cui consentiunt Diognetus & Beton itinerum Alex. mensores apud Plin. 6, 17. circa fin. & Erathostenes apud Strab. lib. 11. Item Plinius 6, 14. qui sic describit: *Causa portarum nominis eadem quæ supra* (scilicet Caucasearum 6, 11.) *interruptis angusto transitu iugis, ita vt vix singula meent plaustra, longitudine VIII. M. pass. toto opere manu facto. Dextera lævaque ambustis similes impendent scopuli, sitiente tractu per XXXVIII. M. pass. Angustias impedit corriuatus salis* (Vide eundem 31, 7.) *è cautibus liquor, atque eadem emissus. Præterea serpentium multitudo, nisi hyeme, transitum non sinit.* Plinium, vt solet, sequitur Solin. cap. 47. Duris apud Strabon. lib. 1. Rhagades Mediæ sic dictas ait, *quod terræmotibus rupta fuerit terra apud Caspias portas.* De iis Dionysius versu 1034. *vsque ad portas Caspias, quæ sunt profundis sub rupibus Claustra terræ Asianæ: qua via Extensa est & in Boream & in Austrum euntibus, Illa quidem ad Hyrcanos, hæc vero ad montes Persicæ terræ.* Vbi Eustath. *Adeo autem angustus est iste locus, vt & portæ ibidem opponantur, ad prohibendum borealium ad vbiectas gentes transitum.* Hi ergo omnes Caspias portas eo quem diximus loco, inter Mediam atque Parthiam constituunt, vbi cum nulli habitent Caspii, caussam nominis non reperio. nisi forte cum Siluio dicas ideo sic vocatas videri, quod per eas nonnullis gentibus transitus sit ad mare Caspium. Quod ipsum etsi veteribus scriptoribus traditum sciam, tamen quomodo accipiam, non dispicio. *Babyloniis* enim & *Persis*, nam ii nominantur, via alia longe propior & commodior eo est, nisi tabulæ Geographicæ fallunt. Cum autem longe hinc Caspii montes absint, quo loco mare illud maxime ad Occidentem vergit, ibi quoque alias angustias Caspiarum portarum nomine indigitatas reperio. De quibus libenter acceperim, quod Eustathium ad Dionys. periegesin adnotasse memorani. Is enim locus ad prohibendum septentrionalium gentium transitum idoneus est, eoque portis occlusus ab Alexandro traditur. At in prioribus Caspiis pylis, quæ nec ad Septentriones vergunt, si idem tentasset, etiam insanire videretur, qui Parthos Medosque, vtrosque ipsius in imperio sitos, inexpugnabili munitione secluderet. Quæ ratio, coniuncta aliis, efficit, vt non dubitem, omnes eos qui Alexandri claustra in Caspiis pylis nominant, de eo loco accipiendos esse. Nec minus Ammianum 23, 18. de regno Persico: *Ab Arctoo caraine, adusque Caspias portas. Caduseis conterminat, & Scytharum gentibus multis, & Arimaspis &c.* quod falsum est si de aliis portis, quam his, intelligis. Quod igitur iis claustris ab Imperio Persico semouerentur homines immani barbarie efferi, fabula orta est Alexandrum ibi recluisse Gog & Magog, vel, vt alii, Iapeti de gente nepotes, vel denique Iudæos de decem tribubus, olim in Mediam & finitimas regiones abductis: quam ex pseudo-Methodio, Iosepho Gorionis Fil. & Petro Comestore refert, & refutat Raderus cap. 8. prolusionum. Quibus similia Theodor. à Niem de Schismate 2, 30. etiam Augustinum citans. quem ego longe diuersum de Gog & Magog sentire, in opere de ciu. DEI 20, 11. reperio. Videatur & Orosius, qui ab Ocho recluso ibi Iudæos scribit, ex Euseb. num. MDCLVIII. Vide & notas in Itiner. Beniamini, quas edidit P. Empereur, ad pag. 96. Sed illa, licet fabulis persusa sint, tamen ex vero situm locorum designant, & castellum ab Alexandro ibi potissimum exædificatum fuisse, ratio & auctores probant. Quapropter & Bonfinius rer. Vngar. 2, 8. p. *his adstipulari fortasse non absurdum* putauit. Vincentium tamen Beluacensem immerito culpat Raderus, nam ille cap. 89. lib. 30. aperte fabulam illam respuit. *Fratres nostri*, inquit, *s. ordinis prædicatorum in Georgia* ciuitate Triphelis (lego *Georgiæ ciu. Tiphlis*) *quæ prope montes Caspios est, per septem annos commorati sunt, diligenter à Georgianis & à Persis, & etiam à Iudæis de inclusione illa inquisierunt, & dicunt omnes etiam ipsi Iudæi quod nihil penitus inde sciunt. nec vnquam istud in suis historiis inuenerunt. Hoc autem scriptum habent tantummodo quod Alexander ille quosdam homines immundos & horribiles prope montes Caspios habitantes, qui alios homines & etiam se inuicem comedebant, intra montes illos habitare cogit, & etiam ibi portas extrui fecit. quæ videlicet adhuc portæ Alex-*

andri dictæ sunt. Vnamque illarum Tartari confregerunt. Intelligit ciuitatem fortem de qua paulo ante locutus, *Drubaldi* eam vocauit, pro *Derbenthi. Emporium Derbentum* vocat ex Iouio Surius in Comment. ad Ann. MD. De qua audiamus Schickardum, in proœmio Tarich regum Persicorum, vbi videmus eam traditionem etiam ad Muhammedem impostorem peruenisse. refert enim Alexandrum *homines offendisse montanos, & ignoti sermonis quibus bellum inferre cogitarit ; sed à Deo prohibitum fuisse, ne quicquam illis noceret. ideo saltem eos à suarum regionum termino seclusisse, ferramentis inter vicina saxa, velut obicibus interiectis, & cupro interfuso munitis, quod clausturam isti transmontani perfringere nulla vi queant.* Vbi subiungit Schickardus : *Nil dubito quin Caspias pylas, iuxta mare Hyrcanum sitas, intelligat, quæ vulgo* Derbenth, *id est angustiæ, & à Turcis* Demir-capi, *hoc est ferrea porta nominantur : quam Geographorum aliqui prauo* Amirali *nuncupant, post eas Alexander Iudæos reclusisse creditur ; quamuis id neget Fr. Vincentius Beluacensis, in spec. hist. l.30. c.89. Est is vnicus* [vnus ex tribus] *è Tataria transitus in Persiam, vt annotauit Haytho c. 47. locus ipsa natura munitissimus, & vere mirabilis, qualem orbe toto alium non credo reperiri, quem pulchre describit* il magnifico messer Iosaphat Barbaro, *Reip Venetæ legatus ad Persas, in suo* Viaggio, *fol. mihi* 50. Profecturo ex Persia *(sic enim reddimus Italica à Schickardo relata)* Turcia, Syria, & superioribus regionibus in Scythiam, vna istius loci porta intrandum, & per aliam itidem exeundum est. Quæ res ignaro loci mira, & pene impossibilis videatur. Hoc autem eo accidit, quod à mari de Bachu *(sic enim Caspium hodie vocant)* ad mare magnum via recta, puta si per aërem transiri possit, quingenta computantur millia, omni quod interiacet spatio, montibus atque vallibus consito. *Et post pauca :* Vbi occurrit mons quidam altissimus, ita vt adscensus eius descensusque bidui iter efficiat. *item fol. 51.b.* Vnum de Derbentho dico, quod mirum videtur : ab vna portarum istarum sub ipsos vsque muros euntibus, vuæ pomaque omnis generis, & præsertim amygdali reperiuntur. Ab altera vero nihil pomorum neque arborum cernas, præter cotonea syluestria : eaque loci facies ab isto latere per decem, vel quindecim, vsque ad viginti millia continuatur. *Atque post hunc P. Iouius hist. l. 14. fin.* Abruptæ Caspii montis rupes, vsqueadeo ad mare coarctant iter, vt exesi fluctibus, deuoratique in profundum eius littoris margines, vix duorum stadiorum aditum transeuntibus relinquant. Ea enim forma Derbenthum in edita montium crepidine situm est, vt duobus ex quadrato lapide muris, ad mare deductis, inferiora ædificia, & nauigiorum stationem, tanquam duobus brachiis complectatur, non maiore quam trecentorum passuum interuallo. quod spacium singulis vtrinque ferreis portis, superstantibusque propugnaculis, ita munitur, vt perpetuis custodiis, nisi clara luce & explorato littore viatores, nec admittantur, nec recepti intra portam, altera prius emittantur, quam portorium persoluant. *Hactenus Schickardus.* Quantum ad portas ferreas, addendus locus Iosephi pag. 985. A. Hunc esse locum quem *Caspiam viam* appellat Tacitus, firmiter mihi persuadeo. *Hiberi,* ait *6,33,4. locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt.* Deque eodem iterum loqui credo H. *1,6,4. numeri, quos idem Nero electos præmisissque ad claustra Caspiarum* (scil. portarum) *& bellum quod in Albanos parabat &c.* cum Suetonio loquens in Nerone *19,4.* atque iis *qui in Armenia cum Corbulone res gessere,* vt constat ex Plinio *6,13,14.* quamquam hic contendat non *Caspias* eas *portas,* sed *Caucaseas* dici debuisse. At præter quod illis viris, qui in ipsis iis locis non oscitanter versati sunt, sed vt ipse fatetur, *res ibi gessere,* merito amplior fides debetur ; etiam locorum situs contra Plinium testimonium perhibet. Nero enim Albanos petebat, quos haud obscurum est eo tempore omnia post Caspias pylas, atque adeo ipsas tenuisse : at inter has & Caucasæas portas tota Albania ; vel si alio itinere tenderet, Iberia

Iberia interiacet. quomodo igitur penetrasset ad Caucaseas pylas, nondum subactis potentissimis gentibus, cum quibus maxime bellatum ibat. Sane turbauit Plinium, quod sciret alias illas Caspias portas, quæ à plurimis veterum ita vocarentur, longe ab iis regionibus distare ; Albaniam autem Caucaso connecti nouerat. De Caucaseis igitur pylis interpretor τὰ κολύμενα κλεῖθρα Σκυθῶν in Appiani Mithridatico. Et sane ab eo demum tempore angustias montis Caspii, Caspias portas vocari cepisse, videre videor. cum ii qui res ibi gererent, nomen aliud aptius non inuenirent, quam vt à Caspio monte Caspias dicerent, sicut ab Amano Amanicas. Nisi tamen & Clitarchus apud Strab. lib. 11. de iis sensit : Thalestrim inde venisse scribens, quantquam enim longe distarent à Thermodonte tamen inde proficiscenti per has iter fuisse potuit. Magis tamen est, vt de aliis illis pylis ad Parthiam loquatur, quando per eas transire potuit, Alexandrum quærens, qui tum ibi forte res gerebat. Per eas igitur & Sarmatæ apud Tacitum in Armeniam effusi sunt, quomodo diu postea *Hunni, qui dicuntur Saber, transeuntes Caspias portas* (has ipsas nimirum) *Armeniam & Cappadociam, Galatiam & Pontum depopulati sunt.* Hist. Miscell. 15, 14. & 22, 33. *Anno vicesimo tertio imperij Constantini* (quarti) *egressi* sunt Turci à Caspiis *portis, & occiderunt in Armenia multos.* Vide Gregoram pag. 26. f. Has *à Lazorum gente pro munitione Romana* sub Iustiniano custoditas fuisse Iornandes de reb. Get. docet, vbi tradit ipsum Alexandrum eo loco portis constitutis, Pylas Caspias nominasse, ipse tamen etiam cum Caucaso confundit. Porro ea munitio anno Christi 1583. in Turcæ potestatem peruenit, quod sic narrat Leunclau. in suppl. annal. Turc. Osman bassa *nocte quadam cum paucis suorum versus Temircapim, hoc est portam ferream, siue Derbentum, aufugit. Id situm est ad mare Caspium, quod ipsorum lingua Beher-culzum, siue Culzum denizi dicitur.* & mox: *Osman vero bassa quum Temircapim venisset, astute sibi Schemhalin Chanem, hoc est regulum siue principem Derbenti, amicum reddidit, natione Tatarum : cuius & filiam duxit vxorem, quæ post instinctu mariti patrem veneno sustulit.* Sed & prius Turcarum in potestate fuit, nam *eam gentem regnante apud Francos Pipino, à Caspiis portis egressam,* Otho Frising. apud Ænean Siluium cap. 4. de Europa, & cap. 100. de Asia, scribit. quamquam Siluius, Plinium, vt videtur secutus, potius *à Caucaseis* mallet. Cum Othone prope consentit Soiter. lib. I. de B. Pannon. in pr. & Blondus in pr. libri de gestis Venetorum: *Exeruntque ipsi Turci Scythæ ex his, quos Alexandrum Macedonem inter Hyperboreos montes ferreis clausisse regaculis, cum alij tradunt scriptores, tum beatus Hieronymus affirmat.* Nisi quod ex ea quæ Plinium decepit, ratione, videtur potius Hyperboreos montes, quos recentiorum industria fabulosos deprehendit, quam Caspias portas nominare. Hieronymus Epitaphio Fabiolæ paulo cautius: *ab vltima Mæotide inter glacialem Tanain, & Massagetarum immanes populos, vbi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent.* Quæ respiciens haud dubie Isidorus *9,2. Vgnos &c. qui prius in vltima Mæotide inter glacialem Tanaim & Massagetarum immanes populos habitauerunt. Deinde pernicibus equis Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibente ruperunt.* At claustra si qua iis in locis fuerunt Alexandri, opus est fuisse citra Caucasum, siquidem credimus probatissimis scriptoribus, qui negant Alexandrum ad Caucasum penetrasse. Fuerunt igitur sane in Caspii montis pylis. Idem iudicium est de istis Marini Sanuti in secret. fidel. crue. *3,13,5.* De duce Tartaro sub Octota, quam Haytho *Hocotam* vocat : *peruenit ad magnum montem Caucasum, vbi Alexandreiam* (an *Alexandreiam*) *Alexander ædificauit, quæ postea porta ferrea dicta est. Hæc transitum prohibet de profunda Asia ad maiorem.* De eadem Tartarorum expeditione loquitur, de qua Vincentius loco supra citato. At ibi videmus *portas* istas *ferreas* non ad Caucasum montem, sed in Caspio fuisse. Ex dictis apparet large errare Marium Nigrum Geogr. lib. 5. *Heraclea ciuitas Græca Arsacia à Parthis*

Parthis vocitatæ, Rhages prius, quoniam ibi terræ motu fracta sit tellus, quo & vrbes plurimæ, & vici duo millia, vt scribit Posidonius (apud Strabon. lib. 1.) *subuersi sunt. Flumina quoque cursus mutauere. Cui rupturæ Alexander Macedo portas apposuit, interioribus gentibus iter intercludens.* Non enim ad alium locum decantatæ istæ portæ spectant, quam ad Derbenthum. Quo traho & ista ex Procop. lib. 1. de bello Persico : *Ascendenti quoque Iberorum montes semitæ quædam in angustia multa stadiis supra quinquaginta producitur, ea siquidem via in abrupto quodam ac penitus inuio definit loco: exitus autem nusquam apparet, præterquam porta quadam à natura inuenta, quæ Caspia antiquitus dicitur &c. Quod Alexander Macedo animaduertens, muniminis ac breuitatis gratia dicitur eas ædificasse, præsidio ibidem relicto, quod postea quum alii plures, tum Auibazues habuere. is genere Hunnus &c.* Nam etiam infra eodem libro Cabadem dicentem facit se tenere easdem portas Caspias ad prohibendum incursum Massagetarum, hoc est iuxta Albanorum, siue vt postea vocati sunt Alanorum gentem, quam eum tractum late incoluisse, ex Marcellino 31, 5. & 6. constat. immo eosdem & Alanos & Massagetas fuisse vocatos, idem, ni fallor, Marcellinus; certe ex Dione Xiphilinus in Adriano, Zonaras tom. 2. & Gregoras 6, 17. tradunt. Oportet igitur portas istas medias fuisse Persicum inter imperium & Alanos. de quib. etiam Beniamini Itinerarium : *Alaniæ regio montibus cingitur, nec vllum exitum habet præter portas ferreas, quas Alexander fixit.* Hodie Georgianos eum tractum habitare constat inter auctores. His igitur tribuit clausura Alexandri M. Paulus Venetus in Chorographia Tartariæ 1, 14. Et specialius adhuc regno Abcæ (vt in versione Germanica legitur, quæ sola nunc ad manus est) hoc est parti Georgiæ Haytho cap. 5. & 47. Quamquam ibi difficultatem mouet, quod videtur confundere aditus ex Sarmatia & Hiberia in Asiam maiorem. Scribit enim tres eos esse, primum à Turquestania per Persiam : alterum vocari Ledorbent (forte fuit *Loderbent*, vbi nomen Derbenthi agnoscis, cum articulo Italico, qua lingua primitus iste liber conscriptus fuit.) propter mare, vbi Alexander ædificarit vrbem Portas ferreas, vt legatur in historiis regni Cumaniæ; tertium transire per mare magnum & regnum Abcas. Et mox subiicit, per Derbentum potuisse transiri per hyemem, nisi Abcas fossis & munitionibus iter præstruxisset. Vt ita rursus videatur confundere duo ista clausura, quæ modo distinxerat. In quibus non simplex est difficultas. nec auxilio sunt recentiorum tabulæ, quando limites regnorum ab Haythone longe aliter constituuntur, quam illæ repræsentent. Totum autem illud Cumaniæ regnum, quod cap. 5. describit Haytho, nec ibi, nec apud Venetum reperio: Sanutus autem collocauit iuxta Tanaim. Sed Haytho dicit quosdam populos regno Cumaniæ subiectos vsque ad Caucasum pertinere. Vnde videatur illud regnum circa eum montem esse collocandum, & fortasse appellationem habuisse à Cumania castello de quo Plin. 6, 11. *Portæ Caucasiæ, magno errore à multis Caspiæ dictæ, ingens naturæ opus montibus interruptis repente, vbi fores obditæ ferratis trabibus, subter mediam amne Dyriodori fluente, citraque in rupe castello, quod vocatur Cumania, communito, ad arcendas transitus gentes innumeras.* Atque ita hæ tertiæ essent angustiæ, quæ Caspiarum portarum nomine innotuerunt. Sed vereor ne erret Plinius, & ii quos erroris arguit, non de eo loco, quem ipse describit, sed de Caspii montis angustiis sentiant. de qua controuersia supra dictum est. Sunt igitur Caucasiæ pylæ, quæ si Plinio credimus, ab aliquibus appellatæ sunt Caspiæ. Sunt & eæ quas inter Mediam & Parthienem sitas Geographi sic vocarunt: sunt denique in ipso monte Caspio, loco qui *Derbent* nunc dicitur, quo vocabulo Turcis angustiæ signantur. Sic *ad superandum Hæmum in Thraciam & Macedoniam euntibus, vnus aditus à Traiano plerisque putatur factus, vbi adhuc quadrato lapide porta maxima spectatur.* Et mox : *locum hunc Turci comites nostri nominabant Capi Derbent,*

Derbent, hoc est portam faucium vel angustiarum. Ait Leunclau. in Pandect. Turc. Ecloge MSa, ex hodœporico Constantinopolitano Stephani Gerlachii Theologi : Der *Persice porta*, bent *ligamen, quasi porta ligata ac serata.* Essent plura quæ de tam illustri loco dicerem, nisi nimis arctis cohiberer terminis, quos tamen sentio me non mediocriter nunc excessisse. Sed perruptis his angustiis, redeamus in viam.

EX INDIA) Hoc putabat & Arrian. 5, 4, 6. quamquam 7, 3, 25. dubie sentiens. Varias veterum ea de re sententias necessario omittimus. & iam relatæ sunt aliquæ supra ad 6, 4, 18. Antiquissimam autem Herodoti 1, 203. *Hoc mare per se est, nec cum vllo alio commiscetur*: recentiores approbant, Paulus Venetus 1, 14. Haython cap. 5. & ex iis Sanutus & Mercator.

6, 4, 20. *AD CVLTIORA*) Sic 7, 3, 17. apud Liu. 28, 11. *in loca culta* bene habent MSS. vulgo, *in loca tuta*. Sic igitur etiam hic malui, quam *ad vlteriora*.

6, 4, 22. *QVERCVS*) Idem Diodor. 17, 75. forte eo respexit Virg. Ecl. 4, 30.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

In Lydia copiosum mel ex arboribus colligi scribit Auctor Mirabil. Auscultat. cap. XVIII.

6, 4, 24. *EXEMPLO FVIT*) Vide Gruter. in Liu. 42, 8. & discurs. in Tacit. 19, 18. &c.

6, 4, 25. *MENAPIM*) Arrianus 3, 4, 26. *Post hæc Ammynapem Parthum, qui sibi vna cum Mazæo* (scribe Μαζάκῃ *Mazace*) *Ægyptum tradiderat, Parthorum & Hyrcanorum satrapem constituit. Ammynapes* Arriano, qui *Menapis* Curtio, adiectione literæ *A*. quæ in eiusmodi nominibus est frequentissima. Sic *Axueses* & *Amistris* alibi vocantur; qui frequentius *Xerxes* & *Esther*, quod me docuit Scaliger in Eusebium. Apud Stephanum in Ἀμαζόνιον *Mazæum* pro *Amazæo*. apud Strab. & Plin. 6, 13, 6. *Amardi* & *Mardi*. apud Plin. 6, 7. *Riphæi, Arimphæi*. Sic *Derceto* aliis *Atergatis* est. Vt propemodum suspicer illud *A*, vbi præter rationem additum est, nihil aliud esse quam articulum, qui Hebræis fere est ה, & in illas quoque gentes peruenisse videtur, si non eadem scriptura, certe vicino sono. Huius corruptionis exemplum tetigimus in voce *Derbent*, quæ apud Haythonem, vtpote Italice conceptum, est Io Derbent, & deinde etiam in versionibus in vnam vocem coaluit *Loderbent*. Eiusmodi vitia in Cedreno, & aliis eiusdem commatis Græcis scriptoribus non pauca corrigit Leunclau. in Pandect. Turcic. quæ res opinionem meam haud mediocriter firmat. Contra accidit, vt qui in vno aut altero eiusmodi vocabulo falsi fuerunt, si moneantur id eo accidisse, quod articulum voci iunxerint, deinceps omnia eiusdem soni vocabula suspecta habent, & interdum etiam radicales literas detrahunt. quod accidisse credo in iis, quibus A. quod habebant, violenter ademptum est.

6, 5, 2. *HOSPES PHILIPPI*) Historiam pete ex Diodoro 16, 53.

FIDES VINCEBAT) Hoc est, præpollebat apud Alexandrum, vt ob hospitii memoriam eum amaret; & magis etiam propter fidem in regem suum. Eo magis, quod etiam apud Græcos id vsu receptum esset. Vnde Agesilaus ad Pharnabazum, referente Xenoph. lib. 4. Ἑλλ. *Non ignorare te arbitror etiam Græcis in vrbibus hospitiorum necessitudines inter homines contrahi. Nihilominus vbi bellum inter vrbes ipsas geri cœptum est, vna cum patria quilibet hospitibus bellum facit. Quin etiam si res ita ferat, nonnunquam mutuo se hospites occidunt.* Caussam reddit Badius apud Liuium 25, 18, 9. *publicis fœderibus ruptis dirempta simul & priuata iura esse.* vbi itidem pugna hospitis cum hospite narratur.

6, 5, 3. *SENECTVTE*) Similis oratio Berzellai ad Dauidem Reg. 2, 19, 34. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt adscendam cum rege in Ierusalem? &c.*

XCV. ANNVM) Lucianus libellum scripsit de Macrobiis, quem insigni accessione locupletauimus: quam hic proponi nimis longum foret. Interim vide Plinium hist. nat. 7, 48. & Phlegontem Adriani libertum.

6,5,4. *EADEM MATRE)* *Artabazo è Mentoris & Memnonis sorore undecim filii, & decem filiæ prognati fuerant.* Diodor. 16, 53. de simili matrimonii fecunditate Phlegon: *Antigonus narrat, Alexandrea mulierem quandam quatuor partubus viginti fœtus edidisse, quorum maior pars enutrita sit. Eademque in vrbe alia mulier quinque infantes vna peperit, tres masculos, duas feminas, quos suis sumptibus ali iussit Traianus imperator. eademque mulier circumacto exinde anno, tres infantes peperit. Hipostratus in libello de Minoe, Ægyptum perhibet ex vna vxore Europa, Nili filia, quinquaginta filios procreasse. Itemque Danaus, ex vnica Europa, Nili filia, quinquaginta tulisse filias.* Idem de Ægypto & Danao scribit Apollodorus lib. II. Sed pro fabula videtur habuisse Eusebius, eam enim liberorum multitudinem adscribit pellicibus. At de Alexandrina muliere quod narratum est, confirmatur & ab Iuliano in l.36. de solut. Quem locum opinor, respexisse Augustin. cap. 115. quæstion. ex vtroque testam. *Legitur cautum in quodam iuris libello, mulierem aliquando quinque peperisse.* Nisi forte magis Gaium in l. 7. de reb. dubiis, qui eam feminam (eandem enim fuisse, verosimile est) ad D. Hadrianum perductam narrat. vnde forte in Phlegonte etiam hoc nomen reponendum, quem credibile est post Traiani obitum ea scripsisse, & si de Traiano loqueretur, non *Imperatorem*, quod viuenti potius competebat nomen, sed pro more temporum, *Diuum* appellaturum fuisse. Nisi dicimus eam historiam contigisse sub finem Traiani & initia Hadriani, vt à diuersis auctoribus vtriusque temporibus adscribi potuerit.

6,5,5. *PEDIBVS)* Non enim erat ex iis quos *vsum pedum amisisse* cauillatur Plinius Paneg. 24, 5. sed Plutarcho teste, in vita cap. 39. *si iter faceret minus vrgens, discebat simul in progrediendo aut iaculari, aut in currum concitatum insilire & desilire.* Sic & ille Rom. Alexander *in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat.* Sueton. 57, 1. Plinii locum citatum sic constitui posse putamus: *Te ad sidera tollet humus, te communia & confusa priuatis vestigia.*

6,5,6. *LACEDÆMONIIS)* Vera haud dubie lectio est, quam exhibet optimus Cod. Dan. *nisi fid. Laced. est inopensibus daretur:* si leuiter emendes. *& Sinopensibus*, de quibus Arrianus 3, 5, 10. si tamen id recipimus, eliminanda est ex seq. vers. vox *Lacedæmoniorum.*

DELIBERATVROS) At sic *qui deliberant, desciuerunt.* inquit Tacitus H. 2, 77, 6.

6,5,8. *QVAM IPSE DEDISSET)* Vide supra ad 4, 11, 21. vbi ait, *se in Asiam non venisse, vt ab aliis acciperet, sed vt aliis daret,* quibus in verbis excidisse vnum puto, *vt ab aliis leges acciperet.*

6,5,9. *DEMOCRATES)* An Democharis frater Demosthenis? de quo Plutarchus in Demosthenis vita. Nam de Democrate nihil memini legere. Raderus. At ille Democrates neque frater fuit Demosthenis, sed sororis filius, vt ex Cicer. de orat. 2, 23. & Bruto cap. 83. ὁ τοῦ Δημοσθένους ἀδελφιδοῦς est Æliano histor. var. 3, 7. ex quo capite liquet eumdem esse quem Parrhesiasten vocatum adfirmat Seneca de ira 3, 23. Sed & ipse Plutarch. in vita Demosth. cap. 9. in libello de decem oratoribus, expresse tradit, sorore eius genitum fuisse, vbi etiam ait Antipatro oratore, ab Athenienſibus petenti restitisse. Superfuit igitur Alexandro. nam id post mortem regis accidit, vt ex eiusdem libri cap. 7. constat. Immo ex cap. 10. diu postea vixisse. Ergo non potest subſtitui huic Democrati.

6,5,10. *MILLE D.)* Sic legendum, licet reclament vulgati codices fere omnes. Nam Curtius paulo ante 6, 5, 1. refert Artabazum *cum modica Græcorum militum manu* Alexandro occurrisse; & Arrianus 3, 5, 7. Græcos mercenarios qui cum Artabazo erant, circiter 1500. fuisse ait, qui se ipsos Alexandro permiserint. Popma. Consentit & Diodor. 17, 76.

6,5,11. *INVICTA)* Repetita videtur hæc vox ex superiore linea: sane aliud hic fuit, quod iam non diuino. nisi cui placeat, *reliqua manu*, quod equidem sensus videtur requirere.

CETERI) Pertinet hæc vox ad legatos, quos domum remisit, exceptis Laced. Arrianum, vbi modo, vide.

6,5,16. *DVRAVERANT)* Vulgo *nodauerant.* Sed & hoc & illud aliorum, *nudauerant*, pariter ineptum. Quis nodos nodare dicat? quid autem ad rem si nodi stipites nudarunt? quos tamen illi quomodo nudarunt? Emendo, *duraverant.* Acidalius. Cuius coniecturam optimis libris confirmari videns, recepi.

6,5,17. *VENANTIVM)* Tacit. Agric. 37, 5. *Agricolæ validas & expeditas cohortes indaginis modo, & sicubi arctiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores siluas equitem persultare iussit.*

6,5,18. *BVCEPHALAM)* Aliæ editiones *Bucephalum* habent. Græcis vel Βουκέφαλος vel Βουκεφάλας, ita Latinis vtrumque expressum. De hoc Bucephalo plura in prolusionibus cap. 8. Hic de aliis hoc genus equis eruditis, variasque artes doctis traderem, nisi iam pridem Lipsius epistolarum volumine ad Belgas tertio, epistola LVI. ad contubernales, bene longa, laborem meum occupasset, memorandaque è variis scriptoribus prodidisset, quo lectorem etiam curiosissimum remittimus, vbi de hoc ipso Bucephalo narrat. Sed miror ab ipso hunc Curtii locum non animaduersum. Raderus. Vide citatos à Radero Plutarch. Alex. cap. 9. Plin. 8, 42. Agell. 5, 2. Strab. lib. 15. Solin. cap. 47. Græcum Aristophanis Scholiasten in nubib. p. 123. Italum auctorem de re equestri p. 12. M. Fuggerum de cura equorum p. 17. & Tzetz. Chil. 1, 28. Quibus vtiliter addas Maiolum dier. Canicul. 5, 1. Camerar. Subcis. 1, 21. Salmuthi notas in Pancirolli res deperditas, cap. de equis. Patricium de regno 3, 2. Oppian. Cyneget. 1, 229. vbi ait *Bucephalam aduersus arma dimicasse*, quod interpretare ex Herod. 5, 111. vbi similia de equo Artybii. Plutarch. de Solert. animal. cap. 34. Festum, Etymologicum Græcum, vbi nominis ratio redditur. Arrian. 5, 3, 1. &c. vbi inter alia, non à *Mardis*, vt Curtius, sed ab *Vxiis* exceptum fuisse scribit. Diodor. 17, 76. Piccartum apud Beeman. in origin. Latinæ linguæ: vbi & fabula de Megapolitanorum ducum insignibus. Pierii Hieroglyph. lib. 4. quos, si vacat, inspicere poteris. Ego enim sentio cum Æliano hist. an. 6, 44. *Quod longe lateque peruagatum est, qualis in Alexandrum Bucephalus fuerit, propterea nihil mihi iucunditatis ad narrandum habere videtur.* Illud notatu dignum, Romæ collem Quirinalem, hodie *montem Caballum* dici: quæ appellatio sub Impp. ceperit, *à duabus statuis marmoreis Alexandri Magni regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imp. Romam transtulevit atque in medio thermarum à se in Quirinali extructarum collocauerit*, vt ex Onuphrio, & Georg. Fabricio in sua Roma, adnotat Rosinus Antiquitat. 1, 6. Merulæ Cosmogr. in sexta regione vrbis habet aliquid de Alexandri statuis. Imaginem earum formis æreis expressit Ant. Lafrerus Sequanus. Eum etiam in nummis suis exprimi curasse Alexandrum, colligo ex Zamosii analect. Antiquit. Dactæ cap. 11. vbi dicit; *equum habet Alexandri moneta.* Sed & Lazius rer. Græcar. lib. 1. nummi talis effigiem exhibet.

SENTIRE) Ita de elephante Martialis Spectac. 17.

Quod pius & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat:

Non facit hoc iussus, nulloque docente magistro;
Crede mihi, numen sensit & ipse tuum.

Nec illud eiusdem est abs re de spectaculo etiam aliarum ferarum, Epigr. 1, 105.

Hæc clementia non paratur arte:
Sed norunt cui seruiant leones.

De elephanto Pori regis mira narrat Curtius ipse 8, 14, 39. Raderus. Plurima eiusmodi obseruarunt Ælianus in hist. animal. Plutarch. de sollertia animal. & alii complures, veteres nouique. Videtur eo respexisse Iouius Caroli V. Bononiensem coronationem describens (ex quo Surius ad Ann. MDXXX.) *ita tolutim & temperato passu incedentibus equis, vt si certa ingenij grauitate, quales sessores veherent, sentire viderentur.*

6, 5, 20. *EXAGGERARI)* Congesta humo exæquari, obtectis ramis qui prius eminentes iter impeditum reddiderant.

6, 5, 21. *ALIQVANTVLVM)* Addenda præpositio: *in aliquantulum.* sup. 4, 2, 19. *in altitudinem montis opus excreuerat.* Acidalius.

TRADERE) Immo *tradi* potius, si consuetum loquendi morem attendas. Sed ne id quidem huic loco accommodum, quem enimid iusserit, & cur non potius ipse præsens traderet? mirum, ni scripserit Curt. *Phradati parere eos iussit.* De re vide Arrian. 3, 5, 9. cui hic Satrapa, eo loco, & paulo supra est *Autophradates.*

6, 5, 22. *GEMINATO HONORE)* Geminis prouinciis præfecit. Raderus. Quæ explicatio nullo certo fundamento nixa, mihi non satisfacit; & tamen non habeo melius dicere.

VRBEM HYRCANIÆ) Modus loquendi qualis apud Virgilium Æn. 3, 293.

- - - *Buthroti ascendimus vrbem.* vulgo, *Buthrotum.* Hyrcania enim non est gentis & prouinciæ, vt supra, sed ciuitatis nomen. Multæ enim regiones communia habent nomina cum suis vrbibus primariis [vt Babylonia, Bactra &c.] Proinde Hyrcaniam hanc Ptolemæus metropolim appellat in Hyrcania. Arrian. vero 3, 4, 5. eandem suo proprio nomine dictam ait *Zadracarta,* & *Zeudracarta. Motis inde castris in Hyrcaniam progressus Zadracarta vrbem petit.* & infra 3, 4, 12. disertius. *His rebus peractis, ad Zeudracarta maximam Hyrcaniæ vrbem, vbi regia erat, exercitum duxit.* Eadem ergo vrbs & *Zadracarta,* & *Zeudracarta* (nisi codices fallunt) & *Hyrcania* dicta. Raderus. Huius vrbis iterata mentio est apud Iustin. 38, 9, 3. & 7. de ea igitur capiendus Appian. fine Syrac. de Demetrio: *captus vixit in Phraatæ regia.* A Scythis *Carizath* dici, Theuetus apud Ortelium tradit.

6, 5, 23. *ADSVEVIT)* Frustra ergo Plutarch. cap. 37. eum à nefario hoc flagitio vindicat.

6, 5, 24. *FINITIMA)* Error insignis, natus vt puto ex eo quod Curtius legerat à quibusdam Amazonas haud procul mari Caspio collocari: id autem cum & Hyrcanum dicatur, persuasit sibi quæ Hyrcano mari finitimæ essent, eadem & iuxta Hyrcaniam colere debere.

GENS AMAZONVM) De hac si velimus accurate tradere, vna volumen ingens impleuerit. Nos ergo contenti erimus ostendere loca auctorum, qui affirmare videntur eas adhuc tempore Alexandri aut etiam post superfuisse: deinde eorum, qui meliore iudicio vsi, haud ita proni sunt ad credendas fabulas. Igitur Amazonum Alexandri temporibus aut post ea mentionem faciunt *Ammianus Marcellinus* 22, 14. *Antigenes* apud Plutarch. Alex. cap. 81. Apollodorus lib. II. *Appianus* Mithridatico. Cæsarius quæst. XLVII. *Cedrenus* in Alex. *Clitarchus* apud Blut. Alex. c. 81. & Strabon. lib. 11. *Diodorus* 17, 77. *Hispani* in descriptione orbis recens reperti. *Hypsicrates* apud

apud Strabon. lib. 11. *Iacobus de Vitriaco* Histor. Hierosol. cap. 90. *Iornandes* de reb. Get. c. 8. *Isidorus* 9, 2. ex Seruio ad Virgil. Æn. 1, 494. *Ister* apud Plutarch. *Iustinus* 12, 3, 6. *Metrodorus* Scepsius apud Strab. *Onesicritus* apud Plut. *Orosius* 3, 18. *Philostratus* in Heroicis, vbi de Achille. *Plinius* 6, 13, 5. *Plutarchus* Pomp. c. 58. ex Theophane vt videtur. *Polycritus* apud Plut. *Pomponius Mela* 1, 20. *Ptolemæus* Geogr. 5, 9. *Reineccius* in regno Amazonico. *Stephanus* de vrbibus. *Æn. Silvius* c. 20. de Asia. *Theophanes* apud Strab. ex quo Plutarch. & Appian. ni fallor. *Vopiscus* Aureliano c. 34. *Zonaras* tomo 2. ex Plutarcho. Ex diuerso negant id *Anticlides* apud Plutarch. Alex. c. 21. quidam apud *Aristidem* in Panathenaico. *Aristobulus* apud Plut. *Arrianus* 7, 3, 4. *Chares* apud Plut. *Duris* Samius. ibid. *Goropius* lib. 8. qui *Amazonica* inscribitur. *Hecataus* Eretriensis, *Isangelus, Lysimachus, Philippus* Chalcidensis, *Philippus* Isangelus, *Philon* Thebanus, *Ptolemæus* Lagi, apud Plut. Alex. c. 81. *Seruius* in Virgil. Æn. 1, 494. *Strabo* lib. 11. Sed & alia quæstio oritur, an vnquam fuerint Amazones? quod Straboni præcipue, non videtur verisimile. Goropius, si quæ fuerint, coniugatas fuisse putat. Contra fuisse quales vulgo creduntur, adstrui possit præter superiores auctoritate *Æschyli* Eumenid. versu 688. Supplic. v. 293. & Prometheo. v. 696. *Ammonij* apud Harpocrationem. *Apollonij* Argon. 2, 994. & eius *Scholiastæ. Athenienſibus* apud Herodot. 9, 37. & Arrian. 7, 3, 5. *Atticæ picturæ* in Pœcile porticu apud Pausan. in Atticis: quam Cimoni tribuere videtur Arrian. 7, 3, 4. nam illud ἀγῶνα πεζομαχίας ἢ μάχην, potius exponam, *Picta est pugna,* quam cum interpretibus, *scripta est.* Pictor enim fuit Cimon, idem ille, ni fallor, cuius apud Plinium 34, 8, 5. mentio. *Aristidis* Panathenaico. *Augustini* quæst. ex vtroque testam. c. 115. *Bionis* apud Plutarch. Theseo c. 27. *Cæsaris* apud Sueton. in vita 22, 4. *Q. Calabri. Callimachi. Callippidis* apud Strabon. lib. 12. *Chronici Abbatis Stadensis* in Roboamo: nisi ibi pro *Saturnia conditur ab Amazonibus, ab Aboriginibus* scribendum. *Chronici Alexandrini* in posteris Sem. *Chronologicorum Excerptorum* Latinobarbarorum, apud Scaligerum, in posteris Iaphet. *Clementis Alexandrini* admonit. ad gentes. & Stromat. lib. 1. & 4. *Clidemi* apud Plut. Theseo c. 30. *Cornelii Taciti* 3, 61, 3. 4, 56, 1. *Daretis* Phrygii. *Dictys* Cretensis lib. 3. & seq. *Diodori* Siculi 2, 44. 3, 52. 4, 16. 28. *Dionysii* historici apud Diod. 3, 52. *Dionysii* Periegetæ versu 656. *Dresseri* in anno Mundi 2073. & post annum 2456. *Ephori* apud Scholiast. Apollonii, & Stephanum. *Eudoxi* apud Strab. lib. 12. *Euripidis* Hercule Fur. versu 407. & Hippolyto v. 10. & 307. & 582. & Ione 1131. *Eusebii* num 810. 833. 870. & 938. *Eustathii* in Dionys. *Glycæ* Annal. part 2. vbi de Alexandro. *Hellanici* apud Plut. Theseo c. 27. & 29. Strab. lib. 12. *Herodori* apud Plut. Ibidem. *Herodoti* 4, 110. & apud Strab. lib. 12. *Hippocratis* in lib. de aëre &c. & lib. de articulis. *Homeri* Iliad. 3, 189. 6, 186. & eius *Scholiastæ. Hygini* fab. 30. 163. 223. & 225. *Iornandis* de rebus Get. c. 7. & 20. *Ilæi* apud Harpocration. & Suidam. *Isocratis* orat. 8. *Iustini* 2, 4, 10. 42, 3, 7. *Lysiæ* Oratoris. *Marsi* apud Martial. 4, 29. *Martiani* Capellæ de nupt. Philol. lib. 9. *Megarensium* in Atticis Pausaniæ. *Menecratis* apud Plut. Theseo cap. 28. *Metrodori* Scepsii apud Strab. lib. 12. Nicolai Damasceni in Excerpt. Vales. pag. 512. *Orosii* 1, 15. & 16. *Ottonis* Frisingens. 2, 25. *Ouidii* in epist. Cydippes versu 119. *Palæphati* apud Strab. lib. 12. *Pausaniæ* in Achaicis, Messeniacis, & Eliacis prioribus. *Phereydis* apud Scholiast. Apollonii & Plutarch. Theseo c. 27. *Pindari.* Nem. 4, 3, 61. Olymp. 13, 124. & apud Pausan. in Achaic. *Platonis* lib. 7. de legibus. *Plinij* 7, 56. *Plutarchi* in Theseo c. 31. *Polyæni* strateg. 1, 1, 3. *Pomponij Melæ* 1, 17. & 18. *Preiis Ioannis* in epistola Hebraica, quam edidit Munsterus fine Cosmogr. *Propertii* 3, 14, 15. 4, 4, 71. *Sallustii* apud Seruium in Virg. Æn. 11, 659. *Solini* cap. 40. *Statij* Silu. 1, 6, 24. *Stephani* in Ἀκμόνια. Σίβυρσα. Μύκηναι. Σμύρνα. Ἔφεσος. *Io. Tzetzæ* 2, 36. & 13, 450. *Isaacii Tzetzæ* in Lycophronis Cassandram. *Virgilij* Æn. 11, 659. *Xenophontis* ἀνάβασ. lib. 4. Nos in re tam ambiguæ fidei,

fidei, abunde præstiterimus, si tot & tantis scriptoribus credamus, haud omnino ex vano hausta fuisse istam opinionem: nam vt in miraculum Græcula vanitate corruptam esse non putemus, quis à nobis exigat? Mulieres autem militasse quandoque multis fidisque probatorum scriptorum testimoniis certum est. Eusebius ex Philochoro scribit, *Bacchum cum viris & feminas armasse*, cui consentit & Polyæn. strateg. 1, 1, 3. Ex recenti memoria est, quod in obsidione Famagustæ, cum 29. die Iunii anno 1571. iterum impressionem in muros facerent Turcæ, etiam feminas vrbanas cum armis, alias cum saxis & aqua, ad iuuandos suos accessisse fides sit, ex *relatione facta per il S. Conte Nestor Martinengo, al sereniss. Prencipe di Venetia.* Eodem anno quum Turcæ opidum insulæ Corcyræ nigræ, siue Curzolæ, *quod ipsum quoque Curzolæ nomen habet, à viris desertum, adgrederentur: à feminis, animose patriam defendentibus, memorabilii cum marium Curzolanorum, & ipsorum hostium infamia, femineique sexus immortali laude, reiecti fuerunt.* Leunclau. in supplem. Annal. Turcic. Quomodo olim Argiuæ feminæ, apud Plutarch. de virtut. mulier. cap. 8. (quo libro & alia continentur, huc pertinentia) & Pausaniam in Corinthiacis. Sic in obsidione Belgradi, nisi me fallit memoria, mulierem vno fœnariæ falcis ictu, duobus Turcis, qui vallum conscendebant, capita præsecuisse, Pantaleon in reb. gestis ordinis Ioannitarum, memoriæ prodidit. *In Bohemia tenuisse feminas principatum legimus, & in Hungaria Mariam viriliter imperasse, quæ non* reginam *sed* regem *se appellauit. In regno Neapolitano duas Ioannas rerum politas scimus, quarum altera nostra ætate, altera paulo ante, res magnas gessit. Sed puella Franciæ, de qua secundo dicemus, non parum dubietatis affert, cuius ductu sæpe Anglorum copiæ nostro æuo profligatæ fuerunt.* Æneas Siluius c. 20. de Asia & de Bohemis feminis c. 7. hist. Bohem. Cui similis de Lemniadibus est fabula apud Statium Theb. lib. 5, 105. & Plut. Erot. c. 14. Insigne exemplum Blancæ Scardeoniæ, vide apud Lipsium Monit. Polit. 2, 16, 19. De Mysis mulieribus Philostrat. in Heroicis, vbi de Achille, & de iisdem & aliis Tzetzem 13, 450. &c. De Agilæis Cæsarium apud Glycam annal. part. 2. vbi de Alexandro, & Cedremem pag. 127. De Zenobia, Vopiscum in Aureliano vide. De Semiramide, & Tomiri notum. Margaritæ trium regnorum, Daniæ, Sueciæ, & Norwagiæ reginæ historia ex Munsteri Cosmographia peti potest. Complures etiam Polyænus lib. 8. strategematum celebrat. Item Zwingerus in Theatro: & Tiraquell. tom. II. pag. 15.

6, 5, 25. *THALESTRIM*) siue *Minotheam.* nam binominem faciunt Iustinus 12, 3, 5. & Orosius 3, 18. Strabon. lib. 11. est *Thalestria.* Ottoni Frisingensi 2, 25. corrupte *Alestræ.* Cedreno *Thaleuta.*

6, 5, 26. *DVABVS LANCEIS*) Sic & apud Virg. Æn. 1, 317. describitur Æneas:

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Vbi Taubmanni notam vide.

6, 5, 28.) Vide Tiraquellum tom. II. pag. 15. m. 2.

6, 5, 29. *HABITVM*) Non respicit ad *venustatem* formæ, sed *dignitatem*, vt distinguit Cicer. offic. 1, 36. quæ non est nisi in iis qui præter reliquam corporis symmetriam, etiam eminenti statura sunt. hos igitur præcipue venerabantur barbari: in tantum vt apud Saracenos in eligendo rege maximam proceritatis rationem olim habitam Munsterus scripserit Cosmogr. 3, 2. f. εἰδ illud ἄξιος ἡγεμονίᾳ, *formam imperio dignam* cum Euripide vocare solent. Ita supra 4, 1, 25. conspecto Abdolomino Alexander, *famæ generis* inquit, *habitus corporis non repugnat.* Apud Cathæos etiam *regem pulcherrimum eligi, Oneseritus auctor est* apud Strab. lib. 15. quod & in Æthiopia solere, quidam affirmant apud Aristot. politicor. 4, 4. & Athenæum lib. 3. Adde Tiraquell. in L. Connub. 2, 1. 2, 44. Fr. Iunium de pictura veterum, pag. 230. & seq. Marselaer

laer in Legato 1, 12. Certe, *augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo.* vt est in Pacati panegyr. cap. 6. Inde & supra 3, 12, 17. Sysigambis, mulier vt omnia docent haudquaquam rudis sensus, Hephæstionem pro rege habuit, quod habitu corporis Alexandro præstaret. Accidit Philopœmini Achæorum Stratego celeberrimo apud Plut. in vita c. 2. vt apud hospitem Megarensem cœnaturus, ab illius vxore iuberetur ligna findere: cum viro superuenienti, & inexpectato spectaculo attonito dixit, *desirmitatis suæ se pœnas pendere.* Sic apud Iosephum Antiquit. 18, 12. Artabanus viso Asinæo *apud amicos dictitabat, nihil esse in tantillo corpore, quod tam vasto animo respondeat.* Etiam Agesilaus ea de caussa despectus Ægyptiis fuit, vt Plutarch. in vita cap. 66. & Athenæus 14, 1. tradunt. & Rumetridæ Rodulfi Herulorum Regis germanus, apud Warnefrid. Hist. Longob. 1, 20. Apud Ioseph. Iud. 1, 5. Sabinus vir longe fortissimus adeo exili erat habitu, vt qui eum vidissent, ne conditione quidem gregarii militis dignum fuissent arbitrati. Apud Romanos *ætas Galbæ & irrisui & fastidio erat, assuetis iuuentæ Neronis, & imperatores forma ac decore corporis (vt est mos vulgi) comparantibus.* Tacit. Hist. 1, 7, 5. Contra Ariobarzanes *ob insignem corporis formam, volentibus Armeniis præficitur,* apud eundem 2, 4, 1. Nec omisit id in suo Traiano extollere Plinius paneg. 4, 7. *iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, nonne longe lateque principem ostentant.* Nec in suo rege diuinus ille Samuel 1, 10, 23. *Stetitque in medio populi* (Saul) *& altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum, Cernè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Adde Ibid. 1, 16, 6. & 7. Idem de Xerxe prodidit Herodot. 7, 187. *In exercitu Xerxis nemo erat, qui aut specie, aut magnitudine corporis cum Xerxe ipso posset contendere.* Multa in eum sensum lectu digna collegit Schönborn. Polit. 2, 26. quæ malo indicare, quam exscribere. Recte igitur in politissimo opere de Rep. Hebræor. 1, 14. Cunæus Curtium tacite reprehendens, cum locum Samuelis supra relatum recitasset: *Quare profecto non iam barbarorum illud duntaxat, sed hominum etiam excultissimorum est, maiestatem corporis venerari, magnorumque operum illos capaces putare, quos eximia specie natura donauit. Aristotelis, maximi autoris, scitum est, si qui nascantur tanto aliis corpore excellentiores, quanto simulacris hominum animo cellunt deorum imagines, dignos videri reliquos, qui his seruiant.* De Pori regia forma narrabit Curtius infra 8, 14, 13. Sæpe tamen falluntur qui ex solo adspectu iudicant. Pulchre Tacit. Agric. 40, 4. *adeo vt plerique quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso adspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.*

6, 5, 30. *HAVD DVBITAVIT*) Diuersum plane narrat Arrianus 7, 3, 2. Alexandrum iussisse reginæ nunciari, *se ad eam generandæ prolis caussa profecturum.*

REDDITVRAM) Ex more Amazonum, si fides Philostrato in fine Heroicorum, & Iornandi de reb. Get. cap. 7. vide Cæsar. quæst. XLVII. propius vero, quam alii, qui debilitasse eas mares liberos, aut interfecisse tradunt. Eandem consuetudinem hodie quoque Regis Monimotapæ Amazonas seruare scribit Eduard. Lopez de regno Congi 2, 9. Cui affine est quod narrat M. Paul. Venetus 3, 37. de duabus insulis inter Soccoteram & Chesmacoram, quarum incolæ Christiani sint: nam alteram earum à viris, alteram à mulieribus habitari: has nunquam insulam virorum ingredi: illos autem quotannis per tres menses quemuis cum vxore sua degere, dehinc sua in loca reuerti. Liberos mares apud matres ad duodecimum vsque ætatis annum educati, postea ad patres transmitti.

6, 5, 31. *CAVSSATA*) Cedrenus tamen ait Alexandrum eam *fociam belli adsciuisse.*

6, 5, 32. *QVAM REGIS*) *Ob immodicam forte illam vini appetentiam, ad*

ad Venerem ideo procliuis non fuit, quoniam, vt explicat Aristoteles in quæstionibus physicis (quæst. 11. & 32. sect. 3.) *hominum eiusmodi genitura in aquam eliqueſcat. Hieronymus in Epistolis Theophrastum referre tradit, Alexandrum ad Venerem ignauum fuisse. Cum ergo mater Olympias curasset &c.* Athenæus 10, 10. Cui adde Plutarch. Sympos. 1, 6.

TREDECIM) *Trogus XXX. scribit: quod tempus ad conceptum deprehendendum magis idoneum fuisse mihi videtur, quam quod Curtius posuit.* Sabellic. Ennead. 4, 5. Sed hodie etiam apud Iustinum *tredecim dies* eduntur: & Diodor. 17, 77. cum Curtio consentit.

REGNVM SVVM) Placet hic adnotare, quod alibi non reperi, ex Mart. Capellæ lib. 9. de nupt. Philol. *Quid Amazones? nonne ad calamos arma traſtabant? quarum vna, quæ concipiendi studio venerat, cum Alexandrum salutaret donata tibicine, vt magno munere gratulata discesſit.*

6,6,1. *HIC VERO)* Concinunt in hanc rem præter proprios huius historiæ conditores, Athenæus lib. 12. *Alexander Asia subiugata Persica stola est vsus.* & mox: *Ephippus scribit Alexandrum sacras etiam vestes in conuiuiis gestasse, nunc quidem Ammonis purpuream, per ambitum diuisam, & cornua, tanquam deum: nunc vero Dianæ, cum curru vectaretur: sæpius sub exima veste stolam Persicam ostentasse, ab humeris superne, cum arcu, & sibyne: aliquando & indumentum Mercury; cætera, ferme quotidie chlamydem purpuream, tunicam albo distinctam, cauſiam, quæ diadema regium sustineret: & amicis ad eum conuenientibus, talaria, petasum in capite, in manibus caduceum, nonnunquam leonis pellem, & clauam, vt Herculem.* Ioannes Antiochenus in excerptis Valesii: *Alexander Macedo extincta Persarum dominatione, atque occiso Dario, mente corruptus ad voluptates corporis declinauit. Nam & Persicam vestem induit, ac decem mille iuuenes corporis custodes habuit, ac trecentis pellicibus est vsus: adeo vt Macedonici imperij forma in Persicam migrasse videretur.* Cedrenus: *Non desunt, qui eum Dario deuicto in deterius mutasse animum, ac se voluptatibus corporis dediſſe affirment: Etenim qui olim Darij filias ne videre quidem sustinuisset, is & Persico amictu postea vsus, decem millia iuuenum præsidij loco circa se habuit, ac CCC. pellicibus vsus est, Macedonicamque regum consuetudinem in Persicam mutauit.* Ælian. hist. var. 9, 3. f. post descriptionem tabernaculi custodumque eius: *neque quisquam facile ad regem accedere audebat. Magnus enim timor existebat ex eo, quod superbia & fortuna in tyrannidem elatus esset.* Suidas Ἀλέξανδρος. ex eodem fonte, quo Antiochenus & Cedrenus: *postquam omnes gentes subegit, animo corruptus est, & in corporis voluptates delapsus est, Persica stola induta, & decies mille iuuenum custodia munitus, & trecentis pellicibus vtens, ita vt omnem Macedonicam Regum consuetudinem cum Persica commutarit.* De tabernaculo eius barbaricæ opulentiæ luxu decantatissimo varii passim, quibus iungi potest Plinius 34, 8, 2. Sed quæ verba Dempster. ad Rosin. 10, 29. adducit tanquam ex Chrysippo lib. 4. de Volupt. *Persico luxu fractus eneruatusque, asperitatem patriam, & frugalitatem exuens, barbam radere primus instituit:* ea ego in lib. 13. Athenæi non reperio, tantum ait Alexandri tempore, consuetudinem eam, radendi barbam, incessisse. Alexandrum etiam primo loco inducit Campofulgos. exempl. 3, 6. vbi *de his qui patriæ consuetudinem in vestibus & aliis ornamentis excesserunt.* Sed Alexandrum milites in prœlium ituros radi iussisse, ne ab hostibus barba comprehenderentur, scribit Plutarch. Theseo cap. III. & mirifice amplificat Synesius in Caluitii Encomio, pag. 79. Adde Plutarch. Apophth. cap. XXXVII. idem refert etiam in Alexandri vita, & in Præcept. tuendæ Sanit. Item Polyænus strategem. 1, 4. & 4, 3, 1.

6,6,2. *CIVILEM HABITVM)* Vide quæ huc pertinentia veterum monita affert Iustus Lipsius lib. 2. Ciuilis Doctrinæ cap. 15. & in Notis ad idem illud caput,

caput. vbi etiam ex Synesio addocet, pleroſque illos veteres leuiter & sine cura seipsos habuisse, non ab apparatu, sed ab animo reges, & introrsum à plebe differentes, extrorsum vel gregariis similes visos. Cuius quidem Synesii verbis, vt ex magno aceruo exemplorum pauca seligamus, fidem astruunt, apud Xenophontem, Plutarchum, Cor. Nepotem, & alios Agesilaus, Atistides, Epaminondas & Phocion: apud Q. Curtium Alexander Magnus, antequam in externos deficeret mores: apud Polybium, Philopœmen: apud Liuium Hieron, eiusque filius Gelon reges Syracusani: apud Suetonium Augustus: apud Tacitum Vespas. Ac ne longum faciam, tales exinde extitere fere optimi Principum, Traiani, Adriani, Antonini, Pertinaces, Scueri, Alexandri &c. Virdung. ad ista Taciti Agric. 40. *Cultu modicus.* Vide & supra ad 3, 6, 19. voce *Cultus*. Memoriæ potius lapsum existimo, quam ex certo auctore depromptum, quod Kirchner. in legato 1, 7, 61. scribit, Alexandrum *patrio habitu relicto apud Babylonios Babylonicum induisse.* Apud Plutarch. de fort. 1, 10. est, cum habitum ex Persico & Macedonico compositum gestauisse, vbi videtur pro *Maced.* legendum esse *Medico.*

6,6,3. *PATI CEPIT)* Sic edidi Vett. sequutus. quæ verba recentiores sine caussa eliminarunt, cum potius extrema huius periodi vocula *expetebat*, ejicienda foret.

6,6,4. *VESTEMQVE PERSICAM)* Quam eandem fuisse cum Medica, quantum quidem tum temporis regium ornatum contingebat, facile ostendi potest. vt argutari videatur Plutarchus, alias quoque amori huius regis nimium deditus, in excusationem eius adferens; non Medicum vestitum, quod plane barbaricus esset, adsciuisse, sed eum cum Persico temperasse, quasi hic minus barbaricus fuerit. Olim certe Persas Medis frugaliores fuisse, in confesso est, sed nemo negat, cum imperio & luxum ad eos transisse. Xenophontem sine Cyropæd. & Strabon. lib. 11. circ. fin. vide. Atque hinc est vt nihil referre putarint auctores, Medicam eam vestem appellarent; an Persicam. Immo Arrianus acerrimi vir iudicii, interdum *Medicam* vocat, vt 4, 2, 3. Interdum *Persicam* vt 7, 5, 23. Et Ælianus, quam hist. var. 1, 22. *Medicam stolam* eam 1, 32. *Persicam* appellat.

NE OMEN QVIDEM) Sensum hunc attigit & Iustin. 12, 3, 8. *velut in leges eorum quos vicerat, transiret.* Artian. 4, 2, 3. *Cidarim Persicam, iis quos prælio vicerat ademptam, cum eo ornatu quem ipse olim victor gestare solebat, commutare non erubuit.* Tertullian. de pallio cap. 4. *vicerat Medicam gentem & victus est Medica veste, triumphalem cataphractam amolitus, in captiua sarabara decesſit.* Pertinet huc Polybii iudicium 9, 10. *Quoties aliquis relictis populi vincentis institutis, eorum qui vincuntur mores æmulatur, sine controuersia dici potest, delictum hoc versari eius qui ita faciat: quum præsertim simul illa subeunda sit, quæ talia solet comitari, inuidia: res vna omnium maxime potentiam prædiis fugienda.* Eodem tendit quod infra 8, 5, 19. Callisthenes: *Non pudet patriæ: nec desidero ad quem modum rex mihi colendus sit, à victis discere.* A simili argumento cauillatur Marius apud Sallust. Iugurth. 85, 19. *Neque literas Græcas didici. parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.* Collaudauit tamen Peucestam Alexander, quod Persiæ factus satrapa, linguam Persicam didicit, vestitumque sumsit: atque Persarum etiam hoc facto conciliauit amorem. Arrian. fin. lib. VI.

6,6,6. *LITTERAS)* Huic affine est quod Plut. in Phocione cap. 22. & Ælian. hist. var. 1, 25. narrant, *nulli præter Phocionem cum scriberet, τὸ χαίρειν*, id est, salutem, *appositisse.* Alexand. in dieb. Genial. & Antipatrum addit. similimum autem, quod Polyæno 4, 3, 24. tetc, *si in Macedonibus, aut etiam Græcis iudicium exerceret, mediocre*

vsurpareque forum probabat: sin inter barbaros, splendidum & imperatorium. Item quod *cernens Hephæstionem ad institutum suum se accommodantem, Craterum vero patriis insistentem moribus; hoc interprete Græcis & Macedonibus responsa dabat, illo barbaris.* Plutarch. cap. 83. Huius rei vera caussa fuit, quod nondum volebat supra Græcos & Macedonas libertati, aut ciuili imperio adsuetos, tam superbo & dominico verius quam regio fastigio, se efferre. Sed ita *paulatim* vt loquitur supra num. 3. sibi struebat gradum, vt quæ in aliis diu vidissent, si postea in se quoque experirentur, non ita haberent pro nouo & inaudito more. Populos enim illos tot per annos ciuiliter habitos, non audebat ad duriora subito vertere. Sic fere Augustus in prouinciis templa sibi decerni passus est: *in vrbe pertinacissime abstinuit hoc honore.* Sueton. Aug. 52, 2. immo & in Italia secundum Dionem lib. LI. abstinuit.

DARII ANNVVS) Brisson. lib. 1. p. 141. consule, & Kirchm. de annulis c. 6. de Philippi sigillo Plut. c. 14.

6,6,7. ASPERNANTES) Non tamen omnes. quippe certum est Peucestam non spreuisse. Ceterum valde hic pugnant auctores. Iustinus 12, 3, 9. cum nostro consentit, amicos Alexandri Medicas vestes accepisse. Verum Arrianus & Diodorus scribunt vnum omnium Macedonum Peucestam Persicum habitum sumpsisse: & ipsi nonnihil inter se diuersi. Nam Arrian. extremo lib. 6. scribit eum collaudatum *receptæ Medicæ vestis*, sic enim potius interpretandum, quam cum aliis *mutatæ*. forte in ipso quoque textu μεταλαβὼν potius τὴν Μηδικὴν scribendum est, quam μεταβαλὼν, nisi forte & hoc eundem sensum reddat, vt Latinorum *mutare*. Curtius supra 3, 7, 11. *exilium patriæ sede mutauerat.* hoc est, relicta patria in exilio remanserat. sic etiam mutare Medicam vestem fortasse recte dixeris; durum tamen certe est. At Diodor. 19, 14. ait dici *Alexandrum huic soli ex Macedonibus indulsisse, vt Persicam gestaret stolam.* qui si ita scripsit, falsus est. Sed quod hi de *solo* Peucesta narrant, confutat Plutarch. c. 83. qui Hephæstionem ea quoque institutæ sequutum ait, adiecta insigni veritatis nota, ea de caussa Alexandrum ad responsa barbaris danda, illo potissimum interprete vsum. Porro etiam diu ante Alexandrum, *Pausaniam abiecto popularium & gentilium pallio stolam Persicam induisse*; & mox eius exemplo Alcibiadem, apud Athenæum libro 12. traditur. Aliis etiam Græcis, si legationem apud Regem obirent, solebat dono dari Medica stola. Auctor Ælian. hist. var. 1, 22.

6,6,8. PELLICES CCCLX.) Ad numerum dierum anni: in tot enim dies annum Persæ diuidebant. Diodor. 17, 77. *Concubinas insuper prout Darius consuuerat, circumducere secum cepit: quarum turba dierum numero haud inferior erat.* Hic tamen obserua Curtium de annis Persarum inconstanter loqui, aut certe mendum chartas eius occupasse. nam supra 3, 3, 10. numerat distincte 365. dies cum dicit: *Magos trecenti & sexaginta quinque iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero.* lege quæ ad 5, 1, 26. annotauimus, vbi itidem numerus mendosus, & pro 368: rescribendum 365. non 8. Hoc capite rursus pellices 360. rotundo numero posuit. Ita quinarium vel neglexit, vel certe sibi ipse non constat. Raderus. Credo hunc esse locum quem intelligit Tiraquellus ad Alexandri dies genial. 3, 24. lit. b. vbi post citatum auctorem in lib. 3. verbis modo relatis, addit: *Idem tamen Curtius libro 9. dicit iis in 360. dies annum esse descriptum.* Certe Scaliger. de emend. temp. lib. 3. docet Persis, Chaldæis, Armeniis, Syris, Hebræis, Ægyptiis, vnum eundemque annum fuisse, numero dierum parem nostro. Vnde videretur hoc in loco Curtii vitium esse scripturæ, nisi defendi posset eo, quod tantum numerum pellicum hic indicauerit, nullo ad dies anni respectu habito. Et quamquam hoc Diodorus fecerit, necesse tamen non est idem & in Curtio tradi. Accedit quod & ab aliis quorum ad lib. 3. habita est mentio in pelli-

cum

cum numero variant. Ergo nihil hic muto. Quamuis & Reineccius in regno Macedonico Diodori verba de 365. pellicibus accipiat: cuius verba adpingam. *Concubinas Diodorus Alexandro tribuit 365. in quibus commemorantur: Thais Attica, quæ postea nupsit Ptolemæo Lagi: Campaspe Larissæa, Æliano Pancasta: qui quidem addit, eam primam fuisse mulierum, cuius commercio Alexander vteretur. Hanc concessit postea Apelli &c.* Plinium 35, 10. vide. Fabulosum haud dubie est, quod Camerar. subciciu. 3, 69. narrat, *Alexandro puellam pulcherrimam à Rege Indorum muneri datam fuisse, vt voluptatibus suis inseruiret, quæ Napelli veneno nutrita, hocque alimento, cui assueta natura esset, absque noxia vteretur &c.* sed Alexandrum monitu Aristotelis ab ea abstinuisse. Si recte memini, desumptum hoc est ex Epistola de rebus Indicis, quæ falso Alexandro adscribitur.

6,6,9. INFECTA) Alii *Hoc luxu &c. infecti.* Malim *Hoc luxu &c. infectum*, vti ad ipsum regem referatur. Sic supra 4, 7, 31. *immortalitatem affectantem, contumacius &c. auersati sunt.*

6,6,11. INGRATVM) Sic Arminius Taciti 2, 9, 4. *irridet* in Flauio fratre *vilia seruitutis præmia:* irrisurus quidem haud minus, etiam si maiora frater nominasset. Comparauimus olim hunc Curtii locum cum Floro 4, 2, 92. *grauis erat liberis ipsa beneficiorum potentia &c.* vbi vide: Nobile est symbolum egregii populi:

Non bene libertas vel toto venditur auro.

6,6,12. INTERPELLANDVM) Prolixe Gruterus discurs. in Tacit. cap. 40.

ALEBATVR) Suspecta fuit hæc vox & Sebisio, & mihi: ille rescribebat *habebatur*; ego *dabatur*. nam quod editur, vix est vt defendi possit.

6,6,13. ARTAXERXEM) Quod nomen ante eum & Ochus adsumperat, apud Ctesiam. Consilii rationem aperit Iustin. 10, 3, 5. *Darij nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratus.* Sic apud Diodor. in excerptis belli seruilis, duo mancipia, alter *Antiochum* se vocari iussit, alter *Tryphonem*. Est enim in eare nonnihil momenti, adeo vt Regillianum solius occasione nominis ad imperium euectum legamus in Pollionis XXX. tyrannis, loco nono. Frustra igitur putat vir doctus Hist. Iuliæ Tom. III. pag. 200. quia Artaxerxes adpellari voluerit, Bessi nomen non ipsi proprium, sed dignitatis fuisse, vt hodie Turcis Bassa.

6,6,14. LVXVRIÆ) Illustre exemplum apud Ælian. hist. var. 9, 3. *Perdiccam & Craterum deditos arti pugilandi, sequebantur stadiales magnitudine diphtheræ, quibus amplissimum locum comprehendebant in castrametationibus, vt in eo se exercerent: sequebatur etiam eos multus pulvis per iumenta vectus, qui ad exercitiorum certamina pertinebat. Leonnatum & Menelaum, venandi studio deditos, aulæa centum stadiorum sequebantur. Ipsi vero Alexandro tabernaculum erat centum lectorum spacij capax &c.* Idemque testantur Plutarch. cap. 72. & Phylarchus cum Agatharchide apud Athenæum lib. 12.

CONFERRI IVSSIT) C. Marius inquit Frontinus 4, 1, 7. *recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen onerantur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus & habile onus, & facilis requies esset: vnde & in prouerbium tractum est, Muli Mariani. Philippus etiam pater Alexandri cum primum exercitum constitueret, vehiculorum vsum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam singulos calones habere permisit: peditibus autem denis singules, qui molas & fimes ferrent in æstiua exeuntibus: triginta dierum farinam collo portare imperauit.* Raderus. Alexandræi huius facti meminit & Polyæn. strateg. 4, 3, 10. Sic etiam ante Alexandrum Græci à Xenophonte persuasi: *Plaustra tentoriaque cremarunt. Deinde vasa supernacanea cum indigentibus communicant, cetera in ignem abiiciunt.* Xenoph.

ἀναβάσ. lib. 3. Scipionis imperio ad Numantiam. *Scorta, calones, sarcinæ, nisi ad vsum necessariæ amputantur.* Flor. 2,18,10. Conformiter Alexandri facto Cæsar de bel. ciu. 3, 6. *concionatus apud milites, quoniam prope ad finem laborum ac periculorum esset peruentum, æquo animo mancipia atque impedimenta in Italiæ relinquerent; ipse expeditis naues conscenderent.*

6,6,15. *SVISQVE PRIMVM)* Plutarch. Æmilio cap. XIX. Sic apud Tacit. 1,67,3. Cæcina legatorum tribunorumque equos fortissimo cuique bellatori distribuens, *orsus* legitur *à suis.* quo loco, dante DEO, plura.

6,6,16. *SANGVINIS PRETIVM)* Animæ & corporis apud Tacit. 1,17,4. *denis in diem assibus animam & corpus æstimari.*

6,6,17. *DISCIPLINÆ)* Quæ certe valde laborat in militari otio. Sæpius id nostro tactum grauiter exprimit Buchananus histor. Scot. lib. 5. vbi de Arcturo. *Fractis voluptatibus Britones, cum segnius militiæ munera obirent, nec iidem viderentur, qui tot præliis Saxones fuderant; tantumque per otium luxuriosum viderentur ad temeritatem adiecisse, quantum de seueritate disciplinæ detraxissent, &c.*

6,6,20. *SATRAPEM)* Est & *Satrapia*: quod potius videtur cum verbo *præfecisse*, vt alterum *Satrapen* cum simplici *fecisset.* Acidalius. Ego plane mihi persuadeo fuisse *Satrapem & c. refecisset.* dixit hoc paulo supra 6,6,13. *regioni, quam antea obtinuerat præfecit.* id nunc aptissimo vocabulo *reficere* dixerit. Ita *refecti* Coss. dicuntur, iterum facti.

6,6,24. *QVA RVPES ERAT)* Qua aditus erat ad rupem; vel qua rupes erat, id est, per totam vndique rupem, & omnes eius partes, vt quidem Raderus explicat. Melius Acidalius, *nulla munitione opus, vbi rupes ipsa satis arduum munimentum. Contra potius, qua rupes deerat, illic natura deficiente, manu & arte subuenicndum fuisse. Sed non ita tamen auctor scripsit, cuius hæc à coniectura nostra non arbitraria, sed certa lectio,* qua rupes sederat. *hoc est* vbi leniore fastigio *erat* submissa, *quomodo paulo ante locutus, in ipsa descriptione.* Bongarsio videbatur post vocem *rupes* aliquid deesse.

6,6,26. *INGREDI)* Vir doctus corrigit *ingeri*, & accipit de saxis & lapidibus, aliis, quæ barbari in subeuntes ingerere potuissent, ea remoueri repurgarique iussisse Alexandrum. Sed quis repurgatoribus iis securitatem præbuit, vt barbari illi placati & propitii aspicerent se exarmari, neque telis suis in ipsos illos repurgatores vterentur. Rectum haud dubie est ingredi, vt & Raderus bene sentit, nempe, *qua via patebat, priusquam ad cautes & rupes accederetur, repurgari iubet: excindi syluas, frutera, sentieeta, vt non singuli, sed plures vna simul incedere possent.* Est ergo hic *quicquid* pro *quousque*, vel *quacunque* positum; aut *quæcunque* (loca scil.) ingredi possent. Quo exemplo supra 3,9,6. *quicquid in illis angustiis adiri poterat.* Liuius 8,39,5. *quicquid progrediebantur, magis magisque turbatos hostes cernebant.* qui hoc *quicquid* alibi reddit per *quoad.* 34,47,1. *Boiorum Ligurumque agros populatum esse quoad progredi siluæ paludesque passæ sint.* Iustinus per *quatenus.* 12,10,4. *Quatenus aut terrarum solitudines prodire passæ sunt.* Non ergo est quod Acidalio accedamus defectum hunc locum habenti. Nam ad illud, quod pro argumento adfert, mox num. 33. dici Craterum in obsidione Artacacnæ relictum fuisse, quod ante nullibi sit expressum, iam supra ad 6,1,17. respondimus, multa apud auctores proponi tanquam dicta, quæ intelligenda sint ex consequentibus, dispersis verbis non tradita. De repurgando itinere similiter Liuius 44,4,8. *per inuia transgressus, præmissis qui repurgarent iter, Attalum & Misagenem, cum suæ gentis virumque auxiliaribus, præsidio esse saltum aperientibus iubet.*

6,6,28. *INARVERAT)* Scbisius malebat *inarserat.* Materiem aridam

dam concepisse ignem fortuitum, quo viso Alexander putauerit occasionem expugnandæ rupis sibi dari, atque incendio alimenta suggeri iusserit. Id mihi iam minus, quam olim, displiceat, reputanti multoties factum narrari, vt spontaneo incendio per nimii æstus vaporem siluæ conflagrauerint. nisi mox sequeretur stipitibus cumulatis ignem demum iniectum. Sed hercle modo etiam *igni dari alimenta* iusserat, quod qui potuit, si nullus adhuc ignis fuit excitatus? Atque hoc adnumerari potest diuersis artibus, quibus ad expugnandos hostes in locis inaccessis, duces veteres vsos, ad Flori 3,10,6. i. notauimus.

6,6,30. *IGNIS INIECTVS)* Forte hæc est historia, quam tangit Simocatta 9,7.

6,6,32. *CÆDE)* Minus proprie *cædem* dixerit omnia hæc genera mortis. Scribo, *Varia igitur clade consumpti sunt.* Et id verum mihi sane liquet. Acidalius. Similis hypotyposis est in Marcellin. 17,30.

6,6,33. *ARTACACNAM)* Variant hic impressi codices. In nonnullis est, *Artacanam*; in aliis *Artacacnam*, quam lectionem vt veriorem secuti sumus, [inquit Popma] cuius & Plinius in Commentatione Indiæ lib. VI. cap. XXIII. meminit: tametsi Diodorus 17,78. hanc vrbem eius regionis insignem & situ munitissimam *Choriacanam* vocat, Arrianus 3,5,14. *Ariacoanam*, in qua Regia Areorum erat. Popma. Cod. Constantiensis præfert *Artacrana*, apud Strabonem lib. 11. est *Arctacana. Articaudnam* putant apud Ptolemæum. Raderus. *Artacana* est Marcellino 23,24.

CEDENS) Id postea quoque Agrippæ præceptum fuit; hominis, elogio Vellei 2,79,2. *parendi, sed vni, scientissimi*, apud Dion. lib. 49. *Duo hæc, cum qui suæ ipsius incolumitatis curam gereret obseruare; vt negotio præfectus difficultatem rerum ipse amoliretur* (sic vertit Lipsius Polit. 3,11.) *alterum, vt rei bene gestæ nomen iisdem principibus reseruaret.* Principes enim suspicioni sunt, & præterea bellorum decora non ad alium pertinere debere arbitrantur: *& cetera vtcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse.* Omittimus hic multa & præclara eius rei exempla, vt breuitati consulamus. Ergo prudens eius rei idem Agrippa apud Tacit. Agr. 8,4. *nunquam in suam famam gestis exultauit, ad auctorem & ducem, vt minister, fortunam referebat.* Sic & Ioab ad Dauidem, Samuel. 2,12,28. & Ioseph. 7,7. exemplo, huic Curtiano similimo. Taciti verba mutuatur Puteanus, citatus à Canonherio in Hippocr. Aphorism. *Neque tamen Medicæus in suam famam gestis insultare, ad Moronum velut auctorem & ducem, vt miles ministerque fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando; exuta inuidiam, nec extra gloriam erat.* Idem Germanorum olim mos: principem *defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare.* Tacit. Germ. 14,3. Id nisi fiat à præfectis, maximopere principes indignantur. quem locum cum aliis similibus, cum apud Gruterum discurs. in Tac. 33. referri videam, inde malo lectorem ista petere. nec inutile vel iniucundum fuerit coniungere, quæ eandem in sententiam congessit Chokier Thesaur. Polit. 5,5. Quibus adde Marcellin. 15,15. de Constantio: *semper oderat fortiter facientes, vt quondam Domitianus, superare tamen quacunque arte contraria cupiebat.* Idem de Alexandro supra 6,1,18. dictum fuit. Idque commune principum quamquam vtiq; fœdum, vitium esse, præter exempla Gruteriana testatur idem Ammian. 3,29. vbi de Valentiniano: *Vtque sunt dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimantes, & ad suggillandum contrarios, exturbandosque meliores pronius inclinati, bene vestitos oderat, & eruditos, & opulentos, & nobiles, & fortibus detrahebat, vt solus videretur bonis artibus eminere: quo vitio exarsisse Principem legimus Adrianum.* Id crimen nescio quam ex animo, à Constantio amolitur Iulianus Cæsar Orat. 1. *Illam vero animi affectionem, qua non recordes duntaxat illos, sed nonnullos etiam bonos ac clementes Principes fuisse con-*

ſtat; vt & in amicos commouerentur, & eorum potentiam imminuere cuperent, & quæ digna eorum meritis erant detraherent, quis hoc, inquam, de te affirmare auſus fuerit? Hoc enim Horum illum Perſam ferunt Regis generum ab ſocero eſſe paſſum, cum is apud populum in honore ac pretio illum eſſe iniquo animo pateretur. Et Ageſilaus non obſcure id moleſte tulit, quod Lyſandro ſummus ab Aſiaticis honor haberetur. Crudeliſſimum autem eſt exemplum Artaxerxis, qui cum ab omnibus credi vellet, Cyrum ſua manu fuiſſe proſtratum, necis eius auctorem Mithridatem, qui id ſtulte iactauerat, immaniſſimo omnium ſupplicio affecit, quod deſcribit Plut. in vita cap. 23. Ceterum vt iſtud quod diximus bene conuenit miniſtrorum modeſtiæ; ſic Principi cauendum; ne dum vanæ interdum gloriæ nimis inhiat, opportunitas rerum gerendarum elabatur. Quomodo ſub initium huius ſæculi factum ferunt in obſidione Hungaricæ vrbis inter primarias, vt nimirum dum expectatur Archidux, captantem eius vrbis receptæ titulum ſugerit occaſio victoriæ.

6,6,34. *AVCTOREM)* Egregium exemplum eſt apud Plutarch. Apophth. Rom. c. 34. Pompeius *cum Mamerinos vniuerſos conſtituiſſet necare, quod ſtetiſſent ab aduerſariis, Sthenis iniuſte Pompeium agere dixit, qui ob vnum ſontem, multos innocentes occidere vellet. ſe ſolum in culpa eſſe, qui amicis perſuaſiſſet, inimicoſque vi adegiſſet ad factionem Marianam.* quo dicto ſibi & ciuitati veniam impetrauit. Confer Liu. 24, 47, 4. de Arpinis & quæ notaui ad Surii Comment. An. MDII. Vide omnino caput XIX. diſcurſ. Gruteri in Tacitum. vbi prolixe oſtenditur, æquum eſſe vt ſuos auctores pœna teneat.

6,6,35. *AB HAC VRBE)* Diu me & acriter hic locus torſit: neque dum inueni, in quo penitus acquieſcam. Primum offendebar, quod ait *peregrinus miles*, & mox, *gentis eiuſdem.* Cur gentem ipſam non nominauit? [forte ex verbis iſtis, *ex Lydia*, coniicias eam gentem intelligi] Offendebar & ibidem hoc quod cum *miles* dixiſſet, *equites* ſubiungit. An equites ergo non ſub nomine militum? ſunt vero: ſed noſter etiam alias equitem à milite diſcernit, vt hunc de pedite magis capiat. Ita 5, 1, 41. 6, 6, 7. & 9. 6, 8, 18. 10, 9, 12. Hoc igitur planum: alterum de nomine gentis omiſſo, leue. Sed illis quid faciemus? *Theſſali equites centum & triginta cum Philippo erant.* Quid enim ſibi volunt? ſcimus equitibus Theſſalis præpoſitum Philippum. E multis id locis conſtat, ex iſto 4, 13, 29. maxime: *Hos Theſſali equites claudebant Philippo duce.* Quid autem hoc ad milites nouos, qui nunc primum aduenîſſe memorantur? An is ſenſus in hoc loco, Philippum è Theſſalia recentes hos centum & triginta adduxiſſe? ſic videtur. At inquit, *Erant cum Philippo:* nec mentio vſquam, ſi memini ſatis, ab Alexandro Philippum digreſſum. Ita verba magis hoc innuerint, ex omni Theſſali equitatus numero centum & triginta iam ſaltem Philippo ſuperſuiſſe: reliquos ſcilicet variis ſuperioribus prœliis abſumptos. At quid hoc dici attinebat iſto loco? Importune inſerat enumerationi ſupplementi, niſi aliud præterea addat. Quod ſi is ſenſus, addidiſſe profecto mihi aliquid videtur, & videor id ipſum hic videre, ſed diuulſum à prioribus & traiectum. Liceat enim conjicere, in hanc ſententiam ſic illa cohæſiſſe: *Theſſali equites centum &c. erant: CCC equites* (poſſis & debeas *equites* hic omittere) *gentis eiuſdem ſequebantur.* Id enim nunc dicat: Equitatum Theſſalum, qui cum Philippo, ad centum & triginta recidiſſe: his in ſubſidium & ſupplementum veniſſe nouos Theſſalos trecentos. ſed hæreo adhuc ego de interpretatione verborum priorum: quorum ſi iſta vera; de traductione recte. Quo firmem, non habeo, & facilius inuenerit alius, quo infirmet. Si tamen aliquid in re; quæ traduximus & coniunximus, iis vel præponi vel poſtponi debebunt interiecta adhuc iſta: *Ex Lydia duo millia & DC. peregrinus miles aduenerant.* Rogo conſiderent alii

alii diligentius, & vel hæſitantem me confirment ſine mea laude, vel refellant errantem ſine mea fraude. Acidalius. Cuius notam quamuis haud approbarem, tamen inſerui, quia in loco ſane obſcuro, nihil occurrebat aptius, & dignæ videbantur Viri ſane Docti dubitationes, quibus animum alii aduerterent. Poſtea vero incidi in locum Arriani, ex quo fere decidi poſſint. Eſt autem 3, 5, 13. *Alexander omnes iam copias coniunctas habens in Bactra mouet. Eo loci Philippus etiam Menelai filius ad eum ex Media venit, equites mercenarios habens, quibus ipſe præerat, & Theſſalos, qui voluntarii remanſerant, ac peregrinos Andromacho duce.* Sic igitur ſe res habet. *Ab hac vrbe degreſſo*, non tamen iam capta, ſed in prima profectione cuius ſupra 6, 6, 25. meminit (ſic enim proxime concilietur Arriano) occurrerunt noui milites. Horum præfecti videntur fuiſſe Zoilus, cuius apud Curtium; & Andromachus, cuius apud Arrianum mentio: Philippus autem ſummæ copiarum iſtarum præpoſitus. Cum hoc igitur *erant*, ait Curtius, hoc eſt, explicante Arriano, *remanſerant* CXXX. Theſſali, qui ſponte hæſerant apud Philippum: quo tempore *Alexander vbi in Ecbatana venit, Theſſalos equites aliosque ſocios in maritimam oram remiſit, ac præter integrum ſtipendium duo millia talentum militibus donauit. Quicumque autem illorum priuatim* (ſiue viritim potius) *ſtipendia meveri vellens conſcribi iuſſit. neque pauci nomen dederunt.* Arrian. 3, 4, 13. Tangit & Curtius 6, 2, 17. Hi igitur, quia denuo nomen dederunt, ſacramento iam ſoluti, nouos inter milites à Curtio recenſentur. Et quia illi Ecbatanis dimiſſi, ideo poſteriore loco addit Arrianus Philippum ad Alexandrum veniſſe *ex Media.* Peregrini autem militis ducem Andromachum fuiſſe, ex Curtii atque Arriani comparatione colligi poteſt.

6, 7, 1. *NON TERRITVS MODO)* Vulgo, *non tutus modo*, ſed ſtatim ſe prodit eius lectionis tepor, quamquam Aldi iudicio bonæ: ideo mutarunt varie. Acidal. inuertit ordinem *non inuictus modo, ſed tutus*, quod quidem meliorem paulo ſenſum habet, atque à Radero receptum eſt. Idem Acidal. ex vet. lectione *non interritus modo*, cum recenti coniuncta, exeudere tentat *intentatus.* Sed hoc à ſcriptura longe abit, & longius adhuc à bono ſenſu. Non enim *intentatus* externa vi fuit, vnde enim tot prœlia, vulnera, pericula? deinde ridicule hæc opponuntur *intentatus & inuictus.* Quidam Mss. habere dicuntur, *non territus modo.* Sed vera lectio eſt *non interritus modo.* Alexandrum nulla vis externa terruit, nec hoc ſolum, ſed etiam vbi ingruiſſet, non vicit. Idem iam petitur domeſticis inſidiis, & quod hoſtes non potuerunt, amici moliuntur. Ita iuſta verba ſenſus, & iuſtum ordinem verba conſequuntur. Nam *interritum* eſſe, minus eſt, quantum ad hunc locum attinet, quam *inuictum.* Multos enim vis hoſtilis etſi non terruit, obruit tamen & oppreſſit. At hunc, quem tantum extulerat animi magnitudo, vt periculum omne deſpiceret, tantum fortuna, vt nulla vi ſuperaretur, inteſtinum facinus petit. Inducta eſt hæc comparatio ad duplicem finem. vt videamus nihil in humanis rebus tutum eſſe, &, vt huc trahere liceat verba Liuii 30, 44, 6. *qui foris hoſtem non habet, domi inuenire:* deinde vt ipſa facinoris magnitudo obiiciatur animis, ex præſtantia viri, contra quem admittebatur. Atque hæc pro ſtabilienda vera lectione neceſſario prolixius dicenda fuerunt. Similis illa periodus Ammiani 29, 1. f. de Valentiniano: *ſecurus interim hoſtium externorum, inteſtinis pœne perierat fraudibus.*

6, 7, 2. *VICTVS)* Melius cum membranis Modianis, *vinctus.* Nam ea metaphora frequens in amoribus. Sic apud Tacit. 4, 10, 2. *corrupta ad ſcelus Liuia, Seianum Lygdi quoque ſpadonis animum ſtupro vinxiſſe.* Ouidius:

Ipſe ego prada recens factum modo vulnus habebo,
Et noua captiua vincula mente feram.

6, 7, 3. *PRÆSENTES DEOS)* Nicomachus ratus nihil dicturum, quod

quod cum periurio, seu violato etiam iurisiurandi sacramento esset aperiendum, iurat per *præsentes deos*, qui in illo templo, ad quod deductus erat, colebantur. Non est assecutus vim verborum Glareanus, quod ingenue fatetur. Ferebat ita veterum consuetudo Macedonum, vti ducti ad templum tactis altaribus & simulacris iurarent, quod erat per præsentes deos iurare. Iustinus 24, 2, 8. *Quo perducto in sanctissimum Iouis templum veterrimæ Macedonum religionis, Ptolemæus sumptis in manus altaribus contingens ipsa simulacra & puluinaria deorum inauditis vltimisque execrationibus adiurat, se sincera fide matrimonium sororis petere.* Videtur & Ouidius de Trist. 2, 53. ad formulam per præsentes deos iurandi alludere, quamuis Augustum alloquatur:

Per mare, per terras, per tertia numina iuro,
Per te præsentem conspicuumque deum. Raderus.

6,7,4. *PIGNORA VTRIVSQVE ANIMI)* Vir Doctus Aduersf. 27, 15. suspicatur leg. *pign. vnius vtriusque an.* cui non accedo. Simplicius est explicare de beneuolentia, vtriusque mutuis officiis testata. sic mox n. 9. vt hoc loco *pignora animi* vocat, *beneuolentiæ pignus* dixit. Altera eius coniectura probabilior, quo mox pro *commisisset*, malebat *commissa essent*. Sed tamen vulgatum rectum est: & eiusmodi temporum enallage alibi quoque in his libris defenditur.

6,7,7. *IN PARRICIDIO)* Non venustius tantum, sed & rectius sit, *in parricidium*, quomodo volo prorsus emendari. Acidalius. Cuius iudicium sequutus est Raderus: Facerem, si aut librorum auctoritas adstipularetur; aut illud vulgatum plane non subsisteret.

NEC VLLA RELIGIONE) Iureiurando neminem ad scelus obligari passim Theologi & ICti, præsertim Canonum interpretes, prolixe docent. Seneca Herc. Oet. v. 480.

Præstare, fateor, posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides.

Grauiter C. Claudius apud Dionys. 9, 13. *Quod si vos clandestino fœdere obstrinxistis, fideique mutuæ deos testes ac vindices adhibuistis (forsitan enim & tale quidpiam à vobis factum est) cogitate fœdus illud, si seruetur, impium esse, vt contra patriam ac ciues initum: si vero violetur, pium. dij enim ad honesta & iusta non ad turpia & iniusta pacta adhiberi amant.* De *Confessionis sigillo*, quod vocant, prolixe Tortura Torti, vbi citatur *illa Garnetti vox* pag. 294. *Vltro fateor, Leges, quæ celare hæc (insidias in principem) prohibent, apprime esse iustas & salutares. Neque enim æquum est vt Principis salus ab alterius conscientia pendere debeat.* Adde Casaub. epist. ad Frontonem Ducæum pag. 112. edit. Francof. & Iacobum Regem Angliæ in Apologia pro iuramento fidelitatis, pag. 190. & seq.

6,7,9. *SVSTINERE NON POSSET)* Quis Curtii gnarus dubitet eum scripsisse, *si id non sustineret*, & deinde glossam fuisse adpositam *non posset: Si id non sustineret, non posset.* Vnde homines ingeniosi videntes, id non subsistere, fabricauerunt hanc lectionem, quæ iam editiones obsidet.

6,7,13. *NAMQVE)* Optime hæc vox connectit sequentia superioribus: de cuius elegantia alibi quoque egimus. Respondet enim tacitæ obiectioni, aut dubitationi, & explicat quo consilio silentium & operam spoponderit ille, quem toto animo ab eo scelere abhorruisse dixerat. Nihil ergo deest ante istam particulam, quod putauerat Aduersariorum scriptor.

6,7,15. *FORTISSIMIS)* Valde blanditur illud Mss. *fortissimus*, vt ad exoletum referas, quem ille male-sanus amator gaudio promissæ operæ sic extollat. Rectius tamen ad coniuratos refertur, quos ita commendat, vt ampliorem homini faciat animum. & tamen priori coniecturæ egregie fauet Plutarch. de amici & adulat. discrimine, cap. XXIII. ὡς πᾶ καὶ Πλάτων φησὶ, τ ἑρασὴν κόλακα τῶν ἐρωμένων ἥττω &c.

DIOXENVM) Sic exserte Pal. 2. & reliqui eodem alludunt; Editi corrupte *Dioscemum*, aut *Diogenum*.

6,7,16. *CEBALINO)* Sic edidi cum Mss. non, vt editi, *Ceballino*. Iuuat Plutarch. cap. 87. & Diod. 17, 79. quorum illi est Βάλιν⊙; huic Κιβάλιν⊙, vnica *l*.

6,7,17. *EX PRIMA COHORTE)* *Nam plures fuisse amicorum cohortes, & quasi gradus*, aliis scriptorum exemplis docet Lipsius ad illa Taciti 6, 9, 2. *quem Druso fratri percarum, in cohortem suam transtulerat.* quem vide. Eundem morem Eusebium de vita Constant. 4, 1. f. respexisse his verbis: *Comitum alios in primo ordine collocauit, alios in secundo, alios item in tertio*, probat Salmasius ad Pollionis Macrinam, in fine. De eodem Sueton. Tib. cap. 46. *tribus classibus factis pro dignitate cuiusque, primæ sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non* amicorum, *sed* Græcorum *appellabat.* Vbi vide an rectius sit scrib. *sexcena, quadringena, ducena.* Eius gradus amicos τὲς μισίτας φίλες vocat. Plutarch. Alex. cap. 83. Ab his ergo cohortibus nomen diu post inuenerunt *cohortalini*, de quibus tit. Cod. lib. XII. quod scilicet in præsidum cohortibus ministrarent. Est enim ea rerum humanarum mutabilitas, vt & nomina summis rerum hominumve tributa, tractu temporis sensim deuoluantur ad infimos. Nam vt quisque propior cuidam dignitati sibi videtur, ita nomen eius affectat: & cum hoc à multis fit, tanquam sede sua emotum vsque transferturad viliores. dum ii qui primi id gesserant, cernentes, fraudi sibi esse, si, quos ordine antistent, ab iis nomine non distinguantur; noua subinde vocabula excogitant: donec omnibus exhaustis tandem redeatur in orbem. Atque idem in vestitu animaduertas: vt illustrium pompam imitentur nobiles, horum plebeii ciues: donec illi abstineant profanato & vulgato iam cultu, aliumque inceptent idem mox passurum.

6,7,22. *METRON)* Raderus cum Acidalio legit; *Metroni*, cum & in Constant. MS. legatur *Metron ei.* Idque præferam vulgato *Metron erat nomen ei.* in quo nulla Curtianæ venustatis in oratione disponenda vestigia. Ita bis hoc ipso cap. *Nicomacho erat nomen: Ceballino erat nomen.*

6,7,27. *DECVRRISSE)* Bong. malebat *detulisse*. sic mox num. 31.

6,7,28. *ITEM)* Forsan *iterum*. Acidalius. Quem sequutus Raderus sic expressit. Sed certe fuit *item item*, hoc est *idemidem*, vt nunc malunt scribere. Sæpius enim quæsiit, vt solet vbi obiicitur animo res inopinata, & minime exspectata. *identidem* est subinde repetitis vicibus. sic infra 6, 9, 24. *Soletis identidem à me petere.* Firmat emendationem & quod sequitur: *perseuerante eo affirmare*, quod arguit non semel interrogatum fuisse.

CARISSIMO) Vt patet ex Plutarcho cap. 16. & 19.

6,7,33. *VVLTV)* Alias enim, vt ait Seneca Controu. 2, 13. *Magna consilia non bene vultus tegit.* Vide supra ad 3, 6, 9. & parallela.

LEVI AVCTORI) Sane futilis hæc excusatio quæ & infra 6, 8, 10. &c. solide confutatur. non enim Philotæ conueniebat ponderare auctoritatem indicis, sed regis, ad quem illum audita detulisse oportuit. Nam leuibus momentis summa verti constat, & *vel vnius insidiis patere regem.* Ergo Claudio apud Suet. 37, 1. *Nulla adeo suspicio, nullus auctor tam leuis exstitit, à quo non mediocri scrupulo inicto ad cauendum (hactenus bene) vlciscendumque compelleretur.* Hæc igitur ad Principem deferenda, cuius prudentiæ est dispicere, quam similitudinem veri habeat indicium. Qua in re lau-

dabilis est Iuliani prudentia, apud Marcellin. 22, 23. A quo delator eiusmodi, qui municipem quendam rerum nouarum apud Imp. arguebat; *iussus est vt vilis, ardua rei vilem incusans, abire tacitus & innoxius.* Vide mox ad 6, 8, 10.

6, 7, 34. *NON IVSSE RETICENDA: COMPLEXVSQVE REGEM)* Valde hic festinantur omnia, defensio, obiectorum remotio, preces, complexus etiam, atque interim nullae Alexandri partes. Ego nihil video quod mutare sententiam cogat, qua olim ante verba, *cum Dymnus*, aliquid intercidisse credidi. Nam quomodocunque interpreteris, non sane cohaeret oratio, & omnino non omisit Curtius interserere verba regis. Deinde quid hoc, quod nulla dum impetrata venia in amplexus regis ruit, itane solent supplices, quibus laesae maiestatis crimen intenditur? Si genua complecti fecisset, scirem quid diceret. At hoc quod dicit valde dubito, an licuerit etiam *carissimo quondam amicorum.* Ipse quidem infra 6, 10, 11. non regem se amplexum dicit, sed *dextram* eius. Sane pro Tiridate magni regis fratre, rege ipso, anxie pacisecebantur Parthi apud Tacit. 15, 31, 1. *ne complexu prouincias obtinentium arcerentur.* Seuerus, teste Spartiano cap. 2. *quum eum quidam municipum suorum Leptitanus, praecedentibus fascibus, vt antiquum contubernalem, ipse plebeius, amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem praeconis cecidit; Legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli.* Tanti amplexus praetidum aestimabatur, erga prouinciales: immo erga regem exterum. Idne temere licuisset subdito aduersus suum regem, eumque Alexandrum, supra mortale fastigium se efferentem, nec iam Philippi, sed Hammonis filium? Egofane (quando haec studia ad vitae communis vsum produci possunt & debent) valde pro *scholastico* facturum putem, qui in eiusmodi periculo Curtianum hunc Philotam imitaretur, quantacunque etiam prius gratia floruisset. Ergo geminas hic lacunas intercedere suspicor, alteram ante *cum Dymnus*; alteram ante *complexusque.*

6, 7, 35. *VIDERI SIBI)* Si tollas illud *sibi*, ex vulgari vsu vocem *videri* transfers ad forensem, quo & vsus Curtius tam hic, quam infra 6, 11, 34. *satis quaesitum videri. Videri* enim iudicis vox est, caussa cognita pronunciantis. Clarum id ex Cicer. Academ. quaest. 2, 47. vbi *quae iurati iudices cognouissent, vt ea non esse facta, sed vt* videri *pronunciarent*, à maioribus institutum ait. Sic apud Festum; *parum causisse* videri *pronunciat magistratus, cum de consilij sententia capitis quem condemnaturus est.* Sic intelligendus Cassius apud Tacit. 14, 43, 4. *Pronunciemus vltro, dominum iure caesum videri.* l. 4. C. ad l. Corn. de Sicar. *cum qui inferendae caedis voluntate praeesserat, iure caesus videri.* Plin. 14, 13. *Cn. Domitius iudex pronunciauit, mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis caussa.* Vide omnino Cuiac. obseru. 3, 26. Polletum in histor. Fori Rom. 5, 15. & Sauaron. ad Sidon. Epist. 3, 12.

6, 8, 2. *IN PAVCIS)* Adeo vt aequipararet eum Hephaestioni, quem quantum dilexerit, satis ostendit Curtius infra 10, 4, 11. hunc φιλαλέξανδρον, *Alexandri amantem*, Craterum φιλοβασιλέα *regis amantem* appellans. Plutarch. c. 83. Diodor. 17, 114.

6, 8, 3. *IACTATIONE VIRTVTIS)* Qua nulla res penitius incendit principum animos, qui nullo modo pati possint, se à subditis magno beneficio obligatos videri. Idem attulit perniciem Silio: de quo Tacit. 4, 18, 2. *Credebant plerique auctam offensorem (Tiberii,) ipsius intemperantia, immodice iactantis, fuisse militem in obsequio durauisse, cum alij ad seditionem prolaberentur*, & quae ibi sequuntur notatu dignissima. De Philotae iactantia etiam apud Plutarch. cap. 86. cum apud Damascum recepta esset praeda. quo tamen loco Plut. fugit ratio, eodem tempore illud, atque hoc, de quo nunc agimus, accidisse. Porro quantum ea res damni adferat ministris regum, exemplis multis ostendit Gruter. cap. 33. discurs. in Tacitum. Cui iunge istud ex Ioscpho 19, 7. de Sila: *in familiaribus colloquiis molestus erat regi Agrippae interdum extollens*

se immodice, & saepe prioris fortunae aduersitates in memoriam reuocans, vt ostentaret, quam studiosus ipsius cultor fuerit, nunquam non taberes in eius gratiam exhaustos memorans &c.

6, 8, 4. *PREMENDI INIMICI)* Nota artes aulicas. quarum vtinam exempla tanta multitudine non extarent. *Id consilium atrocius* merito vocat l. fin. C. de malef. & mathem. *proprium inimicum sub huiusmodi vindictae nomine conficere.*

6, 8, 5. *QVANTVM)* Salutem, famam, dignitatem, quae omnia incolumia praestitisset rex ignoranti, si compertam sibi coniurationem dissimulasset.

DE PERICVLO SVO) Plutarch. Artoxerxe cap. 3. de fratre eius Cyro: *Non acquiescens illa in prouincia, neque indulgentiae memor fraternae* (nam insidianti pepercerat) *sed vinculorum, ira consultrice acrius quam ante ad regnum gestiuit.* Scilicet *ingrata res est malitia nacta veniam*, vt ait Appianus in Mithridat. de Pharnace, qui obtenta à patre venia, tamen eum ad necem adegit. Sic enim intelligendum, quod ibi legitur: *Ac ne insidiae quidem eum fefellerunt, nisi nouissimae: tum quoque vltro circumuentus periit.* Sensu auctoris non satis expresso. qui hic est: *Ac ne insidiae quidem eum fefellerunt, ne nouissimae quidem: sed sponte auctorem earum venia prosecutus, per eas periit.* ἑκὼν τούτης ὑπερεῖδών, quae vox posita videtur eodem significatu, qua nostras **vberſehen** pro ignoscere. Hoc enim ab eo factum, paulo ante narrauerat, & seq. postulant. statim enim subiicitur ea gnome, *ingrata res, malitia nacta veniam.* Ergo infra 7, 2, 8. simili fere sensu Amyntam & fratres compellat Alexander: *Vos autem iuuenes malo beneficij mei obliuisci, quam periculi vestri meminisse.* Ergo & Celsum Galbae fidum, Otho statim inter intimos amicos accepit, *non quasi ignoseret* vt ait Tacit. H. 1, 71, 3. Plutarch. etiam Othone c. 1. Sensu eodem quo Curtius, iussisse scribit, vt *caussae potius obliuiscerentur, quam veniae meminisset.*

6, 8, 7. *PARMENIO)* Arrian. 3, 5, 21. scribit, propter eum metum maxime interfectum mox fuisse Parmenionem.

6, 8, 8. *BENEFICIA ODIMVS)* Quod fit praesertim in magnis beneficiis, & quae grauant capientem. Tacit. 4, 18, 3. *Beneficia eo vsque laeta sunt, dum videntur exsolui posse: vbi multum antenenere, pro gratia odium redditur.* De iisdem Curtius &c. Lipsius ad ista Senecae de benef. 2, 24, 1. *Tutius est quosdam offendere, quam demeruisse, argumentum nihil debentium, odio quaerunt.* Interdum etiam *grauis est ipsa beneficiarum potentia*, vt ait Florus 4, 2, 92. Euenit ergo quandoque, *vt quosdam habeamus infestissimos, non post beneficia tantum, sed propter beneficia.* Seneca de benef. 3, 1, 1. Hoc sensu Sen. Tragoedus, Medea versu 504.

Ingrata vitae est, cuius acceptae pudet. & Oedipo 701.

\- - *quisquis in culpa fuit Dimissus odit* - -

quae verba huc non absurde trahas, licet illic alio sensu posita. Vide & 19. epist. Senecae, in fine.

6, 8, 9. *HOSTIBVS)* Illud hostibus futilis glossa est librarii, qui *domesticos* non omnes hic censeri putabat; recte quidem, si acumen in repetitione ex superiori eadem voce petendum animaduertere potuisset. C. Barthius Aduersar. 27, 15.

6, 8, 10. *SVPPRESSVRVS)* Rectissima praesumptio, quamquam (vt sunt res hominum) non vbique certa. Reperitur enim, qui nullo malo consilio pressit, sed vt diligentius rem exploraret, quod de Marcello scribit Procopius lib. 3. Gotthic. in coniuratione contra Iustinianum. Sed ibi omnia cum fide prudenter acta, simile nihil habent cum Philotae negotio, cuius summa defensio est, se non credidisse tam leui auctori. Cur enim ab ipsius incredulitate cum summa negligentia coniuncta (vt iam

abfuiſſe dolum largiamur) incolumitas regis pendeat? Certe legi Iuliæ olim æquum viſum eſt, in adulterio vxoris diſſimulato *puniendum eſſe maritum, cum excuſare ignorantiam ſuam non poſſit, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis*, vt eſt in l.29. de adult. Hoc in priuato crimine, ſi cum Maieſtate compares, cuius incolumitati totius reip. ſalus innititur. Nullo igitur modo excuſandus eſt Philotas, aut pro inſonte habendus. Iurisconſultorum aliqui nulla diſtinctione omnes, qui inſidias in principem reticeant, eadem pœna afficiendos putant, qua ſceleris complices; *quando maleficium committitur in perſonam, cuius poteſtati debet eſſe ſubiectus* ille qui reſciuit de facinore. Bartol. in l. vtrum ad L. Pompei. Cuius animam licet Baldus in l. 31. depoſ. ea cauſſa in inferno torqueri autumet; certum tamen eſt, vix eſſe, vt cui tali in caſu penitus ignoſci debeat. Sane pro diuerſitate circumſtantiarum alii atque alii grauius puniendi ſunt. Merito igitur iure Impp. in l. Quisquis §. penult. C. ad L. Iul. mai. eandem pœnam interminati ſunt *conſciis*; vt viciſſim indicibus impunitatem & præmia. Inter Cæſaris interfectores etiam conſcii proſcripti ſunt, vt ſcimus ex Dione 46, 8, 9. & Appiano, itemque Suetonio Ner. cap. III.

6,8,11. *NVNCIASSET*) Sola interpunctione lucem reddimus loco parum alias intellecto. Comparationem enim odioſam inſtituit inter quemuis ex vulgo, & Philotam ea nobilitate, ea apud regem gratia, tot præmiis auctum, tot honoribus: vt appareat grauiſſimum eſſe delictum, quod tam multiplici nexu regi deuinctus, quæ ad caput illius pertinebant, texiſſet: cum alii omnes quamquam longe minori vinculo adſtricti, pro nefario ſcelere id habituri fuiſſent. *Ne Cebalini quidem exemplo*, (ſic enim cum Mss. legendum) motum fuiſſe Parmenionis filium. nam hæc ita cohærent. *fuiſſe curſurum? Ne Ceb. quidem ex. qui ex fr. comp. i. nunciaſſet, Parm. fil. Pr. equ. o. a. regis arbitrum? ſimulaſſe etiam &c.* Confer Tacit. 1, 42, 5.

6,8,15. *QVÆSTIONEM*) *Socij criminis an & quibus caſibus de conſciis, & participibus interrogari poſſint, & quo pacto fieri huiuſmodi interrogationes debeant*, eleganter & docte tractat Ian. Langlæus ſemeſtr. 9, 1.

6,8,16. *INVITATVS*) Ne quicquam de mutato regis animo ſuſpicaretur. Domitianus *Actorem ſummarum* pridie quam in crucem ageret, ſibi familiariter in toro aſſidere iuſſit, partibus etiam eum de cœna dignatus, ſecurumque & hilarem dimiſit. Eadem benevolentiæ ſigna erga Aretinum Clementem indemnatum exhibuit. Sueton. c. 11. vt & Mithridates tetrarchas Galatiæ vno conuiuio omnes trucidauit, præter tres qui effugerunt, vt eſt apud Appianum in Mithridaticis. Abſalomus ſanctiſſimi regis degener & impius filius per ſpeciem conuiuii Ammonem fratrem interemit. In plura paſſim hoc genus exempla diſſimulatæ crudelitatis & ſimulatæ amicitiæ apud ſcriptores incides. Raderus. Sic Ochus *Septum altis parietibus locum cinere compleuit, ſuppoſitoque tigno prominente, benigne cibo & potione exceptos in eo collocabat; è quo ſomno ſopiti, in illam inſidioſam congeriem decidebant*: Val. Max. 9, 2, 6. ext. vbi obiter moneo, deceptum nominis ſimilitudine Dario Hyſtaſpis & ſeptem Perſis adſcripſiſſe, quæ ad ſecundum Darium pertinebant. Hoc enim clariſſimum eſt. nam neque ille Darius, qui Magos ſuſtulit, Ochus antea vocatus eſt, neque etiam coniuratos ita peremiſſe legitur. At Ochus qui Darius appellatus eſt, vel vt Cteſias ſcribit, Darиæus, qui aliis *Nothus*, non quidem ſeptem Perſas, quippe diu ante defunctos; ſed alios viros claros in cineres coniecisse legitur, in excerpt. Perſ. Cteſiæ capp. 47. 50. & 51. De eo Ouidius in Ibin. verſ. 315.

Vtque necatorum Dariei fraude ſecundi,
Sic tua ſuccenſus deuoret oſſa cinis.

In Domitianum vibrantur illa Plinii paneg. 66, 3. *Quod tam infidum mare, quam blanditiæ*

ditiæ Principum illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, vt facilius (an cum Lipſio felicius?) eſſet iratos quam propitios habere. Apud Spartian. cap. 3. Caracallus *eos, quos occidere parabat, affabiliter eſt alloquutus.* Sic *quum à Cambyſe frater* (Tanyaxares) *eſſet accerſitus, venit: ipſumque frater amplexatus eſt, quum nihilominus de illo interficiendo cogitaret.* Excerpta ex Cteſiæ Perſ. cap. 10. Tiberius tollere conſtituens *Libonem, ornat prætura, conuictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, adeo iram condiderat.* Tacit. 2, 28, 3. Idem Aſinium ſic adortus eſt. *Quum enim is legatus ad Tiberium veniſſet; conuiuio acceptus, comiterque habitus eſt: literæque ad ſenatum ſimul à Tiberio miſſæ, quibus eum accuſabat. ita res inexpectata ac inuſitata Gallo accidit, vt eadem die Tiberij conuiua eſſet, cum eoque amice compotaret, & in ſenatu damnaretur: miſſo etiam ad hoc præſore, qui eum vinctum ad ſupplicium duceret.* Dio lib. 58. In Bironi caſu, quem facunde exſequitur Thuanus lib. 128. multa ſunt, quæ cum tota huius Philotæ cauſa comparare precium ſit operæ. Adde Fabricii orig. Saxon. pag. 197. lib. II. de Othone II. Imp. & de Sigiſm. Battoreo ZWingeri theatr. pag. 3465.

6,8,18. *ADITVS*) Idem alia de cauſſa fecit Fridericus, nimirum ad prohibendos eos, qui Romanum Pontif. appellauerant. cuius hæc apud Gunther. Ligurin. 6, 547. querela:

Neue quis ad noſtram toto de corpore regni
Audeat vlla ſui deferre negotia ſedem:
Obſeruare aditus, anguſtaque clauſtra viarum
Dicitur, & medium, poſitis cuſtodibus, Alpem.

Propius ad Curtium eſt, quod Impp. Romani non patiebantur viros illuſtres ſine commeatu peregre proficiſci. Vnde & apud Tacit. 6, 14, 2. Fabatus, ad Parthos abire voluiſſe inſimulatus, vitæ diſcrimen adiit.

6,8,19. *SINGVLOS DENI*) Primo electi fuerant decem quibus maxime fidebatur, ii deinde iubebantur ſinguli denos alios ex amicis notiſque ſuis adſciſcere. Hoc & alibi factum, fictumue. Nam & Xenophon in Cyropæd. pag. 23. A. & Liuius 10, 38, 12. Sueronius Othone cap. V. & alii ſimilia exempla habent, quod ſatis ſcio. Eſt *is mos militaris, quo vir virum legit*, de quo Tacit. H. 1, 18, 2. Liu. 9, 39, 6. Cic. pro Milone cap. XXI.

6,8,22. *CAPITE VELATO*) Non ex more quodam, ſed ne agnitus nondum comperta cauſſa cur comprehenſus eſſet, vulgi ceterorumque conſternationem concitaret; vel etiam iniuriam ſuam querens, quod fecit apud Liu. 23, 10, 7. Decius Magius: & alius apud Tacit. Annal. V. Ad prius ſpectant exempla Læti Præf. Prætorio, apud Capitolin. Pertin. cap. XI. Antonii, apud Plut. cap. XV. Scipionis, apud eundem Apophth. Rom. cap. XXIII. & nebulonis cuiusdam apud Diodor. in fin. Excerpt. Valeſ. Æſchinis apud Plutarch. in Vitis X. Oratorum 8, 5. & neſcio cuius apud Apulei. in Edit. Beroaldi pag. 358. f. diuerſas cauſas habuerunt. Inter ſacra caput velari conſueſſe liquet ex noſtro 4, 13, 15. & Torrentio in Sueton. Vitell. 2, 13.

6,8,23. *SEX MILLIA*) Quid ita? ſex millia tantum habuit ſub ſignis Alexander, cum paulo ante 6, 6, 35. plures ſex millibus in ſupplementum Zoilo duce acceperit? Codices nonnulli, quod deterius eſt, tantum quinque millia numerant, & quidem Mss. ſed nullum vt reor, mendum in numero, nullus error in ſcriptura, ſi recte attendas. Nam quamuis præceperit rex, vt omnes armati conuenirent, intelligendi ſunt tamen Macedones potiſſimum, quorum iudicio ſtabant rei, lege enim Macedonica iudicati ſunt, non aliorum Græcorum, nec peregrinorum militum, aut mercede conductorum. Interfuere tamen alii præſertim ex ducibus, non Macedones, vt infra 6, 9, 35. ipſe Philotas teſtatur. Rex ipſe Macedones iudicaturos affir-

mat infra 6, 9, 34. eoque rogat Philotam, qua lingua vti velit in dicenda cauſſa. Raderus.

6, 8, 25. *IN PACE ERAT VVLGI)* Mirum interpretamentum horum verborum eſt in Radero: Apud Macedones rex ipſe populum ſeu exercitum foris, plebem domi conſulere debebat, in cuius pace, auctoritate, poteſtate reus erat, donec iuberet reum viuere vel mori. At ego ſic capiebam, quaſi dixiſſet, *Id in pace erat vulgi*: quam tamen vocalem pro more ſuo omiſit. *Id*, ea res, nimirum vt iudicaret in capitali cauſſa. *in pace* dixit; hoc eſt tempore pacis, vulgi id erat. Exemplum eius moris apud Probum Eumene; *Hic, qui deſeruerant, exercitus ſuffragium ferente, capitis abſentes damnantur, in his Eumenes.* Idem & Diodor. 18, 37. narrat. Vide inſignem locum Polybii 5, 27. vbi de Leontio.

NISI PRIVS) Bona hæc lectio & vera, quam nuper explicauimus in Indice Floriano, vocab. *Auctoritas*. Vbi Florus plebem *auctoritate* Menenii reuocatam ſcripſit; hoc eſt, perſuaſione viri grauis & prudentis reductam. Sic apud Cicer. offic. 3, 27. de Regulo, qui captiuos negabat reddi debere; *Cuius cum valuiſſet auctoritas:* hoc eſt, cum perſuaſiſſet patribus ita faciundum. Huius igitur loci ſenſus hic eſt: Rex pro poteſtate necem reo inferre non poterat, niſi prius populo approbaſſet ſententiam. Sic apud Sulpic. Seuer. lib. 2. hiſt. ſacr. hæc opponuntur: poteſtate *regis vſuri*, *vbi* auctoritate *ſua parum* valuiſſent. Politici qui hoc loco vtuntur, vt regi perſuadeant, eum auctoritati parandæ, tanquam munimento potentiæ incumbere debere, mentem huius ſcriptoris non ſunt aſſequuti. Multo minus Surius, qui ad Ann. MDLX. ex *Apoſtolicæ ſedis auctoritate* probare vult poteſtatem.

6, 9, 1. *REI)* Sic eſſe legendum non dubitabis, cum variarum libellum introſpexeris. Ego libens etiam præcedens vocabulum mutem; *haud paruæ rei.*

6, 9, 2. *INTENDAM)* Nihil huc pertinent oratoriæ moræ, priuſquam incipiant loqui. Sed geſtus hic ex interiori affectu naſcitur, vt ſupra ad 5, 5, 23. notatum eſt. Quo pertinent exempla Virgiliana à Radero adducta Æn. 1, 565.

Tum breuiter Dido vultum demiſſa profatur.

& Æn. 3, 320.

Deiecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.

Item Euſebii hiſt. Eccl. 2, 17. in illa *fabula non-fabula* Clementis, de iuuene ab Apoſtolo Ioanne conuerſo. *Ille vbi hæc audiuerat, primum oculis humi defixis conſtitit &c.* & Plutarch. Artoxerxe cap. 22. *Hic ceteri exitum iam & funeſtam ſortem cernentes Mithridatis, in terram oculos deiecere.*

6, 9, 3. *VESTRI)* Excerpta Var. Lect. Bongarſ. notant in Mss. eſſe *veſtri*: adſcriptumque eſt nomen Gellius. opinor Virum illum Clariſſimum id adnotaſſe, quod pro vera haberet eam lectionem, *conſpectus veſtri*, pro *conſp. veſter.* & ex Agellio defendere ſtatueret, in cuius Noct. Attic. 20, 6. eius generis exempla reperiuntur. Atque ſic etiam locum hunc ſcripſit C. Barth. Aduerſ. 20, 6. apud quem bonos ſcriptoris huius Codd. fuiſſe nouimus. Item Rubenius Elector. 1, 33. vt putem genuinam eſſe lectionem, præ illa editionum, *veſter.* Ita ſupra 4, 12, 9. dicere maluit *originem ſui* quam *originem ſuam.* Plinius Epiſt. 9, 19, 7. *Memoria noſtri durabit, ſi vita meruimus.*

SPIRITVS) Suppoſititium eſt, libenterque verbum vicarium ei dem, *ſupremus.* Ruben. d. l. at Barthius *ſperatus* legit: ego illud longe præferam, qui ſciam eo ordine ſæpe conſurgere orationem.

6, 9, 4. *AVTEM)* Malo *enim.* Bongarſius.

6, 9, 7. *PARTICEPS)* Ita in Codice Conſtantienſi exaratum eſt, & Modius legit, vulgo *in participes*, ſcriptum cum Acidalio reor, *inter participes.* Raderus.

tus. Sic mox 6, 9, 5. *inter coniuratos.* Mss. lectio eſt *inparticeps*, vnde fieri quidem poſſet *in parte cepti ſcel.* ſed non placet.

6, 9, 8. *AD IPSVM)* Planius, & niſi valde fallor verius, *ad ipſum*, quam *id ipſum.* Et firmante poſtea vno Mss. recipiendum putaui.

6, 9, 9. *METRON)* Certiſſimam Acidalii correctionem ſequuti ſic edidimus, quod & Raderus iam fecerat. Omnia vrgent & poſtulant ita legi: etiam illud; *Philotas ſolus nihil timuit*, quod *ſolus* valde tepidum foret, ſi vnum tantum nominaſſet, qui timuerit. Sed robuſtiſſimum hoc, quod dicitur irrupiſſe quidam ad regem, vbi lauabatur, quod non Cebalino, ſed Metroni conuenire, ex ipſo Curtio ſatis perſpicue conſtat.

NON TIMVIT) Caue negationem tollas, ni ſententiam deteriorem velis reddere. Cebalinus rem detulit, etiam cum periculo tormentorum, per quæ inquiri poterat, ſi quid in eius delatione ſuſpectum fuiſſet: quod euincunt etiam illæ voces; *inceriam rem deferens.* Niſi enim ſtatim patuiſſent inſidiæ, torqueri potuiſſet, vt cuius ope, conſilio, quibus indiciis tantam rem detuliſſet, cognoſceretur.

SOLVS) Inuidioſe hoc & acerbe. Cato apud Salluſt. Cat. 52, 10. in Cæſarem: *Sin in tanto omnium metu ſolus non timet, eo magis refert, me mihi, atque vobis timere.*

6, 9, 10. *ISTE)* Veram puto lectionem, quam & libri præferunt: *Iſte ſi regis periculo commoueretur &c.* Longe certe deterior illa. *Iſte regis per. cum moneretur.* Hoc enim vult efficere: Philotæ non eſſe curæ ſalutem regis, atque id deinde trahit in crimen coniurationis.

6, 9, 11. *SPIRAT)* Hoc malui quod calidius eſt, & *auidæ* illi *ſpei* magis congruit: lentius erat illud vulgatorum, *ſperat.*

6, 9, 12. *ORBITAS)* Nam illa contempta, & iniuriæ obnoxia, tanquam nullo vindice. Vt contra liberi *ſubſidia* ſunt *dominationi*, vt vocantur Tacito 1, 3, 1. Quem ad locum elegantiſſimi ingenii Virum, Chriſt. Forſtnerum vide. In eam ſententiam Euripides

- - τέκνωνι παῖδες, ἔρυμα δώμασιν, id eſt, vertente Lipſio; *Munimen aulæ regi ſunt liberi.* Suetonius de Galba 17, 1. *Deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam, quam orbitatem rati, Piſonem &c. filiumque appellans, perduxit in caſtra.* & de eodem Tac. H. 1, 16, 5. *Hac de cauſſa Nerua, qui propter ſenectutem minime honorabatur, ſed contemptus erat, in Capitolium conſcendit, ibique magna voce, Quod felix &c. Traianum adopto.* Xiphilin. ex Dione.

QVOD SINE LIB. SVM) Annon hæc eſt explicatiuncula vocis *orbitas?*

IN VOBIS) Sic Clearchus ad ſuos milites: *Vos ego mihi patriam, vos amicos, vos ſocios duco; vobiſcum, vbicumque fuero, honoratum me fore exiſtimo.* Xenophon lib. 1. ἀναβάσ.

6, 9, 17. *CONSOBRINVS)* Amyntas Perdiccæ Maced. regis F. fuit ſub tutela Philippi patrui. Filiæ nuptiis ab eo honoratus, Alexandro ſucceſſori vitæ inſidias parat, cæde eius regnum ad ſe retracturus: quibus detectis & pœnas ſcelerati conatus luit, & in amicum Philotam, Parmenionis F. occultum Regis odium concitat. Polyænus 8, 59. Iuſtinus. Oroſius 3, 14. Curtius pro ſororio *conſobrinum* Alexandri vocat, corruptis haud dubie exemplaribus. Reinec. in regno Macedonico. Quod de *conſobrino* apud Curt. dicit, idem & apud Iuſtin. 12, 6, 14. & Oroſ. 3, 18. exſtat. Ergo nullum in ſcriptura mendum eſt; ſed *conſobrinus* pro patruele ponitur; quod à pleriſque, & Trebatio, factum teſtatur Paulus in l. 10. de gradibus. quomodo & Eutrop. lib. VI.

M. Lu-

M. Lucullum, Lucii *consobrinum* vocat. Fallitur ergo & Raderus, qui inde argumentatur Amyntam Olympiadis sorore, & Arisba rege Molossorum genitum. Nam Perdiccæ filium diserte facit Arrianus apud Photium, Polyænus, & ipse Curt. 6, 10, 24. Non autem est Amyntas, qui Dario militauit, nam ille apud Memphim occisus est; alterum Alexander sustulit, vt ex Iustino constat. Ille Antiochi filius fuit, Arrian. 1, 6, 6. hic Perdiccæ. An autem idem sit, qui cum Parmenione & Attalo in Asiam à Philippo præmittitur, apud Iustin. 9, 5, 8. & Orosium 3, 14. dubitari potest.

ATTALO) Huius Attali sororem Philippus pater, expulsa cum filio Olympiade, in matrimonium accepit. Plutarch. cap. 15. non sororem Attali, sed sororis filiam Cleopatram ductam ait, ita vt Attalus Cleopatræ auunculus fuerit. Odium autem Alexandri in Attalum inde exarsit, vti tradit Plutarchus: In nuptiis Cleopatræ, quam Olympiadi superinduxit, Attalus seu frater, seu patruus, seu auunculus sponsæ, in epulo nuptiali cum vino incaluisset, hortatus est Macedones, vt iustum à diis ex Philippo & Cleopatra regni exposcerent hæredem & successorem. quo dicto non immerito inflammatus Alexander: *Quid*, inquit, *scelus, nos tibi spurij videmur?* simulque cum dicto craterem, Lapitharum ritu in os Attali iaculatus est. Qua re incensus ipse Philippus, filium stricto ferro insecutus est, sed felici per iram & vinum casu, pede offenso prolapsus, Alexandro spacium dedit se subducendi, qui interim in patrem iocatus: *Hic* inquit, *Macedones parabat ex Europa in Asiam transmittere, qui è lecto in lectum sine lapsu transire non potuit.* Indeque cum matre patria excessit, & Olympiadem in Epiro collocauit, ille in Illyricum se contulit, ægre inde à patre etiam vocante reductus. Idem Athenæus 13, 1. Attalus interim cum Parmenione & Amynta in Asiam aduersus Persas missus, occiso Philippo, res nouas moliri cœpit, & regno tendere insidias, quod non ignorabat Alexander, qui illum submisso cum armatorum manu [immo dolo, non vi, cæsus est Attalus.] Hecatæo in Asia sustulit. Quod descripsit Diodorus 17, 5. Idem Attalus impurissimum monstrum, Pausania iuuene ludibrio conuiuarum obiecto occasionem præbuit Philippi regis occidendi, qui cum vindicare iniurias Pausaniæ de Attalo sæpius questi negligeret, pro reo ipse reus pœnas morte luit, vt Iustinus 9, 7, 5. prolixe denarrat. Raderus. Quod de Attali cum Philippo coniunctione varie traditur, alii Cleopatræ fratrem, alii patruum, auunculum alii faciunt. id totum accidit ex ἀκυρίᾳ vocabulorum, quibus cognationum adfinitatumque gradus exprimimus. Cum enim à diuersis auctoribus Cleopatræ vocetur ἀδελφὸς, ἀδελφιδῆς, θεῖος, dispiciendum est, quo gradu proprie fuerit. Tradit Athenæus lib. 13. post pr. Cleopatram Attali fuisse ἀδελφιδῆν, quod reddiderunt neptem ex fratre, potuissent & ex sorore: (si Latini sic loquerentur) nam vtrumque significat. Sed mirum hoc, quod Cleopatra sit Attali ἀδελφιδῆ, & idem Attalus eidem ἀδελφιδῆς, vt vocatur à Diod. 16, 94. & Gemisto. An igitur exemplum est l. 14. de grad. cognat. an & ἀδελφιδῆς patruum significare potest? an errat Diodor. an vitium est in scriptura, & ἀδελφὸν dicere voluit, vt mox 17, 2. Hoc certe magis est, vt videatur. Scimus enim ἀδελφῆ, vt & *fratris* vocabulum late protendi. Sic Saluatoris nostri fratres legimus, cum ipse nec consanguineum vllum haberet, nec vterinum. Sed ἀδελφὸν etiam de nepote ex fratre aut sorore dici memini, sic vtique apud Gregoram 3, 5. Theodora Theodori Imp. filia dicitur Asanis Bulg. regis ἀδελφὴ soror, non ἀδελφιδῆ neptis ex sorore, vt quidem erat. Contra autem & ἀδελφὸν de fratre patruele dici animaduerti, quomodo Plutarcho Alex. cap. 2. Arymbas est ἀδελφὸς Ὀλυμπιάδος, qui haud dubie eiusdem *patruelis* fuit, si Iustino 7, 6, 10. credimus. sic infra Amyntas regis *frater* dicitur 6, 10, 24. Cicero Philipp. 2, 38. *filiam eius, sororem tuam.* quæ erat patrui filia. Adde Vellei. 2, 8, 2. Pighium Annal. Rom. DCLXXVIII. vbi de Lentulo Sura. Ciceron. Ep. famil. 5, 1. 5, 2. 3, 5.

5, 3. Eo sensu Augustin. epist. CLXX. ad Seuerinum: *secundum carnem fratres fuimus.* & apud Iustin. 17, 13, 16. *Alexandri* Epirotæ *frater* dicitur *Æacides*, quum patruelis esset. Θεῖος autem etiamsi auunculum à patruo non distinguat, tamen in gradu suo manet. Proinde definimus Attalum illum non fuisse fratrem Cleopatræ, non eius fratre, vel sorore genitum, sed potius θεῖον, siue μητρὸς ἀδελφὸν, siue πατρὸς ἀδελφὸν: hunc tamen magis, quando & Athenæi verba eo inclinare videntur.

6, 9, 20. *LINGVÆ TEMERITAS)* Quam fere semper præcedere Lipsius Polit. 10, 4. notat. Eademque est sententia Cassii apud Tacit. 14, 44, 1. *Creditisne seruum interficiendi domini animum sumpsisse, vt non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur?* Sunt tamen exempla in contrarium, sed non huius loci.

ID SI IPSE ADMISIT) Pronomen à præcedenti voce repetii, cetera à Mss. Editi *si ipsum dimisero*, sensu non quidem inepto: sed qui longius abit à libris. Quem nos elicimus, Antipatri est apud Plutarch. Apophthegm. cap. 50. qui *ocissum ab Alexandro Parmenionem cum audiuisset, dixit: Si Parmenion insidiatus est Alexandro, cui tandem credendum erit?*

6, 9, 21. *EQVITATVI)* In prœlio Issico, *Vniuerso equitatui sociorum Philotas Parmenionis F. præerat.* Arrianus 3, 2, 23. qui tamen τῶν ἑταίρων dixit, quod interpretes *sociorum.* Sed illud ἑταίρων *amicorum* reddere debuerant, vt in aliis eiusdem auctoris locis, 3, 11, 27. & 7, 4, 32. *Erigyius.* iam inter has notas animaduerti. idque vel ex hoc Curtii loco clarescet. *optimæ exercitus parti, principibus nobilissimæ iuuentutis.* Vides de Macedonibus sentire regem. ergo & apud Arrianum euidenter distinguuntur. cum enim hunc *amicorum* τῶν ἑταίρων equitatum iam in dextro cornu collocasset; statim n. 24. *socios* equites, τὴς ξυμμάχους posuit.

VNVM) Addit hoc non temere diligentissimus auctor, sed quia post Philotæ necem duos deinceps rex præposuit, idem consilium sequutus, quo & Ægypti administrationem pluribus credidisse supra notauimus. Docet hoc vnus, quod sciam, Arrianus 3, 5, 24. *Post hæc Alexander equitatui duos ex amicis Hephæstionem Amyntoris filium, & Clitum Dropidis præfecit, diuisisque in duas partes sociorum copiis (neque enim Philotam volebat tot equitibus, qui alioqui præstantissimi totius equitatus & dignitate, & bellica virtute erant, solum præfectum esse) ad eos peruenit &c.* Vbi iterum pro *sociorum* copiis, *amicorum* lege; & aduerte simile Curtianæ obseruationi, de eorum dignitate & præstantia elogium. Ceterum quid est illud de Philota, quem iam occisum narrauerat? De eone vltra iam quæstio esse potest, quotæ copiarum parti præponatur? Græca sic habent; ὅπ ὅδε φιλώτᾳ ἂν ἀβέλητο, ἵνα τοσέτων ἱππέων &c. ἐξηγεῖτο. Vanum est dicere, ne Philotæ quidem dum viueret, totum eum equitatum commisisse: contrarium enim & ipse Arrianus iam affirmauit, & ad finem Philotæ sic fuisse Curtius hic, & n. 26. indicat. Hoc quoque loco de ea re non cogitare Arrian. patet, nam Philotæ morte exposita, tum demum de successoribus eius, & diuisa in duos potestate loquitur. Credo scripsisse; ὅπ ὅδε φίλων ἂν ἀβέλητο ἵνα &c. *neque enim quemquam amicorum volebat vnum tot equitibus &c. præfectum esse.* Nimirum Philotæ negotio monitus nolebat in vnius deinceps manu tantam esse vim copiarum; vt si mouere quid vellet, regi possit esse formidabilis.

6, 9, 23. *PETIERAM)* Bong. *petieram in periculo*, auctius: & opinor, melius.

6, 9, 26. *IMMO VINCTVM)* Hoc enim aliquanto amplius est, quam damnatum. Damnati enim demum vinciebantur exsecutionis gratia, si soluti caussam dixissent. Vnde intelligas cur Philotas infra 6, 10, 4. dicat: *vincti hominis*

non superuacuam solum, sed etiam inuisam defensionem esse, quæ iudicem non docere videatur, sed arguere. quippe qui iam prædamnasset reum. Et Amyntas 7, 1, 20. *sine præiudicio dicimus caussam, liberis corporibus.* Sæpe tamen & ex vinculis caussam dicebant, præsertim in grauioribus criminibus: & vbi suspicio suberat ne fugeret reus, aut per vim eximeretur. Cæsar de bel. Gal. 1, 4. Heluetii *moribus suis Orgetorigem ex vinculis caussam dicere coëgerunt.* Quod quamquam moribus Heluetiorum tribuat, idem tamen & apud Romanos sæpe obseruatum est. Sane D. Paulum, quamquam ciuis Rom. esset, ex vinculis caussam dixisse, constat ex Actor. 26, 29. Item Vibium Serenum ex Tac. 4, 28, 4. & Pleminium. Liu. 29, 19, 5. item apud alias nationes, vide Xenophont. pag. 450. D. Vnde pro re absurda apud Plautum Trucul. 4, 3, 62.

Callicles, vide quæso homini ne facias iniuriam.
Reus solutus caussam dicit: testes vinctos attines.

In priori versu legendum omnino est, *vide quæso mihi*, pro *vide quæso homini*, quod obiter moneo. Sueton. Nerone cap. 36, 3. *Coniurati è vinculis triplicium catenarum dixere caussam.* Sic L. Cornelia cauebatur, vt occiso domino, *de his, qui ante quæstionem habitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inueniantur, lege de Sicariis iudicium fiat, ita vt ex vinculis caussam dicant.* Et l. 2. de custod. reor. seruus capitali crimine postulatus si non defendatur, ex vinculis caussam dicere iubetur. Ex quibus tamen animaduertas regulariter non ita fuisse; sed vt soluti responderent. Hinc igitur illa Philotæ vincula, quod iam iudicio regis prædamnatus esset: hinc & obsoletum illud amiculum, cui falso aliam caussam attribuunt.

REDITVRVM) Ab eadem mente supra 3, 5, 6. *sibi easdem terras,* & quæ sequuntur.

6, 9, 28. *AMYNTAS)* Si diligenter rem introspicias, satis apparebit non esse pro eodem habendum, qui infra ab initio lib. 7. caussam dicit. Est & alius Amyntas Arrhabæi filius apud Arrian. 1, 4, 17. & 1, 5, 7. vbi de pugna ad Granicum.

6, 9, 29. *PRO SPE)* Alii *pro re*, quidam coniunxere vtramque lectionem *prospere*: Sed illa vera est. Amyntæ oratio haudquaquam pro spe ipsius grata regi fuit. Omnia hic clara sunt.

6, 9, 31. *TORMENTIS SVBTRAHERE)* Siue ipsius Philotæ miseratione, siue ne tormentorum cruciatu victus plures, & forte Cœnum quoque ipsum nominaret, quomodo apud Tacit. 2, 68, 3. *Remmius euocatus priori custodiæ regis adpositus, quasi per iram gladio eum transfigit. vnde maior fides, conscientia sceleris, & metu indicij, mortem Vononi inlatam.* Tale quid Barclaius Argen. lib. II. de Erysthene Regis aurigam, à quo in discrimen adductus vitæ fuerat, occidente. Nam qui sic occidunt, pro amicis facere videntur, vt in nece Agathoclis loquitur Polyb. 15, 31. Cuius rei metu constituerunt Impp. perelegantí l. fin. C. de malef. & mathem. vt, *si quisquam clandestinis suppliciis etiam manifestum reum maleficæ artis oppresserit, vltimum supplicium non euadat, geminæ suffitioni obnoxius, quod aut publicum reum, ne facinoris socius publicaret, seueritati legum, & debitæ subtraxerit quæstioni: aut proprium fortassis inimicum sub huiusmodi vindictæ nomine consilio atrociore confecerit.* Ceterum priori potius suspicioni poterat obnoxius esse Cœnus. Ei artificio adfine est, quod in Valerio Pontico vindicatum ait Tacit. 14, 41, 2. qui & ipse specie accusandi, reos subtrahebat actiori cognitioni, *quod reos*, ait auctor, *ne apud præfectum urbis arguerentur, ad prauorem detulisset, interim specie legum, mox præuaricando, vltionem eluisurus.* Vnde fluxit illa quorundam scriptis tradita cautela, vt vocant: vltimo supplicio damnatum, grauiori aliquo crimine, vnde atrocior pœna irrogari debeat, postulare. Nec valde distat alia simulatio, nisi quod laudabilis, qua apud Tacit. H. 1, 45, 5. Otho Celsum; apud Senec. de benef.

benef. 3, 23, 1. Grumentanæ feminæ serui heram præsenti exitio exemerunt. Sed vt propius ad Curtium nostrum, velut in orbem acto sermone, redeamus, idem fere consilium, quod Cœno hic tribuitur, apud Dionem lib. 40. cuiusdam Romani fuit, qui Crassum occidit, *ne vinus in hostium manus venirent.* Quomodo C. Vettii seruus dominum potestati hostium eripuit, vt Seneca de benef. 3, 23, 6. narrat. & alius C. Marium de quo Val. Maxim. 6, 8, 2. Sic apud Tacit. H. 3, 65, 5. *obuius è Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius tudibris eximeret; an tribunum appetierit, in incerto fuit.* Immanis illa Moscouiæ bellua, qua truculentiorem sol nunquam vidit, eandem ob caussam in quendam ministrum suum sæuiit, quod Viscouacio Rutenicæ gentis oratori, cuius à corpore ab omnibus aulicis partes abscindi iusserat tyrannus, pudenda præsecuisset, itaque ille exspirasset, interpretans ad eripiendum doloribus hominem, id eum fuisse commentum. Oderborius in vita Basilidis.

CAVSSAM DICENDI) Hoc malui, sic supra 4, 3, 22. *sacrum repetendi.*

6, 9, 34. *PATRIO SERMONE)* De Macedonum lingua Athenæus 3, 33. *Atticos etiam plerosque nouí, eo quod cum Macedonibus versati sint & permixti, à Macedonicis vocibus & loquendi proprietate non abhorrere.* Strabo quoque cum subiectas Macedonibus gentes enumerat, pleraque duplici sermone vsas scribit, patrio nempe, & Macedonico. Quod vero Lazius de Græcia tradit, parum à vero arbitror, Macedonum & Græcorum linguas tam distinctas fuisse, quam sint hodie Latina & Germanica. Omnes scriptores, qui de dialectis Græcæ linguæ agunt, Macedonicam inter Græcas numerant, nisi quod singulari dialecto, vt Laconica, Bæotica, Sicula, cum reliquis veteretur. Facile tamen concesserim rudes literarum Macedones, elegantem & Atticum sermonem non intellexisse, nec Atticos Macedonum, vt hodie, qui in principum palatiis versantur, ægre Heluetiorum, qui in agris duntaxat vixerunt, nusquam vnquam emigrarunt, aut peregrinati sunt, voces assequuntur, nec Heluetii Palatinorum. Quemadmodum & vulgaris Græcorum hodierna, non parum distat ab erudita, vt ægre se mutuo intelligant; videturque communis Græcorum ἡ κοινὴ. Radersus.

6, 9, 36. *SERMONIS PATRII)* Cuius vsum diligenter retineri ex dignitate populorum est, vt ostendit Clapmar. de arcan. rerumpubl. 3, 22. De Latinæ linguæ obseruantia apud Romanos Lipsius de recta pronunc. Lat. ling. cap 3. consulito.

TÆDERE) Veram puto scripturam aliorum Codd. *Ecquid videis adeo etiam sermonis patrij Philotam tædere.* Certe rotundior est, & omnino melior; ideo recepi. Vt prius fuerit, in variis reperies.

EVM) Non damno *eum*, malo tamen *eo*. *Dicere* est caussam agere. Nolebat scilicet agere patrio sermone. Acidalius. approbante Radero. Possit etiam legi *fastidii eum.* expuncto dicere.

6, 10, 1. *MODVM VERBORVM)* Tacitus 4, 69, 3. *Quando massa, vbi semel prorupere, difficilius reticentur.* Appianus in Punic. de Hannone οὐκ ἐδύνατο συμφορᾷ πιέσαι μᾶζαν ὀλόγλωσσος, *miseriæ dijertos (loquaces) faciunt.* Radersus Sic apud Thucyd. 3, 9, 32. Platæenses: *Hominibus in hanc conditionem redactis, vt necessarium, ita difficillimum est finem loquendi facere, quia cum fine loquendi finiri vita periclitatur.* Synesius epist. 119. ἀδὺν δὲ ἐν γένοιτο καὶ πυθέσθαι ῥητορικώτερον. *Nihil enim possit eo esse, qui perpessus sit, dijertius.* In eandem sententiam Nazianzenus: ἡδὺν δὲ πάσχειν ἐνδιατριβώτερον.

6, 10, 3. *VTRIMQVE)* Legerim cum Acidalio *vtique.* Possit tamen ferri etiam Modiana scriptura, *vtrimque*, hoc sensu; cum illi vtrinque ex accusatione

& defensione cognita, seu ab accusatoribus & defensoribus agitata caussa. Raderus. Alias de Alex. tradit ex Plutarcho cap. LXXV. Zonaras, tomo 2. eum consueuisse, dum accusator diceret, aurem altera manu obstruere, reo se illam seruare professum. Cuius hic non fuit memor.

6,10,4. *SVPERVACVA*) *Sera post damnationem innocentiæ defensio est*, ait Quintilianus declamat. 372. Seneca Medea vers. 198. *Vox constituto sera decreto venit.* ἐ γὰρ ἐστὶν ἐν καιρῷ τοῖς ἀτυχοῦσιν ἀνυλλογία, *Intempestiua enim est miseris verborum contentio.* ait Appiani (in Punic.) verbis Hanno. Idem volunt illa Ouid. Metamorph. 9, 371.

Si qua fides miseris, hoc me per numina iuro,
Non meruisse nefas: patior sine crimine pœnam. Vide Gruteri Not. in Senec. tom. 1. pag. 964

ARGVERE) Iniustitiæ, si prædamnauit indicta caussa, qui innocentiam suam docere potest. Eleganter id transfert ad eos, qui intemperantiæ luxuique dediti sunt Chrysost. serm. 1. de non frequentandis theatris, quibus si de virtute loquaris, offenduntur eo sermone, καὶ ῥημάτων ἐπιχῶς ἀκούσῃ τῶν περὶ σωφροσύνης, τὸν περὶ σιωπῆτο, οὐκ ἐν γὰρ ἴσασι σοι διδασκαλία, ἀλλὰ κατηγορία τὸ λεγόμενον. *Verba de temperantia & seueritate vitæ auerso animo excipies: quæ enim ita dicentur, non docere te videbuntur, sed arguere.*

MEA SENTENTIA) Quod erat futurum si agnosceret crimen: nam *Confessus quodammodo sua sententia damnatur.* l. 1. de confess. Is Αὐτοκατάκριτός est S. Paulo ad Titum 3, 11. Apud Marcellin. 17, 29. Sarmatæ *minus criminis æstimabant, alienis viribus potius quam conscientiæ suæ iudicio vinci.*

6,10,6. *VEL FALSO*) Sic Catilina *nominat socios: præterea multos ciuisque generis innocuos, quo legatis animus amplior esset.* Sallust. Cat. 40, 9.

VEREBATVR) Sic Aldus, quod retineo. Sensus est, eum qui dubitabat, metuebat se iungere.

6,10,7. *SED NICOMACHO*) Ipsa certissima historiæ necessitas coëgit vt hanc Acidalii coniecturam reciperem. antea fuerat: *peperciisse. Nicomachus*, inepte, & falso. Lectionem Acidal. firmat & Pal. 3. quodammodo: qui habet *se Nicomachus.*

6,10,9. *CRVCIATVM*) Vt verum sensum assequare, lege, *cruciatur.* Nam is iste: Noxius dum supplicio suo torquetur, in alieno interim solamen habet & leuamen. Acidalius. *Naturali quodam deploratæ mentis affectu, morientibus gratissimum est commori.* Seneca Epit. controu. 9, 6.

6,10,10. *MORITVRVS*) Verissime diluit quod supra 6, 9, 16. iaciebatur, metu potentiæ eius, Philotam à conscriis non nominatum. moriturus enim, cum iam vltra nihil pati possit, nullius potentiam curare potest. Ita Caligula *sciebat innumerabilia esse, quæ obiicere illi nemo, nisi periturus, auderet.* Seneca de ira 3, 19. Sic Virgil. Æn. 4, 604. *Quem metui moriturus?* Certe per amicitiam aliquando accidit, vt consciі celarentur: quomodo in coniuratione contra Claudium, *de se Nonius confessus, conscios non ediдit.* Tacit. 11, 22, 1. Apud Liuium 24, 5, 8. Theodorus *de se ipso haud cunctanter fassus, conscios celabat.* Plura eiusmodi collegimus exempla, quæ parcam Tacito in istis 4, 45, 3. *frustra se interrogari clamitauit. adsisterent socij ac spectarent: nullam vim tantam doloris fore, vt veritatem eliceret.*

6,10,11. *REVERTENDVM*) Modius cum Acidalio legit *prauertendum*: mihi vulgata placet.

RECONCILIATI) Ioseph. 15, 2. f. *Post hoc colloquium ad reconciliatio-*

liationis fidem datis vicissim dexteris discesserunt, omni, vt tum videbatur, suspicione sublata.

6,10,13. *ET PRODITORI*) Omnino vera est Acidalii coniectura. legendum *& prodito. Non cadit* ait Acid. *securitas, & securitas vsque ad somnum, & somnum denique tam profundum, non hæc, inquam, cadit in parricidam, & parricidam quidem, qui se proditum iam sciat & delatum.* Quod si syllabam abjici nolis, eodem sensu fieri possit, *& prodita re.*

6,10,14. *DORMIRE*) Eodem modo Cicero pro Roscio cap. 23. docet Cloelii Tarracinenses filios de cæde patris delatos publico iudicio fuisse absolutos, quod *aperto ostio dormientes*, in eodem conclaui *reperti* essent. cui narrationi subjicit hæc verba [nam alia vt nimis longa omisi] *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis; eos qui aliquid impie sceleratèque commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. sua quemque fraus & suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit; suæ malignæ cogitationes conscientiæque animi terrent: hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parcmum pœnas à conscleratissimis filiis repetant.* Idem narrat Val. Max. 8, 1, 13. Iisdem furiis agitatus est Alcmæon μητροκτόνος, de quo Virg. Æn. 6, 445. *mœstamque Eriphylen*

Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.

Plura Pausanias in Arcadicis, Thucydides lib. 2. Hyginus fab. 23. alii. Orestis, qui matrem Clytemnestram interfecit, furias describit Euripides in Oreste, vers. 35.

Inde tabescens sæuo morbo languet
Afflictus Orestes, cadens in lecto
Iacet, sanguis enim maternus exagitat eum
Furoribus: vereor enim nominare deas
Eumenidas, quæ eum certatim exterrent.

Nero matrem occisurus insidiis, *cum magna trepidatione vigilauit, operiens captorum exitum.* Sueton. 34, 6. & mox: *Neque tamen sceleris conscientiam, quanquam & militum, & Senatus Populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut vnquam postea ferre potuit, sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac tædis ardentibus: quin & facto per Magos sacro euocare manes & exorare tentauit.* Plura quidem parricidarum exempla in promptu sunt, sed isthæc ad hunc locum illustrandum sufficiant. Raderus. Ceterum de argumento somni, quo maxime nititur Philotas, operæ precium esse duxi adscribere quæ notat Gruterus ad ista Liuii 1, 51, 11. *Turnum ex somno excitatum circumsistunt custodes. Ex somno* additum haud sine caussa. nam

Somnus sollicitas deficit ante fores. & alioqui

- - - quis alta tuenti Somnus? Videatur M. Tullius pro Scx. Roscio cap. 23 vbi T. Cloelius &c. addit rationem: *Nemo enim putabat, quenquam esse, qui, cum omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod, qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.* Argumento isti nixa oratio Philotæ &c. Addatur Plutarch. Brutus cap. 18. m. Ceterum simulari posse huiusmodi securitatem animi; pulcre deduxere Quintilianus senior Declamatione altera, Libaniusque Declamatione 44. Quin imo, curis grauissimis vexatos, tandem arcto somno deuinciri; exemplo Alexandri Magni ostendit Curtius 4, 13, 17. Octauii Augusti, Suetonius 16, 3. Othonis, idem 11, 2. Hactenus Gruterus. Similis fere est Demetrii defensio apud Liuium 40, 14, 2. *miseria hæc & metus crapulam facile excusserunt, quæ si non interuenissent, insidiatores nos sopiti iaceremus.* & 40, 15, 9. *E conuiuio & comessationibus prope semisomnus raptus sum ad caussam parricidij dicendam.* Improbis quietum somnum non

contingere notat etiam Polyb. in Excerpt. Valef. pag. 97. Zonaras tamen in Leone Armenio narrat, Michaëlem Balbum inſidiarum in Imp. reum, ea nocte quam ſupremam habiturus videbatur, *ſomno profundo & graui oppreſſum* fuiſſe. Philotam autem grauat ſuus etiam ſomnus. Si enim verum eſſet, magnis cogitationibus vacantem ſomnum non capere, vnde tanto viro parricidii in regem inſimulato, etiamſi innocens fuiſſet, tam alta quies? quin geſta reuolueret, & quid in futurum condita forte regis ira gignere, quibuſque remediis obuiam iri poſſet, expenderet.

FVRIÆ) Salluſtius de Catilina 15, 3. *Animus impurus, diis hominibuſque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poterat, ita conſcientia mentem exercitam vaſtabat &c.* Adde ſuperiorem Raderi notam, & imprimis Gruterum diſcurſ. cap. 30. ad illa Taciti 15, 36, 3. *Facinorum recordatione, nunquam timore vacuus.*

CRVDELITATI) Apud Acidal. verba iſta recitantem excuſum eſt *credulitati*, quod vt ſæpe factum in his vocibus errore mutatum credidi. Si enim conſulto mutaſſet, indicaturus fuit. Retinendum ergo *crudelitati*, & eſt ipſa ſententia, quam expreſſit ſupra 6, 8, 22. quod & Raderus vidit.

6, 10, 15. *NE TE MIHI)* Simpliciſſimus ſenſus: Ne te pœniteat excuſanti tum mihi credidiſſe, ſiue ne temere aut fruſtra credidiſſe videaris, iterabo hic excuſationem apud Macedones, vt conſtet & his, merito habitam mihi fidem, nec ſine vera cauſſa, quæ audieram, ſilentio me preſſiſſe. Acidalius.

6, 10, 16. *AMATORIS)* Ex eodem fonte eleuatur Æbutii indicium apud Liuium 39, 13, 1. *orare capit, ne mulieris libertinæ cum amatore ſermonem in rem non ſeriam modo, ſed capitalem etiam verti vellet: terrendi eius cauſſa, non quod ſciret quicquam, ea locutam eſſe.*

6, 10, 21. *QVO PERITVRVS)* Alii *quid opperiturus.* quam lectionem laudat Acidalius. Ego cum Modio illam malim, quæ Mss. firmata, vim etiam ex eo capit, quod ſupra dixerat *moriturum nemini parcere.* Indicium, ait, delatum eſt, quo, niſi innocens eſſem, periturus eram; quid igitur diſtuli facinus occaſione oblata? ſcilicet quod innocentiæ meæ fiderem.

6, 10, 22. *DONIS)* Quod certe ſolent ſolenniter, qui res nouas moliuntur. Id Piſoni obiectum Tacitus 3, 13, 3. refert: *rerum nouarum ſtudio, Piſonem vulgus militum per licentiam & ſociorum iniurias eo vſque corrupiſſe*, vt parens legionum *à deterrimis appellaretur.* Sed inprimis *animoſius corruptor* fuit Otho, de quo vide Sueton. 4, 3. & Tacit. H. 1, 24, 4. Denique idem aduertes in omnibus, qui plus quam ciuilia agitabant.

6, 10, 24. *DEFENDERE)* Satis vexatus eſt hic locus. nam alii negationem tollunt ex illis, *non oportuit*; alii ex prioribus, *non recuſo*: fruſtra. Veriſſime Rubenius elector. 1, 33. *dependere*, literula immutata, ſed longe commodiore ſenſu. Ego paratus ſum, inquit, luere hanc culpam, & pœnas pendere, ſi nefas amare eum, quem rex amat. Quam emendationem nullo merito improbat Vir Doctus Aduerſar. 28, 6. nec enim neſciebat vim vocis *defendere* Rubenius, ſed propter ſequens membrum, *ſin autem*, locum hunc tueri non poſſe animaduertebat. Quapropter etiam omnino retinenda *ſi* particula: *ſi fr. regis non oportuit diligi.* quamquam etiam Mss. habeant, *ſed fratrem.* Nec cum aliis admittam eam notionem verbi *defendere*, vt ſit *pro ea culpa ſatisfacere, ſi culpa ſit.* Pertinet huc locus Cicer. Fam. Epiſt. 1, 9. *dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpopondiſti.*

SI FRATREM REGIS) Vt hic locus probe intelligatur, remouenda neceſſario ſunt Raderi errata, quibus multipliciter obſcurat verum eius ſenſum. Ergo totam eius notam adſcribo. Attalum, inquit, fratrem matris nouercæ Cleopatræ, auunculum Alexandri, ſi recte loquamur. Senſus eſt: ſi fratrem regis Attalum diligi non oportuit, fateor me peccaſſe diligendo conſobrino regis Amynta: ſi autem Attalus non ſolum diligendus, ſed etiam venerandus fuit propter gradum honoris & propinquitatis, nemo ægre feret, ſi etiam Amyntas dilectus & cultus fuit. Attalus Iuſtino 9, 7, 3. frater regis ex nouerca fuit: *Alexandrum quoque regni æmulum fratrem ex nouerca ſuſceptum timuiſſe*, & quæ ſequuntur. Aliis non frater regis, ſed reginæ Cleopatræ fuit, imo (vt Plutarchus & Athenæus notant) auunculus. Itaque haud ſcio, an non hæc omnia, vſque ad illa verba, *an impiorum amicis inſonibus quoque moriendum eſt*, ad Amyntam ſolum ſint referenda. Vbi ergo, inquies, ad Attalum reſpondet. Eandem reor vtriuſque defenſionem fuiſſe; perinde enim Attali & Amyntæ amicus fuit, non conſcius, non ſocius inſidiarum: In eadem cauſa, eadem aut innocentiæ, aut culpæ eſt defenſio. Quanquam non abeſt ſuſpicio locum eſſe mendoſum, & aliquid deſiderari. Hactenus Raderus. Qui duo illa probe, de eadem defenſione ſimilium criminum: & quod denique videtur videre hæc omnia ad Amyntam ſolum eſſe referenda. nam in aliis errat, quod ſimpliciter indicabimus citra inſectationem Viri Docti & diligentis. Ergo *fratrem matris nouercæ Cleopatræ, auunculum Alexandri*, minime dicemus, *ſi recte loquamur.* Verum Attalus nequaquam frater regis fuit, ſed Amyntas, qui hic nomine fratris intelligitur, frater enim patruelis fuit. patruelesautem ſupra ad 6, 9, 17. interdum ſolo fratrum nomine venire notauimus, quo loco de Attalo nobis inquiſitum eſt. Quem neque Curtius hoc loco fratrem regis intelligit, neque adeo Iuſtinus 9, 7, 3. ſed Caranum, vt diſerte idem auctor 11, 2, 3. *Æmulum quoque imperii Caranum fratrem ex nouerca ſuſceptum, interfici curauit. qui paucis ante regis obitum diebus à Cleopatra Philippo natus erat.* vt mirum ſit confundi cum Attalo à quo nomine, genere, ætate, denique aliis omnibus tam erat diuerſus. Denique ſatis elumbis eſſet argumentatio: ſi frater regis Attalus diligendus fuit; ergo & Amyntas conſobrinus: præſertim ſi perpendas, qua occaſione proferatur. Sic igitur habe, verba iſta *regis fratrem*, non ad alium quam Amyntam pertinere, fratrem regis, nempe patruelem.

6, 10, 25. *VTRVM)* Ὑπαλον iſtud. Emendo veriſſime *iterum.* Reſpicit ad illud prius, n. 19. *Num igitur facturum eum hoc diuinare potui.* Acidalius. Si cui tamen adhuc placeat vulgata lectio, me adſentientem habet: nam neſcio quomodo vox ſequens, *quæſo*, repudiat alteram.

6, 10, 27. *SCRIPSISSE)* Nihil erat neceſſe geminare verbum *ſcripſiſſe*: quod vulgati poſteriore loco venuſtius omittunt. At ſententia duplex poteſt eſſe. Ad regem ſcripſi, non ad alium de rege: quod ſi factum, inuidiam iſſe factum videri queam. Nunc quia ad ipſum, pro fama ſcilicet eius timuiſſe me & de exiſtimatione fuiſſe ſollicitum apparet. Aliter paulo & multo fortaſſe verius ita: ſcripſi regi, ſed non regi, nec de rege, ſed amico. Id præcedentia requirere videntur: *Fides amicitiæ &c.* Acidalius. Prior interpretatio vera eſt. Illud etiam *ſcripſiſſe* recte repeti Radero placet, & auctoritate Mss. defenditur.

6, 10, 28. *IN ARCANVM)* Et ego ſane hanc lectionem ſuſpectam habere non poſſum, niſi quod vox *Interim*, quæ & Modium offendit, locum ſuum non digne tueri videatur. Acidalius tamen eiuſdem non inelegantem eundem vſum & apud alios ſæpe, & apud Senecam vnum frequentiſſime reperiri affirmat. Illud ei non conceſſerim ſupra 4, 13, 25. pro *& vultu eius interrito &c.* legend. *& ex vultu eius interim &c.*

6, 10, 30. *ADHIBERE VOBIS PARENTES)* Nihili verbum in hac re, *adhibere.* Mihi liquet, *exhibere* corrigendum: cui reſpondet, quod hic iam habes,

habes, *ostendere*. sic & 7,2,12. in simili pæne caussa : *Iussus est fratres suos exhibere*. Nec in dissimili adeo, quamquam non eadem, supra 6,10,15. *pignus indicij exhibere*. Ceterum hic an non adstricte nimis scriptum, *solent exhibere parentes?* Non hercle vero parentes tantum : sed omnino propinquiore cognatione reum contingentes : & statim subditur de ipsis fratribus. Vnam alteramque vocalem puto periisse, quam coniectura quilibet facile reuocarit. Acidalius. Cuius priorem emendationem, licet Radero probatam, non admitto : præsertim cum loca quæ firmandæ suæ sententiæ adducit, de alia longe caussa dicant : posteriorem plane rejicio ; nam *parentes* etiam largius pro cognatis propinquisque sumi, vt hodie Latini sermonis traduces linguæ seruant, in Indice, deo dante, monstrabimus. Exempla autem rei, præter ea, quæ ex Cic. pro Sylla cap. 31. pro Flacco cap. vlt. & pro Sextio cap. vlt. ex Val. Max. 8, 1, 2. (nam illud ex Lipsii Monitis de Eponina, huc non pertinet) adducit Raderus ; vide apud Fr. Pollet. histor. for. Rom. 2, 1. & in Comœdiis Plautinis passim.

6,10,35. *INVISI*) Sane haud displicet coniectura fratris mei Melchioris, *inrisi*. quo participio & Tacitus vsus, 4,9,2. *ad vana & toties inrisa revoluitur*. Aut si quis participium spernat, fieri possit *inrisui*, quod firmatur fere simili loco Plinii: *Plerisque vltro etiam irrisui sumus, ista commentantes, ac frivoli operis arguimur*, nam ineptam diligentiam contemptus potius sequitur quam simultas. Volunt hoc & præcedentia : *cum ludibrio credulitatis repulsus sum*. Sic supra 6,7,33. ait *veritum ne iurgium inter amatorem & exoletum* non sine risu *aliorum desuisset*.

6,10,37. *VESTRIS*) Nondum video cur vocalem hanc expunctam velint, & generalem hanc sententiam, non ad præsentem concionem restringendam : *vltima verba grauia sunt auribus*. Immo potius grata sunt, si impatientiam auditoris fine molesti sermonis solantur. Respicit Philotas vltima sua verba, quibus succlamatum est. Ego sane tantum absum vt libris habentibus hoc pronomen adimi censeam, vt potius addendum putem non habentibus. Similima scena apud Liu. 38,33,9. *obiecti multitudini iratæ, quum auersis auribus pauca locuti essent, damnati omnes*.

6,11,3. *VICINA*) Cum sic haberet Aldus non potui mutare : est enim hoc huic loco præ ceteris accommodatissimum.

AD SOMNVM) Hoc affines fuisse *silentiariis* Principum ; ostendit Pignorius in eximio tractatu de Seruis. Nostra ætate Walensteinius vtriusque fortunæ illustre exemplum, omnis strepitus impatientissimus fuit, adeo vt quosdam opifices vltimo supplicio affecisse dicatur, quod artis suæ exercitio molesti fuissent, non quidem somno eius, sed meditationibus, quibus vastus animus indies ad altiora, hoc est, ipsum præcipitium, affectabat viam.

PER INTERPRETEM) Quod quidem maiorem dignitatis speciem conciliat magnis potestatibus, vt ostendit Paschal. legat. cap. 49. in Philota tamen excusari non debet, qui id sibi tribueret apud ciues suos, quod ne reges quidem vsurpasse apparet ex eo quod passim tradunt auctores, eos *magna libertatis vmbra* præfuisse, vt Curt. 4,7,31. & hunc ipsum Alexandrum comem admodum fuisse supra infraque aliquoties prolixe narrauit, de qua eius facilitate eleganter Libanius in progymnasm. chria 1. Ea igitur res valde aggrauat Philotæ superbiam. Non certe superbius fecit Pallas, si Philotam & Macedones compares cum Pallante liberto quidem, sed & ipso præpotente, & ipsius libertis. Tamen apud Tacit. 13,23,3. *nec tam grata Pallantis innocentia, quam grauis superbia fuit : quippe nominatis libertis eius, quos conscios haberet, respondit ; nihil vnquam se domi, nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto vsum, ne vocem consociaret*.

6,11,4. *FVISSE RVSTICOS*) Sic recte : quamquam Acidalius mallet,

let, *fuisse se : rustic*. Quo sane facto periret elegantia sensui, nec quidquam ad rem facit Philippi iocus, qui rusticos esse Macedonas dicebat, & scapham scapham appellare, in Plut. apophth. cap. 31. illud enim ad laudem potius pertinebat ; Philotas opprobrii caussa aliena vilium & rudium populorum nomina iis indidit.

6,11,6. *PECVNIA*) Quæ sane ingens erat, centum octoginta millia talentum, hoc est, centies octuagies millies centena millia Philippæorum : Centum & octo milliones. Raderus ex Diod. 17, 80. & lib. 15. Strabonis. Ceterum 108. milliones enunciantur centies octies millena millia. Sequentia huius numeri verba constituimus, vt esse dicuntur in Mss.

6,11,9. *REX*) An repeti placet ex præcedenti dictione, *At rex*. profuerit hoc vinciendæ sententiæ : cuius tamen rei non admodum studiosus est Curtius.

6,11,10. *COENVS*) Mirum hoc de Cœno qui modo ipsum tormentis subtrahere volebat, eum iam contra aliorum sententiam suadere quæstionem Nisi forte hoc voluit ad purgandam suspicionem, quam incurrere illo consilio potuisse, supra ad 6,9,31. notaui ; nescio quid pro illo, an Curtio dici possit.

6,11,12. *IN INTIMAM*) Plut. cap. 88. narrat non quidem interfuisse quæstioni, sed exaudiuisse foris, velo discretum, *quod visum arceret, audiuus non adimeret*, vt loquitur Tacit. 13,5,2.

6,11,13. *IN CONSPECTV*) Hoc ita nunc obseruatur, si forte reus apparatu tam atroci territus, tormentorum cruciatus spontanea confessione præueniat. Exempla eiusmodi vide apud Langlæum Semestr. 9,3. quo loco etiam tractat, an confitentem nihilominus torqueri oporteat.

6,11,15. *OBLIGANTVR OCVLI*) Vt feralibus istis tenebris magis etiam angeretur, & admota crudelitatis tormenta, quanto inopinata, vehementius paterescret. Aliam ob rationem damnatis ad supplicium deductis caput obnubebant, quam supra alicubi tetigi. Hodie iis qui gladio percutiuntur, integuntur oculi, mitiorem ob caussam : ne scilicet adspectu carnificis perterriti, preces vltimas turbatiori mente profundant. deinde ne speculatorem forte subducto capite, aut proiectis manibus frustrentur, vel impediant. De qua re notabilis Bironii historia. Tamen & antiquitus id etiam obseruatum vel ex Iosepho de bel. Iud. 7,14. & Hegesippo 5,47. constat : *dum percussor moratur, clausis iam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos*.

VTPOTE) Simili figura sæuitiam quæstionis intelligendam offert animis Papirius apud Senecam contou. 2,13. *quid amplius dicam? tyrannus torquebat, & eum de tyrannicidio quæreres!* De huiusmodi lacerationibus obseruat quædam Heraldus ad ista ex lib. I. Arnobii: irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis.

6,11,16. *HINC IGNIS*) Nolo immorari mœstissimis humanæ crudelitatis ingeniis. Quæ & ab aliis fuisse, & à Langlæo, quem modo laudauimus, lib. 9. semestr. & Gebhardo Crepund. 1,15. satis explicantur.

IN POTESTATE) Vt nec clamaret, nec ingemisceret. vt *plerique* in l. 1. §. 23. de quæstion. Philotas ergo primum sano adhuc & integro corpore fortissime & constantissime verbera, faces, & cruciatus pertulit ; at vbi corpus exulceratum est, cœpit fateri. His plane contraria scripsit Plutarchus Alex. cap. 88. *Inde correptum torserunt assistentibus quæstioni regis amicis & Alexandro pone obtensam aulæam exaudiente. Quo tempore eum dixisse aiunt, cum miserandis & abiectis vocibus precibusque Philotæ Hephæstionem compellaret ; adeone mollis tu, Philota, & effeminatus tantas res moliebare*. Alias cap. 85. vt strenuum, ferreum, & laborum tolerantem laudarat. Plutarchus. Ne tamen videantur pugnare inter se Curtius & Plutarchus, dici potest, primum tormenta

menta fortiter à Philota exantlata, dein lacerato & exulcerato corpore ad preces descendisse. Raderus.

6,11,18. *PER SALVTEM)* Per genium seu τύχην regis aut Cæsaris iurabant veteres pagani; per salutem principis, Christiani. vt in Apologet. cap. 32. docet Tertullianus. Imperatores Arcad. & Honor. in l. *si quis major* 41. C. de transact. *Eos etiam huius legis vel iactura dignos esse iubemus, vel munere, qui nomina nostra plenitis inferentes salutem principum confirmationem initarum iurauerint esse pactionum.* Ita Theodosius minor Eudociam coniugem suam adegit, vt per salutem suam iuraret, se comedisse pomum. Aula S. cap. 16. Raderus. De Eudocia narrat Græca temporum Epitome, quam Eusebio coniunxit Scaliger. Adde Sueton. Calig.

6,11,20. *LEGEM)* Sic Athenienses Arthmium, quod aurum corrumpendis Græcis ex Persia attulisset ignominiosum & hostem populi Ath. & sociorum esse iusserunt, *ipsum & genus eius.* Demosth. & Aristid. Panath. Merito Marcellin. 23,31. Persarum eas leges, *per quas ob noxam vnius omnis propinquitas periit*, vocat *abominandas.* Vt enim ad coercendam hominum malitiam, pluribus adstrictioribusque vinculis, hanc quoque legem haberi fortassis salubre fuerit; ita eam si casus inciderit, præfracte exequi, extremæ foret iniustitiæ. Quod si DEVS quid in contrarium olim iussit, scimus id eum fecisse iustissimis de caussis, etiamsi quænam illæ fuerint, nescimus. Ceterum isthæc omnia copiose pariter & erudite ex diuinis humanisque legibus disputat P. Faber Semestr. 3,8. m. Merito autem laudat Areopagitas Ælian. hist. var. 5,18. quod grauidas damnatas non punirent, nisi edito partu, *soluentes à damnatione innocentem infantem, & eam, quæ commeruerat supplicium, solam morte mulctantes.* quod etiam nostris moribus laudabiliter obtinet. Exsecranda econtra est sententia, quæ *in omnes qui vel in carceribus tenebantur, vel in exilium acti erant, in omnes eorum cultores & cognatos, capitalis lata est & in libellos relata* sub Andronico, vt testatur Nicetas lib. 2. de imperio illius. Nec minus illa lex, quæ *iubebat proditorem plecti vna cum liberis: tyrannum vero vna cum quinque familiis cognatione proximis*, contra quam diuinæ legis æquitatem eleganter & vere prædicat Philo lib. de special. leg. Iuuat paulo accuratius discutere quæstionem sæpe incidentem in vita. I. pro sæuitia ista iussiones quædam diuinæ facere videntur. Resp. Iussionibus parendum, sed *si quam pœnam irrogauit personam non egrediuntur*, vt abutar verbis Iustin. §. 6. ver. Plane. Inst. de I. N. G. & C. II. Sunt Rationes. 1. Sic fore vt prohibeant crimen aut detegant, quo argumento defenditur SC. Silanianum apud Tacit. 14,44. Resp. Sed quid si ignorent? 2. Nihil fit his quod horum propinqui non erant facturi in alios. Cicero ad Brut. Epist. 1,12. Resp. Quid hi possunt, si sunt innocentes? 3. Metuuntur exempla hereditarii criminis. l. 5. C. ad L. Iul. Mai. Aur. Bul. tit. XXIV. Iustin. 21,4. 8. Forstner. ad Tacit. 1, 12, 6. Resp. Iniustus est metus: & occurri rationibus aliis potest. 4. Sic deterrentur alii. Cic. ad Brut. 1,12. Resp. Qui alia contemnunt, suamque ipsi vitam, his non auocabuntur. 5. Vt maius sit supplicium pereuntibus. Curt. 8,8. Resp. Quo operæ precio? & quantula res quam atroci impendio quæritur? 6. Ne sit vltioni locus. Iustin. 21,4. 8. Polyb. apud Vales. de Philippo: Νύπτ@ὲς πατέρα κλέπτας &c. pag. 118. Liu. 40,30,3. Rz. Quis ergo finis cædium? Cic. de Nat. Deor. 3,38. Pulchre Geta Scueri filius apud Spartian. in vita cap. IV. Immo succedunt horum cognati & adfines in odia. Seneca de Clement. 1,8. f. & sic fit *insidiarum nexus quidam & cathena.* Lipsi. Polit. 4,10,42. Arnisi. de Rep. 1,4,2,41. & de iure Mai. pag. 406. f. Clapmar. Arcan. l. 4. c. 15. pag. 183. f. III. Leges Macedonum, Persarum, omnium ciuitatum. Cic. ad Brut. 1,15. vt ibid. Athen. & exemplum Arthmii, & nescio quorum apud Philonem. Rz. Omnes hæ leges vituperantur à referentibus, Cicer. vide de Nat. Deor. 3,38. Etiam l. *Quisquis* à magnis ICtis, quam-

quam illa tam crudelis non sit. IV. Exempla. Tiberii, Tac. lib. I. Exactoris tributorum sub Caio, apud Philon. Neronis, apud Sueton. cap. XXXVI. Andronici, apud Nicetam lib. II. Resp. Tyrannos fuisse. Caroli IX. nuptias Parisienses quis laudat præter *sanguinarias pestes?* Vide Stradam de B. Belg. lib. VII. *Contra stant* I. Verbum DEI. Deut. XXIV. Ezech. XVIII. &c. II. Ratio naturalis, de qua Cicero de Nat. Deor. 3, 38. eiq; consentientes leges, vt l. 26. de pœn. l. 22. C. eo. tit. C. Ne filius pro patre. III. Leges Ægyptiæ & Græcæ, ne grauida puniatur. Plutarch. de his qui sero puniuntur &c. quas & Romani probauerunt. Quintil. Declam. CCLXXVII. IV. Exempla meliorum. Amasiæ 4. Reg. 14. Alexandri. Romanorum apud Dionys. lib. VIII. vbi de Sp. Cassio. Iacobi Regis Angliæ. Johnston. Rer. Britann. lib. XII. Galli, in mortibus Regum, contenti fugare Iesuitas, &c. Adde infra 8,7,16.

6,11,21. *LIBERARE SE)* Quæ caussa multos fateri coëgit, quod nunquam admiserant. De qua re vide Langlæum Semestr. 9, 2. Vt contra alii constanter negant, quæ perpetrauerunt. Vid. ibid. & Ramirez de Prado Pentacontarch. cap. 9.

6,11,25. *ET NOS)* Alludit dictum, quod Alexandro tribuit Plutarch. cap. 49. *Cunctorum quidem esse mortalium Deum communem parentem, sed peculiariter sibi adoptare optimum quemque.*

6,11,26. *PROAVVM HVIVS ALEXANDRVM)* Duos hoc nomine Macedoniæ reges offert historia, ad quos ista trahi possint, Alexandrum cognomento Diuitem, & alium, Philippi fratrem, huius Alexandri patruum. De hoc Raderus accipit, & vt omnia rectius quadrent, miram genealogiæ rationem comminiscitur, proauum dici contendens, qui tot ante gradibus regnum tenuisset, quasi contendas Vespasiani patrem recte dici Vitellium, auum Othonem, proauum Galbam. Verum etiam sic opus habet electo Ptolemæo Alorite, quod ille non fuerit, vt illi quidem fingere lubet, ex genere Carani. at si genus aspiciendum est, cur à successionibus regum appellationes cognationis trahit: aut si attendenda successio, cur generis requirit propinquitatem? Certe si nullum aliud esset argumentum, hunc Alexandrum à Curtio non indigitari, nisi hoc vnum, quod tam male asseritur, sufficere potuisset. Sunt autem præter id duo satis valida. primum quod ante ceteros huius casum ponit, etiam vocula deinde innuens, priorem interfectum; alterum, quod posterioris Alexandri mors non neglecta, sed vindicata fuit, à fratre Perdicca, qui percussorem eius Aloriten Ptolemæum regno simul vitaque priuauit, vt apud Diod. 15,77. legimus. Ergo potius ad Alex. diuitem, qui & Philellen, ista verba pertinere videntur. quem quod *proauum* appellat Curtius, cum esset abauus; nihil mirum aut insolens facit. Inculcandum enim est denuo, quod de confusis cognationum vocabulis supra semel iterumque monuimus. Eadem plane videtur esse caussa Libanii Declamat. 16. qui eum Alexandrum, quem nostri proauum, vocat Curtius, *auum Philippi* appellat, πάππον. hæc enim vox etiam pro vlterioris gradus auis accipi potest. quomodo & Latina apud Iuuenal. 8, 134.

De quocunque voles proauum *tibi sumito libro.*

ARCHELAVM) Derege Archelao Curtium sentire necesse est, cum hic exempla eorum referat, qui reges impune occiderunt. De Perdiccæ nece diversa sentiunt auctores, quos vide in Remeccii regno Macedonico.

INTERFECTORIBVS) Soli Alexandro Lyncistæ. Iustinus 11,2,1. *Ante omnia cadis conscios ad tumulum patris occidi iussit, soli Alexandro Lyncistarum fratri pepercit.* Et ipse Curtius 4,7,27. *Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia.* Iustinus tamen 7,9,1. etiam Olympiadem, adeoque ipsum Alexandrum consciam fuisse

cædis Philippi teſtatur, imo Pauſaniam percuſſorem Philippi ab Olympiade fuiſſe ſubornatum & immiſſum in Philippum conſcio etiam ipſo Alexandro. Quæ omnia Alexander diſſimulauit. Raderus. Intelligit igitur hic ſolum Lynceſtem Alexandrum, de quo mox 7, 1, 5. quod autem *interfectoribus* ignotum, pluratiue dixit, facit ad intendendam vim orationis. Tale eſt illud apud Tacitum 1, 10, 6. *Interfectos Egnatios, Iulos &c.* cum vnus Egnatius, vnus Iulus fuiſſet interfectus, & alia ſexcenta.

6, 11, 30. *PRORSVS*) Mihi liquet legendum, *priuis*. Sic mox n. 35. *qui proximi ſceleris particeps eſſe arguebatur.*

6, 11, 33. *PATREM IVISSE AVCTOREM*) Melioribus libris conſtanter abeſt vox *auctorem*, quod ſuſpicionem mihi non ineptam, vt puto, parit, eſſe eam gloſſema vocis *patrem*, quam non vulgari ſignificatu hic poſitam, aliquis adpicto receptiore vocabulo exponere voluerit. Senſus igitur eſt: Totum ſe conſilium expoſuiſſe, ſuum illud eſſe: nec quemquam alium auctorem eius nominare poſſe: nimirum illius vltimi, quo occupare deſtinauerat patris obitum. At ſi alios forte conſcios aut ſuggeſtores ab eo velint exprimere, nec ſe *patrem* (h. e. auctorem) eius fuiſſe credant, non ſe recuſare tormenta. Ea notione Ouidius de Ponto 4, 5, 29.

Quidque parens ego veſter agam – – Græco more. Athenæus princ. operis: Ἀθηναῖος μὲν ὁ τῆς βίβλου πατὴρ. Maximus Tyrius ſermone octauo: ἀλλὰ εἴτε μητρυιὰ, εἴτε καὶ λευβία τις ἦν ἡ τοῦ λόγου μήτηρ.

6, 11, 35. *DEMETRIVS*) Omnia quæ ad hanc conſpirationem pertinere videbantur, contraxiſſe Curtium apparet. Nam Arrianus 3, 5, 25. non eodem loci, quo Philotæ detecta fuerat coniuratio, hoc eſt apud Zarangæos, ſed in Arimaſpis fuiſſe comprehenſum tradit, ſuffecto in locum eius Ptolemæo Lagi filio.

6, 11, 36. *INCIDERET*) Alii *vt incideret*, vnde Acidalius, *vt inciderat*, ſorte pro *incideret* leg. *incidens*. aut etiam prorſus expungendum.

6, 11, 37. *VOX SANGVISQVE*) Scilicet *claudente noxarum conſcientiæ linguam*, vt de Chonodomario loquitur Marcellin. 16, 33. f. & 17, 25. de Zizai: *amiſſo vocis officio præ timore.* Quod ipſum attendi iubet, ſed caute, l. 10. §. 5. de quæſt. *Plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipſa, & cognitionis ſubtilis diligentia adfert. nam & ex ſermone & ex eo, qua quis conſtantia, qua trepidatione quid diceret, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt.* Quippe *nimius pauor conſcientiam arguere videtur.* Tacit. H. 3, 10, 4. Aliud exemplum ſuppeditat Tacitus 15, 66, 3. *Non vox aduerſum ea Fenio, non ſilentium, ſed verba ſua prapediens, & pauoris manifeſtus &c.* Sed & dolor comprimit vocem. vide Parei Mellificium Atticum pag. 284. Adde infra 7, 1, 8. & 9. & 7, 7, 26. Ita fere *Demetrium Philippi filium, quem pater ad ſatisfaciendum ſenatui miſerat, turba querelarum confuſum repente obticuiſſe* narrat Iuſtin. 32, 2, 3.

6, 11, 38. *OMNES ERGO*) Aduerſus molitiones Acidalii, qui argutatur Curtium hic duplici nomine accuſari poſſe negligentiæ, quod omnes à Nicomacho nominatos ſaxis obrutos ſcripſerit, quaſi aut omnes illi, aut præter eos nemo fuiſſet punitus; bene tuetur auctorem Raderus. nihil hic eſſe mutandum, nec pro à *Nicomacho nominatos*, audaciſſima coniectura legendum *à Macedonibus damnatos*. neque *eſi à Nicom. non nominator.* Sed & Amyntam, quem à Nicomacho nominatum Acidal. euaſiſſe ſupplicium putat, non eſſe eum cuius ſtatim libro ſeq. ampla habetur mentio. Deinde hic dici, *omnes à Nic. nominatos*, non propter Calin & Philotam, de quibus iam per ſe conſtabat, ſed Demetrium & alios cum eo antea nominatos.

SAXIS OBRVERVNT) *Apud Perſas quoque lapidibus obrui interdum nocentes ſolebant: & ita Bagorazus, vt Cteſias refert, iuſſu regis lapidibus eſt obrutus. Idemque paſſum Pharnacyan Eunuchum, idem Cteſias ſcribit.* Briſſ. de regno Perſ. lib. 2. p. 264. Athe-

Athenienſes etiam Æſchylum hac morte damnaſſe Ælian. hiſt. var. 5, 19. ſcribit. Sicut & Caphyenſes, ſimulachrum Dianæ violantes pueros. Pauſan. lib. VIII. Per ſeditionem militum idem accidit Poſthumio *inficianti, quas promiſerat prædas*, vt ait Florus 3, 22, 2. apud Liuium 4, 50. & poſtea Q. Pompeio, teſtibus Valer. Max. 9, 7, 2. Velleio 2, 20, 2. Liu. epit. 77, 4. Sic apud Xenoph. lib. 1. ἀναβάσ. *Clearchus primus ſuos vi propellere, vt pergerent, volebat. At illi tum in ipſum procedere incipientem, tum ipſius inimicos, lapides conjiciunt. Quo factum, vt parum abeſſet, quin lapidibus obrueretur.* Similia de mercenariis Pœnorum ſcribit Polyb. 1, 80. Adde Simocattam 3, 1. Zvvinger. theatr. pag. 2718. p. 2. Partheni Erotica cap. XXI. Arcades & vium Ariſtocratem lapidarunt, & nepotem, proditionis crimine. Pauſan. lib. VIII. Nicephorus Imp. etiam per ſeditionem populi lapidibus impetitus eſt. Zonaras Tom. III. pag. 164. Quid ipſi Domino acciderit, diſcimus ex Ioh. cap. VIII. De Vatinio vide Macrob. Saturn. 2, 6. Id ergo non mori cuidam adſcribendum, quod faciunt, qui inter pœnas militares referunt, ſed repentinis animorum motibus. Ita Laidem in templo Veneris obruiſſe mulieres, Plutarch. Erot. c. 42. tradit. In Vigilium I. Pontif. plebs Rom. ſuſtes ſaxaque coniecit, apud Blond. 1, 7. & Platinam. Porcherium Treuirenſem Gallorum populus lapidibus obruit, propterea quod noua vectigalia inueniſſet. Egid. in Chilperico. Neceſſitati potius quam mori adſcribendum eſt, quod de Turcarum mangonibus traditur, eos, cum ſæpe magnum captiuorum numerum vnus trahat, ſollicite prouidere, ne cui manus relinquatur libera, quod aliquando eiuſmodi homines à mancipiis lapidibus obrutos meminerint. At ſupplicii cauſſa iuſſum id olim in Veteri Teſtamento multis locis, quorum peruerſa interpretatio, Stephanum illum protomartyrem exuit vita. Sic & Artayctæ filium interfecerunt Athenienſes apud Herodot. 9, 119. & caduceatorem improbum Cretenſes, apud Nicolaum Damaſc. in Excerpt. Valeſ. pag. 442. Quod autem Curtius hic ait *more patrio*, ei ſimilis locus eſt in Marcellino 29, 26. *eos qui inter Conſtantianos merebant, priſco more militibus dedit occidendos.* Sabæi reges egreſſos regia lapidibus obruebant ex oraculo. Diodor. 3, 47. Agatharchides de mari rubro 1, 50. apud Photium. De lapidatione, eſt & apud Euripidem Oreſte verſ. 48.

– – – Hæc dies autem eſt dicta,
In qua ferent ſententiam Argiui,
An oporteat nos mori lapidante ſaxo,
An acuto enſe feriri collum.

Ceterum, vt notauit Popma, de ſupplicio Philotæ diſſentitur. nam Diodor. 17, 80. capitali ſupplicio affectos, generaliter; Arrianus 3, 5, 20. à Macedonibus iaculis confoſſos narrat.

6, 11, 39. *ET INVIDIÆ*) Inſignis hæc eſt correctio Rubenii Elector. cap. 33. *non modo ſalutis, ſed & inuidiæ.* Alexander, inquit, non ſolum ſalutis & capitis diſcrimen effugit, ſed etiam inuidiæ & calumniarum flammam, per confeſſionem hanc Philotæ. Quod egregie firmant ſequentia & ſimilimus iſte locus Tacit. 15, 73, 1. *Nero vocato ſenatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum, & collata in libros indicia, confeſſioneſque damnatorum adiunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros infontes ob inuidiam aut metum exſtinxiſſet.* Idem noſtro æuo factum vidimus. Non enim falſo conquerebatur Domitianus apud Sueton. 21, 1. *Conditionem principum miſerrimam, quibus de coniuratione comperta non crederetur, niſi occiſis.* Certiſſima igitur eſt emendatio Viri ingenioſiſſimi: quamquam eam refellere conetur Doctus Aduerſariorum ſcriptor lib. 28. cap. 6. defenſa vulgari lectione *etiam vita.* Ei iam reſpondimus quærenti, cur poſt ſalutem Curtius demum dicat de inuidia. Quod

autem ipse vitam sic distinguit à salute, vt totius vitæ cursum atque ordinem designare dicat, id vero non magnopere ad rem facit, nec à vita sufficienter distinguit salutem. nam si semel salutis fecisset naufragium, certe iam de eo vitæ tempore atque ordine superuacaneum erat quærere. Post hæc scripta, cum viderem iam in Edit. receptam esse Rubenii correctionem, ego quoque exprimendam putaui.

6,11,40. *PHILOTAS*) Hic vero dele vocem *Philotas*, quæ tam manifesta temerariæ glossæ, vt mirum sit haud etiam pridem deprehensam. Curtius quidem si addidisset, non eo quo nunc est loco, sed initio statim posuisset. Sed nec addidit, nec opus fuit, cum in medio non alium quam Philotam designari. Acidalius. Eademq; erat Bongarsii sententia, vocem eam aut ex glossa esse, aut lineæ superiori proximæ interiiciendam. Cui etiam supra n. 30. eliminandum id nomen videbatur, in his; *nec ab ipso Philota.*

7,1,1. *IN MISERICORDIAM*) Affine est illud Liuii 29,22,7. de Pleminio: *iam senescente inuidia, molliebatur ira.* Adde eundem de M. Manlio, 6,20,13. de Philopœmene, 39,49,11. & Buchanan. lib. XVIII. Hinc artificium eorum, qui Iugurthæ fauebant Romæ, id agentium, *vt omnis inuidia, prolatandis consultationibus eluderetur.* Sallust. Iug. 27,2. Nam etiam *plerumque innocentes recenti inuidiæ impares sunt.* Tacit. 2,7,5. ea animorum affectio, tam crebris exemplis neminem latere potest.

VERTIT) Hanc lectionem merito præfert Modius Nouant. epist. 99. probante Manutio ad Sallust. Catil. cap. 6. manifestum enim est præterito tempore hæc concipi à Curtio: nam si præsens esset, haud scirem *veris* præferrem, an *veritur*; cum & hoc recte dicatur; & illud blandiente nouitate à multis, vt in eiusmodi loca inciderunt, intempestiue & nulla vrgente causa intrudi soleat. quasi in hoc consisteret opera Critici, vt alia faceret quæ reperierit, non vt meliora. sunt enim in quos egregie conuenit apophthegma Spartani regis, qui conspiciens arborum truncos in quadratas trabes dolari, ait; *an si quadratæ arbores nascerentur, rotundas facerent?*

7,1,3. *PRIMVS*) Philippi patris Alexandri missu. Diod. Siculus 16,92. *Hoc anno Philippus rex summus belli dux à Græcis factus, bellum Persicum inchoauit, ac statim Attalum & Parmenionem, cum parte copiarum & mandatis, vt vrbes ibi Græcas liberarent, in Asiam præmisit.* Raderus. Adde Iustin. 9,5,8. Gemistum lib. 2.

PHILIPPO) Quanti fecerit Parmenionem Philippus, docet in apophthegmatis Plutarchus cap. 29. *Philippus Atheniensium laudabat fortunam, qui quotannis decem imperatorum deligendorum copiam haberent: se dicebat intra multos annos vnum modo diuem reperisse Parmenionem.* Raderus.

NON ALIO) Quam Parmenione. Errat enim, qui putat Philotam hic signari. Cædem autem Attali non Parmenioni, sed Hecatæo adscribit Diodor. 17, 2. Videntur conciliari posse, vt Hecatæi opera magis, Parmenionis vero consilio, perpetratum sit facinus.

7,1,4. *OTII VITIA*) Contra militare otium multa collegit Gruterus discurs. ad Tacit. cap. 39. quem adi. Ceterum mirum est eadem hæc verba & apud Senecam legi epist. 56,16. *Nunquam vacat lasciuire districtis: nihilque tam certum est, quam otii vitia negotio discuti.* Sic infra 7,3,5. noster; *nationem ne finitimis quidem satis notam*, at Seneca epist. 59,18. *gentes ne finitimis quidem satis notas.* Vter ab altero mutuatus est? an vterque potius ab alio? hoc credam. Reuolutus ad otium militum, adscribam insignem locum Cæsar. de bel. Ciu. 2,30. à Grutero prætermissum: *Erant sententiæ, quæ conandum omnibus modis, castraque Varri oppugnanda censerent; quod huiusmodi (seditiosis) militum consiliis, otium maxime contrarium esse arbitrarentur.* Vbi vox

vox *consiliis*, vltimo casu accipienda. Sensus: Inter hæc militum consilia, nihil magis esse contrarium & noxium rationibus belli, quam otium. Adde Sigonium in Liuium pag. 55. f.

7,1,5. *LYNCESTES ALEX.*) Iustino 11,2,2. est *Alexander Lynceſtarum frater.* Vide Diod. 17,32. Arrian. 1,8,2. in quo illa ἐν πρώτοις τῶν φίλων παρ' ἑωυτὸν ex Curtio & Iustin. verti poterant; *quod primus amicorum ad se venisset.* à quo sensu longe abit illud interpretum: *quod inter præcipuos amicos ad se ven.* nam vocabulum πρώτος ibi non ad dignitatem referendum, sed temporis ordinem. Ita Sam. 2,19,20. Semei: *Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis.* Quo facto veniam à Dauide consequutus est: vt contra exempla sunt eorum, qui quod sero gratulatum venerant principibus, offensam illorum incurrerunt. quod & de Cicerone legimus.

7,1,6. *SVPPLICIO MAGIS*) Sic apud Liuium 36,35,12. Epirotis *responsum datum est, quo veniam impetrasse, non caussam probasse videri possent.* Sic apud Iustinum 32,1,4. *Demetrius veniam patri, non iure defensionis, sed patrocinio pudoris obtinuit. quod ipsum decreto senatus significatum est, vt appareret, non tam absolutum regem, quam donatum filio patrem.* Ex contrario Lucretia Liuiana 1,58,11. *ego me, etsi peccato absoluo, supplicio non libero.* Valde enim differunt probare, & ignoscere: quod merito notat in Planco Vellei. 2,83,3. *qui clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur; dicitans id probatum à Cæsare, cui ille ignouerat.*

7,1,7. *ANTIPATRI SOCERI*) Diodorus 17,80. *propter necessitudinem, quæ cum Antigono ipsi intercedebat.* At nulla ei cum Antigono fuisse necessitudo memoratur: deinde credibilius est Antipatri precibus id datum, qui tum per Alexandri absentiam Macedoniæ præpositus erat; quam Antigoni, viri quidem iam tum illustris, sed nondum eo prouecti, vt suspicari debeamus, id eum ab Alexandro petere ausum. Vide igitur num in Diodoro scribendum: διὰ τὸν πρὸς Ἀντίπατρον οἰκειότητα. Confer Iustin. 12,14,1.

SOPORATVS) Satis elegans lectio, sed cui antehabeam illam B. 1. *suppuratus dolor.* Sane eadem translatione Seneca vtitur, Epist. 80,11. *Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est: aut grauis & suppurata tristitia.* Erat aliquid ὕπνου.

7,1,8. *TOTO TRIENNIO*) Computauit simul annum currentem, nec dum exactum: quod frequentissime fieri, præsertim in annis imperiorum recensendis, non vno loco ostendit Scaliger ad Eusebium. Sic & Diodor. 17,80. τρίτῃ μὲν ἤδη χρόνον ἐν φυλακῇ τηρούμενος. At infra 8,8,6. *per biennium dilatus* dicitur nimirum non computatis mensibus qui excedebant. quamquam non dissimulo, ibi quoque libros nonnullos habere triennium. eadem consiliat num. 6. huius capitis: *tertium iam annum custodiebatur in vinculis.* Collata hæc cum prima notarum mearum in Tacitum, ad explicationem mutuam inuicem sibi proderunt. Non dissimilis scena est in Liu. 38,33,9.

7,1,9. *LANCEIS*) In nostra quoque militia similis pœna obseruatur: eastrensique vocabulo Theotisce dicunt, durch die Spiesse lauffen. Lindenbrog. ad Marcel. 29,26. vbi plura genera militarium mortium. Vide & Lipsii Milit. Rom. 5,18.

7,1,10. *PROFVGERAT*) Quæ res suspicionem criminis & conscientiæ mouet. Idem Senatusconsulti Syllaniani interpretibus placuit, vt *qui ante quæstionem habitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inueniantur*, multo duriore conditione causam dicant, quam si non fugissent. l. 25. §. 1. ad SC. Syllan. *Confitetur enim de omnibus, quisquis se* subterfugere iudicium dilationibus putat c. *nullus* de præsumpt. vbi late Felinus.

7,1,11.

7,1,11. *AMICORVM)* *Considera quomodo Alexander tractauerit Philotæ atque Parmenionis amicos atque familiares: vtque Dionis amicos Dionysius, Plauti Nero, Seiani Tiberius torserint atque necauerint &c.* Plutarch. cap. 10. de multitud. amicor. Docens non temere sapientem illigari debere potentium hominum amicitiis.

7,1,12. *IGITVR)* Bongarsius putabat deesse in hac periodo *inquiebat*, aut quid tale; & sane miror non infertum esse à correctoribus, qui tam liberales fuerunt in hoc auctore interpolando: deest enim aliquid sensui. At si vocem *Igitur* tollas, habebis ni fallor ipsa illa verba quæ hoc loco Curtius scripsit. Alexandri enim oratio incipit ab illis, *nec dubitabat*, quod valet, dicebat, se non dubitare. Sic supra 5,12,7. *haud dubitare Artabazus quin transeundum esset.* h. e. Artabazus dicebat non esse dubitandum, quin transiret esset.

7,1,13. *FVGÆ)* Cuius fugæ? suæ ipsius: nec enim de alia hic agitur. at quid hoc est, aperuit fugæ suæ caussam fugiendo? quis credat auctorem sic loqui? Sane nisi quid aptius comminiscantur alii, ego vocem illam *fugæ* remittam iis à quibus initio intrusa est: qua sublata recte se habebunt omnia. Pridie quam detegeretur Philotæ scelus, Amyntam in secreto fuisse: eius secreti caussam, quidque ibi actum sit, aperuisse fratrem Amyntæ qui profugerit, eoque modo palam fecerit, se fratresque suos in eodem cum Philota consilio fuisse.

7,1,14. *AMOTIS)* Quidam editi, *amoris.* quæ lectio speciem veritatis habet, ipsam non habet.

7,1,15. *EQVIS)* De hoc more pauca interim diximus tumultuariis illis notis ad Tacit. 1,67,3.

RESPONDISSE) Ordo postulat, *respondisset.* nisi hoc argumento est, initio huius numeri inculeata esse duo verba spuria: *accedere, quod.*

7,1,18. *TVM AMYNTAS)* Sic feci, clare præeuntibus libris: *Inde captus* (alii, *captum*) *Amyntas.* leg. enim *indicat. Tum Am.* quæ particula hic necessaria est. Ita supra 6,9,35. 36. 6,10,1. *Tum Philotas: Tum rex &c.*

IVSSIT) Modo præcessit hoc verbum, vt nihil opus fuerit hic repeti: sed nimirum nimium frequentia sunt in hoc auctore hominum insulsorum παρεγχειρήματα: quorum plura taciti prætergredimur, ob hoc ipsum quod non putamus fallere posse iam sæpius monitos.

7,1,19. *ARMIGERI)* Alii *armigero*, quam pro vera lectione habens Gronouius, iungit cum verbo sequente *iussit*: eoque firmat lectionem Curt. 5,6,8. vt eo loci meminimus. At hic malim *armigeri* legi, vocemque eam hærere præcedentibus; *vt habitus quoque redderetur armigeri, lanceam dari iussit.* Quæ leuissima distinctiuncula, duarum rerum scitu non indignarum nos admonet: vt suspicemur armigerum fuisse hunc Amyntam: deinde armigerorum insigne, vel, vt hic vocat, habitum, fuisse lanceam. Prius exinde conjicere licet, quod vtique constat honoratioris militiæ virum fuisse hunc Amyntam. Honoratissimos autem omnium fuisse corporis custodes, supra notauimus. inter illos non fuisse hunc Amyntam ex Arriano, qui custodum nomina prodit, apparere potest. Fuit ergo, vt omnia credere iubent, inter armigeros: quos proximo honore post custodes fuisse vel ex hoc constat, quod sæpe iunguntur corporis custodibus. quæ loca noster Index exhibet. Ergo Perdiccas, & Leonnatus, viri egregii. ex armigeris erant tum temporis, vt ex Curtio 6,8,17. didicimus. Lanceam autem habitum horum, haud dubie autem & corporis custodum, fuisse ex aliquot huius auctoris locis claret. Ita supra 6,11,31. amici regis Philotæ *os oculosque hastis enerberant*; quod de his lanceis intelligo, quæ perpetuo ipsis ad manum. modo 7,1,9. Alexandrum Lynceſtem *qui proxime adstiterant, lanceis confoderunt.* quos autem putamus

tamus proximos adstitisse, nisi hos, qui haud dubie produxerunt eum in concionem, vt supra 6,8,24. Philotam. reliqui enim milites phalangitæ lanceas non habebant, sed sarissas. Sic apud Persas fuisse ex Herodoto 3,128. constat: *Darius rex interdicit vobis, ne apud Oratem fungamini satellitum officio. Hoc illi audito lanceas deposuerunt.* Fuerunt enim nihil aliud quam Persarum Doryphori, siue satellites. Inde & aliis ducibus, vt Parmenioni infra 7,2,28. tribuuntur *armigeri.* Clarissimum autem testimonium subministrat Curt. infra 8,1,45. vbi de nece Cliti: *Alexander rapta lanceæ ex manibus armigeri, &c.* hic est igitur habitus, *quo Alexandrum comitari solebat*, vt mox dicit. Sic enim, & non *in quo*, legendum esse, ex dictis certum est. Sed qui de veste acceperunt habitum, particulam istam interposuerunt. Sed enim *habitus* hic est modus, seu forma, vt in illis Marcellini 17,29. *quem habitum capiut porci simplicitas militaris appellat.*

7,1,21. *DICEREM)* Egregie hæc, & quicquid ex hac oratione pertinet ad impetrandam temerariæ vocis veniam, illustratur discursu 56. Gruteri in Tacitum.

7,1,22. *ACCEPTA)* Etsi nec scripti nec cusi libri aliter, legendum tamen *excepta.* Acidalius. Nondum plane assentior.

7,1,23. *DONIS HONORAMVR)* Stevvechius in Arnobium lib.4. corrigit *oneramur.* quod non placet, ob mox sequentem vocem *onusti.* Berneggerus.

7,1,24. *MODO)* Sic distinximus, admoniti ipsa sensus huius structura, quam & Acidalius animaduertit.

7,1,25. *IN HOSTIVM CAPITA)* Sic Germanicus post seditionem militarem precatur deos suos; *eluant hanc maculam, iraque ciuiles in exitium hostibus vertant.* Tacitus 1,43,3.

7,1,26. *REVERTAR)* Recte hoc contra Acidalium tuetur Raderus. nam ille hic, & supra 6,10,11. *præuertar* legit. *Reuerti* autem vtrobique rectum esse, noster Index declarabit.

AMICITIAM) Tota hæc Amyntæ oratio, vt & caussa, similima est illi Terentii apud Tacit. 6,8. Et membra sane aliquot sunt, quæ Lipsio videntur hinc translata.

7,1,29. *IN TVA VERBA)* Multis millibus hæc melior lectio præ ista quorundam librorum: *an non propemodum tuo verberatu*: è qua ineptissima tamen affirmare pæne ausim in hac meliore etiamnum reliquam vocem *propemodum*, quæ delenda sit & abolenda, nisi mutanda verius, vt *pridem* rescribatur. Ego deleri malim, cui persuasum alienam atque inde natam. Cum primum non intellectum illud esset *in tua verba*, & corruptum in *tuo verberatu*, nimium id alicui & indignum visum, verberibus adactos ad iuramentum, eoque vt mitigaret, eam vocem addidit: qua nunc reparata vera lectione nihil opus. Acidalius.

IVRAVIMVS) Eundem morem Lacedæmonii seruarunt in sacramentis militaribus exigendis, vti docet Alexander Neapolitanus 1,20. De variis vero iurandi formulis, quas in militia Romani vsurparunt, docet idem eod. loco, & Lipsius dial. 6. de Mil. Rom. & Brisson. æque copiose in formulis suis libro 4. pag. 339. Vegetius 2,5. Stevvechius ad eundem Vegetii locum. Raderus. Sacramenti militaris formula erat, *omnes se pro Imp. cæsis, quoad vitam profuderint, perlaturos.* Hucrespexit Arrian. 1,14. Epict. *Deo quoque vos oportet sacramentum dicere, quale milites Cæsari. Illi autem ceptis stipendiis iurant, salute Cæsaris nihil antiquius sibi fore.* Theodos. & Valent. Impp. Nou. constit. XIV. *Iuratur in militiæ sacramenta, vt necessitates publicæ procurentur.* Hieron. epist. 79. ad Heliodorum. *In sacramenti verba iurasti, pro nomine eius*

non te patri parciturum esse. Ita apud Curt. &c. Aliud exemplum apud Stobæum habetur Serm. XLI. nam quæ apud Liuium extant, Gellium, Vegetium, iam ab aliis notata sunt. Lindenbrogius in Marcellin. 21, 10. vbi *iussi vniuersi in eius nomen iurare.* Adde Fabri Semestria sub fin. lib. 1. Henricum Sauilem de mil. Rom. & Dempster. ad Rosin. 10, 3. Illud vtique dissimulare non possum, formulam eam *eosdem inimicos amicosque habituros esse*, non propriam fuisse sacramentis militaribus: quamquam sic quoque iurasse Lacedæmonios, scripserit Alex. ab Alex. 1, 20. quem non alium locum, quam hunc Curtii in animo habuisse putauerim. quo autem modo pro Macedonibus Lacedæmonios aut legerit; aut scripserit, nescio: id scio, duo illa nomina sæpius inuicem se pepulisse loco. Curtius autem, quia hic de amicitia sermo erat Amyntæ, paulo violentius ad militare sacramentum traxit verba coëundis fœderibus solennia. Liuius 29, 23, 4. *Societas inter populum Carthaginiensem regemque, data vtro citroque fide, eosdem amicos inimicosque habituros, iureiurando affirmatur.* & 38, 11, 3. *hostes eosdem habere, quos popul. Romanus.* vbi alterum membrum de iisdem amicis omissum, intelligi potest ex superiori tractatione apud eund. Liu. 37, 1, 5. *mille talentum darent, eosdemque amicos atque inimicos haberent.* Similis formula apud eumdem 23, 33, 2. Lentulus in epist. fam. Ciceron. 12, 15. *iurauerant Rhodii, eosdem hostes se habituros, quos S. P. Q. R.* Xenophon hist. Græc. l. 2. inter conditiones pacis Athen. cum Lacedæmoniis fuisse refert: *τ' αὐτὸν ἐχθρὸν καὶ φίλον νομίζοντας, Λακεδαιμονίοις ἑπεσθαι.* Adde Dionys. 6, 5. fragmentum fœderis inter Inscript. vett. Gruteri pag. DV. f. *τ' αὐτὸν φίλον καὶ ἐχθρὸν ἕξω.* Sic Emanuel Imp. scripsit ad Imp. Fridericum, sibi Sultanum iurasse, vt *sit amicorum nostrorum* (inquit) *amicus, & hostis inimicorum.* Krantz. Sax. 6, 37.

AVERSAREMVR) Faber in Comment. de Magistrat. Rom. qui est in fine lib. 1. Semestr. ita legit: quod & aptius esse putem hoc loco, quamquam nec illud aliorum, *aduersaremur*, sensu commodo careat. Sæpe autem inuicem commutantur hæc duo verba, & in vno Tacito non vnum exemplum reperias. Nos hic iudicium eruditissimi viri, confirmatum vno Ms. Bongarsi. sequuti sumus.

7, 1, 30. *ITA SI)* Magnus Vir [ad Tac. 6, 8, 2.] tenuiter hic argutatur, & legendum ait: *sed totidem quos volebant esse non poterant. Ita. Sed si à conscijs amicos:* & id esse ex Amyntæ mente, quod facile visurum, qui ipse eam habeat. Ego non habuero igitur, qui non video. Et illam tamen habere videor, & hoc certe video, contra prorsus esse. Nihil inquam mutandum. Quid enim verbis sensuque clarius sit & elegantius? Vtriusque vtrumque obscuraueris ac fœdaueris particulæ aduersantis insertione, & illa solitaria nescio cuiusmodi affirmatione. Valet hic *ita*, ex eo consequitur, inde fit. Amicitiæ Philotæ si crimen est, pauci tuorum extra crimen, imo nemo. quippe idem in hac caussa, fuisse amicum eius & esse voluisse. Iam omnes idem esse eodem studio affectarunt. Ita si conscios habes, qui amici, & necesse est eosdem habeas, & qui non amici. Et re, & voluntate amici, iidem; si iidem & conscii, omnes ergo tui conscii. Acidalius.

7, 1, 31. *SI VT)* Æque bona lectio Mss. Grut. omnium, si sic distinguas: *nunc vero sicus omnibus dictus, illo quoque qui suspectus est fecimus, consuetudo diluet crimen.*

7, 1, 32. *SVSPECTOS)* Non sane *quasi voluerint equis effugere supplicium*, vt explanant; sed quod pro spe magnarum opum, quas occiso rege, ex amicitia Philotæ habituri essent, iam tum ferocissent. eam enim superbiam pro argumento habebant plusquam ciuilia cogitantium. Ergo & cum Amyntas regerit crimen, non sane suspectum facere conatur Antiphanem, *perinde quasi & ipse voluerit iudicium effugiendo declinare*, quod sane quam perinepte fecisset: sed quod esset ipse, vt mox loquitur,

quitur, *homo superbissimus, certe iniquissimus.* Quamquam enim multa ciusmodi prudentes scientesque præterimus, interdum non possumus, quin à Curtii nostri mente manifestam vim defendamus.

7, 1, 33. *MELIOR EST CAVSSA)* Ita leges iuris tradunt: *In pari caussa, potior est conditio possidentis.* l. 95. de R. I. Raderus.

7, 1, 35. *ET ANTIPHANI)* Homini vili, nec cum rege solum meo, sed nec mecum vsquam comparando.

7, 1, 36. *INIMICIS)* Forte, *vt inim.* Bongars.

7, 1, 37. *IVVENES)* Diodor. 17, 49. *Alexander vt ad Gazam exfecutus, Amyntam X. nauium classe instructum in Macedoniam misit, cum mandato, vt qui inter iuuenes eximij haberentur, ad militiam deligeret.* Meminit & noster supra 4, 6, 30.

7, 1, 39. *QVIA PARVI)* Eiusdem argumenti defensio est apud Senecam Epit. Controu. 3, 9. *Ergo nihil interest, venenum domino aliquis dederit, an negauerit?*

7, 1, 40. *SEX MILLIA)* De sexcentis equitibus supra ad 5, 1, 40. vide. Nihil tam opportunum corruptionibus, quam notæ numerorum. Quæ hoc loco mire fœdarunt editionem Merulæ, alioquin etiam satis mendosam. Nam tibi ἑπτακισχίλιοι transierunt in litteras, vt pro *VI. M. Macedonum peditum*, legatur *Vim Mac. ped.* non tam inepto sensu, quam falso. Idem casus & alios corrupit auctores, & quod nunc reminiscor, Corn. Nepotem in Eumene extremo: *cum ab anno vicesimo (vt supra ostendimus) septem annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrum eundem locum obtinuisset, in his vni equitum alæ præfuisset.* Apparebit enim, simul dixero, legendum, *in his* (scilicet annis) *VIII.* (nempe annos) *equitum alæ præfuisset.* Sic Plin. 36, 15, 18. *Columnæ, vt diximus, inæ, duodequadragenum pedum.* leg. *col. vt diximus CCCLX. duod. ped.* In Sallust. Incert. 1, 2. *decem stadium*, leg. *decem M. stad.* vt copiosius ostendo in Comment. Critic. ad Supplem. mea Liuiana.

7, 2, 1. *DVM HÆC)* Longe aliter Arrianus, 3, 5, 23. Amyntam ipsum, iam absolutum, ad fratrem reducendum esse profectum, eodemque die reduxisse.

7, 2, 2. *SVSPECTVS SVM)* Ergo illi suspecti non debent esse, qui non fugerunt.

7, 2, 3. *SOLVM)* Ipsum crimen quod ei intendebatur, fuga nimirum, quæ vt in iuuene cui iustus fuisset metus, vt primo ira, sic deinceps per misericordiam accepta est.

7, 2, 4. *PVBESCENS)* Suffecerant illa, *primo ætatis flore*: quorum mox *pubescens* explicatio est, aliunde addita, ea tamen ipsa stolida & falsa. Omnia enim indicant eum non fuisse impuberem, vel pubescentem, sed *primo ætatis flore iuuenem*, citra vicesimum forte ætatis annum.

7, 2, 5. *OS CONVERBERARE)* Quod ita solitum in dolore notat Cresollius Vacat. Autumn. 2, 2. Sic infra 8, 2, 5. *Laniare deinde os vnguibus.* Apud Virg. aliquoties, vt 4, 673. & 12, 871.

Vnguibus ora soror fœdans & pectora pugnis.
& 11, 85. *Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora.*

7, 2, 6. *TVM, AIT)* Sic apud Liuium 30, 44, 4. Hannibal suos ciues castigat de intempestiuo fletu: *vestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lacrimæ sunt. Tunc flere decuit, quum adempta nobis arma, incensæ naues, interfectum externis bellis, illo enim vulnere concidimus.* Simile quid habent illa in Senecæ Controu. Epit. 3, 7. *non perdidisti tunc filium, sed tunc extulisti.* Et hoc Syphacis apud Liuium 30, 13, 7. *Tunc se insanisse, quum hospitia priuata & publica fœdera omnia ex animo eiecisset &c.* cum præcedentibus.

ACCVSATORIS) Melius forte *accusatoriis.*

7,2,9. *SVSPECTA ESSE)* Modius *suspectari* ex Palmerii iudicio rescripsit, verbo prorsus à Curtii genio alieno. Melius vulgaris habuisset, *suspecta esse*, sed optime *suspecta haberi*, nisi quod in Constantiensi codice (vti Matthæus Klokius enotauit & ad me misit) legatur *suppurare*, quam Klokius scripturam omnibus anteponit: ita Senec. epist. 58. locutum, ita alios scriptores, quod equidem lubens agnosco: sed de Curtii calamo vehementer dubito. fateor interim non inepte poni hanc vocem, & in Constant. Ms. ita legi: sed minus ad Curtii gustum. Raderus. Sane Klokianæ lectioni fauent & nostra excerpta Mss. Cod. in quibus *superare*. Ceterum de ipsa re similis est locus Taciti H. 2, 29, 8. *ne dissimulans suspectior foret, paucos incusauit.* quod prudentissimum Valentis consilium ibi merito commendatur. De hac causa videtur loqui, sed aliter, Ioan. Saresber. de nugis Curial. 5, 12.

7,2,10. *MIHI RECONCILIATI)* Demiror vero quid Iustino & Orosio fuerit in mentem, cum scripsere ille 12, 6, 14. hic 3, 18. Amyntam consobrinum interfectum, cum interim Alexandrum Lyncestem omittant, cui succidaneam hostiam substituunt Amyntam, cum Amyntas Curtio & Arriano testibus, fuerit absolutus, Plutarchus, & Diodorus nullam Amyntæ faciant mentionem: sed huiusmodi labes Iustinus plures contraxit. Raderus. Cuius ego potius demiror ἀβλεψίαν, deinde inconstantiam, denique securitatem sui alienique iudicii. Amyntam hunc Andromenis confundit aliquoties cum aliis cognominibus: deinde iterum separat: interdum alium à se ipso facit. Quod tamen eram dissimulaturus, nisi ad falsa & totics obtrusa reuolutus, etiam suæ negligentiæ dicam impingeret vetustis scriptoribus. Recte enim scripsisse Iustinum & Orosium, ex iis quæ ad Curt. 6, 9, 17. notata sunt, intellectu promptum est. Non enim de hoc Amynta loquebantur; sed de Amynta Perdiccæ: ac ne de hac conspiratione quidem; sed ex rebus longe ante gestis crudelitatis eius argumenta conquirebant. vt per se apparebit lectori non vsquequaque stupido.

7,2,12. *ELVDERET)* Mira codicum varietas, & nullus prope consensus. Hadrianus Iunius edidit, *illuderetur*, & ante Iunium Erasmus. Constantiensis MS. præfert *eluderet*. Modius, *aut legendum*, inquit, elueret, *aut certe*, quibus eluderet. *nam vulgata illa* eluderetur *&* illuderetur, *quicquid Glareanus cum Hasseno suo deliret, ferri non debent. Hoc enim vult dicere Curtius; magis ea agitasse animo Polydamanta, quibus sine dictis, sine factis regem aut læsisset, aut in læsæ maiestatis suspicionem venire potuisset, quam illa quibus hæc dilui & excusari solent.* Mihi nec Modianum *elueret* nec *eluderet*, nec Erasmianum *illuderetur*, nec Glareanianum *eluderetur* satis placet; sed Acidalianum *fideret*, quod prorsus ad rem est, *sæpius* inquit Curtius, *quæ nocere possent, quam quibus fideret, reputans. quæ nocere?* familiaritas Philotæ, dicta temere olim vel prolata, & ad regem delata, vel facta quædam, quæ in suspicionem cadere possent, quam bona conscientia, qua sola niteretur. & fortasse pro *illuderetur* legendum erat *niteretur*, quod nunc occurrit, & proinde ac rem facit *ac fideret*. Raderus. Sed Loccenius coniecerat *eluderet* vel *elaberetur*. Ex omnibus istis lectionibus apparet recte examinanti, scripsisse Curtium *dilueret*. quod per incuriam transpositis, vt solet, litteris deinde *iluderet*, *eluderet*, *illuderet* & similia peperit. Similis huic loco Ciceronis sententia pro Quintio cap. 2. refertur à Loccenio: *Omnes quorum in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitant, quid possit is cuius in dictione ac potestate sunt, quam quid debeat facere.*

7,2,13. *PARMENIONIS)* Non inficiabor, quoties necessitas flagitat, licere principi, limen iuris ordinarium excedere, & de facto reum capi, & incognita iudicibus causa eum necari iubere, si modo viam ordinariam damnosam esse, vel dubitatum periculum afferre posse, cognouerit. Neque princeps fere vllus est, qui ad

ad hos nonnunquam modos confugere non cogatur. Sic Alexander à Parmenione se tutum præstitit. Sic Tiberius à Seiano. Sic à duce Ghisio Henricus III. Galliæ rex, cum in similibus, & cum huiusmodi hominibus alia consilia capere, arduum sit. Quod reip. temporibus Scrutilius magister equitum contra Sp. Melium pariter effecit. Amirat. dissert. polit. 12, 1. Sic Henricus Stuardus Dauidem Rizium occupauit. Buchanan. hist. Scot. lib. 17. Thuan. lib. 35.

AC TV) Qui vt mihi fidissimus, me sublato, non minus periclitaberis. Solent enim fere in regum cædibus inuolui & illi, ex quibus coniurati periculum & vltionem metuunt. Deinde eam ob rationem tu maxime Parmenionis scelere appetitus es, quod in communi omnium discrimine, quamquam par esset exitium, tua tamen fortuna grauior fuisset futura per amicitiæ speciem decepti.

7,2,14. *OBSIDES)* Hoc quidem non satis apte subjicitur tam propinquis illis: *vide quantum fidei tuæ credam.*

7,2,16. *SIGNVM)* Eodem dolo vsus est Annibal annulo Marcelli potitus, non tamen pari successu. Liuium 27, 30, 4. vide. Felicius apud Diodor. 16, 53. annulo Hermeæ Mentor Rhodius.

7,2,17. *DEPOSITA VESTE)* Precium est conferre totum hoc negotium cum eo quod prius acciderat, Arriano 1, 8, 7. descriptum: vbi Alexandrum Lyncestem, qui tum in parte exercitus Parmenioni credita aberat, comprehendi rex curauit. *Amphoterum Alexandri quidem filium, Craterì autem fratrem, ad Parmenionem mittit, Pergensibus aliquot, qui itineris duces essent, adiunctis. Amphoterus, patris atque assueto illi regioni habitu assumpto, ne in itinere agnosceretur, clam ad Parmenionem peruenit: ac nihil quidem ab Alexandro literarum adferi (nihil enim hac de re literis committendum iudicarat) sed verbis mandata exponit. atque ita Alexander hic capitur, & cuſtodiæ traditur.*

7,2,18. *VNDECIMA DIE)* *Hos aiunt camelis cursoriis (dromedarios appellant) XXX, XLue dierum itinere, diebus undecim peracto, rem confecisse.* Strabo lib. 15. in descript. Arianæ. De dromedariorum velocitate vulgo notum.

7,2,19. *POLYDAMAS)* Abundare censeam nomen Polydamantis, quod addi nihil necesse, cum de alio nemine agatur. Venustior omnino sermo, si deleatur. Acidalius.

7,2,20. *NAMQVE)* Lectionem hanc ineptam iudicat Acidal. concinnam aliam: Nam ceteri *quoque quibus literas regis attulerat, ad eum venturi erant, cum Parm.* Mihi contra videtur. Nam hoc *cum* non recte sic cohæret, vt alia omittam. Vulgatam sic explico. constituerunt coire ad Parm. omnes simul, non modo Cleander & Polydamas, sed ceteri quoque Sitalces puta, Menidas, & alii, nam ad illos etiam habuerat literas Polydamas. Ergo dum eunt; nunciatur Parmenioni Polydamantis aduentus.

7,2,21. *DVM LÆTATVR)* An; *tum lætatus?*

7,2,22. *PRÆCIPVE)* Quid dubitamus legere *præcipua?*

7,2,23. *LITERAS LEGERE)* Ita alii periere. Vitalianus apud Iul. Capitolin. in tribus Gordianis cap. 10. dum signum literarum inspiceret, & nostra ætate Henricus III. Rex Galliæ; & Guilielmus Nassouius Mauritii pater, & Georgius Cardinalis, quem Natalis comes Georgium Monachum appellat, tutor Vngariæ & Transiluaniæ. Raderus. De Vitaliano vide & Herodian. 7, 14. Sic Domitianus interficitur apud Suetonium in vita 17, 2. Cassius Longinus apud Hirtium de bel. Alex. cap. 5. sic C. Cæsar Augusti nepos vulneratur apud Florum 4, 12, 44. Iisdem insidiis petitus est Clodius Albinus apud Capitolin. cap. VIII. A Murate ad Mustapham Bassam literæ *sic erant scriptæ, vt ipsi Mustaphæ, per occasionem hanc strangulando redderentur.* Leunclau.

in supplem. Annal. Turc. in gestis anni 1579. Ita missus à Sultano Saracenus quidam sub prætextu ferendarum literarum, Iacobum Lusignanum Cypri regem vulnerauit. Fulgos. 5, 6. In Græca temporum Epitome Olymp. 299. anno 3. Ætium Vrb. Præf. Cyriacus quidam senex. Cæsaris Dictatoris cædes nota ex Sueton. 82, 2. A simili euentu *profectus mos Tiberium deducendi legatos, & alios exteros, ad Sultanum suum per cubicularios, qui brachia eorum vtrimque tenent*; vt notat Leunclau. Pandect. cap. 47.

7,2,25. *SOLVENS*) Explicat hunc locum c. 4. Institut. epistolicæ Lipsius: & vberrime Kirchmannus de annulis cap. 7. Vnde locum Plauti Pseud. 1,1,40.

Per ceram & linum, literasque interpretes, contra Mureti coniecturam; *per ceram & lignum*, recte tuetur Rob. Titius Locor. Controu. 10,14.

7,2,27. *NOMINE*) Manu non potuit, nisi imitatrice, quod factum arbitror. Raderus.

LÆTVS) An aliquid de arcanis, & ad consilia tecta ambigue de industria iasertum, vt exploraretur affectus. Raderus.

TVM) Ne te in errorem inducat Iustinus 12, 5, 3. *Parmenion quoque senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de vtroque prius quæstionibus habitis, interficitur.* quasi Parmenionem eodem tempore locoque, quibus filium, ipsum quoque pariter tortum interiisse scribat: intellige mentem eius breuiter ista, & proinde obscure complexi hanc esse: Sub idem ferme tempus occisum esse Parmenionem (quem ob dignitatem prius nominauit) cum filio: postquam in vtriusque caput quæsitum fuisset: non vtroque tamen, sed vno Philota tormentis adhibito.

7,2,30. *SCRIPTAS AD MILITES*) Ergo pro difficultate negotii, cum pluribus literis esset opus, omnia prudenter prouisa sunt. Non absurdum aut fructu vacuum fuerit cognoscere, quæ de Mustapha euerso, quam rem modo tetigimus, scribit Leunclau. in supplem. annal. Turcic. in gestis anni 1579. caussa nostræ similima. *Mittitur in castra denique inssu Muratis Capizilariorum Kihaias, qui ianitorum præfectus est, cum aliis quindecim Capizilariis siue ianitoribus. Huic à Sultano Murate diuersæ datæ fuerant literæ siue mandata, quibus ad expediendum negotium sibi commissum, prout ferret occasio, prudenter viteretur. Vnæ sic erant scriptæ, vt ipsi Mustaphæ, per occasionem hanc strangulando, redderentur. Alteræ Sultani mandatum continebant, ne qua missis ab se hominibus hisce vis inferretur, quo minus id, quod ipsis ab se iniunctum esset, exsequerentur. Tertiæ diuersam ab vtrisque sententiam, vti paulopost apparebit, complectebantur &c.* Quæ eadem est solertia, quam multo ante in iisdem fere regionibus exercitam narrat Herod. 3,128. de Bagæo, qui ad tollendum Orœtem *sorte delectus, hac ratione vsus est: Complures literas variis de rebus vbi scripsit, sigilloque Darij impressit, cum his profectus est Sardis. Eas, postea quam in conspectum Orœtis venit, dedit separatim recitandas regio scribæ (regios autem scribas cuncti præsides habent.) Reddebat autem separatim Bagæus literas, explorandi gratia animos satellitum, nunquid annuerent ad rebellandum ab Orœte. Quos animaduertens magnopere venerari literas, & ea quæ in illis dicerentur, etiam vehementius, reddidit aliam epistolam in hæc verba: Persæ, Darius rex interdicit vobis, ne apud Orœtem fungamini satellitium officio &c.*

7,2,32. *CAPVT MISSVM*) Vide quæ notaui ad Florum 4, 9, 7. h. quibus adde Zosimum libro 2. de Maxentio, Elmacin. hist. Saracen. 3, 6. de Abunasro, & de Saliho, & passim de aliis multis. Appian. lib. 1. Ciuil. de Martio, Carrina, Carbone &c. Sic apud Roderic. Toletanum hist. Arab. cap. 18. Marvvane victo, *capita magnatum ad Abdallam dirigunt, quasi xenia pretiosa.* quem & capite 35. vide de capite Almahadi. Pausaniam lib. 2. de Ægypti filiis, Hieronym. aduersus Iouin. lib. 1. de Alcibiade, Auctor. de Vir. Illustr. de Appuleio Saturnino, Plutarch. in Galba capite 34. de Galba & Pisone.

7,2,33.

7,2,33. *HIC EXITVS*) Seneca Suasoria VI. *Quoties magni alicuius mors ab historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitæ, & quasi funebris laudatio redditur. hoc funus atque iterum à Thucydide factum, idem in paucissimis personis vsurpatum à Sallustio, Liuius bentgnius omnibus magnis virib præstitit. Sequentes historici multo id effusius fecerunt.* Thucydides id fecisse videtur in Pericle 2,12. & 7,16. in Nicia. Sallustiana exempla periisse videntur cum historiis. Tacitum de Arminio, vide extremo Annali secundo. Nostri est infra etiam 10,1,38. simile huic narrationi epiphonema: *Hæc finis Priami fatorum &c.* Virgil. Æn. 2,554. *Hunc finem clarissimus iuuenis vitæ habuit*, de M. Druso. Vellei. 2,14,4. *Hunc exitum habuit vir, nisi in libera ciuitate natus esset, memorabilis*, de M. Manlio Liu. 6, 20, 13. *Hic fuit exitus clarissimi Persarum &c.* Arriani 3,5,27. *Atque hic quidem Dario vitæ exitus fuit &c. viro quod ad res bellicas attinet &c.* Iustini 12,16,1. *Decessit Alexander mensem vnum, annos tres & triginta natus: vir supra humanam potentiam magnitudine animi prædituus.* Flori 4,2,95. de Cæsare: *Sic ille qui terrarum orbem ciuili sanguine impleuerat, tandem ipse sanguine suo curiam implenit.* De Amilcare magno vide Diodorum 25,2. de Attalo Rege Polyb. in Excerpt. Vales. pag. 101. & Liu. 33,5. (aut in recentioribus edd. 21.) de Philippo Alexandri patre, Curt. Supplem. 1,9,26. Idem vsitatissimum in excidiis vrbium. Apud Florum 1,12,11. *Hoc tunc Veientes fuere; nunc fuisse quis meminit.* Sic noster supra 5, 8, 8. *Hunc exitum habuit regia totius Orientis.* & 4, 4, 19. *Tyrus septimo mense quam oppugnari cepta erat, capta est: vrbs, & vetustate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam insignis. &c.* Arrianus 1, 3, 18. de Thebarum excidio: *Porro clades ista Græcanica, cum magnitudine vrbis captæ, tum celeritate rei, quodque adeo præter opinionem tam eorum qui ea affecti essent, quam qui affecissent, accidisset, non minus alios Græcos, quam eos qui eius seditionis participes fuerant, perculsos tenuit. &c.*

SINE REGE) Elegans formula. Coripp us 1, 144. ad Iustinum

\- - *nihil ille peregit Te sine* - - - Sidonius carm. 255.

\- - - *omnia tecum, Te sine multa facit* - M. Tull. pro Muræna cap. 9. *hic multas res & magnas sine Imperatore gesserat, nullam sine hoc Imperator.* Simili formula Corn. Nepos in Thrasybulo: *primum Peloponneso bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc.* Sidon. iterum Carm. 7,237.

Nil sine te gessit cum plurima tu sine illo.

Hæc Sauaro ad Sidonium.

IVVENIS) Talis describitur Pompeius apud Plutarch. cap. 105. *Sicut iuuenis exercitationes obibat. Magnum enim erat ad animos excitandos momentum, Pompeium Magnum videre annos duodesexaginta natum in armis certantem pedium, inde in equo. &c.*

EXPLEVIT) Sic olim legendum conieceram: idem & Bongarsio in mentem venisse variæ eius lectiones me docent: Merula iam olim sic quoque edidit. eum ergo sequuti, insuper habuimus aliorum exemplarium auctoritatem, qui obtrudunt nobis, *explicuit.*

7, 2, 36. *INGRATA*) Defendenda mihi hæc lectio à sententia Viri eruditi, qui putat falsum hoc esse *plerisque non ingratam fuisse militiam*: idque ostendere tot seditiosas voces totius exercitus, quæ & tandem mundum enauigaturum Regem retraxerint. Dico enim illa tempora non esse confundenda cum his, de quibus in præsenti sermo est. Ergo nihil hic acutius vt ille ait, latet: nec sentit Curtius plerisque temporis diuturnitate militiæ amorem euanescere cœpisse. multo minus, nihil verius quam legendum, *plerisque non iam grata militia.* Nam receptam lectionem certissime affirmant illa quæ sequuntur: *agentium gratias literæ exceptæ*, qui enim egis-

sent,

sent, nisi quibus non ingrata militia? plerosque autem hos fuisse, aduerso alterius partis exemplo constat, quos in singularem cohortem contribuit, ignominiaque affecit, nec facturus, nec ausurus, si adeo fuissent multi.

EXCEPTÆ) Idem præter Iustin. 12, 5, 7. & Diodor. 17, 81. Polyæn. 4, 3, 19. qui & modum tradit: *Cum tabellarij tres stathmos abessent, reuocatis iis litteras resignauit &c.* Simili commento vsus est Gaos (sic enim pro *Glos*, legendum ex Diod. 15, 3. & 18. ostendit Casaub.) Persa, apud eundem Polyæn. 7, 20. *Glos* tamen Caris est nomen apud Athenæum 6, 16. Item alterius cuiusdam apud Xenophont. lib. I. *Κυαβάτ.*

7, 2, 37. *ET QVI FORTE)* Non inducerem animum credere Viris doctis hæc verba: *Et qui forte tædium laboris per litteras erant questi*, expungenda esse: si perspicerem, qua ratione sensu non turbato ferri possint.

SEORSVM) Sic apud Frontin. 4, 1, 17. 18. & 20. idem fecisse leges Ap. Claudium, Otacilium Crassum, & Corbulonem Romanos. De quo postremo & Tacit. 13, 36, 4. Comparari cum hoc facto potest Cæsaris consilium apud Dion. lib. 42. cum legionarios quos exauctorauerat, suppliciter id petentes iterum reciperet: *ferociores enim & malis facinoribus edendis idoneos, ex Italia secum, ne quid ibi tumultuum concitare possint, abduxit, eosque in Africa aliis alios occasionibus haud iniquo animo passus est perire. nam & hostibus per eos cladem inferebat, & malis ipse hominibus leuabatur.* Alexander suos in Bactrianis & Sogdianis in colonias distribuit. Iustin. 12, 5, 13. qui forte iidem fuerunt, quos cum Bicone reuersos in patriam scribit noster 9, 7, 11.

7, 2, 38. *IGNOMINIÆ DEMENDÆ)* Nam ignominiam plus horret fortis, quam necem. Nobile huius paradigma est apud Agathiam lib. 1. de Fulcare: *Cum vero ei etiam sic adhuc integrum esset quam facilime fugam capessere, fuique vt ita faceret, hortarentur; & quo pacto, inquit, Narsetis linguam sustinuerim, temeritatis me insimulantem?* Raderus. Sic & apud Flor. 4, 2, 34. Curioni *victo patebat fuga, sed pudor suasit, vt amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur.* Sic fere de Philopœmene Liu. 39, 49, 2. Ceterum etiam Cannenses legiones, item captiui à Pyrrho redditi, aliique sic ignominiosi, præ ceteris forti fidelique opera remp. deinceps ad eluendam probri sui maculam, iuuerunt. vt à scriptoribus hist. Rom. passim traditur. Eamque animi affectionem puerilibus etiam ingeniis insitam ostendit Quintil. 1, 2, 18. *dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat.*

7, 3, 1. *ARIANORVM)* Quos his Arianos vocat, supra 6, 6, 20. & infra 7, 3, 2. Arios appellat, quibus Satibarzanem prætorem seu Satrapen dederat, qui à Besso ad Alexandrum defecerat, & rursum ab Alexandro ad Bessum, de quo mox infra 7, 3, 2. copiosius. Plinius 6, 23. etiam Arianam regionem nominat, & describit. Ne quid tamen dissimulem, Plinius diuersos facit Arianos ab Ariis, quos eosdem facere videtur Curtius. *Parthia*, inquit Plinius 6, 25, 5. *habet ab ortu Arios, à meridie Carmaniam & Arianos.* Strabo lib. 15. *Eorum quæ propter Indum sunt, partem habent Indi, cum prius essent Persarum: ea Alexander Arianis ademit, & peculiaria oppida constituit.* Idem distinguit Arios ab Arianis. Arianam fuse describit. Certe Ariani si diuersi fuere, non procul tamen ab Ariis coluere, Asiaticæ gentes & Indis proximæ. Mela Ariam & Arienen vocat c. 1. *Inde proxima est Ariene, deinde Aria, & Gedrosis & Persis ad sinum Persicum.* Solinus etiam cap. 55. Arios & Arianos vicinos facit, vbi de Parthia loquitur. Raderus. Qui etiam pro *Arianorum* in Curtio legendum putat, *Ariorum*: cui non adsentior. De Ariis & Arianis plura & exquisitiora Cl. Salmasius ad Solin. cap. 55.

SATRAPE) Arsace, vt Arrianus 3, 5, 17. auctor est, quem Alexander infra 8, 3, 17. Curtio teste, prætorem in Mediam misit, Oxidati successurum. Raderus.

AGRIA-

AGRIASPAS) Immo puto Ἀριάσπας vocatos, non Ἀγριάσπας vt & apud Curtium, & Arrian. 3, 5, 24. *Ariaspæ* ab vrbe Ariaspa, quam in Drangiana locat Ptolemæus. Drangiana autem Arachosiæ ad orientem vicina. Vrbs autem *Ariaspa* sita in confinio Drangianæ & Arachosiæ. Hi sunt Ariaspæ, quorum oppidum *Prophthasiam* esse tradit Plinius, quam in Drangiana ponit Ptolemæus. *Prophthasia oppidum Ariaspiarum, Drangæ, Argetæ.* Ita legendum, non *Zaraspiarum.* Alii *Zariaspæ* populi in Bactriana à Ptolemæo ponuntur. Salmas. in Solin. pag. 1175. Georgius Alexandrinus apud Aldum legebat *Arimaspas*, videlicet ex Diod. Siculo 17, 81. vel Cedreno. Quomodo & Iustinus scripsit 12, 5, 9. Si tam vera est Soceri mei coniectura, quam profecto est similis veræ. Nam quod ibi legitur: *Drancas, Euergetas, Parymas, Parapamenos &c.* sic reformabat: *Drancas, Euergetas, Arimaspos, Parapam. &c.*

EVERGETAS) Interpretato nomine Persico sic vocabant Græci, non enim populares, ne fallare non magis hercle quam *Mesopotamiam* ita vocauerint incolæ: aut Africæ illi populi se ipsos *Nomades* aut *Numidas* apud Sallust. Iugurth. 18, 4. Persis igitur *Orosangæ* erant illi benefici, vt ex Herod. 8, 85. tradunt Briss. lib. 1. de regno Pers. & Desid. Herald. aduersar. 1, 9. vbi multa de regum Persicorum grato animo in bene meritos. Euergetarum & Cyri, præter Alexandrinæ hist. scriptores, etiam Strabo lib. 15. meminit. Vide Indicem.

7, 3, 2. *CARANVM)* Pro Carano Diod. 17, 81. suggerit *Stasanora*, qui certe notior: est enim cui hi ipsi Arei vicinique Drangæ post mortem regis obuenerunt. Idque vel eo videtur factum, quod ante iis locis res gessisset, incolisque notus esset, vicissimque notos haberet. Iustinus tamen 13, 4, 22. *Statanorem* vocat: Sed *Stasanorem* Diodor. etiam 18, 3. & Strabo fine lib. 14. vbi & patria eius proditur. fuit enim Solius ex Cypro. Curtium tamen tuetur Arrianus 3, 5, 27. qui & ipse Caranum Erigyio coniunxit. Artabazum & Andronicum Alexander antea ad Græcos milites, qui post Darii cædem se dedebant, miserat, vt tradit Arrian. 3, 5, 7. Ergo horum etiam hic coniunctim mentionem fecit Curtius.

SEQVEBANTVR) Vbi igitur verbum *misit*, aut aliud simile, ex quo tota ista narratio pendeat?

7, 3, 4. *QVI IIS PRÆESSET)* Immo *liberos dimisit*, secundum Arrian. 3, 5, 25.

SCRIBA) Principe fere loco apud Persarum regem hoc genus scribarum erat, regemque etiam in castra sequebantur. De quibus Brissonius lib. 1. pag. 139. quem consule. Raderus. Sic infra 8, 11, 5. est Alexandri scriba Mullinus. Eumenes quoque scriba Alexandri fuit, in quo notat Corn. Nepos: id officium *apud Græcos honorificentius esse, quam apud Romanos. nam apud nos*, inquit, *reuera, sicut sunt, mercenarij scribæ existimantur. at apud illos è contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.* Vbi Lambinum vide. Hos ergo scribas inter amicos regum fuisse etiam ex Arriano 3, 1, 18. constat: *Scribam*, ait, *præterea exteris adiunxit, Eugnostum Xenophanti filium, ex amicis.* De scriba Porsenæ, facinore Mucii nobilitato, diximus ad Florum 1, 10, 5. k.

AD PONTICVM) Verius *ad Indicum.* quamquam ne sic quidem vere: Nam Gedrosi in medio. Nisi potius ipsius auctoris error est, quem ex hoc loco, & alio, hoc cap. n. 21. Glareanus, & Ortelius in *Arachosia* dubitant Ponticum pro Hyrcano accipere. quod mihi vix credibile videtur tantopere aberrasse auctorem, harum rerum, quod satis constat, non vsque adeo imperitum. Quin & illo loco *Indicum* pro *Pontico*, scripsisse potuit, quod cum Hyrcano eum coniunxisse, nihil mirum est, quando supra 6, 4, 19. videtur cum aliis credere, mare quod Hyrcaniam alluit, non

Caſpium eſſe, ſed ex India in Hyrcaniam cadere. Et hæc mea quidem coniectura eſt: quam tamen non antehabeo Salmaſianæ, Curtium fortaſſis in Græco auctore legiſſe μίχρι πόντου παρήκειν regionem Arachotorum, qui de mari Indico intelligebat. Ille Πόντον ſpeciali appellatione pro mari Pontico acceperit. Arrianus ſæpe πόντον vocat Indicum mare. Hæc ſcripſit ad Solini cap. 54. pag. 1176. Infra tamen 7,4,27. denuo inculcat ſuum *mare Ponticum.* vt ea conſtantia incertam faciat non meam modo coniecturam, ſed quicquid de eius mente dici aut cogitari poſſe videatur.

DVCENTIS) Alii libri *Sexcentis*, quod eſt probabilius.

7,3,5. *MENON)* Μίνων vocat Arrian. 3,5,26. Atque ita etiam in Curtio ſcribendum arbitratus ſum, antequam Var. Lect. inſpicerem, quas poſtea deprehendi nullum dubitationi locum relinquere. Nomen id fuit ducis Græco in expeditione minoris Cyri apud Xenophontem. Sic & in Strabonis MSS. Μίνωνα legi, quo loco nunc Μέμνονα edunt, notat Caſaub. in lib. 11. ibi : *ſunt & auri metalla in Hyſpiraude apud Cambala, ad quæ Memnonem cum militibus miſit Alexander.* quod de hoc Menone intelligo. quod vocabulum ſolita correctorum temeritate facile in notius illud Memnonis abiit. Eſt igitur, ſi recte coniicio, ille ipſe *Menon Cerdimas*, quem Syriæ, quam Cœlen vocant, præfectum ab Alex. fuiſſe, ſupra ad 4,1,4. contra Curtium defendimus, ex Arriano 2,3,12. At vero Memnon, cui Alexandrum parcendum iudicaſſe Themiſtius orat. IX. refert, non eſt alius, quam ille celeberrimus Rhodius.

NE FINITIMIS) Eadem fere verba in Sen. epiſt. 59,18. legi, ſupra ad 7,1,4. notauimus.

VOLENTEM MVTVOS VSVS) Locutionem hanc quis damnet? ac neſcio tamen, ſi *volentem* ſcripſit Curtius, an non omiſſurus illa fuit, *mutuos vſus.* Salluſtius, Tacitus, aliique maluiſſent ſcio, apud quos crebrum, *volentem eſſe alicui rei.* Nec abſurda coniectura, ſi delenda quis iſta ſuſpicetur. Mihi tamen id nemo perſuadeat, nec ego vlli velim. Illud credo potius, ac credent facile mecum omnes, pro *volentem, colentem* reponendum. Acidalius. Modius vero Nou-antiq. 8,7. perſuadet ſibi Curtium ſcripſiſſe *nullo commercio volentem*, omiſſis illis, *mutuos vſus.* idque multis defendere conatur Palmerius ad Salluſt. Iug. 73,2. *volentia de ambobus acceperant.* Sed ne vnum quidem exemplum affert hoc poſitu *volens commercio eſt*; ſed omnia iſto longe diuerſo, *volenti eſt commercium.* v. g. *volentibus militibus eſt labor.* Salluſt. Iug. 100,4. Vt ita violentæ eius coniecturæ longe præferam Acidalianam, quamuis hic quoque ipſe ſentiat, vulgatam lectionem damnari non oportere.

7,3,6. *PARAPAMISADÆ)* Apud Gemiſtum Plethonem duplici M. ſcribuntur Παραπαμισάδαι. Fera gens Gemiſti etiam ætate voluit vindictam exigere à Peloponneſiis tanquam Græcis, ob illatum ſibi à Macedonibus olim bellum. Gemiſtus Pletho in poſter. orat. ad Theodorum principem. Loccenius. *Paropanitas* vocat Cedrenus: alii aliter.

INTER BARBAROS) Videtur dicere, ipſis etiam barbaris fuiſſe pro barbaris, vt de Myſis Flor. 4,12,13. *Myſi quam feri, quam truces fuerint, quam ipſorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu eſt.*

LOCORVM ASPERITAS) *Tales ſunt hominum mores, qualis eſt locorum ſitus vbi degunt,* vt præter ipſam experientiam, multis auctorum teſtimoniis oſtendit Gruterus toto diſcurſu 45. ad illa Taciti Agric. 11,4. *Poſitio cœli corporibus habitum dedit.* Pulchre etiam id exſequitur Creſollius Vacat. Autumn. 1,3. quem vtile pariter & iucundum ſit inſpicere. Eodem modo intelligenda verba Flori 4,12,10. *Dalmatæ pleriumque ſub ſiluis agunt: inde in latrocinia promptiſſimi.* Egit hoc etiam prolixe Alexander Neapolitanus Genialium dier. 4,13. Atque id in delectu militum attendendum, ex

ex vero docet Lipſius Polit. 5,12. Ceterum in vnoquoque ipſius potius natura doceſque, quam patriæ, ſpectandæ ſunt. Nam, vt ſupra ad 4,1,30. eſt dictum, in eiuſmodi iudiciis, ſæpius cum magna arrogantia iuncta non minor imperitia, offenſiones non iniquas prouocat. quas caute ſimul & grauiter declinat Merula Coſmogr. 2,1,7. vbi agit *de moribus Europæorum.*

7,3,8. *TVGVRIA)* Totum hunc locum, vt paſſim alios, deſumpſit Curtius ex Diodoro 17,82.

LATERE PRIMO) *Laterarias ac domos conſtituerunt primi Euryalus & Hyperbius fratres Athenis: antea ſpecus erant pro domibus,* ſi fides Plinio 7,56,4. Illud autem *primo* non bene concoquo. an fuit *ab imo?* hoc eſt, ex ipſo fundamento ad ſummum vſque culmen, vt deinde adiicit.

ETIAM MONTIS) Et hoc parum liquide. Vnde Bongarſ. legend. dubitabat *etiam montium.* Vulcan. ad illa Arriani 3,6,2. *Eius* (Caucaſi) *ab ea parte tunc temporis vt plurimum nudum dorſum erat:* in margine notat Curtium ita concipere: *in nudo eius montis dorſo.* Sed cum nullum adhuc montem nominauerit, non habet iſtud pronomen quo referatur. Poſſit *etiam* vulgata lectio ſic exponi, vt oſtendat totam eam regionem caruiſſe arboribus, non iacentia ſolum, ſed *etiam* ipſos montes, in quibus tamen fere lætius proueniunt ſiluæ.

7,3,9. *CARINÆ)* Nec aliter pleraque in Germania tecta, quam in carinæ, aut ſepulchri aggeſti formam fiunt & clauduntur, latera tamen æquali ſpacio vſque ad tecta ſurgunt; tecta ipſa carinam inuerſam imitantur. Raderus. Vnde autem forma iſta ædificiorum Numidis familiaris fuerit, docet Salluſt. Iugurth. 18,2. *Ex eo numero* (Herculis exercitu) *Medi, Perſæ, & Armenii nauibus in Africam tranſuecti, proximos mari noſtro locos occupauere. Sed Perſæ intra Oceanum magis: iique alueos nauium inuerſos pro tugurriis habuere: quia neque materia in agris, neque ab Hiſpanis emendi, aut mutandi copia erat. mare magnum, & ignara lingua commercia prohibebat. hi paullatim per connubia Getulos ſecum miſcuere: & quia ſæpe tentantes agros, alia deinde atque alia loca petiuerant, ſemetipſi Numidas appellauere. Ceterum adhuc ædificia Numidarum agreſtium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurui lateribus tecta quaſi nauium carinæ ſunt.* Vt illi nauium alueis, ita Scythæ apud Iuſtin. 2,2,3. *plauſtris, coriis, imbrium hyemiſque cauſſa tectis, pro domibus vtuntur.* Antiquiſſimis hominibus *ſpecus erant pro domibus,* vt putat Plinius 7,56,4. & Ouid. Metam. 1,121.

AD MEDIVM) Hic locus, de quo Modius quid ſtatuendum ſibi ſit, ſe neſcire candide fatetur, diſtinctiuncula ſaltem emendatur, & ſic legendus eſt: *foramine relicto ſuperne, lumen accipiunt ad medium. Vites &c.* Diodor. 17,82. κεῖ ἡ μέση τοῦ θερόφιν ἀπολειμμένης διωρύγος. *in medio foramen luci excipiundæ eſt relictum.* vt hodieque in locis quibuſdam ſeptentrionalibus videre eſt. Mox addit Curtius: *Vites & arbores, ſi quæ in 2.1.f. d. potuerunt, obruunt. Penius hyeme defoſſæ latent.* vel ſic: *obruunt penitus. hyeme d. l.* Itaque non ad medium obruunt vites, ſed totas, vt hyeme plane conſpici nequeant, ſed penitus defoſſæ lateant. Diodor. *Vites & arbores aggeſta vellure operiunt &c.* Loccenius. Cuius iudicium ſequimur. inſuper & pro *terræ frigore*, ſcripſiſſe Curtium putamus, *terræ rigore.*

7,3,10. *VITES)* Quod etiam ſit in toto Mœni tractu & Nicri. Minus autem in Alſatia, vt notat Colerus ad Alex. dies genial. 4,7. vbi rem mirari, ſed tamen, vt illi videtur, certam recenſet, ideo referendam hic quoque: *In citeriori Germania intra Danubium loca eſſe, in quibus, niſi contra frigora & gelu ac feram ſæuamque hyemem, vites maxima parte anni ſub nimibus humo contectæ iaceant, quum nulla his contra immodica frigora tempeſtateſque firmitas ſit, vtpote in tractu gelidiſſimo, prorſus algore inter-*

eant. Eas demum liquatis nitibus, æstate anni ingruente, & calore cœli, mirifice germinare, & frondes geniculatas emittere, sed vini parum effundere. Interque eas nonnullas, nescio quæ cœli temperie, seu occulta & cæca origine vites existere peculiari miraculo, & admirationis præcipuæ : quæ clauiculos & plerunque candicantia folia ex puro auro germinent, & simul coalescant, illoque vidisse (amicum, qui retulerit Alexandro) *& manibus attrectasse &c. Etiam vites aiunt in Bosporo sub hyemem defodi, multa ingesta terra.* Strabo lib. VII.

7,3,12. *TAMEN)* Malim *tum*, quas particulas sæpe viciſſim permutari video.

7,3,13. *PLVRIMORVM)* Sic puto concepta elegantiora sint: *multos exan. v. i. niuis : adussit pedes plurimorum : oculis &c.*

OCVLIS) Xenoph. ἀνάβασ. lib. 4. *Relicti de nostris multi sunt, qui oculos ex perpetuo niuium aspectu amiserunt. Multi item quibus gelu pedum digiti obstupuerant. Hic unicum erat oculis præsidium, si quid ante eos nigri prætendissent : pedibus, si corpus assidue moverent.* Loccenius.

QVIPPE) Acidal. volebat *fatigatique in ipso gelu &c.* Sed istud *quippe* ostendit quomodo acciderit, quod modo præfatus fuerat.

7,3,14. *INGREDI)* Idem apud Xenoph. d. loc.

7,3,15. *FVMVS)* In Bactrianis id accidisse refert Ælian. hist. var. 12, 37. vbi *milites ipsos vicos ceperunt, ex fumo inhabitari conjicientes, & nivem à foribus auferentes.*

7,3,17. *AGMEN CIRCVMIBAT)* Hoc est, quod præcepit Leo Imp. capite 9. Tactic. sectione 12. *Sin admodum lubrica difficiliaque loca fuerint, te ipsum oportet primum eo transire; deinde ibi consistere & commorari, donec omnes sine offensione transierint.* Similia leguntur de Iuliano, Iphicrate, Corbulone, quæ refert Gruter. disceurs. cap. 15. ad Tacit. 14, 24, 1. *Sola Ducis patientia mitigabantur, eodem plura quam gregario milite tolerante.* Eximium est præceptum, quod Cambysem Cyro tradidisse fingit Xenoph. παιδ. lib. 1. *In rebus agendis, si per æstatem gerendæ sint, solem Imperator in omnium oculis perpeti supra ceteros debet : per hyemem, frigus : quum laborandum est, labores.* moxque subjicit : *labores eosdem similibus corporibus Imperatoris ac gregarij militis, æque graues non esse, quod ipse honos leniores faciat Imperatori ; & quod intelligat in oculis hominum esse, quidquid ipse faciat.* Quem locum impense placuisse Africano Scipioni ait Cicero Tusc. quæst. 2, 26. Vide supra ad 4, 14, 6.

IN MEDIVM) Potius alicui sit, *in medio.* nam cur non eodem flexu addat *in vltimum?* Mihi vt obscurum, cur hoc noluerit, ita clarum, illud maluisse. Sic & 3, 11, 4. *Itaque ipse in medium Persarum vndique circumfusi egregie se tuebantur.* Et delectatur alias ea forma 6, 5, 26. *vt primum rex in conspectum fuit.* Iterum 3, 5, 10. *in Ciliciam fore.* Quæ nec Ciceroni infrequens, ad Attic. 15, 4. *quo die in Tusculanum essem futurus.* Acidalius. Vide Indicem, *in.*

LOCA) Poterat abesse, sed cum libri scripti editique teneant, quid nos possumus?

POTVERANT) Ita scribendum Acidalio monenti, ob ipsius rei euidentiam paruimus.

7,3,19. *CAVCASVM)* Omnes opinor terrarum descriptores Caucasum cum Tauro iungunt, & confundunt, Strabo lib. 11. Plinius 5, 27, 14. Ptolemæus. Diodorus. Philostratus Apollon. 3, 1. Solinus cap. 38. Curtius. Aristobulus & ex illo Arrianus 3, 6, 2. Mela 1, 15. Eustathius ad Periegetem. Sed nemo accuratius & planius super eo disputat, atque Goropius in Indo-scythicis pag. 474. qui & ex Plinio rationem nominis & discrimen duorum montium Tauri & Caucasi aperte ostendit, & omnia

omnia diserte exponit, cuius hoc loco pro interpretatione Curtii verba apponerem, nisi pluscula essent, quæ tute leges. Raderus. Ceterum negant peritissimi auctores Caucasum Alexandro visum, sed aliis montibus id inditum nomen ab adulatoribus, ob causam, quam audiemus ex Eustathio. Sic enim ille in Dionys. vers. 1159. *Sciendum autem est, quibusdam illa Liberi Herculisque gesta incredibilia & fabulosa videri, & per adulationem conficta. Quum enim omnes, aiunt, ea quæ de vinclo Prometheo narrantur, in septemtrionali Caucaso facta credant ; Macedones Alexandro adulantes, transtulerunt sermonibus suis Caucasum ad mare Orientale : eo nomine appellantes montes quosdam Indicos. Illi ipsi autem assentatores specum quandam sacram in Paropamisadis ostendentes Alexandro, locum esse dixerunt in quo Prometheus vinctus olim fuerit eoque Herculem ad liberandum eum venisse : in argumentum eius rei trahentes vaccas, quæ ibi conspiciantur signo clausæ inusto, quod esset Herculis insigne. Vt hac ratione ad vtrosque orbis terminos peruenerit Hercules : ideo etiam Alexandrum, secundum adulatores istos, neque illi, neque adeo Baccho absimilem esse, cum & ipse eodem quo illi penetraueris &c. Iidem autem adulatores, vt tradunt veteres, Caucasi nomen indiderunt tam Paropamiso, quam Emodo, & Imaο* (seu potius Imao) *Indicis montibus.* Quæ magnam partem hausisse videtur ex Arriano 5, 1, 12. Certe quæ hoc capite, aliisque seqq. scripsit Curtius, dubitare non sinunt, quin per hunc Caucasum, ad quem iam *agmen peruenit*, intelligendus sit Paropamisus. Idque diserte tradit Arrian. 5, 1, 21. *Taurus &c. Paropamiso monti committitur, quem Macedones Alexandro militantes Caucasum appellabant, studio (vt fertur) Alexandri res gestas amplificandi. quasi Caucasum continuata victoria Alexander superasset. Fieri autem potest vt hic ipse mons cum altero Scytharum Caucaso coeat, quemadmodum Taurus cum hoc. atque ego quidem idcirco superius (3, 6, 1.) hunc montem Caucasum vocaui, & deinceps hoc nomine appellabo.* Quæ postrema ad euitandam confusionem probe notanda sunt tam Arrianum legenti, quam alios auctores; nam & alios hoc consilio vsos, & forte hunc ipsum Curtium, licet animaduertere. Sane videtur Arrianus postquam superiora scripsisset, demum errorem hunc deprehendisse, eamque excusationem hoc loco protulisse, vt potius nonnulla ratione, quam per imperitiam Caucasi nomen Indicis montibus tribuisse videretur. Idque ex eodem Indic. 1, 20. certius apparet, quia ibi expresse negat Caucasum fuisse vocandum in his partibus montem: quod tamen superioribus locis in medio reliquerat. Ceterum hoc modo non tam auxisse eos gloriam Alexandri, quam minuisse docet maximus auctor Strabo lib. 11. qui dignus est audiri: *Quæ autem augendæ gloriæ vulgata sunt* (Sic enim verto τὰ πρὸς τὸ ἔνδοξον ψευσθέντα) *esti in iis consentiant omnes, tamen qui confinxere, adulandi quam veritatis fuerunt studiosiores. Quale est, quod Caucasum in montes Indicos eisque vicinum mare orientale transtulerunt, à montibus qui supra Colchidem & Euxinum mare sita sunt, quos Graci Caucasum nominant, amplius XXX. stadiorum millibus ab India distantes : ibique Prometheum vinctum fabulose tradunt, cum nihil vlterius versus ortum Solis cognouissent. Bacchi enim & Herculis in Indos expeditio posterius tempore commentum præ se ferunt : quippe cum Hercules Prometheum mille post annis dicatur soluisse. Fuit sane gloriosius, Alexandrum vsque ad Indicos montes, quam vsque ad intimum Euxini sinum & Caucasum subegisse Asiam : sed gloria montis, nomenque, & quod Iason cum suis longissimam creditus est expeditionem fecisse progressus vsque ad Caucaso vicina loca, quodque traditum fuit, Prometheum in extremis terræ finibus ad Caucasum fuisse alligatum : hæc inquam fecerunt, vt gratiam regis se inituros putarent, si nomen Caucasi in Indiam transportassent.* Atque eadem fere repetit lib. 5. Ceterum ista nominum confusio tam Curtium hoc loco, quam & Ptolemæum, in graues errores induxit : illum vt vni monti adscriberet simul, quæ separatim ad alterutrum pertinent; hunc γὰρ Ἀλεξάνδρου στήλην vltra septemtrionalem Caucasum poneret: quas

vltrà hunc Indicum fuisse ponendas Salmasius ille ad Solini cap. 38. pag. 789. docet. idque etiam ostendunt illa Dionysii versu 1162. *Emodos montes adiit, quorum sub radice Volutur orientalis ingens vnda Oceani. Vbi duabus columnis positis in finibus terræ, Exultans ad fluentum rediit Ismeni.* Ex eodem fonte illum quoque Curtii errorem manare, quod ex hoc suo Caucaso orta flumina in Ponticum mare scribit, mox demonstrabimus. Multa etiam de vtroque hoc Caucaso disputat in periplum Arriani Stuckius.

7,3,21. *ET PONTICVM)* Supra ad 7,3,4. Curtium defendi posse diximus, si emendes *& Indicum:* sed verius est ipsius esse hallucinationem, ex confusione ea ortum, quam fecit communicatum Indicis montibus Caucasi vocabulum. Hoc vt manifestius fiat, consideremus quod modo monuimus, quot res diuersis montibus adscribendas vni tribuerit. Primo dicit Alexandrum venisse ad Caucasum montem, Indicum intelligens: mox, *cuius dorsum Asiam perpetuo iugo diuidit*; quod de Indico est falsissimum: de Pontico dubium. ea enim res ab Arriano Ind. 1, 4. & aliis Tauro tribuitur. Ideo in pace Antiochi iubetur rex, *Asia omni quæ cis Taurum est decedere.* apud Liu. 37, 45, 9. idem iudicium est de sequentibus: mox; *sic inter se tot iuga.* id de Caucaso Pontico & Tauro verum est sic connecti; sed de Indico hoc Caucaso vel Parapamiso, docendum fuerat. Ergo cum de fluminibus ex his montibus exortis verba facit, toto animo ab Indico Caucaso auersus, Ponticum magis videtur cogitasse. Quem iterum in sequentibus amandat, Indicumque recipit, cum eo ipso tempore 17. *dierum spatio superatum* scribit. Et statim tamen ad rerum Caucasum redit. quando *de Promethei* fabula subjicit. Denique cum *Alexandriam* ibi conditam ait, iterum de Indico monte intelligendus est. Ergo & quod de Pontico mari scribit id excipere flumina ex his montibus nascentia, sic capiendum est, vt intelligantur ea, quæ ex Caucaso proprie ita dicto, continentibusque iugis orta in mare Ponticum influunt.

7,3,22. *PROMETHEA)* Quid Prometheus commiserit, vt in crucem ageretur, docent omnes veterum fabulæ. Æschylus tragicus primo dramate *Prometheus* inscripto. Hesiodus in Ἔργοις & Θεογονίᾳ. Lucian. duob. dialogis *Prometheus seu Caucasus*, & *Promethei ac Iouis.* Claudianus in 4. panegyrico consulatus Honorii Augusti. Hyginus Fabulis, Phurnutus prolixe, Fulgentius in Mythologico, Petron. Arbit. in Hendecasyllabo. Seruius ad sextam Virg. Eclogam, Apollon. lib. 3. Ouid. Metam. 1, 82. Horat. Carm. 1, 3, 25. Propert. 2, 1. Iulianus Epigrammatographus, Menander, Pausanias in Atticis, Orpheus in hymnis, Natal. Comes Mythol. 4, 6. Gyraldus in Vulcano Syntagm. 13. Ioan. Tzetzes Chil. 6, 82. Sed præter hos omnes Gorop. nouo more, ratione, ingenio, sensu ab omnibus diuerso, fabulam doctissime in Indoscyth. explanat omniaque ad Noam arcæ fabricatorem refert. *Hoc igitur cum ageret* inquit, (arcam moliretur, & impios ad mores corrigendos adhortaretur) *atque forte, vt fit, impii videndi caussa aliquando accederent, viderentque eum, vt vanum & delirum, qui illa, quæ tanto post essent futura se scire crederet, hortarenturque vt stolido proposito & insano opere supersederet, atque à monitibus & agresti & dura vita ad molliorem se transferret, tandem nihil audiens, sed contra increpans, occasionem dedit, vt fabulam eum facerent, dicerentque Prometheum Caucaso alligatum, cuius viscera vultur depasceres à Ioue immissus, quod ignem surripuisset. Quo nomine id sua tum lingua fecerint, nihil ad nos, quando commentariis nullis id proditum videmus: hoc certe video, reliquias quasdam obscuras huius memoriæ occasionem dedisse vetustissimis Græcorum de Prometheo fabulandi. Sed quia veræ historiæ erant ignari, longe recesserunt à veritate. Nam Prometheum Iapeti facinus filium, cum hic illius fuerit: deinde Deucalionem Promethei monitu Larnacem compegisse aduersus Iouis consilium, quo vniuersas mortales perdere statuisset. Ego rem ita opinor ad posteros venisse, Ioue narrante: Patrem suum apud homines dictum fuisse Prometheum, per derisonem,*

nem, reuera tamen Prometheum fuisse, non sua, sed diuina scientia, id est, consilium hominibus dedisse, quo ira Dei exungueretur: sed frustra Epimetheo, id est, populo Gigantum nihili pendente admonitionem futurorum. Quia vero post tot annos omnes interituros dicebat, nisi vitam emendassent, cauillabantur, eum vulturem in visceribus alere, qui cadauera tanto interuallo temporum & locorum præsentiret: atque hunc illi tortorem datum esse, atque carnificem à Ioue, propterea quod diceret totum orbem vndis obruendum, quasi omnis ignei elementi vis esset Ioui surripienda. Huius igitur furti ipsum pœnas pendere, non quod id commisisset, verum quod cogitasset. Nam qui alioqui aqua omnia superaturæ fuisset, nisi quis Ioui igneum elementum surripere proposuisset? Quis vero proposuisse iudicari posset poterat, quam is qui se conscium dicebat, aqueum elementum superaturum. Iam dicebant, à Ioue Caucaso alligatum, eo quod illinc nunquam fere discederet, sed operi tanquam metallicus quispiam vinctus semper assideret. Hæc igitur omnia, & id genus alia in eum contitia torquebantur: quæ Ianus cum liberis suis narrasset, in causa fuit, vt multæ cæcæ fabulæ hinc confingerentur. Scio Promethei nomen Deo tribuendum, sicut & Saturni, & Iouis, & Mercurii, & id genus alia, quibus diuersæ in Deo potestates indicantur: sed hæc, vt quæque vis diuina maxime in aliquo eluxit, ita ei tributa fuisse. Sic Noam Saturnum nominatum, à vi seminis: Prometheum, à consilio & prouidentia. Græci certe Prometheum bene diluuio euitando præposuerunt, sed male à Deucalione separarunt. Idem enim fuit, sed diuersis temporibus: Prometheus ante diluuium, Deucalion in diluuio. Hæc intellecta, cum fabulis lucem adferunt, & ab eis falsa figmenta tollunt; tum docent ad Caucasi radices arcam factam fuisse, quod mihi toto hoc primæ hominum habitationis & diuisionis discursu, propositum fuit probare. Atque hæc de Prometheo satis, de quo etiam noster Salianus Anno Mundi 1557. num. 24. Raderus. Porro fabulam Promethei non ad hunc Caucasum pertinere, iam in superioribus notis explicatum est. Nec tamen nocet addere, verum locum eius visum ab Arriano, vt ipse testatur in periplo Ponti Euxini 1, 34. Item à Pompeio, cum res iis locis gereret, Appianus in Mithrid. & Apollonio apud Philostratum in vita 2, 2.

7,3,23. *SENIORVM)* Vnus MS. *seruorum*, quod verum puto: nam cur idem bis diceret. *Seniores* & *ij quorum opera vti desisset*, nonne iidem sunt. Scribam: *Septem millibus seruorum, & Macedonum præterea inutilibus, quorum &c.* Confer Notam ad 10, 2, 8. infra. Etiam in Ditmari Chronico pag. III. m. simile mendum deprehendi. Sic omnino fuit: Duo genera hominum in ea oppida imposuit, seruos, & milites inutiles. infra 7, 6, 27. *Incolæ nouæ vrbi dati captiui, quos reddito precio dominis liberauit.* De inutilibus militibus, tam Cambysi ante Alexandrum quam ipsi sæpius ita visum est. Sic enim colonia *fuit Cambiju* (Cambysis) *inter Nelos & Marchadas, deductis eo agris exercitus.* Plin. 6, 29, 2. apud eund. 6, 27, 21. Charax oppidum *conditum est primum ab Alexandro Magno: qui colonis ex vrbe regia Durine (quæ tum interiit) deductis, militumque inutilibus ibi relictis, Alexandriam appellari iusserat.* Hanc ipsam vrbem denuo sic auxit colonis, vt tradit Arrian. 4, 4, 12. *Peruenit Alexandriam, quæ apud Parapamisadas condita fuerat, quum primam expeditionem in Bactra faceret: præfecitque illius loci amouis* (de quo dixerat supra 3, 6, 1.) *quod non bene officio suo functus fuisse videretur: pluribusque colonis in Alexandriam, ex finitimis & Macedonibus qui inutiles bello erant, deductis &c.* Idem fecit in Alexandria ad Tanaim: *Vrbem, quam condere statuerat, viginti dierum spatio muro circumplexus, eam Græcis mercenariis habitandam dat, & finitimis barbaris, quibus sua sponte eo commigrandi voluntas fuit, nonnullis etiam Macedonibus, qui inepti bello erant.* Arrian. 4, 1, 17. Idem obseruauit in vrbe Arabica quam condidit. nam *coloniam eo deduxit ex Græcis mercenariis, voluntariis, & qui aut senectute, aut casu aliquo inepti bello facti erant.* Arrian. 7, 4, 21. Supra quoque idem

nobis

nobis notatum ad 5, 2, 16. Sic Augustus finito bello Hispano condidit Augustam in Lusitania cognomento Emeritam; quod ibi τὰς ἐφηλικιστέρους τῶν στρατιωτῶν (*Seniores militum*) collocarat. Dio lib. LIII.

ALEXANDRIAM) Quam deinceps propter errorem supra notatum ex Indicis finibus transtulerunt ad Septentrionalem Caucasum, vt Sanutus in secretis fidel. cruc. 3, 13, 5. ex Haythono. *Alexandri oppidum* appellat Plinius 6, 17, 23. ex Bione & Diogneto. additque *hanc vrbem sub ipso Caucaso esse positam.* quod de Indico Caucaso, siue Paropamiso capiendum. vt patet ex dictis, & Arriano 3, 6, 1. & 4, 4, 12. de ea sentit Strabo lib 15. *Exacta ibi* (in Paropamisadis) *hyeme, & vrbe condita, habens Indiam superne ad dextram, per summa montium transiuit Bactrianam.*

7, 4, 1. *MOS EST*) Quem ex aliis quoque auctoribus puto Herodoto 1, 133. Athenæo 4, 10. 6, 4. & 5. Scholiaste Aristoph. in Equites ad verba Οἷς δ' ἰυγοὺς. Suida in verbo. Οἷς πιεῖν. Maximo Tyrio Orat. XII. Ammiano 18, 10. f. Curtio hoc loco, & Strabo lib. 15. docet Brisson. de regno Pers. lib. 2. pag. 219. Idem maioribus nostris tribuit Tacit. Germ. cap. 22. vbi Lipsius. Illud notandum, quod apud Athenæum 10, 10. Ctesias & Duris scribunt: *Ex omnibus festis diebus eo solo quo Persæ Mithræ sacra faciunt regem inebriari.* Eum ergo morem etiam Curtium hoc loco in animo habuisse putem: eoque præmisisse de sacrificio diis facto. vt ita Bessus, qui pro rege se tum gerebat, nihil tum præter legem Persarum fecisse videatur. Noli ad consuetudinem populi Rom. transferre, quod Æmil. Paulus apud Liu. 44, 22, 6. queritur: *in omnibus circulis, atque etiam, si diis placet, in conuiuiis esse, qui exercitus in Macedoniam ducant &c.* nec enim de iis loquitur, quibus de ratione belli serio deliberandum erat; sed conditionem ducum miseratur, quorum consilia gestaque ab otiosis, &, vt fere solet, imperitis inter pocula & mensas reprehendi examinarique consueuissent.

7, 4, 3. *FAMAM*) Non muto: sed quid si *fortunam?* Acidalius.

7, 4, 5. *PRO MVRO*) Sic Persæ apud Xenophont. ἀναβάσ. 2. *verebantur, ne Græci pontem transirent, ac in insula manerent, in qua ex parte vna Tigri fluuio, ex altero alueo* (fossa) *pro munimento vterentur.*

7, 4, 8. *COBARES*) An leg. *Oebares?* hoc enim Persicum nomen, potest tamen & illud fuisse. Diodorus Siculus 17, 83. *Bagadaram* appellat, qui rem copiosius exponit.

MAGICÆ ARTIS) Multa super magis & magia supra ex Brissonii regno Persico allata & disputata, quæ tu apud eundem videbis lib. 2. pag. 179. Hic Curtius videtur de Magia superstitiosa, præstigiatrice, & dæmoniaca loqui. Omnis magiæ, naturalis, artificialis, & præstigiatricis formas describit doctissimus noster Delrius disquis. mag. lib. 1. cap. 2. quem consules. Curtius de artificiali videtur loqui, cum *artem* appellat. Raderus. Qui intercedentibus paucissimis lineis, aliter atque aliter de mente Curtii pronunciat. quem de magica arte, qualis apud Persas fuerat, sentire, hoc est mixta ex naturali & præstigiatrice, facile quiuis intelligat. Nam quod propter vocabulum *artis*, de artificiali sentire putat, nimis leue argumentum est: cum & aliæ species, vel ab vno Plinio compluribus locis *artis* nomine appellentur. Vide Acidal. ad Curt. 7, 7, 9. & Beroaldi præfationem in Asinum Apuleianum.

VANISSIMI) Idem de ea arte iudicium est Plinii, infinitis prope locis: vnum ex potioribus adscribam. Sic ergo librum 30. orditur: *Magicas vanitates sæpius quidem antecedentis operis parte, vbicunque causæ locusque poscebant, coarguimus, detegemusque etiamnum: in paucis tamen digna res est, de qua plura dicantur. vel eo ipso, quod fraudulentissima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque seculis valuit &c.* Ipsosque adeo Magos atque circulatores vulgari appellatione *vanos* appellatos, ex verbis

bis Capitolini in M. Antonino cap. 13. *Vano cuidam, qui diripiendo vrbis occasionem cum conscijs requirens &c.* putat Heraldus ad ista Arnobii lib. 1. *Magicarum artium ludii.* Sed in Capitolini loco aliam lectionem: *Plano cuidam*, ex libris vett. & ratione, præferunt eruditissimi commentatores. Ceterum artis magicæ ludibrium etiam agnoscit Propertius illo versu Eleg. 1, 1, 19.

At vos deductæ quibus est fallacia Lunæ.

Vbi *fallaciam* dicit Lunæ deductæ; recte sentiens Magorum carminibus non ipsam Lunam sede sua detrahi, sed mortalium oculos vana specie deludi, vt id fieri arbitrentur.

7, 4, 9. *SERVO*) Eadem fere sententia in istis Plauti Mil. Glor. 2, 5, 65.

\- - - - *SC. quid propius fuit,*
Quam vt perirem si locutus fuissem hero! P. A. ergo si sapis,
Mussitabis. Plus oportet scire seruum, quam loqui.

PROPRIVM PERICVLVM) Quæ res efficit, vt dum illud timendo prudentes silent, resp. maximis damnis afficiatur. Eleganter id ostendit Lycurgus Orator in princ. contra Leocratem, querens: τὴν ἰδίαν κινδυνεύοντα, καὶ ὑπὲρ τῶν πολιτῶν ἀπεχθανόμενον, ὃ φιλόπολιν ἀλλὰ φιλοπράγμονα δοκεῖν εἶναι. *eum qui suo periculo rem gerat, & pro communi bono inimicitias suscipiat, non ciuitatis, sed negotiorum amantem videri.* Hinc Capitolin. in Maximo & Balbino cap. II. *Habetis sententiam P. C. mihi fortasse periculosiorem quam vobis.* Quam vulgi opinionem & iniquam, & publice noxiam esse, latius prosequitur.

POCVLVM) Bessus Cobari tradidit poculum, vt colligitur ex sequentibus: Forte ipsum etiam nomen eius inferendum: *Bessus poculum ei &c.* est enim in nonnullis lib. magna hic lacuna. Nescio autem an non interpretandum hoc sit de more, qui & apud Græcos fuit, vt in symposiis audiretur ille, qui haberet calicem. Vnde acutissimus ille iocus in Demosthenem apud Plutarch. cap. 35. Cum enim ille calice insignis cælaturæ, aliisque donis ab Harpalo acceptis, male audiret, seq; purgare volentem *non audiret populus, exurgens quidam sese ait: Non audietis Athenienses istum, qui calicem habet?* Vbi inter varias lectiones à Stephano subnexas egregium est scholium ἐν τῷ τοὺς συμποσίοις τὸν κύλικα ἔχοντες ᾄδοντα λιγόμενα σκολιά. *Nam in compotationibus qui calicem habebant, canebant scolia, quæ appellantur.* Vt nimirum eo quasi insigni tota sodalitium agnosceret, cuius esset cantilena, adque eum se obuerteret. quem morem in nonnullis Galliæ locis exacte obseruari vidi. Sunt autem σκολιὰ, μέλη παροίνια, siue cantiunculæ potatoriæ, interdum & amatoriæ, quales inter vinum cani solent. cuius generis sunt pleraque, si non omnia, Anacreontica. Vide eruditissimas Animaduerf. Casaub. in Athenæum 15, 14. Pertinet eodem & Platonis locus in Conuiuio, vbi Eryximachus: πῶς ἂν, ὦ Ἀλκιβιάδη, ποιοῦμεν; ἢ πῶς ἢ τί τι λέγομεν ἐπὶ τῇ κύλικι, ἢ τί ἄδομεν; *Ecquid agimus Alcibiades? ita neque dicimus quicquam super calicem, neque canimus?* Et mox: *tu autem quum neque dixeris, & tamen satis biberis, debes optimo iure dicere.* Ii sermones ἐπικυλίκειοι λόγοι sunt Athenæo in princ. operis. An igitur & apud Persas talis consuetudo fuerit, an, vt sæpe fieri solet, ab vna gente ad aliam transtulerit Curtius, doctorum esto iudicium.

7, 4, 10. *DVCI*) Antoninus histor. part. 1. tit. 3. cap. 2. §. 14. verba hæc recensens scribit *dici.* quod fieri possit: Illud non perinde, Cobari ea tribui tamquam ad Alexandrum Babylonem contra magorum placitum ingredientem prolata. Illam autem lectionem *dici*, etiam probare videtur Cunæus, qui sic expressit ista Curtiana in Sardis venalibus, à Mirandula pronunciari faciens.

IN SVO NEGOTIO) Idcoque recte Sirachides 32, 24. monet: *Fili,*

sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit. & magnus ille Salomon Prouerb. 3,7. & 12,15. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Nempe, quod à Sophocle scriptum est,

Rebus in arduis sapienti
Quid consilij capiat, sæpe est
Difficile - - - - - Chokier aphorism. polit. 2,23. Vide

Lipsii Notas ad sua Polit. 3,8,9. Nam & Medici præstantissimi suo in morbo alios consulunt, vt Ciceroni inculcat Philiscus apud Dion. lib. XXXVIII. καὶ οἱ τὰς πόλεις κυβερνῶντες ἔχοντες πάντα μᾶλλον ἢ τὰ οἰκεῖα γινώσκουσι, *Qui sunt in imperio constituti omnia potius quam sua ipsorum cognoscunt,* vt ait idem auctor lib. LV.

7,4,11. *TVRBIDA*) Quod hîc sequebatur vocabulum *facta*, cum Bong. Cod. & Radero dispunxi.

OBSTAT METVS) Affine est quod notat Tacitus 3,67,2. in Silano reo: *proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat.* Et ex apologia Demetrii locus prolixior apud Liuium 40,15,10. vnde pauca hæc exscribam: *attonitus repentino atque inopinato malo, vix quid objiceretur, intelligere potui: nedum satis sciam quo modo me tuear.* Omisi autem vocem *aliis*, quæ hic præcedebat in quibusdam edd. elegantius enim sic dixit; *obstat metus, aliis cupiditas* quam si dixisset: *aliis metus, aliis cupid.* quales formæ loquendi Taciti dictionem valde commendant peritis & adsuetis.

CVPIDITAS) Cupidinem atque iram pessimos consultores vocat Sallust. Ing. 64, 4. & in fine capitis: *animo cupienti nihil satis festinatur.* Quomodo & Claudian. de raptu Proserp. 3,137.

- - - - - - nulla retenti
Mobilitas, tardos queritur non ire iugales &c.

& Liu. 29,35,9. *desiderio indigentium auxilii tardius cuncta mouebantur:* Ita cupido festinationem parit, quo nihil rectis consiliis cogitari possit iniquius. Id sapientissime ex Fabii persona Liuius 22,39. f. expressit: *Omnia non properanti clara certaque erunt: festinatio improuida est & cæca.*

QVÆ COGITAVERIS) Quæ ipse inueneris: hoc est proprii consilii. Quo ingenio Laconem describit Tacit. H. 1,26,4. *consilii quamuis egregij, quod non ipse afferret, inimicus; & aduersus peritos peruicax.* Inter apophth. Henrici IV. Galliarum regis, vt erat ingenii prompti, hoc quoque fertur, eum conspecto duce quodam ex vicinis mediocri cantherio vectum dixisse ad proximos: Ecce equum insignite fortem. illisque mirantibus, quasi caussam reddentem subiecisse: *Il porte le duc, & tout son conseil. Ducem,* inquit, *vna cum toto suo Consilio vnus vehit.*

7,4,12. *MAGNVM ONVS*) Vide Gruteri discurs. ad Tacit. cap. 5. Summam totius rei complectitur illa ex intima sapientiæ medulla educta sententia Socratica in lib. 1. Platonis, de rep. *si ex bonis viris constaret ciuitas, in ea ita certatim eo ciues incumberent ne imperarent, veluti hodie pugnant, vt imperent.*

NON IMPETV) Vellei 2,31,6. *Dissuadebant optimates; sed consilia impetu victa sunt.* Raderus.

7,4,13. *CANEM TIMIDVM*) Thrasonum est, turgidis minis dira moliri: at Chremes (Terentianus) ad rem gerendam promptior. Sic & Atheniensis [de quibus Liu. 31,44,10.] ad bene dicendum, quam ad gnauiter agendum accommodatiores fuisse leguntur. Nec Aiaci promptum fuit dicere, nec Vlyssi bellare. Et Lacedæmonii verbis parcissimi, virtute longe præcelluerunt. Et apud Homerum Il. 3, 1. Græci taciti pugnam ineunt, sed vim spirantes, cum barbari immani clamore accurrerent. Denique mulieres lingua melius quam viri belligerantur. Erasmus Adag. 3,7, 200. Nobile huius dicti Curtiani documentum infra est 9,1,31. *Nobiles ad venandum canes*

canes in ea regione sunt, latratu abstinere dicuntur &c. Raderus. Pertinet eo nota, quam communi Græcorum genti inurit Liuius 8,22,9. *Græci, gens lingua magis strenua, quam factis.* Et hæc de iactantia ante prœlium potius accipienda: eorum videlicet, *quorum omnis vis virtusque in lingua sita est.* vt ait Sallust. de Rep. ord. Orat. 2,10. Nam in ipso prœlio clamorem haud parui momenti sæpe fuisse, supra ad 3,10,1. annotatum est.

FLVMINA) Hoc multo rotundius exprimit vernaculum proverbium; **stille Wasser gründen tieff:** peculiari linguæ Germanicæ ad adagia tum grauitate, tum etiam elegantia, quibus rebus politissimis reliquarum vbique fere parem esse contendo, sæpe & superiorem.

7,4,14. *SVSPENDERAT EXSPECT.*) Acidalius vere emendauit: *In his audientis* (quod est, *audientes*) *suspenderat exspectatione sui.* cui suffragatur ipse Curtius 9,7,20. eodem modo locutus: *Ea ipsa res omnium animos exspectatione suspenderat.* Raderus. Offendor tamen adhuc illo principio; *In his.* forte fuit: *Vt his audientis susp. exp. sui; tum conf. aperit.* Aliter enim ne quidem probe cohæreant. Vel *Mentis* (pro *mentes*) *audientium suspenderat.*

QVAM TV MENSAM) Ὑπερβολικῶς hoc. *Dictum factum.* paroemia est de re dicto citius perfecta &c. Erasmi adag. 2,9,82. & 3,6,85. consule. Raderus.

STRENVVM METVM) Inde illud vulgo notum

- - - pedibus timor addit alas, ex Virg. Æneid. 8,224. Respexit Euripid. in supp. φόβῳ μὲ ἀναπτεροῖ.

7,4,18. *VMBRA QVOQVE VIRGÆ*) De equorum docilitate &c. Lipsius, supra ad 6,6,18. De la Cerda ad Æn. 4,41.

Et Numidæ infreni ingunt - -

Et nos ad Martial. epigr. 9,23.

Et Massilæum virga gubernet equum.

Miror tamen nec ab illis, nec à nobis hunc nobilissimum Curtii locum animaduersum & notatum, quem Gruterus contulit in suas gnomas:

Equum generosum etiam vmbra virgæ rexeris.

Scripsit & Simon homo Græcus, quem Xenophon laudat, librum de equestri re; & Xenophon ipse: in quo de equo vmbra virgæ regendo nihil. Raderus. Hunc Curtii locum cum aliis à Radero citatis aduertit Dausqueius ad illa Silii 1,217.

Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

7,4,21. *CLIENTVM*) Hi erant, qui propius magnatibus deuincti, magna beneficia fere perpetua fide pensabant, ne in extremis quidem patronos suos deserentes. Ergo olim stante re Rom. *vt quisque opibus, domo, paratu spectosus, per nomen & clientelas inlustrior habebatur.* Tacit. 3,55,2. proin apud eundem 13,37,1. maxima Tiridatis erat vis in *propriis clientelis.* Et Pompeii filio grauiter inculcat *clientelas* à patre relictas, Cato apud Hirtium de bell. Afr. cap. 22. Nihil ergo mirum, si vicissim pro ipsis omnem lapidem mouebant patroni. illustri Cæsaris exemplo quem ita de se dixisse ex Agellio 5,13. comperimus: *neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam à propinquis nostris opem ferre institutum.*

7,4,22. *AD FAMEM*) Malo legere *prope famem,* vt apud Tacit. H. 3,21,1. *prope seditionem ventum.* Berneggerus.

7,4,23. *SESAMA*) *Sesama* & *Sesamum* Latinis. Plinius 18,10. *Sesama ab Indis venit.* Columella 11,3. Petronius post princ. Plautus Pœnulo 1,2,113. [vbi Taubmannus.] alii in neutro dixerunt *Sesamum.* Græcis Σήσαμον apud Theophrastum 8,5. & Dioscoridem 2,121. Homerum Βατράχ. v.36. σισαμίς: Arabibus *Semsem* aut *Senseta.* Italis *Sesamo.* Hispanis *Iorgilium* & *Alegria.* Gallis *Iugoline.* Germanis spuria

voce **Leindotter** aut **Flachsdotter**/ quam tamen vocem docti rejiciunt, nec formam penicillo vel cælo expressam & subiectam probat Matthiolus ad Dioscor. 2, 92. quos leges. Galenum quoque lib. 8. de simplic. medicamentis. Videntur, vt est in notis ad illa Petronii: *mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque quasi papauere & sesamo sparsa*, antiqui dulciariis operibus, palati gratia, sesamum aspersisse. Macedones tamen ab esu Sesami abstinuere, sed liquore inde expresso, velut oleo artus inunxere. Raderus. Videatur Atlas Maior pag. 346. m. Cesiæ Indica cap. XI.

PERVNGEBANT) Ad mitigandum frigus quod vncta membra commodius ferunt. tum quia oleum habet calorem quem corpori communicat: tum etiam quod eo obliti pori facilius excludunt externum frigus. Ea ratione Annibal ad Trebiam vicisse Romanos legitur apud Florum 2, 6, 12. *Hostes frigidum & niualem nabti diem, quum se ignibus prius oleoque fouissent &c. nostra nos hieme vicerunt.* De creberrimo apud veteres olei vsu etiam vulgo notissimum.

AMPHORÆ) Veniebat ergo amphora vna 24. Philippicis numis: ita vt Philippicus 20. victoriatis seu 40. sestertiis numis æstimetur, hoc est argenteo qui 80. cruciferis seu 20. baziis, vt vulgo appellantur, constabat. Amphora vulgaris continebat 48. sextarios, qui efficiunt hodie 24. mensuras nostrates. Denarius 8. staurophoris seu cruciferis permutatur: qui 10. olim assibus respondebat, vnde & nomen denarii à 10. assibus accepit. Qua de re copiose disputaui in commentar. ad Martial. vt & de amphora. Raderus.

7, 4, 24. *SIROS)* Fuerunt scrobes subterraneæ vel speluncæ, vel cryptæ, vel putei, in quibus triticum etiam ad 50. annos poterat incorruptum seruari. De Siris Varro de re rust. 1, 57. *Quidam granaria habent sub terris vti speluncas, quas vocant σειρούς, vt in Cappadocia ac Thracia.* Vitruuius 6, 8. *Qui autem fructibus rusticis seruiunt, in eorum vestibulis stabula, tabernæ; in ædibus cryptæ, horrea, apothecæ, ceteraque quæ ad fructus seruandos.* Columella 1, 6. *Possunt etiam defossa frumenta seruari, sicut transmarinis quibusdam prouinciis, vbi puteorum in modum, quos appellant Syros, exhausta humus, editos à se fructus recipit.* Plinius 18, 30. *Seruantur in scrobibus, quos Syros vocant, vt in Cappadocia & Thracia &c. Varro autor est, sic conditum triticum durare annis quinquaginta, milium vero centum.* Obserua interim apud scriptores nunc Latina vocali scribi *Siros*, nunc Græca *Syros*: Suida Σιρὸς duplici ῥ & Σίῤῥα, *Sirrhus fossa in qua semina conduntur.* Etymologus vocem σειρὸν τὸ τὰς σίτους περὶν deducit, quasi vox sit composita pro σπειρὸς, à conseruandis frumentis ficta & dicta. Raderus. *Conditoria frugum occulta* sunt Marcellino 31, 18. vbi de Thracia loquitur. Quod magis etiam firmet sententiam Casauboni in Athen. 4, 3. in verba Anaxandridæ βολβὰν σειρὸν δειδεκήπηχυν, vbi ait: Σειρὸς est *fouea in vsum granarij vel apothecæ cauata. Hesych. etiam πίθον interpretatur: quia in doliis præter vinum etiam alia seruabant.* Siros *vocant auctores rei rusticæ Varro & Columella. Varro hoc amplius, sirorum in Thracia plurimum fuisse vsum scribit. cur igitur hic* (in Athenæo) *mutemus vbi de rege Thraciæ sermo est?* In Vngaria autem vina frumentaque sic recondi vsitatissimum esse, ex indigenis regionis comperio.

7, 4, 25. *CARNE)* Vide supra ad 5, 6, 17. De hoc itinere Strabo lib. 15. *Via erat nuda arborum, nisi quod rari aderant terebinthi frutices, summa alimenti inopia, vt iumentorum carnibus vescerentur, atque iis crudis propter lignorum penuriam: sed ad hanc cruditatem concoquendam silphii copia præsens auxilio erat.* Quod idem ex Æliano supradicto loco notauimus. Silphium autem Latinis *laserpitium* vocari ex Plinio 19, 3. notum est. & ex eodem 12, 17. longe aliud esse *mastichem*. Ergo non recte confundit Siluius in hist. de Asia cap. 79. vbi dicit quosdam putare *Silphium id est mastichen* alibi non nasci quam in Chio insula.

7, 4, 27.

7, 4, 27. *VENTI)* Sic fere Plutarch. Alex. cap. 46. Arrianus 3, 1, 11. describit Ammonitidem: *Quotiescunque Auster ea in regione spirat, magna vi arenæ viam obruit, ita vt omnia viarum vestigia obducantur, & perinde vt in pelago, qua eundum sit cerni præ arena non possit. Neque enim signa vlla siue notæ ad viam extant, non collis, non arbor, non certi tumuli, ex quibus viatores itineris rationem colligere vt nautæ ex astris, possint.* Et de his regionibus 6, 5, 31. *Duces delectis à vento viæ vestigiis, viæ sese oblitos esse dicebant. Neque enim in arena quæ densa æquaque omni ex parte viam obduxerat, eam cognosci posse, quod neque arbores iuxta viam positæ essent, neque firmus aliquis certusque collis exstaret: neque ex astris noctu, aut ex sole interdiu itineris rationem observarent &c.* Vide & seq. notam.

7, 4, 28. *SIDERA OBSERVANT)* Vide quæ notauimus ad ista Flori 3, 5, 28. de Pompeio: *In Septentrionem Scythicum, iter, tantum in mari stellis secutus.* Totum hunc Curtii locum eleganter componit cum Silio 3, 655. Dausqucius: vbi de Ammone. De locis Arriani proxime adductis dubius sum, an rectius sit huc trahere, vt idem dicat, quod & ratio suadet, & alii auctores probant: nullis aliis viæ signis extantibus, homines ea per loca facientes iter, vt nautas, astris pro ducibus vsos. Silius 3, 664.

Errantem campo, & semper media arua videntem
Sidoniis Cynosura regit fidissima nautis.

Lucan. 9, 495. - - - *nec sunt discrimina terræ*
Vlla, nisi ætheriæ, medio velut æquore, flammæ,
Sideribus nouere vias - - - - Plinius 4, 5, 6. de Syrte minori: *E terra autem siderum obseruatione ad eam per deserta harenis, perque serpentes iter est.* Vbi illa *è terra autem* non concoquo. nec tamen cogitandi iam habeo tempus. nisi quod appareat omnia se rectius habitura, si particula prior abiiciatur. Si teneas, legam; *Æterna. Æterna siderum obseruatione*, hoc est, longa, perpetua, sicut in nostro 4, 1, 22. *æternæ sordes.* Sed ad alia properamus. Ælian. de histor. an. 7, 48, 2. *relictis vrbibus (* in Africa*) quarum situm ex astris forte* (quod aiunt) *coniiciebat &c.* Sic ergo hi loquuntur, vt Arrianus: nulla esse signa, quibus itineris rationem colligere, vt nautæ ex astris, possint. Non ergo tandem habebant eadem astra, quæ nautæ: aut nautæ alio doctore quam necessitate inceperunt astra obseruare, cum nullum aliud viæ haberent indicium? Quid ergo si tentemus in priori Arriani loco referibere: ὥστε καὶ οἱ ὁδίτας παραλάβοντες τῶν πορείων, καθάπερ οἱ ναῦται, τοῖς ἄστροις. & in altero: ὥστε κατὰς τὸ ἦρα ἐν νυκτὶ ἢ μεθ' ἡμέραν ἐκεῖς τ ἡλιον μεμελετηκὸς σφίσι τὰς πορείας.

7, 4, 29. *INTERDIV)* Namque dies confundit iter. Silius 3, 663.

7, 4, 30. *ITAQVE)* Hæc omnia vsque ad illa, *Ipsa Bactra*, temerariam glossam esse iudico. forte desumpta ex 3, 2, 4. *in quis eques triginta millia implebat.* quia ibi statim *Barcanorum* nomen sequitur, pro quo multæ edit. retinebant *Bactrianorum*: Cumque nihil omnino sensum iuuet, immo contaminet tantum & illepido glossemate interpellet: aliud etiam argumentum Sebissius suppeditauit: nimirum tantulum numerum non facere ad demonstrandam populosissimæ gentis multitudinem. quam supra 5, 10, 3. adeo prædicauerat, vt diceret *multitudinem iuuenum, exercitus quos amiserat Darius, æquasse.* Idque iam post prælium ad Arbela.

7, 4, 31. *CAPVT)* Propert. 3, 10, 26. de Semiramide:

Iussit & imperio surgere Bactra caput. Locenius.

7, 4, 32. *NONDVM)* His verbis se ipsum explicat Curtius, non de nota defectione se loqui, sed de bello Spartano, quod supra initio libri sexti descripserat. Eius autem euentum nondum sciebat Alexander, sed tantum qui principia motus eius

nunciarent, per tanta terrarum spatia demum ad eum peruenerunt. Valde igitur falluntur, qui defectionis eius causam vel ad Philotæ supplicium, vel ad edictum quo rex iubebat exules Græcorum à suis recipi, putant referendum. nam vtrumque hoc gestum Antipatri de Lacedæmoniis victoria posterius fuit. Nec sane bis cum Laconibus pugnauit Antipater: vt ex hoc loco male intellecto volunt exsculpere.

ERIGYIVS) Breuiter id tangit Arrianus 3,5,27. quem ab interpretum leui errato libero: *Artabazum Persam, & Erigyium Caranumque vnum ex sociis.* Non hæc est mens Arriano, sed hoc vult: *Art. Persam, & Erig. Caranumque ex amicis.* De eo quod *socios* interpretantur, vbi *amicos* debebant, iam ad 3,11,27. *Ar.* & 6,9,21. semel atque iterum dictum est. nunc accedit illa verba τῶν ἑταίρων, non ad vnum Caranum pertinere, sed haud minus ad Erigyium. certum hoc, si aliunde non esset, ex ipsius verbis apud Curtium mox n. 34. *quales* amicos *& milites Alexander habeat, ostendam.*

7,4,34. *GRAVIS ÆTATE)* Ista Curtii verba mihi in mentem reuocant parœmiam: *Dares Entellum prouocat.* Explicauit verbum hoc Erasmus Adag. 3,1,69. *Memento,* inquit *Hieronymus* (in epist. ad Augustinum) *Daretis & Entelli. Conueniet vti, si quando quispiam iuuenili temeritate lacesses aliquem, non perinde promptum ad suscipiendum certamen, verum intolerandum, si semel inierit: Qui senum ferme mos vti libenter suffugiant negotia, suscepta pertinaciter gerant. Sumptum est ex Æneid. 5,369. vbi Dares quispiam viribus freus & ferox iuuenta, vltro prosiliens in medium, quemuis ad certamen prouocat &c.* Raderus.

GALEA DEMPTA) Nescio cur hoc referant ad morem alloquendi regem, de quo infra 9,3,4. Non enim hac caussa caput nudauit Erigyius, sed accepta barbari conditione, qui sic obtulerat certamen, ostentandæ virtutis caussa. quomodo Paul. Warnefrid. de gest. Langobard. 1,20. Heruli omnino nudos pugnasse scribit, *operientes solummodo corporis verecunda.* Sed de capite intecto, vsitatius. ita *spectatus & Sacrouir pugnam pro Romanis ciens, ostentandæ, vt ferebat, virtutis.* apud Tacit.3, 41,4. Ita minor *Cyrus nudo capite pugnam expectans constitit. Aiunt ceteros etiam Persas capitibus nudis aleam prælii subire.* Xenophon lib. 1. ἀναβάσ. Vt ita hic quoque Satibarzanes eam obseruarit consuetudinem, hostique prouocanti morem gesserit Erigyius, ne deterior virtute vel periculi metuentior videretur.

7,4,35. *IMPERATVM)* Nam certe aliter difficile est ab vtraque acie id obtinere: quod egregie repræsentauit Barclai. Argen. lib. 4. apud quem in duello Radirobanis & Poliarchi *agite tandem, nec antea quam sæpius iussus, recessit è medio miles, Regibusque arenam restituit.*

DVORVM) Non displicet. Vide tamen num fuerit, *ducum?*

7,4,38. *NECESSITATE)* Sic apud Liuium 45,26,6. Passarone *nemo aduersus prapotentes viros hiscere audebat.* & 29,3,2. *culpam in auctores belli Indibilem, ceterosque principes &c. conferentibus &c.* à quibus videlicet coacti essent. Ammian. 21, 23. de Aquilcensibus: *Residui omnes abierunt innoxii, quos in certaminum rabiem necessitas egerat, non voluntas.* Sic apud Plutarch. Pompeio cap. 17. Sthenes profitetur *se amicis persuasisse, inimicos vi adegisse ad factionem Marianam.*

ARMA TRADVNT) Quod deditionis non signum modo, sed pignus. Idem aliquoties reperias apud Liuium, vt 29,3,2. *tradentibusque arma & dedentibus sese.* 40,41,3. *in deditionem venerunt, armaque tradiderunt.* 40,16,7. *per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi.* Thucyd. 4,7,20. οἱ βέλεσιν τὰ ὅπλα παραδοῦναι καὶ σφᾶς αὐτοὺς Ἀθηναίοις. Apud Iustinum 24,5,3. Ptolemæus Macedoniæ Rex Gallis *se pacem daturum negat, nisi Principes suos obsides dederint, & arma tradiderint.*

non

non enim fidem se, nisi inermibus habiturum. Adde Xenophont. παιδ. lib. VII. vbi de Ægyptiis.

7,4,39. *COGNOVISSENT)* Hoc ita dicentem Curtius facit Alexandrum, non quod reuera sic esset, nec enim principio motus sui Lacones cognoscere poterant, vbi futurus esset Alexander, cum eius rei nuncius ad eum perueniret: sed quia tum primum de defectione diu ante facta audit; tanquam de re noua, & quæ modo accidisset ex communi hominum more pronunciat.

7,5,1. *SOGDIANORVM)* Certissimam Glareani emendationem quidni recipiam? Qui enim illi *Susitani,* quos hic legebamus? De Sogdianis autem sermonem esse, euidentissima nota ostendit num. 19. huius cap. *quæ in Susitanis acta erant cognoscit.* ea autem in Sogdianis acta fuisse, extra dubitationem est.

7,5,5. *NOCTVRNVM ITER)* Sic postea in Gadrosis plurimum itineris noctu confecit. Arrian. 6,4,15. & 22. quem cum hoc loco comparare possis.

MATVTINO FRIGORE) Causam, cur matutino tempore maius sit frigus, quam nocte, cum tamen sol sit mane propinquior, triplicem adfert noster P. Laurentius Forer in problematis selectis viridarii sui philosophici problem. 17. p. 21. edit. Dilinganæ. quod quia breue est, subiiciam. 1. Caussa. *An quia tunc maius est tempus absentiæ solis, vnde magis refrigerata est terra? Cum enim sol sui præsentia terram calefaciat & aërem, absentia certe longiore solis, maius frigus exoritur, diutius autem absuit à nobis sol mane, quam media nocte. Licet ergo in aurora rursus sol accedat, tamen calorem suum tam dio non potest aëri communicare.* 2. Caussa. *An quia die appetente ros & pruina cadit? hæc autem natura frigida sunt, & aërem frigidiorem reddunt.* 3. Caussa. *An quia tunc acrius nobis videtur frigus, quod concocti iam sint cibi & stomachus mane vacuus? quo autem inaniores sumus, eo magis persentiscimus frigus ambiens. Aristot. sect. 8. problem. 17.* Hæc Forerus. Raderus.

7,5,7. *QVIDQVID VINI OLEIQVE)* Parum hoc est. Hoc mirum, quod Cretenses, dum à Metello obsiderentur, *sua iumentorumque suorum vrinæ filtra torserunt, iussius dixerim, quam sustentarunt.* Valer. Maximus 7,6,1. ext. Raderus.

HOMINIBVS) Venustius absit: nec est forte nisi è glossa. Acidalius.

AQVA) Hic quidem non dubium, quin additamentum sit *aquæ.* Non enim iam aquam, sed vinum & oleum ingurgitarant. Dele, & mox *infusum* etiam scribe, vt humorem vtrobique capias. Ad finem fors fiat, *an regerere* scriptum auctori. Acidalius. Cuius coniectura de *aqua* potior videtur explicatione Raderi, cui ibi ea vox pro quouis humore putatur posita. in seq. fortean fuit, *sine modo infusa vom. cog. regerere.* vt sic verbo neutro, omnia quæ prius dixerat, complecteretur.

7,5,12. *NEC SOLVS BIB. SVSTINEO)* In toleranda siti primus omnium, quod equidem meminerim, præiuit exemplo fortissimus Hebræorum rex Dauid 2. Reg. cap. 2. [imo illa Dauidis non sitis, sed lubido fuit.] Cato proximus huic, si verus Lucanus 9,497. quem historicum potius quam poëtam egisse veteres (Martial. 14,194.) censuerunt: qui in siccis Nasamonum arenis sitibundus oblata aqua,

Excussit galeam, suffecitque omnibus vnda.

quam nemo post respuentem ducem sitiuit, adeoq; omnibus suffecit. vt & in Alexandri alio simili facto Plutarch. cap. 76. notauit. Ab eodem facto laudatur Theodosius minor, de quo ita Sozomeni interpres præfat. in lib. 1. hist. Ecclesiast. *Paullo ante fane, cum Heracleam Ponti ciuitatem videre, & vetustate collapsam erigere satageres, per Bithyniam messis tempore iter faciebas. Cum vero te sacellium quispiam à sole vehementer urente*

ita

in ipso meridie multo sudore ac puluere consertum cerneret, tanquam gratificaturus, phialam tibi admodum splendide solaribus radiis relucentem obtulit, ac suauem quendam potum illi, aqua frigida mixtum, infudit. At tu potentissime, accepta hac phiala, virum munificentia remunerasti. Cum vero milites vniuersi phialam illam suspicerent, felicemque illum, qui ex ea bibiturus esset, iudicarent, poculum viro illi, ô generose, reddidisti, & quomodo ipsi placeret, vsurpare iussisti. Videris itaque mihi haud immerito Alexandrum Philippi virtutibus tuis superare; cui miles quidam sedulus & officiosus, ab illis qui tum celebrant, cum per loca arentia exercitum Macedonum duceret, aquam inuentam hausisse & obtulisse; ille vero non bibisse potum illum, sed effudisse dicitur. Sed errat Sozomenus, qui effusam ab Alexandro aquam affirmat. Nec Soi, siue Sœbidæ virtus tacenda, quam Plutarch. in Lycurgi vita cap. 3. & apophth. Lacon. c. 108. laudat: *Cum esset in loco aspero & arido Sœbidas, & circumsideretur à Cliviis, dicitur pactus cum hostibus, vt ipsis terram bello partam cederet, si milites vna cum ipso è vicino fonte bibissent: nam eum fontem hostes obsederant. Icto fœdere, congregatis ad se omnibus pollicitus est se daturum eius regionis imperium ei, qui non bibisset. Porro cum nemo sibi temperaret, sed bibissent omnes, ipse post omnes descendit in fontem: & aqua conspersus hostibus etiamnum præsentibus abiit, ac regionem occupauit, vt qui solus non bibisset.* Eodem stratagemate & exercitum à sitis periculo liberauit, & hostem elusit, & regnum sibi vindicauit tolerantia. Non erat obstrictus inimicis ex fœdere, quia non omnes cum ipso biberant: nec milites fefellit, quia nemo præter ipsum à potu abstinuit. Quod si hostes voluissent ad arma currere, iam nactus locum pugnæ commodiorem, ac fonte potitus, facile poterat illis esse par. Austriacorum quoque supremus apex & conditor imperii Rudolfus I. dum contra Othocarum Imperii æmulum bello decertaret, ipseque cum exercitu siti æstuaret, gnathones illius agresti colono zythi hydriam per vim abstulere, & imperatori detulere: sed ille, re cognita; *reddite*, inquit, *homini vasculum suum: nam ego exercitui, non mihi sitiebam.* [Æn. Sylius lib. 3. Com. in Panormit.] Nos ad Alexandri sitim non simplicem redeamus: sæpius ille hanc domuit, vicit, & pro illa gloriam hausit. Alibi mentio illius facta ex Plutarcho cap. 76. *Dum confectatur Darium itinere laborioso & prolixo (nam diebus vndecim 3300. stadia confecit) plerique lassitudine sunt confecti, & præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidam, qui aquam in vtribus à flumine mulis portabant, consicientesque Alexandrum medio iam die siti maceratum, impleuerunt confestim galeam, eique obtulere. Requirente eo quibusnam aquam afferrent, Liberis nostris, respondere &c.* Ex Radero. Ceterum suspicor Plutarchum de eadem re loqui, nec sæpius idem quam semel accidisse. Licet in aliqua circumstantia variet. sed hoc solenne est. Sic enim & in ea variatur quod alii redditam iis qui attulerant aquam, scribunt; alii effusam, vt Sozomenus immerito reprehensus paulo supra, Polyæn. strateg. 4, 3, 25. & Frontin. strat. 1, 7, 7. qui idem id accidisse scribit *per deserta Aphricæ itinera*, scilicet cum Hammonem peteret: alii *apud Parapamisadas*, alii *apud Gadrosos*, Arrian. 6, 4, 30. vide; alii alibi. Non eadem tolerantia fuit Lysimachus, sed *apud Getas siti eo redactus, vt se cum toto exercitu in potestatem hostium dederet, postea cum frigidam bibisset, dii boni inquit, quam ob breuem voluptatem, summam amisi felicitatem!* Plutarch. Apophth. cap. 49. & cap. 16. de sanit. tuenda. Catonis exemplum supra ex Lucano citatum, historica fide firmat idem Plut. in Cat. cap. 12. Inter ceteras virtutes etiam à sitis tolerantia laudat Annibalem suum Silius 1, 261.

Exercetque sitim, & spectato fonte recedit.

7,5,13. *EOS ABESSE*) Rectius *se abesse*. Interdum tamen has particulas confundi, Index ostendet.

7,5,15. *INTERCLVSO SPIRITV*) Caussam huius, naturalis sapientiæ studiosi reddunt ἀντιπερίστασιν caloris interioris, qui primum æstu dissusus, sepente per frigidum humorem & aquam copiosius hausta opprimitur & extinguitur, non secus ac si ignem infusa largius vnda suffoces. Galenus de tremore &c. cap. 15. *Considera mihi sane flammam externam, quæ aliquando inopia materiæ, vnde accendebatur, corrumpitur: aliquando in sole splendido marcescit: & rursus ab aqua multa extinguitur. aut copia lignorum super ipsam congestorum suffocatur.* Plura ex Galeno adderem, si res exigeret. Raderus. Perierunt autem eodem modo ex viris illustrioribus *Tiresias*, apud Pausan. in Bœoticis. *Henricus VI. Imp.* apud Munster. in Cosmogr. *Franciscus Delphinus*, Francisci I. Gallorum regis filius, apud Iouium. *Haydinus Smyrnæus* pirata, apud eundem lib. 34. histor. *Scodrensium* multi, apud Sabellic. En. 10. lib. 7. referente Zvvingero volum. 2 lib. 7. pag. 500. Sic postea in Gadrosis Alexandri militum *multi, ardore sitique pressi, aquarum copiam nacti, immodico potu interierunt.* Arrian. 6, 4, 27. Idem etiam euenit M. Antonio copias è Media reducente in Armeniam, vbi post diutinam inopiam auide inhiantes cibo potuique milites, supra duodecim millia morbo perierunt. Plut. Anton. c. 66. Hoc igitur casu edoctus Alexander *deinceps nequaquam castra prope fluuios locauit, sed viginti minimum stadiis remota*, vt Arrian. 6, 4, 28. obseruat. Et aliud etiam elegans eius factum narrat Polyæn. strat. 4, 3, 28. quo à bibendo milites absterruit, per præconem iusso proclamari, amnem præter quem tum ducebat, mortiferam aquam habere. Idem periculum est etiam à multa fame se replentibus, vt factum Lugduni An. MDLXXIV. notat Meursius Athen. Batau. 1, 22.

7,5,17. *CIRCVM*) Sic plures libri probante Acidalio, nam alii *circumquaque*, quod vix construas cum voce sequenti, *amnem*. Mox mallem, *materiæ*.

7,5,18. *VTRES*) Vnde acceptos? ex pellibus & papilionibus, sub quibus miles in tentoriis degebat, inquit Arrianus 3, 6, 8. Raderus. Habuerunt etiam sine dubio iam confectos plurimos vtres, quibus aquam, aliaque portauerant, vt in Africano itinere, supra 4, 7, 12. Porro de ea ratione trajiciendorum fluminum multa congessere Stevvech. ad Veget. 3, 7. Casaub. in Sueton. Cæs. 57, 4. & Lipsius Poliorcet. 2, 5. Quibus non habeo quod addam, præter locum Gregoræ 2; 8. de barbaris nationibus Scytharum potentia pulsis: διφθέρας ἀπὸ ἄκρης σχεδίας πεποιημένας ἢ ἵππου διβατοῦ. vbi πήρᾳ quo vocab. & Arrianus 5, 2, 16. in eadem re vtitur, nostro *stramenta* sunt, significantissimo vocabulo, vt testatur Vulcanius in præfat. in Arrianum, quam etiam vocem inepte in *sarmenta* mutari à quibusdam Casaubonus citato loco iudicat.

7,5,19. *SOGDIANIS*) Alii *Sustianis*. cur mutauerim, initio huius capitis ostensum est. Eodem loci putem intercidisse vocem *acta*, *quæ in Sogd. acta erant, cognoscit.*

7,5,20. *PERFIDIA*) Complures perfidiæ naturam descripsere; tam aculeate, [acute] & tam breuiter nullus, atque hic Curtius. *Occultum*, inquit Val. Max. 9, 6. pr. *& insidiosum malum perfidia, cuius efficacissimæ vires sunt, mentiri ac fallere: fructus in admisso scelere consistit, tum certus, cum credulitatem nefariis vinculis circumdedit: tantum incommodi humano generi afferens; quantum salutis bona fides præstat. Inde dubitatum est de Hannibale, maiorne an peior vir haberi deberet.* Raderus.

ODERANT) Malim *oderat* cum Acidalio: maxime ob id quod statim sequitur; *Nam vt cognouit &c.*

7,5,21. *ADEVNT*) Forte *adsunt*. Sebisius.

7,5,24. *REGNI*) An, *regio insigni?*

7,5,25. *CONFESSIS*) Sic & Rodulphus amissa dextra, de quo supra ad 5,5,6.

7,5,27. *ELECTIS DCCCC.*) Modius ita recte. nam & Arrianus 3,6, 3. ἐκλέξας τῶν Μακεδόνων τοὺς πρεσβυτάτους, *eligens seniores Macedonum.* Loccenius. Sic & edd. nonnullæ, quas secuti sumus.

7,5,28. *TVM BESSVS PERDVCITVR*) Bessus ad regem perducitur infra 7,5,36. cum iam agmen peruenisset ad Tanaim amnem. nulla igitur caussa est, cur per hanc glossam interueniat rebus Branchidarum. Qui autem *Tum* in *Cum* mutant; mentem auctoris in alienum sensum transferunt.

BRANCHIDÆ) Strabo lib. II. testis: *Circa hæc loca eum etiam Branchidarum vrbem excidisse, quos eo Xerxes collocarat, vltro eum à patria secutos, quod pecuniam Dei in Didymis & donaria prodidissent: at Alexandrum sacrilegia eorum & proditionem abominatum, vrbem deleuisse.* Callisthenes apud Strab. lib. 17. *cum Apollo Branchidarum oraculum deseruisset, ab eo tempore quo templum à Branchidis Xerxem sequentibus spoliatum fuit, & fons defecisset.* Idem Strabo lib. 14. *Post Posidium seu Neptunium Milesiorum deinceps est oraculum Didymei Apollinis in Branchidis sursum versus octodecim stadia. Incensum est à Xerxe vt & alia omnia templa præter Ephesium. Branchidæ cum fugienti Persæ thesauros dei tradidissent, vna abierunt ne pœnas cogerentur dare sacrilegij & proditionis. Postea temporis Milesii templum omnium maximum construxerunt, quod ob magnitudinem sine culmine mansit: nam ambitus delubri pagi amplitudinem æquat: estque intus & extra lucus pretiosus: alia delubra oracului & sacra continent. Ibi fabulæ Branchum fuisse dicunt, & amorem Apollinis. Ornatum est templum donariis antiquarium gentium sumptuosissime.* Raderus. Fuerunt autem hi Branchidæ non populus aliquis, aut ciuitas, sed familia Milesia, cui creditum erat templi illius sacerdotium: vt Paphii Cinyradibus, apud Tacit. H. 2, 3, 3. ita dicta à Brancho generis auctore. Strab. lib. 9. vbi de Delphis, & cæde Pyrrhi: *Huius Machærei de stirpe postea natum ferunt Branchum, qui templo apud Didyma præfuit.* Inde templum hoc Statius Theb. 8, 198. vocat

\- - - *intonsi penetralia Branchi.*

& Theb. 3, 478. - - - *patrioque æqualis honori Branchus.*

Plura de eo Cœl. Rhodig. A. L. 4, 23. His ergo, & vt facile colligitur, clientibus & seruitiis eorum sedem vltra Oxum attribuit Xerxes, quorum posteri deinceps aucti, in paruuli oppidi frequentiam excreuerunt.

IVSSV XERXIS) Qui idem etiam ceteris Græcis mandauit, vt patria tradita, meliores terras præbiturum sequerentur. Herodotum vide. Item ex Bœotia traduxit nonnullos, de quibus Diodor. 17, 110. Eiusmodi translationes gentium plures leguntur. Sic enim Philippum Iustinus 7, 5, 7. ait: *populos & vrbes, vt illi vel replenda, vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transtulisse.* quo loco plura eius generis exempla notauit Amantiss. Socer. quibus adde Eusebium de Ocho, qui Iudæos ita transtulerit: sicut prius eorundem partem Theglat-phalasar 4. Reg. 15, 29. & Herodotum 5, 15. & Pæonas, & 6, 119. de Dario, qui Erythræos.

DIDYMEON) Rescribe *Didymæon*, quamuis apud Strabonem lib. 14. etiam Ἀπόλλωνι Διδυμέως legatur ab recto Ἀπόλλων Διδυμεύς, *Apollo Didymeus.* Becanus Goropius nusus exoticam adfert Didymei vocis originem, quam Noacho attribuit, multisque paginis de Didymæo, & Brancho, & Philesio disputat in Francicis, & aliis. Cæterum, cur Apollo, *Didymæus* sit appellatus, docet Macrobius Saturnal. 1, 17. Ἀπόλλωνα Διδυμαῖον *vocant, quod geminam speciem sui numinis præfert ipse, illuminando formandoque lunam. Etenim ex vno fonte lucis, gemino fidere spatia diei & noctis illustrat. Vnde & Romani solem sub nomine & specie Iani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur.* Est mentio huius Apollinis apud Sozomenum hist. Eccles. 1, 7. & 17. Arnobium post pr. lib. VI. Apulei lib. 5. Lactantium Firmian. de vera sapient. 4, 13. vbi extat de Christo oraculum, quis fuerit. Est & apud Orpheum in Apollinis suffimento mananæ, mentio Didymeos:

Βάκχος, καὶ Διδυμεῦ ἑκάεργε, λοξία ἄγιε.

Idem & Branchum & Miletum laudat in Argonauticis paulo post principium. Raderus. Nos *Didymeon* scripsimus Διδυμεῖον, qua terminatione finire solent ædificiorum vocabula, à propriis nominibus appellationem habentia. Vt ab Ἀχιλλεὺς Ἀχιλλεῖον, apud Plin. 5, 12. & alia multa, quæ refero in Ind. sic à Διδυμεὺς, quomodo præter alios & Origeni fine lib. 1. contra Celsum vocatur, Διδυμεῖον. Ergo sic scribitur in Appiani Syriaca: vbi de oraculo Nicatori Seleuco reddito. apud Sueton. Calig. 21, 4. *Destinauerat &c. Miletì Didymeum peragere.* Miletì dixit, non quod in vrbe esset, sed in ditione eius, & territorio, ἐν τῇ Μιλησίᾳ, vt loqueretur Herod. Sic igitur & Plutarch. intellige in cap. 27. de his qui sero puniuntur à numine. Vnius enim fere diei itinere ab vrbe collocat Plin. 5, 29, 14. *In Ionia primus sinus Basilicus, Posideum promontorium & oppidum, oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymæi Apollinis, à litore stadiorum viginti. Et inde centum octoginta Miletus.* Vbi simul explicantur illa Strabonis supra relata *sursum versus circiter XIIX. stadia.* Strabo scripsit: ἀναβάντι, *ascendenti.* id Plinio est *à litore.* notum enim τὰ ἄνω Græcis esse quæ recedunt à mari introrsus terram, vt contra τὰ κάτω, quæ vergunt ad mare. Porro nescio quam ob caussam, cum hunc Curtii locum in suas Enneades conjiceret Sabellicus, *Didymæonis templum* scripsit, quasi *Didymæon* Dei nomen esset. Scimus quidem quid sint Didymaones; sed huc pertinere non arbitramur. Id ergo templum, vt vidimus, non vno nomine innotuit. Plinius & ex eo Mela 1, 17. *Branchidarum* appellationem vetustiorem fuisse scribunt; *Didymæi Apollinis* recentem. *Didymæa limina* vocat Statius Theb. 8, 199. Lucianus de eo loquens, contentus est *Branchidas* appellare, post pr. Pseudomantis. quomodo & Herodotus 1, 46. & 157. quem valde miror de isto sacrilegio, & transfectis Branchidis tacuisse. A Persis tantummodo vastatum scribit 6, 19. Videtur autem locus vbi Branchidæ templumque fuerunt, quamquam à sacerdotibus vulgo nominaretur, vero nomine *Didyma* fuisse dictus. Ita certe Stephanus. Sed & Herodotus, ἱερὸν τὸ ἐν Διδύμοισι vocat: & Strabo l. 9. *templo apud Didymæ*, & alibi etiam Didyma, vt loci eius nomen profert. Imo Pausanias lib. 2. disserte τὸ ἐν Διδύμοις τοῖς Μιλησίων Ἀπόλλωνα à Canacho Sicyonio fabricatum refert: & lib. 5. iterum *in Didymis Milesiorum* aram sanguine victimarum ab Hercule exstructam. Sed & Froben. hoc loco sic edidit: *Didyma.* Ab iis igitur Didymis videtur appellatus fuisse deaster ille *Didymæus*, siue *Didymeus*, vt vulgo solebant à loco vocari, vbi colebantur. Magnam autem eius dignationem postea quoque fuisse constat ex Plinio 6, 16. f. vbi Demonax Herculis, Liberi, & Alexandri terminis superatis, *aras Apollini Didymæo statuit*: vnde forte conjici possit Demonactis patria. Deinde ex Vlpiano tit. XX. vbi scribit *Apollinem Didymæum*, cum paucis aliis diis, quibus SCtis aut Principum constitut. id beneficii concessum erat, heredem posse scribi. Quamquam oraculum illud, cum multis aliis, quæ ibi nominantur, aduentu Christi conticuerit, vt refert Nazianzenus in Carm. ad Nemesium sub finem.

7,5,29. *MILITARENT*) Sic rectius quam *militabant*, loquitur enim tanquam ex verbis regis, conuocate Milesios qui militant mihi: quæ referens aliter vix recte narret, quam: *iussit, vt qui militarent &c.*

7,5,30. *MILESII GEREBANT*) Ita sine dubio legendum esset, etiamsi non addiceret B. 1. ex MS. codicibus. Sequitur ergo statim. *His siue &c. mallent*, vt sentias sermonem esse de pluribus.

INIVRIÆ, SIVE ORIGINIS) Quorum illud ad pœnam vale-

bat, hoc ad veniam. Similiter apud Tacit. 1, 58, 6. Segestes : *Tum erit consultare, vtrum præualeat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est.*

7,5,31. *OCCVRRENTIBVS*) Militibus Alexandri Milesiis ad audiendam regis sententiam. Raderus.

7,5,33. *VT DEIICERENT*) Hoc pro glossemate habent Acidalius & Raderus; me non offendit: sic enim construo. *Tandem, vt dejicerent fundamenta murorum, ab imo* (ea scilicet) *moliuntur.* Vt ne fund. quidem vrbis superessent, adeoque tota solo æquaretur, ea fund. ab imo moliuntur. plano, ni fallor, sensu.

7,5,34. *NEMORA LVCOSQVE*) Sic emendauit Acidalius. agnoui Curtium, & restitui.

7,5,35. *IVSTA VLTIO*) Incusat ergo hoc Alexandri factum. *Nec sane & qui maxime Alexandrum admirantur & amant, ex quorum numero nos quoque sumus, laudare solent*, ait Timo apud Plutarch. cap. 27. de his qui sero à numine puniuntur. ipse tamen velut excusare videtur, quod æquum sit vt bonorum posteris bene esse, sic malorum, male. Sed vt pœna in malorum posteros iusta esset (& certe esse diuinis literis approbatur) non ideo statim quiuis eam iuste exigeret. haud magis quam eodem loco Agathocles, qui *subsannans Corcyræos quærentes cur ipsorum insulam popularetur, respondit: Quia mehercle maiores vestri Vlyssem hospitio exceperunt. & Ithacensibus itidem expostulantibus quod milites ipsius eorum oues auferrent, At vester, inquit, rex cum ad nos venisset, præterea etiam excæcauit pastorem.* Ita supra ex Gemisto de Parapamisadis audiuimus, eos post tot sæcula iniurias ab Alexandro illatas, in Peloponnesiis vlcisci voluisse. Sic etiam vsitatissimum est, & in omnibus fere Curtianis concionibus obseruatum, instigari exercitus in mutuam perniciem, commemorandis maiorum iniurijs. at si quæ interim beneficia interuenere, altum de his silentium est, ne forte remittat furor, & vindictæ cupido. Similis vltionis specimen idem Alexander edidit incensa Persarum regia. de quo facto quid alii, quid ipse postea senserit, supra ad 5, 6, 1. notauimus. Sic idem Tyrios adfixit cruci, propter maiorum scelus, si fides Iustino 18, 3, 18. Vide Gentil. de Jure Belli pag. 195. Apud Sallust. H. 1, 2, 5. vituperatur Sulla, *qui solus omnium, post memoriam hominum supplicia in posteriorum composuit.* De qua re vide insignem locum Dionysii Halicarn. 8, 92.

7,5,36. *TANAIM*) Plinius 6, 16, 8. *Finis omnium eorum ductus ab illa parte terrarum, includente flumine Iaxarte, quod Scythæ Silyn vocant: Alexander militesque eius Tanaim putauere esse.* atque idem fere Strabo lib. 11. & Arrianus 3, 6, 15. vbi hunc *Alexandri Tanaim alio nomine Orxantem à finitimis barbaris appellari Aristobulus dicit*, eumque è Caucaso oriri: vbi itidem Alexandrinum Caucasum, hoc est, Paropamisum montem, intelliges. *Orexartem* appellat Plutarchus Alex. cap. 80. quem pro Tanai Macedones habuerint. Quidam apud Stephanum in Τάναις *Iaxartem*, alii longius, opinor, à vero discedentes *Aestuem*. Esse vero eundem quem hodie *Kba* vocant, inter alios & Volaterranus affirmat lib. 13. Anthropologiæ, vbi de Alexandro agit; & Bonfin. à pr. Hist. Vngar.

OMNI VELAMENTO SPOLIATVS) Hoc ad summam Bessi ignominiam & contumeliam factum. Persis enim tanta verecundia est, vt hominem nudum videre capitale sit. Alex. Neapol. 2, 25. Et mirum sane omnibus gentibus tum Christianis tum paganis insitum à natura pudorem. Moschi nec Christum in cruce, quamuis natura velata, nudum spectare sustinent, quod Possevinus tradidit. Milesiæ virgines cum nescio qua phrenesi aut furore correptæ certatim sibi gulam laqueo frangerent, nec vllis suppliciis, aut custodiis ab ea mente deduci possent, tandem decreto edito, vt post suspendium eodem laqueo nudæ per publicas ciuitatis vias ad spectaculum

lum traherentur, pudore deterritæ deinceps ab infami morte abstinuerunt. Agell. 15, 10. Tanta cura verecundiæ est, vt à morte etiam summa eius ratio habeatur, quod in Lucretia, Iulio Cæsare, aliisque [vt Olympiade apud Iustin 14, 6, 12. vbi Soceri mei nota.] est memoriæ proditum. Et Nicolaus Trigautius in triumphis Martyrum Iaponensium obseruauit nobiles & honestas matronas cum nullis suppliciis à Christi cultu possent deterreri, tandem imminente verecundiæ periculo, ne publice deuestitæ petulantis plebeculæ ludibrio exponerentur, ita perculsas fuisse, vt adito magistratu grauissimis verbis iudices monerent; viderent, quousque progrederentur, visitatis & humanis suppliciis essent contenti, cauerentque ne limitibus verecundiæ perruptis, patientiam Christianorum in furorem rabiemque verterent, totamque remp. pessundarent. Quibus vocibus deterriti magistratus intra modum genti vsurpatum constitere. Christus tamen omnis auctor patientiæ nudus omnino in cruce pependit, quod maiorem ignominiam Hebræi, nec Hebræis puniendis reis excogitare possent. Raderus.

7,5,38. *PERSOLVISTI. IBI*) Nihil procliuius fuerat emendare: *persoluisti tibi. Ille facinus &c.* Ipse inuaso regno & nomine regis assumpto mercedem sibi eam parricidii persoluerat. Acidalius.

VSVRPARE) Bongarsius malebat *vsurpasse*: idque præsenti Bessi conditioni videatur aptius.

7,5,40. *AVRIBVS*) De aurium mutilatione supra ad 5, 5, 6. dictum. de qua est & Langlæi cap. 2. libri decimi Semestrium. Non autem est dubium in hoc tam vario tamque exquisito Bessi supplicio respexisse Alexandrum id, quod apud Iustinum 11, 15, 12. monuisse scribitur deficiens iam Darius: *Quod ad vltionem pertineat, iam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse caussam, quam negligere, illi & indecorum & periculosum esse: quippe cum in altero iustitiæ eius, in altero etiam vtilitatis causa versetur.* Vbi Berneggerus. Mutilationem autem membrorum etiam in Bessо non probat Arrian. 4, 2, 2. barbari nimium moris eam esse iudicans.

SAGITTIS CONFIGERENT) Diodor. 17, 83. refert, cum in Bessum Oxyartes Darii frater & consanguinei eius omnia contumeliarum & cruciatus genera exercuissent, minutatim etiam corpus eius concidisse, & membrorum frusta fundis in partes varias proiecisse. Arrianus 4, 2, 2. Bessum prius auribus naribusque mutilatum, deinde capitali supplicio affectum: Plutarchus c. 78. narrat Bessum reclinatis duabus arboribus, Alexandri iussu alligatum, vt ad naturalem statum valido cum impetu redeunte vtraque, ille in diuersa auelleretur. Popma. Hoc supplicii genere lacerabant noxios Derbices. nec multum ab hoc diuersum genus mortis Metii Suffetii quadrigis illigati, & in diuersa actis lacerati. Raderus. Diodorum sequitur Ὀλυμπιόδωρος ἀναγραφή subiuncta Eusebio: Plutarchum Sabellicus Exempl. 8, 4. f. vbi notat *Disphendonem Græcis vocari id genus supplicii, à duplici fundæ excussione.* & Fulgos. 6, 5. De Metii supplicio & aliis similibus, dictum ad Florum 1, 3, 8. h. Eadem pœna qua Metius, affectus est Iuban. 1589. Burgoinus Dominicanus Iacobi Clementis prior, qui cum eo consilia de occidendo Henrico III. miscuerat. Morisot. in Henrico Magno cap. 19. quam anno Christi 1536. quidam Sebastianus Montecuculus, insimulatus Francisci Delphinum, Francisci I. filium veneno intercepisse, apud Iouium; & ante mille fere annos, in eadem Gallia Brunechildis pertulerat, vt in Adonis Chronico sub ann. Christi 583. traditur: nam Gaguinus pr. lib. 3. histor. Franc. rem paulo aliter narrat. Sic Henricus VII. Imp. Theobaldum Brissatum Brixianum rebellem puniuit teste Cuspiniano. Sic Battorius Sigismundus insidiatorem suum apud Zvvinger. in theatro pag. 3465. f. Bessi supplicium imitatus est Aurelianus in milite qui cum hospitis vxore adulterium commiserat. Vopiscus in vita cap. 7. Sic etiam sanctos Christi martyres

res in Thebaide à fœuis & sacrilegis hominibus fuisse peremptos tradit Eusеb. Histor. Eccles. 8, 9. & ex eo Nicephorus Hist. Eccl. 7, 8.

7,5,41. *CERTO ICTV)* A peritia sagittandi laudatur & Domitianus apud Sueton. 19, 2. Theodoricus apud Sidon. epist. 1, 2. Commodus apud Herodian. Philoctetes apud Homer. Iliad. β. v. 718. vbi Eustath. & Dictym Cretens. princ. lib. 3. Gratianus apud Auson. in panegyrico. Victorem, & Paul. Diaconum. Honorius apud Claudian. in IV. Consul. eius, vers. 528. Mopsus Saguntinus apud Silium, Hormisda apud Zonaram tom. 3. Aliique plurimi quos producit Zvvingerus theatri volum. 2. lib. 5. p. 393.

AVES) Intellige volantes, quomodo Harpyias intercepisse Hercules fingitur. Ita Eurytion

Plaudentem nigra figit sub nube columbam

apud Virgil. Æn. 5, 516. quod expressum ex Homero Iliad. 23, 874.

7,5,42. *CELEBRI VSV)* Apud Persas enim *publice instituta erant iaculandi sagittandique certamina.* Xenoph. lib. 1. παιδ. & Herod. 1, 136. *Liberos suos à quinto anno incipientes vsque ad vicesimum, tribus tantum instituunt, equitare, arcu sagittas excutere, vera loqui.* Quod sagittandi studium, vt pleraque alia ex Persarum institutis, hausere Parthi, de quibus Iustin. 41, 2, 5.

7,5,43. *EO LOCO)* Amabant enim homines iniuriam passo ita exhibere solatium. eoque respiciebat Sophocles sub fin. Electræ, vbi introducit Ægisthum atque Orestem ita verbigerantes:

ÆG. *Quid attinet in domum me duci? nam si honestum est*
Quod agitis, cur tenebris opus est? quin statim interficis?
OR. *Ne impera, sed vade ad eum locum vbi interfecisti*
Patrem meum, vt ibidem & tu cadas.

Hæc ex Grutero ad ista Sueton. Galba 20, 9. caput Galbæ, *eo loco vbi iussu Galbæ animadversum in patronum fuerat, abiecit.* Pharnuches excussus ab equo, iussit *abduc to in locum vbi dominum strauerat, crura cum genibus abscindi.* Herodot. 7, 88. Sic etiam *famosos latrones in his locis, vbi grassati sunt, furca figendos, compluribus placuit: vt & conspectu deterreantur alij ab iisdem facinoribus, & solatio sit cognatis & adfinibus interemptorum eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia fecissent.* l. 28. §. pen. de pœnis. Idem etiam diuinam iustitiam aliquoties obseruasse, non ethnica modo exempla sunt, falsis tamen numinibus tributa; sed & fida certaque alia. Ita Turullium in Co insula, vbi in luco Æsculapii arbores sacras ceciderat interfectum Dio lib. 51. notat. Valer. Maxim. 1, 1, 19. etiam in ipso luco interemptum scribit. *Appio Claudio consule,* Pop. Rom. *non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat: ibi statim classe demersa, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur.* Florus 2, 2, 29. ad quem similia quædam notauimus. Quod cæci gentiles adscripserunt diis suis: cum potius forte factum videatur. At non forte, sed ex decreto DEI viui, iam ante per Prophetam suum enunciato, *linxerunt canes sanguinem Achabi in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Nabothi.* 3. Reg. 21, 19. & 22, 38. Sic & Iosephus 13, 19. notat; sanguinem Aristobuli effusum fuisse in loco, qui fraterno cruore rubebat. & Leunclau. Annal. Turc. Selimem Sultanum in itinere morbo correptum, cum nihilo secius pergeret, *eo ipso mortuum esse loco, in quo cum patre pugna congressus fuerat. die septimo mensis Schebalis,* anno Christi 1520.

7,6,3. *VIGINTI)* Arrianus sub fin. lib. 3. triginta millia numerauit. Raderus.

SAGITTA ICTVS) Plutarch. de fort. Alex. 2, 21. hoc vulnus miris modis

modis auget. *In Maracandis,* inquit, *sagitta crus vulneratus, ita vt à tibiæ radio fractum os dissiliret.* In Græco est pro Maracandis ἐν Μαλλοῖς *in Mallis,* sed Malli & Oxydracæ procul absunt à Maracandis. Malli apud Indos sunt. Maracanda regio est Sogdianorum. Interpres ergo verior, quam Plutarchus, sed verba auctoris erant ponenda: in ora vero notandus error, & Maracanda nominanda. In primo de Fortuna cap. 2. gentem *Maracadartas* appellat: *Apud Maracadartas,* inquit, *sagitta suræ esse diffisso defuncto sum.* Raderus.

7,6,5. *LEGATOS)* Ab eiusmodi enim hominibus legatos admitti posse, hoc exemplo probat Paschal. de legat. cap. 12. additis etiam rationibus.

7,6,8. *LECTICA)* De lecticis late Lipsius Elect. 1, 14. & Marcell. Donat. in Sueton. August. c. 78.

7,6,9. *SIBI DIFFICILEM)* Sic Tiberius apud Tacit. 2, 36, 2. *Graue moderationi suæ tot eligere, tot differre.* & 6, 2, 4. *quos omitti posse? quos deligi?* Vide Tiraquell. de iure primogen. 17, 4, 13.

7,6,10. *MARACANDA)* Regiam Sogdianorum. Arrian. 3, 6, 15. Apud Strabon. lib. 11. mendose scriptum est Παεμαρανδα: vetus enim codex Μαρακανδα habet, quamuis nec ipse satis emendatus, cum Μαεμαρανδα, non Μαεμαρανδα legendum sit. Variat tamen etiam apud Arrianum calamus, qui modo *Paracada* [vt 4, 1, 15.] modo 4, 1, 25. *Maracanda* scripsit. Plutarchus constanter Maracanda. Raderus. In quibusdam Codic. vrbs hæc *Marupenta* vocatur, quali vsum fuisse apparet Bonfinium, cum decad. 1. lib. 1. rer. Vngar. conscriberet, & Sabellicus Ennead. 4, 5. Vnde videtur in Plinii codicibus natus error, quem deinde & Soliniani receperint. Plinius 6, 16, 7. *Vltra Sogdiani, oppidum Panda.* Vides enim oppidum præcipuum fuisse Maracanda, præsertim post dirutam Cyropolim. Hanc vrbem sub annum Chr. 1400. maximopere refloruisse scribit Perondinus in vita Tamerlanis cap. 25. *Maracandam dein, vtpote quæ ipsi patria fuit (vt hinc Pij secundi & Cambini error ostendatur, eorumque refutetur opinio, qui falso arbitrati sunt eam de integro à Tamerlane conditam: quum satis constet de ipsa abunde Q. Curtium mentionem feciss e) præ ceteris Orientis vrbibus collocupletandam censuit &c.* Locus Pii II. sive Æneæ Syluii, est in eius hist. de Asia cap. 31. Thamerlanes *Marchantem vrbem condidit, quam variis generis captiuis repleuit, & hostium spoliis exornauit.* Vulgo *Samarkandam* dici cinitatem eam, ex Tarich Reg. Persic. Schickardi, vbi de Cosroë, qui illis gentibus est *Nuschir-ravvan*; Leunclau. supplem. Annal. Turc. ad ann. 1578. Elmacino hist. Sarac. 1, 8. & 13. Chalcocondyla lib. 3. aliisque constat. Vnde certum est veram in Curtio scripturam esse, *Maracanda.*

NVLLO MVRO) Contenta naturali loci munitione. Modius tamen pro *nullo* in suis lib. reperit *illinc,* vnde Acidalius faciebat *illius,* approbante Radero.

7,6,11. *ABIORVM)* Hos cum *iustissimos barbarorum* vocat Curtius, respexit ad Homerum Iliad. 13, 6. sic & Arrianus 4, 1, 1. *quos & Homerus iustissimos mortalium appellans, in suo opere laudat.* quem cum Eustathio videbis, multa enim hic de Abiis. Obseruandum etiam quod recte Casaubonus ad Strabon. lib. 7. pag. 112. animaduertit, Abios, Arriano, Curtio, Ammiano nomen proprium videri, non epitheton, quemadmodum etiam Ἄμωμος, Hesychio teste. Proinde interpretem Homeri Latinum, Abios non recte vertisse arbitror *longæuos,* quamuis etiam Eustathius in quibusdam ita Græcis intellectam vocem moneat. Ceterum Latini hos Scythas nunc *Abios* nunc *Auios* appellant, propter vicinitatem B. & V. literarum. De his Strabo lib. 7. copiose disputat: Iustinus 2, 2, 5. eosdem, quamuis communi Scytharum nomine comprehensos paucis describit. Ex Loccenio, & Radero. Glareanus suspicabatur legendum

dum *Albanorum*, cum esset scriptum *Aulorum* (quomodo & Sabellicus legit) vt sit l. litera in l. transeunte, continuata cum puncto lineola. Aldus edidit *Albiorum*, vnde ingeniose Bongarsius *Olbiorum*. Ipsi tamen illi viri potius ad vlteriorem inquisitionem cogitationes suas annotauerant, quam vt penitus ita sentire crederentur.

7,6,12. *PENIDAM)* Legendum puto *Menidam*, quem Arrianus & Curtius vnum ex Alexandri amicis & ducibus fuisse tradunt, cuius & Curtius libro quarto sæpe meminit. Popma. Ego posteriorem quoque vocem *quendam* delerim, est enim corrupta ex nomine eius prætoris; & pro varia lectione adpicta. quod prope certo constat ex Auentino lib. 1. qui Curtiana verba de suis nationibus interpretatus, ait Alexandrum *misisse ad Germanos finitimosque* quendam ex *amicis*, *qui denunciaret ne Tanaim atque Histrum amnes* (nam & hoc addit de suo) *iniussu Regis transirent &c.* Bonfin. lib. 1. Dec. 1. *Penindam* vocat. Sed hic idem cur infra 8, 1, 7. *Berdes* vocatur? Nec enim de alio ibi potest esse sermo. & omnia probe considerata non permittunt vt mox, pro *eidem mandatum*, legamus, *Berdi mandatum*. an potius ille locus hinc emendandus?

NE TANAIM) Fere vbiuis amnes quoque cuiusque regionis termini. Tacitus 1, 9, 5. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium.* Fit id aut natura, vel mutuo consensu. Huius meminit Diodor. 12, 83. & 16, 83. Polyb. Excerpt. legat. 1, 4. princ. Tacit. 11, 10, 3. & 15, 17, 3. Alterius mentio, apud Herodot. 6, 108. Polyb. 15, 6. Iulianum apostatam in Cæsaribus. vbi fatur Octauianus. Ex quibus intelligimus cur Alex. Magnus legatum miserit ad Scythas Europæos, *qui denunciaret eis ne Tanaim &c.* Voluit enim, abstinerent terris Macedonum. Hunc ad morem respexit Spartianus in Hadriano cap. 12. f. *In plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus diuidantur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis fundius ictis ac connexis, barbaros separauit.* Alluslt & iltis Plutarch. in vita P. Æmilii c. 7. *Huius temporis fratres & cognati, nisi regionibus, fluminibus, murorum diuortiis distinxerint communia, & multum inter se spatij interiecerint, non cessant à mutuis contentionibus.* Hæc Gruterus ad ista Liuii 1, 3, 5. *Pax ita conuenerat, vt Etruscis Latinisque fluuius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis esset.* Quibus adde Tacit. pr. Germaniæ, Senec. præfat. natur. quæst. Florum 4, 12, 61. Arrianum 6, 3, 6.

BOSPHORO INCOLVNT) Bona, & si vis amplius optima lectio: nec hilo deterior alia tamen: *qui super Bosphorum colunt.* Sic infra 8, 1, 7. *Scythas super Bosphorum colentes.* Acidalius.

1, 6, 13. *CONDENDÆ VRBIS)* Lego: *Cond. vrbi sedem. s.* ex sequenti voce ascitum. Sic supra 7, 3, 23. *Condendæ in radicibus montis vrbi sedes electa est.* Gronouius. Idem mihi fuerat visum. Sane sæpissime accidit vt ex antecedentibus sequentibusve verbis aliqua assuantur, quod profectum credo ex more dictandi.

ELEGERAT) Ita recte: quamquam Impressi fere *eligeret*: patet hoc ex seq. *consilium distulit.* hoc est, vrbis condendæ, quæ demum etiam conditur infra 7, 6, 25. At exploratoris, siue vt ipse appellabat, legati mittendi consilium non fuisse dilatum cum ratio docet; tum etiam infra 8, 1, 37. euidenter probat.

ET IAM PERDOM.) Hactenus editi; *etiam perdom.* Ego sic legendum ex sensu vidi, quomodo & dudum Sebisium monuisse reperio, & diu ante Acidalium.

7,6,14. *COERC. QVI NOVAVERANT RES)* Non omisit Curtius voculam *res*, quæ addita in vulgatis. infra 10, 8, 1. *Ni occupetur impotens animus, res nouaturum*: ipso ibi Modio sic emendante. Sed ita sumus quidam, quod placuit modo, displicet; quod displicuit, mox placet. vtcunque se nouitatis aut raritatis aliquid

quid specie commendat. Sæpe phrasi hac vsus Curtius, nunquam aliter, nisi vt iuncta suo verbo ea ipsa vox legatur: Ceterum nec *mouerant* vsque adeo malum: quomodo idem tamen ait flagitiosissime scribi. Acidalius. Quem miror tulisse voculas *coercendo eos*, quæ ex seq. linea in hanc adscenderunt, nihilque iuuant sensum, sed potius magnopere inquinant.

7,6,16. *CYROPOLIM)* Caput regionis: Alio nomine *Cyreschata* dictam; vt contra Ptolemæum, qui duo nomina duas vrbes putauerat, ostendit Salmasius in Solinum pag. 1193. Ælianus hist. anim. 16, 3. sibi persuadet vrbem hanc ab Alexandro restitutam, ait enim in India nasci auem, quæ ab incolis Cyropoleos aliarumque vrbium, quibus ibi colonos Alexander dederit, Græco nomine vocetur Κῆρυλλος. Quod autem Indiæ adscribit, vrbem Sogdianam, seu memoriæ lapsu facit; seu quod Indiæ nomen vsque ad eas regiones extendi repererat.

ALIAM VRBEM) Arrianus 4, 1, 6. Septem vrbes in Sogdianis ordine expugnatas ait ab Alexandro. Raderus.

CORONA) Lipsii Poliorcet. 1, 4. consule. Apud quem & descriptam in charta eius imaginem cognosces. Apud Græcos non dissimile est τὸ συγκυκλεῖν apud Herodot. lib. 6. & Platonem lib. 3. de legibus. *vrbem quasi sagena & indagine includere*, vt & Herodianus loquitur. Raderus.

PVBERES INTERFICERENTVR) His & sequentibus admodum similia sunt ista Sallustii Iug. 91, 6. de Capsa: *oppidum incensum: Numidæ puberes interfecti, alij omnes venundati: præda milliibus diuisa &c.* & hæc Taciti 13, 39, 7. de Volando castello: *capta escensis munimenta, omnesque puberes trucidati &c. & imbelle vulgus sub corona venundatum: reliqua præda victoribus cessit.* Adde Polyæn. strateg. 4, 3, 30. de Alexandro & Calthæis Sallust. Iug. 54, 4. & 91, 6.

7,6,17. *VT TVTIOREM)* Eadem ergo mens ipsis, quæ apud Tacit. H. 1, 33, 4. T. Vinio: *proinde intuta, quæ indecora.*

PRÆMISIT) Non vt legatos: sed vt præcursores. Sic fere supra 3, 13, 2.

7,6,19. *VT ANTE DICTVM EST)* Quis non videt merito viros doctos conqueri, dissentaneam & intricatam hanc totam Curtii narrationem esse? quam magis etiam turbat Explanator, dum conatur explicare. Mihi prope constat lacunam esse in superioribus. omnia quidem prona & procliuia erunt si sic expleas: *Itaque Meleagrum & Perdiccam in obsidione eius relinquit: ipse cum reliquis profectus Craterì quoque copias suis iungit, Cyropolim (vt ante dictum est) obsidentes.* Similis fere res & oratio infra 8, 10, 21. & 22.

7,6,20. *HVNC REGEM)* Quem etiam primo statim loco nominat Cœlius Rhodig. A. L. 22, 20. quo loco præstantissimorum ex veteri memoria regum facta breuiter percurrit. Semiramis autem celebratissima quoque fama fuit. Iustinum 1, 1, 10. & ibi notatos consule. Hos igitur præcipue veneratus dicitur Alexander, alias quoque virtutis in hoste mirator. A quo eius ingenio multum abhorret fabula, quam ex Tarich Regum Persicorum recitat Schickhardus, *Homay* viduam Longimani *mille pyramides exstruxisse, quas deinde Alex. Macedo, gloriæ eius inuidens, diruerit.*

7,6,21. *DELECTOS MACEDONES)* Variant nonnihil libri scripti: *vrbem diripi iussit. Deletæ Macedones haud iniuria infestos &c.* ex quibus Acidalius ingeniose: *dir. iussit. Deleta, Memacenis haud iniuria infestus, ad Meleag. &c. redit.* Si tamen pondus aliquod nostræ coniecturæ, qua supra ad num. 19. quæ ibi deerant suppleuimus, vulgata lectio extra vitium est. *Delectos Macedones* diripere iussit Cyropolim, *haud iniuria infestos*, siue ob exantlatos in obsidione labores & pericula, siue ob

scelus etiam Memacenorum: fieri enim solet, vt vnius oppidi, immo singulorum interdum hominum facinora toti nationi imputentur. rediit autem ipse ad obsidionem Memacenorum, quam vrbem supra num.19. corona circumdederat; ideoque *ad Meleagrum & Perdiccam*, nempe quos ibi reliquerat.

7,6,22. *FORTIVS)* Desperatione scilicet veniæ, ob admissum facinus, quam ob causam inexpiabile bellum susceperi, studebant illigare populares magno aliquo scelere, quod quasi vinculum illis foret mansuræ fidei. Vide quæ ad Florum 1, 9, 1. d. obseruauimus. Sic apud eundem auctorem 4, 12, 24. Germani *viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumpserant bellum. Hasdrubal omnes Rom. captiuos occidit, vt ciues desperata venia hosti alacrius resisterent.* Zonar. tom. 2. ex Appiani Punico. Agrippinensibus has conditiones ferunt Germani: *Romanos omnes, in finibus vestris, trucidetis &c. Bona interfectorum, in medium cedant, ne quis occulere quidquam*, aut segregare causam *suam possit.* Tacit. H. 4, 64, 5. Sic Aristides Græcis deserere Spartanos, & Athenienses parere volentibus, *respondet orationem ipsorum plenam esse necessitatis & æquitatis, cæterum ad fidei pignus opus esse facto, quod perpetratum* sententiam mutare *non esset permissurum multitudini.* Plutarch. in Aristide cap. 46.

CERVICE EIVS) Plutarchus de fortuna Alex. 2, 21. in Hyrcania factum dicit, ciuitatem nullam exprimit: *In Hyrcania*, inquit, *oblæso lapide collo, quo ictu tenebris ob oculos offusis, ad dies multos cæcitatem timuit.* Raderus.

7,6,23. *VRBEM DIRVI)* Par & scelerис & calamitatis exemplum est in Dionis lib. 40. *Zenodotiæ ciues accersitis Romanis aliquot militibus, quasi se in fidem eorum daturi, eos, quum intra muros accepissent, obtruncauerunt: quæ ipsis causa vt vrbs euerteretur, fuit.*

7,6,24. *SEQVI TAMEN)* Vide quæ notauimus supra: & imprimis Gruteri discurs. in Tacit. cap. 46.

7,6,25. *MVRO CIRCVMDEDIT)* Adde Arrian. 4, 1, 3. & 17. Iustin. 12, 5, 12. Oros. 3, 18. Plinius 6, 16, 7. *Vltra Sogdiani, oppidum Panda, (an Maracanda?) & in vltimis eorum finibus Alexandria, ab Alexandro magno conditum. Aræ ibi sunt ab Hercule ac Libero patre constitutæ, item Cyro & Semiramide atque Alexandro.* De istis aris copiosissime simul & suo more eruditissime disserentem vide Salmasium ad Solini cap. 38. vbi etiam notat hanc vrbem videri eandem quam Stephanus decimo tertio loco recitat. quem corrigit, vt legatur: Τερπανδρηνὴ ἐν Σωγδιάνῃ, ἣν περιῤῥεῖ ποταμὸς Ἰαξάρτης. vt ita eadem esset cum illa quam ex Ptolemæi lib. 3. ad Tanaidis ripam conditam scripsit idem Stephanus, quem hic, & alibi ex vna vrbe duas facere obseruat. Scilicet erroris fons fuit geminata locorum appellatio, vt idem circa Tanain acciderit, quod supra de Caucaso notauimus: vt videlicet quod alterutri proprium est, inuicem communicent. Bonfin. lib. 1. Decad. 1. Vrbem Alexandriam eam esse reputat, quam *Exopolim* Ptolemæus appellat.

7,6,26. *MILITVM)* Nam milites, cum adhuc vigeret disciplina, his etiam operibus admouebant manus. Vide multa de ea re succincte tradentem Gruterum ad ista Liuii 1, 31, 6. *Salubriora militiæ quam domi corpora.* & Lipsii Mil. Rom. 5, 13. Statim pro *qua munimenta*, malim, *quam mun.*

NAM DIVISVM ERAT) Quod vtiliter obseruatum sæpius. Æneas Sylu. cap. 7. de Europa, vbi de expugnatione Constantinopoleos: *Sua cuique legioni murorum pars, ac portarum attributa, vt discretus labor fortes atque ignauos distingueret, & ipsa contentione decoris militum virtus magis ac magis accenderetur: pari modo & nauales socii attributas partes inuadere iussi.* Quæ verba accepit à Tacito nostro H. 3, 27, 2. vbi Antonium ea arte vsum tradit, in oppugnanda Cremona. Ita fere apud eundem

dem H. 4, 23, 2. *Batani, Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens constituunt.* Eodem respexit Gallus Auctor libelli qui inscribitur *Aduis aus Roy pour bien regner.* vbi suadet regi vt nobilium qui castra eius quandoque sequerentur nomina in scriptis seruarentur, *à fin*, inquit, *que la vaillear & la lascheté, le trauail & l'oysiueté, l'affection à voste seruice & son contraire, ne soient iamais confondus (ruyne des Estats) ains soigneusement discernés.* Sic etiam Acilius consul in obsidione Heracleæ munia partitus est in plures, inde *horum magno certamine intra paucos dies turres arietesque, & alius omnis apparatus oppugnandarum vrbium perficitur* apud Liuium 36, 22, 7. & 36, 25, 7. scribit, cum ab Romanis simul & Philippo bellum Ætolis esset illatum, *enixe, velut proposito certamine Romanos Macedonesque diem ac noctem, aut in operibus aut in præliis fuisse.* Vide eundem 10, 41, 10. & 19. Thuan. lib. LXXII. pag. 468.

7,6,27. *CAPTIVI)* Vide supra ad 7, 3, 23. Ita Syluius Æneas de Asia cap. 31. testatur Tamerlanem vrbem Marachantem h.e. Maracanda *vary generis captiuis repleuisse.*

7,7,1. *REX SCYTHARVM)* In hoc large falli puto virum alias eruditum & diligentissimum, qui in regno Scythico putat hunc Ateæ, quo cum nimirum Philippus bellauit, fuisse filium. quasi vero tota Scytharum gens, quæ tam late patebat, vni regi paruisset. Curtius caute addidit: *cuius tum vltra Tanaim imperium erat*, hoc est, ille ex regibus Scytharum, qui ibi locorum imperabat. Nam Ateas ille immensum quantum ab hoc terrarum tractu remotum imperium tenuit.

AD DIRVENDAM EAM) Inde patet iuris esse gentium, ne quis impositam suis ceruicibus munitionem ferre teneatur: præsertim vbi pacta vel priuilegia (de quibus Gailius pract. obser. 2, 69.) intercedunt. nam si in priuatis seruitutibus id excipi potest, ne altius tollere ædes liceat, neue vicini luminibus officere; quanto magis in rebus tam arduis, vnde non modica damna, sed vrbium ciuitatumque exitia metuuntur. Et tamen in alteram quoque partem (nihil enim humanarum rerum perpetuo verum aut certum est) haud leuia argumenta afferri possunt, quæ & nostra patrumque ætate, in Germania nostra semel atque iterum diligenter excussa, etiam vt temporis rationem habeam merito prætermitto. Interim Alberic. Gentil. de iure belli 3, 21. & quos ibi citat, inspice.

7,7,2. *TANAIS)* Imo Iaxartes, vt docet Strabo lib. 11. Asiam autem & Europam medius interfluit Tanais, verus nimirum ille & antiquitus ita vocatus, non hic Alexandrinus. Geminі erroris exempla, ex confusione harum appellationum orti, sæpe iam notauimus: ex quibus & hæc, & si quæ porro occurrent, facile diiudicari poterunt.

EVROPÆOS) *Reperimus enim Scythiam duplicem, Asiaticam & Europæam. Legendi de hoc argumento Strabo lib. 2. & 11. Plinius 4, 12. & 17. Solinus cap. 19. Curtius, Iustinus 2, 2. Iornandes de rebus Getic. cap. 5. Descripsit etiam Europæam accurate Herodotus lib. 4. vbi quidem veteris ei cognomentum apponit. Additur à Romanis scriptoribus, tertia eis Istrum &c.* Reinecc. tomo I. in regno Scythico Asiatico à pr. Item tomo II. in regno Scyth. Europæo.

7,7,3. *NON FINITIMA)* Leg. *Sarmatarumque non, vt quidam credidere, finitima.* Talium transpositionum exempla multa habes in Indice, voce *transpositio.*

7,7,4. *RECTA DEINDE)* Omnia hic vitiosa sunt, at vnde petamus remedium? à libris nullum est, à coniectura anceps & inualidum. Sed tentemus, quod vnum possumus: *Recta deinde regione in aliam vltra Istrum iacentem cait: Vltima Asiæ qua Bactra sunt, stringit, quæ septentrioni proxima sunt. Profundæ inde sil-*

uæ &c. Hoc dicit, *recta regione* (qua phrasi & alias vt infra 7, 10, 1. vtitur) hoc est perpetuo, & in longum porrecto tractu, coit in aliam gentem, seu cum alia regione, siue in vnum continuatur cum illa Scythia quæ vltra Istrum est. cuius in superiori nota obiter iniecta est mentio. Prætexitur autem ei parti Asiæ qua Bactra sunt (sic enim, non *quæ Bactra sunt*, legendum recte vidit Acidalius) quæ, videlicet Bactra, ex omnibus Asiæ partibus proxime accedunt ad septentrionem. *inde*, id est penitus, & remotius à Bactris siluæ sunt & paludes: contra quæ Tanaim, siue Iaxartem, & Bactra spectant, coluntur, seruntur que. Alium sensum effecerunt editores variorum codicum, in quibus est: *habitant quæ septentrioni proxima sunt. Profundæ inde siluæ &c.* quem non puto esse similem vero, quippe constat ex contrario, ea maxime loca quæ ad septentrionem vergunt, aspera & cultus expertia deprehendi. Tubingensis editio, quæ sequitur Merulam, *Alaunos* hic interserit: *Recta deinde regione alaunum &c.* quod non omnino spernendum puto. Nam Alauni Scytharum pars fuerunt, vt notum est.

QVÆ AD) Al. *quæ &*. vtrumque omittendum putem, scribendumque; *quæ Tanaim &c.*

7,7,5. *PRIMVS)* Haud immerito dubitauit de hoc loco Raderus. Cui *diu super hac re cogitanti, nec variam scripturam vllam ex codicibus inter se coniurantibus reperienti, tandem coniectura succurrit, non improbabilis*: Primus, inquit, Alexand. non prouisum *ante* bellum *Scythis fecit, quod id antea non prouiderat, nec statuerat, sicut contra Darium, Bessum &c. Sed cum ad Tanaim seu Iaxartem, vrbem condere statuisset, & Scythæ obniterentur, coactus est ex improuiso mouere in Scythas. alij vero reges seu Ægypti, seu Syriæ, seu Medorum & Persarum ex instituto, nec lacessiti quidem, Scythis ingentes exercitus infudere.* Hactenus Raderus. haud absurde. Mihi olim in mentem fuit, legendum esse *primum* aduerbialiter, vndè hic resultet sensus: Alexander cum noua gente, nec iniuria nec beneficio cognita, tum primum bellum, idque ex improuiso oblatum, gesturus, amicos conuocat. Nec magnopere terreor, quod vbique libri *primus* tenent. Profectum enim id antiquitus à quodam sciolo, qui nouerat subsantiuum & adiectiuum eodem casu iungi, nec ferebat ita dici *Primum Alexander*, sed *Primus Al.* Eadem caussa corrumpendo fuit Liuio 36, 25, 4. de Damocrito: *maius victoribus gaudium traditum fuit.* Scripsit enim Liu. *traditus fuit*: vt iam ad Flor. 4, 2, 81. l. defendimus. Eadem forma noster supra 7, 5, 36. *Spiamenes cum tenebat &c. gratum spectaculum.*

7,7,6. *DOCERE)* Hoc est præcipere quid in quoque casu faciundum esset. quod non poterat commode fieri, si ipse non interesset agmini. quandoque enim subitum consilium res poscebat: vt in illo Panico tumultu supra 4, 12, 16. Non igitur audiam, si quis hic referibat *ducere.*

7,7,8. *RVRSVS AD SVPERSTIT.)* Idem vitium in eo deinceps penitus inualuit, teste Plutarcho cap. 127. *postquam eius animus semel religione obstrictus fuit, etiam leuissima quæque & à communi consuetudine vtcunque aliena, in prodigium traxit. itaque sacrificantium, expiantium, vaticinantium, plena esse regia.* Sic apud Liuium 1, 31, 7. Hostilius *qui nihil ante ratus esset minus regium, quam sacris dedere animum* [*longinquo morbo implicitus*] *repente omnibus magnis paruisque superstitionibus obnoxius degit, religionibusque etiam populum implet.* Idem in se se vrbane excusauit Cleomenes. *Nam diuturno vexatus morbo, cum animum lustratoribus nonnullis atque ariolis, de quibus ante diuersum senserat, aduerteret, miranti factum: Quid, ait, miraris? non sum idem qui ante, mutatus itaque & sententiam mutaui.* Plutarch. Lacon. apophth. cap. 75. Ceterum etiam lectionem Curtiani loci turbant. Sunt enim libri, in quibus pro *mentium* reperias *gentium.* forsan vtrumque spurium est, legendumque: *ad superstitionum vanarum ludibria reuolutus.*

SINE

SINE REGE) Videntur & Romani sine Imperatore. Inde enim frequens phrasis *exta nunciare*, vt apud Sueton. Cæs. 77, 4. *Haruspice tristia & sine corde exta sacro quodam nunciante.* Ita nec auspiciis intererant, claro pullarii exemplo apud Liuium 10, 40, 4. qui *auspicium mentiri ausus tripudium solistimum consuli nunciauit.* Reperias tamen vbi ipsi interfuerint, imo & præfuerint. Nam & Pertinax, vt scribit Capitolin. cap. 11. *cum omen lætum vellet procurare, caput extorum non deprehendit.* Sic & apud Veientes ipsum regem exta profecuisse colligo ex Liuio 5, 21, 6. Sic apud Tacitum H. 4, 53, 4. Heluidius; H. 1, 27, 1. Galba; apud Liuium 29, 27, 4. Scipio; apud Sueton. Aug. 1, 3. Octauius interfuerunt extispicio.

7,7,10. *NECESSITAS ANTE RATIONEM EST)* *Tempori parendum* Fl. Theodosius Iunior vsurpare est solitus, quod eius symbolum explicat Reusnerus classe 2. symb. 18. Repetit noster infra 8, 4, 11. eandem suam sententiam. Qua etiam Clapmar. de arcan. 1, 22. firmat opinionem suam; damnosum & stultum esse, ducibus adimere liberam administrationem belli, iisque præscribere, prælio contendere debeant nec ne, idque illo vel illo loco aut tempore. cum ratio belli hoc non permittat. Nam vt apud Herod. 7, 49. sapientissime Xerxem monet Artabanus: *homines in arbitrio fortuitorum, non fortuita in arbitrio hominum esse.* Longe autem stultius veteres qui ob superstitionem, nisi addicentibus auspiciis pugnare verebantur, pluribus exemplis eorum qui sic vicerunt: nonnullis & horum qui per eiusmodi ludibria falsæ religionis maximas incurrerunt calamitates. Nam & Flaminius, Marcellus, Lucullus, aliique contemptis hoc genus obseruatiunculis prospere pugnauerunt: & Germani apud Cæsar. de Bel. Gall. 1, 50. insigni clade affecti sunt, quod sibi persuasissent, *non esse fas Germanos superare, si ante nouam Lunam prælio contendissent. Tamen*, vt Macrob. Saturnal. 1, 16. notat; *sciendum est, eligendi ad pugnam diem Romanis non fuisse licentiam, si ipsi inferrent bellum: at cum exciperent, nullum obstitisse diem, quo minus vel salutem suam, vel publicam defenderent dignitatem. Quis enim obseruationi locus, cum eligendi facultas non superfit?* Atque idem fere Iudæis post Macchabæorum monita, fuit obseruatum. De captanda temporis opportunitate sunt etiam Lipsii monita polit. 5, 16. Ex quibus intelligas quid sibi voluerit acerrimus ducum Corbulo apud Tacit. 11, 20, 1. cum Claudii mandata ceptis eius intercederent; *beatos quondam duces Romanos!* De necessitate supra quoque dictum ad 4, 3, 24. Porro non dissimulo in his, *meliore hostium, quam meo tempore, το meliore* mihi suppositicium videri.

7,7,11. *HAVD DVBIE SI)* Acidalius lectionem aliorum codicum amplexus, ita distinguit: *alieno Marte experiuntur, haud dubia fortuna. Si omiserimus &c.* vt sit sensus, Bactrianos animum Macedonum alieno periculo experiri; neque fortunam belli extimescendam habere, qui eam tentent discrimine aliorum. Quæ coniectura & Radero proba videtur, & mihi non improba.

7,7,14. *TROPÆA STATVERE)* An Macedones tropæa statuere sint soliti, supra ad 3, 12, 27. disquisiuimus. hoc igitur loco ex Radero subiiciemus, quæ altero illo non exstant, prætermissis aliis. Diodorus itaque Siculus 16, 87. & 89. affirmat tropæum de victis Atheniensibus erectum & 16, 4. de fusis Illyriis. nisi velis Siculum quoque ἐκφώνως locutum, vt & Herodianum, vbi vrbem ad Issum exstructam, *tropæum* Alexandri improprie nominat. Suffragatur Siculo & Herodiano etiam Philostrat. de vita Apollon. lib. 2. extremo, qui disertissime arcum triumphalem apud Indos ab Alexandro erectum, vbi Porum vicit, testatur.

VICTORIA COMMITTERE) Eundem sensum expressit Florus 2, 2, 2. in pari animo pop. Romani. *Quum videret opulentissimam in proximo prædam &c.*

adeo cupiditate eius exarsit, vt quatenus nec mole iungi, nec pontibus posset, armis belloque iungenda, & ad continentem suum revocanda videretur.

7,7,16. *BELLI ARTEM*) Quod reputans Lycurgus legem tulit *ve tantem eosdem hostes sæpius impugnare, ne repugnare assuefacti, ipsi quoque bellicosi evaderent.* Plutarch. in Lycurgo cap. 24. & apophth. Lacon. cap. 90. *Itaque inferioribus temporibus Antalcidas Agesilao vulnerato dixit, præclara eum doctrinæ præmia à Thebanis reportare, quos inuitos exercuerit, docueritque bellum gerere.* Sic apud Herodian. 8, 11. *Aquileienses magis magisque indies virium atque animorum implebantur, assiduitate pugnandi peritiam pariter audaciamque consequuti.* Vide omnino Cl. Forstnerum ad ista Taciti 1. 10, 7. *Pompeium imagine pacis deceptum.*

7,7,17. *VITANDO ALEMVS*) Tacit. 3, 41, 5. *Tiberius aluit dubitatione bellum.* Sic & Liuii 31, 15, 7. iudicio, Attalus Rhodiique *gaudentes vicissimque composita cum Philippo pace &c. bellum aluere.*

7,7,23. *PVDORE*) Videbat enim multorum esse sententiam, quæ & Flaminii apud Silium 5, 124.

– – *deforme sub armis vana superstitio* –

7,7,24. *INTERPRETE VTI*) Sic restituo ex Mss. hactenus longe deterius: *Quem certum meherc. habeo extorum interpretem metu suo.* Quod de metu ait, in eo & Claudianum habet assertorem, de bello Getico vers. 262.

Sed malus interpres rerum metus, omne trahebat
Augurium peiore via – –

Hinc & Onosandri Strategicus cap. 24. monet ὅτι ὁ φόβος ψευδὴς μάντις ἐστίν. hoc est, metum falsum esse vatem. quod & noster iam attigit supra 4, 10, 10. *vbi vera explorari non possunt, falsa per metum augurantur.* vbi conicci leg. *figurantur*; quod nec dum displicet. licet enim *augurare* sæpe reperias, vt apud Sidonium epist. 8, 6. f. in simili argumento, *promptius de actionibus longinquis ambigendisque siniſtra quæque metus augurat:* tamen vt citato loco recte monet Raderus, *augurari παρὰ πρᾶξιν* positum, vix ac ne vix quidem reperias.

QVAM POTEST) Priora exemplaria *sæpius quam pot.* Sed merito *sæpius* proscripsit Modius ex glossemate insertum; hoc vero eleganter, *tibi quam potest, denuncio.* Raderus.

7,7,26. *VOCE SVPPRESSA*) Sic apud Tacit. Hist. 1, 42, 1. de T. Vinio *ambigitur, consumpserintne vocem eius instans metus.* adde quæ supra ad 6, 11, 37. notauimus.

NE REGIS) Haud procul abludunt ista Taciti nostri 3, 67, 3. *sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsiuisset.*

7,7,27. *PERTVRBAT*) Alii *magis perturbat.* sed potest abesse, & apud Tacitum quidem solet; de Curtio ambigerem nisi Modii correctionem, nam eam voculam primus reiecit, Constantiensi quoque MS. niti testaretur Raderus: Lipsiusque inter eius locutionis exempla produceret ad Tacitum H. 3, 8, 1. & post eum Vechnerus Hellenolex. 1, 5. in quibus plurima variorum auctorum testimonia.

7,7,28. *FELICITATI SVÆ*) Idem ille Alexandri dicta factaque æmulus Cæsar inculcauit trepido gubernatori, cum speculatorio nauigio solus Brundisium trajiceret; *quid times? Cæsarem vehis.* Flor. 4, 2, 37. Lucan. 5, 580.

SIBI ENIM AD ALIA) Locus hic Cimmeriis tenebris inuolutus, singulari face & luce indiget. Fecit hunc obscuriorem Modius omisso verbo *remisit*, quod in antiquis exemplaribus legitur, & aliis mutatis. Vetus scriptura habet: *Rex inf. c. f. suæ remisit. sibi enim &c.* Potest hic sensus elici: Rex Aristandrum, remissum

sum ad periclitandum, iussit habere bonum animum, neque ex inspectis extis tristia ominari, sibi extra ordinem fauere deos, & ostenta sacrificiorum negligere, studereque felicitati & gloriæ suæ, quod alias sæpe factum senserit. Sed obstrepit Modius, cui respondentem Acidalium audiamus. *Modius*, inquit; *pro sua sapientia locum sic ait constituisse:* Rex iusso conf. f. suæ ait, alia sibi ad glor. &c. *cui male tamen adhuc esse, quoniam pessime fuerit, nec satis dum conditum, vel ad publici saporis, vel eruditissimorum palatum. Est ita vero: sed ad gustum acriorem subtilioremque hominum delicatorum nos enim temperare non possumus, nisi è vulgari ac damnata lectione vocem pro insipida derelictam condimenti vicem iterum accersamus, tum de nostro superaddamus aliquid &c. Vulgo est:* Rex iussum conf. f. suæ remisit. Sibi enim ad alia glor. concedere deos. *Reuocamus inde verbum* remisit, *quod necessarium. nam remittebat Aristandrum rex ad sacrificium iterandum, si perlitari posset. Reliqua leuiter mutamus, & sic scribimus:* Rex iussum c. f. s. remisit: alias sibi ad glor. c. deos. *Alta & Alexandro digna sententia, quæ hæc etiam aliàs mala omina & discrimina imminentia deos auertisse in gloriæ suæ gratiam. Aliàs quoque deos ipsa fata, ne gloriæ obsisterent suæ, immutasse, siue potius flexisse. Sæpe iam deos sibi cedere, ne gloriæ suæ cursus impediretur.* Acquiesco, si non meæ interpretationi retentæque veteri lectioni, saltem Acidalii iudicio & explanationi. Sed vbi sunt, quibus omnia liquent in Curtio, quem negant vel notis, vel commentario indigere? qui [omnia] intelligendo faciunt, vt nihil intelligant. Multa attente, non perfunctorie legenti, obscura & incerta occurrent. Raderus. Forte commodus etiam oriatur sensus, si legas: *sibi & alia ad gloriam concedere deos.* ergo ne desperet, lætiora quoque exta concessuros.

7,7,29. *APPARVISSE*) Videlicet in extis. alii ediderunt *aperuisse*, quod quidem referre possis ad Aristandrum, sed non sine damno melioris sententiæ.

7,7,31. *MENEDEMVM*) Ita quidem & supra 7, 6, 24. dixerat, sed longe aliter Arrianus 4, 1, 16. Vbi quidem & Menedemi facit mentionem, sed non vt summi ea in expeditione ducis: *Alexander aduersus Spitamenem, Andromachum mittit, & Menedemum, ac Caranum &c. His adiungit Pharnuchem.* quæ non tam adduco, vt in quo hi auctores discrepent, indicarem (id enim, cum per se cuilibet promptum sit cognoscere, supra etiam professus sum non facturum) quam, vt sensum suum restituam Arriano: quem obscurant illa; *His adiungit Pharnuchem.* putes enim tantum adiunctum vt interpretem, nec iniuria, nisi euidentissime ostenderet ipse Arrian. infra 4, 1, 30. Pharnuchi summam expeditionis fuisse creditam. Ergo illa verba Ἐπιτίθησι δὲ αὐτοῖς Φαρνάχην, valent: *imponit*, siue *præponit eis Pharnuchem.*

QVA VENTVRVM) Sic expressi cum Radero, cum non Bongarsio tantum & Acidalio, sed aliis etiam ita legendum absque dubitatione videretur.

7,7,32. *BINOS ARMATOS*) Hic locus acceptissimus esse posset his qui pulcherrime de maioribus nostris mereri autumant, si Germaniæ possint accensere, quicquid vbique barbarorum fuit. Nam iste fere mos militiæ etiam inter nos olim obtinuit, vt ad Florum 4, 2, 48. c. ostendi, eo ipso argumento; contra Magni Viri sententiam, qui Cæsarianæ de Pompeio victoriæ gloriam Germanis nostris conatus asserere: in quo & fauentem habeo Marcell. 16, 26. Equitibus *sparsim peditesque miscuere discursatores & leues, profecto ratione tuta (an tota) poscente. Norant enim licet prudentem ex equo bellatorem cum clibanario nostro congressum, frena retinentem & scutum, hasta vna manu vibrata, tegminibus ferreis abscondito bellatori nocere non posse: peditem vero inter ipsos discriminum vertices, cum nihil cauere solet, præter id quod occurrit, humi occulte reptantem, latere sorato iumenti, incautum rectorem præcipitem agere, leui negotio trucidandum.* Nec omitto insignem Cæsaris locum de B. Gall. 1, 48. *Equitum* (Arioui sto) *millia erant VI, totidem*

num-

numero pedites velocissimi, ac fortissimi; quos ex omni copia singuli singulos, suæ salutis caussa, delegerant. cum his in prœliis versabantur: ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui, grauiore vulnere accepto, equo decidérant, circumsistebant: si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, vt iubis equorum subleuati cursum adæquarent. Cuius generis fuisse illos, qui ipsi deinceps Cæsari in Hispania, de Bel. Ciu. 1, 83. in Thessalia, de B. C. 3, 52. & in Gallia fortem fidelemque operam nauauerunt, haud difficilis est coniectura ex eo, quod fere iungit equitatui, & eorum velocitatem mire commendat. vt de bel. Gal. 8, 36. *equitatum omnem, Germanosque pedites summæ velocitatis omnes, ad castra hostium præmittit.* Quorum imitatione credo ex suis etiam *adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem armis* (an *armatos*) *inter equites prœliari iussit.* de B. Ciu. 3, 84. quos etiam ipsos in quarta acie, quæ victoriam Cæsari peperit, si quis tendat, haud magnopere aduersér, dum ne excludantur Germani, reliquis pares, hoc etiam insignite superiores, quod à Floro diserte nominantur. Olim tamen apud Romanos idem fere vsurpatum Liuius 26, 4, 4. tradit: *Ex omnibus legionibus electi sunt iuuenes maxime vigore ac lenitate corporum veloces: eis parmæ breuiores, quam equestres, & septena iacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt & vbi posse sese, & desilire perniciter, vbi signum datum esset &c. vbi ad coniectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt: pedestris inde acies ex equitatu, repente in hostium equites incurrit &c.* Hispanis etiam tribuit Strabo lib. III. Nec etiam Numidarum militia longe diuersa. Sallust. Iug. 59, 3. *ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent: quibus illi freti, non vti equestri prœlio solet, sequi, dein cedere, sed aduersis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus suis, hostes pæne victos dare.*

7,7,33. *OSTENDIT)* Aliis *se ostendit.* Sed illud *se* eliminarunt recentiores, quod viderent obstare sensui: sed non viderunt eum iam corruptum esse. lege: *His Spit. salt. circ. iussis, pariter & à lat. & fr. & à t. hosti se ostendit.*

7,7,36. *HÆC AGENTEM)* siue *dientem.* Acidalius.

7,7,39. *MORTE DENVNCIATA)* Elegans est caput apud Frontin. 2, 7. de dissimulandis aduersis. Raderus. Merito autem hoc Alexandri consilium laudat Curtius, cum detecta clades metum iniectura fuerit militibus: nulli autem rei vsui futura. E contrario idem Vitellii consilium (tantum valet temporis, loci aliarumque rerum diuersitas) haud minus merito culpat Tacit. H. 3, 54, 1. Ergo probe videndum, ea res plusne damni nobis allatura sit, an commodi, vt pro tempore consilia nostra moderemur. Vide Forstner. in Tacit. 1, 24, 1. de Tiberio *tristissima quæque maxime occultante.*

7, 8, 2. *PELLIBVS TABERNACVLI)* Vide Indicem nostrum Florianum: *sub Pellibus hiematum.* item Dempster. ad antiquitat. Rosini 5, 31.

7,8,3. *THORACEM INDVTVS)* Quem alias tantum in discrimine, nec fere nisi rogatu amicorum sumere solebat, supra 4, 13, 25. at nunc induit ad spem militis intendendam, si videret regem iam laboribus bellicis parem esse.

7,8,5. *LÆTI ERGO)* Pari exultatione Alcibiadem post exilium à plerisque popularium fuisse susceptum tradunt Xenophon ἀνάβ. l. 1. & Iustin. 5, 4, 10. Item hunc Alexandrum domito Bucephalo redeuntem, Supplem. Curt. 1, 4, 20. Adde Vellei. 2, 104, 5. Cicero pro Sextio cap. LV. Seneca epist. 99, 25. ὅτου χαίνει ἄρα χαρᾷ καὶ λύπῃ δάκρυά ἐστι, inquit Xenophon l. 7. ἀνάβ.

7,8,8. *SCYTHARVM)* Hos Germanos fuisse scribit Auentinus lib. 1. *Adfuerunt & Germanorum Orientalium (quos Sarmatas & Scythas scriptores rerum, nos Venedos,*

Venedos, ipsi se Sclauos vocant) oratores. Raderus. Quod autem addit *equis per castra vectos*, non factum est temere. Romanis enim moribus hoc non permittebatur. vide exemplum Tigranis apud Plutarch. in Pompeio.

MODICVS) Veteres vna voce auctiores; *modicus animus.* eam statim exturbauit Modius. at melius Acidal. qui correxit, legitque *modicus habitus.* quæ vox & alibi in nostro simili narrationi deseruit. Nisi forte rectius ex Mss. vbi est, *mod. annis, aut animis quamquam* fiat; *modicus animi, quam famæ par videbatur.* hoc est, mod. animi potius, quam famæ par. *modicus animi* sicut apud Tacit. H. 1, 53, 1. *immodicus animi.*

7,8,10. *VT CETERIS BARBARIS)* De qua re insigne testimonium Herodoti 4, 46. quem credo respicit noster: *Pontus Euxinus nationes exhibet omnium imperitissimas, Scythica duntaxat excepta &c.* & certe quæ tam hic quam in aliis auctoribus de hac gente leguntur, non infimam ingenii sapientiæque vim, præsertim in acutis, & interdum ænigmaticis eorum aut sermonibus, aut responsionibus, aut etiam factis ostendunt.

7,8,11. *SICQVE LOQVVTOS)* Putes statim incipere orationem Scytharum, sicut & in Aldina editione notatum est. & sane verba hæc id requirerent. at quæ proxime sequuntur haud dubie nullam orationis eius partem faciunt. Sed mox iterum repetitur *vsum* ita *locutum accepimus.* Quæ indicia facile detexissent huius loci vitium: sed accedunt Mss. in quibus: *Si quæ loquutos &c.* & mox *abhorrent*; non *abhorrentia.* Videtur itaque legendum: *Si quæ loquutos e. a. r. m. proditum est, abhorrent f. m. n. e. t. e. i. c. fortitis; vt possit &c.*

ORATIO EORVM) Scytharum oratio apud Græcos etiam in prouerbium abiit, vt rudis, inculta, & nihil præ se ferens humanitatis. ad id respexit Curtius. Originem huius referunt, quod Scythæ Dario Persarum regi postulanti, vt sibi parerent, nihil aliud responderint, quam κλαῖειν, id est, ploraret. Popma.

QVÆ VTCVMQVE) Vere coniecit Bongarsius, *qui vtcumque.* ego etiam omisso verbo substantiuo, sic ista conceperim; *qui vtcumque tradita incorrupta perferemus.* Sic de se Tacitus 15, 53, 5. *Nobis quoque modo traditum non occultare in animo fuit.*

7,8,12. *SI DII)* Caussinum hic quoque adeas licet, qui huius orationis œconomiam proponit, mirisque modis prædicat sententias & artificium orationis lib. 13. pag. 561. Raderus. In his autem orationibus non facit Curtius, quod in exponendis Iustini Imp. verbis profitetur Simocatta 4, 3, 11. f. nolle se *dictionis simplicitatem expolire: nec quod minus eleganter prolatum est, in formam aliam commutare: sed nuda eius verba suis narrationibus intexere.* Quod tamen nec ipsum vbique decet, sed delectu opus est: & vtrobique fere peccari solet.

ALTERA MANV ORIENTEM) In animo habuit fabulam Typhonis, cuius *manuum altera ad Hesperum vsque, & altera ad Orientem pertinebam.* Apollodor. lib. 1.

METITVR) Mss. *metit.* forte *metuit.*

TANTI NVMINIS) Non placet vt *nominis* legas, vt non nemo putat, quamuis apud Ouidium Trist. 5, 12. legas:

Nominis & famæ quondam fulgore trahebar.

Nec Auentini scriptura arridet, qui pro *tanti numinis* posuit solis. Bene habet vsitata lectio. Sensus est; si totum orbem occupares, quæreres vbi tui numinis gloriam & fulgorem finires & conderes. pro numine enim se gerebat, & coli passim volebat. & maius numen apparuisset, si totum orbem subegisset. Hermolaus infra 8, 7, 13. *Si quis deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem.* Raderus. Cuius de lectione sententiam

tiam probo; de sensu non item. Auentinum potius sequor, qui explicauit vicario verbo mentem Curtii, quid per tantum numen intelligat. Non enim hercule Alexandrum, nec illi fulgorem tium condi volebat, aut finiri, sed sine modo terminoque clarere. Solem ergo innuit, quem & à Scythis cultum, vel ex Herodoti extremo lib. 1. satis constat. & nisi fallor his verborum inuolucris Oceanum designant, quem & ipsum studiosa cura lustrare mox cepit Alexander. ibi enim condi solem veteres crediderunt. Et de poëtis quidem ita notum est, vt nihil æque. nec tamen ipsorum hoc figmentum fuit: sed gentium consensus. Vide quæ notat Lipsius ad Tacit. Germ. 45, 2. Qua etiam mente *consciam occidui solis Oceanum* nominat Mamert. paneg. cap. 2. Vt autem Oceano Gaditano occasum solis, ita Indico ortum tribuerunt, qui vterque locus est, vbi tanti numinis fulgor ipsorum opinione condebatur. Hic sensus inest illis Alexandri: *peruenimus ad Solis ortum, & Oceanum, nisi obstat ignauia.* Id autem Scythis absurdum vanumque videbatur, fortassis & impium. nam & Florus 2, 17, 12. ait Dec. Brutum *cadentem in maria solem obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegij metu & horrore deprehendisse.*

7,8,13. *DEINDE*) Cogita an non *Denique* pro *Deinde*. Acidalius.

7,8,14. *ARBORES MAGNAS*) Hoc genus similitudines occinit Xerxi patruus Artabanus apud Herodot. 7, 10, 5. *Vides vt prægrandia animalia fulmine deus ferit, nec finit insolescere: parua vero nihil lædit? Vides vt magna semper ædificia magnasque arbores huiusmodi fulminum tela percutiunt?* Horat. Od. 2, 10.

\- - - - *celsæ grauiore casu*
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.

7,8,15. *LEO*) A leonis, aliorumque animantium robore argumentum sumpsit & mimus ille, qui Maximino subindicabat argute, non esse fidendum robori, quo ille stolide ferox erat:

Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est, & occiditur. Capitolin. in Maxim. c. 9. Leones autem etiam à culicibus magnopere vexari, qui & mortis caussam eis præbeant, testatur Marcellin. 18, 17.

RVBIGO) Ouid. de Ponto 1, 1, 17.

Roditur vt scabra positum rubigine ferrum.

Eleganter *Plinius* 34, 14, 6. *Obstitit eadem naturæ benignitas, exigentis à ferro pœnas rubigine, eademque prouidentia; nihil in rebus mortalium facientis* [hanc enim lectionem præfero.] *quam quod infestissimum mortalitati.* & mox. *A ferro sanguis humanus se vlciscitur. contactum namque eo, celerius subinde* [an *inde*?] *rubiginem trahit.* Mirum est quod idem Plinius 34, 15, 2 refert: *Extare ferream catenam apud Euphratem amnem, in vrbe quæ Zeugma appellatur, qua Alexander Magnus ibi vinxerat pontem, cuius annulos, qui refecti sunt, rubigine infestari, carentibus ea prioribus.* Raderus.

AB INVALIDO) Vere enim Seneca de ira 3, 28, 5. *Nihil tam imbecille natum est, vt sine elidentis periculo pereat.* inde à contemptissimis animalibus haud ignobiles populos patriis sedibus fuisse pulsos, notatum est ad Iustin. 15. 2. 1. Santandreanus *ab homine, à quo minime gentium sibi metuebat, occisus est. egregio magnatibus exemplo, vt fortunam reuerenter habeant, & ab omni iniuria & iniquitate etiam erga inferiores se abstineant.* Thuan. lib. XXXIV.

7,8,16. *SYLVIS*) Auentinus lib. 1. vbi verba hæc recenset, adjicit *paludibusque*: quod si ex libro quopiam haberet, quod vt sit vereor, non reiicerem.

7,8,17.

7,8,17. *DONA NOB.*) Acidalius legit. *Bona nobis data sunt.* quam coniecturam mirifice commendat Raderus. Nec enim vult dona fuisse data ab his Scythis Alexandro, quod quidem etiam in animo habuisse apparet Bongarsium, cum conjiceret induci debere tria verba; vt esset: *Nobis sunt, ne Scytharum gentem ignores:* quod placeat præ illo. Paschal. legati cap. 5. putat optionem hic dare Scythas Alexandro, bellum an pacem cum iis habere malit. Sed optime locum explicat Loccenius, cujus verba subjicio: *Male*, inquit, *excusum*, dona à nobis data sunt. *Horum donorum originem aperit* Herodot. 4, 5. *vbi refert olim cælo in Scythiam demissa, puta vt ancile Romanorum.* Targitai dicunt tres liberos fuisse, Lipoxain, Arpoxoin, & nouissime Colaxain. His regnantibus demissa cœlitus in Scythiam regionem ex auro facta, aratrum, iugum, securim, phialam. *Hanc historiam, vel verius fabulam hic tangit Curtius.*

ARATRVM) Non displicet quod hic coniicit Acidalius: *bonum aratorum.* Βοῦν ἀρότηρα vocat & Hesiodus.

VINVM) Id vnde acceperint, non immerito quæras. ipsi non colebant vites; commercia non curabant. Credo quod de singulis eorum nationibus vere seu falso creditum fuit, toti deinceps Scytharum nomini temere fuisse adsignatum. Ergo de ἀκρατοποσίᾳ eorum, quod mero gauisi fuerunt, quæ traduntur, ad eos pertinere putem, qui forte ad Pontum Græcis vrbibus finitimi, à vicinis id habuerint. Quamquam & Bactriana, quæ his Scythis contermina est, vini mire ferax fuerit. Et notum est quam proclives in hoc vitium ab omni ætate fuerint ad septentrionem vergentes populi: ipso corporum temperamento ad id tantum non cogente. De Scythis ergo idem memoratur apud Athenæum vbi & adagii vice iactatum Spartæ notat verbum Ἐπισκυθίσαι, Scythicum in morem bibere. Notum est quid de Anacharside referat Diog. Laertius. vide & Erasmi adag. Chil 2, 3, 17.

7,8,18. *SYRIÆ*) *Scythiæ regem* vulgati codices. Sed quid Scythæ suum regem vicissent? *Syriæ* Modius vere reposuit pro *Scythiæ*. Quis autem hic Syriæ rex fuerit, Ninusne, an prior aliquis, quod equidem reor, non constat. Nam à Belo primo Assyriorum rege (quos Latini Syros vocant; vt est apud Iustinum 1, 2, 13.) vsque ad Sardanapalum, vnus & quadraginta reges numerantur. Vexori Ægypti rege ab Scythis victo, Asia quoque in potestatem Scytharum fuit per annos admodum mille. Scalig. in Canon. Isagog. Ninus tributa Scythis primus negauit. Fuere ergo ante Ninum, quibus Scythæ in Asia imperitarunt. Aduersus Vexorim rex Scytharum Tanaus in bellum profectus est. Iustin. 2, 3. Raderus.

7,8,19. *LATRONES*) Hoc vt de omnibus gentibus ab Alexandro subactis dici forte non conueniat, ita posse de plerisque pro comperto habeo. Idem Lucani sensus fuit 10, 20. cui *terrarum felix prædo* vocatur: idem Senecæ de benef. 1, 13. 4 & epi. 94, 67. Contra quorum auctoritatem ipsa naturali æquitate subnixam, qui iure belli tuentur Alexandrum; non intelligunt, quantum hoc illi cedere debeat: & tamen in hoc quoque vt iustum ius sit, honestam aliquam causam requiri, non solam dominandi cupidinem, quam in Alexandro fuisse summam, inficiari ne quidem ii possunt, qui maxime eum laudant. Pari autem audacia respondit Alexandro quisquis fuit, pirata: ex quo cum quæsisset, *quo scelere impulsus mare haberet infestum? eodem, inquit, quo tu orbem terræ.* Cicero de rep. lib. 3. *Eleganter & veraciter* iudicio D. Augustini de Ciu. 4, 4.

INDOS PETISTI) An? *Indos petis.* Nondum adierat Indos, sed mox aditurus erat. Bactriani enim proximi Indis. Raderus. Ne quid mutari patiar, prohibet Curt. infra 7, 11, 8. vbi iterum Indiam iam tum accessam narrat: *Indiæ fines latissimæ vim frigoris sum perpessus.* Vtrobique tamen per exaggerationem Indiæ no-

men propinquis regionibus tribui crediderim. Sic enim & Areorum terra, & Sogdianorum, Indiæ nomine quandoque intelligitur, vt alibi iam notauimus. Sane enim Curtius nondum Indiæ propriè sic dictæ meminit, quasi Alexander eam fuerit ingressus: sed quæ de frigore tolerato iactat, aperte referenda sunt ad iter per Parapamisadas, de quo supra 7,3.

INSTABILES MANVS) Videatur fortasse corrigendum, *auaras & insatiabiles manus:* nisi quod certe puto, notare vtrumque voluerunt [hoc est, Scythæ in Alexandro notarunt tam auaritiam, quam morem passim in quosuis incurrendi: non enim, ait Acidal. vnam vocem *instabiles* vtrumque valere, vt putat explanator] & inexpletam, & vagam rapacitatem Alexandri, qui nullo fine contentus, loco nullo constans, ex aliis alia subinde inuadat. Atque huc respiciunt eorundem superiora illa: *Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam.* Acidalius. Aliorum coniecturas *intestabiles, incestabiles, instabiles, vacuas,* merito respuit Raderus.

7,8,20. *QVO PLVRA HABERES)* Vt in hydrope: Ouidius Fastorum 1,216.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Ἔστιν ποτε καὶ οἱ διώκοντες ταῦτα, ἐμπλησθέντες αὐτῶν, διψῶσι μᾶλλον· ἔλαττον γὰρ τὸ ληφθὲν ἢ προσδεόμενον, ait Maxim. Tyr. Dissert. XXXVII. Grauiter hoc ipsum proponit Seneca epist. 119,8. *Post Darium & Indos pauper est Alexander Macedo: quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit nouas, &, vt ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est, homini non est.* Qua tota epistola de veris diuitiis disputat, verissime dicerem, si ibi compareret, quod & in Platonis aliorumque Philosophorum libris D. Augustinus vnice desiderabat, CHRISTVS. Eædem cogitationes fuerunt Æliano de histor. an. 6,13. cum enim narrasset, ceruos in colle quodam ad Hellespontum, extra illius fines nunquam progredi, subjicit: *Quid ad hæc homines? quos sane nunquam ne orbis quidem terræ explere queat.* sic enim vertit interpres versum Homeri Iliad. 9,404. quemadducit Ælianus:

Οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἴηχι.

7,8,21. *BELLARE)* Malim *rebellare.* iam enim subacti defecerant. Vide supra 7,6,13. Ad vitandas eiusmodi rebelliones qua re opus esset, sic apud Plutarch. cap. 114. monuit Alexandrum Calanus: *Corium in medium coniecit siccum & retorridum, cuius oram calcauit. Id vno loco pressum cæteris partibus extulit se. Idem circulans vndique & pedibus frangens in quaque parte ostendit euenire, quoad medium pedibus occupauit, tunc omnes partes quieuere.*

ALIENIGENAM) Parthi licet *pellitum Romæ acceptumque regem, quamuis gentis Arsacidarum, vt externum aspernabantur.* Tacit. 2,1,2. in quem locum notam Forstneri consule. *Nortmanni, vt accolarum animos sibi conciliarent, Atenulfum, Beneuentani Principis fratrem, sibi ducem asciuerunt.* Gulart. in Henrico III. ex Sigon. de R. Ital. lib. VIII. Inter causas Salicæ legis hanc quoque Galli ponunt, ne Regnum matrimoniis mulierum ad externos transferretur, quod minime passuri Galli essent. Limnæi Notit. Franc. 1,8. ff.

7,8,22. *QVAM LATE PATEANT)* Hunc locum velut lacunosum explet Acidalius: *Scies quam late pateat fuga. Insequere, nunquam tamen consequeris Scythas.* Sed cum sententiæ ratio satis absque insertis verbis appareat, religio est, contra omnium codicum tam chirographorum, quam editorum fidem ingerere aliena. Raderus. Sententia opinor, est: si transeas Tanaim, videbis quidem quantum terrarum occupent Scythæ; nunquam tamen si ipsi nolint, eos consequeris, aut reperies. Quam rem etiam cum admiratione testatur antiquissimus Herodot.

rodot. 4,46. De amplitudine autem Scythiæ collegit nonnulla Barthius Aduersar. 56, 15. Vide & Langlæi Semestr. 8,1.

7,8,23. *PROVERBIIS)* Σκυθῶν ἀρημία, *pro summis calamitatibus, exitioque* dictum est apud Aristophanem *in Acharnensib. act. 2. scena 6. Quo loco commentator indicat, prouerbium dici solitum de ingenti solitudine &c. Vsurpat & Plutarch. de stoicis contrariet. cap. 33.* Chrysippus sapientem fœnoris gratia præcipitem dat in Panticapæum, & Scytharum solitudinem. Erasmus Adag. Chil. ad 3,5,94. Refert & Schottus in prou. è Vaticana biblioth. append. 3,79. Earum solitudinum conditionem describit Hippocrates lib. de aëre &c. citatus ab Radero.

NOS DESERTA) Arrianus apud Eustathium ad Dionys. Periegetem vers. 675. docet Scythas olim vrbes habitasse, domos incoluisse, terram arasse, vescique pane solitos, sed victos à Thracibus mores mutasse, omnibusque diris se deuouisse, vbi vel ædes exædificassent, vel aratro terram proscidissent, aut vrbes condidissent, aut opes aurumue possedissent. Plostra igitur sibi comparasse, ferinam in cibum adhibuisse, lac potasse. Iumentis duntaxat illis solis vsos quibus veherentur, & quæ terras terris commutantes sequerentur. Indeque dictos Nomadas, quasi tu diceres pascuales, seu pastores. Raderus.

7,8,24. *SALVBRE)* Totam hanc pericopen miror cur eiecerint. cum sit genuina & germana sine dubio: insuper elegantem contineat sententiam, quam puto iuues adhuc, si pro *ostendit* legas *ostendet.* Sensus: ex ipso euentu euidentius cognosces, quam salubre fuerit hoc consilium.

FRÆNOS) Hunc credo locum respexit politissimus Politianus, cum illa Herodiani 1,4. χαλινὸν ἢ μετρίου τινὸς καὶ ὅρου ἐπιθεῖναι ἐπιθυμίαις, ὑπηρετούσης ἐξουσίας: ita verteret: *Est autem difficile in maxima licentia moderari sibi, quasique frænos imponere cupiditatibus.*

7,8,25. *SINE PEDIBVS)* Multas fortunæ formas, multa eiusdem symbola, figuras, statuas alio atque alio modo effigiatas, nomina & cognomina recenset Alexander Neapol genial. dier. 1,13. (quem iuuabit hoc loco cum Tiraquello consulere) & Curtio hic expressam. Tiraquellus hoc modo fictam & depictam non nisi ex hoc Curtii loco docet. Alatam quidem & pinnatam apud Eusæb. Horat. Od. 3,29. & fortasse alios cognosces, sed ἄπουν nusquam nisi hic. Habes generatim de fortuna apud Alciatum & eius scholiasten in symbolo Fortunæ; multa etiam apud Pierium, vt taceam Pausaniam, Plutarchum, & alios. Raderus.

7,8,26. *BENEFICIA)* Id enim maxime diuinum est, vnde & DEI nomen deduxere veteres à dando, quia omnia commoda hominibus det. Festum vide. Ea de re contra Epicureos grauiter & prolixe disputat Seneca post princ. lib. 4. de benef. Ergo sapienter *Pythagoras dicebat, hæc duo diuinius hominibus data esse longe pulcherrima: veritatem amplecti, & beneficiis operam dare: & addebat vtrumque cum deorum immortalium operibus comparari posse.* Ælian. histor. var. 12,59. Quam deinde sententiam certatim arripuerunt retulerunt que Philo lib. de iudice: Clemens Stromat. lib. 2. Synesius epist. 31. Damascius apud Suidam in Ἀμφοτερήα. Senec. de benef. 3,15,4. *Qui dat beneficia, deos imitatur.* Julianus in Cæsar. ex persona Marci Deorum imitationem esse ait: θεοῦ μὲν ἐλαχίστου, ἵν' ποιῇν ἢ ὡς ὅτι μάλιστα πολέσι. Ceterum Alexandri beneficentiam cum alii commendant, de quibus forte infra ad 10,5. tum & Polyænus 4,3,1. ridiculo hoc beneficii genere, quod constituerit omnes non *homines* sed *Alexandros* vocare. cuius muneris gratiam haud grauate, puto, fecisset ei Diogenes. Sed hæc beneficentia non proficiscebatur ex voluntate iuuandi alios; sed tantum ex cupiditate nomi-

nominis & gloriæ. Absque eo enim esset, non vtique spoliaret magnam terrarum orbis partem, vt paucos locupletaret &c.

SEMPER ESSE TE COGITA) Hoc à patre Philippo Alexander discere poterat, qui ex ephebis vni præcepit, vt quotidie prima luce ad lectum cubicularem adesset, regemque his verbis de hominis mortalitate admoneret: φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ. *Philippe, homo es.* Ita Ælianus hist. var. 8, 15. Raderus.

7, 8, 27. *INTER PARES)* Probe Cæsar Pompeium moneri iubet de bel. Ciu. 3, 10. *hoc vnum esse tempus de pace agendi, dum sibi vterque consideret, & pares ambo viderentur.* Sic apud Florum 4, 10, 1. *Experis inuicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atque Pacorus virinque virium muuarum documenta fecissent; pari rursus reuerentia integrata amicitia.* Quod alterum genus esse fœderum de tribus, dicit Menippus apud Liuium 34, 56, 9.

VIDENTVR PARES) Idem Menippus eodem loco: *Tertium esse genus, quum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se iungendam coëant, eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris & victi esse.* Nam *Dubiæ sunt vires inexpertæ.* Seneca de Constant. Sapient. cap. III. Confer Reusner. Symb. 2, 42. in.

7, 8, 28. *QVOS VICERIS)* Eadem mens illis Taciti H. 2, 7, 1. *victores victosque nunquam solida fide coalescere.* Plinius Paneg. 85, 2. *Nam quæ potest esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii serui videbantur.* Ergo & Molo apud Polyb. 5, 52. *Susianæ & Babyloniæ populis recens à se & inopinata victoria subactis parum fidebat.* qua de re & supra ad 4, 6, 31. dictum. Adi Gruterum ad illa Liuii 8, 21, 7. *Ibi pacem esse fidam, vbi voluntarii pacati sint.* & Alb. Gentil. de iure belli 3, 13.

ETIAM IN PACE) Victi enim victoribus parere coguntur, serui domino, subiecti magistratibus. Nam quæ leges & conditiones victis belli tempore latæ datæque sunt, deinceps perpetrato bello obseruantur. Raderus.

GRÆCORVM) Iniuratis Scythis plus ait credendum, quam iuratissimis & testatissimis Græcis. Quia apud Græcos, vt Euripides in Iphigenia Taurica canit: πιστὸν Ἑλλὰς οὔδεν ἀδίκ. *Nihil fidi nouit Græcia.* Græcorum vanitatem miris modis exagitat Sat. 3. Iuuenalis. Cicero ad Q. Fratrem, epist. 1, 5. *Græci fallaces, & leues, & diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditi.* Virgil. Æn. 2, 106.

Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ. Et v. 152.
– – ille dolis instructus & arte Pelasga. Raderus.

Græcorum autem tantum mentionem hic facit ex persona Scythæ Curtius, quod illa natio tum maxime innotescebat Græcis: cumque ea in præsentia res erat. Ceterum aliis gentibus, ipsisque Romanis idem fuisse moris, non ignorabat Curtius. M. Marcello Siculos absque iureiurando non credidisse, tradit Diodor. lib. V. in Excerpt. Vales. Antonius & Augustus pacem non semel sanxerunt iureiurando, vt apud Dionem 46, 8, 40. sed quomodo seruarint, idem indicat 46, 8, 26. & 35. & statim 46, 8, 43. item Tacitus 1, 10, 4. & ex ipso euentu potest concludi. Adiuncta Eusebii Scaligeriana pag. 377. tradunt, Græcos consentire consuetudinem eam ortam ex contractu Abrahami cum Ephron Chettæo Gen. 23, 7. vbi speluncam sepeliendæ vxori emit, filiis Chet in testimonium aduocatis. Non tempero adscribere mellitissima Senecæ in hunc morem verba de benef. 3, 15. *Etiam nulla stipulatio emptorem venditori obligaret! nec pacta conuentaque impressis signis custodirentur! fides potius illa seruaret, & æquum colens animus. Sed necessaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam spectare malunt &c.* Ergo Scythis *natura dedit, quod Græci longa sapientum doctrina, præceptisque philosophorum consequi nequiuerunt.* teste Iustino 2, 2, 14. Pulchre hoc transtulit ad pisces Ætnæos Ælian. 1, 13. quod genus ὑ δεῖται συμβολαίων εἰς πίστ, *ad iuendam fidem nihil opus habet tabu-*

lis. Idem Ælianus hist. var. 4, 1, 3. Indos quoque scribit *Syngraphan non facere.* Græcæ lubricitatis suggillatio etiam in illis est apud Plautum Asin. 1, 3, 47.

– – quæque volumus vti Græca mercamur fide,

hoc est, præsenti pecunia opus est: nemo fidem nostram sequitur, non magis quam si Græci essemus. Nec minus in his Lucani 3, 301.

Phocais in dubiis ausa est seruare iuuentus,
Non Graia leuitate fidem, signataque iura.

vbi simul de actis consignandis, quæ Curtius dixit agnoscis. Cicero ad Trebat. epist. 7, 17. *Quando vestræ cautiones infirmæ sunt, Græculam tibi misi, chirographi mei.* Quæ tamen ipsa parum valida, Polybio, Græco quidem & ipso, viro tamen graui, teste, 6, 54. *nec decem quidem chirographis datis à Græco homine fidem seruari.* O Græcia, quo terrarum non misisti colonias!

ACTA CONSIGNANT) Alii *facta*, vnde Bongars. *pacta* quæ emendatio firmari possit ex Senecæ verbis modo relatis.

IN IPSA FIDE) Quæ nobis, vt dea, religiose colitur. ridiculum ergo putamus, aduocatis per iusiurandum diis religionis metu nos adstringere, si ii simus, vt fidei numen possimus contemnere. Phrygas etiam abstinuisse iureiurando scribit Nicol. Damascenus, in Excerpt. Vales. pag. 519. Sane iurandi parum validum videbatur vinculum Augusto apud Dion. lib. 54. *Quæ sponte fiunt, ea etiam citra iusiurandi vinculum obseruantur: at quæ fiunt ingratiis, non, si millies iurata sunt, præstantur.* nisi videlicet cum Scythis religionem in ipsa fide noueris.

7, 8, 30. *VTRIQVE)* Bongarsii, Acidalii, Scbisticque coniectura conspirabat in vnum, vt *vtrimque* legeretur. Nec sane ineptum hoc esset, sed cum haud minus proba sit vulgata, cur non tueri se possit interdicto vti possideris? Agnouit hoc idem Acidalius, duo posse imperia tribui Alexandro, idque solere probat Raderus veteri epigrammate Parmenionis:

Τύμβον Ἀλεξάνδρειο Μακηδόνος ἦν τις ἀείδῃ,
Ἠπείρης κεῖνα σῆμα λίγ' ἀμφοτέρας.
Quisquis aues tumulum Pellæo ponere regi:
Europam atque Asiam ponito pro tumulo.

& quod Curtio infra 8, 4, 29. *Asiæ Europæque rex* dicitur. sed & 9, 6, 21. *Victor vtriusque regionis* à semetipso appellatur. At Iustinus 12, 16, 5. disertissime duo imperia ei adsignat: *ea die qua natus est, duæ aquilæ tota die perpetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii, Europæ Asiæque præferentes.*

7, 9, 1. *CONSILIIS SVORVM)* Legendum olim sic conieci: quod postea & Rutgersio Var. Lect. 3, 4. ita visum deprehendi; & iam ante Auentino. sic enim ille locum hunc refert lib. 1. pag. 25. *Quid enim turpius aut turpius, quam auctore hoste de summis rebus capere consilium?* iudicio Aurunculeii aliorumque apud Cæsar. de bel. Gall. 5, 28. Ita Cæsar Pothino respondet, minime se Ægyptiorum consilium requirere. Plutarch. in vita cap. 70. ergo cum Pal. 1. cum duobus editis adstipularentur; haud dubitaui scripturam eam recipere. Vulgata tamen lectio ferri possit, si recipias explicationem Acidalii quam seq. statim nota proponimus.

ET AVDACTER) Attende vt recte capias. Ne particula non referenda tibi ad *audacter* pariter, vt ad *temere.* Sensus iste, distributis in sua membra verbis: Secuturum se & consilium eorum, ne quid temere: & fortunam suam, vt audacter faciat. Acidalius. Auentinus expressit, *aut audacter*, longe diuerso sensu, probo tamen: & quem illi præferam.

7, 9, 3. *A FRONTE)* Quomodo à fronte, vt tela nullum ex armatis circum-

circumstantibus læderent ? interualla relinquebant armati, per quæ tela exibant. Raderus. Ibidem statim lego *circumdati armatis : reliqui post tormenta constiterant. Remigem &c.*

7,9,4. *OBIECTÆ RATES)* MSS. male *obiecta erant rates* : illustri anadiplosεos exemplo, quale supra ad 7,6,13. ex Liuio retulimus. notatque Rutgersius in nostro infra ad 10, 1, 19. vt suo loco, DEO bene iuuante, videbimus.

7,9,7. *TORMENTA)* Quorum subsidio & Corbulo propositum tenuit. Tacit. 15, 9, 1. *reponti* (Euphrati) injiciendo *impedimentum hostiles turmæ afferrent, (iam enim subiectis campis, magna specie volitabant) naues magnitudine præstantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapultisque & balistis protubat barbaros. in quos saxa & hastæ longius permeabant, quam vt contrario sagittarum iactu adæquarentur.* Sic & Arrian. 4, 1, 19. ait Scythas fuisse *longinquo telorum iactu perterritos.* Adde Tacitum 1, 56, 5. Dausquecium in Silium pag. 35. m.

7,9,10. *FRÆNATOS HABEBANT)* Multi enim equitum, qui à puppi equos nantes trahebant, tardius ad pugnam venere. Raderus. Equestris itaque fuit hæc pugna.

DVCVM OFFICIO) Quippe *cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primum florem ætatis, sed veteranos ; pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militauerant, elegit, vt non tam milites, quam magistros militiæ electos putares.* Iustinus 11, 6, 4. Merito ergo commendat eos Charidemus supra 3, 2, 14. Ex quo tempore iam continua exercitatione, multum etiam adhuc accesserat illorum peritiæ. Sic in prœlio cum Neruiis milites *nihil iam Cæsaris imperium spectabant, sed per se, quæ videbantur, administrabant.* ea enim erat eorum, vt paulo supra dixerat, *scientiæ atque vsus, vt superioribus præliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus commode ipsi sibi præscribere, quam ab aliis doceri poterant.* Cæsar de bel. Gall. 2, 20.

7, 9, 13. *EQVESTRIS ACIES)* Cuius & in Luciani dialog. mortuorum dial. 12. mentio. ait Alexander : *Scythas homines certe non spernendos, Tanaim* (Iaxarten) *transiens, magna equitum pugna vici.*

LXXX. STADIA) Plutarch. in Alex. cap. 80. centum numerauit ; de fortuna Alex. 2, 21. centum quinquaginta : adeo incertus vacillauit Plutarchi calamus. nec in notis error obseruari potuit, integras enim voces posuit. Ceterum 80. stadia efficiunt milliaria nostratia duo & semis : centum vero, tria cum dimidio quadrante : centum denique quinquaginta, quatuor prope cum triente. Raderus. Non igitur longius penetrauit Scythicas solitudines. Quod causse fuisse crediderim, cur eum intrasse Scythiam plane negent Iustinus 38, 7, 3. & apud Io. Magnum hist. Gothor. 3, 11. f. Strabo, & nescio quis Arrianus Campanus.

7,9,14. *RELIQVVM)* Non intelligo quid sibi velit. Annon fuit ? *ibique substitit.*

7,9,15. *LIBERI TERMINOS)* Non illos in India, notos & fama insignes, quos infra 9, 4, 21. necdum transierat ; sed alios, quibus expeditionem in Scythas signauerat. quorum si alibi est mentio, mihi iam non succurrit.

7,9,18. *CAPTIVOS)* Imitatus eum hic vt in aliis multis Pyrrhus apud Cicer. de off. 1, 12. & Flor. 1, 18, 15. apud quem & Hannibal 2, 6, 40. vbi notam p. vide. quem ea arte plurimos sibi conciliasse, multasque & magnas vrbes eorum opera in ditionem redegisse ex libb. 22. 23. & 24. Liuii abunde constat. Inspice etiam Gruteri discurs. in Tacit. cap. 25.

7,9,20. *ILLI PAR ERAT)* Alii *lepore haud sane virili par non erat.*

erat. vnde fortassis haud ineptus prodeat sensus : par non erat Hephæstioni, quod esset lepore haud sane virili. Hephæstioni pulchra quidem species erat : sed tamen viriliter decora. Excipino non item.

7,9,22. *INTERFICI PVBERES)* Occisorum ingens fuit numerus, vt ex lemmate Diodori in alteram partem lib. 17. constat. Ὡς Ἀλέξανδρος διεφθάρκε τὺς Σογδιανὺς κρατήσας, καὶ πρὸς φάλαγξιν ὠπλισμένους πλείους τῶν δώδεκα μυριάδων. *Vt Alexander Sogdianos perduelles armis subegerit, & plures quam* 120000. *interfecerit.* Id enim caput ex historia Diodorea periit. Vide & Arrianum 4, 1.

7,10,1. *OCTINGENTA)* Sic omnino referendum, pro *octoginta*, recte vidit Glareanus, cui fauet etiam Arrianus 4, 1, 32. qui Alexandrum ex eo loco, quo mouit à Tanai inquam, ad Maracanda, non octoginta, sed mille quingenta stadia intra triduum per Sogdianam confeciſſe scribit. Raderus. Sic legendum primo statim intuitu cognoueram, etiam ex istis verbis *vastæ solitudines*, Plin. 6, 16. circum ea loca agnoscit *harenosas solitudines per CXX. M. passuum.*

7,10,2. *VOCANT INCOLÆ)* Casaubonus in lib. 11. Strabon. pag. 357. affirmat Strabonem & Curtium dissentire in auctoribus huius nominis Polytimeti : à Strabone enim Macedonibus adscribi nominis impositionem, à Curtio incolis : quod verum est ; sed verum non est illos dissentire : Curtius enim non respexit tempus quod Alexandrum præcessit, sed secutum est. Incertum est enim, quo nomine vocitatus prius fuerit, postea à Græcis Polytimetus appellatus : quis enim non videt vocem esse Græcam, non barbaram ? ab incolis ergo ætatem Alexandri secutis, qui plerique fuere Græci (sex enim oppida Alexander non procul ea regione condidit, infra 7, 10, 15. Græcis potissimum habitata) & nomen à Macedonibus fluuio inditum acceperunt, & in posteros propagarunt. Raderus.

TORRENS) Sic retinui cum pluribus, cum nihilo deterius sic legatur, quam vt est in aliis. *fertur. Torrentem eum.* immo aliquanto propius ad veram lectionem : quæ, ni fallor, hæc est : *fertur torrens ; cum ripæ &c.* ea particula creberrime sic vtitur. hoc ipso cap. n. 14. *Nec exsistebat humor, cum in ipso &c.*

7,10,4. *TRIGINTA NOBILISSIMI)* Hoc absque dubio prodidit etiam Diodorus lib. 17. vt ex argumento eius libri coniicio. nam ipsa narratio interidit.

7,10,6. *A TANTO REGE)* Virg. Æn. 10, 829.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextra cadis - - -

Ad quem locum multa Pontanus noster, qui hanc ipsam ex Curtio historiam adducit ; & plura Ludouicus de la Cerda ex diuersis scriptoribus Græcis & Latinis, quos tute videbis. Raderus. adde supra ad 3, 5, 5. Simile de Turcis narrat apud Sansouin. de Turc. fol. 124. b. Spanduginus.

7,10,7. *TVM REX)* Omisi cum aliquot editionibus, quæ in aliis hic sequebantur, hæc verba ; *admiratus magnitudinem animi.* quod tantum est odiosa repetitio ex num. 5.

7,10,9. *QVANDOQVE)* Forte *quandocumque.* Sebisius.

7,10,10. *PEVCOLAO)* Ab hoc duce, regio postea nomen accepit, dictaque est *Peucolaotis*, vt est apud Arrianum lib. 4. Raderus. Hinc ergo intelligas alium fuisse Peucolaum, qui supra 6, 7, 15. inter coniuratos minatur.

7,10,11. *MENIDAS)* *Menidæ* apud Arrian. 4, 2, 1. nulla hic mentio, sed cuiusdam *Melanidæ*, seu *Melanidæ*. Menidam Curtius supra sæpe laudat. Raderus.

7,10,12. *ALEXANDER*) Cognominis hic Alexandro regi fortasse ille fuit, de quo Curtius 8,11,10. *Duces his dati sunt Charus & Alexander, quem rex nominis, quod sibi cum eo commune esset, admonuit.* Sequitur mox de generosa eiusdem morte, quam eodem loco leges. Raderus.

7,10,13. *CONSTERNATIONIS AVCTORIBVS*) Defectionis principibus. Arsace, Barzane, & aliis. Arrianus 4,2,1. *Interea ad eum venerunt Phrataphernes Parthorum Satrapa, & Stasanor ad Areos missus, vt Arsacem comprehenderent, quem quidem vinctum adduxerunt, & Barzanem, quem Bessus Parthis Satrapam dederat, ac nonnullos alios, qui tum temporis vna cum Besso defecerant.* Raderus. Ego vereor ne fallatur Raderus. nam Curtio vt puto, de Sogdiana defectione sermo est: iterum enim atque etiam tertio defecerunt, vt ex lemmatibus Diodoreis promptum est cognoscere. Arrianus autem agit de seditione, auctore Satibarzane in Areis concitata. Deinde nihil hic Arrianus de nece illorum, quam expresse tradit Curtius. nec enim necesse est, vt statim interfectos credamus, quos audimus captos. Sic enim hunc ipsum Alexandrum euasit Sandrocottus, postea ad amplissimum imperium proiectus. Iustin. 15,4,13. quem nescio quis auctor, Strabo ni fallor, prodit deinde quoties meminisset Alexandri toto corpore inhorrescere solitum.

OXVM) Magnopere fallitur apud Alciat. parerg. iuris 12,4. Grammatici, qui flumen hoc Mesopotamiæ faciunt, & interpretantur de eo vexatum Virgilii versum eclog. 1,67.

Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniamus Oaxen.

7,10,14. *CONSPECTVS EST FONS*) Plutarchus in vita cap.101. scribit eum fontem fuisse pinguis liquoris, non gustu quicquam ab oleo differentis. Strabo autem lib. 11. refert Macedones qui in exercitu Alexandri erant, prope Ochum effodientes, olei fontem inuenisse. *Nam verisimile est*, inquit, *vt nitrosa quædam & aluminosa, & sulphurea & bituminosa terram perfluunt, ita quoque pinguia inueniantur: raritas autem efficit admirationem.* Idem Athenæus 2, 2. *Apud alios*, inquit, *sunt fontes, qui pingue nescio quid habent, velut qui in Asia, de quo Alexander scripsit, se olei fontem inuenisse.* Tiraquel. ad Alexand. Neapol. 1,12. Eustathius ad Dionysium, vers. 747. ex Arriano 4, 3, 6. geminos fontes prosiluisse tradit, aquæ & olei. Proinde si verus Strabo, & alii, fallitur Thomas Bzouius, qui ante Christum natum, nullum oleo fontem fluxisse existimat. tom. 2. cap. 16. Radcrus.

7,10,15. *MARGINIAM*) *Pro Antiochia Margiana habeo, in Margiana regione, & Margiana restituo.* Ortelius. Ego quidem *Margiana* leg. puto. sicque expressisse video Sabellicum in hac historia: sed non sat scio, an recte pro Antiochia habeatur. Curtius enim de hac Margiana loquitur, quasi tum vrbs fuerit: at Antiochia postea exstructa est, ortumque suum Alexandro debet, si recte capio Plin. 6,16. Eam igitur Margianam puto tum fuisse caput regionis, ipsique cognominem. ita supra *vrbem Hyrcaniam* habuimus ad 6,5,22. Notabile autem est, quod lib. 11. tradit Strabo Antiochum totum eum tractum inclusisse muro stadiorum 1500.

SEX OPPIDIS) Strabo lib. 11. testatur octo vrbes in Bactriana & Sogdiana ab Alexandro conditas. Iustinus 12,5,13. *In Bactrianis quoque Sogdianisque duodecim vrbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat.* Raderus. Has etiam intelligere videtur Ælian. hist. anim. 16, 3. Deduxit eas colonias Hephæstion. Arrian. 4, 3, 8.

7,10,16. *ORIGINIS OBLITA*) Gruteri discurs. in Tacit. cap. 45.

7,11,1. *ARIMAZES*) Strabo lib. 11. *Ferum etiam petras eum admodum altas atque munitas, proditione interueniente, cepisse: qualis fuit Sisimithræ in Bactrianis,*

Etriana, in qua Oxyartes filiam habuit Roxanem: & in Sogdiana alia. item Oxi petra, quam alij Ariamazæ nominant. Polyæno 4,3,29. *est Ariomazes.*

7,11,5. *AN VOLARE POSSIT*) Arrian. 4,3,22. à quo paululum diuerse narrat Eustath. in Dionys. vers. 747. Alluserit eodem Polyænus 4,3,29. in descriptione huius petræ, *solis volucrum alis peruiam prædicans.* Et vt puto, Florus 2,12,4. Perses *ita Macedoniam suam armis ferroque vallauerat, vt non reliquisse aditum, nisi cælo* (deleo enim particulam à) *venturis hostibus videretur.* & 4,12,4. *Noricis animos dabant Alpes atque niues, quo bellum non posset adscendere.*

7,11,7. *PECORA AGERE*) Hi enim ad scandenda prærupta erant exercitatissimi, & in ignotis quoque montibus inuestigandæ viæ gnari. Tali duce iam supra 5,4,10. Persidem intrauerat, qui ibi ait; *pastorem se fuisse, & omnes eos calles percurrisse.* Quomodo apud Liuium 32,11,2. *pastor quidam a Charopo principe Epirotarum missus* ad T. Quintium, *se in eo saltu, qui regijs tunc oneratus castris erat, armentum pascere ait: omnes montium eorum anfractus calleque nosse, si secum aliquot mittere velit, non iniquo, nec perdifficili aditu supra caput hostium deducturum.* Qui locus euentusque non sine fructu atque delectatione cum hoc comparetur.

7,11,8. *VOBISCVM*) Hanc orationem exempli caussa cum argumento & œconomia posuit in XIII. eloq. parall. noster Caussinus. Raderus.

ET MEI DOCVMENTA) Quæ res immensum vltro citroque nectit animos, & mutuæ confidentiæ implet. Non ignorauit hoc Hannibal apud Liuium 21,44,19. *Non ego illud parui æstimo milites, quod nemo vestrum est, cuius non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus loci sque referre sua possim decora.*

VESTRI HABEO) Ex Acidalii castigatione ita scripsi & edidi; antea erat, *vestræ habeo.* Raderus. Regredere ad notam 6,9,3.

7,11,9. *QVÆ CASTRA*) Verius puto, *qua* (sc. parte) *castra spectant*, nempe barbari.

7,11,10. *NIHIL TAM ALTE*) Nobilissima sententia; quam videas à variis varie expressam. Naso Metamorph. 14, 113.

Inuia virtuti nulla est via - - -

Claudian. de bel. Gildon. vers. 320.

Inueniet virtute viam - - - Maro Georg. 1,145.

- - - Labor omnia vincit Improbus - -

Terent. Heauton. Scen. 1. act. 4.

Nil tam difficile est, quin quærendo inuestigari possiet.

Sic de Neruiis Cæsar de bello Gall. 2,27. vbi virtutem eorum exposuisset, addit: *vt non nequidquam tantæ virtutis homines iudicari deberent ausos esse transire latissimum flumen, adscendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum: quæ facilia ex difficilimis animi magnitudo redegerat.* Huius sententiæ veritatem, dum hæc scribo, recenti exemplo approbat Saxonum Principum splendor BERNHARDVS, qui & ipse virtute sua in munitissimam Brisacensium arcem, cum ingenti celeberrimæ famæ incremento, sibi patefecit aditum.

EXPERIENDO) Theocrit. Edyll. 15, 61.

- - Conando Græci Troiam peruenerunt:
Optima filia, conando omnia perficiantur.

vbi Casaub. notat sic locutum Herodot. 7,9. fin. ἐγὼ δ' ἔν μηδὲν ἀπείρητον. ἀνθρώπων γὰρ ἐόντι, ὡπ' ὀλίγης πάντα ἀνθρώποισι φιλεῖ γίνεσθαι: *Nihil sit quod non experiamur. nam sua sponte nihil fit, sed omnia ab experimento hominibus fieri consueuerunt.* Hinc

Tacitus 15,59,3. *Multa experiendo confieri, quæ segnibus ardua videantur.* Et Annibal apud Liuium 25,11,17. *Multa, quæ impedita natura sunt, consilio expediuntur.*

7,11,12. *AD DECEM HOMINES)* Arrian. 4,3,23. scribit vltimum 300. Daricos accepisse, quod eodem recurrit. Daricus enim duobus Philippæis æstimabatur. Plura de Daricis Matth. Hostus de re numaria. lib. 5. num. 9. pag. 765. Ex Radero.

CERTVM AVTEM) Aberat particula, nonnullo sententiæ damno, quam volentib. Mss. restitui.

7,11,15. *QVVM CVNEOS)* Quis ita barde loquutum fuisse credat Curtium? *cuneos defixerunt, queis insisterent gradus.* qua enim notione gradus hic accipias, vt non ridiculus exeat sensus. MSS. habent; *defigerent gradus subinde quis insisterent.* Vnde certum est scripsisse Curtium: *quum cuneis inter saxa defigerent gradus subinde, quis insisterem.* Sicut apud Arrianum 6,2,14. οἱ μὲν πυροβόλες ἐμπηγνύοντες ἐς τὸ τεῖχος γόμφον ὃν, καὶ ἐς τοῦτον ἐκκρεμαννύμενοι χαλεπῶς ἀνέβησαν. Sic apud Suidam in Σάκεις, quidam nominis eius vir fortissimus, Beiudaes Persarum castellum cepit. Nec sinit dubitare Liuius 28,20,3. *sicubi nimis arduum & laue* (sic volui scribi supra ad 5,3,20.) *saxum occurrebat, clauos per modica interualla figentes, quum velut gradus fecissent.* cuneis igitur defixis fecerunt gradus, tanquam in scalas quibus insisterent ipsi. Quo genere scandendi exercitatissimus fuit Eurybatus fur. quem ferunt *dum in carcerem esset coniectus, & custodiretur, à suis custodibus compotantibus solutum fuisse, & iussum edere specimen suæ solertiæ in ædibus conscendendis, primum quidem hoc recusasse, deinde vero, ipsis ipsum recusantem rogantibus, cum hoc ipsi ægre persuasissent, tandem circumpositis spongiis, & stimulis, vel retinaculis ferreis, in parietes cursim ascendisse. Illis autem suspicientibus, & has artes admirantibus, ipsum occupasse tectum, eoque superato, priusquam illi domum circumiissent, de tecto desiliisse.* Suidas.

7,11,19. *INTELLECTVM EST)* Ms. vnus *intellectam*; aliis *intellecta*; omisso *est*: videatur fuisse: *Ex quo intellecto illam hostium latebram esse, hastis imposuere quod conuenerat signum &c.*

7,11,21. *NVNC INTERNITENTE)* Certissima hæc est lectio ex Mss. Contra illa quam vana: *dubitare cogebat varietas cœli, internitente lucis fulgore condii.* Qui primus hunc locum corrupit, videbatur sibi, credo, acutule rem proposuisse: internitente lucis fulgore oculos fuisse præstrictos, vt cœlum intueri non possent, essetque iis pro condito. Sed vt largiamur ita fuisse, fatendum erit, *varietatem* quam cœlo tribuit Curtius, non congruere. At quanto melius Mss. *dub. cog. varietas cœli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito.* Plane vel vnus hic locus (sunt autem plures hac ope restituti) efficiat, vt persolutum mihi credam laboris operæque, quæ in varias Curtii contuli, precium. Ita suauiter depingit nobis rem ipsam, nec auditores modo sed spectatores facit. Sic enim solet esse cœli facies, diluculo, crepusculoque, vnde Latinis *dubia lux* appellatur. Seneca Hippol. 1,1,41. sic describit diluculum:

\- - - *dum lux dubia est*
Dum signa pecum roscida tellus
Impressa tenet - - - -

Sic apud Ouid. Metam. 11,597. *dubiæ crepusculæ lucis.* Sed & voci crepusculi eadem inest significatio.

7,11,22. *OSTENDI A TERGO)* Vt inde metus ei iniiceretur, si videret alios superiorem tenere verticem, quod accidit. Simile exemplum in Liuio 4, 22. & 32,12. Thucyd. 4,7,18. vbi & Thermopylarum mentio. Sallust. Iug. c. 93.

7,11,23. *ADMISSVS)* Verissima lectio vnius ex Ms. *admissus.* nimirum

rum in conspectum colloquiumque barbari. sic alibi hoc verbi eodem significatu in Curtio. mox eadem recte legi puto in recentioribus, *petram traderet*, non *tradere.* consequenter etiam pro *inituro*, legam *initurus.* nam & eam vocem haud commodam hic esse, vidit etiam Sebisius, mutauitque *initurum*, non inepte. Mihi tamen etiam Ms. faucre comperio.

7,11,27. *ILLE QVAMQVAM)* Recte vidit Raderus, pronomen ad Alexandrum pertinere, quem iam adierint isti oratores. nam Acidalio, qui ad Cophen referebat, immerito suspecta fuit hæc lectio.

7,11,28. *VERBERIBVS ADFECTOS)* Id enim solitum ante crucem ostendit Lipsius de Cruce 2,2. & 3.

CRVCIBVS) Arrianus longe diuersa à Curtio tradit; nihil enim de cruciariis, sed multas ibi multorum vxores & liberos captos, atque inter has etiam Roxanem, quam postea rex duxit in vxorem, Oxyartæ filiam, de qua Strabo lib.11. Curtius 8, 4,25. & alii in Sysimithræ petra, longe alia ab hac, postea capta, prodiderunt. Arrianus omnia fere in vnum contulit, & vnum chaos confecit. Raderus.

7,11,29. *ESSET EI)* Melius, quæ *apposita est ei.* Acidalius. Posset tamen & vulgata lectio defendi, eadem ratione qua defensa est supra 7,5,29.

8,1,1. *ALEXANDER)* Liber hic Curtii ordine octauus, omnium longe nobilissimus, & rerum maiestate admirandus, & argumenti varietate iucundissimus, & fortunæ casuumque admirabilitate plane stupendus est. Raderus.

8,1,4. *PRÆDA)* Hanc vocem male à Modio eiectam restituit Acidalius. Sic apud Liuium 2,50,3. Fabiis *pecora prædantibus aliquoties, velut casu incidissent, obuiam acta &c.* & apud eundem 28,33,3. arte Scipionis *Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos præda occupatos incurrere.* Sic Ibancus cum Græcis insidias eadem ratione collocasset, *illis prædam rapientibus inopinatus aduenit, & Protostratorem cepit.* Nicetas lib.3. de Alexio. Quibus locis omnibus, in simili narratione *prædæ* vocabulum comparet. Sic & Anglos vicerunt Scoti An. Chr. MDXLV. Rer. Anglic. Annal. Interdum tamen contrarium euenit, vt eiusmodi insidiatores suis artibus caperentur. Sic apud Frontin. 3,10,6. & 7. Viriatus Segobrigenses, Scordisci Lucullum *Heracleæ duarum partium præsidio præpositum* (estne leg. *suarum*: an *duar. cohortium?*) deceperunt: quos *pecora abigere simulantes, fugam deinde mentiti in insidias deduxerunt.* Eodemque fere modo Hispani in obsidione Barolî, cum Galli iussissent pecora in campos Cerignolæ deduci; dispositis insidiis ea rapere aggressi sunt, magnamque Gallis insequentibus intulissent cladem, nisi fortuito casu consilium eorum in contrarium vertisset. Vidè Iouium in Camillo.

8,1,5. *CVM OMNIBVS INTEREMERVNT)* Aliter paulo hæc Arrianus 4,3,9. vt ex collatione horum auctorum est cognoscere. non enim alia causa eum aduoco, quam vt moneam n.10. apud eum legi: καὶ ξὺν τούτοις Πείθων τε ὁ Σωσικλέους, ἐπὶ τῆς βασιλικῆς ἱππαρχίας τοῖς ὑπ' Ζαριάσπαις τεταγμένοις. vbi primo velim τῆς ὑπ' Ζαριάσπαι. Zariaspa enim erant Bactrianæ caput. consentaneum igitur tam ibi, quam in aliis præcipuis vrbibus habuisse Alexandrum suam rem priuatam, Curatoresque rei dominicæ, vt posteriora sæcula vocauerunt. Idque exemplo regis Persarum: cuius in omni imperio passim erant γαζοφυλάκιοι, siue *manifones regiæ.* Herod. 5,52. nam de regiis per prouincias sparsis supra ad 5,8,1. dictum. Talis igitur ille Pithon fuit: non ergo numerandus *in his, qui inualetudinis causa ibi relicti erant*, quod fecerunt interpretes: sed credendum præter eos, ibi fuisse Pithonem, &, qui adiicitur, Aristonicum citharœdum, qui quacunque de causa ibi tum morari potuit.

8,1,7. *BERDES*) Acidalius hic legit *Penides*: Popma *Menides* ex 7,6, 12. vbi nota noſtra. Sabellicus in Enneadibus retinet *Berdes*; ſed ſequentia *Scythas ſuper Boſporum colentes*, falſi damnat, eo quod procul à Boſporo res tum gererentur. Quam tamen rationem haud eſſe magni ponderis, facile deprehendes inſpecto ſuperiori loco 7,6,12.

8,1,8. *PHRATAPHERNES*) Non recte hic à quibuſdam confunditur, cum alio cognomine Hyrcaniæ Satrapa, qui perpetuo in fide manſit, in quam hic iamprimum venit.

CHORASMIIS) Cur non amplectar hanc vocem, ex Mss. ſatis feliciter erutam à Radero? Nam illi, Modiani inquam, & Conſtantienſis, habebant: *qui Choras præiras Maſſagetis & Dahis regionum confinio adiunctus &c.* Quam quidem ſcripturam etiam in vltimo vocabulo retinui. Senſus: debellatis Maſſagetis & Dahis, finitimus eorum Phrataphernes qui Chorasmiis præerat, miſit legatos. Porro firmatur mentio Chorasmiorum hoc loco, etiam ex Strabonis lib. XI. in quo tradit ad eos quoque inter iſtas turbas confugiſſe Spitamenem vt ita illi quoque eius cauſſæ illigati, tranſiturum ad ſe belli incendium miſſa legatione anteuerterint.

8,1,9. *REGIS SVI FILIAM*) De hac loquitur Plutarchus cap. 181. Hunc autem potius regulum quendam Scytharum fuiſſe conſentaneum eſt; quam regem: vt omnia in maius efferentes Macedones vocauerint. Nam certum eſt *maximas illas Scythicas gentes formidataſque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi magno, ſecut Pompeius, Corneliuſque teſtati ſunt, exitatas.* Hiſt. Miſc. 12,19.

8,1,10. *BAZARIA*) Nuſquam extra Curtium hanc regionem apud vllum ſcriptorem reperio; neque enim eſt Bazira Arriani 4,5,11. Raderus.

8,1,11. *FERARVM GREGES CLAVSI*) Vide Briſſon. de regno Perſar. lib. 1. p. 53. Apud Romanos *Viuaria aprorum, ceterorumque ſylueſtrium, primus togati generis inuenit Fuluius Lippinus, qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit, nec aliis imitatores defuere L. Lucullus & Q. Hortenſius.* Plinius 8,52. qui tamen 9,56. eundem appellat *Fulu. Hirpinum*, quod præfero.

8,1,13. *ALEXANDER*) Nam ſtudioſiſſimus venationis fuit: adeoque *dies totos à prandio in ea abſumpſit*, Plutarch. cap. 39. Idque ex more gentis. nam *apud Macedonas neminem in cana accumbere ſolitum qui aprum extra retia non interemiſſet; verum ſedentes cœnaſſe, quoad feram confeciſſent: ideoque Caſſandrum iam natum annos quinque & triginta, ſedentem cum patre cœnaſſe, quod nondum defungi eo certamine potuiſſet, quamuis & validus & peritus venator*, ex Hegeſandro Athenæus 1,11. narrat. Eodem pertinet, quod de Leonnato & Menelao ſupra ad 6,6,14. notauimus. De venatione autem in genere, multa collegit Dempſt. ad Roſin. 2,7. & Tiraquel. in de Nobilitate.

8,1,14. *QVI POSTEA REGNAVIT*) Eadem verba infra 9,5, 21. de Ptolemæo recurrunt. vtrobique ſuſpecta habet Sebiſius, cui non adſentior: qui ſciam & aliis ab auctoribus viris illis hunc characterem apponi. Arrian. 5,2,17. Σέλευκον τῶν ἑταίρων, ὁ βασιλεύσας ὕστερον. Plutarch. Alexand. cap. 69. Θάϊς, ἣ Πτολεμαίῳ ϑ βασιλεύσαντι ὕστερον ἑταίρᾳ. Suidas in Μαρσύας ἀδελφὸς Ἀντιγόνου ϑ μετὰ τοῦτο βασιλεύσαντος.

VENABVLVM OBICERE) Eorum qui pro Regibus ſuis ita obiecerunt feris corpora, varii euentus aliquot exempla leguntur. Nam referente Conſtantino Porphyrog. in libro περὶ ϑυμάτων, themate primo, Polybius ſcripſit Cappadociam habere nomen hominis Perſæ, cui donata fuerit, quod leonem in venatione in regem irruentem, acinace occupaſſet, Teribazus duobus leonibus ſic occiſis Artaxerxem exemit diſcrimini, eoque *ſummum inter amicos gradum promernit.* Diodor. 15.10. Contra Baſilius Macedo Græcorum Imp. cum in venatione à ceruo ſublatum, & inciſa zona quam cornua comprehenderant, vnus ex ſtipatoribus liberaſſet, ſalutis ſuæ auctorem, ob diſtrictum velut in ſe gladium, capitali affecit ſupplicio. Zonaras. Alexander Hermolaum verberari iuſſit, quod aprum quem rex ferire deſtinauerat, occupaſſet, infra 8,6,7. hic Lyſimachum cum indignatione rejicit: eiuſmodi auxilium velut exprobrationem ducens timoris aut infirmitatis. Huius autem pugnam cum leone, ſi recte conjicio, intelligit Plinius 34,8,20. his verbis: *Idem* Lyſippus, fecit *Alexandri venationem quæ Delphis ſacrata eſt.* vt ex Plutarcho cap. 73. perſpicue colligitur. Quam venationem, vt ibidem traditur, ſpectauit & legatus Laco exclamauitque; *macte Alexander illa cum leone de regno pugna.* Quæ præclari acuminis verba cum pro iure ſuo non intelligeret Patricius Senenſ. de regno 2,1. fundamentum fecit alieniſſimi theorematis. ſunt etiam qui hanc cauſſam proferant, cur in numis leoninam pellem expreſſerit; ſed ſunt aliæ potiores.

A SEMET VNO) Multi nominantur, qui leones occiderint ſoli: Samſon, Dauid, atque nonnulli ex eius heroibus, item Hercules neminem latent. Præter hos autem & quorum in ſuperiore nota fit mentio, fertur Peredeus quidam Langobardus Conſtantinopoli *in ſpectaculo populi coram Imperatore leonem miræ magnitudinis occidiſſe.* Paul. Warnefrid de geſtis Langob. 2,30. Polydamas Scotuſſæus leonem in Olympo monte inermis confecit. Pauſan. lib. 6. & Suidas. Alcathous Pelopis F. Cliæronium leonem interemit, vt Megarenſium regis filiæ nuptiis potiretur. Pauſan. in Atticis. Acilius Glabrio conſul iuſſu Domitiani in Iuuenalibus ludis immanem leonem interfecit. Xiphil. in Domit. Idem accidit Conſtantino Magno, iubente Galerio, vt teſtatur Cuſpinianus. Leonem etiam occidit Romanus qui poſtea Conſtantinopoli imperauit, cum imperante Leone VI. claſſis præfecto ſeruiret, vt idem auctor tradit. Haraldus Danorum poſtea rex cum Byzantium profugiſſet homicidii falſo inſimulatus, leonique obiectus, eum interemit. Polydor. Virg. lib. 8. Non minus notum eſt Hermanni Grün, Conſulis Colonienſis periculum & robur. Paris gloriæ ſunt, quod Perdiccas Alexandri comes, in leænæ ſpeluncam auſus ingredi, cum illam non reperiret, catulos extulit. Ælianus hiſt. var. 12,39. & quod Olaus 5,21. ſcribit, comitem quendam Holſatiæ (Henricum cognomento Ferreum indigitat: Cranz. Saxon. 9,24. vide) iuba arripuiſſe leonem ab æmulis emiſſum, atque in caueam reduxiſſe. item Polonum quendam inſpiciente Matthia Coruino Vngariæ rege leoni libero & famelico cibum eripuiſſe. In Dariene multi leones ab incolis & Hiſpanis, ſingulos à ſingulis interfectos ſcribit Lopez de Gomara, in Hiſt. Gener. delle Indie cap. LXVII. f. Sed ait leones ibi parum generoſos naſci.

8,1,15. *AD OSSA LACERATVS*) Vnde Plutarch. in Demetrio cap. 34. *Venerunt ad Lyſimachum aliqui ab Demetrio legati, quibus ille per otium altas in cruribus & brachiis ſuis leoninorum vnguium cicatrices oſtendit, expoſuitque ſuam cum leone pugnam, quam ab Alexandro rege* (vides in hoc differre à noſtro) *cum illo concluſus conſeruerat.*

8,1,17. *FABVLAM*) Tamen in hac opinione ſunt Iuſtinus 15,3,7. & Plinius 8,16,27. Val. Max. 9,3,1. ext. citati à Popma ad h. l. quibus adde Senecam de ira 3,17,3. & de clem. 1,25,1. & ibi Lipſium. Zamoſius in analectis Dacic. pag. 39. & Lazius pag. 447. m. rem firmant numis Lyſimacheis 1,5. qui adhuc inueniuntur. Pauſanias lib. 1. ita ſcribit: *Alexander ira incenſus Lyſimachum in eandem cum leone caueam ſonici iuſſit: ſed cum ab eo feram exanimatam intellexiſſet, admiratione virtutem eius proſecutus eſt.* His adſtipulari credas Æmilium Probum in Lyſimachi vita, ſi Patricium Senenſi.

Senenſ. 1, 11. ſequaris : mihi quidem vitam Lyſimachi Probo ſcriptam nunquam videre contigit.

8, 1, 18. *AVT SINE)* Reſtitui locum interpoſita particula diuidente. nam Pal. 1. habebat ; *haud ſine.* duplex ergo fuit Macedonum ſcitum : ne pedes venaretur, neue ſine delectis amicorum. ex vulgata lectione male interpolata naſceretur ſenſus, prohibitum venari peditem ſine amicis, equitem venari licuiſſe.

8, 1, 20. *HIC ERAT)* Nomini Cliti ſubiungit hoc γνώϱισμα vt dignoſceretur ab aliis Clitis eius coætaneis. Fuit enim Clitus Bardylei filius, qui inter initia Alexandri deſciſcit à Macedonibus, apud Arrian. 1, 2, 1. Fuit & alius cognomine *candidus* ὁ λευκὸς κλεῖτος, homo ſupra modum arrogans & elatus, apud Athenæum 12, 9. Ad quem fortaſſe pertinet quod Plutarch. de fort. Alex. 2, 12. ſcribit, paucis Græcorum nauibus depreſſis Neptunum audire voluiſſe. nam ad Curtianum ſane non pertinet, qui nec Alexandro ſuperfuit ; nec ante vel ſub eo tam immanis arrogantiæ fiduciam aut occaſionem habere potuit. Ad illius autem differentiam noſter ille Dropidis filius videtur dictus *niger* ὁ μέλας, apud Diodor. 17, 20. vnde ſic apud Plutarch. in vita Alex. cap. 26. olim notaui legendum, quo loco nunc exſtat ὁ μέγας. Aliis vitioſe ſcribitur *Clytus*, vt Dreſſero Millen. IV. pag. 340. qui etiam in tempore errat.

NVDO CAPITE) Nempe galea priori ictu iam perfracta. Vide Plutarch. cap. 25. Cuius, vt & Arriani Diodoriique diſſonantias qui cognoſcere volet, ab ipſis petere poterit.

8, 1, 21. *HELLANICE)* Cliti ſororem *Lanicen* vocat Ælianus de var. hiſtor. 12, 26. quomodo & Arrianus 4, 11, 12. Athenæus vero 4, 1. *Lacnicnen.* vbi refert Proteam, ex Proteo filio illo Lacnicnæ oriundum quæ Regis Alexandri fuit nutrix, fuiſſe valde bibacem. Popma. Ego ita ſentio Hellanicen fuiſſe vocatam fortaſſis à victoria aliqua, quam quidam priorum Macedoniæ regum de Græcis reportauerit. idque nomen poſtea ſeu more gentis (quod hodie nobis Græciſque etiam eſt vſitatiſſimum) ſeu quo alio caſu, capite minutum fuiſſe. Celebratur & eiuſdem etymi hiſtoricus Hellanicus, quem Stephanus de vrbibus, aliique citant.

8, 1, 25. *IN ILLYRIOS)* Non poteſt ſentire Curtius de bellis poſt Philippi mortem ab Alexandro contra Illyrios geſtis : multo minus de eius profectione in Illyricum ; quo tempore cum patre ſimultatem exercuit. Nec ſane alia eius reperiuntur ibi gentium bella. Niſi forte capiendum hoc de expeditione in neſcio quos Medaros, quibus hærente ad Byzantium Philippo bellum clademque intulit : quanquam id videatur accidiſſe ante Chæronenſe prœlium : Curtius autem victos Illyrios dicere poſt illud. Plutarch. Alex. cap. 14. vide.

8, 1, 26. *SAMOTHRACVM INITIA)* *Fama eſt in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, quum eſſet ipſe tum adoleſcens, illam item puellam parentibus orbam amaſſe &c.* Plutarch. Alex. cap. 11. De eo tempore, opinor, Alexander hic loquitur. Pater enim ipſius ea ætate hæc egerit, qua hic res maximas iam geſſerat.

8, 1, 28. *EVRIPIDIS CARMEN)* Ex Euripidis Andromache, verſu 693. ſunt verba Pelei. Ceterum hoc Cliti iudicium refutat Gruterus diſcurſ. in Tacit. cap. 1. §. 6. & cap. 32. omnia ex principis fortuna pendere demonſtrans, qua de re & ſupra dictum ad 3, 2, 1. Locum eum Euripidis alluſit (iudicio Victorii Var. Lect. 28, 22.) Cicero pro M. Marcello cap. 2. *bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriæ ſint imperatorum.* Certius autem Iulianus in Cæſaribus, in examine Alexandri : *Non enim ſicut in ædificationibus, quæ publicis impenſis fiunt, accidit, quibus aliorum opera & ſumptus ad exitum perductis, opus alterius, qui ei præeſt nomine inſcribitur, licet in eius confectione minimum laboris impenderit, ita iſti aliena egregia facta ſibi adſcripſerunt.* Aperte autem illo eiuſdem ſcripti feſtiuiſſimo loco, vbi Alexander ait ſe Malforum vrbem diruiſſe ; *Minime vero tu beate, inquit Silenus, quippe iacebas quemadmodum Hector ille Homericus, ſenſim deficiens, & animam agens ; aly vero pugnabant & vincebant. Nempe nobis ducibus hoc fiebat, inquit Alexander. Qui fieri poterat, inquit Silenus, vt te ſequerentur, cum parum abeſſet quin mortuus eſſes ? Deinde ex Euripide hæc cecinit :*

Male quam poſitum eſt in more apud Græcos,
Cum exercitus tropæa de hoſtibus ponit &c.

Adhæc Dionyſius : Deſine, inquit, o pater, iſta loqui, ne te eodem iſte, quo Clitum, malo afficiat. Iacobus Nicolaus Loenſis miſcel. epiph. 5, 17. ſugillat Curtium, quod hunc locum Eurip. male expreſſerit : ſed ille, iudicio Popmæ, non animaduertit *Intercipi* hic ſignificare totum capi, vt exponit Donatus in illo Terentii Eunucho act. 1. Sc. 1.

– – *quod nos capere oportet, hæc intercipit.* Ceterum ſimilem ſententiam profert neſcio fabuloſus an verus Androgeus apud Galfrid. hiſt. Britan. 4, 9. *Inſipientia obducitur, qui commilitones, quibus triumphat, iniuriis vel contumeliis infeſtat. Non enim eſt vllius ducis victoria : ſed illorum qui ſanguinem ſuum pro eo pugnando diffundunt.*

8, 1, 29. *REGVM NOMINA)* Regum vocabulo etiam ceteros imperatores intellige. falſum enim regum tantum non etiam aliorum prætorum nomina tropæis inſcribi. Vnicum ex plurimis exemplis adducam, alias etiam obſeruatu dignum. Polybius 2, 2. &c. narrat cum Ætoli Mydionios obſidione premerent, iamque dies inſtaret qua nouum prætorem creari oporteret, eum qui hactenus res adminiſtraſſet petiuiſſe, *vt capta vrbe & prædæ adminiſtratio & armorum* (tropæi) *inſcriptio ſibi tribueretur :* alios, maxime qui eum honorem peterent, contra niſos, æquum cenſuiſſe, vt eius illud decus foret, quo imperante occupari vrbem contingeret : tandem placuiſſe Ætolis, *vt futurus Prætor ius prædæ adminiſtrandæ, & arma inſcribendi, cum prius communicaret.* Interim inſperato ſubſidio liberati Mydonii, cum Ætolos cum clade reiecíſſent, tropæumque de iis ſtatuere vellent, cognito eorum conſilio, itidem decreuerunt, vt & præſentis Ætolorum prætoris nomen exprimerent, & ſucceſſoris eius.

8, 1, 31. *IVNIORES SENESQVE)* Iuniores pro Alexandro eiuſque rebus geſtis pugnabant ; ſeniores pro Philippo : quouis ad ſuam ætatem ſummam gloriam trahente. & ſane non facile dictu fuerit, quorum ſententiæ ſtandum putes. Pro iis quæ mox ſequuntur *orta contentio eſt & Rex*, melius reſcribas ex manuſcr. *orta contentione rex &c.*

8, 1, 32. *NIHIL EO REMITTENTE)* Sic olim legit Acidalius ; quo nec viſo idem coniecimus : & Raderus expreſſit. Ceterum aſſentior Plutarcho cap. 71. de diſcrim. adulat. & amici : *non tam ebrietatem feciſſe, quod ita grauiter commotus Cliti obiurgatione fuerit Alexander, quam quod multis coram teſtibus eam vſurpauit :* ſi tamen addas quod Curtius hic notat, obſtinatam eius peruicaciam, & continuationem odioſiſſimæ cantiunculæ.

8, 1, 33. *THEBARVM EXCIDIO)* Quod memorant Plutarchus in Alexandro cap. 20. & Demoſthene cap. 32. Arrianus 1, 3, 15. Polybius 4, 23. Iuſtinus 11, 4, 7. Diodorus 17, 9. &c.

8, 1, 34. *QVVM VICT. ARB. AGIS)* Recepi omnino lectionem Acidalii quam ex membranis eruit, quæ ſic habebant : *At cum victoriæ arbitrium magis præcipuum fuerunt.* vnde Modius fecit ; *At victoriæ maius*

præ-

præmium ferunt, quem deinde secuti sunt editores: ego cum Radero sequor Acidalium.

8,1,35. *MIHI ADTRIBVIS)* Vt mos principum, inuisos sibi periculis obiectandi. Vide Grut. disc. in Tacit. cap. 35.

8,1,36. *ATHARIAS)* Diodorus 17, 27. in genere veteranis hoc tribuit. De nomine Athariæ dictum supra ad 5,2,5. est & Atarras supra 6,8,19. quem pro eodem hoc nomine habeo.

8,1,37. *AVVNCVLVM TVVM)* Alexandrum Epiri regem intelligit, cui cognomentum Molosso [hoc est Epirotæ] fuit. Is bellum pop. Romano facturus cum in Italiam transiret, dixit, se quidem ad Romanos, quasi in ἀνδρωνῖτιν, Macedonem ire ad Persas, quasi in γυναικωνῖτιν, vt tradit A. Gellius 17, 22. Popma. Dictum id Alexandri etiam alludit prior Curtio Liuius 9, 19, 11. *Næ ille sæpe, etiamsi prima prospere euenissent, Persas & Indos, & imbellem Asiam quæsisset, & cum feminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso iuuene cum sua conferentem.* Iamdudum enim Græcis innotuerat homines Asiaticos molles & ignauos esse. Ergo apud Lucian. in dialog. 12. mortuor. Hannibal: item dialog. 14. Philippus pater obiiciunt Alexandro facilem ex imbelli genere victoriam. quorum hic etiam Clearchi exemplum suggerit, quo duce decem millia Græcorum ingentes barbarorum copias propulsauerint, quam rem Xenophon secundo & seqq. libris ἀναβάσ. prolixe & disertissime narrat. Sed & iam ante ad Thermopylas Xerxis *agmina patam fecerunt, se quidem multos homines esse, at paucos viros.* Herod. 7, 210. quod dictum paucis mutatis ipsi Xerxi tribuit Front. strateg. 4, 2, 9. Feminarum autem vocabulo imbelles & timidos notant, quod eas natura his ingeniis corporibusque fecerit. Silius 14, 130. de Siculis Romano militi occurrentibus:

Femineum credas maribus concurrere vulgum.

Inde legitur Sesostris Ægypti rex domitis longe lateque gentibus, tropæa in quibusque finibus erexisse, membris maribus insignia, vbi fortiter repugnatum esset; alia femineis. Herodot. 2, 102. inde contumeliæ caussa virorum nomina frequenter detorta reperiuntur in muliebrem terminationem: in qua re constitisse Messalini scomma in C. Cæsarem, vt nimirum *Caiam Cæsarem*, pro *Caio* vocauerit, haud vana, ni fallor, coniectura deprehendi ad Tacitum 6, 5, 1. Quem locum quasi data opera luculentissime exponit par Luitprandi acumen, in eunuchum exercitui Græco præpositum, in eius legatione ab Othonibus ad Nicephorum: *Cui exercitui, vt puto, ad contumeliam vestram, hominem quandam, sed quandam eo dixi, quia mas esse desiit, mulier fieri non potuit, præposuit.* vbi vides idem latere in his verbis ita coniunctis *homo quædam*; quod in illis Messalini *Caia Cæsar*: illaque Taciti, *quasi incertæ virilitatis*, paulo pluribus hic explicari. Sic apud Iosephum antiquit. 14, 28. Sosius regem Iudæorum pro *Antigono* vocat *Antigonam*: apud Simocattam 3, 8. Varamus Hormisdæ dux, à quo missis femineis vestibus pauoris insimulatus fuerat, regi suo par referens, eum in epistolæ *superscriptione Chosroæ non filium, sed filiam infami irrisione nominat.* Eiusdem farinæ est ingeniosum illud apud Ciceronem de Orat. 2, 68. *Cum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festiuo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esses, dixisset; Quid tu Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu & lana? Non pol, inquit, audeo, nam me ad famosas vetuit mater accedere.*

8,1,38. *TEMERE IACTIS)* Ita melius cum quibusdam Mss. quam cum vulgo, *actis*.

REX PRESSIT) Inclementer abiecerunt voculam *rex*, quam adiungi verbo sequenti æquius erat, vt *repressit* scriberetur. Acidalius.

8,1,40.

8,1,40. *IVRGANTES)* Optime iuncta hæc, *iurgantes monentesque*: nec adsentior Acidalio rescribenti *vrgentes*.

8,1,41. *DEFENSVM)* Monet hic locus, vt in hac historia corrigam insignem illum Orosii 3, 18. Clitus *cum in conuiuio fiducia amicitiæ regiæ, aduersus regem, sua opera patri Philippo præponentem, memoriam patris tueretur, ab offenso frustra rege venabulo transfossus, commune conuiuium moriens cruentauit.* Vides in nonnullis diuersum abire à Curtio; tum omnia in Alexandri inuidiam intendere. Sed ista mitto: illud autem *ab offenso frustra rege*, ineptum est. fuit *ab defenso*. quod mutauit qui historiam defensi ab Granicum ab Clito regis hic tangi non animaduertebat.

8,1,48. *SPATIVM ANIMO DET)* Iuuenal. Sat. 6, 222.

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.

Langlæus Semestr. 11, 2. hoc & aliis exemplis ostendit, iratum principem non debere de capite hominis statuere.

8,1,52. *HASTA TRANSFIXIT)* Orosius 3, 18. *venabulo transfossum* facit; quidam apud Arrian. 4, 2, 9. *hasta*; alii *sarissa*: Seneca de ira 3, 22, 8. *lanceæ*. Plutarchus cap. 92. αἰχμὴν vocat. Sed δορύτομον Lucian. in dial. mortuor. XIV.

AD PHILIPPVM) Pal. 1. vna voce auctior; *ad Phil. pergem*: forte fuit *ad Philippum regem*. quippe quem præfers Alexandro regi. Illis *i nunc &c.* respicit Curtius Virgilium 2, 547.

- - referes ergo hæc & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Affinia sunt Marcelli accusatoria ista in Thraseam apud Tacit. 16, 28, 6. *Non illi consulta hæc, non magistratus, aut Romanam vrbem videri. Abrumperet vitam ab ea ciuitate, cuius caritatem olim, nunc & aspectum extulisset.*

8,2,1. *TRANSACTA PERPENDIMVS)* Gnome insignis quam eandem à Mænandro expressam ad Tacitum, Taciti Salus notauit, dignam cum ipsa Taciti iterum hic notari, vt & Curtii cum iis, & hæc cum Curtii contendantur, lucem à se inuicem lucraturæ vniuersæ. Menander, vt Stobæus citat:

Οὐδὲις ξύνιδεν ἐξαμαρτάνων, πόσον
Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ' ὁρᾷ.
Peccando, molem nemo peccati videt;
Commissa demum, mente sera perspicit.

Tacit. 14, 10, 1. *A Cæsare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est &c.* Quid autem ni Lipsii etiam ipsius adscribam? non hercule venuste minus elatam, & quam spreuisse sane cuiuis nefas, religio autem mihi sit vel præteriisse. Ille ibidem: *Curremus ad scelus præcipites, quod sedente impetu, veris mox pretiis æstimamus.* Acidalius.

QVIPPE REX) Egregia narratio, & plane vt fieri voluisset Lucianus, de conscribenda historia: vbi dicit scriptorem rerum nullos in mentionem earum adferre debere adfectus, neque angi, exempli caussa, in describenda Cliti cæde, dummodo rem perspicue exponit. hoc enim velle videtur eo loco Lucianus: nam interpres, aliud.

8,2,2. *IMMODICA LIBERTATE)* Haud postremi nominis politicus, de iure Mai. 3, 13. hoc interpretatur de Alexandro, qui sit abusus licentia absoluta: ita inuertitur quasi ex proposito Curtii sensus. Fraudi forsitan fuit, quod in quibusdam impressis sic distinguitur. *Videbat tunc immodica libertate abusum. Sed alioqui egregium &c.* Vt videas vna sæpe distinctiuncula lucem afferri toti alicui periodo. Sic apud Cæsar. de B. Ciu. 3, 18. f. dist. *Bello perfecto ab iis Cæsar hæc dicta cognouit &c.* Vide Indicem, in *distinctio*.

REX) Hoc emphatice dictum accipe. rex quum esset, carnificis operam exercuit.

VINO IMPVTARI) Recurre ad illum locum 6, 11, 28. de Hegelocho: *vtrumne vino grauatus effudisset illa.* Et quæ nos ad epigramma 25. Martialis, quod Procillo inscribitur lib. 1. Raderus.

8, 2, 3. *POENITENTIAM)* Quo nomine laudat Alexandrum Arrianus 4, 2, 11. *quod statuim maleficii pœnitentia ductus fuerit*: & 7, 5, 21. *id soli ipsi inter veteres reges tanquam eximium ac genuinum quiddam adscribit. Plerique enim, tametsi alicuius delicti conscii sibi sint, tuentes id vt recte factum, obtegere culpam suam putant: inique statuentes &c.* Merito tamen Alexandro præfert laudatissimum regum Alphonsum Æn. Syluius in Comment. ad Panorm. de dictis & factis Alphonsi 1, 11. vtriusque verba digna memoratu: Panorm. *Cum poculum quo rex ipse biberat, Cæsari generoso adulescentulo dari iuberet, & Pirretus pincerna Cæsaris inimicus, quamuis semel bis & tertio iussus dare, venuerat; permotum regem surrexisse aiunt, pugionemque strinxisse, ac fugientem Pirretum adsecutum, ne iam prehensum iratus feriret, pugionem in media ira abiecisse.* Sylu. *Wenceslaus rex Bohemiæ, Sigismundi frater &c. ministri offensus verbo è mensa consurgens, arrepto pugione amicum interfecit. Alexander Macedo correpto telo in Clitum, per mortem charissimi hominis iræ suæ satisfecit, sibi se non satisfecisse pœnitentia facti docuit. Melior itaque Alphonsus vtroque &c.* Etiam M. Antonii *moribus inerat simplicitas: nec cito ad secus admissa animum aduertebat: verum vbi res perperam actas sensserat, illico pœnitentia subibat eius animum, culpamque ingenue etiam ad eos ipsos agnoscebat, ad quos res acta, iniuriaque pertinebat.* Plutarch. in vita cap. 31. Laudat id in Ludouico suo Cominæus lib. 1. fin. *Quum enim forte ob intemperantiam linguæ lapsus esset, & durior fuisset, mox agnouit culpam, & conuersus ad eum quem offenderat: non me latet, inquit, obfuisse mihi linguam, sed & profuit aliquando: nunc autem, vt quod illa peccauit emendem, æquum est; ac simul quum ad eum modum familiariter ageret, donum aliquod dabat non contemnendum.* Vbi recte subiicit. *Est profecto magnum DEI beneficium agnoscere quod vitiosum est, ac mentem ad meliora conuertere.*

8, 2, 4. *ERGO HASTAM)* Scripsit Ianus Gruterus ad illum Taciti locum 15, 36, 3. *Facinorum recordatione nunquam timore vacuus,* nobile caput, cui fecit hanc inscriptionem: *Conscientia eis pro pœna, qui supra pœnam.* vbi plurima ex nobilissimis scriptoribus de facinorum conscientia, quem ego locum indigito tantum, non transcribo, quia prolixissimus est, sed totus tamen huc facit: quem ipsum Curtii locum à Grutero præteritum miror, cum vel maxime ad institutum faceret, & interim alia ex eodem producat. Raderus. Collegit eius generis plurima Arnisæus de Repub. 2, 3, 9, 4. &c.

8, 2, 6. *ANNIVERSARIVM SACRIFICIVM)* Arrianus 4, 2, 5. *Diem quendam apud Macedones Baccho sacrum esse ferunt, atque Alexandrum quotannis eo die Baccho sacrificare solitum, tum temporis neglecto Baccho Dioscuris sacrum fecisse.* Aliam rationem affignat Plutarch. cap. 21. *admissum per temulentiam in Clitum facinus, illamque contra Indos Macedonum ignauiam, quasi rudem volinquentium expeditionem suam & gloriam, ad iram & inuidiam retulit Liberi patris:* nempe quod patriam eius, Thebas, euertisset.

8, 2, 7. *AMICORVM ANIMOS)* Haud immerito erant attoniti, tam recenti exemplo infidæ & periculosæ regum amicitiæ. quarum multa documenta reperies apud Piccart. obseru. hist. 13, 9. idemque argumentum facunde exsequitur Sciauus Enenkelii. Vide & Gruteri discursus in Tacit. cap. 38.

8, 2, 8.

8, 2, 8. *GRATIAM RETVLI)* Merito igitur hunc tanquam confessum reum, in catalogum ingratorum retulit Sabellicus exemp. 7, 2.

DVO FILII) Mileti oppugnationem Arrianus 1, 6, 23. Plutarch. cap. 27. & Diodorus 17, 22. exponunt, sed nullus filiorum Hellanices vllam mentionem fecit, contenti caput rerum, singularibus, quod plerumque fit, neglectis, attigisse. Raderus. Meminit tamen eius rei, eodem fere quo Curtius modo Arrian. 4, 2, 12. nisi quod locum vbi occubuerint, non signat.

8, 2, 9. *SERVATORVM)* Vnum Clitum intelligens, pro recepta loquendi consuetudine, plurali vtitur. Sicut plane apud Arrian. 4, 2, 12. *φονέαπ τῶν φίλων amicorum interfectorem* se appellat, cum præter Clitum neminem ex amicis interemisset. Ita Liuius 9, 18, 3.

8, 2, 12. *IVRE INTERFECTVM)* Præcipuo instinctore Anaxarcho, vt testatur Arrianus 4, 2, 14. cuius verba bona fide referentem Popmam non opus erat reprehendi. Dixit enim Anaxarchus, *fingi iustitiam Iouis assidere, quia quicquid à Ioue decernitur, id iuste factum esse censeri debeat. oportere igitur, quæ à magno rege fierent, iusta existimari.* nimirum quia regis potestas atque etiam nomen inprimis tribuebatur Ioui, Anaxarchus alios quoque magnos reges, eodem iure censeri æquum putabat. quod vel ex Plutarchi Themist. c. 48. colligas. nec vlla est suspicio, cum restringi hæc voluisse ad eum tantummodo regem, qui Iouis filius esset. Nec sane pro hac interpretatione vnum verbum in Diogenis Anaxarcho. Eodemque modo refertur id apud Plutarch. cap. 5. ad princip. indoctum: *Anaxarchus Alexandrum consolans ob Clitì cædem animi se angentem, aiebat, Ius & Fas Iouì assidere, vt quicquid rex* (nimirum quilibet absoluta potestate præditus) *agat id fas iusumque putetur.* & in Alexand. cap. 93. *πᾶν τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος δίκαιον, quicquid agatur à dominante, iustum esse.* Quam insanam constitutionem, omnibusque istis locis merito explosam, postea Athenienses conuertisse videntur in adulationem Demetrii Poliorcetæ. *Sciuerunt* enim, *videri pop. Atheniensi,* quicquid iussisset rex Demetrius, id & apud deos fas, & ius apud homines esse. Plutarch. Demetrio cap. 29. Ceterum Curtius infra 8. 8, 22. à Callisthene reuocatum ad vitam Alexandrum scribit, nulla Anaxarchi mentione, quod quomodo conciles, discas ex Plutarcho Alex. cap. 93. nimirum & Anaxarchum quo dictum est modo eum erexisse, & Callisthenem *placida & modesta oratione.*

SEPVLTVRA PROHIBITVRI) Quasi damnatum & iure occisum, quæ summa apud Græcos ignominia, caruisse sepultura. nam ἀνοσιώτατοι, tyranni, proditores, & hoc infame & execratum genus hominum sepultura prohibebantur, quod ex variis scriptoribus testatur Alexander Neapolitanus 6, 14. Raderus. Adde notam supra ad 3, 2, 19.

8, 2, 14. *XENIPPA)* Nec ista Xenippa vsquam extra Curtium reperienda, ab vllo geographo, scriptore, historico consignata vel expressa. Fides tota penes Curtium est, qui haud dubie ex Græcis auctoribus, qui hodie desiderantur, hæc Xenippa accepta in suo volumine posuit. Raderus.

8, 2, 18. *NAVRA)* Apud Arrianum 4, 3, 17. est *Nautaca,* statim post Spitamenis cædem. Apud alios quidem nihil prorsus de hoc nomine. Glareanus. At ego apud Arrianum in Erythræi maris periplo lego hanc vocem: *Deinde Naura & Tyndis prima seu maxima Limyricæ prouinciæ emporia.* Tyndis autem est Ptolemæo ciuitas & fluuius intra Gangem in India, sicut & Naura regio Arriano videtur intra Gangem. vt magnopere dubitem, vtrum hic non sit potius cum Glareano *Nautaca* legendum, de quo loco etiam Arrianus infra, non certe multum à Bactris & Maracanda remotis. Fauet etiam huic scripturæ codex Constantiensis Ms. qui *Nauta* habet pro

Nautaca; vltima credo syllaba amissa vel omissa. [Proxime accederet Aldus, qui *Nautaiam* habet] Strabo lib. 11. Sysimithris petram in Bactriana constituit. Bactriana autem cis Indum, nec intra nec extra Gangem est. Limyrica autem est in India Austrum versus, vt ex periplo Arriani intelligi potest. Seruo tamen *Naura*, quam scripturam & Alex. Neapolitanus 1, 24. & Tiraquellus agnouit, quamuis apud Alexandrum vitiose sit scriptum *Mauros*, pro *Nauros*, quorum regio iuxta Bactrianos est. Arrianus 4, 4, 1. hanc petram in Paratacis intra Bactrianam collocat. Itaque *Nautacas* aliam prouinciam apud Siculum 17. & Arrianum reperio. Arrianus autem 4, 4, 1. hanc petram eiusque dominum, communi nomine *Chorienem* appellat. Hunc Chorienem Strabo lib. 11. cum Curtio *Sysimithrem* vocat. Raderus.

8, 2, 19. *COIRE CVM LIBERIS*) Infandum scelus, & per quod iure gentium incestus committitur. l. fin. de R. N. sed viderit ibi Paulus, quid appellet ius gentium. Ecce enim quod nos merito quidem abhorremus, probabatur *Arabibus*, *Persis*, *Assyriis*, *Parthis*, *Medis*, *Ægyptiis*, *Phrygibus*, *Galatis*, *Æthiopibus*, *Indis*, *Scotis*, *Hibernis*, *Nauræ regionis incolis*, *Nomadibus*. vt ex variis auctoribus ostendit Tiraquellus leg. Connub. 7, 30. 32. 33. & Alexandri dies Genial. 1, 24. Quibus accedunt haud pauci ex incolis terrarum recens repertarum. Eo respicit Ouidianum illud Metamorph. 10, 331.

- - - gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur - - - - - Euripides in Andromache vers. 173. ποσθῶν παῖς τὸ βάρβαρον μέλος, Πατρὶ ξυναντεῖ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται &c. Orosius 1, 4. à Semiramide hunc morem introductum ait. Theodoretus contra Græcos Orat. 9. de legib. ait, Persas ex Zaradæ cuiusdam instituto matribus misceri. Quem Theodorus Mopsuestias apud Photium Cod. 81. appellat *Zasradem*: Agathias lib. 2. de bello Goth. *Saradem*, quo nomine etiam Zoroastrem vocari affirmat. Apud Persas autem incestam eam consuetudinem aliquando viguisse, præter citatos à Tiraquello, certum est ex Minutii Octauio, Chrysostomo de Virg. cap. 9. Iuliano Imp. apud Cyrillum lib. 4. Gregor. Nysseno in epist. contra fatum, Æliano hist. anim. 3, 47. & Tatiano contra Græcos fol. 283. Philone de special. legib. *Machlyes* & *Auses* eodem more pollutos fuisse facile est colligere ex Herod. 4, 180. item *Garamantas*, ex Plinio 5, 8. Lactantio 3, 21. Aristot. Polit. 2. pr. Platone de Rep. 5. & Solino cap. 43. *Chaldæos* ex Cæsario apud Glycam & Cedrenum in rebus Alexandri. Sed & *Macedones* suspecti sunt Tertulliano Apologet. cap. IX. f. Apud Laertium Pyrrho hac consuetudine & aliis similibus demonstrat, *idem aliis bonum aliis malum putari*. Quomodo & Cornel. Nepos proœmio: *non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari*. Eodemque sensu Artabanus in Plutarch. Themist. cap. 46. Summus gentilium philosophus Ethic. or. 1, 3. Τὰ καλὰ καὶ τὰ δίκαια τοσάυτων ἔχει διαφορὰν, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δ' μή. Quorsum hæc? vt nempe constet, certos indubitatosque bonorum & malorum fines constituere, non esse naturæ, sed gratiæ.

8, 2, 20. *TERGO PETRA CLAVDEBAT*) Fauces regionis à fronte præterfluens torrens, à tergo petra obiecta muniebat. hæc vera lectio, quam frustra impugnant alii.

8, 2, 22. *AC VALIDAS*) Consensum librorum secutus ita restitui: fecerant alii, *munitas valida manu barb. tuebantur*. non male, nisi quod Curtio suum abstulerunt sensum, qui æque bonus. *angustias munitas ac validas, barbari manu tuebantur*. manu dixit, id est vi & armis. Indicem vide.

8, 2, 25. *OXARTEN*) Hoc nomen multis modis scribitur: nec enim puto

puto diuersa esse omnia ista, sed vnum, Oxartes, Oxathres, Oxyartes, vt apud hunc aut illum auctorem, solenni in barbaris nominibus dubitatione, varie reperias. Interim vnum illud nomen pluribus fuisse commune, non nego: idque cum aliis hoc genus accurate in Indice notatum inuenies.

8, 2, 26. *AD AVGENDAM FORMID.*) Sæpius vsurpatum, vt suadentes vim etiam ostentent: *mistis precibus minisque*, vt apud Liuium 4, 25, 13. quod epist. 7. Plato vocat δεήσεις μεμιγμένας ἀνάγκαις. Fecit idem Alexander supra 7, 11, 22. vnde magis clareat, recte me emendasse in Tacito 15, 27, 5. *Simul vt consilio terrorem adiiceret, Megistanas Armenios qui primi à nobis defecerant, pellit sedibus &c.*

8, 2, 36. *IS PEDES*) Iustinus 15, 3, 11. de Lysimacho: *In India infestanti regi quosdam palantes hostes, cum à satellitum turba, equi sui celeritate destitutus esset, solus ei per immensas harenarum moles comes cursus fuit. Quod idem antea Philippus frater eius cum facere voluisset, inter manus regis exspirauerat.* Simile Suetonius de Galba cap. 6. f. *campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.* Capitolinus de Maximino cap. 3. *Ad pedes Imperatoris equitantis accessit. Tum volens Seuerus explorare quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus, & cum Imperator laborasset, neque ille accurrendo per multa spatia desisset, ait ei, quid vis Threcisce? numquid delectat luctari posti cursum? Tum ille, Quantum libet (inquit) Imperator.* De aliorum mirandis cursibus vide epistolam 59. Lipsii ad Italos & Hispanos. Nescio autem an de hac historia capiendus Ælianus hist. var. 10, 4. *Alexander tertium quadringentis stadiis continuo itinere confectis, antequam quietem caperet exercitus, cum hostibus conflixit, & eos vicit. tertium* reddidi illud τρίς quod est in textu, cum vocula *ter* vbicunque poneretur, ambiguum faceret sensum.

QVINGENTA) Ex variis numeris hic visus est maxime consentaneus: essent milliaria nostratia sedecim fere, minus triente.

8, 3, 1. *NVNQVAM FATIGATA*) Quod alias solenne. Lucanus 2, 727.

- - lassata triumphis Desciuit fortuna -

Liuius 9, 17, 6. *Vt alios reges claros ducesque omittam; magna exempla casuum humanorum: Cyrum, quem maxime Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita sicut Magnum modo Pompeium, vertenti præbuit fortunæ?* Quod aspexisse videatur Seneca ad Marciam 26. 4. *Regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini decrit, si aliquid ætati detraxeris?* Sic intellige Tacitum 15, 6, 2.

8, 3, 2. *COMITEM TRAHEBAT*) Quomodo Rhadamistus apud Tacitum 12, 51, 1.

8, 3, 6. *EIS FORTVNA*) Vulgo *his*. neutrum Curtius voluit præ ipsis: si tamen hoc saltem voluit, neque omnibus omissis sic potius scripsit *quamcumque fortuna fecisset sibi. Mortem ded. esse leuiorem.* Neque tamen vel hoc affirmato. Acidalius. De pronominis reiectione adsentior: de distinctione mutata non item.

8, 3, 9. *GLADIVM STRINGIT*) Iudithæ similimum facinus, similimoque modo patratum, nisi quod illa sanctissima herois, hostem numinis & patriæ, hæc amantissimum sui maritum, illa pie, hæc impie interfecerit. Raderus. Sic etiam Belides quinquaginta, vna excepta Hypermnestra, viros suos occidisse leguntur. Ouid. Epist. Heroid. 14.

8, 3, 15. *EXEMPLAR TRANSFERRET*) Sic Cicero pro Deiot. cap. XII. *Quæ est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Id circo in hanc vrbem venisti, vt huius vrbis iura, & exempla corrumperes, domesticaque tua inhuma-*

inhumanitate noſtræ ciuitatis humanitatem inquinares ? Adde locum Philonis relatum infra ad 8, 5, 6. Non paucas gentes ex commercio aliarum nationum corruptas leges. In literis ſacris habes Iſraëlitas apud Ægyptios, Babylonios, Tyrios & alios vicinos idololatriam aliaſque peſſimas artes doctos. Diu Græci Romanique ſanctè frugaliterque vixere, poſtea paulatim mores defluxere, paupertaſque probro haberi cepit, luxuriæque peregrinæ inuictum malum ad effœminandos animos ab exercitu Aſiatico in vrbem primum inuectæ, mores infecit: ſicut aurum Perſicum fugato Mardonio Athenienſium animos labefactauit, & dira tabe infecit. Inde illecebræ libidinum, & rerum ſecundarum luxus in omnem licentiam graſſati. Plura Alex. ab Alexandro, Plinium 33, 11. & 34, 7. licet conſulas, & Liu. 39, 6. Val. Max. Salluſtium in exordio belli Catilinarii. [Florum 3,12,7. g.] Herodot. 1, 155. narrat quomodo fortiſſima gens Lydorum, Perſarum conſuetudine [imo potius fraude & artibus] penitus fuerit effœminata. Inde factum, vt multæ gentes, quæ cum exteris nationibus nihil habuere commercii mores incorruptos tuerentur. Documentum ex Cæſare accipe qui de bel. Gall. 2, 1. de Belgis hæc prodidit. *Horum omnium fortiſſimi ſunt Belgæ, propterea quod à cultu atque humanitate Prouinciæ longiſſime abſunt, minimeque ad eos mercatores ſæpe commeant, atque ea quæ ad effœminandos animos pertinent important.* Idem 2, 15. de Neruiis docet: *nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus, nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguefcere animos, eorumque remitti virtutem exiſtimarent.* Ab iiſdem fere virtutibus celebrat Vſipetes Germanos 4, 2. Sinæ ad vſque noſtra tempora exteros omnes è finibus ſuis excluſerunt: vltimis hiſce annis primum è noſtra ſocietate Patres, dein Luſitani in penetralia regni admiſſi, non vt corrumperentur, ſed corrupti emendarentur, & fines aduerſus Scythas ſeu Tartaros defenderent. Plura in hanc rem paſſim leges. hæc mihi ſubcalamum venere. Raderus. De Laconum ξενηλασίᾳ ſeu peregrinorum expulſione notum. De impiis eiiciendis exempla dictaque ſimilia ſuppeditant Ouid. Metamorph. 8, 97. Caſſiod. Var. 1, 18. f. Cic. pro Deiot. cap. XII.

8,3,16. *DATAPHERNEM)* Sic etiam appellatur ſupra 7,5,21. & Arrian. 3, 6, 10. At hoc loco quidam MS. *Phrataphernem* legit: quod incertum me fecit, an non ſupra quoque 8, 1, 8. pari commiſſo expulſus *Dataphernes* ceſſerit *Phratapherni*. Tamen cum diligentius rem inſpicerem, diuerſos fuiſſe reperi. hunc de quo hic agitur, Spitamenis indiuiduum ſocium, qui cum eo Beſſum tradidit: illum autem Choraſmiorum principem, quem Arrian. 4, 3, 3. *Pharæmanem* vocat, φαραμάνην: quod nomen proxime accedit ad *Pharaſmanem*, ex Tacito notum. At *Choraſmios* ſuperiori Curtii loco recte nos in textum admiſiſſe ex citato Arriani capite liquet: itemque ex Oroſio 3, 18.

8,3,17. *ARSANI DRANGARVM)* De homine hoc ſingulariter monendum, tum de populo. *Arſanes* iſte ſiue *Arſanes*, non eſt cuius ſupra 3, 4, 3. mentio. nam ille in prœlio ad Iſſum cecidit. Quam rem fruſtra occultat mendum in Arriano 2, 2, 37. vbi Ἀγράνης legitur pro Ἀγράνης, quod cuilibet, qui eum locum cum eiuſdem auctoris 1, 5, 18. contulerit, clarebit. Puto autem hic intelligi Artabazi filium Arſanem, de quo Arrian. 3, 5, 6. Certe Artabazo *Bactrianorum regionem reliquoſque vicinos Satrapatus Alexander commiſerat*: Arrian. 4, 3, 4. in iis ergo & Drangæ fuere, quos capularis ille ſenex interim filio commiſerit, dum aliter ea de re conſtitueret Alexander. Nam de *Caria*, quam hic præferunt editiones, aliena res eſt: multas ob rationes, ex quibus, quod certum eſt nulli barbaro illas prouincias Græciæ proximas vnquam ab Alexandro commiſſas fuiſſe: deinde in finibus Indiæ agentem quis putet ſollicitum fuiſſe de Carum Satrapia? cum præſertim tam longe abiturus dudum, vt veriſi-

veriſimile eſt, iſti rei proſpexiſſet: haberetque ibi ex primariis amicis, quibus iſta & aliquanto maiora permitteret. Nec ſane alia hic prouincia nominatur tam longe à locis, vbi Alexander agebat, diſſita, ſed Hyrcania Mardi &c. Cares igitur iſtos omnibus fere libris volentibus, indicantibuſque non obſcure quid vellent dicere, expuli. Varias Lectiones vide. Eſt & aliud quantiuis pretii argumentum, quod eam Satrapiam Staſanori ait creditam. At Drangarum hunc fuiſſe prætorem vel ex Iuſtino 13, 4, 22. patet: ſi ei iungas noſtrum infra 10, 10, 4. vt eo loco explanatius oſtendemus, immo ex Arriano 4, 3, 18. liquido: *Staſanorem in Drangas præſidem mittit.*

8,4,1. *GABAZA)* *Cabazam* reperiit Sabellic. noſtra exerpta fere *Cazaba*: Ald. *babas*. quod proxime accedit ad *Gabas* Arriani 4, 3, 15. quas ſuperiori capite pro *Dahis* repoſitum ibat Vir Doctus, me quidem non adſentiente. Nec magis probo quod alii hanc *Gabazam* habent pro *Nautacis* Arriani & Diodori.

8,4,2. *PROXIMVS EI)* Elegantiſſima & plane oratoria hæc tempeſtatis eſt deſcriptio, vt lector ipſe inter media tonitrua, fulgura, grandinem & fulmina verſari videatur. Quod ſi voles aliorum ſcriptorum induſtriam cum Curtio componere, habes Virgilium Æn. 1, 96. Ouidium Metamorph. 11, 480. & Triſt. 1, 2. ex nouis Malabertium, ex hiſtoricis Maffeium in Indicis, Oſorium l. 2. p. 60. Et compoſuit poëtas inter ſe Iulius Scaliger in hypercriticis: & ſi memini noſter Melchior de la Cerda in ſuis oratoriis exercitationibus. Cauſſinus ex Liuio, Dione, D. Chryſoſtomo, Maffeio, cuius vnius verba adducit, cæteros nominat tantum. ſed hæ deſcriptiones pleræque pertinent ad mare. Lucretius proprie de terreſtri tempeſtate & fulminibus eleganter diſputat 6, 95. Raderus.

NON SINE MINIS) Probat hanc Modii lectionem Acidalius: & noſtris etiam lectionum excerptis iuuatur. Quamquam alii omiſſa voce *minis*, addant aliam *damno*, quam perperam alii iunxerunt alteri. quidam tamen repetita vocula *ſine* non male fecerunt: *non ſine minis creſcentis mali, ſine damno præteriit.* quod tamen vereor vt ſit ex libris.

8,4,4. *CONSIDERE)* Aio & præſto legendum *conſiſtere*. [pro *conſidere*] ſic 7, 5, 6. *Pigebat & conſiſtere, & progredi.* Acidalius. Olim ſic emendaui monentibus etiam illis 4, 15, 6, *non conſiſtere territi, nec progredi debiles poterant.*

8,4,5. *QVAM VITAB.)* Acidalius *qua vitab.* Vulgatam antehabeo.

8,4,14. *MEMORIÆ PRODITVM)* Nihil horum vel Arrianus, vel Plutarchus prodidit. Diodorus in 17. libri Indice; indicat rem verbo, quam haud dubie ſuo loco explicauit, ſed locus ille vetuſtate abolitus nobis lacunam duntaxat exhibet. Raderus. Idem in noſtris terris acciditſſe Conſtantiæ anno 1420. atque ſe vidiſſe ſcribit Poggius lib. 1. de Miſer. human. *hominem temperie frigoris mortuum equo inſidentem in publicum hoſpitium delatum conſpeximus, ita ſtantem vt viuus videretur. Obriguerant membra ſingula, adeo vt corpus equo in hoſpitium deueheretur.* Idem nuper accidit Francofurti. Immane gelu deſcribit Hiſt. Miſc. 22, 34. In Moſchouia, Tartaria &c. nihil id noui. De Armeniæ frigoribus Tacit. 13, 35.

8,4,15. *GREGARIVS MILES)* Hoc egregium Alexandri factum inter Clementiæ exempla refert Valerius Max. 5, 1, 11. ext. & Frontinus 4, 6, 3. Loccenius. Haud omnino diſſimile eſt illud Cæſaris apud Sueton. 72, 1. qui *C. Oppio comitanti ſe per ſylueſtre iter, correptoque ſubita valetudine, & diuerſoriolo quod vnum erat, ceſſerit: ac ipſe humi ac ſub diuo cubuerit.* Nec diſſimilia de Tiberio ſuo prædicat Velleius 2, 114.

8,4,17. *IN SELLA REGIS)* Vide Briſſonium de regno Perſarum lib. 1. pag. 20. de Romanis Impp. Spartianus in Seuero cap. 1. *Sedit & in ſella imperá-*

peratoria temere à ministro posita, ignarus quod non liceres. Et Marcellinus Chronico ad ann. Chr. 462. *Iacobus natione Achaius religione Paganus, medicinæ artis peritia, tam ingenio, quam literatura claruit. Hic ob medendum Leonem Aug. febre defatigatum, sacrum Palatij cubiculum intrauit, statimque regia in sella iuxta torum imperialem posita, sine vllo Augusti nutu consedit &c.*

8,4,20. *SACAS)* Cur hic vastatas ait ab Alexandro Sacarum terras, cum supra 7, 9, 19. se ipsi per legatos dediderint, misso ad ipsos Excipino? Defecisse illos cum Sogdianis non dubito. Raderus. In hac expeditione vrbem quoque iis in locis condidisse consentaneum est. de quibus Isidorus in Στα θμοῖς Parthicis: *Inde Sacarum, & prope Alexandria vrbs, & prope Alexandropolis vrbs.* Salmasium illum in Solin. pag. 794. consule.

8,4,21. *COHORTANVS)* Ego iam diu mecum disputo, & Homeri verbis - - κῆρ φρένα μερμηρίζω (*Studiose in pectore verso*) quid ita Roxanem Cohortani Satrapæ filiam Q. Curtius faciat, quam alii consensu Oxatris vel Oxyartis. Verba eius sunt hæc: *Inde peruenit in regionem cui. Cohortanus Satrapa &c.* Vides ex contextu & serie, palam appellari Roxanem. Atqui Arrianus cautus & veri diligens historicus ita scribit 4, 3, 28. *Erat Oxyartis filia virgo iam viro matura, Roxane dicta.* Atque adeo Alexander apud Curtium 10, 3, 11. *Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi.* Iterumque Curtius indicat 9, 8, 10. *Oxatres prætor Bactrianorum non absoluto modo, sed etiam iure amoris, amplioris imperij donatus est finibus.* Vbi Curtius sane quam eleganter *ius amoris* dicit, quia non ex merito promotus, sed ab hoc in filiam affectu. Quid igitur? illum pro Cohortano substituimus? [vt Aldus fecit] temerarium sit & falsum. Nam quæ hic narrantur non congruunt Oxyarti, qui iam diu in fide regis. Puto hiatum aliquem & defectum esse, & post illa de Cohortano, narrationem fuisse de Oxatris comitate & conuiuio, cuius caussa siue occasio deest. Ponamus igitur σὺν τοῖς ἄλλοις; notam inter hæc verba: *tradit barbara opulentia.* Nam vt aliter nunc suppetias feram, non est copia. Rubenius Elector. 1, 29. Mihi *Cohortanus* ille natus videtur ex aliorum *Choriene.* Ceterum Roxanen Oxyatris filiam iterum appellat Arrianus 7, 1, 18. Strabo lib. 11. *in Bactriana* inquit, *sumptuose admodum lusitio exceptum Alexandrum, nam Roxane Oxyartæ filia nuptias peregisse.* Diodorus 18, 3. vocat *Oxyarten Bactrianorum regem, cuius natam Roxanen duxerat Alexander.* Strabo lib. 11. *Petra Sisimithræ in Bactriana, in qua Oxyartes filiam habuit Roxanem.* Arriani priorem locum refert & Suidas in Ἀλιξανδρος. Eamque sententiam sequi videtur Plut. de fort. Alex. 1, 17. quem qui erroris arguit, errat; fuit enim Roxane secundum nonnullos auctores, ipsumque Curtium mox num. 26. inter captiuas: nam saltasse & cecinisse in conuiuio, ne Curtius quidem tacuit.

8,4,24. *OCVLOS CONVERTIT IN SE)* Verus est versus Terent. Eunucho 2, 3. facies pulchra

- - *vbi vbi est, diu celari non potest.* Raderus.

Heliodorus lib. 2. siue cap. 6. *Pulchritudo neque sub terram occultata latuerit.* Sed de *conuersis oculis*, Aristænetus Epist. 2, 2. *simul vidi, simul me forma sauciauit tuta. nam ex quo vidi, vertere oculos alio non fuit.* & 2, 21. *Tu solum visa cunctorum oculos rapis.* ἀφαιρῇ τὰ πάντων ὄμματα. Heliodorus 1, 1. *Oculos vero ipsius dolor deprimebat, vultus autem virginis ad sese trahebat.* Idem lib. 2. siue cap. 6. *Vbicumque apparuerit, seu in deliciis, seu curribus, seu in foro, tanquam recens facta statua* (ἀρχέτυπον ἄγαλμα potius *primigenium statuæ exemplar* verterem, h. e. præcipuum illud, summaque cura à magno artifice elaboratum, ad quod exemplum alia deinceps perficiuntur, das Original) *Dei cuiuspiam, omnium mentes ac vultus in se vertit.* Et lib. 4. à pr. *cum comparuisset, continuo to-*

tum

tum theatrum ad sese conuertit. Pertinet huc Dioxippi Olympionicæ historia Diog. Laertio in Diog. cap. 79. Plutarcho de curiosit. cap. 18. & Æliano 12, 58. narrata: qui ioco Diogenis perstrictus est, cum *subito pulchritudine victus indesinenter fixos in mulierem oculos, retorto ad aspiciendam eam collo haberet.* Pertinet & Alexandri dictum apud Plutarch. in vita cap. 36. ὡς ἐστὶν ἀλγηδὼν ὀμμάτων αἱ περιδὲς. *Quam magni oculorum dolores sunt Persides!*

8,4,25. *PRÆTER ROXANEM)* An hæc inducenda? Sane Darii vxorem omnes ætatis suæ feminas supergressam, alii prædicant. Arrianus quidem 4, 3, 28. ei Roxanen haud dubie postponit. Ipse tamen Curtius supra 3, 12, 22. *quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit.* quod quidem adhuc comparationem æqualis formæ patitur: & hunc Curtii locum defendit.

SVPERBIAM VICTORIBVS) Si scilicet connubiis & consanguinitate mixti, quos antea pro victis spreuissent, inciperent amare vt affines & necessarios. Quod quidem ad stabiliendum regnum pertinere, vere dixit: testaturque Plutarchus cap. 83. magnopere eo facto deuinxisse sibi barbarorum animos. In re impari, par dictum Megadori apud Plaut. Aulularia 3, 5.

Nam meo quidem animo, si idem faciant ceteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum:
Et multo fiat ciuitas concordior;
Et inuidia nos minore viamur, quam vimur.

8,4,26. *NE INFERRI)* Male sollicitatus ab Acidalio locus, paulo melius defenditur. Ille voluerat: *ne in se fore nefas arbitrarentur: & tamen matrimonij iure velle iungi.* haud simplici peccato. Melius enim vtique; *ne inferri*, dum tamen ad Roxanem non trahas, quasi ei illatum fuisset nefas, si ea concubina vsus fuisset Alexander. nam certe ne id quidem parum sibi honorificum duxissent eius propinqui. Sed ad ipsum & Macedonas respicit: ne arbitrentur in mores & iura ipsorum inferri nefas, eosque contaminari, si captiuam duceret; cum idem & Achilles fecisset. In reliquis autem vulgata lectio *ita matr. iure velle iungi*, bene propugnatur. *ita* enim est, eodem modo. Nam & Achilles Briseide captiua non pro concubina & pellice abusus est, sed quemadmodum illi Patroclus deductor promiserat, in legitimam vxorem duxerat: quod ex Homero & epitome rerum Troicarum obseruat Raderus.

8,4,27. *PATRIO MORE PANEM)* Cælius Lect. Ant. 28, 15. *in re vxoria gentium vitus varios* adnotat. Plures Alex. dier. genial. 2, 5. Similem fere morem apud suos obseruari scribit Aurelianus ad Tacit. 11, 272. *sub velo stantibus duobus coniugatis panem & vinum à sacerdote benedictum edendum & bibendum dari.* Alium Dalecampius ad Plinium 18, 3. *Festo & Hoetio matrimonia contrahebantur farreo libo adhibito, Plinio præsato. Itaque farreum hic libum plures eiusmodi exponunt. Seruatur mos ille præferendi libum ante prodeuntes sponsas etiamnum apud rusticos Lugdunenses.* Alium Stuckius Tigurinus Conuiuial. Antiquit. 1, 30. cuius verba: *Panis, postquam sponsus atque sponsa cum suo comitatu è templo post nuptiarum consecrationem ad sponsi ædes peruenerunt, ex ædibus affertur in frusta dissectus, ex quo sponsus primo frustum accipit, ac degustat, deinde illum sponsæ porrigit, quæ & ipsa postquam similiter partem accepit, & degustauit, reliquum panem post tergum reiecit, qui à pueris ac reliquis nuptialis pompæ spectatoribus certatim arripitur.* Quo loco & alia subjicit de pane, amicitiæ atque beneuolentiæ signo. Quam quidem interpretationem Curtianæ, quanquam haud ineptæ, tamen anteposuerim. Nullus enim dubito significare voluisse veteres rerum communionem, quæ deberet inter coniuges obseruari, mutuamque fidem; vt monerentur

communicanda sibi, partiendaque inuicem omnia commoda, etiam ad vsque bucellam panis. Inde quoque Solonis legem explicem, qua sanxerat vt *sponsa cum sponso conclusa, malum cydonium cum eo comederet.* Plutarch. Solone c. 32. *Romulus quoque in communione panis & aquæ matrimonij fœdus iniisse traditur* : quod fide Alexandri Neapol. refero. Sane *Confarreationis* nomen eo videatur pertinere. De qua volente DEO exactius ad Tacit. 4, 16, 2. Eandem causam habuisse reor Galatarum morem, quibus solenne erat, vt ex vno poculo sponsus sponsaque biberent : notissimo circa eam rem Synorigis exitio. de quo & Plutarch. in Amatorio cap. 43. Persicum autem coniugii sanciendi ritum attigit Arrianus 7, 1, 22. Francicum exponit Lindenbrog. ad Tit. XLVI. L. Salicæ.

8, 4, 28. *OPES)* Addubito, an non conuenientius? *spes.*

8, 4, 29. *HOC MODO)* Nuptias Alexandri cum Roxane, depictas ab Aëtione, haud minus venusto penicillo delineauit Lucianus in Herodoto.

8, 4, 30. *VVLTV ASSENTIEB.)* Sic apud Tacit. 4, 12, 1. *Senatus populusque habitum ac voces dolentum imitatione magis quam lubens induebat.* Multa huc pertinentia Gruterus discursu 28. in Tacitum : quibus probat, *maxime laudari, qui minime merentur.* Quod autem dicit vultum maxime seruire, testem habet Ciceronem epist. fam. 1, 9. *Fronte atque vultu simulatio facilime sustinetur.* Vnde Iuuenalis Satyra 2, 8.

Frontis nulla fides - - -

8, 5, 1. *OBSIDES SIMVL)* Callidissimum consilium quo & postea vsus Hannibal apud Liuium 21, 21, 10. in Hispania, *conquisitoribus in ciuitates missis, quatuor millia conscripta delectæ iuuentutis, præsidium eosdem & obsides, duci Carthaginem iubet.* Sic enim interpretatur illa Polybii 3, 33. ὁμηρεύειν ἐγνωκὼς καὶ βοηθεῖν ἅμα πέμπω. De Cæsare, Seutha, Philippo I. Franciæ rege, Heraclio, Carolo Magno &c. vide Forstnerum ad ista Taciti 3, 43, 2. occupauerat *nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, vt eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret.*

8, 5, 2. *CRATERVM)* Idem tradit Arrianus 4, 4, 10. *Craterum aduersus Catanem & Austanem, qui soli ex Paritacenis defecerant.* verti debuit : *qui soli ex defectoribus in Paratacene* (nam & παραπικρῶν scribend. pro παρὰ τοῦτ.) *supererant.* Ceteri enim qui simul defecerant, iam erant domiti, vt ex antecedentibus apud Arrianum constat.

BVBACENE) Hanc regionem nemo præter Curtium laudat. Raderus. Cogitandum annon dicere voluerit *Paratacene?* Si Arrianum introspicias, videbitur.

8, 5, 3. *IN BELLVM INDICVM)* Quod iam dudum agitabat animo. supra 8, 2, 27. Et apud Arrian. 4, 3, 4. respondet Pharæmani, ducem se comitemque Ponticæ expeditionis fore pollicito; *sibi res Indicas in animo esse.*

8, 5, 4. *CLYPEI)* Vett. libri *Pereti* vel *periti* : an fuit, *periti militare?* vt ipsi homines auro & ebore fulgere dicerentur, non tantum clypei illorum. nam & alibi quam in clypeis tantum, sic ornatos fuisse consentaneum est. Sic de exercitu Persico supra 3, 10, 9. *fulget auro purpuraque.*

ARGENTEAS LAMINAS) Hæc verba non aduertit Raderus, cum Iustinum 12, 7, 6. erroris arcessit, quod Argyraspidas demum fecerit Alexander, cum in Indiam moueret, quid enim aliud hic expressissimis verbis Curtius? Ergo hic potius arguendus erat, quod sibiipsi contraria scriberet, Argyraspidum supra 4, 13, 27. in prœlio Arbelitico facta mentione : deceptus, vt conjicere licet, à Diodoro 17, 57. nam Arrianus 3, 2, 24. ὑπασπιστῶν ἄγημα, *scutatorum agmen*; non vt Diod. ἀργυρασπίδων appellat. Posset tamen dici Diodorum id hausisse ex antiquo scriptore, temporibus illis coæuo, qui quum istud prœlium describeret aliquanto post quam acciderat, nomen illi agmini indiderit, quod tunc habebat, vtpote notissimum, non illud quod pugnæ tempore habuisset, iam desuetum & obliuioni traditum. Eiusmodi παρολήψεως exempla multa passim obseruantur, vt in Virgilio apud Macrobium.

CXX, MILLIA) Intellige cum triginta millibus istis, quorum à præcipitis huius mentio, aliisque barbaris, impedimentorum potius loco, quam militum habitis à Liuio 9, 19, 5. Nam si robur exercitus computes, verum reperies quod quidam in Panegyrico Constantino dicto adfirmat, nunquam vltra 40000. militum millia duxisse. cui & dicto loco Liuius, & Iustinus 11, 6, 2. adsentiuntur. vbi Bongarsii notam vide.

8, 5, 5. *MATVRVM)* Quod multos in exercitu haberet Persas, qui ex auita consuetudine adorare eum incipientes, facilius permoturi essent Macedonas, vt exemplum sequerentur, quos alias ad id persuaderi nullo, vel paucis præeuntibus, arduum videbatur. Post hanc vocem Acidalius inserit *ratus*, exigente sensu : putem tamen potius absorptam fuisse à consimili sono superiori linea : *omnibus præparatis, ratus quod olim &c.*

ETIAM CREDI) Cum tamen ipse non crederet, nec expresse auderet iubere, vt crederetur, vide infra 8, 8, 15. & Gruteri discurs. in Tacit. 29, 3. *Quis enim imponat mihi (aut cuiuis) necessitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi.* In quibus putari possit cogitasse Tertullianum qui hoc appellat *interdicere opinionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere, quem nolim.*

8, 5, 6. *MORE PERSARVM)* De quo exacte Brissonius post pr. libri primi de regno Persarum. Et post eum Cordoua Didascaliæ cap. 3. Arnisæus de Republ. 2, 3, 4, 18. & de iure maiest. 6, 19. Quibus adde Philonem de legat. ad Caium : *Quidam barbaricum adorationis morem in Italiam intulerunt : natiuam Romanorum libertatem corrumpentes.* Dionem lib. 60. de Claudio : *edixit ne quis eum adoraret, ne quis ipsi sacrificaret.*

MACEDONAS) Hactenus enim ciuilius erga hos se gesserat vt supra ad 6, 6, 6. notatum est. quo alludit Lucianus in voto Samippi, omnino ad exemplum huius regis expresso : *Barbari me adorent : ego iuxta Græcorum legem imperabo*, vel potius, traiecta vocula : τῶν Ἑλλήνων κατὰ νόμον ἄρξω, *Græcis secundum leges imperabo.* Hoc est secundum fas Græcorum, quibus indignissimum semper visum quemquam adorare. quam in rem multa, nec ignota exempla festinans prætereo. Id ergo iam à Macedonibus etiam audebat postulare, rem grauissimam etiamsi non victores cum eo gentium, sed ab hostibus victi fuissent. Sic enim illa Liuii 9, 18, 3. capio : *desideratas humi iacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graues, nedum victoribus.*

ADVLATIO) Extant multa passim optima dicta in pessimos adulatores, quæ tu apud eos leges, qui communes locos in polyantheas coniecere. plurima quoque Stobæus 1, 42. ad quæ non pauca Opsopæus. Raderus. Adde Reusner. in symbol. Anastasii Dicori. in primis nobilissimum Plutarchi opus de discrim. adul. & amici. Alexander igitur etiam *mellito* hoc *laqueo* (sic enim apud Laërtium appellat Diogenes) captus fuit : nec est quod inde se extricasse putemus, cum aut Dinocratis commentum de monte Atho in eius effigiem transfigurando, respueret; aut librum Aristobuli, in quo singulare eius cum Poro certamen, supra veri fidem tradiderat, in Hydaspem projiceret : vt narrat Lucian. de conscrib. histor. tanquam infensus adulationi. Nonenim irascebatur assentationi, sed quod nullo artificio mendacium tegens, risum potius atque contemptum sibi apud homines, quam admirationem excitatura videretur. Nam in aliis sane euenit ei quod eiusmodi hominibus solet, vt nimirum *illos in præceps agat*

exstincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa &c. Seneca de Benef. 6, 30. In tantum vt *quos Dionysocolacas nominare solebant, Alexandrocolacas* (Alexandri assentatores) *nuncupari* palam pateretur. Chares apud Athenæum 12, 9. Quamquam enim in iis hominibus aliud paulo significaret id vocabulum; ipso tamen nominis sono grauius videbatur. Quapropter non minus vere quam diserte de eo Erasmus in lingua: *Habebat Alexander magnus suos instigatores, qui iuuenem suapte sponte furentem magis incenderent ad bellum, pollicentes nescio quod totius orbis dominium, subinde veluti nouas faces suggerentes, hæc regio tibi superest armis subigenda &c.* quo loco deinceps alia magis etiam huc pertinentia subjicit, & de adulatione doctissime disserit, quæ breuitatis caussa hic omittuntur. Nec minus præclara multa apud Athenæum libro sexto. Alexandrum hoc nomine carpit Agatharchides apud Photium: *laudatione enim capius est; appellatusque Iupiter, non se subsannari, sed honorari existimabat. Expetitis iis quæ fieri nequiuerant, naturæ fuit oblius.*

PERPETVVM MALVM REGVM) Adsentior plane Bernartio his verbis adstruenti lectionem Cod. Ms. apud Statium 11,257.

Non desunt regni comites - - - - hoc est, adulatores, qui perpetuo hærent regno, non regi, & fortunam potius magnatum, quam ipsos amant, vt innuit Germanicus apud Tacit. 3,71,6. Adde Arrianum in sequenti nota.

SÆPIVS ASSENTATIO) Verissima gnome, & in qua exprimenda certasse videantur auctores. Capitolin. in Gordianis cap. 25. *Miser est imperator, apud quem vera reticentur*: Agatharchides apud Photium: *Noui enim vt natu grandior, multarumque rerum experientiam consecutus, per assentationem eos qui excellerent dignitate, regnaque simul funditus deleta Cassandri, Lysimachi, & Alexandri, tanta cum fuerint, Medorum, Syrorum, & Persarum: vt neque generis semina reliquerint &c.* Diphilus apud Athenæum 6,16.

Nam assentator imperatores, dynastas, amicos,
Ac denique ciuitates euertit:
Sermone damnoso breui tempore oblectans.

Arriani loca nescio an aduerterint alii, sic enim ille 2,2,2. *qui ad voluptatem tantum loquuntur, maximo semper regibus, cum quibus versantur, damno futuri.* Siue potius, *qui iucunda tantum proferentes aderant, semperque aderunt regibus, illorum damno.* Respicit enim id quod modo notatum; hos esse indiuisos regni comites, & *perpetuum regum malum.* Idem 4,2,6. *cuiusmodi homines regibus, regumque negotiis & pernicioſi semper fuerunt, & nunquam esse desinent.* Et 7,5,20. eadem fere verba repetit, quæ lib. 2. posuerat. Marcellinum 27,11. addam de Valente: *spectator æquissimus rerum, antequam adulationum pernicioſis illecebris captus rempub. funeribus perpetuo deflendis affligeret.*

8,5,7. *HONESTARVM ARTIVM)* Philosophiæ, poëtices, oratoriæ. Tales in Romana aula apud Tacit. 14,16,3. & Philonem de legatione ad Caium. Vide Plutarchum de discrimine adulatoris & amici, sapientissimo opere.

8,5,8. *AGIS QVIDAM)* Sic & apud Arrian. 4,2,15. scribitur, & in Plutarcho de discrim. adul. & amici cap. 34. vbi insigne eius specimen notatur. Nam *cum Alexander cuidam scurræ magna daret dona, præ inuidia ac dolore exclamauit, Proh rem abiurdissimam! cumque iratus rex se ad eum conuertisset, & Quid ais? dixisset. Fateor, inquit, indignari me ac moleste ferre quod vos Ioue genitos omnes video hominibus adulantibus ac ridiculis vti. nam & Hercules Cercopibus quibusdam, & Bacchus Silenis sese oblectauit, & tales apud se in pretio esse manifestum est.* Et ibid. cap. 51. nescio quos *Agesias* nominat; nam & ibi nostrum hunc alludere videtur: qui in nonnullis Curtii libris

bris etiam *Hages* scribitur. Nisi forte propius accedat ad *Niceſiæ* nomen, nam & ille inter adulatores Alexandri fuit. Athenæus 6,13.

POST CHOERILVM) De hoc inter scriptores historiæ de Alexandro dictum. Gyraldus de Poëtis Dial. 3. duos fuisse statuit hoc nomine poëtas epicos, alium qui LXXV. Olympiade floruerit; & hunc qui cum Alexandro circa Olymp. CXIII. vixerit. Prioris etiam Suidas meminit, non sine eximiis laudibus. At hic de quo Curtius ab illo & Horatio pro omnium ineptissimo traducitur. Quod quidem contra Scaligeri sententiam (nam vnum tantum asserit fuisse Chœrilum, summum poëtam, Horatiique iudicium maximopere reprehendit, ad Eusebian. num. MDXXXIV.) contraque Murtii Var. Lect. 12, 14. & Cl. Vossii de Histor. Græcis 4, 7. cuidentissime ostendit Magni illius Viri non tam librorum quam eruditionis heres D. Heinsius lib. 2 de Satyra Horatiana.

CLEO) Mirum dictu, quicquid à Cleone Siculo disputatum ait Curtius, hoc totum Anaxarcho Sophistæ Abderitano assignat Arrianus 4,2,14. Nec apud Plutarchum vlla Cleonis mentio, & multa Anaxarchi. Raderus.

ET CETERA) Eodem enim Plutarchi loco nominatur *Agnon, Bagoas,* & *Demetrius.* Item *Medius,* de quo infra ad 10,4,17. Apud Athenæum 6,16. *Gergithius,* quo vocabulo librum inscripsit Clearchus Solensis. quod tamen non viri nomen videtur fuisse, sed patriæ. *Gergitha* enim vrbs Troadis fuit, vt eo loco porro traditur. Apud eundem Athenæum 6,13. *Dioxippus pugil,* cuius & in Curtio 9,7,16. est mentio. nec eximendus ex hoc albo Anaxarchus, de cuius adulatoria consolatione supra ad 8,2,12.

NATIONIS VITIO) Ergo Siculi adulatores? non memini ab aliis scriptoribus hac laude insignitos. Quod semibarbare locuti sint scriptores testantur. Firmicus Astronomic. 1,1. *acutos;* Cicero in Verrem lib. 1. *genus hominum acutum & suspicioſum* dicit: & de Orat. 2,54. & in Verrem lib. 6. *Siculos facetos.* Συκοφάντην vero apud parœmiographum de vafris & improbis dicitur. De variarum porro gentium virtutibus & vitiis tractat Alexand. Neapol. 4,13. Extat alius scriptor de moribus gentium improbus & impudens, cuius nomen prætereo, ne chartas meas inquinem, famosius enim potius libellus, quam verus liber. Raderus. Vide notam supra ad 4,1,30. & 5,1,37. cui iunge Tiraquellum in VII. leg. Connub. glossæ primæ parte VII. num. 61. & Bodinum de Republ. 5,1. Ceterum Siculi multorum sententia pessimi mortalium sunt habiti. *Tritum,* inquit Taisnierius in Chiromantia sua, *est proverbium, inter totius orbis homines, insulanos esse pessimos: inter insulares, Siculos: inter Siculos, Catanæos: Catanææ in larga platea pessimos esse ciues: inter illius plateæ habitatores, esse pessimos eos, qui domum quandam, quæ pilei gerit insigne, inhabitant.* Facellus de reb. Sicul. 1,1,6. & 7. *Omnes Insulani mali: pessimi autem Siculi.* Sed animaduertendum est quod Firmicus 1,4. scribit, postquam paulo supra de moribus gentium, ex vulgi sententia disseruisset, ait: *De moribus vero gentium superuacanea disputatio est. Nam & Asiaticos plurimos videmus, imo pene omnes, sobrietatis insignia præferentes; & Græcorum leuitas sæpe modestæ grauitatis pondus accipit, & effrenata Scytharum rabies quandoque humanitatis clementia mitigatur: & in finibus Galliarum populus sapientiæ temperamento prudenter conualescit: Afrorum quoque subdolas manus honestæ fidei ornamenta condecorant: & à pluribus Hispanis iactantiæ vitia deseruntur: & Syrorum auariliam mutauit repentina profusio: nec est inter illos acutos Siculos, stultos inuenire difficile: Ab Italis quoque frequenter dominationis imperia translata sunt.*

CASTOREM) De Castore & Polluce scripsimus ad Martialis epigrammata, & habes longissime explicata ab Natali Comite lib. 8. toto cap. 8. apud Gyraldum syntagmate 5. de Castoribus seu Dioscuris, vti Græcis appellantur, Ledæ ex Ioue fi-

liis,

liis, Tyndaridis. Raderus. Adde Sueton. Cæs. cap. X. Hanc autem orationem Arrian. 4, 2, 18. adscribit Anaxarcho. Item 4, 2, 6. iam ante in conuiuio Cliti cæde insignito, idem fert iactatum à nonnullis. A talibus assentationum portentis infatuatus Caligula, *primo æmulabatur semideos quos vocant, Liberum, Herculem, Castores, Trophonium, Amphiaraum, Amphilochum, & similes, irridens eorum oracula orgiaque, ad suam collata potentiam.* Philo de legat. ad Caium.

CESSVROS ESSE) Similis in Cæsarem adulatio Virgilii Georg. 1, 34.

- - - tibi brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iusta plus parte relinquit.

8, 5, 9. *NOBILES)* Haud dubie periit vox *Persæ*, vel *barbari nobiles.* id ostendit tam ipsa antithesis, *non modo Macedones & Græci*: quam num. 21. vbi diserte de *barbaris* qui conuiuio intererant. Idem sentiebat Bongarsius.

8, 5, 10. *THVRIS IMPENSA)* Alios veteres honores hominibus, alios heroibus, alios dijs adhibebant. De quibus Gyraldus syntagm. 17. huius loci memor, etiam ex Arriano ostendit. Raderus.

8, 5, 11. *PERSAS)* De quibus Brissonius post pr. lib. 1. exacte. *Quin in hanc vsque diem Persarum rex pro deo colitur à suis appellaturque dominus, qui cælum ac terram fulciat sustineatque; & aqua, qua ille pedeis abluit, religiose, ceu res sacra, ac salutare morborum omnium medicamentum, adseruatur.* Cluuerius German. antiquæ 1, 25. Sed & Æthiopes *reges vt deos colunt.* Strabo lib. 17. Diodorus 3, 5. de Romanis Impp. notum. Quorum Augustus, princeps introducendi moris eius, *accepisse honores eiusmodi, non quod probares; sed quia id postularet amplitudo imperij, cui veneratio quædam parabatur his artibus*, videtur Philoni de legat. ad Caium. quæ sententia eadem vi est, cum ea quæ mox sequitur. Ægyptii reges suos mortuos in deos reposuerunt, solum Xerxem viuum adhuc deum appellarunt. Diodor. lib. 2. Quod idem Romanis vsitatum fuisse, suis temporibus adnotat Tacitus extremo annali quintodecimo.

MAIESTATEM) Pulcherrima gnome: eoque passim citata & illustrata politicis. Incidit in parem sensum Plinius 11, 17. vbi de apibus: *Non constat inter auctores, rex nullumne solus habeat aculeum, maiestate tantum armatus.* De maiestate pulchra Ouidius ab initio quinti Fastorum:

Assidet inde Ioui; Iouis est fidissima custos:
Et præstat fine vi sceptra tenenda Ioui. Item:
Illa datos fasces commendat, eburque curule,
Illa coronatis alta triumphat equis &c.

Vide Clapmar. arcan. 3, 12. Arnisæ. de Republ. 2, 2, 12, 122. Chokier. Thesaur. Polit. 2, 9. &c. & accuratum Lipsium Polit. 4, 9. Nec omitto ex Brissonio de regno Pers. lib. 1. pag. 81. adscribere, quod Imperatoris Iuliani, qui Eunuchos, Cocos, Tonsores, palatio exegit, factum à plerisque hoc nomine improbatum Socrates histor. Eccles. 3, 1. tradit, ὅτι πομπὴν ἡ οὐκ ἐν βασιλικῇ πλάτει τοῖς πολλοῖς ἐγγινομένη παιδαγωγίαν, ἐυκαταφρόνητον ἐποίει βασιλέα. id est, vt Cassiodor. histor. Tripart. 6, 1. vertit, *quod remoto fastu palatij, contemptibile videretur imperium.*

VICISSENT INVIDIAM) Vere enim vetus Panegyrista, alludens ad Sallust. Iug. 10, 2. *difficilimum est, inuidiam virtute superare*: aut, vt Iustin. 1, 2, 5. loquitur, *amplitudine rerum.* nam vt ait Ouid. Amorum 1, 15, 39.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Nempe teste Horatio Carm. 3, 24, 31.

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam

Sublatam ex oculis quærimus inuidi. Ergo *apud posteros, cum obtrectationis inuidia decessit, industriæ testimonium* redditur, vt Iustin. fine præfationis ait. Soletque fieri, vt cuius, *si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros, sed etiam imagines conquireremus, eiusdem nunc honor præsentis & gratia, quasi satietate langueseat.* vt Plinii verbis vtar Epist. 1, 16. Nam in omni laudis genere, *illustres atque admirandæ actiones graues inuidias & acres calumnias conflare solent.* Polyb. 1, 36. Verum qui virtutem sectamini, si tamen hac quoque mercede gaudere potestis, ne dubitate, quin, *etiamsi nostra iudicia malignitas & inuidia tardauerit, verum de nobis dicturi sint posteri nostri.* Auctor de causs. corruptæ eloqu. 23, 6. & vt ait Tacitus 4, 35, 3. *Posteritas suum cuique decus rependit.* Sed desino congerere talia, quamquam belle medius fidius, & sapienter dicta.

8, 5, 13. *IN CALLISTHENEM)* Quare cum ex hac caussa [*gratuitatis & promptæ libertatis*] non posset, sub specie insidiarum interfectus est. Quod mali quoque prævidens præceptor eius Aristoteles, παῤῥησίαν suam & fandi libertate vt parcius vteretur ad Regem vitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem monuit. Diog. Laërtius in Aristotele. Valer. Max. 7, 2, 8. ext. Ammianus Marcell. 18. Loccenius. At Philostratus in Apollonio 7, 1. & 2. interfectum ait, quod *vno eodemque die Macedones laudauit, & accusauit.* Adde Plutarch. Alex. cap. 95. Vnde constat, eo quoque facto, nam & ibi libertatis incautæ specimen dederat, incurrisse regis odium. Forte & illo, quod Athenæus 10, 9. ex pluribus scriptoribus memorat: *Alexandro conuiuante, cum meri poculum, quod ad eum peruenerat, aspelleres, rogante quodam cur non biberet? respondit: nolle se dum Alexandri poculum ebiberet, Æsculapio indigere.* Quod etiam Plutarchus de ira cohib. cap. 6. & Sympos. 1, 6. loco nunc mutilo retulit. De Callisthene videndus & Polybij locus, in Excerpt. Vales. pag. 54.

8, 5, 14. *SI REX INQVIT)* Coniunge cum Arriano 4, 2, 20. Ceterum hoc exordio per artem vsus est, vt ipsi etiam regi pudorem faceret eius rei cupiendæ: non quod ignoraret regis animum, quem homo non stupidus, aut ignarus aulæ, sed consilio & animi constantia liber, ex tot indiciis facilime deprehendere poterat.

8, 5, 15. *ET PRÆCOQVEM FRVCTVM)* Elegans similitudo & nobilis gnome: nam cito nata, cito pereunt. sumpta est comparatio ab arboribus præcocibus, quales sunt amygdalus, nuciperficæ seu præcoces, de quibus Plinius 15, 14. & 16, 25. & singillatim de pomo nuciperfico, quia non aliud fugacius: *Longissima namque decerpto bidui mora est, cogitque se venundari.* Adi nostros commentarios ad Martialem 13, 46.

Villa maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis Persica cara sumus.

De amygdalo idem Plinius. Floret prima omnium amygdala mense Ianuario: Martio vero pomum maturat. Transferuntur hæc in ingenia præcocia, honores præproperos, & hoc genus alia. Alciatus emblem. 208.

Cur properans foliis præmittis amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenij.

Quintilianus enim 13, 2. testatur, hoc præcox ingeniorum genus nunquam fere peruenire ad frugem. & Accius apud Gellium 13, 2. ait: *In iuuenilibus ingeniis iisdem sibi placere, vt in pomis immaturis acerbitas ipsa placet; ea enim demum matureseere (maturitas enim tempestiuam adfert suauitatem) reliqua ante tempus putrescere.* Adfert Claudius Minos ex Cælio Rhodigino exemplum de Hermogene Rhetore, quod in commentario eius ad Alciatum leges. Raderus.

8, 5, 18. *SCILICET EGO ET TV)* Οὐδὲς γὰρ ἄνθρωπος ὅμοιος ἄνθρωπῳ, ἰσχύει πλάσαι θεόν. Sap. XV. Sane ridiculum, deum aliquem declarari ab homi-

nibus,

nibus, vt scilicet excellens potentia opus habeat tam imbecillo auxilio. Quod argumentum præclare vrgent omnes isti patres, qui contra factitios deos Christiani cultus veritatem propugnauerunt. Quin & ethnicorum multi satis intellexerunt. quid enim aliud Ælianus hist. var. 2, 19. *Alexander Græcis scripsit, vt se deum facerent : satis equidem stulte. neque enim quæ natura ei largita non fuerat, hæc ab hominibus petendo lucri faciebat.* & ibidem Lacedæmonii : *Quoniam Alexander deus esse vult, esto deus.* Apud eundem 5, 12. *Pop. Atheniensis Demadi irrogauit mulctam centum talentorum, quod Alexandrum mortalem & hominem ascripsisset Olympicis.* Egregie Agesilaus, certe ille magnanimitatis præ Alexandro compos, in Plutarchi Lacon. apophth. cap. 9. qui *Thasiis eum, quod magna ab ipso se adeptos beneficia sentirent, templis diuinisque honoribus venerantibus, eaque de re legatos mittentibus : vt legit quos honores sibi decernerent, quæsiuit è legatis an ciuitas ipsorum homines in deos posset conuertere? cum affirmarent, Agedum, inquit, vos ipsos primum deos facite : eo facto, credam vobis posse me quoque à vobis in deum mutari.* Atque idem innuit Diogenes apud Laërtium : *Atheniensibus Alexandrum Dionysium appellari decernentibus, me quoque inquit, Serapim facite.* Postea hanc artem exercuerunt Vaticani Præsules.

FAC ALIQVEM REGEM) Age experire vires tuas, minus est regem creare & facere, quam deum. Si regem non potes, quando poteris deum? facilius est imperium dare, quam cœlum. illud non potes, hoc quomodo poteris? Raderus. Optime. nam alii sine caussa mutant *fac aliquem deum, si regem potes facere.* Illi Agesilai atque Diogenis (de quibus modo) mentem in consilio habebant, non Curtii.

8,5,19. *DISCERE)* Olim vidi excidisse aliquid, atque nunc etiam sentio scripsisse Curtium, *à victis discere.* Quod & Acidalium non fugisse postea vidi, qui supplet *à Persis.* Sicut & Bongarsius in suo cod. notarat. Seneca apud Augustin. de Ciu. DEI, 6, 11. *Vsque eo sceleratissimæ gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt.* De Iudæis loquitur, de quibus & Rutilius Itin. 1, 398. *Victoresque suos natio victa premit.* Ceterum vt talia à victis disci reuera absurdum fuerit ; ita contra laudabile & vsu egregium in suam remp. *transferre, quod nusquam egregium fuerit,* vt loquitur Claudius Imp. apud Tacit. 11, 24, 2. Quam rem de ciuibus suis deprædicat apud Lucian. in lib. de Gymnasiis, Solon ad Anacharsidem: *Persuasissimum habe, Atheniensis sibi nequaquam dedecori ducturos, ab homine peregrino ac barbaro ea perdiscere.* Adde infra ad 8, 8, 13.

SI AB ILLIS) Victoris enim est dare leges, non accipere. Vide supra ad 4, 11, 21.

8,5,21. *POST AVLÆAM)* Supra ad 6, 11, 12. Hoc etiam ex more Persico, de quo Athenæus 4, 10. *Hos quidem rex videt per obductum ianuæ velum, regem autem contueri illi non possunt.* Id imitantur non in conuiuiis, sed in consiliis Imperatores Turcæ. Lipsius in Not. ad Polit. 3, 8. De aulæis autem eiusmodi late Brissonius lib. 2. pag. 224. & Dempsterus in Paralip. ad Rosini antiquit. 5, 10.

BARBAROS TANTVM) Simile discrimen obseruauerat supra 6, 6, 6. vbi nos vide. quod absurdum fore dixerat apud Arrian. 4, 2, 25. Callisthenes : *an tibi diuersi plane honores sint decernendi, Græcis quidem humanos honores Græcorum more tibi deferentibus : barbaris autem barbarice te colentibus?* vbi dixit *Græcorum more* Ἑλληνικῶς, intellexit idem, quod νόμῳ *legem* Græcorum vocat Lucian. citatus ad 8, 5, 6. Aristoteles ei suaserat, *vt Græcis principem, barbaris dominum præstaret,* quod merito improbant Plutarch. de Fort. vel Virtut. Alex. 1, 8. & Strabo sub fin. lib. I.

8,5,22. *SVPER REGEM)* Reuocabo paucis in memoriam quæ ad illos Martialis Scazontes edidi Epig. 6, 50.

Medio

Medio recumbit imus ille qui lecto.

In cœnaculis Romanorum (imo & Græcorum) vtplurimum tres lecti erant, in quibus discumbebatur ad mensam, vnde triclinia sunt appellata ; nonnunquam duo tantum, vt apud Plautum 4, 4, 69. legas *bisclinium* à duobus lectis. Porro singuli lecti capiebant binos, ternos, quaternos aut quinos etiam conuiuas, quanquam apud Romanos quini in vno lecto, raro aut nunquam accubuerint. Inter tres ergo lectos, medius lectus erat honoratissimus, & medius locus in medio lecto omnibus dignior. Tribus accumbentibus in vno lecto, summus dicebatur, qui ad caput lecti cubabat, imus, qui ad medii & dignissimi pedes. Quando duo tantum, summus dignissimus habebatur. Si quatuor, proximus à summo honoratissimus, imus vero, qui ad tertii pedes iacebat. Hæc vt ne ficta nobis putes, accurate tractant accuratissimus Lipsius lib. 3. antiq. lect. Ciaconius lib. de Triclinio. Stuckius l. 2. conuiual. c. 34. Intelligis ergo in lecto triclinari Alexandri medium accubuisse Alexandrum, qui locus erat honoratissimus ; supra Alexandrum Polypercontem, vt Curtio placet, siue Leonnatum, vt Arriano 4, 2, 27. in imo, seu ad pedes Alexandri alium aliquem ex amicis quem ego Hephæstionem fuisse, ex Plutarcho Alex. c. 96. & Arriano disco, cum hoc enim inter epulas familiariter quasi seorsum est locutus. Raderus. De Hephæstione magnopere dubito : nam ille certe haudquaquam infra Polypercontem aut Leonnatum accubuisset. De discumbendi modo apud veteres, vide & Rosinum Antiquit. Rom. 5, 28.

8,5,24. *CASTIGATO DIV)* Ægre fero istud *diu*, & vix abstineo interpolare : *Polyp. quidem postea, castigato prius, ignouit.* Tamen diu multumque castigatum ceperis ex vulgato. Acidalius.

8,6,1. *IN CALLISTHENEM)* Hinc orsi sunt nouum caput, quod quia receptum est, turbare non sustinuimus. Alias enim recte Raderus coniunxit hæc cum prioribus, ita distinguens : *Polyperconti quidem postea castigato diu, ignouit : in Callisthenem olim contumaciæ suspectum peruicacioris iræ fuit &c.* Estque par omnino membrorum constitutio, quam reperias in illis Taciti 1, 13, 5. *In Haterium statim inuectus est ; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit.* de Tiberio loquitur.

8,6,2. *MOS ERAT)* Institutus à Philippo, vt præter Arrian. 4, 2, 30. auctor est Ælian. hist. var. 14, 49. *Philippus, clarissimorum in Macedonia hominum liberis assumptis, sui curam ministeriumque ipsis imposuit : non per iniuriam aut contemptum, sed vt patientes eos laborum, & ad ea quæ fieri opus esset peragenda promptos atque paratos redderet.* At Valet. Max. 3, 3, 3. *Vetusto Macedoniæ more regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant.* Quod verum puto : sic enim & noster infra 8, 8, 3. *more patrio & ab antiquissimis Macedoniæ regum vsurpato.* Sic & hodie pueri nobiles in comitatu & familia procerum, dum ex ephebis excedant, arctissimo famulitio distinentur. quod & Pollet. de foro Rom. 2, 7. notat : vnaque morem Romanum, adulescentulos post prætextam puerilem depositam, dandi in contubernium viris magnis & grauibus. Hæc ergo puerorum cohors delecta erat ex nobilissimis adulescentibus. Alii longe fuere *epigoni*, de quibus ad 10, 4, 8. infra : alii & Βασίλειοι apud Suidam : alii denique *Principes iuuentutis* supra 6, 9, 21.

8,6,3. *EXCVBABANT)* Sic apud Sueton. Galba 10, 3. *delegit & equestris ordinis iuuenes, qui manente annulorum aureorum vsu, Euocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.* At Gaudæ Masinissæ nepoti *petenti custodiæ caussa turmam equitum Rom. negauit* Metellus, *quod contumelioſum in eos foret, si equites Romani, satellites Numidæ traderentur.* Sallust. Iug. 65, 2. vbi pro *in eos*, quod quidem tolerari potest, credo fuisse *in nos*, h. e. in pop. Romanum. Sic fere apud Tacit. 13, 41, 4. *nec id nobis virium erat*, hoc est, Romanis.

8,6,5. *SEDENTIBVS VESCI)* Rex accubabat, & cum rege maiores principes & amici ; nobiles pueri principum filii sedebant : vt & ii qui feram extra retia nullam adhuc confecerant, vt supra ad 8, 1, 13. demonstratum est. Raderus. Olim autem *sedebant in cœnis heroës, non accumbebant : quo mos, vt inquit Duris, Alexandro etiam interdum seruabatur. Is enim aliquando quadringentos duces in sellis aureis & argenteis veste purpurea stratis sedentes ac reclinatos conuiuio excepit.* Athenæus 1, 14. quo loco & illud quod Raderus innuit, legitur. Quod autem de Heroibus dixit Duris, ex Homero est colligere, alibi, & Odyss. 9, 7.

Conuiuantes autem per domum audiunt cantorem
Sedentes ordine - - - - -

Ergo & in nuptiis Pelei Catullus 65, 303.

Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus.

Illyriis eumdem fuisse morem testatur Hermippus apud Athenæum 10,12. & ipsi Alexandro Plutarchus de Fort. vel Virtut. Alex. 2, 14. Tiberio quoque Cæsari, sed militiæ. Sueton. Tib. 18, 4. & Vellei. 2, 114. Pompeio quoque apud Diodor. in Excerpt. Vales. pag. 409. Philo de Iosepho : *Iussi deinde sedere iuxta ætatis ordinem, nondum enim discumbendi mos receptus erat &c.* Vlpianus apud Athenæum pr. lib. 11. *Apud Adrastum, ô amici viri, optimates ac primarij homines sedentes canant : Polyeidus dum in via hostiam immolat, aduentantem Pecum detinet, & in gramen reclinato, fronde loco mensæ instrata, de iis quæ mactata fuerant, apponit. Præterea, Autolyco ad opulentum Ithacæ populum cum peruenisset, nutrix, sedenti (priscos enim ita cœnasse liquet) idem officium præstitit. Vlyssem, quod scribit poëta* Odyss. 19, 400.

Puerum tenellum oblatum, filiæ suæ gnatum,
Euricleia genibus amicis imposuit,
Cœnare cum. desisset - - - -

Σῆκεν, inquit, id est, super genibus *posuit sedentis, non prope genua locauit.* Idem alibi : *Cum igitur sibi persuaderent deos esse præsentes, moderate & temperanter dies festos agitabant antiqui. Itaque neque solebant accumbere, sed epulabantur sedentes.* Sic apud Apollon. Argon. 2,304.

Αὐτὰρ ἐπεὶ μέγα δόρπον ἐνὶ μεγάροισιν ἕηντο,
Δαίνυντ' ἐζόμενοι. Varro de vita Pop. Romani : *Maiores nostri sedentes* (male impressi, *edentes*) *epulabantur : quem morem habuerunt é Laconibus & Cretensibus.* Idem autem quod in Macedonicis pueris Alexander, in suis nepotibus obseruauit Augustus : *neque* enim *canauit vna, nisi vt in imo lecto assiderent.* Sueton. 64, 6. Nam & apud Romanos *mos habebatur, Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria & parciore mensa :* Tacit. 13, 16, 1. vbi multa Lipsius, quæ non exscribo. Tantum moneo illud Plauti eo loco citatum :

Haud postulo equidem med in lecto accumbere,
Scis med esse imi subsellij virum.

non extare in Persa eiusdem, sed in Sticho 3,2,32. Notandum autem quod Valer. Max. 2,1,2. scribit : *Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant : quæ consuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit. nam Iouis epulo, ipse in lectulum ; Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitantur. Quod genus seueritatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus seruat &c.* Isidor. Etymolog. 20, 2. *Apud veteres Rom. visus non erat accumbendi, vnde & considere dicebantur. Postea, vt Varro ait de vita pop. Rom. viri discumbere cœperunt, mulieres sedere : quia turpis visus est in muliere accubitus.* De Laconibus & Cretensibus (quorum institutum maioribus suis hæsisse Varro supra citatus affirmat) vide Athen. 4, 6. &c. & inprimis 4,10. vbi *Pyrgion lib. 3. Cretensium institutorum :*

rum : In conuiuiis Cretenses, ait, hilariter sedentes epulantur. Adde Plutarch. de Fort. Alex. II, 1, 4. Sueton. Tiber. 18, 4.

VERBERIBVS) Sic apud Ælianum 14, 49. Philippus *Aphthonetum flagris cecidit, quod cum stituisset, acie deserta, digressus ab itinere, ad publicum hospitium diuertisset.* Nec Acidalium audio ; qui volebat : *Cast. verb. nulli ius, nisi potestas per ipsum erat.* Quasi scilicet periculum esset, ne quis sic acciperet, ipsum regem admouere manus debuisse : & quasi non ipse videretur fecisse, quod ipsius iussu alius. Quomodo enim aliter Hermolaus mox num. 25. apud Callisthenem *verberatum se à rege quereretur?* quem ex num. 7. constat tantum iussu ipsius verberatum.

8,6,6. *REGES)* Nam Cassander Antipatri haud dubie ex hac cohorte fuit.

POST MVLTAS ÆTATES) Constat ex regum singulorum, qui Alexandrum secuti sunt in Macedonia, ætatibus, siue annis quibus imperauerunt, non nisi sex & quinquaginta annos supra centum colligi. Scaliger in Thesauro Eusseb. Canon. Isag. lib. 3. pag. 335. ita vt si ætatem pro sæculo accipias, nec duabus quidem totis regnarint, nedum multis. Si ætatem triginta annos interpreteris, erunt quinque, nec ipse, vt vides, multæ. Si singulorum tempora quibus regno præfuerunt, respicias ; erunt quindecim : atque ita multæ videri possunt : itaque accipiendam hic ætatem suadet res ipsa, & mos loquendi apud Græcos, vbi γενεὰς habes apud Diodorum Siculum, id est ætates, vbi de successione Carani vsque ad Alexandrum agit, & ἑκκαίδεκα γενεὰς, ætates seu generationes ponit. Raderus.

ROMANI) Vide Florum 2,12. & ibi citatos.

8,6,7. *HERMOLAVS)* Confer Arrianum 4,2,31. Quod autem ob aprum occupatum sic indignatus est rex, affectum noscse qui ineft venantibus, vt nempe ægre ferant, gloriam sibi venationis ab alio præripi. Vide Scalig. in poët. vbi collatione illustrat Homer. & Virg. de venatione apr. Nota in eam rem est Meleagri fabula. Sed & ex verioribus historiis constat apud Persas in venatione feram ferire non licuisse, priusquam telum miisisset rex. Nam, si fides Plutarcho apophth. cap. 7. Artaxerxes Longimanus *primus permisit, in venatione eum qui vellet ac posset, primum conjicere telum.* Verum Xenophon παιδ. lib. 1. Cyaxarem edicentem facit, *ne quis feriret prius, quam Cyrus feriendo satiatus esset :* negatque Cyrum id permittere voluisse : quod si verum, iam ante Artaxerxem promiscue licuerit occupare feras. Eiusdem Xenoph. locum ex παιδ. lib. 4. huc pertinere arbitror, de Assyrio rege : *Venatus est cum eo, tamquam amico ; quumque prodiisset in conspectum vrsa, & vterque hanc persequeretur : noster iste modo princeps emisso iaculo aberrat, quod vtinam ne vnquam accidisset : at meus ille filius, telo coniecto, quod minime factum oportuit, vrsam sternit.* & quæ sequuntur. narrat enim ibi Gobryas filii sui cædem inde sequutam. Sic de eodem tam benigno Artaxerxe contrarium plane Plutarcho factum narrat Ctesias : *Egressus post hæc aliquando ad venationem rex, à leone inuaditur, quem in sublime sese attollentem, iaculo percutiens Megabyzus interficit. Id factum grauiter tulit Artaxerxes, quod antequam ipse feram nactus esset, eam Megabyzus confecisset, quare caput ei abscindi imperat.* Nisi dicamus ad reconciliationem horum auctorum intelligi posse, regem post hoc factum pœnitentia ductum, liberam postea percutiendi potestatem cuiuis venanti secum fecisse. Sed & alia Ctesiæ auctori ne veteribus quidem valde probato, lis mouetur à Diodoro 15, 10. vbi scribit hunc regem sic à Teribazo seruatum summum homini honorem habuisse : tantum abest vt caput præcidi iusserit.

8,6,8. *AMORE EIVS ARDENS)* Arrianus 4,3,35. vbi ἐρᾶν non satis perspicue exponitur *amicus.* Ab eiusmodi hominibus multas conspirationes

factas notat Plutarchus in Amatorio cap. 24. Aristogeitonis exemplo, qui Pisistradicas nullam aliam ob caussam aggressus sit, quam ob amasii iniuriam. Quam rem & Thucydides 6, 9. diligenter narrat. Similique ex caussa Charitonis insidias in Phalaridem prolixe narrat Ælianus hist. var. 2, 4. Talis etiam occasio caussam præbuit insidiarum, quibus Philippus occubuit. Diodorum 16, 94. vide. Sic & supra 6, 7. Dymnus conspirationem suam in regem tuto se detegere posse putat amasio suo. Magna enim necessitudo, & quasi legitima societas habebatur, vt etiam Plutarchum non puduerit scribere Erot. cap. XII. *vt infantem à nutrice, puerum à magistro, ephebum à gymnasiarcha &c.* Sic *amasium ab amatore regi.* Confer Tiraquell. Tom. II. pag. 129. pr. 1. Zvving. theatr. pag. 3462. f.

8, 6, 9. *NEC PVERILI IMPETV)* Simile illud Flori 4, 12, 54. *nec temere sumptus, vt barbaris, impetus.*

ASCLEPIODORVMQVE) Aldus; *Asclepiodori filium*, Arrianum vt puto, sequutus, quam Curtium.

PER HOS) Nempe qui principes ab auctoribus coniurationis in societatem adlecti fuerant, aliis deinceps idem persuaserunt. Sic apud Tacitum 14, 40, 2. *Fabianus subiudit testamentum, ascitis Vicio Rufino, & Terentio Lentino equitibus Romanis. Illi Antonium Primum, & Asinium Marcellum sociauerant.* Nihil ergo mutandum.

8, 6, 10. *AB EXPERTIBVS CONSILII)* Quomodo apud Tacit. 14, 5, 3. vbi de insidiis in Agrippinam: *nec dissolutio nauigij sequebatur, turbatis omnibus, & quod plerique ignari etiam conscios impediebant &c.*

8, 6, 11. *ALIVS ALIA NOCTE)* Nouem omnino in coniurationis societatem coiere, septima quaque nocte ad eos redibat officium excubandi: tres ergo & sexaginta erant excubitores. Raderus.

8, 6, 12. *FVERANT)* Pal. 1. nihilo deterius, *fecerant.*

OMNIBVS) Non abs re hoc miratur: magis etiam merito Iustinus 10, 1, 6. de conspiratione quinquaginta filiorum in Artaxerxem: *Ostenti prorsus genus, vbi* (forte rectius, *vti*) *in tanto populo non solum sociari, verum etiam sileri parricidium potuit* (an *potuerit?*) *vt ex quinquaginta liberis nemo inuentus sit, quem aut paterna maiestas* (de regno cape:) *aut veneratio senis, aut indulgentia patris, à tanta immanitate reuocaret.* Ergo & Tyrannicidæ Athenienses apud Thucyd. 6, 9, 26. *cum paucis coniurauerunt, vt res tutius gereretur:* Vnde referente Tacito 15, 59, 3. Pisoni quidam inculcabant, *frustra silentium & fidem in tot conscionum animis & corporibus sperari.* Ipsique hi pueri Curtiani mox num. 15. *sperare* non *poterant in illud tempus* (septem dierum) *omnibus duraturam fidem.*

8, 6, 16. *MVLIER ADTONITÆ SIM.)* *Syram* fuisse prodit Arrianus 4, 2, 33. natione puto, non nomine. Feminas autem plerumque fata præcinuisse passim legitur. Tacit. 14, 32, 2. *feminæ in furore turbatæ adesse exitium canebant.* In sacris etiam reperiuntur vaticinatæ feminæ, sed parcius. Vnde Clemens Stromat. lib. 1. satis amplo virorum vatum enarrato catalogo, sex tantum feminas subjicit: Saram, Rebeccam, Mariam, Deboram, Oldam, & Annam. Nostri maiores huic sexui *inesse sanctum aliquid & prouidum putabant* ætate Taciti. ipsum vide Germ. 8, 3. Notandum quod Zonaras narrat tomo tertio: *Michaele Rangabe imperante, muliercula quædam ex gynæceo imperatorio ad lunares circuitus furore percita, ad eum clamitabat, Descende, alienis cedito. Id non semel, sed sæpissime factum, turbauit imperatorem: itaque Theodoto, quo familiariter vtebatur, mulierculæ vociferationes exponit.* His & similibus exemplis moti arbitrantur Henricus de Hassia, & Picus Mirandula lib. 9. de prænotione, futura prænoscendi & reuelandi munus fœminis præ maribus datum esse, quod magis fatuus ille sexus

sexus sit. Nam de omnibus eius farinæ vatibus fere fertur, furore quodam percitos prædixisse futura. De ipso Fauno, vnde fanatici appellati, Tertullian. ad Nationes 2, 9. *Faunus Pici filius in ius agitabatur mente ictus,* leg. *furiis agitabatur,* & statim ei tribuit *insaniam.* Inter omina imperii Tacito oblata, fuit & quod *fanaticus quidam in templo Syluani tensis membris exclamauit, Tacita purpura, Tacita purpura, idque septimo:* vt refert Vopiscus in Floriano cap. 4. De mulierum vaticiniis aliquammulta exempla refert Zvvingerus theatri volum. 5. lib. 4. Sic & Sixti Pontificatum furiosi prænunciauere &c. Fulgosum vide 1, 3. De Pythia vulgo notum. Denique & Græci *μάντεις ἀπὸ τῆς μανίας appellauerunt.* Seruius ad illud Virg. Æn. 3, 443.

Insanam vatem adspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit - - - - Adi Cicronem de diuinat. 1, 31.

8, 6, 17. *HORAM DIEI)* Diem alii aliter obseruauere. Babylonii inter duos solis exortus: Athenienses inter duos occasus: Ægyptii & Romani, qui diem definiuere ciuilem, à media nocte in mediam: vulgus omne à luce ad tenebras; quomodo & Curtius à prima luce horam primam numerando, in horam dici ferme secundam Alexandrum conuiuii tempus extraxisse narrat. Popma. Eam Raderus ait intelligi, quæ apud nos est ante meridiem octaua. Sed hæc ratio non constat, nisi sub æquinoctia: quantoque longius ab iis receditur, tanto maior eius deprehenditur inæqualitas. Verbi gratia: constituamus diem octodecim horarum, quarum prima incipiat cum nostra tertia, vltima desinat in nostram nonam vespertinam: iam singulæ horæ Romanæ continebunt sesquihoram nostratem; atque ita prima Romana erit nostra tertia cum semisse quartæ: secunda, semissis alter quartæ nostræ, cum tota quinta, & sic deinceps.

8, 6, 18. *PERTINAX SPES)* Ego legebam: *Adeo p. res* (an *spes*) *est, quam humanæ mentes ingenti concupiscentia deuorauerant.* Cicer. in Epist. ad Attic. *Spe deuorare hæreditatem.* Loccenius. Sed Acidalius: *quam humanæ mentes tam ingenti concup. deuorau.* ita tamen vt vnice probet illud Modianum: *Adeo pertinax spes est, quam hum. mentes deuorauerunt.* habeatque pro glossemate verba ista, *quam ingentes concupiscentiæ.* Quod iudicium ab Radero, Constantiensis Cod. auctoritate plane comprobatur. Nec tamen credam lectionem eam mendo carere: certe spe aliquid deuorare non semel legi, at ipsam spem, neutiquam.

8, 6, 19. *QVINQVAGINTA SESTERTIA)* Efficiunt mille ducentos quinquaginta Philippæos, siue florenos mille sexcentos sexaginta sex. Vnum in neutro sestertium, continet mille sestertios: sestertius est dimidiatus victoriatus, siue duo cruciferi, qua de re tota copiosissime scripsi ad Martial. 2, 26.

Mutua vigini sestertia forte rogabam. Raderus.

8, 6, 22. *ALTERIVS)* Epimenis, qui reus nesciebat quid rex de ipso esset decreturus. Raderus.

EXCITAVERVNT) Potius *excitauerant.* Si tamen ipsa vox sincera: quam etsi fero (acceptam non trito illo significatu, sed quo inferius etiam est 8, 8, 9. *Nolo singulos vestrum excitare*) tamen eiusdem crebra repetitio suspicionem mouet. Etenim & vix præcessit, *Excitatisque custodibus corporis:* & statim sequitur, *excitant regem.* Acidalius.

8, 6, 23. *PER SE)* Ipsum qui loquebatur: nam & hoc pertinebat ad exculpandam domum, vt scilicet alter fratrum pœnitentiam ageret; alter non innoxius tantum, sed etiam indicii delator atque minister esset. Reliquum sensus distinctione inuimus.

8, 6, 24. *AVRES PRÆBERE)* Quod æque periculosum. Mercurius.

rius apud Lucianum ad Martem de Ioue siniſtre opinantem : *Tace, bona verba! Neque enim tutum eſt iſta vel tibi dicere, vel mihi audire.* Senecæ de tranquill. animi 12, 6. appellatur *teterrimum vitium, auſcultatio, & publicorum ſecretorumque inquiſitio, & multarum rerum ſcientia, quæ nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur.*

8,6,25. *IAM VIROS ESSE)* Ambigua ſane ſententia. ſi in malam partem & inuidiam trahas, expones : Indigniſſimam rem videri, iam viros, adhuc puerorum more verberibus caſtigari : tantam ergo iniuriam & contumeliam à viris non modo non ferendam, ſed omnibus modis vlciſcendam. Et hoc eſt quod Curtius dixit, videri dictum hoc à Calliſthene ad dolorem iuuenum incitandum. Mitior ſenſus alter eſt : Non tam ægre ferendam corporis caſtigationem, nec puerorum modo lamentandum ; fortium eſſe virorum, fortia pati. Raderus. Auctor eſt Plutarchus cap. 97. eos conſuluiſſe Calliſthenem, qua ratione clariſſimi poſſent euadere : Calliſthenem, ſi clariſſimum è medio tollerent, reſpondiſſe. Valerius Max. tamen 8, 14, 4. ext. hoc non dictum vel quæſitum vult de interimendo Alexandro, ſed Philippo, niſi idem quoque de Alexandro repetitum, vel Valerius memoria lapſus fuerit. Ille ſic : *Pauſaniam Hermocratem percontatum eſſe, quomodo ſubito clarus poſſet euadere, atque is* (cum) *reſpondiſſet : ſi illuſtrem virum aliquem occidiſſet, continuo Philippum interfeciſſe.* Loccenius. Idem quod Valerius narrat etiam Diodorus, 16, 95. Puto apud Plutarchum μνημονικὸν ἀμάρτημα eſſe.

8,6,26. *DONAT PROTINVS)* Sebiſius malebat, *donat : protinuſque fratrem &c. reſtituit.* Oroſius autem 3, 18. erroris arceſſitur à Viro Docto, quod Eurylochum occiſum dicat ab Alexandro. Sed ſciendum non de hoc puero ſentire Oroſium ; ſed de alio quodam, id ex Iuſtino 12, 6, 14. vnde Oroſius ſua deſumpſit, clarum. Nam Iuſtinus iſtum Eurylochum occiſum innuit dudum ante Clitum, cum nondum de puerorum coniuratione quidquam compertum foret.

8,6,28. *QVI SANGVINE CONTIGISSENT)* Vide ſupra ad 6, 11, 20. Et Arniſæum de iure maieſtatis 6, 8.

8,7,1. *HERMOLAVS)* Similis libertatis exempla in damnatis moriturisque congeſſit Gruterus ad Tacitum diſcurſ. 30, 6.

8,7,2. *ETIAM PARENTIS)* Quia lege Maced. omnes propinqui rei occidebantur. Raderus.

8,7,5. *NE SIMPLICI MORTE)* Vt Philotas, antea in eculeum impoſitus. Raderus. De *ſimplici morte*, Indicem conſule.

8,7,7. *OBSTREPVNT)* Sic apud Tacitum 4, 42, 2. *Æmilius è militaribus viris, dum ſtudio probandi cuncta refert, & quamquam inter obſtrepentes magnæ adſeuerationi nititur, audiuit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur.*

REM PVLCHERRIMAM) Sic ipſe æſtimabat, alii contra. Ita Romæ *occiſus dictator Cæſar aliis peſſimum aliis pulcherrimum facinus videbatur.* Tacitus 1, 8, 7.

8,7,11. *TRIG. MILLIA MVLORVM)* Quum hæc primum legerem, candide lector, ipſe mecum rem quaſi ridiculam admiratus, cogitare diligentius cœpi, eſſetne verum quod homini mihi imperito earum rerum, etiam prope impoſſibile videretur. Quantam enim pecuniæ ſummam triginta millia mulorum ferre poſſe credamus ? Hæc quum ita mecum tacitus reputaſſem, cœpi anxius etiam atque etiam cogitare, quo pacto rationem inirem, vt id ita eſſe certo inuenire, atque ideo firmis argumentis approbare poſſem : ibi in mentem venit, ſi ad ſolam, quæ Perſepoli capta eſt, pecuniam requirebantur mulorum ac camelorum tria millia, vt Diodorus in ſexto Alexandri anno ſupputat ; certe etiam hic numerus, quantumuis magnus, aliquo modo ad veram rationem deduci poſſe, mihi videbatur. Sic enim omnes ſummas

mas Suſis, Ecbatanis, Paſargadis, Arbelis, Babyloniæ, & Perſepoli inuentas computare volemus, tum cogitare non aurum ſolum, ſed & argentum vectum, & precioſa alia, vt lapillos, gemmas ac margaritas : denique, exaggerationem factam ab hoſte perituro Hermolao : non paruum adiumentum habebimus ad hunc locum firmiter conſtabiliendum. Sed primum Diodori locum in abacum reuocemus : ac eo diſcuſſo, lectori non omnino ſtupido, reliqua de aliis locis diiudicanda relinquemus. *Perſepoli* (inquit Diodorus 17, 71.) *inuenta ſunt, auro ad argenti rationem deducto, centum ac viginti millia talentum* : qui numerus per ſexcenta ductus, producit ſummam 72000000. coronatorum. [ſeptuagies bis millena millia : non, vt ſolenni errore enunciat Explanator ; ſeptuagies bis millies centena millia.] Iam quod ad pondus attinet (portabant enim eam pecuniam mulorum ac camelorum tria millia, vt dictum eſt) in Romanæ libræ beſſe comprehenduntur ſeptuaginta duo coronati : eſt autem bes libræ Romanæ dimidium libræ zyoſtaticæ, quæ habet coron. 144. per quos ſi 72000000. diuidantur, erunt libræ zyoſtaticæ 500000. Hæ libræ ſi per 3000. mulorum diuidantur, ſingulis mulis euenient libræ 66. ac ſuperſunt 2000. libræ : quas ſi addamus, incedent mulorum ac camelorum duo millia, centenis ſexagenis ſeptenis : alia millia, centenis ſexagenis ſenis libris. Noſtra quidem ætate equi vehunt ducenas libras : ſed fortaſſis non in tam longum iter. Sed & vaſa ipſa non tam commode, quam pecunia duci potuere : nec omnia in auro erant fortaſſis, ſed & in ebore, argento, aliiſque rebus (vt diximus) precioſis : vt non omnino, ſi quis recte ſecum animo omnes vbique ſummas colligat ad eum quem in Perſepoleos theſauro oſtendimus modum, abſonum ſit veritati, 3000. mulorum aurum captum vehere Alexandro. Hæc præter conſuetudinem noſtram ideo ſcribuntur, vt iuuenibus ad ſublimiora anhelantibus cogitandi daremus occaſionem, ad ea quæ ante hanc ætatem nemo nouerat. Quotuſquiſque enim tum erat, imo quotuſquiſque hodie viuit inter eximie etiam doctos, qui quum ad huiuſmodi res ventum eſt, non continuo fateatur, vel ad ſe nihil attinere, vel rem friuolam eſſe, confiderationeque indignam. At ego eius ſum opinionis tantos auctores haud temere motos, nec talia ſcriptis prodituros fuiſſe, niſi ea & lectu multo digniſſima, & cognitu vtiliſſima iudicaſſent. Glareanus. Adſtipulatur Curtio Plutarchus de fortuna Alex. 2, 24. *aurum ab innumeris circumferendum camelis.* μυρίους dixit Plutarchus, quod illi innumeros reddiderunt, veriti fortaſſe, ne dictu nimium aut incredibile foret, decem millia camelorum auro onuſta. Sed decem ea millia nondum accederent ad Curtii rationem, ſi vni camelo duorum mulorum onus deputes. Apud eundem in Alexandro cap. 68. Perſepoli repertum *inſtrumentum regium & opes decem millibus iugorum mularium & quinque millibus camelorum egeſta.* Rationarium imperii Gallicani, ſiue Le ſecret des finances de France deſcouuert par Froumenteau, indubitatis argumentis colligit, ab anno 1550. ad 1581. in Gallia tantum auri exactum eſſe, quod circiter triginta millibus quingentis tribuſque & octoginta mulis onerandis ſufficeret : idque ſic demonſtrat ; Anno 1529. Flauiobrigam (ea hodie Fontarabia) redimendo Regi Franciſco I. miſſos fuiſſe teſte Bellayo, 1240000. aureos ſolares triginta duobus mulis pecuniam eam portantibus : exactos autem fuiſſe aureos ſolares 1583333333. hoc eſt millies quingenties octuagies ter millena millia, trecenta triginta tria millia aureorum, & inſuper triginta ſuper trecentos. Ad hanc rationem ſi examines Alexandri captiuum aurum reperias 120010100. ſolares aureos : ſiue millies ducenties millena millia, & centum ſupra decem millia. Sane vt ſupra ad 6, 11, 6. notauimus Ecbatanis habebat centies octies millena millia Philippæorum : ſed hæc vix ſextadecima pars fuerit eius ſummæ. Aliunde quidem eum magnam pecuniæ vim habuiſſe dubitari non poteſt, cum Cyrus olim deuicta Aſia, hoc eſt Lydorum atque ſociorum ditionibus, quæ minima portio

Perſici deinceps imperii fuit, *argenti quingenta millia talentorum reportauerit*, teſte Plinio 33,3,17. hoc eſt trecenties millena Philippæorum millia. Sed hæc quoque ſumma longe ab illa abeſt quam diximus. Certe oportet ingens auri pondo fuiſſe, quo tot muli onerarentur, & vnde ſedecim amplius Coloſſi aurei fieri potuiſſent, æquales æneo quem in Rhodo mundus ſtupuit. Nam illius materia noningentis camelis aſportata eſt. Cameli vero onus eſt duplum ad onus muli. Eſt enim DCCC. pondo, vt notat Scaliger ad numerum Euſebian. MDCCXCIV. Non igitur abs re Lipſius in nota ad 3,2. Admirandorum, peccatum in Curtii numeris putat: & omnino *tria millia* pro *triginta millia* ſcribendum. Cum etiam Demoſthenes, de claſſibus, pro magno referat, quod regi Perſarum *mille ducenti cameli* pecuniam veherent. Sed tamen contra hoc iudicium, Curtium haud leuiter tueri videntur allata Plutarchi loca. Et ne ſupra fidem videatur ea pecuniæ ſumma, certe ex tot antiquiſſima opulentia refertis prouinciis, ex tot tantiſque regnis, quidni intra ſeptem aut octo annos tantundem congeſſerit Alexander, quantum intra triginta annos ex vna Gallia exactum fuiſſe conſtat? Præſertim cum etiam Dauid modicorum finium rex, ſi cum tanto imperio compares, ingentem pecuniæ modum habuerit, Paralipom. c. 22. *auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentum.* quod efficiat 1200000000. Philippæorum, duodecies centies millena millia. Ideo Maiolo adeo Curtianus numerus non videtur ſufficere, vt inſuper alia decem millia mulorum addat. Sic enim ſcribit in dieb. Caniculär. vbi de metallis: *Erat Alexandro Magno tanta gaza, vt vehi non poſſet à paucioribus quadraginta millibus mulorum, vt Curtio videtur, & ex illo etiam recolit Franciſcus Picus libro 2. de ſtrigibus.* Sed enim plus ſatis erant triginta millia.

8,7,12. *PATRIOS MORES)* Firmari hinc poſſit felix coniectura Boxhornii in Iuſtin. 12,4,1. *A Philippo illum patre tantum degenerauiſſe, vt etiam patriæ morem eiiiaret.* qua etiam de cauſſa hic ab Hermolao perbelle appellatur *transfuga.* Adſtipulatur & Valer. Max. 9,5,1. ext. *Faſtidio Philippi Iouem Hammonem patrem aſciuit: tædio morum & cultus Macedonici, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit: ſpreto mortali habitu, diuinum æmulatus eſt. nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem diſſimulare.*

BELLI IVRE) *Transfugas licet, vbicumque inuenti fuerint, quaſi hoſtes interficere.* l. 3. in fine ad L. Corn. de Sic. vbi Gothofred. etiam torquere: *nam pro hoſte, non pro milite habentur.* l. 7. de re mil. Vide Fabri Semeſtria 1,18. & Cuiac. obſeru. 4,9.

8,7,13. *PATREM AVERSARIS)* Valerium Max. modo citatum reſpice. Ægila duarum vrbium vnum nomen eſt, apud quas *olim Ammoni & Alexandro ædes poſitæ erant, quibus vſque ad Iuſtiniani imperium hoſtias mactabant indigenæ.* Procop. ſerm. 6. de ædific. Iuſtiniani. Confer notas ad 4,7,25. & 8,5,18. vbi in affectatam hanc diuinitatem acute dictis adnumera illud Epheſii cuiuſdam apud Strabon. lib. 14. Alexandro templum illud inſtauraturo obiectum: *non eſſe conueniens, vt deus diis donaria apparet.*

8,7,14. *TRISTIVS)* Falſum hoc apud pleroſque: rari quippe ſunt quibus iſta cordi: *aliud ſibi reliquum quam tenere libertatem, aut mori ante ſeruitium?* Tacit. 2,5,4. deprompta ex iſtis Salluſtii Hiſtor. 1,2,10. *Eſſne viris reliqui aliud, quam ſoluere iniuriam aut mori per virtutem.* Adde eiuſdem Catil. 20,6.

8,7,15. *SI EMENDARI POTES)* Gruterus ad Tacit. diſcurſ. 41,5. plus amarulentiæ ſubeſſe putat his verbis, quam prima fronte videatur, & ſic exponit, quaſi velit Hermolaus quod apud Tacit. 15,68,1. Sulpicius Aſper ad Neronem: *Non aliter tot flagitiis eius ſubueniri poſſe.* vel, vt Sucton. Ner. 36,5. effert: *aliter illi non poſſe*

poſſe niſi morte ſuccurri. Ego tamen non video quomodo Curtii verba hanc explicationem patiantur: non enim imputat Alexandro, vt illi apud Suetonium, quod eum voluiſſet occidere: ſed quod vtilibus eum præceptis ad bene imperandum, ſi ea monitione corrigi poſſet, inſtruxiſſet. ad quam rem vtique non morte regis feſtinata, ſed longiore vita opus erat.

8,7,16. *PARCE)* Deeſt *parentibus*, aut tale quid. Bongarſ. ſuſpicabatur legendum: *De cetero parce: aliorum orbam ſen. ſuppliciis ne oneraueris.* Melius Raderus edidit: *parce his quorum orbam &c.* ſi tamen ex libris id ſuppleuit Modius; eum enim ille ſequitur, aliis quidem libris abeſt pronomen. Aſpicit autem Hermolaus morem Macedonum, quo parricidarum propinqui etiam puniebantur. De quo aliiſque ſimilibus ſupra ad 6,11,20. & mirifice diſputat Grotius de iure belli 2,21,9. & ſequentibus. Arniſ. de iure maieſt. 3,6,8. & ſeqq. & de rep. 1,4,2. & Clapmar. arcan. 4,5.

QVOD PETIERAMVS) Libertatem: vt ſaltem morte liberemur à ſeruitute tua & tyrannide. Raderus.

8,8,1. *PATIENTIA MEA)* Si enim eſſem iſtis moribus quibus me videri iſte voluit, iampridem indicta cauſſa eum occidiſſem. Elegans eſt illud in hanc rem, quod de Auguſto narrat Sarisberienſis, qui cuidam in publico inclamanti, *ô Tyranne!* reſpondit, *ſi eſſem, tu non diceres.*

8,8,2. *A MAGISTRO SVO)* Inuidioſe ſic appellat Calliſthenem, quaſi auctor ei doctorque parricidii fuiſſet.

VT VOS QVOQVE) Male affectus locus: omnes iſtas voces omittunt Mss. at ſequentes, *non ſolum ipſe*, recentiores impreſſi. Si mei ſit arbitrii, faciam: *vt vos quoque ipſi audiretis.* Vulgo *non ſolum ipſe*, quod de ſe dicere Alexandrum intelligas.

8,8,3. *AB ANTIQVISSIMIS)* Non ergo cepit illud inſtitutum à Philippo, vt volebat Ælianus ſupra ad 8,6,2. vbi vide.

A TVTORIBVS) Hæc ita concepta fuiſſe putem: *Hoc & oportet fieri; & fit: tutoribus pupillos, mariiis vxores, ſeruis quoque huius ætatis pueros verberare concedimus.* At Acidalius: *& fit à tutoribus pupillis, à maritis vxoribus.* aut potius, vt idem ait, minori mutatione ſic: *Hoc & oportet fieri* (dubitat, an & hoc mutandum *ferri*) *& ferunt à tutoribus pupilli, à maritis vxores: ſeruis quoque &c.* Tutoribus autem id ius in pupillos apud Romanos quoque fuiſſe coniici poteſt ex definitione tutelæ, quod ſit *vis ac poteſtas in capite libero.* Nam *tutor non rebus duntaxat, ſed etiam moribus pupilli præponitur.* l. 12. §. 3. de adminiſtr. tut. Iuuat & ratio legis vnicæ C. de emend. propinquorum.

VXORES) Ne tamen ſine legitimis cauſſis, neue flagellis aut fuſtibus id fiat, arg. l. 8. §. 2. C. de repud. & Nou. 117. cap. 14. vbi Gothofr. cui iunge Alciatum de præſumpt. regula prima præſumpt. 3. & quos ibi citat. Item Tiraquellum in leg. Connub. 1,8. & 9. prolixe, qui probat iure quidem maritis eam poteſtatem concedi, ſed ſapientes & cordatos viros ea vti non ſolere.

SERVIS) Inprimis pædagogis: elegans exemplum in Plauti Bacchid. 3,3. quæ ſcena digna lectu: digna, qua bona inſunt, imitatu.

8,8,5. *SVÆ CAVSSÆ)* Parricidas enim defendit.

8,8,6. *RVRSVS)* Intellige primum à duobus indicibus nominatum veniam impetraſſe: iterum deinde conuictum pœnas luiſſe. Turbat tamen ſupra 7,1,6. ibi enim etiam in eaſdem cogitationes occidendi regis poſt veniam relapſum ſcribit: ſed id de duobus indicibus, non vt hic priori, ſed poſteriori eius conſilio attribuit.

8,8,8. *CLEMENTIA)* Verissima, verissima gnome. cui tamen etiam lumen accedat ab sententiis & exemplis à Grutero in Tacit. discurs. cap. 24. Cui adde nobilissimum apophthegma Theopompi apud Plutarch. apophth. Lac. cap. 65. qui interrogatus, *quid ita Sparta floreret? quia ne reges recte imperare scirent? Imo, inquit, quia ciues parere.* Laudat in Agricola suo dexteritatem istam Tacitus 42, 6. *Domitiani vero natura præceps in iram, & quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur. quia non contumacia, neque inani iactatione libertatis, famam fatumque prouocabat.* Quod idem si fecisset Clitus; vixisset. Nicoclem (nescio an Sicyonium tyrannum) dixisse perhibet Camerar. subcis. 1, 88. similimam huic sententiam: *Non solum considerandum esse ingenium tyrannorum, cur benigni aut difficiles sint; sed ciuium quoque mores.* Annius Bassus Siluanum *specie obsequii* etiam *regebat.* Tacit. De Moscouitis scribit Surius in Comment. ad Ann. MDI. *incertum esse, vtrum ipsius gentis immanitas & duritia eiusmodi tyrannidem* (eam modo descripserat) *mereantur.*

8,8,9. *QVID EGO MIRER)* Arguto genere defensionis vtitur; insimulatum se crimine auaritiæ, à quo nemo dubitet, eum esse alienissimum: facile igitur iudicari posse, ne ceteris quidem criminationibus fidem adhibendam. Eodem modo purgare se conatur Nero apud Sueton. 41, 4. *cetera conuitia vt fusa non alio argumento refellebat, quam quod etiam insitia tantopere laboratæ perfectaque à se artis obiiceretur: singulas subinde rogitans, nossentne quemquam præstantiorem?*

PVDORI VESTRO GRAVEM) Ostentando publice, & velut exprobrando. Inde lex in Chronosolone Luciani: *De muneribus quam modestissima semul, & paucissima verba fiunto: neque graue quicquam in litera quisquam ascribito, nec quæ mittuntur laudato.* Quod late deducit Seneca de beneficiis. Id obseruatum à Carolo V. tradit Surius ad Ann. MDLVIII.

ARGENTEIS LECTIS) *Post Alexandrum maximum, quia Asiæ thesauros diripuit, prorsus exorta est, quæ, vt Pindarus inquit, late dominatur opulentia.* ait Athenæus 6,4. cum paulo supra narrasset, adeo rarum antea Græcis vsum auri fuisse, vt *Philippum Alexandri patrem Duris scripserit, exiguam auream phialam, quam penes se habebat, in lecto cubantem, puluinari semper subdidisse.* Quod tamen non credam nisi ante excultas aurifodinas Macedoniæ, de quibus Diodor. 16, 8. Addam pauca ex Dionis orat. 25. sub finem. *Alexander in Asiam ducens exercitum, Macedones ditissimos omnium hominum effecit, simul & pauperrimos: & pariter fortes & pariter infirmos: exuteisque & reges eosdem: Ægyptum & Babylonem & Susa & Ecbatana imperio addens, Ægas vero & Pellam & Dion auferens.* Sed mirum est quod de argenteis lectis ait Curtius: & quidem tam vulgatos fuisse, vt toti exercitui tribuantur. Certe de Heliogabalo imperatore rem inusitatam prodere sibi videtur Lampridius cap. 20. *Hic solido argento factos habuit lectos & tridinares & cubiculares.* Forsan hi solidi argento fuerint, illi militum, leuiter ornati vel inducti & bracteati. Augustum contra ne *toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili & modice instrato.* Sueton. Aug. 73, 1.

8,8,10. *AT ENIM)* Suspicor quædam huius orationis membra parumper esse luxata, quæ sic in ordinem redigam: *Spolia de hostibus fusis sustinere non possunt, & sane plus habemus quam capimus: insatiabilis autem auaritiæ est, adhuc implere velle, quod iam circumfluit. At enim Persa &c.* Nam illa intermedia: *& sane plus habemus &c.* infra num. 12. interueniunt alieno argumento, cum ibi de Persis eorumque moribus imitandis instituta sit tractatio.

SVNT APVD ME) Feci sic postulante sententia. Hactenus cusi, *in magno honore sunt. Apud me quidem &c.* quid interfit quiuis facile æstimabit.

SOLITVDINEM FACEREM) Camillus apud Liu. 8, 13, 13. ad Patres Romanos: *Pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum vel seruiendo, vel ignoscendo potestis. Vultis crudeliter consulere in dediros victosque? licet delere omne Latium: vastas inde solitudines facere &c.* quod tum prudenter considerauit senatus. At in Taciti Agric. 30, 7. Romanis inuidiose obiicit Britannus ille, quod, *vbi solitudinem fecere, pacem appellent.* Ceterum quæ non minus eleganter hic, quam prolixe de clementia & moderatione vibrat, ea pluribus deducit Gruterus discurs. in Tacitum cap. 25. & 26. item Virdung. ad ista Taciti Agric. 19, 1. *Parum profici armis, si iniuriæ sequerentur.*

NON POENITERET) Quantiuis pretii dictum, cui tamen par illud Theodorici apud Cassiodor. Var. Epist. 3, 43. *Nobis propositum est, Deo iuuante sic vincere, vt subiecti se doleant nostrum dominium tardius acquisiisse.* Sane *firmissimum est imperium, quo obedientes gaudent*, vt ait Liu. 8, 13, 16. Ad Alexandri subditos accommodat Plutarch. de Fort. vel Virtut. Alex. 1, 7. dictum Themistoclis: *ἀπολούμεθα ἂν, εἰ μὴ ἀπολούμεθα, Perieramus, nisi periissemus.*

8,8,12. *QVAM CAPIMVS)* Est indubitata emendatio Acidalii. prius legebatur; *quam cupimus:* nec pro Curtii mente, nec Alexandri.

INSATIABILIS AVARITIÆ) Impendio placuerunt isti versus:

Multi cum nimium possideant, sibi
Ferme nemo satis possidet: Omnibus
Fas facilibus est esse: sed haud magis
Quisquam sorte sua scit bene perfrui:
Sic quo diues, eo pauper is est magis.

Sunt autem Reusneri ad Symbolum Fl. Iustiniani II. quo loco multa de auaritia lectu digna congessit.

8,8,13. *IMITARI)* Vide supra ad 8, 5, 19. Sic à Rom. veteribus, *accitis quæ vsquam egregia, compositæ duodecim tabulæ.* Tacit. 3, 27, 1. Præclare Cæsar apud Sallust. Catil. 51, 22. *Maiores nostri, P. C. neque consilij, neque audaciæ vnquam egere: neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur &c.* Plato hac potissimum de caussa & ipse suscepit peregrinationem, & ciuibus suis, non vno loco libri 12. de legib. commendauit, *vt patriæ vrbi communicarent, si quid alibi reperissent ei futurum & vsui & ornamento.* Merito autem ab hoc consilio laudat Alexandrum Plutarch. de fortuna eius 1, 8. quod Aristotelem non esset sequutus, *qui eum iubebat Græcis se tanquam principem, barbaris vt dominum præbere &c.* Iudicium Stranonis idem est sub finem libri primi.

8,8,14. *HAVD ALIENVM)* Tum opportunum ad res gerendas; tum etiam, quod tacite innuit, rebus suis haud male conueniens. Quomodo Liuius præfat. 7. *ea belli gloria est pop. Romano, vt quum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat; tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur.* Sic in Luciano apud Minoëm: *Si vero deus hominibus videbar, parcendum illis erat: nam rerum magnitudine, vt tale aliquid de me crederent, inducti sum.* & seq. dialog. priorem rationem exponit: *quia ad res gerendas sic mihi visum erat conducere, commento hoc vsus sum vaticinij.* Quæ tamen ipsa ratio à Philippo patre ibidem refellitur, inter alia argumenta & eo, quod ad 4, 7, 30. verbo *Corrupit*, considerauimus. Haud tamen omnino vanam istam vanitatem fuisse probari possit exemplo quod refertur supra 7, 6, 6. Easdem fere ob rationes Varro apud Augustin. de Ciu. DEI 3, 4. *vile esse ciuitatibus* dicit, *etsi falsum sit, vt se deorum filios credant.* & 4, 31. *multa sunt vera quæ non modo vulgo sciri non est vtile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expedit.* Ergo apud eundem Lucianum Diogenes ad Alexandrum: *Sacerdotium*

tum Ammoniorum mendacium ad res gerendas tibi haudquaquam fuit inutile: propterea quod vulgus te verebatur metuebatque, quum deum esse crederet. Sic fere omnes populi referebant originem suam ad deorum aliquem, vt *primordia vrbium augustiora facerent.* Liuius proœmio. ad quem locum exempla multa Gruterus notat. Atque hæc pro Alexandro ipse aliique dixere, haudquaquam paria futura contrariis argumentis, si quis ex diuerso vrgeat.

8, 8, 15. *VERI VICEM)* Liuius 34, 12, 3. accinit: *Sæpe vana pro veris, maxime in bello valuisse:* remque exemplo subiecto testatam facit. de fama autem supra ad 3, 8, 7. dictum, quibus iungi potest Lipsius polit. 5, 16.

8, 8, 16. *VOLVI OSTENDERE)* Reuocauit Acidalius vltimum verbum ex vulgatis editionibus, vnde Modius pepulerat; & *videre* legendum, non *videri*, docuit. hæsit tamen in explicatione sequentium: *Oculos ergo &c.* nec mirum. nullus enim inde sanus exeat sensus, si pro *spectantium* non scribas *exspectantium*, nisi tamen & simplex illud hoc significatu capitur, quod pene inducor, vt credam, cum toties huius loco reperiam. Sensus igitur est: Capiam (tanquam ex insidiis) præstringamque Indorum oculos qui nihil expectant aduentu nostro, quam sordida & humilia omnia, arma æreaut ferro rubiginoso squalentia, nihil opulenti, nihil ornati. Ergo cum hæc species nec opinantibus fuerit obiecta, cum alias etiam melius honorificentiusque de nobis opinabuntur; tum quoque deprehendent non auri argentiue inopia vel cupidine, sed per virtutem, & ob gloriam, istam expeditionem nos suscepisse.

8, 8, 19. *MODO AVDISTI)* Suspecta hæc verba, nec video quomodo tolerentur, nisi non explices de præsenti tempore, sed ita; quæ vicissim apud Callisthenem de me nunc dixisti, nunc ipsum dicentem audiuisti: hæc enim probra iam diu magister iste tuus tibi præcinuit.

OLYNTHIO) Id est, cum Olynthius sit. Odiose autem nomen patriæ eius inducit, ad exasperandos Macedonum animos, memoria vetustissimæ simultatis, quam ea cum vrbe exercuit Macedonia, donec Philippus eam exscinderet, qua de re Dio Chrysost. orat. 25. *Philippus Macedonas humiles & infirmos, suoque patre concedente Olynthiis principatum, fortes fecit & bellicosos, & propemodum totius Europæ dominos. Callisthenem* autem *Olynthium fuisse, & discipulum, ac cognatum Aristotelis ex Hero consobrina eius editum, præter Plutarchum in Sylla 72. Alex. 98. & Suidam, Diogenes Laërtius in vita Aristotelis refert.* Popma. Antigonus apud Diodor. 19, 61. πολιμισητὴς Μακεδόνων vocat τὸν Ὀλυνθίιον.

8, 8, 20. *HOMINIBVS)* Forte *omnibus*: toti cohorti, non parti, vel certis quibusdam. vt nimirum ita vindictam expeterent, illatæ in societatem suam infamiæ. Adspirationem sæpe adiici aut demi temere, dicetur in Indice, H. adspiratio.

VT FIDEM SVAM) Sic apud Tacit. Ann. 1, 44, 5. *Gaudebat cædibus miles, tamquam semet absolueret.*

EXCRVCIATOS NECAVERVNT) Arrianus 4, 2, 38. & apud Plutarch. cap. 98. ipse Alexander, more Macedonum saxis obrutos scribunt: quod tamen non impedit, quin ante mortem excruciati fuerint, exemplo Philotæ supra lib. 6. extremo. Crudelitas enim illa maxime in vsu fuit apud veteres. vnde quasi solennis scriptorum formula *excruciatum necare:* quam apud Liuium 25, 23, 10. restituo: *necati omnes excruciati sunt,* non: *& cruciati.* Victor de Cæsar. cap. 36. alterum pro vtroque posuit: *cum auctores Aureliani necis excruciauissent.* sicut in Phocione cap. 47. Plutarchus bis. Suetonius Aug. 14, 1. *diseruciatum necare.* Cicero pro L. Manil. cap. 5. alia addit augendæ indignitati: *Legatum pop. Romani consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necauit.* atque ita Liuius 29, 18, 11. *tribunos militum in vincula*

cula coniectos, dein verberatos, seruilibusque omnibus supplicijs cruciatos occidit. Statim Curtius, mutatis paulisper verbis: *Callisthenes tortus interiit.* nam illud *ante (ante tortus)* quod inserunt recenter editi, iam olim glossæ suspectum, volentibus libris expuli. Encolpii verba apud Petronium: *si quid tristius paras, celeriter confice. neque enim tam magnum facinus commisimus, vt debeamus torti perire.* Græcis est στρεβλωθῆναι aut βασανιζόμενον ἀποθνῄσκειν tortum mori: vt Plutarcho Phocione c. 47. Zonaræ tom. 2. αἰκισάμενον ἀποκτείνειν, *prius excruciatum interficere*: de Hannibale & captiuis Romanis loquitur. idem mox de Scipione seditionis auctores puniente. Ὀλυμπιάδιον ἀναιρεῖ, Olymp. 118. *Romilcarem tyrannidem affectantem Carthaginenses excruciatum necauerunt:* αἰκισάμενοι ἀπέκτειναν. Polyb. 1, 80. αἰκισαμένους ἀπέκτεινεν. Ioseph. de bel. Iud. 6, 12. μαστιγώμενοι δὲ καὶ πεβασανιζόμενοι ὃ μηδ' ὅτιοῦν πῶποτε αἰκίσων, ἀνεσταυρῶντο. Appian. de bel. Punic. ἔκτειναν ἢ καὶ βάλλον αἰκισάμενοι. Id Romæ per leges non licebat in ciues. Sallust. Catilin. 51, 14.

8, 8, 21. *TORTVS INTERIIT)* Aristobulus apud Arrian. 4, 2, 38. tradit compedibus vinctum in exercitu ductum fuisse, ac postea morbo interiisse; Ptolemæus tortum ac denique suspensum vitam finisse. Iustinus 15, 3, 3. (ex quo Dreser. Millen. IV.) singillatim supplicium eius exponit: *Cum Alexander Callisthenem truncatis crudeliter omnibus membris, abscissisque auribus ac naso labiisque deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper cum cane in cauea clausum, ad metum ceterorum circumferret; tunc Lysimachus venenum ei in remedia calamitatum dedit.* Seneca pater Suasoria 1. præceptorem Alexandri appellat, & lancea traiectum scribit. Philostratus 7, 1. à Macedonibus ait interfectum quod ipsos vituperasset. Diog. Laërtius in vita Aristotelis in cauea circumductum ad spectaculum, morboque pediculari correptum, ac demum Ieoni obiectum. Suidas quoque cauea vna cum Nearcho inclusum, & phthiriasi absumptum ait. De cauea etiam Ouidius in Ibin. versu 519.

Inclususque necem cauea patiaris, vt ille
Non profectiuræ conditor historiæ.

Quamuis indoctiores Chœrilum poëtam intelligant, quod ex Parrhasio, Laurentio Abstemio, Egnatio refutat in notis ad Ibin Ouidii, Valerius Andreas Desselius, cui suffragatur Franciscus Sanctius Annotat. ad idem Ouidii carmen. Phthiriasi periisse & Plutarch. in Sylla cap. 72. auctor est. Loccenius & Raderus. *Decessisse Callisthenem alij ab Alexandro suspensum dictitant, in vinculis alij morbo afflictum: Chares, postquam comprehensus fuit, septem menses in vinculis custoditum, vt in concilio præsente Aristotele iudicaretur, ac quo tempore in Mallis Oxydracis Indiæ sauciatus fuit Alexander, ex corpore supra modum turgido, & morbo pediculari excessisse.* Plutarch. Alex. cap. 98. Quod autem Iustinus narrat de Callisthene, nescio cui Telesphoro Rhodio obuenisse scribunt Seneca de ira 3, 17. & Plutarch. de exilio cap. 21. offenso Lysimacho rege. Hanc autem scriptorum de Callisthenis morte diuersitatem vitabundus Curtius, consulto videtur vsus omnia ista complexo vocabulo, *interiit.* quomodo & Valer. Max. 7, 2, 8. ext. *spiritu cauere iussum* scribit, non adiecto, quo supplicii genere. item 9, 3, 1. ext. *Callisthenem mori iussum.* Seneca Nat. quæst. 6, 23. *occidit Callisthenem.* Quomodo & Orosius 3, 18. & Dio Chrysost. Orat. 64. vbi etiam, perinde vt Seneca Rhetor, Alexandri præceptorem appellat Callisthenem. Quid Diodor. de eo scripserit, interitu capitis eius incertum est.

8, 8, 22. *REVOCATVS AD VITAM)* Supra ad 8, 2, 12.

8, 9, 1. *OTIVM)* Tacitus Germ. 44, 4. *Otiosæ armatorum manus facile lasciuiunt.* Quem locum late tractat Gruterus discurs. in Tac. cap. 40.

IN

IN INDIAM MOVIT) Plinius 6, 17, 18. Indiam *patefactam esse* scribit *Alexandri Magni armis.* quod & Strabo & Plutarchus aliique memorant.

8, 9, 2. *INDIA)* Mirum dictu, quam multi res Indiæ perscripserint, & quam pauci, dolente & execrante Strabone, vera. Ex quibus alii vna cum fabulis suis toti periere, alii si non toti, saltem magnam sui partem exoleuerunt. Non apparent è veteribus Daimachus, Patrocles, Hipparchus, Iambulus, Pytheas, Clitarchus, Nicolaus Damascenus, Beton, Posidonius, Megasthenes, Megachlenes, Onesicritus, Megillus, Gorgus metallarius, Eratosthenes, Nearchus, Dionysius non ille Periegetes. Extant Herodotus, Agatharchidis excerpta, Ctesias aliqua sui parte apud Photium, Dionysius Periegetes, Strabo, Ptolemæus, Arrianus, Diodorus Siculus, Æthicus, Artemidorus inedituscamen, Marcianus Heracleotes, Plinius, Mela, Solinus, Philostratus, Orosius, noster Q. Curtius, Apuleius i. Floridorum. & hi omnes veteres. Ex recentioribus Io. Goropius Becanus, Petrus Maffeus, Osorius, Io. Metellus, Io. Barrius, Ludouicus Vartomannus, Maximilianus Transiluanus, Cosmas Indopleutes, Io. Macer, I.C. Castagnedo Hispanus, Abrahamus Ortelius in theatro orbis, cuius tabulam geographicam Indiæ considerabis, Petrus Iarricus thesauro rerum Indicarum, Franciscus Sachinus historia societ. Iesu, & alii patria lingua. Atque hic tantum de India quæ Orientem spectat. noua namque, & nuper à Magellano reperta, & Mexicana nihil hic ad nos. Raderus.

SPECTAT ORIENTEM) Plerosque omnes geographos & scriptores rerum haber suffragatores. Princeps est Strabo vice omnium, initio libri 15. *Nunc ab India ordiemur : nam & prima versus Orientem iacet, & maxima est.* Idem canit Periegetes versu 1027.

Ortum autem versus Indorum amœna expanditur terra,
Omnium extrema ad littora Oceani.
Quam exoriens diuorum ad opera & hominum
Sol primis accendit radiis. Raderus.

8, 9, 3. *EX CAVCASO)* *Nimirum Indico, non Pontico* (Vide supra ad 7, 3, 4.) quem & Paropamisum vocant. Ita certe de Indi fonte Plinius 6, 20. *in iugo Caucasi montis, quod vocatur Paropamisus aduersus solis ortum effusus.* Arrianus 5, 1, 15. *Fontes eius ex Paropamiso vel Caucaso monte oriuntur.*

QVÆ AVSTRVM ACCIPIVNT) Hunc locum carpit Glareanus. Ego Curtium nihil hic contra geographiam peccasse existimo, & doceo primum haud ignorandum, quod affirmat, minus in latitudinem, quam recta regione patere, hoc est magis longam quam latam esse, quod verissimum est, si procurrens è septentrione in Austrum spectes promontorium: si inquam diametrum à monte Imao vsque ad promontorium Comorinum, quæ sunt duo extrema Indiæ, dimetiare, minimum enim quadringentis inter se leucis distant vt Iarricus ostendit, quæ Germanica efficiunt milliaria viginti supra trecenta. Iam quod dicit Curtius, *ea quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedere,* hoc est, promontorium Comorinum esse altius terra reliqua Indiæ media, quæ plana est, verissimum est, extrema enim vt inque sunt alta, Imaus mons & promontorium Comorinum : cum inter vtrumque hunc angulum montes interiaceant continua per Indiam serie, vsque ad caput Comorinum. Quod continua serie dicit, hoc est, per totam Indiam extendi montes : accipe latus occidentale totum, quod septentrio stringit, & ab alto alluitur. Atque inde est quod Herodotus in Thalia affirmat, Indiam Austro obnoxiam. Raderus. Iuuat etiam illud Arriani in periplo maris Erythræi 3, 28. *Post Barygazam* (Indiæ prouinciam) *statim consinens vicina à Borea in Meridianum cardinem flectitur ; vnde regio illa Dachinabadis appellatur. Auster enim illorum lingua Dachanus dicitur. Huius pars superior mediterranea ad Orientem vergens, multas regiones, deserta, montes ingentes &c. complectitur.* Dionysius versu 1146.

Rapidissimi fluuiorum. è monte autem Emodo
Profecti promanant in Gangeticam regionem,
Ad austrum tracti ad fines Colidis terræ
Hæc autem prominet in Oceanum profundos habentem vertices
Ardua, veloces quam vix ingrediuntur aues :
Quare ipsam & homines cognominant Aornim.

8, 9, 4. *INDVS)* Teste Plinio 6, 20. olim ab incolis *Sandus* fuit appellatus, *Sinthum* Ptolemæus inter septem Indi ostia numerat. Verisimile est igitur ostium illud ceu omnium maximum [ab Arriano in periplo maris Erythræi 2, 46.] synecdochicōs pro toto fluuio fuisse vsurpatum. Hodie vulgo ab Indis, atque aliis populis *Indu* appellatur. Eundem Resbutos à Cambaiensibus disterminantem, atque per mediam Cambaiam decurrentem incolæ eius regionis, teste Odoardo Barbosa, & *Cerceten,* & *Indes* appellant. Sic enim fluminum nomina pro regionibus, per quas fluunt, crebro mutantur, vt de Danubio dictum est. Hunc vero fluuium prius *Mausolum* dictum, postea ab Indo quodam iuuene egregio, qui Damasulcida regis Oxyalci filia corrupta ad mortem quæsitus, in eum se præcipitarat, appellatum fuisse fabulatur ille author libelli de fluminibus, quem nonnulli volunt esse Plutarchum. Stuckius ad dictum Arriani locum.

A COLORE MARIS) Vide Agatharcidem apud Photium, cap. LI. Sed Andreas Corsalius apud Stuckium in vniuersum affirmat in sua nauigatione mare vicinum Indiæ lacteo colore sibi apparuisse. Verum Io. Castrius apud Barrium ait partem tantum eius maris candidam ; aliam rubram ; aliam viridem se reperisse. Vide infra ad num. 14. Ceterum Arrianus citato loco ait Sinthi vel Indi aquas esse candidas: quod quidem consentiat narrationi Curtii, ni adderet, *longo admodum spatio in alto mari, antequam regionem attingas, aquam ex illo fluuio candidam occurrere.* quod notari non posset, si nihil à colore maris differret: si nihil inquam, posset tamen si aliquantum. Idque vult Curtius, non enim vult plane eundem esse colorem, sed *haud multum abhorrentem.*

8, 9, 5. &c. *GANGES)* Satis perplexum me facit hic locus, vitii quidem mihi manifestus, sed quod indicare facilius possim, quam tollere. Ad cuius tractationem (quam nimis in angustum cogit instituti operis ratio) nihil reperio commodius, nisi vt simul proponam quomodo constituendum putem obscurissimum locum, & deinceps per membra rationem cuiusque opinionis reddam. Sic igitur velim: *Ganges amnis ab ortu eximius, ad Meridianam regionem decurrit, & magnorum montium iuga recto aluco stringit: inde eum obiectæ rupes inclinant ad Orientem: Vsque rubro mari accipitur, findens ripas, multas arbores cum magna soli parte exsorbet. Saxis quoque impeditus, crebro reuerberatur : vbi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Acesines eum auget, Ganges decursurum in mare intercipit &c.* Nunc singula consideremus. *Ganges)* Nihil mirum omnia hic esse obscura, cum de hoc fluuio non veteribus tantum, sed & recentioribus nihil dum certi constiterit. Nec nos quoque veritatem rei promittimus, sed Curtii mentem, per verborum eius vestigia scrutamur. *amnis)* Sic diserte Pal. 1. *ab ortu eximius)* Sic quoque Mss. alii; *Ganges omnium ab Ortu maximus :* quasi dicat omnium fluuiorum esse maximum. quod quidem verum est, & ostensum paulo supra; sed non illud hic adspexit Curtius, nec enim addidisset *ab ortu,* cum non modo omnium Orientis fluuiorum maximus sit habitus, sed in vniuersum omnium. Itaque

ab ortu hic ſonat à fonte, ab origine. Ganges ſtatim vt ortus eſt, amnis eſt eximius. μέγας εὐθὺς ἀπὸ τῶν πηγῶν ἐκπίπτει, vt de Indo Arrian. 5, 1, 30. Sed & hunc ipſum Gangem Indic. rerum 1, 11. μέγαν ἀνίσχειν ὐπὸ τῶν πηγῶν ſcribit. & eodem ſenſu Plinius 6, 18. *cum magno fragore ipſius ſtatim fontis erumpere* ait. *ad meridianam regionem*) Sic vnus ex editis quos vidi, Merula: cuius editio eſt inter vetuſtiſſimas. Idque verum eſt, ipſumque Strabonem (quem tamen Glareano vulgatam lectionem non bene conequenti Raderus opponit) adſertorem habet, qui diſerte ait: *omnia Indica flumina è Caucaſo primo ad meridiem ferri*: & quamquam addat, *poſtea alia ad Orientem flecti, vt Gangem*, nihil tamen obeſt. Quippe ſic quoque non deſinit verſus meridiem ferri, quamquam in ortum flexus. Vnde & Dionyſius verſu 1148. Gangeticam regionem *ad auſtrum* collocat, reſpectu montium vnde fluuii illi oriuntur. Sed vt maxime in Orientem iret Ganges, nondum hoc voluit Curtius dicere, qui eum adhuc à fonte profluentem narrat. neque enim ſubiungeret: *magnorum montium iuga recto alueo ſtringit*, quæ vtique non demum adſcendit, quo loco ad Orientem vertitur: ſed ſtatim ab ortu ſuo eximius amnis recto alueo, per decliuia paulatim, at tamen adhuc magnorum montium iuga prouoluitur. Multo minus, ſi Raderi opinio valida foret, debuiſſet addere Curtius: *Inde eum obiectæ rupes inclinant ad Orientem*: Cur enim denuo inclinatum eum narraret, & quidem *inde*, hoc eſt, ex eo loco; ſi modo dixiſſet eo curſu illum ferri? Nimirum ergo vera hæc eſt huius loci lectio, cui & per omnia conſentit Strabo: *Ganges à montibus deſcendens, cum in planiciem peruenit, ad Orientem conuerſus.* Ergo dum iuga montium ſtringit, adhuc in meridiem fertur: *inde* ait Curtius, hoc eſt explicante Strabone, *cum in planiciem peruenit.* Quæ verba viciſſim intelligas ex Curtio, & noueris planiciem eam ita fuiſſe comparatam vt à meridie rupibus incluſa, pateret ad Orientem, eoque recta regione fluentis amnis alueum à meridie ad Orientem obliquaret. Vnde demum inſignis lux Plinio 6, 18. qui ait: *cum magno fragore ipſius ſtatim fontis erumpere; deiectumque per ſcopuloſa & abrupta, vbi primum mollis planicies contingat, in quodam lacu hoſpitari &c.* Sic ergo ſunt accipienda verba Poëtæ de hoc fluuio:

- - - - toto qui ſolus in orbe
Oſtia naſcenti contraria ſoluere Phœbo
Audet, & aduerſum fluctus impellit in Eurum.

Vique rubro mari accipitur) deduxit Gangem hactenus à fonte, curſumque eius per ſumma capita expoſuit, nunc etiam oſtium in mare exeuntis enarrat. Sed hic turbant libri, & pro *Vique*, reponunt *Vterque*, cui equidem lectioni & Conſtantienſem Codicem, & veterem poëtam Gualtherum (qui Curtium in carminis leges redegit) his verſibus

Totius fluuius Orientis maior, vterque
Turbidus extenſis rubrum mare verberat vndis,

ſuffragari Raderus ait. Qui tamen vere oſtendit, eam nullo modo ferri poſſe: nec enim quæ ſubiiciuntur, omnia vtrique fluuiorum horum, Indo nimirum & Gangi conuenire, præſertim illa: *Aceſines eum auget.* Quæro, ait, quem *eum*? Indum, an Gangem, an vtrumque? Atque alii tantum in Indum ferri tradunt, ſolus Curtius à Gange intercipi affirmat, nemo ab vtroque, quod ne fieri quidem poteſt. Sed ſi Gangem per vocem *eum* accipias, quid eſt, quod ſtatim ſubiiciat Curtius: *Ganges decurſurum in mare intercipit*, quaſi antea de alio eſſet locutus? Atque non potuit aliter loqui Curtius, niſi dubiam faceret orationem: etenim ſi dixiſſet, *decurſurum in mare intercipit*, incertum erat an τὸ *qui* ad Aceſinem, an ad Gangem referendum eſſet: expreſſit ergo Gangem, quamuis eandem per vocem *eum* intellexiſſet. Atque ita diluitur

tur etiam alter error, qui ex priore membro extiterat, ſi legeres *vterque*. Neque enim dixit Curtius Indum rubro mari excipi. Si legas, *vique*, omnia erunt ſalua. Hactenus Raderus. Idem tamen mox ait Gualtherum in vitioſum codicem incidiſſe, quod nimirum Indus tantum *rubrum mare verberet vndis*, non etiam Ganges, qui in Oceanum Orientalem deferatur. Verum, vt hoc ita reuera ſe habeat, exinde tamen non euincitur Gualtherum in vitioſum Curtii Codicem incidiſſe, qui de Gange in mare rubrum euoluto, huic conſentanea ſcribat: & ipſe Raderus proxima deinde nota denuo rem confundit. Cum enim modo negaſſet Gangem rubro mari infundi, ſed Oceano Occidentali; nunc iterum diuiſa miſcens, eum in Erythræum, ſeu Oceanum qua Orientem reſpicit, deuolui dicit. Igitur ſepoſitis his tricis adſtruamus recte ſic legi: *Vique rubro mari accipitur: Vique* propterea quod de vno Gange hic ſermonem eſſe, ſequentia declarant: *Rubro mari*, quia apud veteres hoc nomine non tantum Arabicus & Perſicus ſinus, ſed & vaſtum illud & magnum mare Indicum veniebat, vt in admirandis 1, 3. docet Lipſius: licet in hoc falſus, quod Indum atque Gangem in id mare deriuare Curtium ſenſit; quippe *vterque* legendum putauit hoc loco. Rectius Barthol. Barrientus Annotat. ſyl. cap. 7. vbi idem illud de mari rubro pluribus etiam ſcriptorum dictis adſtruitur, de vno Gange Curtium interpretatur. Vide & Cordouæ didaſcal. multipl. cap. 49. quamquam diſſentire videatur Fullerus Miſcellan. ſacror. 4, 20. Tametſi ne quid diſſimulem, vt extendamus rubri maris appellationem vſque eo vbi Indus exoneratur; tamen immenſum adhuc ſupereſt ſpatium, ad ſinum vſque Gangeticum, quod ab aliis præter Curtium rubri maris nomine vocatum fuiſſe non reperio. Sed pergimus, *findens ripas*) Hoc ego de diuerſis eius oſtiis accipio, non de iuncto alueo: de quo rectius dixiſſet radens ripas, aut proluens, quam findens, quod inſinuatum penitus vult, & ripas plurifariam intercurrentem. Tribuit autem ei oſtia quinque Ptolemæus Geogr. 7, 1. *multas*) Sic præferunt veteres edd. quod ipſum argumento eſt ſupra legendum *vique*: nec enim ſi legas *vterque*, recte connecterentur. Quod qui viderunt, contra libros hic addiderunt coniunctionem, *multaſque. Saxis quoque impeditus*) Expoſito ſummatim Gangis decurſu, nunc paulo ſupra aliud repetit, quod ei accidat, nimirum crebro *reuerberari*, ſiue retorqueri in ſaxa incurrentem, inde tortuoſum ire, & obiectu frequenti ſaxorum etiam impetuoſiorem. nam & hoc videtur velle (ſupra idem de Euphrate 5, 1, 30.) ex antitheſi *mollioris ſoli*. Ait enim: *Vbi mollius ſolum reperit, ſtagnat, inſulaſque molitur*) Plinius 6, 19, 5. *Inſula in Gange eſt amplæ magnitudinis, gentem continens vnam Modogalicam nomine.* Reſtat de Aceſine: *Aceſines eum auget*) Glareanus haud iniuria dubitauit de hoc loco, reponendumque cenſuit *Commeneſes*, vel *Erineſes*, quos ex Arriano rer. Ind. 1, 12. conſtat in Gangem influere. Contra idem ibid. 2, 13. & hiſt. Alex. 6, 1, 2. Aceſinem apud Mallos Indo Miſceri tradit, cui iunge Plinium 6, 20. & Strabon. lib. 15. Imo ipſe Curtius infra 9, 4, 9. ita ſentire videtur. Verum cum omnia exemplaria ſic conſtanter præferant, auctori potius hoc quicquid eſt erroris imputandum putem, quam librariis. Certe quod de motu colliſorum amnium hic dicit, confluenti Hydaſpis & Aceſinis congruit, de quo ſuo loco.

8, 9, 9. *CROCODILOS*) Arrianus rer. Ind. 1, 26. generatim: *Indiæ fluuij perinde ac Nilus crocodilos gignunt & piſces ac balænas eiusdem generis ac Nilus, excepto Hippopotamo, ſeu equo fluuiatili, ſed & hos gignere Oneſicritus tradit.* Idem lib. 15. Strabo narrat. Raderus. Eo argumento putauit Alexander ſe Nili caput reperiſſe, cum in Indo crocodilos vidiſſet, Arrian. 6, 1, 2. De Indo etiam Pauſanias lib. 4. *Indus & Nilus crocodilos vterque habent: ſed Nilus fluuiatiles etiam equos, haud minus illos quidem infenſos quam crocodili ſint.*

8, 9, 10. *ERYMANTHVS*) Alii: *Ethimanthus.* Ethymandrum fluuium

uium per Euergetas labentem ex Arriano 4,1,38. nouí: Sed hunc Indiæ non possum magis vindicare; quam *Dyriodorin* Plinii 6,11,1. qui alias vocabuli sono proxime abesset à Curtiano *Dyardene*. Plane videtur à Plinio 6,23,1. commemorari *per Abestem Arachosiorum fluens*, sed ibi corrupte *Hermandus* appellatur, aut *Erymadus*.

AB ACCOLIS RIGANTIBVS) Sic Euphrates *distrahitur in irrigua*. Plinius 6,26,16. Quem explicant illa Arriani 7,2,4. *Multi ex Euphrate aluei deriuantur: alij quidem perennes, ex quibus vtriusque ripæ accolæ aquam petunt, alij certo tempore fiunt, quum aquæ ad irrigandam terram inopia premuntur (raro enim iis in locis imbres è cælo cadunt) quo fit vt in aquam non omnino magnam, & vadosam alioqui, Euphrates desinat.*

8,9,11. *MVLTIS AMNIBVS*) Arrianus rer. Ind. 1,17. dicit *LVIII in vniuersum esse Indiæ fluuios omnes nauigabiles.* Plinius 6,17,20. *Seneca tentata Indiæ commentatione sexaginta amnes eius prodidit.*

AQVILONES DEVRVNT) Hic quoque Glareano plus credam quam Curtio; & immane amplius quam defendenti Curtium Radero: qui Glareani rationem non percepit. Est autem hæc: Mare Indicum ad meridiem vergit, Aquilones à septentrione spirant. qui igitur potest vt loca ad meridiem vrantur Aquilonibus, interiora autem hoc est mediterranea Indiæ, quæ maxime sunt septentrionalia, non vrantur? aut quomodo montes illi ventum eum à septentrionalibus Indiæ partibus arcent, à meridianis non arcent? Vna tamen occurrit defensio, vt dicamus, *interiora* non capienda de tota regione, sed tantum de eius parte in qua Aquilones plurimum pollent, vt ibi quidem iuga montium ventis sint aspera, sed interiora, hoc est valles, defensa obiectu montium, mitiorem sentiant aërem. quod quidem & alibi accidit, vt inter rigidos montes reperiantur fertiles & opulentæ valles. Confer & Viaie de la Tierra Santa, del Ceuerio cap. XX.

8,9,12. *MITIA*) Sic legi sensus postulat; quod & Acidalius vidit.

8,9,13. *NATVRÆ CAVSSA*) Et hoc est quod noster Maffæus lib. 1. pag. 35. Iarricus, & alii dicunt. *Inter vtrunque hunc angulum*, inquit Iarricus lib. 1. pag. 41. *montes interiacent continua per Indiam serie adusque Commorinum caput, in quibus admirabilis illa temporum anni diuersitas, quæ etiam subtilissimos quosque philosophos reddit elingues, vtpote cum veram dare rationem nequeant qui fieri possit, vt eodem in climate, & eodem in latitudinis septentrionalis gradu, cum ab occidua horum montium parte acerrima sæuiat hyemis asperitas, & mira aëris intemperies; eodemque tempore ab Orientali incredibilis sit cæli clementia, qualis vere vel æstate haberi solet: mare quoque quietum sit, & nauigationi peridoneum.* Raderus. qui ex eiusdem auctoris lib. 2. cap. 7. pag. 445. item ex schola Conimbric. lib. 2. quæst. 2. cap. 8. p. 195. plura de hac re recitat. Quæ omittenda duxi, quod ex superioribus cognosci possit ea res; maxime autem quia aliud nobis video narrare, quam Curtium. Hi enim in vno climate diuersam aëris dispositionem notant: ille totam Indiam alia atque ceteras orbis partes tempestate semper vti. vt scilicet Indi hiemem habeant, cum alii æstatem, & vicissim. Illud verum ita se habeat, vel vnde Curtius acceperit, in medio relinquo. Arrianus quidem rer. Ind. 1,24. tradit Indiam æstate complui, fluminaque eius mirum inmodum augeri: cuius rei caussam inquirit.

8,9,14. *AB ERYTHRA REGE*) Curtii sententiam confirmat Agatharchides apud Strabonem & Ctesiam & Photium pag. 458. qui tres aliorum priscorum opiniones & caussas refutat, negatque aquas rubere, neque vllum, vel ex montium, vel arenarum rubentium, vel solis repercussu colorem trahere, sed ab Erythra domino illius maris, Erythræ, vel Erythræum dici. Eandem nominis caussam reddidit

didit Stephanus περὶ πόλεων, ab Erythro Heroe appellatum Erythræum, quamuis ex Vranii vetustissimi scriptoris mente addat, à montium rubentium, & imbrium, inde in mare decurrentium colore dici Erythræum. Eustathius ad Periegetem versu 38. existimat vocatum à terra miniata vndis subiecta Erythræum, vel vt alii à solis ardentis, & montium anaclasi. Eandem nominis caussam Eratosthenes apud Strabonem lib. 16. de sole & montibus adfert. Ctesias ibidem à fonte minio pleno in mare rubrum cadente Erythræum refert vocitatum. Philostratus de Apollon. 3, 15. & Arrianus rer. Ind. 8, 19. cum Curtio faciunt, sicut & Xiphilinus in Traiano, & Plinius 6,23,8. cum Mela 3,7. qui tamen non negant colorem. Solinus quoque cap. 46. ab Erythro Persei nomen deducit. Varro (ibidem) caussam nominis in fontem refert ex quo oues ait fuluescere. Nostri sæculi scriptores æque dissentiunt in caussa nominis adsignanda. Pererius cap. 14. Exod. q. 8. tota, Curtii sententiam sequitur, quamuis locum Curtii non adducat: Io. Barrius à plerisque recentioribus laudatur, qui in rem præsentem venit, & à coralliis sub imis vadis latentibus, rubere aquas tradidit, quem secuti sunt Conimbricenses Philosophi, & Cornelius Cornelii. Sed Sebastianus Barradas Itin. Israëlitico Barrium ex Matthiolo refutat, & negat rubentis aquæ caussam exploratam esse, ita hodieque in re incerta incerti sumus, vtrum ab Erythro Rege, à fontibus, vel maculis, vel arenis, vel coralliis, vel splendore solis, vel imbribus & montibus, vel simul ab omnibus nomen traxerit. Auctorum nomina qui ea de re disputarunt expressi, quos curioso licebit inspicere, multa enim & alia, & de nomine Hebræo rubri maris, & aliis rebus admiscent admiranda. Raderus. Præter citatos cum Curtio sentiunt Nearchus & Orthagoras apud Strab. lib. 16. Martianus lib. 6. Zonaras in Traiano. Suidas. Volaterranus Geogr. lib. 12. Cum iis qui à rubra & miniata circum terra colorem mare ducere aiunt Isidorus orig. 13, 17. quem sequitur Maiolus in dieb. canic. & quidam apud Sabellicum Ennead. 4, 6. & Plinium 6, 23, 28. alii ibid. ab ipsa aquarum natura. (Quam sententiam amplexi sunt studiosi allegoriarum Patres, & transtulerunt ad baptismum Christi sanguine rubentem. vt Augustin. in cap. 3. Ioan. Isidorus in cap. 19. Exodi, & alii passim) alii à reflexione radiorum solarium. Sed & Andr. Corsalius testatur in illa parte Indiæ, vbi mare est profundum, modo à cœlo rubrum, modo à nubibus nigrum; quando non est omnino profundum, viridem colorem repræsentare. Sed de mari in vniuersum Cicero Quæst. Acad. 4, 33. *Fauonio nascente purpureum videri: modo cæruleum, mane flauum, nunc quia à sole colluceat albescere & vibrare.* Varronis fabulam de fonte qui vellus ouium mutet, retulit etiam Martianus lib. 6. Alphonsus Albuquercius se vidisse rubentem aquam, & ab incolis eius rei caussam in arenam rubram, quæ moto ex imo mari non admodum profundo misceatur vndis, esse relatam, teste Io. Barros Asiæ decade 2. lib. 1. cap. 1. ad Emmanuelem regem scripsit. Apud eundem Barrium Io. Castrius, qui postea pro rege Indiam obtinuit, testatur vidisse se maximas rubri coloris maculas in eo mari, sæpiusque ex illa aqua cados aliquot extrahi iussisse, reperisseque claram atque pellucidam, nec rubro colore infectam. Vrinatores autem suos è profundo materiam quandam rubram coralio similem protulisse, & aliam lanugine fului coloris coopertam. Alibi autem vbi virides apparebant fluctus, extraxisse lapides quosdam viridis coloris, vbi vero aquæ videbantur albæ, candidissimas arenas. Simul arguit mendacii eos, qui mari talem prouenire colorem dixere à litoribus quæ rubri essent coloris: se enim ibi locorum nullum eius coloris neque littus, neque promontorium vidisse, saltem quod relatu dignum esset. Odoardus tamen Barbossa (in summario Regnorum Orient. tom. 1. nauigat. Rhamusi) prodit, in eius *maris litoribus Arsinoem versus (vulgo Suez) terram videri rubescere.* Imo Becman. de orig. Lat. linguæ, in *Erythræum* scribit, *sibi retulisse Ioachimum Frencelium Cotheno-Anhaltinum, se anno*

1622. *mare hoc rubrum ingressum, arenam rubram in litoribus sparsam ipsum suis manibus oculisque vsurpasse.* Multa ex didascaliæ Fr. de Cordoua docto sane capite 49. hausimus. Cuius nec iudicium adscribere piget: Erythram regem, si quis eo nomine vnquam fuit, à mari potius inuenisse nomen, quam ab ipso mare. *Quod si* (ait) *recentiorum aliquis*, (nam veteribus hac in re parum credendum, supra ostenderat) *vt Andreas Corsalius* (in quadam ad Laurentium Medicem epist. Tom.1. Nauigat. Rhamus:) *adnauigato illo mari eius aquas à ceteris colore non differre affirmauit, verum quidem asseruit, vt vidimus superius, non tamen ideo ex illius autoritate rubras videri aquas sæpius pluribus in locis negandum, nam neque ille hoc negauit, neque si negasset, fides illi esset adhibenda, qui vel non diligenter hoc examinasse credendus, vel forte non vidisse pacato tunc mari, nec turbantibus æquora ventis, vt ait Lucretius, & sic nulla arenarum, & limi facta reuolutione, vnde aquis prouenit color.* Quod quidem iudicium in hac in parte præfero summo Viro Brissonio, qui veterum opinionem de Erythra rege enixe tuetur, verbo *Mare*, de verb. signif. Cordouæ consentit etiam Schindler. in Lex. Pent. voce סוף Quamquam Corsalii opinioni accedat Popma, Merula Cosmogr. 1, 6. Becmannus, Lud. Vartomannus Nauig. 1, 21. *Satis est*, inquit, *in confesso omnibus, quod dictum æquor non est rubrum, sed instar reliqui aquoris.* Idque Brodæus Miscell. 3. 9. de multis se scisciatum, qui ea loca viderant, rem ita se habere comperisse dicit. Et vt largiamur (cur enim id asserentibus demamus fidem?) aliquas eius coloris maculas interdum ibi cerni; non sequitur ideo rubrum appellatum fuisse, non magis quam à viridibus aut candicantibus maculis, quas ibidem apparere iidem ipsi narrant, candidum aut viride. Verum ambagibus omnibus remotis, ipsam rem hactenus incognitam aperuisse videtur eruditissimus Fullerus Miscell. Sacror. 4, 20. ab Esauo qui & Edom, appellatum fuisse hoc mare, qui potentiam suam hucusque protenderit. *Edom* enim Hebræi rubrum vocant, quem Græci Ἐρυθρὸν vocauerint; eodem modo quo *Cephan Petro*, *Thomam Didymo* sunt interpretati: Lege apud ipsum prolixam, sed reconditæ eruditionis, acerrimique iudicii refertam dissertationem.

8, 9, 15. *LINI*) Plinius aliud quoddam lini genus Indicum prodidit vsum, Græcis ἄσβεστον dictum, quod igne non exuritur, sed splendescit magis quam si lauaretur. Sed de hoc nihil opinor Curtius. Raderus. Verum Hierocles apud Stephanum Brachmanas hinc amicit: quod fabulosum puto, & potius credo Plinio, rarissimum inuentu id lini genus esse.

LIBRI ARBORVM) Tam teneri, quam tenerrima nostra charta, nisi quod candor desideretur in his quos ego vidi, sed colores omnis generis tam auide accipiunt & bibunt, quam vlla charta. Ostendunt hoc etiam icones impressi & libri. Sed de phyliris seu libris arborum disputatum est copiosius ad Martialis epigr. 14, 10. Raderus.

8, 9, 16. *AVES*) Psittacos intelligit, de quibus ad Martialem 14, 72.

Psittacus à vobis aliorum nomina discam
Hoc didici per me dicere, Cæsar aue.

Multa ex multis scriptoribus allata. Quibus addes quæ Vlysses Aldrouandus toto lib. 11. Ornithologiæ tradidit, vbi formas iconibus expressas tredecim lectori spectandas proponit; quatuordecim descripsit. Sed elegantissimum adiecit Carolus Clusius in Auctario exoticorum, cuius iconem ibi expressam miraberis. mihi indigitasse satis. De coruis & picis auibus, vocum quoque humanarum imitatricibus, etiam ad Martialem dictum. Raderus. De auibus his hodie nemo dubitat, olim pro fabula id habitum: vt nunc alia quæ vulgo non creduntur, & tamen fortasse vera sunt. In quam rem digna iudico verba Stephani, quæ ex præfatione eius in Ctesiam, hic legantur: *Fuerunt non-*

nonnulli prisco sæculo homines, qui quod de quadam Indica aue narrabatur, eam videlicet in India, Indicum, illinc in Græciam transportatam, Græcum sermonem discere, & hominum more articulatas distinctasque voces tandem proferre: hoc vt plane absurdum & ineptum commentum, exsibilandum explodendumque esse dixerint. Quinam? nempe non alij quam quibus huiusmodi auem ex Indicis oris aduectam videre nunquam contigisset. Nam Ouidius & Statius, fortasse & ipsi, hominem id commemorantem, vt aperte mendacem, aliquando risu exceperant: at postquam ipsam illis datum fuit auem cernere & audire, quam ea de re famæ & aliorum sermoni adhibere fidem noluerant, eam suis ipsorum oculis adhibere coacti fuerunt. Et, vt illos taceamus, hodieque vulgaris est adeo illa auis, vt extare aliquem qui dicat incredibile esse quod de illa narratur, id demum nobis plane sit incredibile. Quem enim Psittacum (quem βιτάκην Ctesias hic appellat) præter illum Veronensem Claudiani senem, aut aliquem illi similem, nunquam vidisse putabimus? Finge tamen reperiri senem aliquem (& reperiuntur forsitan aliquot ex illis etiam qui in vrbibus degunt) qui nunquam eam volucrem viderit, aut, si viderit, loquentem certe nunquam audierit: an eum qui hanc illi aui inditam esse naturam affirmabit, fidem apud huiusmodi hominem impetraturum veris? Hoc certe si credis, longe falleris. His igitur tandem hunc sermonem claudamus verbis. Quemadmodum si psittacus nunquam ex India aduectus ad nos fuisset, auem apud Indos esse humanas voces sonantem nemo crederet: nunc vero quoniam vulgaris est illa, vix quisquam hoc miraculi loco habet: Itidem etiam multa de aliis Indicis animalibus referri, & de planiis atque arboribus, nominatim etiam de quibusdam radicibus, item de aquis, de metallis, de aliis denique multis illi regioni peculiaribus rebus commemorari, quæ multorum fidem superant: at si tam facilis illarum rerum, quam psittaci, asportatio esset, tam facile firma ab omnibus persuasione reciperentur, quam ea quæ de psittaco scripta sunt, recipiuntur. De his auibus accipio, quod *apud Indos eas videns Alexander, admiratione earum commotus, in eos qui has occiderent, grauem panam constituit.* Quamquam Ælianus de hist. Anim. 5, 21. f. pauonibus id tribuit. Sed cum vt ipse ibidem addit, iam ante Alexandrum (prior enim eo fuit Antiphon) pauones Athenis visi fuerint, haud dubium est, quin Alexander, vel in ipsa Græcia, vel certe in Asia priusquam in Indiam transiret, aues eas satis vulgares esse viderit. Vnde crediderim Ælianum quæ apud veterem scriptorem de auibus Indicis repererit, propterea quod à pulchritudine eas commendari videret, immemorem psittacis idem conuenire, protinus de pauonibus sit interpretatus. Nec sententiæ me falli patitur, quem nunc non recordor, vetus auctor, qui tradit Alexandrum ob eam caussam aliquem seuere puniuisse, quod auem humanas voces imitantem in conuiuio apposuisset. Quod quidem postea Æsopus tragicus apud Plinium 10, 51. & Valer. Max. 9, 1, 2. impune fecit. Apparet enim si ob formam auibus parcendum iudicauit; magis id facturum fuisse ob vocem quam imitantur. Psittacum egregie describit ex Plinio 10, 42, 2. Apulei. in floridis, vbi lego: *Ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus, glande qui vescitur: & cuius in pedibus, vt hominis, quini digituli numerantur. Non enim omnibus psittacis id insigne; sed illud omnibus proprium, quod eis linguæ latior quam cæteris auibus. eo facilius verba hominum articulantur.* Vulgo: *insigne. sed i. o. proprium. quo eis l. l. q. c. auibus, eo f. &c.*

ANIMALIA) Ex inusitatis & Europæ inuisis Martichoras est, quam in palatio nostri sereniss. Electoris cum effigie Alexandri M. inspexi, quam ex Ctesiæ Indicis Ælianus hist. anim. c. 21. & Euseb. in Hieroclem describit. Iarchas tamen rex Indorum in 3, 14. Philostrati de hac prodigiosa fera rogatus, negauit se quicquam inaudisse. Plinius 8, 21. *Mantichoram*, non *Martichoram* appellat. Meminit & in Bœoticis Pausanias. Ceterum de feris Indicis testatur Philostratus 4, 12. esse & multas & multo-

rum

rum generum. Breuiter Solinus cap. 55. *Sunt illic multæ ac mirabiles beſtiæ &c.* Raderus.

8,9,17. *NON GENERAT*) Quæ ergo terra inquies aut regio creat rhinocerotas, ſi India non generat? Æthiopia opinor, quod Pauſanias in Eliacis & Boëticis rhinocerotem taurum Æthiopicum appellet. Nam ita Pauſanias: *Vidi etiam Æthiopicos tauros, quos ex re ipſa rhinocerotas* (quaſi tu diceres *naricornes*) *nominant, quod illis è nare extrema cornu prominet, & paulo ſuperius alterum non ſane magnum: in capite nullum prorſus habent.* Sed de hac immani belua pluribus actum commentario ad ſpectacula Martialis ep. 8. & 21. Hic pluribus nil opus. effigiem habes apud Geſnerum. Raderus.

ELEPHANTORVM) Idem Strabo lib. 16. per Oneſicritum teſtatur. & Diodor. 2, 42. *Elephantes fert Africa*, inquit Plinius 8, 11. *vltra Syriacas ſolitudines, & in Mauritania, ferunt Æthiopes & Troglodytæ, vt dictum eſt, ſed maximos Indiæ, bellantesque cum iis perpetua diſcordia dracones.* In Taprobane veto *Oneſicritus elephantos maiores bellicoſioresque, quam in India gigni, ſcripſit* Plin. 6, 22, 2. Curtius communi nomine *Indos*, omnes extra Africam & Æthiopiam natos appellauit. Plura de elephantis ex inſtituto Plinius 8, 1. vſque ad cap. 13. Nos etiam ex variis aliis ſcriptoribus ad Martial. ſpectac. epigr. 16. & 18. Plurima de elephantis Indicis Arrianus rer. Ind. 2, 22. vbi de venatione, & mira illorum docilitate. Raderus. *Libycos elephantes neque odorem neque barritum ferre Indicorum* ſcribit Polyb. 5, 84. vbi de prœlio Ptolemæi & Antiochi.

8,9,18. *AVRVM FLVMINA VEHVNT*) Plinius 33, 4. de auriferis fluminibus: *Aurum*, inquit, *inuenitur in noſtro orbe, vt omittamus Indicum, atque à formicis aut gryphibus apud Scythas erutum. Apud nos tribus modis: fluminum ramentis, vt in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ &c.* addidiſſet Plinius *Rheno* (Martial. epigr. 10, 7.) *Germaniæ, Iſtro Pannoniæ.* Sed hic de Indico auro & fontibus & fluminibus agamus. Plin. vlt. cap. vlt. libri: *Gemmiferi amnes ſunt Aceſines & Ganges.* Cteſias antiquiſſimus ſcriptor in Indicis apud Photium, ſcripſit de fonte qui quotannis auro humido impletur, ex quo fonte centum vrcei fictiles ſingulis annis hauriuntur &c. Sed Iarchas rex Indorum apud Philoſtrat. 3, 14. negat ſe quidquam de hoc fonte cognouiſſe. Sed negat Cteſias etiam quod Curtius affirmat, in fluminibus reperiri aurum, vt in Pactolo, ſed quod multi & vaſti montes illud ſuppeditent, & gryphes cuſtodiant. Contra Tzetzes Chiliad. 12, 404. Megaſthenes apud Arrian. rer. Ind. 3, 33. teſtantur, aurum apud Indos à formicis quæ magnitudine vulpes ſuperent, erui. Arrianus rem in medio relinquit: Herodotus 3, 102. affirmat, & copioſe explicat. De gryphibus aurum cuſtodientibus, & ab Indis decipi ſolitis, etiam Ælianus 4, 27. copioſe. De formicis etiam Strabo lib. 15. Sed redeamus ad flumina aurum vehentia, de his enim Curtius, qui doctorem eius rei Megaſthenem apud Strabon. l. 15. habere potuit: *flumina auri micas deferre, ex quibus regi tributum aduehatur, quod & in Iberia contingit.* Raderus. *id aurum vis aquarum ſecum ex venis effert*, vt notat Agricola de re metall. lib. II.

8,9,19. *GEMMAS MARGARITASQVE*) De margaritarum natura, nobilitate, precio, loco & patria, plurima Plinius 9, 35. toto capite. De gemmis vero & lapillis idem toto libro 37. ſiue extremo. Addam de vnica gemma e Cteſia Cnidio miraculi loco, quæ magnetis vim habet, non vt ferrum, ſed gemmas trahat: *De pantarba gemma*, inquit Photius in excerptis, *ſcripſit Cteſias, & quomodo ſeptuaginta ſeptem gemmas & lapides pretioſos in flumen proiectos, quæ omnia erant cuiuſdam Bactriani inſtitoris, pantarba retraxerit inter ſe coharentes.* Arrianus rer. Ind. 2, 4. ex Megaſthene docet concham margaritæ marinæ retibus capi ſolitam. [Idem Ælian. hiſt. anim. 15, 8. Plin. 9, 35, 10.] Ceterum de precioſis lapidibus ſcripſit antiquiſſimus poëtarum Orpheus nobilem libellum, qui hodieque legitur, Raderus. De margaritis multa, etiam ex Alexandrinæ hiſt. ſcriptoribus, Athenæus 3, 13. & 14. quæ loca cum multis aliis diuerſorum auctorum in Lexicum ſuum Iuridicum congeſſit Briſſonius, voce *Margarita.*

OPVLENTIÆ CAVSSA) Miror hoc, quid enim pro iis accipiant, aurum an argentum? at his abundant. pecora, armenta, fruges? ne his quidem indigent. Ego potius mercatorum eum fuiſſe quæſtum puto, qui ab Indis vilium rerum precio gemmas eiuſmodi permutare potuerunt. quod & poſterioribus ſæculis in India Americana factum: cuius incolis etiam accidit, vt pro auro & gemmis *precium mirantes acciperent*, vt ex ſuccino ſuo olim Germani apud Tacit. Germ. 45, 7. Hodie tamen ibi quoque aurum eſt in precio. Cauſſas non enumeramus, inopia temporis.

VITIORVM COMMERCIVM) Melius hoc, quam quod vulgo legitur, *vicinorum*. Plin. 9, 35. audiamus: *Principium ergo, culmenque omnium rerum precii margaritæ tenent. Indicus maxime has mittit Oceanus, inter illas belluas tales tantasque quas diximus, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis ſolis ardoribus atque Indis quoque in inſulas petuntur, & admodum paucas. Fertiliſſima eſt Taprobane & Toïdis, vt diximus in circuitu mundi: item Perimula promontorium Indiæ.* Ex Iatrico lib. 5. epiſt. 38. intelliges, ad oram piſcariam Indiæ margaritarum cauſſa ſubinde ex variis terris & gentibus 60000. mercatorum confluere. *Sed & quotquot apud Græcos olim & nunc apud Romanos ditiores ſunt, maiore adhuc ſtudio emunt margaritam marinam, ita Indorum lingua dictam.* Arrian. rer. Ind. 2, 3. Raderus. Equidem per commercia, gentium exterarum vitia in vicinos ſerpere, ſupra ad 8, 3, 15. attigimus. In Plinii verbis obiter nota promontorium illud Indiæ aliis ſcribi *Perimuda*. vt Æliano 15, 8. Stuckius in Arriani periplum maris Erythræi, hodie *Patane Caxaldo* vocari ſcribit. Vbi multa etiam de margaritis.

PRETIO QVOD LIBIDO CONSTIT.) Cleopatræ vnio ſeu margarita aceto macerata & hauſta 700000. aureorum fuit æſtimata: volebat alteram aceto frangere, vt precium duplicaret. Plinius 9, 35. Raderus. Conſidera Tiberii verba apud Tacit. 3, 53, 6. *illa feminis propria, quis lapidum cauſſa pecuniæ noſtræ ad externas aut hoſtilis gentes transferuntur.*

8,9,20. *INGENIA HOMINVM*) *Hominum quoque diuerſitates ſunt, vt locorum.* Marcellin. 23, 30. Vide Flor. 3, 2, 2. b. Tangit aliquam eius rei cauſſam Iuſtin. 2, 1, 11. *naturam ad locorum patientiam animalia quoque generaſſe.* Regredere ad 7, 3, 6. ſupra. *In inſtitutione autem puerili, non dicam multum momenti, ſed pene dixerim, τὸ ὅλον ἐγὼ τὸ πᾶν eſſe poſitum*, mirifice dixit Caſaub. pr. Comment. ad Theophraſti character. cui potius aſſentior, quam Gentili de legat. 3, 8. contendenti non eam eſſe vim educationi, vt *quod natura inſitum eſt, velut ingenio terræ*, poſſit vincere. Pro nobis etiam concludit Fileſacus ſelect. 2, 1. &c.

8,9,21. *CORPORA*) Strabo lib. 15. *Et, vt verbo dicam, Indos veſte candida, & ſindonibus, & carbaſis vti.* Et idem ſupra: *In cultu corporis contra nimii ſunt, nam & aurum geſtant, & diſtincto lapillis ornatu vtuntur, & ſindonas floridas induunt. Carbaſus* autem eſt tenuiſſimæ & delicatiſſimæ telæ ſeu lini genus, multum à poëtis celebratum. Cteſias ditiſſimos lino tegi affirmat. Raderus. Arrian. de reb. Ind. 3, 1. *Lineæ veſte vtuntur Indi, vt ait Nearchus, lino ex arboribus facto: qua de re mihi iam dictum eſt, & hoc quidem linum, aut reliquis omnibus linis candidius eſt; aut nigri ipſi quum ſint, faciunt vt candidius id quam eſt, eſſe videatur. Eſt autem ipſis ſubucula lineæ crure medio tenus: amiculum autem partim humeris, partim capiti circumiectum.* Philoſtrat. in Apol-

lonio 2, 9. *Scribit autem Damis, homines qui secundum Indum fluuium habitant, lineis vestibus amiciri, linum autem in agris plurimum nasci.* De carbaso Arrian. peripl. Mar. Erythr. 3, 2. *Fertilis est illa regio* (Mambari) *carbasi, & quæ ex illo conficiuntur telarum Indicarum.* κάρπασον vocat Arrianus, pro quo Rhamnusius rescribebat κάρβασον. sed κάρπασον scribitur etiam apud Strabonem. In Pausaniæ Atticis κάρπασινον λίνον, vbi de lucerna aurea Mineruæ.

SOLEIS PEDES) Arrian. Ind. 3, 2. *Calceos ex corio albo gestant, eosque accurate atque eleganter confectos, ita vt altiores varinque coloribus distinctas soleas habeant, quo proceriores esse videantur.* Philostratus 2, 9. *calceamenta ex arborum corticibus facta gestare*, monet. Raderus. Etiam ex sparto calceamenta tam iumentis quam hominibus fieri solere, præsertim in Africa, partim ex scriptoribus antiquis, partim propria experientia probat Guilandinus de papyro membro nono.

LAPILLI EX AVRIBVS) Arrianus Ind. 3, 1. inaures ex ebore factas Indis suspendit, & has locupletiores, quibus vulgus non vtitur, ferunt. Sed de inauribus antiqua res est, vti & de armillis & brachialibus. Nec apud Indos tantum, vbi aurum, lapilli & margaritæ nascuntur, sed in omni fere orbe. de quibus Plinius 9, 35. quem videbis. Reges Persarum etiam inaures gestabant: testis Arrianus 6, 5, 15. qui sepulchro Cyri etiam ἐνώτια siue inaures illatas memorat. Et Procopius lib. 1. de bel. Pers. de Perosa Persarum rege testatur: *Margarita candore & magnitudine eximia & preciosa ex aure dextra pendebat.* Quod & Parthorum genti familiare fuisse, Tertullian. de cultu feminar. cap. 10. tradit his verbis: *Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, & tanti habuit venationem operis sui & cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, vt ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent: quæ plane Parthi, per omnia quæque sua bullarum vice inserunt.* Raderus ex Brissonio lib. 1. de regno Pers. Vltima Tertulliani verba emendatissime leguntur in edit. Rigaltiana: *quæ plane Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt.* Vnde constat ex his verbis de Parthorum inauribus nihil colligi: quod falsa lectione deceptus Brissonius coniecerat. De inauribus Chares apud Athenæum 3. 13. *Ex vniomibus fiunt inaures, monilia, & armillæ brachiorum, pedumque ornamenta, apud Medos, Persas, & Asiaticos omnes pluris æstimata, quam quæ ex auro conficiuntur:* De Babyloniis Iuuenal. Sat. 1, 104.

Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestræ
Arguerent, licet ipse negem - - -

Ad quem locum Plinius, Plautus, & Exodus citatur à Britannico. De Afris Augustin. epist. 73. *Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum, in summis ex vna parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad seruiendum dæmonibus adhibetur.* Et mox: *Soluere inaures timent, & corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent.* Quod putem haud simpliciter de inauribus intelligendum, sed in quibus essent fortassis imagines deorum, aut quid tale. Afris autem vsitatissimum id fuisse (quamquam non amplius ætate Augustini, si quidem is auctor est Quæstionum in vtrumque Testam. vide Quæst. CXV.) Ciceronis scomma ostendit apud Macrob. Saturn. 7, 3. *Octauius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait, Non audio quæ dicis. ille respondit; Certe solebas bene foratas habere aures.* Vetus auctor apud Suidam, Ἐνώτια. *donat ipsum inauribus, quæ margaritis erant ornatæ.* Mulieres antiquæ *ex auribus longas inaures dependentes habebant*, Ælian. hist. var. 1, 18. Viri nequaquam. Quare Tertullian. de pallio cap. 4. de Achille: *aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigæum strongyla seruat.* Quamquam etiam pueros Græcorum inaures gestasse scribat Isidorus Orig. 19, 31. sed hoc discrimine, vt *puellæ vtraque aure, pueri tantum dextra ferrent.* id *nobilitatis insigne* fuisse Athenis, docet Apulei. lib. 1. de habit. Doctrinæ Platon. Originem eius rei tradit Dio orat. 32. *Quum* Athenienſibus *respondisset*

spondisset Apollo, si vellent bonos viros in ciuitate prouenire, vt optimum quod esset puerorum auribus inserirent: illi autem aure perforata, aurum inseruerunt, dei videlicet responso non intellecto. Hoc enim puellas magis decebat, & Lydorum aut Phrygum pueros. De Iudæis clarum ex Exodi 32, 2. Esaiæ 3, 19. & alibi in sacris literis.

BRACHIA) Armillas gestarunt etiam Medi, vt ex Xenophonte lib. 1. παιδ. constat: item Persæ, ex eiusdem lib. 1. ἀναβάσ. Vide Brisson. de Regno Pers. lib. II. pag. 236. f.

8, 9, 22. *CAPILLVM*) *Indis omnibus promissa cæsaries, non sine fuco cærulei, aut crocei coloris.* Solinus. Diodor. Sic. 4, 5. scribit, Indorum moris esse per omnem vitam barbam nutrire: hunc que morem à Dionysio accepisse, quem barbatum nominauerunt. Strabo lib. 15. scribit, Indos comam & barbam nutrire. Quin & multum posuisse studii in pectendo, testimonio Ouidii Fastor. 3, 465. innotescit, epitheto isto hos insignientis,

Interea Liber depexis crinibus Indos
Vincit - - - -

Tiraquellus ad Alex. ab Alex. 5, 18. vbi variarum gentium instituta circa capillum & barbam enarrantur.

8, 9, 23. *SVPRA OMNIVM GENTIVM*) Ælianum audi de animal. 13, 18. *In regiis ædibus Indiæ, vbi regum maximus illic regna tenentium ætatem degit, quum alia permulta & magnam hominum admirationem, & nullam comparationem habent, quibuscum sane nec Memnonia Susa, neque tota eorum sumptuositas conferri possunt: neque Ecbatanorum magnificentia cum his in comparatione coniungenda est. etenim illa Persici fastus, vanitas, si cum iis comparentur, videri possint.* Pori quoque regia laudatur in epist. Alex. ad Aristotelem, quam tamen spuriam putamus. Raderus.

IN PVBLICO) Fuere qui nunquam in publicum prodirent, vt Herodot. 1, 99. de Deioce Medorum rege prolixe narrat & [Agatharchides, ac] Diodor. Siculus 3, 47. de Sabæorum regibus. Eadem ratio apud Sinas hodie seruatur, nisi quod ab Eunuchis & domesticis adeatur. Apud Indos quatuor ob caussas prodibat in publicum, cum bellum vrgeret: cum ius diceret: cum sacrum faceret: cum venaretur. ex quibus Curtius tres duntaxat profert, bellum, venationes, iudicia. De pompa vero & publicis solennitatibus ex Clitarcho & aliis ita Strabo lib. 15. *In solennibus pompis multos elephantes mitti auro & argento ornatos, & multas quadrigas, & boum paria: deinde exercitum instructum sequi, & ingentes lebetes deauratos, & magnos crateras, & mensas ex Indico ære &c.* Raderus. Rarus autem adspectus in publico eo pertinebat *vt venerationis plus inesset.* Ad quæ verba Tacit. H. 4, 65, 8. Gruterus discurs. c. 44. docet melius esse: *Regem omnibus potius patere, quam nemini.*

8, 9, 24. *ARMATI*) Leuiter dubito, an scripsit? *armigeri corporisque custodes.* Hos sane alibi sæpe iungit.

8, 9, 25. *AVES*) *Quemadmodum Homerus regium decus & oblectamentum esse scribit, frenum & reliquum ornatum equi: ita Indorum rex amores & delicias suas vpupam facit. Hanc manibus gestat; ea se oblectat; & auium eius venustatem summa admiratione frequenter intuens, magnam inde lætitiam voluptatemque capit.* Ælian. hist. anim. 16, 5. Adde eumdem 13, 18, 8. *Clitarchus* (apud Strabon. lib. 15.) *refert, magnis præditas frondibus arbores in plaustris quaternarum rotarum deportari, & ex eis aues mansuetas excuti, quarum canorissimum dicit orionem &c.*

8, 9, 26. *AVRATAS COLVMNAS*) Qualis apud Nasonem erat Solis Metamorph. 2, 1.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro &c. Raderus.

8,9,27. *CVM CAPILLVM)* Strabo lib. 15. *Præter exitum regis ad bellum, alius est, cum ad ius dicendum exit, per diem totum audiens, etiamsi hora sit vt corpus curet. id autem fit strigilum perfrictione: nam simul & audit, & à tribus frictoribus perfricatur.* Idem de Vespasiano Sueton. cap. 21. Loccenius. *Principes* autem *iudices fuisse variis gentium exemplis probat* Dempsterus in paralipom. ad Rosin. 9, 31. De legationibus cito etiam à Traiano expeditis Plinii panegyr. *Adeunt statim, dimittuntur statim. Tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.* De variis gentium moribus in admittendis audiendisque legatis, vide Gentilem de leg. cap. 19. Capillum quod attinet, notandum quod apud Strabon. lib. 15. legitur; *cum rex capillos abluit, magnam festinitatem celebrari, & maxima dona mitti.* Qui locus magnopere firmat opinionem Casauboni, qui in simili Persarum more, forte ab Indis vicinis accepto, apud Athenæum 4, 10. ex Herodoto 9, 109. legendum dicit: *Quæ cana (Τρίχα* vocata) *semel quotannis eo die quo rex creatus est instituebatur: tunc solum rex caput cum cura abluitur, Persasque strenis donat.* τὴν κεφαλὴν σμᾶται. non vt Valla & Dalecampius volebant; κοσμεῖται, *ornatur caput.* Veteres etiam ephebi capillum solenniter deponebant, Græci quidem ad Delphos, vt Theseus apud Plutarch. cap. III.

ILLINVNTVR PEDES) Hic mos vngendi pedes non apud Indos tantum, sed Hebræos, Græcos, & Romanos vsurpatus fuit. Magdalena apud S. Lucam 7, 38. vnguento vnxit pedes Christi. Apud Rom. in balneis totum etiam corpus, in conuiuiis caput inunctum fuit. *Antiquos in vnguentorum vsu fuisse curiosos & diligentes, hoc est indicio, quod priuatim vnicuique parti corporis idonea scirent. Antiphanes in Vinosis, aut Fossore: Lauat is in aereo quodam solio: vnguento Ægyptio pedes linit & crura: Phœnicio buccas & vbera: Sisymbrino vero vtrumque brachium: Amaracino supercilium & comam: Serpyllino ceruicem atque genua.* Athenæus 15, 12. Apud Plinium 13, 3, 4. M. Otho Neroni monstrauit pedum vestigia vnguentis tingere. Diogenes apud Laërtium aliquando vnguentatis pedibus incessit: quod à capite odor in aërem dissipetur, à pedibus vero in caput recta feratur. In Aulularia Plauti 3, 5, 37. *Myrobatharij* sunt, qui calceamenta muliebria, vt bene olerent, vnguentis imbuebant. Plura de vnguentis & vnctionibus nos ad illud Martialis phaleucium Epigr. 3, 60.

Vnguentum, fateor, bonum dedisti. Raderus.

Vide etiam Barthium ad Claudian. de bell. Gildon. vers. 184.

- - *mistis redolent vnguenta corollis.*

8,9,28. *VENATVS)* Strabo lib. 15. *Tertio ad venationem* (procedit) *vbi Bacchico more maxima mulierum caterua circumfunditur, stipatores exterius manent; nam via finibus obsitur: quod si quis interius ad mulieres vsque accedit, interficitur. Præcedunt regem tympana & tintinnabula, cum in locis septis venatur, è solio sagittat, assistentibus ei duabus tribusve mulieribus armatis; cum in locis non clausis venatur, sagittat ab elephante.* Raderus. Ceterum vinaria ista etiam apud Persicos reges fuisse venatus caussa, ex Xenophonte, Philostrato, Ammiano &c. notat Brissonius lib. 1. de regno Persarum.

QVAM EFFECTV) Arrianus Ind. 3, 3. alia narrantem audi: *Sagittis vtuntur trium paulo minus cubitorum, nihilque est quod non Indici sagittarij solum penetret: non scutum, non thorax, aut aliud armaturæ genus, quantumuis validum.* Raderus. Nec omisit armaturam hanc Indicam narrare Strabo lib. 15. Arabibus etiam Suidas tribuit *sagittas hominis longitudinem æquantes*, dicitque *arcum intendere non manibus, sed pedi-*

pedibus insistentes neruo. quod idem & de Indis Arrianus. Et de Caiucentlanis Histor. del Cortes fol. 227. b. *portauano grandissime saette, & lancie di trenta palmi.*

8,9,29. *CONTEGVNT AVRO)* Idem Strabo lib. 15. supra citatus. De distinctione nondum assentior Acidalio, scribenti, *elephanti vehunt: currum &c.* vel, *vehunt curru:* quamquam Radero placere non dissimulo.

A REGINÆ) Vulgo: *aliud reginæ.* Forte mutandum fuit: *separatum illud à reginæ ordine &c.* Ego non offendo: Pellicum, inquit, agmen separatum est ab ordine reginæ, nihil differens luxu. Quod & Persicorum morum fuit, vt supra 3, 3, 24. vidimus.

8,9,30. *LARGVS EST VSVS)* Contra, vt Strabo lib. 15. innuit, Indis parcus fuit vini vsus, præsertim Regi. nam si qua mulier regem bene madidum occiderat, hoc præmii ferebat, vt cum illius successore matrimonio iungeretur, succederent vero filii in regnum. De Scythis vero & Persis Plato lib. 1. de ll. tradit, eos vino præter modum & modestiam vti, ac perfundere vestes, beatum hoc vitæ genus existimantes. Diuersa de Turcis Busbequius in Epistolis. Loccenius. Verum Chares apud Athenæum 10, 10. ait Alexandrum in honorem Calani, *quoniam Indi bibaces erant, meræ potionis certamen proposuisse.* quod & Ælian. hist. var. 2, 41. refert. Et videtur tale quid innuere Plutarch. Alex. cap. 119. vbi Calanus hortatur Macedonas, vt cum rege perpotare pergant.

PATRIO CARMINE) Cuius præcipuum argumentum fuit, vt Rex bonis somniis vteretur, & benignus erga subditos ac ξυμβιωτὰς surgeret. lege sis Philostrat. Apollon. 2, 14. Loccenius.

NOCTIVM DEOS) Indos puta, non Græcos. Nihil ergo huc Erebus, Eumenides, Erinnyes & similia monstra.

8,9,31. *QVIS CREDAT)* Cicero Tusc. 5, 27. *Quæ barbaria India vastior aut agrestior? In ea tamen gente primum hi, qui sapientes habentur &c.*

SAPIENTES) Ipsorum lingua *Brachmanes.* de quibus late Strabo lib. 15. Plin. 6, 19. Arrianus 6, 3, 15. & Ind. 2, 12. Diodor. Sic. 2, 40. Maffeius lib. 1. adhuc hodie eo nomine notos esse prodit. Vide de iis & Osorium, Nicol. Orlandinum, Iarricum, Suidam, Stephanum, & Plutarchum Radero citatos: Philonem in lib. de Abrahamo: & Tiraquellum de Nobilit. c. 31. n. 469.

VIVOS SE CREMARI) Illustre huius rei exemplum extat de Calano Indo [apud Plutarchum cap. 119. vbi & de alio Indo, Cæsaris comite. Diod. 17, 91. Arrian. 7, 1, 10. Suidam, Ælianum hist. var. 5, 6. Plinium 6, 19, 3.] De spontaneo autem illo Indorum viuicomburio plura Porphyrius libro 4. de abstinentia animal. Casaub. in Animaduers. ad Athenæum 12, 7. Faber Semestr. 1, 10. Io. Meursius & Kirchman. de Funeribus. Loccenius. Apud Strabonem tamen lib. 15. *Megasthenes nullum philosophis decretum esse de morte sibi consciscenda affirmat; sed temerarios haberi, qui hoc in se admittant.* Scilicet loquitur de iis qui in vrbibus habitant, quibus etiam idem decretum assignabit Curtius.

8,9,33. *ADMOVERE LETHI DIEM)* Mortem sibi conscisscere neminem, nisi ex imbecillitate animi. De qua re & supra ad 5, 9, 6.

ARBORES MAXIME) Alexander Neapol. 6, 26. videtur legisse, *arb. maximas*, vitiose. Variis autem gentibus in more fuit arbores colere: quibusdam nuper; aliis necdum omnino decessit. Circa annum Chr. 1490. Vladislaus ex Iagellone Lithuanorum duce Poloniæ Rex, in gente sua, & vicina Samogitarum lucos sacros aboleuit, stupentibus barbaris, *quod Polonorum milites nemus ritu eorum excidentes, nulla lasso, qualem ipsi in se frequentius experti erant, sequeretur.* Michou. c. 2. de Sarmatia

Europæa. Quæ relatio credibilem etiam facit narrationem Hieronymi de Praga, qui iisdem temporibus Vitoldi principis permissu (erat autem hic Vladislai ex fratre nepos) syluas sacras in Lithuania se cecidisse retulit Æneæ Syluio, vt hic cap. 26. de Europa tradit. Sane Nannetensi & Altissiodensi conciliis prohibitam fuisse arborum adorationem, tunc etiam obtinentem, notat Loccenius ex Lindenbrogii Glossario LL. Antiq. pag. 1357. Cui iunge Rubenii electa 2, 34. & Dausqueium ad ista Silii 3, 692.

Arbor numen habet, coliturque vetustibus aris.

In Asiana autem Sarmatia arbores adhuc coli, itidem apud alios penitioris barbariæ populos, pro comperto habetur: vetustissima superstitione, quippe antiquitus *hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant.* ait Plinius 12, 1. De lucis Germanorum, Græcorum, & Romanorum commemorare superuacuum est: fecitque iam tum Dempsterus ad antiqu. Rosini 1, 13.

8, 9, 36. *SE CVRVARE CEPIT)* Verum sane, cum Luna curuatur in cornua, Indos menses suos ordiri. Sed in cæteris quid velit Curtius, cur ego intellexerim, cum ipse, qui scribebat, non intelligeret? Videtur tamen innuere eos annum suum in 24. menses tribuere solitos, quod facile credo, vt à nouilunio vna neomenia putetur, altera à plenilunio. Scaliger de emend. temp. lib. 2. vbi plura *de anno Indorum priscorum.* Idem in prolegom. Canonum Isagog. demonstrat errare Curtium, eo quod corniculatam Lunam, quæ Græce est μηνοειδὴς, pro dimidiata, ἀντὶ τῆς διχοτόμου acceperit: scribendum ei fuisse, *non vtique ab orbe completo, sed à dimidiato* menses Indorum computari. Varias autem annorum apud antiquos rationes tam ex Alexandro Neap. 3, 24. notisque ad eum Tiraquelli, quam præcipue ex dicto Scaligeri opere cognosces.

MODVM) Bongars. coniiciebat *motum.* sicque recensuit Scaliger de emend. temporum. At vulgata lectio forte melior.

8, 9, 37. *ET ALIA)* Quorum præcipuum, quod marito defuncto, vxores viuæ in rogum eius insiliant. Quem morem adhuc nostra ætate durare notat Pontanus in histor. Vrbis Amstelodam. 2, 24. vbi etiam Propertius & Strabo citantur.

OPERÆ) Alii *operæ precium.* Postremam vocem omisimus ex Mss. Rationem suggeret Index.

8, 10, 1. *FINES INDIÆ)* India trans Indum incipit, vt Arrian. in Indicis docet. Curtius Indicæ gentis nomine eas etiam gentes complectitur, quæ cis Indum sedes habent, vt sunt Assaceni, Assaceni, Nisæi, Peucelatæ, Turæi. Idem Strabo lib. 15. docet Indum fuisse limitem Indiæ, sed addit post ab Alex. etiam ea quæ cis Indum sunt, Indis accensa. Raderus.

HERCVLEM) De hoc tamen dubitat Arrian. 4, 5, 15. & alii. Maximus Tyrius orat. 38. ne dubitat quidem: *terram Indorum petiit, quæ nunquam, vt dicebant ipsi, exercitum externum præterquam Bacchi & ipsius Alexandri admiserat.*

8, 10, 2. *HEPHÆSTIONEM)* Sabellicus notat nostrum supra 8, 2, 13. tradidisse, illum ab Alex. in Bactrianam missum, *expeditionis*, ait, *causa an præsidij parum liquet.* At expresse Curtius, *commeatus in hyemem paraturum.* Intelligendum igitur, cum mandato isto perfunctum interim ad Alexandrum reuertisse. Nam & Arrianus 4, 4, 13. consentit Curtio.

8, 10, 3. *IVNXERE NAVES)* Vide an non rectius *struxere*, & forte an Curtius sic scripserit. Hoc autem modo etiam Annibal Tarentinos naues, verum integras, plaustris transuehere docuit apud Liuium 25, 11, 21. Argonautæ suam humeris transportarunt. Iustin. 32, 3, 14. eorumque exemplo Istrorum conditores Colchi.

chi. Apud Nilum Æthiopes naues suas *plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum est.* Plin. 5, 9, 22.

8, 10, 5. *TERROREM INCVTERET)* *Pro belli initiis, dux aut timetur, aut spernitur.* Gruterus in Tacitum discursu octauo, vbi vide.

8, 10, 7. *IGNOBILI GENTE)* Non video quomodo huius regia sit Mazagæ, quam vrbem Assacani fuisse infra 8, 10, 22. tradit, nec ignobilis gentis: nec dum Alexandro aditæ. Arrianus 4, 4, 16. Aspios, Thyræos, & Arsacos tum temporis expugnatos narrat.

8, 10, 11. *A LIBERO)* Idem Arrianus Indicorum principio. Philostrat. 2, 1. & 4. Isidorus 15, 1. Stephanus περὶ πόλεων. De Bacchi in Indos expeditione longam fabulam conscripsit Nonnus. Goropius in Indo-scythicis Liberum illum Noam fuisse contendit. Ego cum Arriano 5, 1, 2. (vbi illi hæc de re sermo) *censuerim, ea quæ de diis veteres fabulis suis conscripsere, non esse nimium curiose inuestiganda.*

8, 10, 12. *MERON)* Quasi diceres *femur.* Vnde nota Græcorum fabula: extincta fulminis ictu Semele grauida, Iouem imperfectum adhuc infantem femori suo insuisse, donec completis mensibus Bacchum eniteretur. Id Orphei hymno in Sabazium, Dinarchi lib. 9. Euripidis in Bacchis, Ouidii Metamorph. 3, 260. Solini cap. 55. Melæ 3, 8. testimoniis Raderus latius explicat. Plinium etiam 6, 21. corrigit, *vnde origo fabulæ Iouis femine* (non *semine*) *natum.* Sic tamen habent editiones, ante Raderum impressæ. Arrianum autem Indic. 1, 2. nec interpretes perceperunt, nec Raderus recte exponere visus est: *Mons vero vrbi vicinus, ad cuius radicem sita est Nysa, Merus, hoc est femur, vocatur ob infortunium, quod illi statim ac natus est accidit.* Infortunium, ait Raderus, Diodorus Sic. 3, 64. explicat: *Cum ergo Semele precibus à Ioue extorsisset, vt pari se atque Iunonem honore dignaretur, tonitru & fulmine armatus ille accessit, quorum vim cum puella sustinere non posset, exanimata abortum fecit. Infantem vero Iupiter confestim exceptum femori insuit, eumque ad iusti incrementi tempus enixus Nysam Arabiæ deportauit &c.* Sed induxit eos in errorem vnius vocularum mutatio, quam inconsulto commiserunt, quibus fabulam de Baccho bis genito tangi non fuboluerat. Scripsit Arrianus: Τὸ δὲ μηρὸς &c. Μηρὸς κληίζεται, ἐπὶ τῇ συμφορῇ ἣν ἐχρήσατο ὠδὶς γενόμενος. *Mons &c. vocatus est Femur, ab euentu qui Baccho acciderat, vt iterum nasceretur.* ὠδὶς ergo scribendum, non ἐνδὺς. Non enim ex priore partu, si ita vocandus est abortus, mons ille nomen accepit, sed ex sequenti. Ab eo euentu Διμήτωρ appellatus est Bacchus apud Athenæum 2, 2. in Alexidis versu: quasi qui duas matres habuisset; vterum Semeles, & femur Iouis. Qua de caussa & Διθύραμβοι vocari, quasi ex duabus ianuis egressum, in Etymologico scribitur. Apud Ouidium Metamorph. 4, 11.

– – Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.

Μητροκάσιγνητοι quoque hinc vocatum fuisse, siue *femori insutum*, Eustath. ad Dionys. vers. 1159. notat. Sic ergo legendum apud Arrianum. At ipsam hanc, omnesque reliquas de Baccho fabulas ab Oriente in Græciam peruenisse, ipsis quoque nominum argumentis erudite probat Heinsius à pr. Aristarchi sacri. Vbi ait, ex femore Iouis editum nihil aliud significare, quam à deo satum: Hebræo loquendi more. Fabulam autem illam suo more suauiter ridet Lucianus in dialogis deorum dial. 9. Ceterum eundem montem etiam communi cum vrbe vocabulo Νῦσαν vocauerunt Sidonius epist. 2, 9. & quos ibi citat Sauaro: quibus adde Plinium 8, 39. & Philostrat. 2, 4.

8, 10, 13. *ADSCENDIT)* Idem Arrianus 5, 1, 10. tradidit, & Iustinus 12, 7, 6. Sed diserte negat Philostratus 2, 4. *Alex. Macedonem affirmant orgia in monte*

Νῦσα.

Nysa celebrasse: veruntamen qui Nysam incolunt, asserunt Alexandrum nequaquam montem ascendisse, quanquam id vehementer cuperet, quod esset tum honoris cupidus, tum etiam vetustatis amator. timuisse autem, ne vitiibus conspectis Macedones (qui eas longo iam tempore non viderant) domesticarum rerum desiderio caperentur, neue cupiditas vini eos inuaderet, iam diu bibendæ aquæ assuefactos. His de causis Nysam prætergressus, in radicibus montis vota sacraque peregit &c. Addit deinde, se non ignarum eorum quæ de Alexandro proderentur, scriptorum auctoritatem veritati posthabuisse.

HEDERA) Quæ *nusquam alibi apud Indos nascitur.* Arrian. 5, 1, 5. qui pro argumento id habet Nysæ à Baccho conditæ, cuius insigne est hedera, vt pueris notum. Rationem eius rei forte expiscemur ex Plutarchi Alex. cap. 66. *Harpalo qui regionis* Babylonicæ *relictus præfectus fuit, studenti Græcis plantis regiam & ambulationes excolere, cetera respondérunt, vnam respuit tellus hederam, quam semper corrumpit impatientem eius temperiei, quod hæc frigidis gaudeat, illa feruens.* Vtrique auctori tradita complectuntur ista Plinii 16, 34, 1. *Edera iam dicitur in Asia nasci. negauerat Theophrastus: nec in India, nisi in monte Mero. Quin & Harpalum omni cura laborasse, vt sereret eam in Medis, frustra. Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris.*

8, 10, 16. *VT FERE FIT)* *Non enim ibi consistunt exempla, vnde ceperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime euagandi sibi viam faciunt.* Velleii. 2, 3, 5. *Insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare.* Tacit. H. 1, 55, 1. vbi forte DEO bene iuuante plura.

SE REPENTE) MS. Dan. *in homines serpente.* Pal. 1. *in hom. serpen.* relicto interstitio ad illa vsque *Quippe &c.* Vnde conjicio scripsisse Curtium, *resonabant, orta licentia à paucis (vt fere fit) in omnes serpente. Quippe &c.*

8, 10, 18. *FORTVNÆ QVAM VIRTVTIS)* Sunt enim quidam hoc astro; vt iis *ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas, diuinitus adiuncta Fortuna videatur.* Cicero pro L. Manil. cap. 16. Homines ad Pompeianum illud elogium, *maiore fortuna quam sapientia.* Sallust. de Rep. orat. 1, 8. Quibus *dormientibus dij omnia conficiunt.* Teren. Adelph. 4, 5, 59. *Reti vrbes capiunt* : Plutarch. Syll. cap. 9. *Et in sinum iis de cœlo Victoria deuolat.* Liu. 7, 12, 17. Quos poëta quoque depinxit: Theognis vers. 161.

Multis mens læua est, sed eisdem numina dextra.
Queis male quod cœptum est vertis & in melius.

Hæc Lipsius Polit. 4, 9. Eleganter etiam Plinius 7, 28, 4. post enumerata plura insignis fortitudinis exempla: *Sunt in his quidem virtutis opera magna, sed maiora fortunæ.* Apud Tacit. H. 3, 59, 3. *fortuna Flauianis ducibus non minus sæpe quam ratio adfuit.* Contra *Inguiomerum fortuna magis quam virtus deseruit.* Idem Tacit. 2, 21, 3. Pausanias in Atticis exemplo Spartanorum *declarasse deum* ait, *nihil interesse spectata quemquam virtute esse, eius consilia fortuna si non respondeat.* siue, vt Sylburgius vertit; *eos qui à Græcis viri fortes appellantur, sine fortuna nihil esse.* Adde supra ad 3, 8, 29. Pulchre itaque Florus in præfat. de Pop. Romano: *vt ad constituendum eius imperium contendisse Virtus & Fortuna videantur.* vbi plura notauimus.

HOSTIS) Non *quia in gratiam deditione acceptus,* vt explanant; sed quia ob gloriam exercitus Macedonici nihil, etiam contra securos & imparatos, audebat moliri.

8, 10, 19. *DÆDALA)* Dædala Dædalorum, vt Glareanus arbitratur numero multitudinis, gens & regio nostro Curtio Indica. Iustinus 12, 7, 9. *Dædalos montes* appellat: Ptolemæus 7, 1. Dædala facit ciuitatem Caspiræorum intra Gangem. Stephanus multas huius nominis ciuitates enumerat. Hic ergo ciuitas aut regio est Indiæ cis Indum Curtio: Ptolem. paullo latius regionem intra Gangem accipit, cui præter Arriani Ind. 1, 4. sententiam etiam populos cis Indum adiungit. Raderus.

DESERVERANT SEDES) Ea Germanis olim nostris bellandi ratio. Dicemus ad Tacit. 1, 56, 5. *omissis pagis vicisque in siluas discerpuntur.*

ACADERA) Quidam Impr. *Adaca.* Viderentur *Andaca* Arriani 4, 4, 20. Quam tamen vrbem hic non desertam à suis, sed deditam scribit.

VSTA) Non credo huic verbo. Non enim incendisse apparet, saltem reliquisse. Scribam ergo *vasta:* quod & tu scribe, si quid mihi credis. Acidalius. Quem sequitur editio Raderi.

8, 10, 20. *ET QVI)* Bongarsii Codd. *vrbi non:* vnde ille; *oppressique vbi non exsectauerant hostem &c.* valde probabiliter. At ed. Modii: *& qui non.* eiecta voce *vrbe,* quæ aliis hæret. Ex quo Acidalius; *oppressique orbe, qui non exsect. hostem.* Id est, in circulum, vndequaque, ab omnibus partibus vt supra 4, 13, 31. *totam aciem orbe munire.* Cui simile esset illud Iuliani Orat. 1. *Cum delectam ex omni exercitu armatorum manum misisses, posteaquam ad hostem eam peruenisse sensisti, tum cum omnibus copiis progressus es, iisque in orbem circundatis, κύκλῳ σφαλών, de omnibus victoriam reportasti.*

8, 10, 21. *CHOASPEN)* *Choën* vocare videtur Arrianus 4, 4, 16. Eundem esse cum Persico Choaspe nemo mihi facile persuaserit. eaque opinio à Cordoua in Didascalia cap. 31. abunde refutatur. Nec procul adeo absum, vt credam in Curtio & Strabone lib. 15. *Choën* pro *Choaspe* legendum, verumque nomen audacia correctorum in notius transisse; quod sexcentis aliis accidit. Strabo *Choaspen* hunc Indicum *in Cophem exire* tradit: Choën etiam suum Arrianus haud procul à Cophe disiungit.

BEZIRAM) Arrian. 4, 5, 10. & 12. *Bazira,* non *Baziram* appellat.

MAZAGAS) Arriano 4, 5, 2. & Ind. 1, 3. *Massaga* vocat: *Massaca* Siculus Ind. lib. 17. *Μάσσακα* Strabo lib. 15. maximam Assacenorum, seu Assacanorum, seu Massacanorum vrbem. Raderus. Animaduerto autem plurima huius regionis vrbium vocabula, pluratiue in a terminari: Dædala, Acadera, Bezira, Massaga, vnde apparet non sponte Curtii *Beziram* & *Mazagas* hic legi.

8, 10, 22. *NYSER)* Sic legendum: *Naper Ass. c. r. f. demortuo; regioni vrbique præerat mater &c.* Sed non ausus sum mutare quicquam ante inspecta Bongarsi. Codd. excerpta. Quæ cum omissa particula *quoque,* quam *regioni vrbique* parum prudenter interposuerant impressi, coniecturam meam viderem iuuare, merito sic edendum putaui. Alibi quoque monui multo plurimis locis eiusmodi particulas Curtio nihil tale cogitanti ingratiis esse obtrusas.

8, 10, 23. *RIPIS)* Ex Mss. est: alii *rupibus* inepte. Mox 11, 7. de Indo, *præaltus asperis vtrinque ripis.*

CLEOPHES) Arrianus non parum discrepans, regem *Assacenum* appellat, & eiusdem vocabuli gentem inculcat. Ac tametsi & matrem, & vxorem, & filiam in Alexandri potestatem venisse dicat, tamen nomina omnium supprimit. Nobis è Iustino *vxorem Cleophidem* esse placet. Quæ cum concubitu suo regnum ab Alexandro redemisset, filium ex eo natum itidem Alexandrum nuncupauit, postque successorem reliquit. Legendi Strabo lib. 15. Arrianus 4, 5. Curtius. Iustin. 12, 7, 11. Orosius 3, 19. Qui vt præterea inter se discordent, inde qui volet, cum repetat, tum conciliet. Reinecc. in regno Indico.

8, 10, 25. *VRBEM)* Conieceram *vrbis* legendum, vt exiret ea fere phra-

fis, qua supra 5, 1, 26. *Totius operis ambitus CCLVIII. stadia complectitur.* Postea cognoui Bongarsio quoque idem visum. Nisi forte scriptum fuit *XXXV stad. murus*, quod legerunt; *Triginta quinque stadia murus*: cum debuissent; *Trig. quinque stadiorum murus.* Sane ex notis eiusmodi non vna scriptoribus illata est iniuria. Apud Liuium 23, 5, 11. cum damno pulchri sensus legitur, *prolapsum clade Romanum imperium.* quia nempe scriptum fuit *clade Rom.* debuissent legere: *Pulchrum erit Campani, prolapsum clade Romana imperium, vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta millia peditum* (quid enim vetat eadem opera sequens mendum tollere?) *quatuor equitum arbitror ex Campania vos scripsisse.* alii omittunt *vos*: legerim; *ex Camp. scribi posse.* Nec moueor viri docti ratiunculis hanc emendationem temere suggillantis.

SIMVLQVE TERRA) Clarius, & fortasse verius ita: *simulque ne terra humore diluta tandem vniuersa consideret, impositæ trabes &c.*

8,10,28. *TVM FORTE)* Alii, *Cum F.* Vtrumque ineptum delendumque bene iudicauit Acidalius.

8,10,29. *FRIGESCENS VVLNVS)* Dum enim calet, abest dolor: vt supra 4,15,17. Statius 11, 544.

Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo
Territus - - -

CORPORIS ÆGRI VITIA) Plutarchus cap. 50. *Postea sagitta ictus, atque ingenti pressus dolore; Hic, inquit, amici, qui fluit sanguis est* (humanus)

Non talis diu vt solitus manare beatis.

Versus hic Homericus est Iliad. 5, 340. vbi Poëta Venerem canit à Diomede vulneratam. Idem Plut. de Fort. Alex. 2, 21. adducit eundem Homeri locum, vbi de eodem vulnere loquitur. Raderus. Idem in apophtheg. cap. 39. Alexandro dictum hoc tribuit. Sed & Seneca epist. 59, 19. *Omnes iurant me Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.* Scilicet Seneca & Curtius rem expressere, verbis neglectis. Versum autem istum Homericum non ab ipso Alexandro, sed ab Anaxarcho velut exprobrante ementitam diuinitatem prolatum Laërtius tradit. Alii Callisthenì, vel Dioxippo adscribunt. Quos cum aliis huc pertinentibus citauimus supra 4, 7, 25. ad verba: *humanæ sortis oblitus.*

8,10,30. *CVMVLIS)* Hoc non intelligo, nisi quis exponat pro cumulatim. quod quidem feram: malim autem hic reperisse; *arborum stipites cum ramis.* vt è simili negotio ad Tyrum supra 4, 3, 9. at mox 8, 11, 8. *nudos stipites iaci iussit*, ob caussam quæ ibi exponitur.

8,10,32. *DEORVM NVMINE AGI)* Sic Galli apud Cæs. de bel. Gall. 2, 31. dicebant: *non se existimare Romanos sine deorum ope bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes, tanta celeritate promouere, & ex propinquitate pugnare possent.* Quantopere autem Occidentales Indi equos, machinas nostras stupuerint, similique errore Hispanos pro deorum filiis habuerint, decantata res est. Adde infra 9, 8, 14.

8,10,34. *QVA IMPETRATA)* Diodorus 17, 84. qui ex alta lacuna hic rursum emersus persequitur historiam, rem hic perfide gestam ab Alexandro memorat, & inustam gloriæ ipsius notam etiam Plutarchus cap. 103. testatur: Arrianus 4, 5, 10. colorem factis inducit, & scelus Alexandri dissimulat. Alexander ergo cum regina pactus illam in gratiam recepit: sed mercenariis militibus, quibus data fide promiserat se incolumes dimissurum, necem attulit. Raderus.

REGINA EST:) Sic quidem distinxi volente lectione quam omnes libri

libri præferunt: Sed si Curtium noui, scripsit is, omissa copula; *impetrauit decus: quippe app. est regina. Credidere quidam &c.*

8,10,36. *ALEXANDRO)* Quem & successorem habuit Iustin. 12, 7, 10. Vnde forsan nata fabula de Balascia prouincia, cuius *Reges, qui iure hæreditario sibi inuicem succedunt ab Alex. Magno originem duxisse feruntur.* M. Paul. Venetus 1, 34.

8,11,1. *ORAM)* *Ora* cum Arriano 4, 5, 11. & Ptolemæo 6, 8. non *Nora* scribendum est. Raderus. ex Ortelio, vt apparet: sed & Aldus hoc loco sic edidit. Alios oportet esse *Oritas* apud eundem Arrian. 6, 4, 7. Gadrosis conterminos. de quibus in Indice.

8,11,2. *AORNIN)* Græci ἄορνις, siue ἄορνον. nam vtroque modo scribitur, vti ad Periegetem Eustathius docet. Ὄρνις Græcis est auis, ex qua voce fit ἄορνις siue ἄορνον, locus carens auibus, à particula α priuatiua, quam illi στερητικὴν appellant. Latini locum illum *Auernum* etiam ab auibus [immo corrupta voce Græca] dicunt. Petra ergo ἄορνον est auerna qua non transmittunt aues, aut illico pereunt. Eiusmodi plures variis in regionibus traduntur. Lycophron apud Eustathium circa Adiabenem huiusmodi pestilentem locum esse testatur, os nempe fontis cuiusdam auernum & aornum, auibus inuium, quod inde pestifer spiritus exhalet, qui statim exanimet, quicquid spirans deprehenderit. *Quapropter* (inquit Dionysius versu 1151. *illum Aornin appellant.* loquitur de hac ipsa Curtiana petra. [Non propterea eam sic vocatam ait Dionysius; sed quod sit *Ardua, veloces quam vix ingrediuntur aues.*] De huiusmodi locis auernis eleganter Lucretius canit 6, 788.

Nunc age, Auerna tibi quæ sint loca cunque, lacusque
Expediam, quali natura prædita constent.
Principio, quod auerna vocantur, nomen id ab re
Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis &c.

Et princeps poëtarum Aeneid. 6, 237.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu &c.
Vnde locum Grai dixerunt nomine Auernum.

De Cumano lacu loquuntur, cuius etiam Aristoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων mentionem fecit, quem & ipse ἄορνον ab auibus appellat. quamquam ibi nullam nominis rationem reddit. Sed in eodem libro haud procul ab Eridano de alio loco tradit, cuius aqua calens aues superuolantes deiiciat & enecet. Raderus. De hac petra Curtiana vide Strabon. lib. 15. Philostrat. 2. 5. Plutarch. cap. 102. & de fort. Alex. 1, 2. Diodor. 17, 85. Lucianum Hermotimo sub initium. Iustinus 12, 7, 12. transmisso nomine describit *saxum miræ asperitatis & altitudinis.* Iulianus orat. 2. *rupem ad quam vel leuissimæ volucres euolare difficile possent.* Clare signat Aornin petram: ideoque non erat Commentatori confundenda cum Sogdiana, de qua Curtius supra 7, 11. De hac obsidione Charetis fragmentum legitur apud Athenæum 3, 35. qui *vrbem* Indorum *Petram* appellat. Apud Curtium prius legebatur *petram Dorimm*, pro *Aornim*, ex similitudine literarum orta deprauatione. quod Sabellico quoque fraudi fuit, qui sic in Enneades suas transtulit. Nihil huc puto pertinere *fluuium Aornum* apud Athenæum 8, 1. Magis *Aornum Thesprotiæ* in Pausaniæ Bœoticis talem fuisse locum putem. Nam & Plinius præfat. lib. 4. de eo testatur. vbi fortasse *lacus Aornos, & pestifera auibus exhalatio* legendum; non, vt ibi editur, *locus.* Hanc autem Indicam petram nescio cur *- - culmina rupis Ornithiæ - -* visum fuerit appellare Faleto lib. 1. de bello Sicambrico.

AB HERCVLE) Cum Arrianus 4, 5, 15. & 29. idem quod alii de Hercule frustra Aornon tentante scripsisset, aliud tamen in Indicis 1, 20. prodidit.

vbi affirmat tantum *Macedonicam fuisse iactantiam.* Strabo lib. 15. ter ab Hercule frustra tentatam scripsit. Raderus.

TERRÆ MOTV) Quasi diuinitus immisso. sic apud Xenoph. lib. 3. hist. Græc. *Exercitum Agis ducens per Achaiam non procul à Larissa, Eleorum agrum est ingressus. Quumque iam in hostico esset exercitus, ac regio vastaretur, terra concuti capit. Tum Agis, qui diuinitus hoc accidisse prodigii duceret, relicto Eleorum agro, dimisit exercitum.* Nec valde abit, quod Hannibale cum Romanis ad vrbem pugnaturo, tempestas intercessit prœlio. Vide Liuium 26, 11, 1.

8, 11, 4. *OCTOGINTA)* Glareano nimium hoc videbatur, eoque reponebat octo. nam 80. talenta 48000. Philippæos efficiunt: nimium sane, nisi Alexander fuisset, qui promiserat. Equidem Diodorus etiam 17, 85. *ingens operæ precium* promissum ait. Certe notum est quam & diues, & liberalis fuerit Alexander: ne sui dissimilem fuisse putemus, in negotio vnde tanta gloria speraretur.

8, 11, 5. *QVI FALLERENT)* Potius *quo fallerent*: aut, *qui falleret.*

8, 11, 7. *INDVS AMNIS)* Idem Diodorus 17, 85. Idem quoque Strabo lib. 15. *cuius radices Indus non procul à fontibus hic alluit.* Nec verum est quod Glareanus ait à Siculo tradi hæc in Bactris acta, disserte enim in India Aornum sitam, & post Nysam expugnatam: legisset Glareanus capita Indicis lib. 17. animaduertisset, & quæ desiderantur, & illud sigillatim, ἐμβολὴ εἰς τὴν Ἰνδικὴν, & quæ sequuntur de Nysa & Massacis, de Aorno & Taxili. Nec fuit quod negligentiæ notaret & rideret auctores, & inter hos Curtium hoc loco, qui dixerit Aorni *radices ab Indo alluì*, deinde 8, 12, 4. *sextisdecimis* demum *castris* Alexandrum expugnata petra ad Indum peruenisse. Curtius enim signauit locum Indi quo traiecit illum iam grandem & altum & latum. petra autem Aornos non procul à fontibus Indi sita erat, vt docet Strabo. Recessit enim Alexander rursus ab Indo profectus ad Enbolima, & angustias eis Indum adhuc ab Eryce cum 20000. obsessas, quem hostem noluit à tergo relinquere Alexander, ne eis Indum occupata & pacata Eryx turbaret & reciperet. Atque inde demum sextisdecimis castris, siue XVI. die ad Indum, vbi illum Hephæstion ponte iam facto expectabat, Alexander peruenit. Raderus.

8, 11, 8. *NVDI STIPITES)* Precium est comparare locum ex 33. lib. Liuii, quem agnosco genuinum magni scriptoris istius partum: *Vallo, & Macedones, & Græci vsi sunt, sed vsum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ipsius munitionis firmamentum aptauerunt. Nam & maiores & magis ramosas arbores cædebant, quam quas ferre cum armis miles posset &c. Romanus læues & bifurcos pleroſque & trium, aut compluriũ quatuor ramorum vallos cædit, vt & sustensis ab tergo armis ferat plures apte miles &c.* In quibus verbis pro *& trium, aut compluriũ* lege, *vel trium, aut cum plurimum.* Polybius 17, 14. vnde hæc desumpta, vt plurima apud Liuium: Παρὸ δ' Ῥωμαίοις δύο κεφαλὰς ἢ τρεῖς ἔχουσι ἐπὶ χάρακος, ὅτε δ' πλείους, σπάνεις. Tales stipites hic ergo parari iussit Alexander, quos & Arrianus 4, 5, 25. χάρακας appellat: *Sub lucem milites singulos centum palos* (Romanis *vallos*) *cædere iubet.*

ALACRITATIS INDEX) Qualis apud Tacit. 3, 46, 5. exercitus Romani. & Liu. 3, 62, 6. *ingenti alacritate clamor est sublatus.* Ita Curtius alibi, vt reperie sin locis parallelis ad textum notatis. De clamore in prœliis edito supra ad 3, 10, 1. vbi citatis adde Amitati dissert. polit. 14, 5.

8, 11, 10. *NOMINIS)* Idem Plutarchus cap. 102. Non autem congruit huic Alexandro, quod Glycas refert, Regem *conspicatum aliquando quendam adolescentem sibi cognominem, qui trepide pugnaret, dixisse: Vel indolem & animum hunc mutato; vel nomen.*

8, 11, 12.

8, 11, 12. *ALIENO EXITIO)* Marcellin. 17, 1. *aliorum exitio quid fortunis suis immineret, anxie cogitantes.* Curtius supra 7, 11, 16. *mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum.*

8, 11, 13. *QVI PERCVLSI)* Imo *quis perculsi*, pro *quibus*, nimirum saxis.

8, 11, 15. *ACRIVS QVAM CAVTIVS)* Panthea de viro suo apud Xenoph. lib. 7. παιδ. *Non quid sibi accideret cogitabat; sed quibus facinoribus editis tibi gratificaretur.*

8, 11, 20. *TYMPANA)* Id verisimile est ex Dionysio Baccho didicisse, qui apud eos regnauit, & vsus est in bello tympanis & cymbalis, tuba nondum reperta, vt scribit Diodor. Sic. 3, 10. [Adde Polyæn. 1, 1, 1.] Strabo autem lib. 15. tradit, in India nullam esse tibiam, nec aliud instrumentum musicum, præter cymbala, tympana & crotala. Arrianus vero Ind. 1, 19. *Expeditionis*, inquit, *Dionysii in Indiam, Nysa vrbs Indiæ non obscurum monimentum est, tympana præterea & cymbala, quibus in prœliis Nysæi vtuntur.* Sed & postea tradit vers. 30. *Indos vtique vsque ad Alexandri in ea loca aduentum cum cymbalis tympanisque in pugnam ire solitos.* Tiraquellus ad Alex. dies genial. 4, 2. Suidas in *Tympana*: *Indi habebant tympana, quæ bombum quendam horribilem emittebant &c.* Vide Lipsii Mil. Rom. 4, 10.

8, 11, 24. *MAGNÆ VICTORIÆ)* Palmerius in spicileg. & Modius victoriam hic pro dea habuerunt, sed recte vidit Acidalius non debere, cum statim sequatur de dea Victoria. Idem commentum eorundem, quo pro *satisfecit*, legebant ex Mss. q. *fecit.* sacrificandi significatu, retundit eo, quod inepte diceretur *facere sacrificiis & cultu deorum.* Nec ipsius tamen coniecturam, suo quoque auctori non nimium certam visam probo: *magno victor*; quasi diceret victoriam eam Alexandro magno constitisse, amissis iuuenum acerrimis. Ego locum integrum esse credo, si cum Pal. 1. & quibusd. Edd. legamus *diis: magnæ victoriæ sacrificiis & cultu, diis satisfecit.* Habuit diis honores, sacraque fecit, quæ solebat in magnis victoriis. *cultum victoriæ* vocauit tum ceteram magnificentiam in ostentanda ea, tum aras de quibus sequitur.

VICTORIÆQVE) Idem factum & supra 8, 2, 32. Eius deæ imaginem numis quoque expressit, de quibus Lazius lib. 1. rer. Græcarum.

8, 11, 25. *SISOCOSTO)* Arriano 4, 5, 29. est *Sisicoptus.* Popma. Sic apud Curtium quoque legendum coniiciat quis ex variis. at alio Arriani loco 5, 3, 8. corrupte legitur *Sisicus.* παρὸ Σισίκου δ' Ἀσσακηνῶν σατράπου. nisi legendum παρὸ Σισιμίθου Ἀσσακ. σατρ. nam eumdem hominem intelligi neminem fugiet, qui vtraque ea loca attentius contulerit.

8, 12, 1. *ECBOLIMA)* Arrianus 4, 5, 19. ante Aorni obsidionem *Embolima* (sic ipse appellat vrbem) venisse Alexandrum scripsit. vrbis huius nomen expressit etiam Ptolemæus. Raderus.

ERYCE) Diodorus 17, 86. *Aphricen* appellat, & fortasse binominis fuit. Raderus.

8, 12, 4. *AD TRAIICIENDVM)* Hæc ex Diodoro 17, 86. Curtius. *Hinc*, inquit, *ad Indum progressus, naues quas à triginta remorum vsu triacontoros appellant, constructas, & fluuium ponte iunctum inuenit.* Idem paucis etiam Arrianus 5, 1, 14. *Vbi ad Indum peruenit, pontem iam ab Hephæstione perfectum reperit, multaque minora nauigia, duas vero naues triginta remorum.* Sed quærit deinde 5, 1, 31, quomodo pons ille confectus fuerit: *Quonam autem modo Alexander Indum amnem ponte iunxerit, neque Aristobulus neque Ptolemæus, quos ego maxime secutus sum scribunt, neque ego certi ali-*

quid affirmare ausim &c. Raderus. Pontis etiam mentionem facit Strabo lib. 15. *ad Indum est alia ciuitas Peucolaitis, iuxta quam Alexander per pontem traiecit exercitum.* Curtius pontis non meminit.

OMPHIS) Siculus 17,86. permutatis duabus primis literis *Mophim* vocat, vter verius, haud dispicio, quod ex linguæ cognitione pendet. Raderus.

PATRI) Qui fuit ille Taxiles, quem Diodor. 17,86. scribit hærenti adhuc in Sogdianis Alexandro societatem armorum obtulisse: Arrianus 4, 4, 13. Indiæ fines ingresso cum donis occurrisse. Id autem qua caussa fecerit, in promptu est conjicere. quippe duorum potentissimorum regum armis pressus, ab externo rege præsidium sibi circumspiciebat.

8,12,5. *REGNARE SE VELLET)* Hoc genus reges *inseruientes* vocat Tacit. H. 2,81,1. *Eius nominis* (regis) *honorem pro magnis erga se regum meritis dare pop. Romanum consuesse*, Liuius 13,11,13. tradit. Cuius rei multa passim exempla.

8,12,6. *NE FIDEM VLLIVS)* Ita fere Syphax apud Liu. 28,17, 6. vbi ex verbis, *nisi cum ipso coram duce*, dele *cum*.

8,12,8. *PARATOS AD PVGNAM)* Dudum enim sic assuefecerat suos. Apud Plutarch. Apophth. cap. 38. *explicatis iam aciei ordinibus, militem quendam videns amento hastile aptare, è phalange vt inutilem eiecit, qui tum demum arma pararet, cum iis esset vtendum.*

8,12,9. *SIVE HOSTIS)* Sic Cæsar Octauianus apud Dion. 46, 8, 34.

8,12,11. *LVI. ELEPHANTI)* Arrianus 4,4,13. non tantum Taxili, sed vicinis quoque regulis, XXV. elephantos fuisse innuit. postea tamen 5,1,14. narrat ab vno Taxile dono missa ad XXX. elephantos.

PRECIOSVM ARMENTVM) Inde tradit Sacchinus in 5. hist. Soc. Iesu pag. 222. de Monopotaparum Indorum rege: *Vicissim è Consalua scisciatur, quantum auri, quantum agri & prædiorum velit, postremo quam multos boues. Quippe bobus apud eam gentem haud minus quam auro precium ferunt esse.*

8,12,13. *ET PORVS)* *Graui eo tempore inter se contentione dissidebant duo reges, Porus & Taxiles.* Maximus Tyrius orat. 38.

8,12,14. *QVOD PATRI FVERAT)* Potest quidem ferri, & fero: sed si examines acutius, fatebere non sic fuisse loquendum Curtio. si enim de proprio patris eius nomine accipis, apparet illud non recepisse nouum hunc regem: si de communi regum, *Taxile*; non magis patris eius fuerit, quam aui & proaui, & sic deinceps. imo nullius eorum fuit, sed ipsius vrbis, vt hic propemodum ducam scrib. *quod patriæ fuerat*, non quin videam illud verbi non admodum hic quadrare: sed quia mihi verisimile fit, Curtium hic tetigisse morem, quo apud nonnullas gentes regibus à præcipuis vrbibus inditur nomen. In re plane simili Tacitus 2,56,3. *Igitur Germanicus in vrbe Artaxata adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. ceteri venerantes regem* Artaxiam *consalutauere; quod illi vocabulum indiderant ex nomine vrbis.* Eoque pertinere arbitror, quod multos Armeniæ reges hoc nomine reperimus. Sed & alibi in India hoc vsitatum. Apud Prasios vtique Strabo lib. 15. notat: *regem præter proprium nomen quod à natalibus habet, de nomine vrbis* Palibothrum *appellari: quemadmodum & Sandrocottum, ad quem missus Megasthenes fuit.* Sic ergo & Taxilem ab vrbe Taxilis appellatum fuisse quis dubitet: adque id exemplum *Assacenos* etiam *Musicanosque* reges nomen accepisse recte coniicit Reineccius in Indico regno.

SEQVENTE NOMINE IMPERIVM) Quod apud complures populos

populos in vsu fuisse, in Indice Iustini, voce *Reges* notauimus. Quibus licet accenseas Armeniorum *Artaxias* ex antedictis: Farganorum *Achsiidos*, & Persarum *Cosroes*, ex Elmacino 3,4. Bauarorum *Cacannos*, ex Ioan. Bohemo de moribus gent. Sic à Turcis Seruiæ Despotas omnes vocatos fuisse *Lazaros*; Constantinopoleos Imperatores *Constantinos*, notat Leunelau. Pandect. histor. Turc. cap. 46. & capp. 51. 54. 68. 73. & 90. D. Basilius tradidit *Abimelech* commune fuisse Palæstinorum regum nomen. Tzetzes Chil. 5, 10. Ionum *Palmis*. Paul. Diac. hist. Langob. 3,16. & Regino in Chronico, Langobardorum *Flauius*. Seruius ad Virg. Æn. 6, 529. Albanorum *Murranus*. Gregor. Turon. 4, 24. Hunnorum *Cahanus*, vel *Chaganus*. Qui autem ex eo quod apud Capitolin. cap. 5. Gordiano acclamatum fuit, *nouo Scipioni*, procoss. Africæ *Scipiones* vocatos fuisse asserunt, haud magis verum dicunt, quam qui Hispanorum Duces *Romulos* dictos contenderet ex Floro 2,17,15.

8,12,15. *IPSI, AMICISQVE)* Sic apud Tacitum 2,57,6. *in conuiuio* Nabathæi regis, *coronæ aureæ magno pondere Cæsari & Agrippinæ, torques Pisoni & ceteris offeruntur.* Quod discrimen hic etiam obseruatum fuisse puta. Apud Ægyptios tamen postea solis Regibus hic honor habitus est, donec Aristomenes per adulationem deferret eumdem Agathocli. Polyb. 15,29.

8,12,16. *ADIECIT)* *Operam* enim *dabat, vt omnes homines benenolentia superaret.* Polyæn. 4,3,1. *Gloriari* quin etiam *solebat, à nullo se beneficiis victum.* teste Seneca de benef. 5,6,1. Plutarchus cap. 103. narrat, huic ipsi Taxili in primo eorum congressu sua omnia offerenti respondisse: *contendam tecum beneficiis, ne me superes benignitate. Ac muneribus acceptis multis* (addit ibi Plut.) *datisque pluribus, denique mille talentum argenti signati ei propinauit.* (παρεπιεν) *Qua re torsit amicos acriter &c.* Idem Strabo lib. 15. *adeo vt Macedones inuidia correpti dicerent: Quasi vero Alexander non habuisset quibus beneficeret, priusquam Indum trayceret.*

8,12,18. *INVIDOS HOMINES)* Idem testatur Epigrammatographus quisquis ille est, anthol. 1, 83.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἴσχε δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ,
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.
Grande malum liuor, tamen est bonitatis in ipso
Nonnihil, eorum lumina corque vorat.

Et quod eiusdem sententiæ monostichon:

Ὁ φθόνος ἑαυτὸς ἑαυτὸν ἰοῖς βιλέεσσι δαμάζει.
Telis ipsa suis se domat inuidia.

Multa alia extant in anthol. περὶ φθόνου. Sed hæc maxime huc faciunt. Accinit his Pindarus Pyth.

Qui facultate alicuius tangitur abundanti,
Inflixit vlcus suo ante animo,
Quam quæ secum corde molitur assequatur.

Optime Alciatus finxit, depinxit & descripsit inuidiam cultu habituque fœminæ, quæ liuentibus oculis, pallenti viperam ore mandit, cor manu dextra gerit, scipionem sinistra è paliuro, seipsamque vulnerat. Cui hoc tetrastichon subiungit:

Squallida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuique dolent oculi, quæque suum cor edit,
Quam macies & pallor habent, spinosaque gestat
Tela manu; talis pingitur inuidia.

Ad hæc multa Claudius Minos Alciati Scholiastes. Raderus. Respexit Alciati descriptio illud Ouidii Metamorph. 2,776.

Pallor

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies, scabri rubigine dentes.

Item ibid. vers. 782.

Sed vides ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum; carpitque & carpitur vna,
Suppliciumque suum est. - - - Horatius epist. 1, 2, 58.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum - - - Isocrates in Euagora: Τῷ φθόνῳ τοῦτο μόνον πρόσεστιν ἀγαθόν, ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσιν ἐστίν. Quem respicere potuit auctor epigrammatis Græci, quod supra relatum est.

8,13,1. *ABISARÆ*) *Ambisarum* Arrianus 5, 2, 1. & 5, 3, 6. *Abisarem*, alibi: *Abiasarem* appellat. *Abisarum* Strabo lib. 15. Diodorus 17, 90. *Embisarum*. Raderus. Hunc etiam intelligit Arrian. 4, 5, 31. quamuis ibi legatur *Barisades*, transpositis, vt sæpe & alias, literis. apud Ælian. de hist. anim. 16, 39. *Apositares*. Suidas *Abisarum* loci nomen fecit.

DITIONI EIVS) Se suaque permittebat Alexandro. Contra Politicus scriptor de iure Maiest. cap. 4. extremo, ait Alexandrum *omnia illorum ditioni permisisse*. Sic enim affirmat Curtium tradere de Taxile & Abisare: quos eo argumento demonstrat maiestatem non perdidisse. Verum ista quidem vis est.

8,13,2. *ALTERVM EX HIS*) Transtulit responsum hoc Barclaius ad Lycogenem suum. Sic Eduardus Eduardi III. filius, Valliæ princeps, citatus à Gallo rege in Senatum Parisiensem, respondit: *venturum se quidem Parisios, postquam Rex ita iubeat: sed galea capiti imposita, & comitatum sexaginta millibus.* Frossardus lib. 1. histor. Sic apud Bellai. histor. lib. 4. Henricus VIII. Anglus Romano Pontifici ad se venire iubenti, nunciari iussit: *Si cogatur Romam profectus à Pontifice delectorum orare veniam; eo se iturum ita comitatum, vt Pontifex eam sibi iubentissimo animo sit concessurus.*

8,13,3. *BARZENTES*) Drangarum satrapa & finitimorum Arachosiorum, qui aduentante eas in regiones Alexandro profugit in Indiam, supra 6, 6, 36. inde sollicitans Arachosios, in qua nempe gente multos adhuc haberet clientes & amicos: donec ab Indis comprehensus Alexandroque deditus est. Arrianus 3, 4, 18. quæ diuersis temporibus facta distincte prodidit Curtius, coniunxit: *Barsaentes vero, qui tum eam regionem obtinebat* (Drangas puta; ipse *Zarangæos* vocat) *vnus ex iis qui Darium in fuga oppressérant, cognito Alexandri aduentu, ad Indos qui cis Indum flumen incolunt, fugit. quem Indi comprehensum ad Alexandrum mittunt. Alexander illum, ob perfidiam qua erga Darium vsus fuerat, interfici iussit.* Βαρσαήντα πρὸς Ἀλεξάνδρου, habent Græca: Curtius nihil de eius interitu tradit. Plutarchus cap. 100. videtur velle ipsius Alexandri manu peremptum: *Ex rebellantibus barbaris Orsodatem ipsemet confixit iaculis.* Hunc enim intelligi non quidem affirmo, sed tamen dubito. Scimus enim quantum variationis in eiusmodi barbaris nominibus, in scriptorum libris reperiatur. Ipsi quidem Arriano 3, 2, 7. *Barsaetes Arachotorum satrapa* dicitur.

8,13,4. *GAMAXVSQVE*) Forte *Gamaxus quoque*. Idem volebat Acidalius.

8,13,8. *FLVMINIS*) Hydaspis. Auctor de fluminibus, qui Plutarchus falso inscribitur, cum nominis etymon, seu fabulam potius de rege se in flumen inficiente exposuisset, ex Dercyllo 3. de montibus refert montem flumini subiectum appellari elephantem hanc ob causam. Alexandro cum exercitu Indiam inuadenti, visum incolis, armis occurrendum esse. Pori vero terrarum illarum regis elephas quo vehebatur,

batur, repente œstro percitus tumulum Solis conscendit, ibique humana voce vsus, Domine rex, inquit, qui genus ab Gegasio (ἀπὸ γηγασίου) ducis, nihil contra Alexandrum moliare, est enim Ioue natus: & cum dicto occubuit. Quo Porus audito, trepidus ad Alexandri genua accidit, pacemque orauit, qua potitus montem à belua elephantem appellauit. Raderus. Videtur illo nomine *Gegasii* ad Gangem alludi.

8,13,12. *SVMMÆ EXPERIEBATVR EVENTVM*) Sic apud Liuium 3, 61, 10. Horatio duce *parua certamina in summam totius profecerant spei.* Et ibid. 7, 32, 5. Valerius *leuibus certaminibus tentat hostem.* & 37, 18, 4. *Attalus per leuia certamina expertus nulla parte virium se parem esse hosti, intra mœnia se recepit.* Multa hoc genus passim. Vide dissertat. Amirati 19, 1.

8,13,15. *INVENIRET MODVM*) Vide Gruterum ad ista Liuii 30, 30, 19. *Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuendo eundem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit.* Ἐυπραξίας ἂν ἔτι ἀνθρώποισι ὀδὸν πλῆθεν. Herodot. lib. VII.

8,13,17. *TALEM DOLVM*) Quem etiam describunt Arrian. 5, 2, 9. Plutarch. cap. 104. Polyæn. 4, 3, 9. & Front. 4, 1, 9. quo toto capite *de transducendo exercitu per loca hostibus infesta* agit.

8,13,18. *OCVLOS HOSTIVM AVERTERE*) Vide quæ notaui supra ad 4, 6, 9. Liuius 38, 33, 10. de Scipione *moram pugnandi nullam fecit, vt ipso certamine auerteret à conspectu transeuntium per colles equitum.* Idem 30, 4, 8. de eodem: *vt ab eo quod parabat, in alterius rei curam conuerteret hostium animos.* Simili stratagemate Raxam flumen transmisit Otho Magnus, narrante Fabricio Orig. Saxon. lib. 2. *Per totam noctem iubet strepitus excitari, & hostes lacessere missilibus, quasi flumen vi esset transituros. Ad eum motum Slaui frequentes concurrunt, & ad resistendum sese accingunt. Interea Gero* (Dux Othonis) *vno à castris milliario discedit, & hoste vltra flumen occupato, cis flumen securo, pontes tres sternit tenebrarum beneficio: quibus celeriter confectis, ad Regem mittit, vt pergat copias absque cunctatione traducere.* Hieronis strategema simile refert Polyænus 1, 29.

8,13,19. *ADVERTERE*) Malim; *obuertere.*

8,13,21. *VESTE REGIA EXORNAT*) Sic Gelon per *Pediarchum sagittariorum præfectum, sibi forma & aspectu similem tyrannica veste indutum* fraudem parauit Himilconi apud Polyæn. strat. 1, 27. Cominæo lib. 6. teste, Ludouicus XI. *eum habebat morem, vt è suis vnum aliquem sæpe vellet eodem esse cultu corporis, quo ipse erat.* haud dubie, vt erat vaferrimo ingenio, quo opportunitate data vel securos opprimere posset; vel insidiantes fallere. Pulcherrimum strategema Datamis refert Corn. Nepos Dat. 9, 4. Sic apud Diodor. 19, 5. *Agathocles, quid animo dux* (Acestorides) *moliretur, coniectans, è iuuenum catu statura formaque sibi quam similimum delegit. Huic armis, equo, vestibusque traditis, ad cædem sui missos astute circumuenit.* Quippe succidanea illa hostia relicta, ipse euasit incolumis. Sicut apud Polyænum 1, 12. ancilla Helenæ cultus heræ induta, vicem illius occubuit. item alia Arsinoës, apud eundem 8, 56. Harmoniæ, apud Val. Max. 3, 2, 9. ext. Seruus Panopionis, ibid. 6, 8, 6. quod paulo aliter narrat Dio in Augusto 47, 2, 4.

8,13,24. *SPISSÆ NVBES*) Petronius: *Tam spissæ repente tenebræ lucem suppresserant, vt ne proram quidem totam gubernator videret.* Vide notatos ad 4, 3, 16. supra.

8,13,27. *IN ORDINES*) Sic emendauit Acidalius: nec falli eum demonstrant similia loca, quæ Index exhibebit.

8,14,1. *IAMQVE AGMEN*) Sequitur ipsius pugnæ descriptio, commissæ bidui itinere à Taxilis, si Philostrato 2, 15. credimus.

8,14,2. *CENTVM QVADRIGAS*) Mira hic scriptorum rursus dissensio, aliud Curtius, Plutarchus c. 105. aliud Aristobulus, aliud Ptolemæus apud Arrianum 5, 2, 24. narrant; quos ipse adibis. Raderus. Adde Polyænum 4, 3, 21. & 22. qui eum quem noster *Hagen fratrem* Pori, videtur appellare *Pittacum nepotem*. Dignus autem hac in re locus Arriani 5, 2, 24. qui explanetur: præsertim cum nullo modo à nostro instituto alienum id sit futurum. Ait, vel potius Interpretes: *Ptolemæus, cui ego assentior, aliter sentit. Nam & ipse filium à Poro missum fuisse scribit, non autem LX. solum currus ducentem. neque enim verisimile est, Porum quum iam per speculatores certior factus esset, aut ipsum Alexandrum, aut certe partem exercitus Hydaspem transiisse, filium suum cum sexaginta tantum curribus emisisse. qui quidem veluti ad speculandum missi, satis multi etiam non bene instructi erant vt nimirum expeditius sese recipere possent: at vero ad arcendum hostes nondum transgressos, aut cum eis iam transgressis congligendum, nequaquam pares erant.* Sensu cum per se ridiculo: tum inprimis ab Arriani mente egregie alieno: *satis multi*, nam pauciores puta triginta currus, ad explorandum non erant futuri satis multi. *etiam non bene instructi*, hoc enim opinor, magnopere expediebat ad receptum, vt male instructi essent. *vt nimirum expeditius sese recipere possent*, quasi vero ea potius caussa, quam ad arcendum hostem missi forent. Arrianus.: ἃ δὴ ὡς μὲν ἐπὶ κατασκοπὴν ὁπλιτοδρόμια, πολλά τε καὶ ἐκ ἐυζώνα ἐς πλῆ ἀποχώρησιν ἦν· ὡς δὲ ἐς τὸ ἔξεσί τε τὰς ἄπω πεποιημένας τῶν πολεμίων, καὶ τοῖς ἤδη συμβεβηκόσιν ἐπισπέδοις, ἀδυμῆ ἀξιόμαχα. Nimirum confutat narrationem eorum qui tradiderunt, Porum audito Macedonum transitu filium suum misisse cum sexaginta admodum curribus. Quod quidem teste Plutarcho cap. 105. ipse Alexander in epistola quadam scripsit. verum Arrianus negat verisimile sibi videri, belli peritum hominem, id fuisse commissurum, cum nulla appareret ratio: aut enim explorandi caussa eos miserit, aut pugnæ: non illud, nec enim tam multos misisset: non hoc; nec enim misisset tam paucos. Vertendum ergo fuit: *filium suum cum LX. tantum curribus emisisse. qui, si ad speculandum missi forent, nimis multi, neque ad receptum expediti fuissent: si ad arcendum &c.* Habuit nimirum aut habere potuit in animo illud Xenophontis extremo lib. 6. Hist. Græc. quod redimendi temporis chartæque caussa tantum Latinum adscribo: *Pauci æque aliquid, ac multi, videre possunt: ac si pedem referre necesse sit, multo facilius pauci, quam plures, tum viam idoneam reperire, tum quiete discedere possunt. At multos adducere, neque tamen hostibus pares, qui non ingens dementia sit?* Nec abludit Tigranis scomma in exercitum Rom. apud Plutarch. Lucullo cap. 57. Ἐι μὲν ὡς πρεσβευτὴν, πολλοὶ πάρεσαν· εἰ δ' ὡς στρατιώτην, ὀλίγοι. *Si quidem legationis caussa venerunt, multi nimis sunt: sin pugnæ, nimis pauci.* Lubet adnotare, Ptolemæum & Aristobulum citato Arriani loco in hoc consentire, filium Pori missum esse, quod ii sane, quippe viderunt Porum, aut scire potuerunt, aut credere. Quin & duos eius filios occubuisse ea pugna scripserunt: adstipulante quoque Diodoro 17, 89. quæ res manifestæ falsitatis conuincit nugas Philostrati 2, 10. Porum *fuisse admodum adolescentem, quando cum Alexandro pugnauit.*

8,14,3. *IN CVRRIBVS*) De equis, curribus, elephantis Indicis, Ælian. hist. anim. 13, 9. qui binos tantum epibatas, siue adscensores, singulis curribus tribuit. Quod & Strabo firmat lib. 15. δύο δ' εἰσὶν ἐπὶ τῷ ἅρματι ἀναβάται πρὸς ἡνίοχῳ currus præter aurigam vectores duos habet. idque magis credam quam vt Curtius narrat.

8,14,9. *HOSTIVM TENVS EXACTI*) Non expedio me ex verbis: sensum teneo. qui vtique non ille: *paucos ex curribus & aurigis ex hostibus elapsos ad Porum properasse, ex tota hostium acie exactos, seu in fugam coniectos.* Sed quem supra 4, 15, 17. concepit his verbis: *Paucæ tamen enasere quadrigæ in vltimam aciem &c.* Vult ergo; curruum aliquos per interiectam hostium aciem penetrasse ad Porum. Obseruandum enim duplicem fuisse pugnam, maiorem illam quæ mox describetur, & hanc Hagis nepotis regii, quem à rege intercluſum habuisse Macedones significare videtur auctor. An autem particula *tenus* hoc interpretamentum patiatur, ipse quidem dubito: sensum autem alium non esse liquido perspicio. Est autem locus hic in aliis Codd. aliter expressius, quod quidem argumentum solet esse corruptionis. Nec sane placet, quod facit Porum *acerrime pugnam cientem*: deinde postea demum aciem instruentem.

8,14,10. *AD NOTVM SONVM*) Nam & primum captos mitigari scripsit Arrian. Ind. 2, 29. *tympanorum ac cymbalorum pulsu.* Alias enim fere impatiens esse solet insueti sonitus hoc animal, qua re sæpe etiam consternati, inque fugam acti leguntur.

8,14,11. *HERCVLIS SIMVLACRVM*) Huius rei testem Curtius vix inueniet ex iis qui hodie leguntur. Raderus. Ernstius obseru. 2, 22. credit se reperisse eius rei indicium Florentiæ in hac inscriptione corrupta: *Hercules * Dor *** For** quam supplet; *Hercules Indorum Fortitudo.* ipse viderit. Ceterum etiam apud maiores nostros consuetudo ista tenuit, vt simulacra deorum *lucis detracta in prælium ferrent*, teste Tacito. atque inde nobis vexilla **Fanen** appellantur: quod antiquitus **Fan** deum significabat: quod hodie septemtrionalibus diabolum, postquam nimirum falsorum numinum errores abiecerunt. Inde *Tanfana* apud Tacit. 1, 51, 2. quod hodie vocant **Skogsroo**/Syluestrem dæmonem. **Tfan** enim syluam notabat maioribus nostris, vt in veteribus cantilenis sæpissime. Et apparet ratio moris. Sic enim fiducia creabatur militi, tamquam præsenti numinis auxilio, metus hosti. Sic Constantinus crucem, labarum, pro signo habuit. Iudæi videntur DEI nomen prætulisse, ex Ps. XX. & Iesai. 11, 10.

DESERVISSE GESTANTES) Quomodo & alibi *primum militiæ vinculum est, religio, & signorum amor, & deserendi nefas.* Vide Florum 1, 11, 2. g.

8,14,12. *POENAM IIS QVI*) Acidalius malebat: *capitis etiam sanxerant pœna, si qui ex acie &c.* & mox pro *etiam in religionem* idem, *iam in religionem.*

HOSTE QVONDAM) De Herculis in Indos expeditione nota scriptis antiquorum fabula, quam cramben non recoquo. tantum miror hodieque apud incolas durare famam eius rei. Anno MDIX. Almeida *in fluuium delatus est, qui per Cambaiæ regnum in mare influit. Fluuium appellant Maim* (antiquo nomine. nam & apud Arrianum periplu maris Erythr. 3, 5. *ingens est fluuius qui Mais dicitur*) *ibi vidit in oppido peruetusto maximum & ampliſſimum templum, & campum latissimum, in quo erant sepulchra innumerabilia. Cum ab incolis scisciteretur, quid infinita illa mortuorum monimenta designarent: responderunt illi qui sapientes existimabantur, antiquissimis regionis illius scriptis atque monimentis contineri, Herculem in Indiam cum maximo exercitu penetrasse: & in eo loco bis cum Rege quodam potentissimo collatis signis conflixisse, & vtroque prælio superatum fuisse. Vt autem tam præclari facinoris memoria seculis innumerabilibus conseruari posset, institutum ab antiquis fuisse vt locus ille, in quo milites Herculis ceciderant, religione consecraretur, & illa sepulchra inuiolata permanerent. Hæc quidem illi prædicabant: quibus quanta sit habenda fides, liberum sit ei qui velit, iudicare.* Osorius de reb.

Emmanuelis lib. 6. In hac autem narratione multa insunt, quæ propter à Lusitanis potius quam Indis confictam esse suspicer.

8, 14, 13. *SPECIEM TVRRIVM*) Eadem similitudine supra 8, 12, 7 vtitur. eadem Diodorus 17, 87. Arrian. 5, 2, 36. & Polyæn. 4, 3, 22. Apud Marcellinum 24, 22. *Elephanti gradientium collium specie motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant.* Montibus comparat Iacob. de Vitriaco hist. Hierosol. cap. 86. *Sunt robusti membris & corpore magni velut montes.* Subnectit deinde alia ex fabulosa Alex. historia, & epist. supposititia ad Aristot. commentum esse hoc aduersus belluas istas Alexandrum, vt æreas statuas ardentibus prunis impletas illis obtruderet: ad quas *protendentes*, ait peritus scriptor, *labra comburebantur.* quæ ineptiæ placuerunt etiam nugatori Iudæo Iosephi nomen stolide mentito. Quicquid autem sit, in confesso est Porum hoc bello elephantis vsum. Quo argumento Photius ostendit, Agatharchidem lib. 1. de mari rubro, vel memoria lapsum fuisse; vel ad Ægyptios tantum reges, aut saltem Alexandri successores respexisse, cum Ptolemæum Philadelphum primum fuisse scriberet, qui elephantorum venationem instituerit.

IPSE PORVS) *Erat enim quinque cubitos altus.* Arrian. 5, 2, 47. Diodorus 17, 88. adjicit: *crassitudine autem tanta, vt thorax eius duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent.* At apud Plutarchum cap. 106. *Porum plerique scriptores consentiunt quatuor cubitos palmo excedentem*, quem locum merito suspectum habet Raderus, & pro πεσάρων πηχῶν reponit πέντε. cum etiam Eustathius ad Dionys. versum 1027. multos Indorum tradat πενταπήχεις quinque cubitales reperiri: Porum autem excessisse quinque cubitos. Sane maiorem quatuor cubitis oporteat fuisse, qui, vt ibidem addit Plutarchus, elephanto suo proportione equitis insideret. Philostratus 2, 10. ait fuisse *proceritate corporis tanta, quanta, post Troiana tempora nemo.* Arrianus peripl. mar. Erythræi 3, 2. ait in illis regionibus reperiri ἄνδρας ὑπερμεγέθεις τὸ σῶμα, *viros excedentibus modum corporibus præditos.* Ceterum de Mithridate similia fere notasse credo Sallustium, si extarent quæ iuxta hoc fragmentum scripsit: *Mithridates corpore ingenti, perinde & armatus.* Apollodorus lib. II. de diis, *Herculem* τετραπηχυαῖον fuisse refert. quem etiam modum Diodorus, 17, 91. tribuit Sopithæ. Sed Philostratus in Heroicis Protesilao suo decem cubitos tribuit. *Maximinus* (*vt refert Cordus* apud Capitolin. cap. VI.) *erat magnitudine tanta, vt octo pedes digito videretur egressus.*

FORMAM) Rutgersius Var. lect. 3, 4. emendabat *normam*: haud absurde. Potius tamen assentiar Bongarsio glossema hoc esse: vt scilicet diuisa voce *propemodum*, legatur; *magnitudinis promodum excesserat.* Moueor etiam nonnihil versu Galteri:

Humanique modum transgressum corporis.

Solet enim ille ipsa fere Curtii verba in numeros redigere. Si tamen vulgatam lectionem teneas, interpretabere *formam*, vt fere accepit Probus in Eumene: *multi etiam qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset.* Tacit. 2, 39, 3. *forma haud dissimili in dominum erat.* Quid tamen si legas; *magn. prope modum excesserat. formam magnitudini Pori adiiciebat beluæ &c.* id est, decorem, speciem. si enim legas, vt editur, *magnitudini adiiciebat*, falsa est sententia: quanto enim maior est elephantus, tanto minorem apparere necesse est qui eo vehitur. dextrum enim suum cornu ipse duxit.

8, 14, 14. *PAR ANIMO MEO*) Sic fere apud Lucanum 5, 652.

- - Credit iam dignæ pericula Cæsar
Fatis esse suis. - - -

8, 14, 15. *IPSE DEXTRVM*) Acidalius, probante Radero legit; *ipse in dextrum mouet*, nam Alexander iam in læuum se irruere velle significarat. Negari tamen

tamen non potest in describendis aciebus Curtio non nimium esse tribuendum. Certe caussam haud vnam habuit Glareanus, sin hic dixit auctorem nihil habuisse pensi, quid scriberet. Sunt enim vbi merito quis offendat, quæ Raderus præter Acidalianam coniecturam, hac quoque ratione submouet, vt dicat mox num. 17. vbi scriptum est Cœnum *in læuum cornu inuectum*, quamquam sic etiam Mss. habeant, legi debere; *in dextrum.* Sed hoc quidem satis violentum est. Qui autem hoc loco, *ipse dextrum mouet*, Alexandri, non hostium dextrum cornu accipit, sane valde fallitur: Non igitur video, qua caussa Glareano sic insultet Raderus, qui dum errorem eius detegere satagit, inter alia etiam obiicit, non distinguere eum duas pugnas, alteram cum Hage, alteram cum ipso Poro. Id quidem haud falso, nisi ipse eandem culpam incurreret: nam aciem Alexandri contra Porum quam Arrian. 5, 2, 32. describit, referre volens, narrat nobis aliam contra Hagen, quam Arrianus superius num. 20. proposuerat. Polyænus quoque aciem vtramque aliquo modo depingit: vbi tamen vix inuenies, quo Curtio opem feras.

ANTIGENES) Vulgo *Antigone.* quæ duo nomina confunduntur etiam in Var. Lect. 5, 2, 5. Sed Antigonus Phrygiæ vicinæque Lydiæ satrapa relictus fuerat, de quo supra 4, 1, 35. vbi locorum etiam res gessit circa prœlium Arbeliticum. Atque deinceps ibi mansisse argumento est, quod infra 10, 10, 2. illæ regiones ei decernuntur: quod forte non fuisset factum, nisi iam tum in possessione earum fuisset. Sed & ex Diodoro 18, 23. colligo eum ab eo statim tempore satrapia sua non excessisse. *Antigenes* autem Argyraspidum phalangitarum dux fuit, vt ex Diodoro 18, 62. aliisque locis liquet. Recte igitur sic restituimus. & omnino certum illud est ex Arriano. Adde infra ad 10, 10, 1. voce *Susiana.*

IN MEDIAM ACIEM) Modius interpolabat; *non in mediam aciem, sed vrgebitis frontem.* At vetustam lectionem *in med. aciem*, omissa negatiua, & *vrg. frontem*, merito restituit Acidalius. mediam aciem intelligit, quæ inter duo cornua erat dispositia: quæ simul etiam *frons* exercitus instructi dicitur, eadem figura, qua partes à læua dextraque, *cornua.* Tamen, ne quid dissimulem Pal. 1. habet, *non inueh. in med. ac. sed vrg. frontem.* Verum negatiuam natam putem ex præcedenti voce *Tauron*, collisa cum sequenti *inuehimini*: qua demum recepta procliue fuit & in *sed* mutare.

8, 14, 16. *ANCEPS AVXILII GENVS*) Ita Liuius de falcatis curribus 37, 41, 9. *Eumenes haud ignarus pugnæ, & quam anceps esset auxilii genus.* Sed & elephantos Lucret. 5, 1349. *commune malum* nominat. De hac re Stewechius in Veget. 3, 24. *Illud*, inquit, *certe silentio prætereundum non est, sæpe communi partis vtriusque periculo productos in campum elephantos, testis mihi Hirtius de bello Africano cap. 27. Plutarch. in Pyrrho cap. 55. Q. Curtius. eo quod hæ bestiæ in suos frequenter se conuerterent. testis Appianus de bellis Punicis. luculentissimum quoque eiusdem testimonium laudandum puto ex libro de bello Hispaniensi. Virus*, inquit, *elephantorum graui percussus saxo de muro caput, furere atque effrenate ferri cepit, inque amicos horrendo clamore furens se coniecit, quemuis obuium trudens ac proterens: similiter & reliqui elephanti, illius clamoribus exterriti fecerunt. quod quidem sæpe memoro solent, cum insaniunt, quemuis vt inimicum accipiens, ob quam eorum perfidiam quibusdam communes hostes appellati.* Arrianus certe 5, 2, 30. ita etiam in hoc prœlio vsuenisse docet. Idem Siculus 17, 88. narrat, & Curtius ipse mox infra. Plinius 8, 9, 3. *minimo suis stridore terrentur, vulneratique & territi retro semper cedunt, haud minore partium suarum pernicie.* Raderus. Adde Florum 1, 18, 12.

8, 14, 17. *IN LÆVVM CORNV*) Ex mente Curtii, si non ex ca-

lamo, certissimo legendum, *in dextrum*. ita etiam Arrianus 5, 2, 33. *Cœnum ad dextrum cornu mittit*. Raderus.

8,14,19. *IMPONVNT*) Mss. Q. *imponuntur*. sicut diuinaueram, volueramque part. *tum* expungi.

8,14,23. *EQVOS*) Qui stridorem elephantorum ferre non possunt. Vide quæ notaui ad Florum 1, 18, 8. f. Quare Cæsar in Africa bellum gerens contra Scipionem & Iubam, qui elephantos habebant; ipse quoque nonnullos ex Italia adduci iussit, non alio fine, nisi vt milites eos ex quotidiano conspectu metuere desinerent, atque *vt iumenta bestiarum odorem, stridorem, speciem, consuetudine captarum non reformidarent*. Hirtius de bello Afr. cap. 72. Atque hæc ratio potissimam difficultatem transeundi Hydaspis obiecit Alexandro, notante Arriano 5, 2, 8. & 13. solum hoc timuisse, ne equi specie & clamore belluarum territi rem turbarent. Ibid. num. 29. editum est; *neque enim putabat* (Porus) *quenquam hostium per illa elephantorum interstitia penetrare ausurum, sed ne equites quidem, equitum metu*. nescio an typothetæ vitio: legendum enim, *equorum metu*. Scipio contra Annibalis elephantos *equitatum Numidarum in vtroque cornu locauit, assuetum ferre odorem & aspectum elephantorum*. *Italico vero non assueto talibus postremam aciem clausit*. Appian. de bel. Punicis. Quod autem *pauidum ad omnia animal* vocat, de insolito tumultu aut specie interpretare: cuius rei exemplum in Liuio 10, 28, 9. Apud Tacit. 1, 66, 1. *Forte equus abruptis vinculis vagus, & clamore territus, quosdam occurrentium obturbauit*. Vnde à Persis singulari industria exercebantur, *ne armorum fremitum, & gladiorum ad clypeos resonantium in pugna crepitum extimescerent*. Ælian. histor. anim. 16, 25, 1.

8,14,24. *AGRIANOS ET THRACAS*) Hos vt equites sagittarios crederet Explanator, in caussa fuit Arrianus 5, 2, 34. vt coniicio, qui tradit Alexandrum in Indos immisisse mille hippotoxotas. Sed eos ex num. 15. ibid. *Daas* fuisse crediderim. certe Agriani & Thraces non magis equestri rei studere potuerunt, quam apud nos Heluetii aut Rhæti.

8,14,28. *PEDES AMPVTARE*) Annotata hæc historia etiam in Turcorum libris. testatur Eurenoses apud Leunclau. hist. Musulman. lib. 5. *Perscriptum nostris in libris reperitur, bello Macedonis illius Alexandri Magni aduersus Indorum regem Porschachum* (hoc est Porum regem) *totis quum viribus vtrimque dimicandum esset; Porschachum ante suas acies elephantos ordine constituisse, qui suis essent instar muri cuiusdam aduersus Alexandreos ne quo solebant impetu ceteroqui turmas hostiles perrumpere, suos etiam dissiparent ordines. Alexandrum vero, quum suos copidum ictibus, qui gladij sunt instar cruni, proboscidas siue manus belluis, & crura iussisses amputare, subitum elephantis iniecisse pauorem, eosque versus Indorum agmina reiectos, tanta vi aciebus illorum immisisse; vt euentu prorsus inexpectato, nullum Alexandreo militi damnum darent, suos Indos proterrerent ac dispergerent*.

8,14,29. *BELLVARVM MANVS*) Proboscides, amputatu non ita difficiles, vt bello Pyrrhi Tarentino C. Minucius ostendit apud Florum 1, 18, 9. & Plinium 8, 7, 2. Sic veteranus Cæsaris ab elephanto in altum sublatus, proboscidem cecidit. Hirt. de bell. Afr. cap. 85. Vide Stevvech. in Veget. pag. 222. m.

8,14,32. *NOVEM IAM VVLNERA*) Arrianus 5, 2, 47. nonnihil à Curtio diuertit: *Cum in dextro humero, quem quidem solum in pugna nudum ferebat, vulnus accepisset (nam à reliquo corpore thorax facile tela propulsabat) ipse alioqui insigni & robore & membrorum conuenientia præditus, vt postea eius conspectus docuit, conuerso elephante recessit*. Siculus 17, 88. *Porus tandem cum heroice depugnasset, præ multitudine*

dine vulnerum exsanguis animo deficit, & viribus infractis è bellua ad terram delabitur. Raderus. Themistius quoque orat. 9. multis vulneribus affectum fuisse tradit. item Iustinus 12, 8, 5. In Arriani loco est quod obiter moneam, illa verba πεζέτης ὢν ηρι πέ τε τλὼ ἰσχύι, ηρὶ τλὼ ἀεμοσύνῃ de ipso Poro perperam accipi, reddique; *ipse alioqui insigni & robore &c.* nam de thorace loquitur auctor: *firmitudinis & operis eximij thorax vt postea intuentibus apparuit, facile tela propulsabat*.

8,14,34. *EQVVS*) Bucephalus. quo de alibi.

8,14,36. *PRODITORIS*) Alii *proditorem*. Sed qui illud in fratrem Taxilis conuenerit? in ipsum potius. ergo *proditoris* repono. volentibus etiam Mss. quos postea inspexi.

8,14,37. *VIRTVTIS OPERE*) Simili re styloque Liuius 30, 35, 8. *Hoc edito velut vltimo virtutis opere, Annibal quum Adrumetum refugisset &c.* Quod hi *vltimum virtutis opus*, id *extremam virtutem* appellat Statius, vbi Tydeus

\- - - *nec me virtus extrema fefellit*,

8,14,39. *PROCVMBERE IVSSIT*) De elephantorum indole, docilitate &c. habes apud Plinium lib. 8. multis à principio capitibus, & Lipsium singulari epistola 50. cent. 1. Sed de Pori elephanto ex Plutarcho cap. 106. cognosces, quomodo regi in terram demisso è vulneribus tela sensim & leuiter extraxerit. Audi quæ de eodem forte (quem tamen Curtius confossum prodit) tradat Philostratus 2, 6. nullo modo prætermittenda, mira sane & memoranda. *De elephantorum, inquit, ætate, & quod longissimæ vitæ sunt, ab aliis pluribus scriptum est: veruntamen hi penes Taxila vrbem omnium vrbium, quæ apud Indos sunt, maximam, elephantum inueniße perhibent, quem inungebant, & vitiis ac myrteis coronis indigenæ ornabant: asserentes vnum ex his esse qui pro rege Poro aduersus Alexandrum pugnauerat, quem propterea quod in pugna promptissime versatus esset, Alexander Soli dedicauit. esse autem illi torques aureos circa dentes, seu potius cornua libeat appellare, & in torquibus literas Græcas insculptas hæc verba referre*: Alexander Iouis F. Aiacem Soli. *hoc enim Aiacis nomen ipse elephanto imposuit, magnum magno nomine exornans. Conjiunt autem indigenæ annos quinquaginta supra trecentos ab ea, quam diximus, pugna, ad ea tempora intercessisse: cum tamen scire non possint, quot fuerit natus annos, quando pugnæ interfuit*. Raderus. Multa de elephantis Nierenbergius. Item Bulenger. de Venat. Circi toto cap. 21. vbi miror inter plurima Æliani loca me non reperire cap. 37. lib. 7. de animal: vbi de Pori elephanto idem quod Plutarchus tradit, adjicitque semetipsum inclinasse, quasi diceret, sua sponte, non à magistro iussum, procubuisse. Sed Curtio potius credam, sic enim edocebantur. Seneca epist. 85, 43. *elephantum minimus Æthiops iubet subsidere in genua*. Vide Marcil. ad Martial. 1, 17. Idem Ælian. 3, 46. similia fere quæ de Pori elephanto Curtius, de alio Indico narrat, qui dominum suum protexerit, & labentem promuscide sustulerit.

8,14,41. *QVÆ MALVM*) Similiter fere Perseum percontatur Æmilius apud Liuium 45, 8.

8,14,43. *QVID IPSE*) Auet & audet animus pro *ipse, in se* referre, nisi vtrumque simul forsan aliis videatur. Acidalius.

QVOD HIC DIES) Plutarchus cap. 106. & de ira cohib. cap. 16. cum Arriano 5, 2, 48. simpliciter tradit, rogatum ab Alexandro Porum respondisse βασιλικῶς, *regie*, seu *regaliter*, atque *in eo esse omnia*. multo elegantior & vrbanior est narratio Curtii. Raderus. Ego Curtio irascor quod interpolauerit responsum Pori à Græcis relatum, quod & credibilius est, & admirandæ maiestatis grauitatisque plenum. Egregie de eo differentem Themistium vide orat. 9. Ceterum *Principibus in omni fortuna regalem*

regalem dignitatem retinendam esse docet Amirat. dissertat. 12, 2. hoc ipso exemplo Pori, cui comparat eximium illum Ioan. Fridericum Saxoniæ ducem.

8,14,44. *MONENDO PROFECIT)* Sic apud Val. Max. 3, 8, 8. *Mæuius quo vitam constantius contempsit, eo facilius impetranit.* Plutarch. Lucullo cap. 28. *Pomponius, non obscurus vir, saucius captus est, atque ad Mithridatem vulneribus grauis pertractus. Quem vbi rogauit rex, an, si ipsum conseruasset, amicus sibi esses futurus? Sane, inquit, si pacem cum pop. Romano feceris: sin secus, hostis. Cuius rex admiratus virtutem, nihil eum læsit.* Eximie Seneca ad Heluiam 13, 7. *Qui aduersus sæuissimos casus se extollit, & ea mala quibus alij opprimuntur, euertit, ipsas miserias insularum loco habet: quando ita affecti sumus, vt nihil æque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser.* De Q. Mucio Scævola notum ex Liuio 2, 12, 5.

8,14,45. *AMPLIORE REGNO)* Suffragatur Plutarchus cap. 107. *adiecit liberorum ibi populorum, quos subegit, regionem, in qua nationes quindecim, vrbium non mediocrium quinque millia, & vicos quamplurimos memorant fuisse.* Arrianus 5,2,48. *aliam ei regionem vetere ampliorem adiecit.* Raderus. Habuit Plutarchus in animo, quod teste Plinio 6,17,19. *Alexandri Magni comites in eo tractu Indiæ quem subegerant, scripserunt quinque millia oppidorum fuisse, nullum eo minus, gentium IX.* adiicit Strabo lib. 15. *regionem hanc totam ab Alexandro subactam, ac Poro esse traditam.* Est autem quod in vtroque corrigendum putem: gentium numerum in Plutarcho. nam in nouem Plinius cum Strabone consentiunt; in Plinio, quod non satis determinate descripserit tractum eum Indiæ, lectoremque in hunc errorem inducat, in quo fortassis & ipse fuit, vt putet totum Indiæ tractum ab Alexandro domitum intelligi, cum eius comites hunc modo intellexerint, qui inter Hydaspem & Hypanim est, vt diserte tradit Strabo. & iuuat Arrianus 5, 3, 14. Nam inter Indum & Hydaspem multum terrarum subegerat, quas Poro non tradidit. Corrigendus etiam Eustathius ad Dionys. vers. 1141.

8,14,46. *IN HOSTE)* Habet enim hoc virtus, vt mirentur eam & hostes. Alexander hic supra 4, 6, 26. *virtutis in hoste mirator* prædicatur. Vibius Virius apud Liuium 26, 13, 24. *& ipsi virtutem mirabuntur hostes.* Cicero in L. Pisonem cap. 32. *Habet hoc virtus, vt viros fortes specie eius & pulchritudo etiam in hoste posita delectet.* Tale quid etiam Arrianus 4, 3, 31. vbi de voto Darii.

QVAM IN CIVE) Supra ad 6, 1, 18. Hoc animo ferunt & Herculem fuisse. Apollod. lib. 2. *Vbi Telamonem prius intrasse* (Troiam) *videt, stricto in eum ense vadit: Nam is melioribus seipso volebat neminem.* De Saulis in Dauidem inuidia, sacræ literæ testantur: profanæ de Antiochi in Hannibalem, Dionysii in Dionem, Tiberii in Germanicum, Claudii & Neronis in Corbulonem, Constantii in Iulianum &c. Contra *Scipio Marcium secum habebat cum tanto honore, vt facile appareret, nihil minus eum vereri, quam ne quis obstaret gloriæ suæ.* Liu. 26, 20, 2. At in eodem 26, 40, 4. Mutinis *gloria quia iam Imperatoris quoque famæ officiebat, postremo in inuidiam vertit.* Ceterum videtur esse verum Plutarchi cap. 63. testimonium de Alexandro: *Candidus erga omnem virtutem erat, factorumque ad memoriam custos & fautor honestorum.*

QVO MAIORES) Maximam è victoria Pori laudem sibi quæsisse visus est, quem regum & hostium maximum & potentissimum videri voluit, cum dixit sup. num. 14. *Tandem par animo meo periculum video.* Addam huic libro coronidem ex Taricio Mircondo Persa (Tarich Mircondi Persæ) cuius de rebus Persarum historia magnopere laudatur, in Hispanum sermonem à Petro Teixeira nobili Lusitano translata. è qua hæc decerpta sunt. Porus (qui Indis *For* appellatur) primo prœlio fusus reparatis viribus viginti diebus cum hoste velitatus est. & cum Macedo videret se viribus Poro imparem & victum, ad singulare certamen Indum prouocauit: nec Porus duellum detrectauit. In patenti ergo campo paribus armis & animis congressi, cum in medio conflictu ingens ex Pori castris clamor accideret, miratus quid esset, respexit; simulque vulnere ab Alexandro occupatus concidit. In hac historia, quædam vera, quædam fabulosa credi possunt, aut contra reliquorum scriptorum fidem. de secundo nimirum prœlio & viginti dierum velitatione, quam tamen ad ripam Hydaspis ab vtroque rege obsessam, & transitum tentatum possis referre. De duello etiam non caret Teixeira suffragatore. Iustinum 12, 8, 3. audi: Porus *sibi regem priuatum hostem deposcit. nec Alexander pugnæ moram fecit, sed prima congressione vix nerato equo cum præceps ad terram decidisset, concursu satellitum seruatur. Porus multis vulneribus obruitus capitur.*

Sed quo tempore, anno, ætate Alexandri hæc perpetrata? Annum & anni tempus signauit Arrianus 5, 2, 48. *Huiusmodi*, inquit, *exitum habuit pugna Alexandri aduersus Porum & Indos trans Hydaspen amnem colentes, Archonte Athenis Hegemone, mense Martio.* At enim sup. num. 7. idem Arrian. de hoc ipso tempore, quo Hydaspen traiecit, sui immemor, vt videtur, scripsit, fuisse tum *solstitium æstiuum.* Itaque auctori hæc concilianda relinquo & remitto. Diodor. 17, 87. nonum hunc imperii annum Alexandri, & nonum & vigesimum ætatis, Chremete Archonte Athenis, non Hegemone, vt Arrianus, scripsit: cum Diodoro facit ἀναγεγφὴ ἐλυμπιάδων. Ὧλ. ΡΙΓ. Χείμης. Ἀλέξανδρ@ πεμπτίῳ τ Πῶρον νικᾷ. Raderus. Consule Meursium de Archont. Athen. 4, 14.

9,1,1. *SOLI VICTIMIS CÆSIS)* *Cuius beneficio partes Orientis subegisset.* Diodor. 17, 89. Eodem pertinet elephantus Soli consecratus, vt ex Philostrato 2, 6. paulo supra narratum est. Apud eundem 2, 15. legimus eum etiam aras, de quibus infra, *Soli Indico*, inscripsisse. Quod fortasse ansam præbuerit fabulosis narrationibus de arbore solis fatidica.

9,1,2. *CETERAM)* Ego sic diuinem: *ceterum opimam prædam, cet. op. in ea regione manere &c. repleturos.*

9,1,4. *SERPENTES)* *Ad sedecim vsque cubitorum longitudinem porrectos*, Diodor. 17, 90. hoc est, quatuor & viginti pedes. Idem [Ælian. hist. an. 17, 2. ex Clitarcho, &] Arrian. Ind. 2, 35. testatur, qui tamen addit etiam multo maiores ex Indorum narratione reperiri. Sed quid hæc ad Strabonem lib. 15. qui ex Onesicrito refert, in Abisari regione duos dracones nutritos, quorum alter 80. cubitos, alter 140. longitudine æquaret, qui ducentos decem pedes efficiunt. Adde Plinium 8, 14. *Megasthenes scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, vt solidos hauriant cernos taurosque. Metrodorus circa Rhindacum amnem in ponto, vt superuolantes, quamuis alte penniciterque alites haustu raptas absorbeat. Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo Imperatore ballistis tormentisque, vt oppidum aliquod, expugnata serpens 120. pedum longitudinis: pellis eius maxillæque vsque ad bellum Numantinum duraruere Romæ in templo:* [Cur non addidit quo templo. an Capitolino? an rectius apud Obsequentem cap. 29. legitur, *in publico?* Vide & Florum 2, 2, 20.] Polyhistor. cap. 55. de Indicis serpentibus: *Enormitas in serpentibus tanta est, vt cernos & animantium alia ad parem molem tota hauriant &c.* Sed omnium narrationes vincit Maximus Tyrius dissertatione 38. Taxiles Alexandro varia mira ostendit: *in his animal erat maximum Baccho sacrum, cui victimas quotidie Indi mactabant. hoc animal draco erat, qui iugera terræ quinque corpore æquaret.* Raderus. De draconibus & elephantis quos illi enecent Plinius 8, 11. & alii. eleganter autem Apuleius in Floridis. Apud Sciratas quoque serpentes maximos nasci tradit Ælianus hist. anim. 16, 22. & eiusdem lib. cap. 39. de Abisaris draconibus idem recenset, quod Strabo verbis modo relatis. vnde constat Abisa-

rem esse, qui apud Ælian. *Apostares* legitur, vt supra quoque monuimus. deinde falli interpretem qui verba ἑξήκοντα μ. πηχ ϛ. reddit *sex & quadraginta cubitorum*; cum sint centum quadraginta. Vide & Philostrat. 2, 8. de Arcesine, qui nostro Acesines.

ERANT) Malim, *errant.*

9, 1, 5. *A GRÆCIS)* A cornu quod è naribus extat. [Ælian. hist. anim. 17, 44.] *Sandabenamet* Indi vocant, vt docet Gesnerus, *Reem* Hebræi, *Karas* Chaldæi nominant, vel *Karasas*: Latinis *Bos* vel *Taurus Æthiopicus.* Raderus.

9, 1, 6. *CORONIS)* Sic etiam postea *Nearchum & Leonnatum aureis coronis coronauit.* Arrian. Ind. 7, 13.

MILLE AVREIS) Quos eandem summam conficere scribit Scaliger, quam supra 8, 6, 19. *quinquaginta sestertia.*

AVT GRADVS) Ex emendatione Acidaliana sic edidit Raderus. Alii *aut gradu:* haud recte.

9, 1, 7. *CORPVS SVVM)* Ita Iugurtha apud Sallust. 46, 2. & 47, 4. *præter suam liberorumque vitam omnia Metello dedebat.* Apud Hirtium de bell. Gall. 8, 48. *Comius legatos ad Antonium mittit, seque ibi futurum, vbi præscripserit, & ea factum, quæ imperauerit, obsidibus datis firmat: unum illud erat (scrib. orat.) vt timori suo concederetur, ne in conspectum veniat cuiusquam Romani.* Ceterum de Abisare non prosequitur Curtius, quid postea acciderit. nec enim si hæc ita fuissent acta, distulisset in eum mouere Alexander. Quod cum non euenerit, verior omnino mihi videtur Arriani 5, 4, 28. narratio: Abisarem per legatos excusasse valetudinem, Alexandrum excusationem accepisse.

9, 1, 8. *PORO AMNEQVE)* Sic omnes editiones Modianis antiquiores habent, quæ lectio, inquit Modius, ab iis procul dubio manauit, qui amnem etiam hoc nomine in India ignorabant. Sed velim discere ex Modio, apud quem geographum, aut historicum, aut scriptorem, amnem Porum legerit? Ptolemæus quidem *Porualos* Indiæ populos laudat, sed de ipso flumine Poro nulla apud ipsum vox, nisi dicas Poruaros à Poro amne deriuari. In chirographo Constantiensi *Poro amne superato* scriptum est: quomodo legit etiam in suis Mss. Modius & edidit. Si Porus amnis non fuit, quæro, quem amnem victo Poro superauit, cum ante conflictum Hydaspen, ad quem castra habebat Porus, traiecisset, Pori autem nulla prius facta sit mentio. sequor ergo Modium, quoad in meliorem rei cognitionem veniam. Raderus. Multa mihi succurrunt, stabiliendo huic loco, vel subuertendo. Possis enim dicere Curtium reliquam Alexandri expeditionem relaturum repetisse illa *Poro amneque* (Hydaspe) *superato*: vt sciretur quo porro fuerit profectus. Sed magis est, vt de Acesine transmisso hic agat. Nam inter Hydaspen & Hyraoten de quo mox num. 13. Acesinem esse constat ex Strabone. Quin & diserte Arrian. 5, 3, 8. narrat, eum hoc tempore Acesinem transiuisse. Fortassis igitur scribendum: *Hinc Poro Acesineque superato.* notandum enim Curtium in his postremis libris valde properare: quædam magna negotia omnino prætermittere; alia leuiter attingere. quod hic quoque factum puto, & expeditionem in alterum Porum, illius magni nepotem cuius præter Arrianum etiam Strabo meminit, verbo signatam. Eodem enim tempore Acesinem transmisit, istique Poro arma intulit. Arrianum inspice: qui tamen cum Strabone illi Poro regionem intra Hyaroten & Hypasin tribuit. Nec tamen absurdum eum ad Acesinen quoque imperasse. videtur vtique vicinus alteri Poro fuisse.

9, 1, 10. *FLEXI IN HVMVM)* Goropius in Indoscythicis pag. 485. quoque de his arboribus multa & mira, putatque ficum fuisse, sub qua Adam decerpserit exitiale sibi & humano generi malum. Habes porro harum arborum iconissimum

nissimum apud Carolum Clusium Exotic. lib. 2. vbi hunc quoque Curtii locum adducit. Raderus. Nescio an intelligat Clusii notas in Garciæ historiam aromatum. Ibi enim prolixe describit arboris genus ex narratione Fabricii Mordentis Salernitani, qui ei narrauit *interdum octingentos aut mille viros, quo in numero ipse fuisset, vnius huiusce modi arboris vmbra tegi: atque affirmabat terna etiam hominum millia sub tali arbore latere posse.* Additque veteribus etiam cognitam arborem, testimonio Curtii, Plinii 12, 5. & 7, 2. Strabonis lib. 15. Theophrasti de plantis 4, 5. Porro vt istæ Indicæ arbores sua sponte tellurem rursus subeunt, sic arte & cura effecerunt Hunni, vt arbustis varie implicantibus frondes, tota eorum regio in sæpis modum cingeretur. Munster. Cosmogr. 4, 2. Cuius generis supra quoque 6, 5, 14. Mardorum munitio describitur. Et illi quidem securitatis caussa hoc faciebant, alii voluptatis. Quam & ipsam lectori non inuideam, ex amœnissimo loco Vallæ lib. 3. Hist. *Valentiæ in Hispania horti non tantum citris consiti, sed etiam cireis parietibus viuente materia concluſi: vt dubites horti ne sint, an ædes. Nam cum nihil aliud insit quam arbores frugiferæ atque felices, manu positæ, institutæ, digestæ, quid nisi horti dicendi sunt? Rursus cum audis extrinsecus esse parietes, intus autem aulam, conclauia, cubicula, cubiculum, cubiculum: item sacella, altaria, sedilia canonicorum, thronum episcopi, & cætera huiusmodi, non aliud quam ædes esse succurrit. Sunt enim parietes ex truncis citriorum confecti, & tamen frondibus vestiti, vt perspici introrsum nequeat, nedum inrari. Ita cum rami adolescunt, intorquentur & inflectuntur, ita insiti, atque inserti, consiti, atque conserti coalescunt, vt omnes rimæ expleantur, vt nihil vacui relinquatur, vt pariter firmitatis ex truncis, & decoris ex frondibus ratio constet.* Videtur iis verbis, *vt perspici introrsum nequeat &c.* respexisse Cæsarem de bell. Gall. 2, 17. vbi Neruii *teneris arboribus incisis, atque inflexis, crebrisque in latitudinem ramis enatis, & rubis sentibusque interiectis effecerant, vt, instar muri, hæ sæpes munimenta præberent: quo non modo non intrari, sed ne perspici quidem posset.*

9, 1, 12. *FVLGOREM AVRI)* Diodor. 17, 90. *aris.* res eodem recidit. Addit deinde idem quod Curtius, *ab incolis* remedium veneni accepisse Macedonas. Illi enim vt tradit Ælian. hist. anim. 12, 32. *quodnam medicamentum cuique serpentum aduersetur, probe tenent.* Neminem autem Græcorum *medicorum remedium aduersus Indici serpentis venenum reperisse,* Nearchus apud Arrian. Ind. 2, 35. tradidit.

9, 1, 13. *HYAROTEN)* *Hydraoten* Arrianus 5, 3, 13. appellat: *Hyarotidem* Geograph. lib. 15. Raderus.

ARBORIBVS) Quarum alias prætermitto; vnam ex Aristobulo apud Strabonem adnoto, vt recentioribus comparem. Est autem iste locus aliquantum corruptus, vt tamen appareat, describi eam *magnas siliquas habentem fabarum similes denorum digitorum longitudine, mellis plenas: quas qui ederint, non facile euadant mortem.* Confer Quiedum hist. Ind. lib. 9. qui arborem occidentalis Indiæ *Mangle* vocatam inter alia sic describit: *habet siliquas duorum palmorum longitudinis aut maiores, crassasque, Cassiæ solutiuæ fructui pares, fusci coloris, pulpam medullæ ossium similem continentes, qua Indi aliorum eduliorum inopia vescuntur: etenim satis amara est. salubrem tamen cibum esse ferunt. Ego eius nihilominus esu in morbum incidi, licet adeo delicati palati non sim &c.*

AGRESTIVM PAVONVM) Horum iconissimum spectabis apud Vlyssem Aldrouandum lib. 20. Ornithol. Græcis πῶς ἄγριος vocatur, Latinis recentioribus *vanellus*, Aristoteli ἄιξ, vulgo *capella.* *Auis est pulchra, columbina magnitudine, cristato capite, vt pauo, in collo viridi colore & lucente, reliquo corpore varia &c.* Plura Ornithologus & Bellonius cognitu sane iucunda: sed hæc nobis satis. Raderus.

9,1,14. *MAGNAM VRBEM*) Arrian. 5,3,18. & Polyæn. 4,3,30. *Sangala* vocant.

9,1,15. *ALIIS TELIS*) Credo leg. ex Mss. *tela aliis hastæ; aliis secures erant.* pro quolibet armorum quibus hostis petitur, genere *tela* poni, notum est.

9,1,16. *INSOLITVM GENVS PVGNÆ*) Cæsar bell. Gall.4, 34. *perturbatis nostris nouitate pugnæ.* describit autem prœlium cum Britannorum esse dariis. Adde Liuium 4, 33, 2. in prœlio Fidenatium cum Romanis. Scilicet *subita conterrent hostes, vsitata vilescunt,* vt Vegetius 3,26. ait. Liuius 10, 28, 8. *Bis auertere Gallicum equitatum: iterum longius euectos, & iam inter media equitum agmina prælium cientes, nouum pugnæ conterruit genus: essedis, carrisque superstans armatus hostis, ingenti sonitu equorum rotarumque aduenit; & insolitos eius tumultus Romanorum conterruit equos &c.* Affinia sunt his quæ notata reperies supra ad 4, 13, 5. *vanis & inanibus &c.*

9,1,17. *ET VINCVLA*) Raderus inserta voce legit, *Et rex vincula quæ conserta erant iussit incidi*: nec enim aliter cohærere orationem. probo, nisi quod eius vice expungendam credo particulam &, quæ videtur eius locum occupasse. *fodere ceperunt. Rex vincula &c.* Et tamen auctores interdum diligentiam hanc connectendi prætermittunt, euidentia sensus & iudicio lectorum satis confisi. Præbet exemplum eius rei Catilina Sallustii cap. penultimo.

9,1,18. *SCALIS VNDIQVE ADMOTIS*) Arrian. 5,3,27. paulo copiosius: Indos prœlio fusos de fuga cogitasse. Alexandrum id præsentientem duplici vallo oppidum cinxisse, præterquam qua stagnum obstabat. ea parte erumpentes à Ptolemæo qui ibi præsidebat cum clade reiectos: cum etiam currus priore pugna captos ad impediendam fugam transuersos collocasset: ἵνα ποικὰ ἐν νυκτὶ πᾶ ἄπορα φαίνηται τοῖς φεύγουσιν, *quo plures per noctem fugientibus difficultates apparerent*, hunc enim horum verborum sensum esse putem: non; *vt à fugientibus per noctem cerni non possent.* eodem numero, est autem ex diuisione nostra 29. pro συνήσει lego συνδήσει.

9,1,19. *PARTEM COPIARVM*) *Trecentos equites.* Arrianus 5,3,33.

9,1,22. *POTERAT IRASCI*) De hac quæstione, vicinisque aliis disputat Gentilis de iure belli 2,17. Adde Hirt. de bell. Hisp. c. 34. Ioseph. Iud. 3, 17.

AD PROXIMAM VRBEM) Quam nescio vnde expiscatus sit interpres Polyæni 4,3,30. *Patam* fuisse vocatam: nisi forte pro πρίτιν πόλιν, tum legebatur παίτιν corrupte. Narrat enim Alexandrum Sangalis dirutis, cum fœuitiæ fama apud barbaros laboraret, eamque amoliri cuperet; aliam deinceps vrbem occupasse: ciues benigne habuisse: obsidibusque acceptis ad tertiam vrbem, ἐπὶ πρίτιν πόλιν, mouisse: ante eam obsides ostendisse clementiæ suæ argumentum, eoque illos quoque hostes ad deditionem compulisse.

9,1,23. *SIMVLQVE VIM*) Ita Tacit. 4,50,1. *Diuis prouectum senectæ, & longo vsu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, vnum adflictis id remedium differebat.* Et apud eundem scriptorem 2,10,1. Flauius: *magnitudinem Romanam, opes Cæsaris, & victis graues pœnas; in deditionem venienti paratam clementiam* extollit.

AD DEDIT. COMPVLERE) Sic apud Liuium 43,19,5. Romanis *magno vsui Caruilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo nihil in ipsos fauitum.* Marcellinus 17,26. de Iuliano: *Hortante hoc exemplo clementiæ, aduolauerunt regales cum suis*

suis omnibus &c. Plura huius rei Curtiana exempla textui adpositæ παραπομπαὶ exhibebunt. quibus adde Gruteri discurs. in Tacit. 18, 18. & 19.

CETERASQVE) An *ceteras quoque*, vt supra ad 8,13,3.

9,1,24. *SOPHITIS*) Straboni lib. 15. Diodoro 17,91. & Arriano 6,1, 7. est Σωπείθης. Radero videtur Curtius ad σοφίαν respiciens, immutato paulisper nomine pro Sopithe Sophiten dixisse. ego Curtium eius acuminis capacem fuisse non existimo.

SAPIENTIA EXCELLIT) Cuius specimen habes apud Plutarch. cap. 112. de decem Gymnosophistis quibus quæstiones proposuit Alexander. Idem narrat Clemens Alex. lib. 6. stromatum.

9,1,25. *GENITOS LIBEROS*) Musta de hoc more & similibus aliarum gentium, imprimis de expositione infantium, Lipsius in epist. ad Belgas 1, 85. quem consule, itemque Alph. à Carranza de partu naturali & legitimo cap. 4. sect. 2. num. 138. Forner. in reb. quotid. & Dempster. ad Rosin. Contra *Lex* erat *Thebanorum*, vero iudicio Æliani 2,7. *rectissime & humanissime*, vt illis temporibus, *posita: Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio constituto &c.* Idem de Aboriginibus tradit Dionys. 1, 16, 4. κτείνειν γὰρ ἐθέλοντα τῶν ἐκγόνων ἐξεῖναι, ἂν δὲ ἀβίωτος ἐλαττον τοῦ πρέποντος. Tacit. H. 5,5,6. de Iudæis: *necare quemquam ex adgnatis nefas.* & de Morib. Germ. *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex adgnatis necare, flagitium habetur.*

INSIGNES) Hoc est, inusitato naturæ dehonestamento notabiles, vt exponit Gebhard. crepund. 1, 5. vbi locum hunc ita à Modio dicit ditine emendatum, firmatque aliis locis, & imprimis illo Suetonii Aug. 38,6. *Senio vel aliqua corporis labe insignibus.* Glossa: *Insignis* Ἐπίσημος. vt apud Matthæum 27, 16. de Barraba. Sic fere apud Liuium 6, 1, 15. Allienſis dies *insignis rei nulli publice priuatimque agendæ.* Veram etiam hanc videri lectionem res ipsa, & collata aliorum populorum instituta faciunt. Romulus apud Dionys. lib. 1. legesanxit, *nihil quod natum esset occidere ante triennij tempus; nisi aliquid mutilum, aut monstrosum statim à partu esset.* Seneca de ira 1, 15, 2. *portentosos fœtus exstinguimus: liberos quoque si debiles monstrosique editi sunt, abjicimus.* Alter Seneca Controuers. 33. *Nascuntur quidam aliqua parte corporis multati, infirmi, & in nullam spem idonei: quos parentes sui proiiciunt magis, quam exponunt. Aliqui etiam vernulas, aut omine infausto editos, aut corpore inualidos, abjiciunt.* Res & vox vsurpata Curtio extat etiam in XII. tabulis, quo fortassis ille respexit: *Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.*

9,1,26. *ELECTA CORPORVM SPECIE*) De qua, an in coniugio ineundo spectanda sit, late disputat Arnisæus de iure Connub. 3,7,7.

9,1,28. *EMINENS*) Quatuor cubitorum facit Diodor. 17,91. Adde supra ad 8,14,13.

9,1,29. *INSERVERAT GEMMAS*) Locum hunc de aureis gemmatisve calceamentis, similibus exemplis explicant Bulenger. de Imp. Rom. 2,7. & imprimis Rubenius 2,14. quibus adde Martial. 12, 49.

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx. Cyprian. de habitu virg. *sint à compedibus aureis pedes liberi.* Senec. de benef. 2,12. *flocculum auratum, imo aureum margaritis distinctum, ostendere eum* (Caligulam) *voluisse &c.* Plinius 37, 2, 4. Caius Princeps, *super omnia muliebria, flocculos induebat è margaritis.* Tertullian. de cultu feminar. 2, 10. *grana nescio quæ* (margaritas intelligit) *quæ plane Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt.* Nescio quis poëta:

Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

9,1,30. *EX AVRIBVS*) Iis quæ supra 8,9,21. sunt notata, iunge Martial. 11, 50.

Gemma vel à digito, vel cadit aure lapis. Plin. 9,35,21. de vnionibus Cleopatræ: *Gerebat auribus cum maxime singulare illud, & vere vnicum naturæ opus.* Ad cuius imitationem apud Horat. Satyr. 2,3.

Filius Aesopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam - - - -

Ouid. Metam. 10,265.

Aure leues baccæ; redimicula pectore pendent.

Iuuenal. Sat. 6,459.

Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Seneca de beata vita 17, 3. *Quare vxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Hieronym. ad Demetriadem: *vt taceam de inæstimabilibus preciis candore margaritarum, rubri maris profunda ueſtamium, ſmaragdorum virore, ceraunioruм flammis, hyacinthorum pelago; ad quæ ardent & inſaniunt ſtudia matronarum.* Silius 12,229.

- - - - miro candoris honore
Lucet in aure lapis rubris aduectus ab vndis.

Sed piget omnium adpingere verba: ipſe inſpicere poteris Hieronymi epiſt. 10. & de inſtit. filiæ ad Lætam. Cyprian. de hab. virgin. Laërt. in Xenophonte, Lucillium. l.26. de auro & arg. leg. Petronius: *perunde aures, vt imitemur Arabes.* Vide etiam quæ notauit Dempſter. ad antiquit. Rom. Roſini 1,20.

CANDORE) Alii *colore*, ſed illud rectum. nam margaritas intelligit, quorum præcipuas inter dotes candor. nec moueare quod lapillos ait. Sic enim in citato modo Silii verſu deſcribi vides vniones. De candidiſſimo vnione, quem Iuſtinianus centum auri libris licitatus eſt, miram narrationem apud Cedrenum vide.

BERYLLI) De his Solinus c. LV. *Beryllos in ſexangulas formas Indi atterunt, vt hebetem coloris tenitatem angulorum repercuſſu excitent ad vigorem. Beryllorum genus diuiditur in ſpeciem multifariam &c.* Vide & Plinium 37,5,27. Periegetes verſu 1012. etiam in Babylonia ex ophite lapide naſci canit: ad quem locum plura Euſtathius. Raderus.

SOSPES) Non intelligo. quid ſi *ſoſpites?* vt ad ſe liberoſque & gentem referat.

9,1,31. *CANES*) Adi Geographum lib. 15. Diodor. 17,92. Ælian. de anim. 8,1. optime hæc deſcribentem. Plinium 8, 40. Solin. c. XXV. Raderus. Vide & Pollucem 5,5. Ælian. 4,19. Cteſiam apud Photium. Plutarch. de ſolertia animal. cap. 35. vbi περὶς Ἀλιξανδρον, valet, *apud Alexandrum.* Inſigni robore canis Moloſſorum regi fuit, ex quo Cerberum ſuum confinxere poëtæ, qui Pirithoum lacerauit. ſiue potius Palæphato credendum, Geryonis fuiſſe. Alyattes Lydus Cimmerios ex Aſia exegit canum auxilio, vt in adiunctis ad Euſebium legimus, & in Polyæni ſtratag. 7,2. Similia exempla vide apud Lipſ. in epiſt. ad Belgas 1,44. vbi multa egregia de canibus. item Camerar. ſubciſiu. 1,24. & Patric. de inſtitut. Regis 3,6. De iis etiam venatici poëtæ: ex quibus Gratii verſus 291. &c. ſic ſcribi velim:

Iamque illum impatiens æquæ vehementia ſortis
Extulit, affectas materna regna ſub aluo:
Vbera tota tenet: ſtat tergo liber aperto &c.

Canes autem eos Indicos ex cane & tygride naſci Diodor. 17,92. & Ælian. hiſt. anim. 8,1,1. tradiderunt. Sic ex lupis canes Gallorum generari, Patricius ſcribit. In prouincia Gingui Cathæis finitima hoc genus canes reperiri teſtatur Paulus Venetus 2,49. *vt duo canes & vir ſagittarius equo inſidens leonem ſternant.*

9,1,32.

9,1,32. *IN CONSPECTV*) Ex Cod. Danielis lego *in conſepto.* Vide Var. Lect.

9,1,33. *MORIBVNDVS*) An *moribundos?* vt apud Florum *moribundæ manus.*

9,1,34. *PLVRA TRANSSCRIBO*) Dignus animaduerſione locus: cui parallelus in Pauſaniæ lib. 6. vbi de Oibota: *Ea quidem quæ vulgarint hac de re Græci, neceſſe habui commemorare; credere vero omnia nulla me res cogit.* Sueton. Claud. 1,15. *Quod equidem magis, ne præternitterem, retuli, quam quia verum aut veriſimile putem.* Sic Tacitus 4,10,1. cum *in tradenda morte Druſi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus memorata ſunt,* retuliſſet, *non omittit eorundem temporum rumorem.* & 2,50,3. *vt conquirere fabuloſa, & fidei oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis credit, ita vulgatis traditisque demere fidem non audet.* Herodot. 3,9. *Ex iis quæ narrantur, hoc quod dixi propius fidem eſt, tamen id quoque quod minus credibile eſt, quandoquidem referetur, commemorare debeo.* & lib. 7. Ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πειθεσθαί γε μὲν οὐ παντάπασιν ὀφείλω. Dio lib. 54. de Auguſto: *Accipio etiam, ex oraculo quodam, aut ſomnio, quotannis certa die argenti nonnihil ab accedentibus quaſi emendicantem accepiſſe. id ſi quis credendum non putet, tamen ita traditum eſt.* Ælian. de hiſt. anim. 17,14. *Eudoxus ait (cui ego hac in re fidem non habeo, alios non prohibeo) ſe cum Herculis columnas ſuperaſſet, aues quaſdam in ſtagnis (ſeu lacubus) vidiſſe, bubus maiores, quod etſi mihi, vt dixi, non veriſimile, omittere nolui.* ἃ δ' ἔγωγε οὐκ ἐπίσταμαι. Sic Buchananus, narrato Io. Cameroni Glaſcuæ epiſcopi exitu: *Hoc tam perſpicuum diuinæ vltionis exemplum, vt neque temere affirmare, nec refellere eſt animus: ita cum ab aliis ſit proditum, & conſtanti rumore perualgatum, omittere nolui non eſt.* Quos aſpexiſſe credibile Tuberonem lib.1. hiſt. de temporibus ſuis: *Nec equidem hæc ſcriptis inſerui, ac ſi ambigerem, ſine aſtu Iani Pontificis &c. ſed ne quid ex his, quæ tunc fama ferebantur, conſulto videar ſubduxiſſe.* Opera tamen hiſtoriæ ſcriptoribus danda, ne in illos merito torqueatur illud Senecæ Nat. quæſt. 4,3,1. *Hiſtorici, cum multa mentiti ſint ad arbitrium ſuum, vnam aliquam rem nolunt ſpondere; ſed adiiciunt: Penes auctores fides erit.*

9,1,35. *HYPASIN*) Ptolemæus, Plinius 6,17,23. Curtius hoc loco, & Arrianus *Hypaſin* vocant: at Strabo lib.15. Dionyſius Afer verſu 1144. Martianus Capella, Solinus capite 52. & alii, *Hypanim.* Plinius 4,12,77. iam ſuo tempore hanc controuerſiam inter ſcriptores fuiſſe tradit, vehementerque eos erraſſe, qui Hypanim in parte Aſiæ prodidere. In India autem ſupra flumen Hypaſin ſolſtitii die medio nullam vmbram iaci Oneſicritus refert, vt idem Plinius 2,73. auctor eſt. Popma. Arrianus 5,4,27. & Philoſtratus *Hyphaſin* appellant.

9,1,36. *PHEGELAS*) Rutgerſ. var. lect. 6,14. in aliis exemplaribus repererat *Phegelis.* Id ſi verum, inquit, eius principis nomen eſt, non video quomodo Curtius Orbilii ferulam effugiat iis verbis, *Percontatus igitur Phegelā.* A *Phegelis* enim non niſi *Phegelin* & *Phegelida* declinari poteſt. Ego ſcribendum puto, *Phegel, is erat gentis proximæ rex &c.* Apud Diodorum quoque 17,93. quo loco ὡστὸς δὲ εἰς τὸν φηγέως δυνασ τείαν ἐμβαλὼν legitur, φηγέλα legendum videtur: Quidam tamen Mss. etiam apud Curtium habent *Phegeas;* & ſeq. cap. in quarto caſu *Phegea.* Nec vtris credendum, facile dixeris: niſi quod potius Curtium è Diodoro emendandum arbitror. Indicem vide.

9,2,1. *BIDVVM*) Ab hac voce caput orſus ſum, veriſſimam Acidalii diſtinctionem ſequutus. Nam vulgata dicebat Indum apud Alexandrum ſubſtituſſe, quod contra geſtum, præter rationis coniecturam, etiam Diodorus 17,93. aperte docet.

9,2,2.

9,2,2. *GANGEM MAXIMVM)* Arrianus 5, 1, 15. *Indus omnium Asiæ atque Europæ fluuiorum maximus est, præter Gangem.* Idem Indic. 1, 10. *Ex duobus maximis fluminibus Gange atque Indo, Megasthenes Gangem Indo longe maiorem esse scribit. Idem sentiunt alij omnes qui Gangis mentionem in scriptis suis faciunt.* Strabo lib. 15. Gangem omnium fluminum maximum, secundum Indum, tertium Istrum, quartum Nilum consensu tradi scribit Diodorus 17, 93. *latitudinem ei stadiorum XXXII.* tribuit; *profunditatem tantam, vt omnia per Indiam flumina superet.* Eamdem latitudinem, profunditatem vero centum orgyiarum adscribit ei Plutarch. Alex. cap. CVIII. Plinius 6, 17, 20. *Proditur Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta nauigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque enauigare, adiectis paucis diebus: & tamen minorem Gange esse constat.* Gangis igitur oblitus erat Cicero de natura deorum 2, 5, 2. Indum *omnium fluminum maximum esse* prædicans. Verum Iosephus à Costa in libro de nouo orbe, vbi Peruanam regionem describit, Maranonium, Paraguayanum, & Magdalenianum flumina testatur singula maiora esse Nilo & Gange, quamuis in vnum alueum collectis.

9, 2, 3. *GANGARIDAS)* Hos Periegetes versu 1144. *Gargaridas* vocat, Bacchi cultores. Strabo lib. 15. Diodor. 17, 93. Plutarch. cap. 108. Stephanus *Gandaridas.* cum Curtio autem *Gangaridas* appellat Virgil. Georg. 3, 27. Ptolemæus, Vibius Sequester, Plin. 6, 19. Solin. cap. 54. Iustin. 12, 8, 9. Oros. 3, 19. haud dubie à Gange, cuius accolæ sunt, vt docent cum Curtio omnes. Raderus. *Gandaridas* defendit Salmasius ad Solinum. Hodie *Bengalam* id regnum appellari credit Stuckius in peripl. maris Erythræi.

PHARRASIOS) Hos Plutarch. cap. 108. *Præsios, Præsidas* seu *Præsidias*, Iustin. 12, 8, 9. Diodor. 17, 93. *Tabrasios: Prasios* Strabo lib. 15. & Solin. cap. 55. nominat, qui Palibothra vrbem incolunt. Raderus. Salmasius ad dictum Solini locum in Curtio quoque *Prasios* legendum censet.

9, 2, 4. *DICEBAT)* Expungit hanc vocem Acidalius, mihi potius innoxia videtur, quam necessaria.

9, 2, 6. *TONSOREM)* Eam rem non adeo raram videri vult Æn. Syluius hist. de Europa cap. 6. extremo, vbi exserte clamat: *sæpe tonsoris filios regio defungi honore vidimus.* Porro *de humili loco natis qui clari euaserunt,* toto cap. 4. lib. 3. Valer. Max. egit. plurima vero id genus exempla Zvvingerus in theatrum suum contulit, pag. 949. & seqq. Item Tiraquell. de Nobil. 4, 4, 8. Nos ex Helladio apud Photium Cod. 279. huc propius pertinentia adpingemus. *Dionysium filium fuit agasonis, qui Siciliæ annis duodequadraginta præfuit. Agathocles figuli filius multos etiam annos Siciliæ præfuit. Hermeas castratus & seruus cum esset, Atarnæ (quæ Thraciæ ciuitas est) rex fuit. Porus Indorum rex filius tonsoris. Bradyllis carbonarius cum fuisset, Illyricum duxit exercitum. Orthagoras coquus Sicyoniæ dominatus est.* Vbi facile aduertis errorem in nomine regis Indici. *Bradyllis* autem Tertulliano de Anima cap. XLVI. videtur *Balarides* appellari; Ciceroni de offic. 2, 11. *Bargulus.* in Supplem. *Bardylin* vocaui, ex Auctoribus ibi citatis. In hos vt plurimum quadrare illud Claudiani

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum,

aliquot exemplis, & hoc Curtiano, monet Gruterus pr. notarum in Ammianum.

9, 2, 7. *SVB SPECIE TVTELÆ)* Qua arte vsus Tarquinius Priscus, de quo Liu. 1, 34, 14. &c. & 1, 40, 2. quem ad locum Gruterus; *nihil vsquam esse vsitatius quam vt tutores regnum inuadant pupillorum suorum, mille exemplis demonstrari poterat. quædam proposuimus ad Epitomen* 55. f. vbi Tryphonis scelus qui pupillum suum Syriæ regem interfecit, proque eo regnum inuasit, narratur. Ad eum ergo locum no-

tat

tat exemplum *Archelai* Macedonis, ex Platonis Gorgia: *Agrammis* ex Curtio: *Agemonis* Corinthii ex Diodoro apud Georgium Monachum. Deinde conatus *Agathoclis*, qui apud Ptolemæum in summum potentiæ gradum adscenderat, ex Polybio 15, 26. & *Alexandri*, qui frater erat Leonis, ex Zonaræ tomo tertio. Potest his addi *Antigonus* Macedo, cui & cognomentum *tutoris* mansit, apud Iustin. 28, 3, 10. *Antiochi Eupatoris tutores*, apud eundem 34, 3, 9. quos tamen crimine liberat Appiani Syriaca. *Albertus* I. Imp. apud Cuspinianum: *Fridericus* I. Elector Palatinus, apud Trithemium in anno 1452. & Æn. Syluium cap. 40. de Europa. Quantum his omnibus præferenda Lycurgi moderatio? qui *cum fratri suo Polybitæ Spartanorum regi successisset, regnumque sibi vindicare potuisset, Charillo filio eius, qui natus postumus fuerat, cum ad ætatem adultam peruenisset, regnum summa fide restituit: vt intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis iura, quam omnes opes valerent.* Iustin. 3, 3, 5.

9, 2, 9. *PERSEQVI TERMINVM)* Clarior erat oratio, si foret, *term. persequi.*

9, 2, 11. *LABORE DEFATIGATVM)* Labore scilicet octo annorum. Tamdiu enim Alexandrum secutus erat. Loccenius.

9, 2, 12. *NON IGNORO)* Huius orationis œconomiam distinxit noster Caussinus in XIII. quem ad manum habes, pag. 576. Raderus.

9, 2, 14. *AD LIQVIDVM FAMA)* Ouid. Metamorph. 12, 54.

Mixtaque cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum, confusaque verba volutant &c.

Raderus. *Fama ne tunc quidem, cum aliquid veri asserit, sine mendacij vitio est.* Tertullian. apolog. cap. 7. Sed, vt loquitur Ouid. Metam. 9, 138.

\- - - *veris addere falsa*
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Tacit. Agric. 30, 4. *omne ignotum pro magnifico est.* Marcellin. 21, 16. *Fama vero quæ mille (vt aiunt) linguis rerum misere exaggerat fidem.* Quibus multa passim similia. Vide de ea re disputationem Asanis Blachorum ducis, apud Nicetam lib. 1. de Imp. Alexii.

NOMINIS QVAM OPERIS) Simile fere illud Taciti 6, 30, 6. de Tiberio: *magis fama quam vi stare res suas.*

9, 2, 15. *MOENIVM)* Scribsius dubitabat *montium* substituere, propter Marcellini 24, 22. locum supra ad 8, 14, 13. notatum, vbi *collibus* comparantur. Olim etiam Bongarsius id coniecerat, inductus Codicis Pith. scriptura, *mentium.* Sed illud nimis tumidum esset; inurisque etiam assimilatos ibidem reperies. *Cæterum Indici elephanti nouem cubitorum altitudine, latitudine vero quinque habentur.* Ælian. 13, 8.

SI NOS FABVLÆ) Sic apud Senec. Suas. 2. Porcius Latro: *Arma nobis fabulæ excutiunt?* & paulo supra Triarius: *Non pudet Laconas ne pugna quidem hostium, sed fabula vinci.* vbi sententiam quæ statim sequitur: *magnum & alumnum virtutis nasci Laconem &c.* sic rectius legi putem; *magnum est alimentum virtutis, nasci Laconem.* ego quidem *auctoramentum* aut *sacramentum* potius dixissem. cetera; *ad certam victoriam omnes remansissent; ad certam mortem tantum Lacones,* cane mutes. Pertinet huc etiam Liu. 22, 15, 1. ex emendatione Rubenii: *Fabius pariter in suos haud minus, quam in hostes intentus, prius à fabulis inuictum animum præstans &c.* ante legebatur, *prius ab aliis,* insulse.

9, 2, 16. *RARVM ANIMAL)* Vtique necesse foret rarissimum esse inuentu, tandemque in vniuersum extingui, si verum esset quod Plin. 8, 10, 1. Aristotelem ait scribere: *non amplius quam semel gignere, pluresue quam singulos.* Certe nec

Aristoteles tam fatuam sententiam prodidit; nec adeo retulit Plinius. legendum ergo vt innuunt alii Cod. *nec amplius quam singulos semel* (hoc est eadem vice) *gignere: plu-resque viuere ducentis annis; & quosdam trecentis.* Eadem fere notio particulæ *semel* est in his quoque Plinii 7.48.6. M. Valer. Coruinus *sella curuli semel ac vicies sedit.* Elephantos autem porro non esse raros in India tam ex veteribus, quam etiam hodiernis constat. Certe Plin. 6,19. & 20. Partalidis regi 700. elephantos, Taluctarum 400. Andaris mille, aliis plures aut pauciores tribuit. Prasiorum *regi peditum sexcenta millia, equitum triginta millia, elephantorum nouem millia, per omnes dies stipendiari* scribit. Ex recentibus Bartolus in Asia, pag. 186. videatur.

NEC FACILE CAPIATVR) Quomodo capiantur, docet Strabo lib. 15. Arrian. Ind. 2,22. Diodor. 3,26. Ælian. 8, 10. & 15. Tzetzes Chiliad. 4,122. Raderus. Adde Plinium 8,8.

DIFFICILIVS MITIGETVR) Hoc quoque singulari capite docet Ælianus 10, 10. Plurima super hac re Gesnerus ex antiquis scriptoribus adducit lib. 1. de quadruped. voce *de elephanto*, lit. E. pag. 432. vbi superioribus sequentibusque paginis totam de elephantis, & iucundam sane auditu historiam cognosces. Raderus.

9,2,21. *ELIDVNT*) Malim, *elident*. quod & Sebisio visum.

9,2,26. *ET OCEANVM NISI*) Ita distinguerem *Oceanum: nisi obstet ignauia, inde victores &c.* Sebisius. Ego non assentior: nondum enim tum ad Oceanum peruenerat sed eo ibat: vsus est autem præteriti voce *peruenimus*, paulo post futuri significatione, quam ei tribuit vocula *nisi*, vt fere supra 4,14. 22. *nisi quod in vobis est, ipse ego maiore parte captiuus sum*: hoc est, ero & permanebo captiuus maiore mei parte (vxorem, matrem, liberos significat) nisi vestra virtute velut pendentem adhuc captiuitatem auertatis.

9,2,27. *DIVES ET IMBELLIS*) Idem Gallorum elogium apud Tacitum 11,18,2.

9,2,28. *PER VOS*) Concipi hoc eadem formula debuit, qua similes obtestationes solent: *Per ego vos. Ita Modius 4,14,24. emendabat: Per ego vos deos patrios &c.* Et multa talia cum alii pridem, tum nuper in elegantissimis suspicionum libris V. Cl. Ian. Gruterus collegit. Acidalius. Videantur obseru. Gronou.

COMMILITONEMQVE) Sueton. Cæs. 67,2. *nec* milites *eos pro concione, sed blandiori nomine* commilitones *appellabat*. quod reprehendit Augustus. apud Victor. in Epit. 1, 1. optima ratione, ipse *post bella ciuilia* vocabat milites. Sueton. Aug. 25, 1. Sic apud Tacit. 33,3. Agricola. Aliorum exempla plura vide apud Brisson. lib. 4. de formulis: rationem apud Clapmar. de arcan. 6, 16. *Sacrati commilitones, immo etiam mei consecranei &c.* Maximinus apud Capitolin. in Gordianis cap. 14. vbi appareat *consecraneos* maius aliquod esse quam *commilitones*, non ergo idem, vt putarunt Viri docti. ridicule enim ita dixisset Maximinus, nec alia vi, quam si sic; *commilitones, immo etiam mei commilitones*. Potius suspicor eo sic vocasse, vt reuocaret in mentem ipsos se consecrasse feciseque Imperatorem.

9,2,29. *QVI NIHIL VNQVAM*) Ita Scipio suos hortatur, *vt à se sumant exemplum morum ac industriæ*, apud Appian. in Punicis. similia exempla reperies apud Fabrum Semestr. 3,20. & Gruter. discurs. in Tacit. cap. 15. Pertinent huc illa Taciti H. 2, 76, 2. *simul ipse qui suades considerandus est, adiuciatne consilio periculum suum.* istaque Liuii 7,32, 10. *debere etiam intueri cuius ductu auspicioque ineunda pugna sit: vtrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers; an qui & ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat.*

Quibus in verbis dispice, an pro *qui audiendus*, reponendum sit, *qui audendi.*

IN MANIBVS MEIS) Paschalius de coronis 6, 20. hoc Curtii, pluribusque aliorum auctorum locis probat, victores palmas non capite tantum, sed etiam dextra manu prætulisse: quod diserte tradit Pausanias lib. 8.

HERCVLEM LIBERVMQVE) Quorum amborum columnæ, expeditionum suarum termini memorantur: in comparatione Liberi & Herculis Epigramm. 4,12,33. Ἄμφοῖν ὁ θάλαμ συνέχομενος. vbi certe non Gaditanæ Herculis columnæ intelligi possunt, sed aliæ in India quæri debent. quomodo enim alias *conterminæ* Bacchicis? Herculem autem ibi quoque monumentum itinerum laborumque suorum erexisse consentaneum est: & ex Stabonis tertio, tum Solini cap. 52. firmatur. in Strabone: *aras pro termino posuit* Alexander, *imitatus Herculem & Bacchum.* Nam illi quoque aris signauerunt expeditionis suæ terminos, vide mox ad 9, 3, 19. Seneca de benef. 7, 3, 1. *Alexandrum per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit.* Longe hinc abest apophthegma quod ei nescio quam bona fide, tribuit Plutarch. apophth. cap. 41. se omnia sua opera, ne cum vno quidem dicto Herculis conferenda censere. Idne dixisset *homo gloriæ deditus, cuius nec naturam nec modum nouerat, Herculis Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem restistens vbi illa defecerant*, vt ait Seneca de benef. 1, 13, 2. & epist. 94, 68. *vltra Oceanum solemque, indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere.* Declamatores apud Senecam alterum Suasoria I. *Intra has terras cœlum Hercules meruit.* Et: *Vltra Liberi patris tropæa constitimus.* Solent autem vt vides, Hercules & Bacchus fere coniungi, quod vterque in iisdem oris longinquam militiam exercuisse feratur. quibus cum Alexander, tum alii qui procul ab domo bella gessere, comparati sunt. Sic apud Plin. 7, 26. de Pompeio: *æquato non modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam Herculis prope ac Liberi patris.* Quod iudicium etiam ex parte fuit Petronii in carm. de bello ciu. versu 269. *totis similis Tirynthius actis.* nam ad Pompeium hæc refert: quapropter versu præcedente pro *Magnaque* absque vllo dubio legendum est *Magnum*, nempe Pompeium:

Magnum cum Phœbo soror, & Cyllenia proles
Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.

9,2,31. *NEGAT. QVOS ALLOQVOR*) Bona distinctio *negat quos alloquor.* nec mala: *negat. Quos alloquor?* Acidalius. Posteriorem conuenientiorem iudicaui.

9,2,34. *ITE, DESERTO REGE*) Paria sunt illa Cerialis apud Tacit. H. 4,77,6. *Ite, nuntiate Vespasiano, vel quod propius est, Ciuili & Classico, relictum à vobis in acie ducem.* Cui simile Syllæ apophth. relatum à Plutarcho cap. 43.

9,3,2. *DOLOR ERIGI*) Gebhardus Crepund. 3,26. mallet *egeri*, vt Ouid. Trist. 4,38.

Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

quam rem pluribus exemplis firmat. Vulgatam autem defendit Barthius aduersar. 28, 6. his fere verbis. *Cum in Ouidii loco de longo dolore & in eius solatium datis lachrymis sermo sit, nulla inter duos similitudo est. hic enim locus non egestionem aut attenuationem doloris ingerit, sed libertatem illi datam testandi se per fletus. quare penitus nihil mutandum credimus.* Liberius *non ad copiam, sed ad* libertatem *lacentis antea ob timorem mœroris intelligendum est. Erigitur ergo penitus cordibus impressus dolor, & hactenus fremitu obscuro gemituque conceptus tacito, cum in oculos venit, & metus paullum victo in lachrymas velut ruptis catenis aut vinculis exit.* Vide Indic. *erigere.*

9,3,4. *DETRAHENTEM GALEAM*) Posseuinus de Magno

Moschorum duce Basilio, si rite memini, legato, sibi consuetum honorem non exhibenti, pileum clauo adacto iussit capiti affigi. Raderus. Draculæ Valacho tribuit Bonfinius 3, 10. Obseruatu dignam rem ex Luitprandi legatione non præteribimus. *Cum pileatus equitarem, meque Curopalates à longe prospiceret, filio celeriter directo, mihi mandauit, fas non esse quempiam, vbi Imperator* (Constantinopolitanus) *esset, pileatum, sed teristratum incedere &c. quod nostris omnibus nimis turpe videtur, ipsi soli* (de legatis Græcis loquitur) *capite operto Imperatores nostros deosculantur.* Antiquum autem exhibendæ venerationis morem fuisse caput alicuius causa nudare, cum res feret, ostendetur ad illa Sallustii Hist. 5, 1, 4. *Quibus de caussis Sullam in victoria dictatorem, equo descendere, sibi vni assurgere de sella, caput aperire solitum.*

9,3,5. *TVM COENVS*) Huic Cœni orationi hanc Oeconomiam vna cum argumento præfixit Caussinus: *Artificiosissima*, inquit, *hæc responsio, in qua primum milites dant manus suo Imperatori, promptissima quæque obsequia polliciti; mox leni insinuatione spargunt mites querimonias, quarum tantæ sunt illecebræ, vt quærendæ auidissimum gloriæ iuuenem molliori tractent articulo, & vehementer laudent: sibi quoque subsidium, & cessationem laborum in hac ærumnosissima expeditione suauiter, & magnarationum efficacitate flagitent.* Raderus. Confer cum hac oratione, Græcam Arriani 5, 4, 15. & Senecæ Suasor. 1. ab initio.

9,3,10. *CICATRICIBVS PVTRIA*) Acidalius emendat *turpia*, non equidem male, sed Modiana scriptura æque commoda. Raderus. Rem quod attinet, similimum huic negotium apud Tacit. 1, 34, 3. quo loco veterani *quidam prensa manu* (Germanici) *per speciem osculandi, inseruerunt digitos, vt vacua dentibus ora contingeret: alij curuata senio membra ostendebant.* mox: *nudant vniuersi corpora, cicatrices ex vulneribus &c. exprobrant.* Pertinent huc apud Senec. Suasor. 2. à pr. *arma non passuræ manus, hebetataque senio an vulneribus corpora.* Adde infra 10,2,12. Iustin. 12, 8, 12.

9,3,15. *TECVM, QVAM SINE TE*) Seneca epist. 47, 4. *fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet.*

9,3,19. *DVODECIM ARAS*) *Ingentes instar turrium*, Arrianus 5, 4, 26. *L. cubitorum*, Diodor. 17, 95. Fecit harum etiam mentionem Geographus in tertio. Plutarch. cap. 109. narrat Præsiorum reges, traiecto flumine, posteris temporibus ibi hostias immolasse, Græcoque ritu aras illas Alexandri veneratos esse. Fixæ sunt hæ aræ *in ripa*, vt Solinus cap. 52. ostendit: & expresse Philostratus lib. 2. extremo, qui alia quidem addit illustria. Raderus. Iustin. 12, 10, 6. aras has aliquanto postea statutas innuit, haud dubie falso. Sic autem antiquitus limites fuisse positos nonnullis exemplis ostendit Strabo lib. 3. Ita Solinus cap. 49. Bacchi, Herculis, Semiramidis Cyrique aras apud Pandam in Sogdiana statuit, quos credere possis, fuisse *terminos Liberi Patris*, Alexandri militi superatos sup. 7, 9, 15. Sed & in ingressu Asiæ duodecim aras statuit Alexander. Iustin. 11, 5, 4. *duodecim aras deorum*, nisi forte numerus ad deos pertinet, vt aræ dicatæ fuerint duodecim diis: nempe maioribus, qui *Consentes* dicti Latinis. Arnob. 1, 4, 7. numero non definito *altaria struxisse* ait *Iouis descensori, & Mineruæ & Herculi, ibi vnde ex Europa solvit, & in eo Asiæ loco in quem descendit.* Sed hoc pro descensu, voti caussa fecerat. *Aram Druso sitam* eiusmodi initium habuisse, certe ab ipso, non ab alio in illius honorem, exstructam videri, ad Tacitum 2, 7, 3. notauimus. Istaque locutio niti possit etiam loco Marcellin. 22, 18. qui & alias huc pertinet: *aræ Alexandro Magno, Cæsarique Augusto sacratæ.* hoc est, quas illi sacrauerunt. Tales fuerunt *victricium legionum aræ*, apud Sueton. Tiber. 14, 4. Ita Demonax transcensо Iaxarte *aras Apollini Didymæo statuit*, apud Plin. 6, 16, 9. Cæsar in Pyrenæo, Dio. lib. XLI. Non autem has Indicas Marcellinus intelligit, sed alias iuxta Boryssthenem: quas tamen Herbersteinius in itinere suo Moscouitico frustra se quæsiuisse testatur. Earum nihilominus meminit Guaguinus pr. tomi 2. rerum Polon. De Indici itineris signo variat etiam Glycæ narratio: *Quum Alexander ad Indos extremos, ipsumque Oceanum, & maximam Brachmanum insulam peruenisset, columnam statuit cum inscriptione huiusmodi; Alexander Rex hucusque penetraui.* Verum cum pluribus & melioribus Plinius 6, 17, 23. ad Hypasin *Alexandri itinerum terminum* statuit, *exuperato tamen amne, arisque in aduersa ripa dicatis.* Quod & apud Suidam exstat in Βορυσθένης. remque, præter Diogneti & Betonis testimonium, firmat *ipsius regis epistolis.* quem secutus est Marcianus Capella libro 6. vt mirer scribere Plutarchum, Præsios διαβαίνοντας *transgredientes flumen* aras Alexandri venerari. cum in ipsorum ripa positas illi tradiderint. nisi pro flumine quod Præsii traiiciant, Gangem velis accipere: qui tamen si Curtio fides est, vndecim circiter dietum itinere ab Alexandri aris abfuit. Nisi forte, vt videtur, Plutarchus hic eos auctores sequitur qui Alexandrum ad Gangem vsque peruenisse scribunt, vt apud Strabon. lib. 15. Craterus in epist. ad matrem Aristopatram: Arrianus periplo maris Erythr. 3, 22. & Lucan. 3, 230.

Qua colitur Ganges &c.
Hic, vbi Pellæus post Tethyos æquora ductor
Constitit, & magno victi se fassus ab orbe est.

Ceterum Plinius 6, 25, 2. alias etiam *aras Alexandri in promontorio* Carmaniæ collocat. Ptolemæus etiam in Scythia trans Caucasum columnas Alexandri: & deceptus ab eo Volaterranus, apud Riphæos. Sed erroris Ptolemæum conuincit Salmasius ad Solin. pag. 789. vbi prolixe quoque de aris his Alexandri disputatur: quem locum quia per angustiam temporis relegere non possum, apposui quæ ad Curtium mihi obseruata erant; quamquam vix putem aliquid nos allaturos, quod ille admirabili industria simul & doctrina non præceperit. Arrianus periplo mar. Erythr. 3, 3. testatur iuxta Minnagora, in sinu Barygazano, suo adhuc tempore seruata fuisse *exercitus Alexandri vestigia ac monumenta, cuiusmodi sunt antiqua sacella, altaria, fundamenta castrorum, maximi putei.*

IVSSIT EXTENDI) Idem Iustin. 12, 8, 16. Diodor. 17, 95. Plutarch. cap. 109. Orosius 3, 19. Apud Senecam Suasor. 2. Senecio qui non nisi grandia probabat, *calceos quoque maiores sumebat &c.* inuenit cognomen, vt diceretur *Grandio.*

SPECIEM OMNIVM) Acidalius leuiter dubitat reponendum, *hominum*, ex Diodori verbis ἀπολιπεῖν σημεῖα μεγάλων ἀνδρῶν, *relinquere indicia magnorum virorum.*

9,3,20. *COENVS*) Confirmat hoc Arrianus 6, 1, 4. quapropter Scaligerum memoria lapsum fuisse credidi, cum in Iustino 13, 4, 14. pro *Scyno Cœnum* repositum iret. infra tamen 10, 1, 43. Cœni mentio est, sed suspecta: quam examinabimus suo loco.

9,3,21. *MEMNON*) Hunc tamen multo ante desciuisse ab Alexandro, scribit Diodorus 17, 62. nisi de alio sentiat. Sed hæc relinquenda iudicabamus Indici.

PEDITVM VII. M.) Imo plusquam XXX. M. Si credimus Diodoro 17, 95.

9,3,22. *MILLE NAVIGIIS*) Sic distinguí aptius visum fuit, vt hinc nouus inciperet sensus. Porro Arrianus 6, 1, 8. *bis mille* nauigia numerat, inter quæ *triginta remorum naues octoginta.* forte etiam quædam *duodecim ordinum.* quales *instituisse Alexandrum Magnum ferunt* apud Plin. 7, 56, 21. nisi forte id postea fecerit, cum

cum Babylonem reuersus, omnia in luxum magis quam magnificentiam verteret. Ceterum *mille nauium classem* molita quoque dicitur Persepolis supra 5, 7, 8. Totidem, aut paulo plures, Græcos Troiano bello habuisse ex Homero constat, & auctoribus, quos ad Iliad. 2, 509. citat Spondanus. totidem aduersus Germanos comparauit Germanicus apud Tacit. 2, 6, 2. 2, 23, 2. & aduersus Constantinopolin duxit Ingerus Russorum dux, teste Luitprando.

PER AFFINITATEM) Litium, interuentu matrimonii compositarum exempla habet Arnisæus de iure connubior. 3, 6, 11.

9, 3, 23. *NICÆAM)* A victoria de Poro reportata dictam [Diodor. 17, 95. Arrian. 5, 3, 1. Strabo lib. 15.] Græcis νίκη victoria. Stephanus περὶ πόλεων octo cognominis Nicæas enumerat. Raderus. Tale δέιγμα τῆς νίκης quo loco pugnatum est primum cum Dario, in Issico sinu excitasse Alexandrum, auctor est Herodianus 3, 12. vrbem nimirum, Alexandriam quidem nomine, sed tamen in victoriæ monimentum conditam. Multis autem vrbibus ab eiusmodi euentu nomen est inditum. Sic ab Augusto post Actiacam victoriam appellata Nicopolis apud Sueton. 18, 4. Strab. lib. VII. & Mamertinum gratiar. act. cap. 9. quæ hodie *S. Maura* est teste Leunclauio, in Pandect. Turcic. cap. 176. nam alii apud Ortelium dissentiunt. Est & in Mœsia *Nicopolis, quam indicium victoriæ contra Dacos Traianus condidit*, Marcellino 31, 16. teste. hodie Turcis *Nigeboli*. Leunclau. cap. 51. Aliam in Armenia minore post Ponticam victoriam Pompeius apud Dion. lib. 36. condidit. Thessalonica à Thessalica Philippi victoria nomen habere videtur Stephano. Sic apud Lucian. de conscrib. historia, quidam ineptus scriptor *ciuitatem in Mesopotamia iam condidit. Adhuc tamen deliberat, an eam Nicæam à victoria nominari conueniat &c.* Ita Fridericus I. Imperator in obsidione Placentiæ castra sua in modum vrbis exædificata *Victoriam* appellauit. Cuspinianus. Sic à Variana Arminii victoria campum ad oppidulum Hornam in Westfalia, *Winfeldt* appellari Lipsius ad Tacit. 1, 60, 5. adnotat. Nec dubium cetera quoque loca, saltim pleraque eorum, quæ à victoriæ appellatione, quacunque lingua nomen trahunt, id eiusmodi origini debere.

BVCEPHALON) Seu *Bucephalan*, seu *Bucephalea*, seu *Bucephalen*, seu *Bucephaliam* varie scriptam reperies. Stephanus Βουκεφάλειαν scribit: Strabo lib. 15. Βουκεφάλιον. Porro Bucephalum Onesicritus & Arrian. 5, 3, 1. senio confectum sine vulnere defecisse memorant. Plutarch. cap. 107. *ex prælio cum Poro, non extemplo, sed post, vt plerique produnt, sub vulnerum curatione: vt Onesicritus est auctor, ob senium labore confectus. nam triginta annorum ætate ait eum decessisse. Mortem eius tulit Alexander grauiter; non aliter existimans quam si familiarem & amicum amisisset. In memoriam eius super Hydaspen condidit vrbem, quam appellauit Bucephaliam.* Ex Radero. De Bucephalo vide supra ad 6, 5, 18. De eo haud dubius error est Sabellici, scribentis in pugna ad Granicum cecidisse. Memorabile quod cap. 30. An seni sit gerenda respub. Plutarchus narrat. *Alexander Bucephalum iam annis grauiorem nolens premere; ante pugnam aliis vehebatur equis, obiens exercitum & ordines instruens: deinde illum data tessera conscendebat, in hostes ducebat, ac decertabat.* De vrbe eius cognomine vide etiam Melam 2, 47. Plinium 6, 20. Solin. cap. 47. aut vt alii numerant 57. Iustinum 12, 8, 8. Vrbs autem ista vocata fuit *Bucephalos* à Curtio, in quo assertorem habet Arrianum peripl. mar. Erythr. 3, 21. ἡ Βουκεφάλου Αλεξάνδρεια. vbi nota huic quoque vrbi nomen fuisse Alexandriæ, sed ad distinctionem aliarum Bucephali cognomen additum, vt vtrumque exprimeret, à quo condita fuisset, & cuiusin honorem. quod quidem etiam ex scholiis in Aristophanis Nubes, vers. 22. firmatur: πλευτήσαντος δὲ Βουκεφάλα Αλεξάνδρειαν ἔκτισεν ἐπίθιον ὧπερ τῆς ἱππικῆς χαραξάμενος πόλιν. *Regem defuncto equo*

equo duxisse exequias addit Plin. 6, 42, 3. vbi huius etiam vrbis meminit. Quomodo Hadrianus apud Spartian. cap. 20. *Equos & canes sic amauit, vt eis sepulchra constituerit.* Sed vt videtur Campofulgoso 5, 2, 14. Alexander id *non leuitate compulsus egit, sicut permulti principes, qui peruerse omnia agentes, in aues atque alia animalia hac pietate vtuntur, præterita sine vllo honore amicorum memoria.* Similis ἱππόφιλος exempla quædam referunt Pontani bellaria Attica 3, 1, 14. Marcel. Donatus ad Suetonii Calig. 55. Alex. ab Alex. 6, 14. Richter. axiom. polit. 170. De sepulturæ honore aliis quoque bestiis exhibito vide Kirchman. de funer. Rom. in appendicis cap. 6. Alexandrum etiam canem *Peritam* nomine eodem honore affecisse, vrbe quoque cognomine ei condita, Plutarch. cap. 107. narrat. Eum ex Indico genere fuisse, leonibus congredi solitum, centum minis emptum ex Theopompo refert Iulius Pollux 5, 5.

9, 3, 24. *SECVNDO AMNE)* Hydaspe, non Acesine. Verum vt hic locus recte percipiatur, paulo longius inhærendum est. Sciendum ergo Curtium per properantiam confudisse iter Alexandri, supra num. 20. *ad flumen Acesinem locat castra. Ibi forte Canus &c.* Omisit enim dicere, quod Arrianus fine quinti, *Acesino transmisso, ad Hydaspem venisse.* ibi enim mortuus est Cœnus. Arrian. 6, 1, 4. Quod si quis haud satis validum argumentum putet, quia nihil necesse est, Curtium eadem sentire cum Arriano; ex ipso producam argumenta, quæ sententiam meam affirment. ait: *Iam in aqua classis, quam ædificari iusserat, stabat.* at vbi exædificata classis illa? *in proximis* Hydaspi fluuio *monibus*, ipsius indicio, supra 9, 1, 4. quod & hinc constat ex num. 23. huius cap. quod dicit *in ædificanda classe summo* Pori Taxilisque *studio vsum.* ædificata ergo fuit in Hydaspe fluuio, qui amborum finibus medius interfluebat. Supplementa quoque variarum nationum, Arriano teste Indic. 3, 15. iuxta Hydaspen Alexandro coniunctæ sunt. Sic & *discordes & vetera odia retractantes* Porum atque Taxilem, *reliquisse in suis regnis* intelligis, non ad Acesinis fluenta, sed Hydaspis. *Oppida quoque duo* quæ *condidisse* hic iterum inculcat (oblitus, quod supra 9, 1, 6. de iis tradidisset: & in errorem inductus eo negotio, quod, sicut etiam fine lib. 5. Arrianus tradit, Alexander tum temporis non quidem de nouo ista oppida condidit, sed quæ ibi imbres corruperant, instaurauit) non in Acesinis, sed Hydaspis ripa fuisse, certissimum est. posita enim sunt iuxta locum, in quo cum Poro pugnauerat. Quæ cum omnia certissima sint, hoc accedit inprimis magnum argumentum, quod cap. seq. addit: *Peruentum erat in regionem, in qua Hydaspes amnis Acesini committitur.* Quod diserte Arrian. Indic. 3, 15. *Ipse inde oram soluens per Hydaspen ad Acesinis & Hydaspis confluentem nauigauit.* Confirmat hæc omnia Strabo lib. 15. cui in hoc negotio merito plurimum tribuas, non vno loco; sed hoc potissimum: *Sylua ad Emodos montes, ex qua Alexander multam abiecem &c. compingendis nauibus in Hydaspem deduxit, ex quibus classem construxit iuxta vrbes in vtraque fluminis ripa à se conditas, vbi eo transmisso Porum vicit. &c.* Idem ex Aristobulo paulo supra: *Postquam in Hydaspem venissent, & Porum superassent, iter ad Hypanim facientes ad orientem, atque inde ad Hydaspem rursum, continue pluisse &c. & cum nauium fabricationi ad Hydaspem immorati essent, & non multis diebus ante Pleiadum occasum nauigare cepissent &c.* Ex quo testimonio multa firmantur: Alexandrum, ab Hydaspe ad Hypanin itinere facto, per eadem fere loca reuersum esse: pluisse continuo per id tempus, inde fides Arriano de instauratis oppidis: naues in Hydaspe fuisse confectas: ibi & nauigationis initium factum. Quod satis puto confirmatum: quamquam Curtius cum Iustino 12, 9, 1. & auctore suo Diodoro 17, 95. (nam eum, vt multis aliis locis, ita hic quoque non secus ac Polybium Liuius, interpretatur) Acesinen velit principium nauigationis fuisse. Sed Diodorus etiam perinde seipsum iugulat. Subiicit enim: *Vrbium ad flumen conditarum.* vbi necessario intelli-

telliges Acesinem, non enim de alio ibi sermo. Sed idem ipse vrbes illas ad Hydaspen statuit cap. 89. ex cuius collatione magis etiam liquebit, totam fere hanc Curtii narrationem inde translatam. Nam & ibi duas vrbes, non addito nomine, conditas Diodorus ait, nominibus non expressis: quæ demum oggerit infra cap. 95. & de nauium compaginatione eundem plane errorem errat, quem Curtius. Cautior tamen Diodorus, qui non ait inferiore loco, *vrbes ibi conditas*, vt Curtius, sed vrbibus conditis, scilicet iam antea, tum indita nomina. Sane Curtium & Iustinum quomodo excusem, non reperio. Diodorum possim, si post hæc eius verba cap. 95. ἀνέκαμψεν ἐπὶ τὴν Ἀκεσίνην πόλιν, subiungere liceat sex verba ex Arriani extremo quinto, καὶ τὸν διαβὰς, ἐπὶ τὸν Ὑδάσπην. Quæ paucula verba facile deperire potuerunt libro tot locis mutilo. si tamen id factum, oportet esse antiquissimum mendum: vnde tamen colligas etiam, falli qui Curtium sub Augusto scripsisse putant. Poteram plura non indigna relatu proferre, sed in angustum me cogit præter instituti rationem etiam temporis inopia.

QVADRAGINTA STADIA) Vnde hoc hauserit Curtius, non reperio. nam Diodorus, quem sequi solet, nihil tale. Quadraginta stadia milliare Germanicum vnum admodum cum quadrante conficiunt. quis credat vno die non maius confectum fuisse spatium, prono alueo? cum præsertim Plin. 6, 17, 20. tradiderit *Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta nauigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque enauigare, adiectis paucis diebus.* Quando igitur absoluisset nauigationem integram, vno die non plus 40. stadiis promouens, si 600. diurna conficienti vnus Indus supra quinque menses absumpsit? Scimus autem ex Aristobulo apud Strabonem, totum iter ab Hydaspe ad Pattalenam insulam, quam Indus mari iam vicinior efficit, decem mensibus fuisse confectum. cum interim sæpe propter varia bella exscensiones expeditionesque essent faciendæ Plutarch. cap. 115 septem modo numerat. Numquid igitur pro *quadraginta stadia* reponendum in Curtio, *quadringenta*. Certe necesse est, vel ob sequentia, *vt opportunis locis exponi copiæ possent.* hæc enim caussa esse solet, vt intendantur itinera; raro etiam vt minuantur: vbi nimirum inter duo loca commoda nimis magna est distantia, quæ nec facile attingi possit. At si per singula 40. stadia loca opportuna occurrant, nihil opus erat ad earum rationem iter moderari, cum vel dormientibus in ea fuisset incidendum. Hæc igitur est celeberrima illa Alexandri nauigatio, quam leui brachio tangit Curtius, Arrianus autem à pr. lib. 6. & inprimis Indic. cap. 3. accurate describit. ad cuius meliorem intellectum vsui erunt duo loca, quorum alterum supra ad 3, 13, 1. alterum *de equitatu sociorum octo millium*, alibi emaculauimus.

9, 4, 1. *SOBIORVM*) Malim cum Strabone lib. 15. & Arriano Indic. 1, 21. *Sibarum*. Diodorus 17, 96. *Ibos* appellat. Raderus. In Diodoro sibilus præcedentis vocis ademit eum sequenti. τὰς ὀνομαζομένας Ἴβας. animadvertit vitium ad Iustin. 12, 9, 2. Bongarsius. in Iustino *Silei* vocantur, quos idem recte docet *Sibas* intelligi: nam & Orosius 3, 19. sic appellat. Stephano sunt *Sibæ*. Reineccius eosdem esse credit *Surasenos* Arriani Indic. 2, 1. nimirum quod illi præcipue Herculem colere dicantur: sed argumentum hoc nimis leue videtur. coluerunt enim eum & alii Indi, nec tamen omnes fuere Sibæ. Pori quidem exercitus Herculis effigiem pro signo sequebatur. Imo est ex Arriano concludere, plane diuersos fuisse populos. Sibæ enim ad Hydaspen coluisse creduntur; Arrianus Surasenos ad Iobarem (*Iomanem* Plinio 6, 19, 11. ponit. qui forte *Oxidracæ* fuerint: qui Orosio 3, 19. *Subagræ*. Plinio 12, 6. *Sydracæ*. Diod. 17, 98. Συδρακῶται. etiam Curtianis Mss. 9, 4, 2. *Sudracæ*.

9, 4, 2. *ÆGROS RELICTOS ESSE*) Alii *ægros relictos se*, vitiose. *maiores suos esse de exercitu Herculis, se* (nimirum qui Alexandri tempore viuebant) *ægros relictos* (vbi

(vbi aut à quo?) *cepisse sedem, quam ipsi* (qui ipsi? qui loquebantur, an maiores eorum?) *obtinebant.* Melius vtique aliæ edit. & Mss. *ægros relictos esse* nimirum maiores suos, ad quos necessario hæc referenda. Quæ quidem & Acidalio in mentem veniebant, quare vtrumque illud *se & esse* delendum putabat; *ægros relictos cepisse sedem.* quod & Bongarsio visum, & verum puto. quin & superiori *esse* itidem eliminato sic concepta hæc fuisse primitus: *Hi de exercitu Herculis maiores suos commemorant ægros relictos cepisse sedem &c.* Nam si verbo illo vti voluisset, non *esse* magis, quam *fuisse* dixisset. Ægros autem in coloniis eiusmodi relinqui solitos supra ad 7, 3, 23. obseruatum est. Sic vrbem ad Acesinem Alexandri iussu conditam, *mercenariorum ad militiam inepsis*, senio puta, aut vulneribus, attribuit Arrian. 5, 4, 27. Pompeius apud Dion. lib. 36. *vrbem eo loco quo Mithridatem vicerat, condidit, quam vulnerati aut ætate confecti milites sui haberent.*

9, 4, 4. *ALIA GENS*) *Agalassenses* vocat Diodor. 17, 96. à quibus longe absunt Malli qui Hydraoten transgressi ab Alexandro victi expugnatique sunt: apud Arrian. 6, 1, 28. nam hæc adhuc ad Hydaspen gesta, quæ Arrianus 6, 1, 14. concisse: *Indos Hydaspis ripam accolentes partim deditionem facientes in amicitiam ac fidem recipiebat* (Sibas siue Sobios intelligit) *partim ad arma confugientes* (Agalassenses aliosque vicinos innuit) *vi subigebat. Porro magna celeritate in Mallos & Oxydracas contendebat &c.* Sed fefellit Explanatorem Curtius, qui statim subjicit; *Alteram deinde vrbem &c.* quam historiam cum narret Arrian. 6, 1, 30. credidit Explanator debuisse eandem seriem rerum secutum, in proxime præcedentibus eadem narrare, quæ Curtius ante dicta verba, *Alteram deinde &c.* narrauerat. Sed nimirum noster cum Diodoro hanc alteram vrbem supra Mallorum regionem positam fuisse volunt, Arrianus in ipsis Mallis. Vide infra ad num. 15.

9, 4, 5. *FLVMINVM*) Quorum enim? Ex Curtii mente, necesse est accipias Acesinem & Hydaspen, iam non seorsim fluentes, sed vnum in alueum redactos.

9, 4, 6. *DESPERATA SALVTE*) Diodorus 17, 96. contra: *Opido per iram* (Alexandri) *incenso, maximam illorum partem comburit.* Arrian. 6, 1, 31. cum Curtio facit. Raderus. Multa eius desperationis exempla notauimus ad Florum 2, 18, 15. b. quibus adde Pompeianos Cordubenses apud Hirtium de bell. Hispan. cap. 34. & Thalenses Numidas in Sallust. Iugurth. 76, 5.

9, 4, 7. *DELEBANT INCOLÆ*) *Adiuuantibus ignem, qui alias ad extinguendum opem ferre solent,* vt loquitur Liuius 34, 38, 10. de incensis ædificiis in oppugnatione Lacedæmonis, iussu ducis Spartani, ad hostium incursum inhibendum. Cui negotio similis est Iudæorum dolus, quem de bello Iud. 7, 6. refert Iosephus.

NATVRÆ IVRA) Gronouius in diatribe ad Statii Silu. cap. 61. Naturæ vera. *Sic omnes Modi, & duo, quorum nos excerpta habemus. Scioli ex glossa suppesuerunt iura.* Verum Acidalius ait nimium nos membranis tribuere, si contra verum iis niti sustineamus. Gronouius probat *verum* pro æquo sæpe poni, quod etiam nonnullis exemplis ostendit Brantius ad illa Cæsaris de bell. Gall. 4, 8. *Neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos inuadere.* Vtrum eo Curtius hic vti voluerit, ambigo. Nec omittendum est quod excerpta Pal. 1. & D. quæ eadem putamus esse, quorum Gronouius mentionem facit (ipsius enim beneficio ad nos peruenisse, in Var. Lect. libello testati sumus) confirmant vulgatam lectionem, *iura.* vt quidem nobis ab Iuuene & docto & diligente perscripta sunt.

9, 4, 8. *TRIA FLVMINA*) Vide infra ad num. 15.

9,4,10. *HINC METV*) Non constituo, membranarum *cætu*, an excusorum *metu* verius: quorum & neutrum fortasse verum. Acidalius. *Cætu* seruat Raderus, & explicat de coitu fluminum. Ego *metu* præferam, idque interpreter de ipsis nautis in periculo trepidantibus, nisi forte de metu militum hic fuit, vt sup. 4,9, 20. & inf. 9,9,15. vbi plura.

9,4,11. *MAIORA OMNIVM*) Hoc est *maxima omnium*, vt volunt, quorum sententiam & probationes in Indicem referimus. Mihi quidem cum Acidalio & Sebisio potius videtur factam hic verborum transpositionem, legendumque; *In oculis omnium duo maiora naufragia submersa sunt.* tum quod Curtium hæc magis sapiunt, qui non delectatur insolentia phrasium, quæ hic duplex, &, *in oculis*, non adiecto cuius, & *maiora omnium*: tum quod rei veritas hunc sensum non patitur. *Duas longas naues* submersas Diodorus 17, 97. tradit: cui plane consentit Arriani narratio 6,1,19. si recte perpendas. Fuerunt ergo naues illæ ex octoginta triacontoris Arriani 6,1,8. qualibet illarum, vt consentaneum est, nihil superiores magnitudine. *longas* appellat noster 9,9,2.

9,4,12. *NATATVRI*) Sunt qui negent scisse. Zonaras ex Plutarcho cap. 102. & forte hac de caussa *amici, vt exciperent eum, haud procul nabant*: siue, vt Sebisius volebat, *nauigabant*. Cui tamen non assentior, cum in communi periculo non vacasset ipsis suo arbitrio nauigare. Ego de amicis qui in eadem naue erant, intelligo. plane vt in periculo Pyrrhi apud Plutarch. Pyrr. cap. XXXII.

9,4,15. *INDE VENTVM*) Iterum nobis occurrit haud paruæ difficultatis nodus. Ait Macedonem venisse in regionem Mallorum, cum iam reliquisset confluentes Acesinis & Hydaspis, post vrbem ab incolis crematam, cuius arcem tria flumina stringerent; postque periculum in confluente trium istorum superatum. Secutus est, vt licet credere, Diodorum 17, 97. nisi qua illum non cepit. Sed ambos erroris conuincit diligentissimi scriptoris Arriani narratio 6,1. cui penes me fides eo firmior, quod non vt aliæ, vel cum geographorum sententia, vel secum ipsa pugnat. Nam ecce postquam nauigationem Alexander per Hydaspen, vt supra quoque demonstrauimus, orsus est, accolas vtriusque ripæ perdomuit, inter quos & Sibas Arrianum innuere, paulo ante dictum est. Periculum autem classis in confluente Acesinis & Hydaspis accidisse narrat Arrianus, post quod alias ab Alexandro gentes subactas, donec reparata classe, iter in Mallos persequeretur: in quibus locis vrbem illam summa vi defensam per desperationem incenderint incolæ. Quæ quidem nullam plane contradictionem continent. At Curtii narratio de confluente trium amnium ne Diodoro quidem consentit. ille enim non vt Curtius tres diuersos amnes vno loco iungit, quam insignem obseruationem nec alii prætermisissent; sed Acesinem cum Hydaspe, quem iam ille receperat, in Indum effundit. De periculo autem classis vterque falsus videtur. nam si ad Indi confluentes id accidit; non postea demum ad Mallos peruenit: si hoc verum est; in confluentibus Acesinis & Hydaspis Alexandrum periclitatum apparet. Apud Mallos enim Acesines in Indum exit, vt Arrian. Ind. 1,13. scribit. quia tamen addit in Oxydracis (qui forte Δαεδαίοις Dionysio versu 1138.) Acesini Hydaspen misceri, quos populos conterminos fuisse consensu traditur, non adeo longe distare potuerint Acesinis & Hydaspis confluentes, à confluentibus Acesinis & Indi. Eadem confusio caussam alii quoque contradictioni dedit: nam infra 9,8,3. dicit eum secundo flumine in fines Mallorum peruenisse; postquam hic iam tum idem asseruisset, torque res in ea regione interim gestas exposuisset.

OXYDRACARVM) Aliis aliter appellari diximus ad 9,4,1. Iacobus de Vitriaco hist. Hierosol. cap. 90. Gymnosophistas & Oxydracas pro iisdem habet, in excursu, cuius auctores Augustinum Isidorumque, cum Plinio & Solino laudat. Vide & Reineccium tom. 3. pag. 184.

PERICVLI SOCIETAS) Respexit hunc locum Fam. Strad. lib. V. de B. Belg. *Periculi societas perfacile homines iungit.* Canibus etiam hoc insseuisse natura traditur, vt pugnantes inuicem conspecto lupo protinus inducias faciant. non ergo mirum si imminentis periculi metus etiam homines id edocuit. Notauit id de Hierosolymitanis Tacit. H. 5. 12, 6. *in duas factiones ciuitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret.* Apud eundem 12, 33, 2. forte non absurde correxi: *additis qui parem iniuriam metuebant.* Metus enim à potentiore, iungit contra eum infirmos etiam ante periculum aut iniuriam. Vnde & Octauianus apud Dionem 45, 3, 26. quum Lepidum Antoniumq; pariter odisset, neutrum audebat aggredi, ne illos aduersus se coniungeret. Tendit eo Liuius 27, 32, 5. ostendendo quam multi studuerint dirimendo inter Ætolos & Philippum bello, *non tanta Ætolorum cura, quam ne Philippus rebus Græciæ immisceretur.* Contra Ismaëlem Sophum vires iunxerunt Iacuppi filii, hactenus hostes, vt ex Iouio scribit Surius ad Ann. MD. De Syncretismo vide Plutarch. in libello de fraterno amore.

OCTVAGINTA MILLIA) Alii *Nouem millia*. Id cum falsum esse nemo dubitet; Curtio redonandum putaui, quod ipsum scripsisse, etiamsi aliorum scriptorum ope non iuuaremur, totus hic locus clamat. Diodorus 17, 98. vnde hæc desumpta, totidem numerat. & quamquam ad nouenarium numerum inclinent alii libri; tamen ex Pal. 1. qui VIII. M. habet, Curtium à Diod. non discessisse deprehendi.

9,4,17. *GANGEM*) Non latuit huius loci difficultas Glareanum, quippe videbat nec præcedenti Curtii narrationi conuenire isthæc posse, nec illis quæ paulo post subiiciuntur: *Cessisse illis metuentibus Gangem &c.* ideo coniecerat legendum: *Gangem amnem & quæ vltra essent coactum transmittere*, vt *ea coactum* ad Alexandrum referatur. Id valde absurdum visum Radero, qui veram Curtii scripturam certo definire autumat; *Non quidem Gangem amnem & q. u. e. coactos transmittere.* Sed pro Glareano possemus dicere, Radero non venisse in mentem *transmittere* idem interdum esse quod omittere, prætermittere. apud Romanos *vis imperij valet, inania transmittuntur*, ait Tacit. 15, 31, 2. Ipsius autem coniectura merito suspecta est nimiæ liberalitatis: nec enim vnam modo voculam, vt affirmat, sed duas adiecit. Ergo Glareani coniecturam merito prætulerim. Nisi forte pro *Gangem* scripsit aut sensit Curtius *Indum*. Distinctionem etiam mutem: *Indum & q. u. s. c. t. n. t. f. s. m. bellum indomitis gentibus obiectos. Vt s. s. a. ei Oceanum, trahi extra sidera. &c.*

9,4,18. *NOVIS ARMIS*) Ad sua respiciunt opinor, non hostilia. vide sup. 9,3,21.

CALIGINEM AC TENEBRAS) Declamatoria sunt, qualia apud Senec. Suas. I. Lucan. 5,4,42.

Sæua quies pelagi &c. Loccenius. Acidalius Virgil. Æn. 1, 93. respici putat, illis *noctem profundo incubantem*, quibus tamen addi vocem *mari* nihil attinet.

9,4,21. *QVAM PETERET*) Melius Acidalius: *Ne inuiderent sibi laudem, quam peteret, Herc. & Lib. patris terminos transiturus. Ipsos regi suo &c.*

9,4,22. *OMNIS MVLTITVDO*) Adde infra 10,7,11. Recte seditiosus populus maris fluctibus nunc intumescentibus, nunc residentibus, à scriptoribus comparatur. sicut Maro fluctus ipsos cum populo tumultuante composuit. Æn. 1,152.

Ac veluti magno in populo, cum sæpe coorta est
Seditio &c. Raderus.

Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis. Liu. 31, 34, 1. *Multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis est: vt venti & auræ cient, aut tranquilli, aut procellosi.* Idem 28, 27, 10. ex Polybio Seneca Herc. Fur. vets. 169.

Illum populi fauor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura tumidum voluit inani.

Vulgatam eam *similitudinem* appellat idem Liu. 38, 10, 3.

9, 4, 24. *SPECIEM MVLTITVDINIS)* Simile strategema Eumenis adnotat Diodorus 19, 37. & scriptores vitæ, cum Polyæno 4, 8, 4. Ignibus accensis speciem auctorum aut manentium castrorum obiectam hosti reperies apud Liu. 27, 44, 7. & alibi passim.

9, 4, 25. *SED METVNE)* Aliæ edit. addunt, *sed, non traditur metume*, quod eliminandum censuit Palmerius cum Modio; defendit Acidalius, & sane tolerari potest. Habent quidam, *sed vt traditur*, ex quo Acid. *sed haud traditur.* placeret, si etiam facias, *profugerint.*

9, 4, 26. *OXYDRACARVM)* Negat Arrian. 6, 2, 18. *Infortunium hoc in Oxydracis Alexandro obtigisse communis opinio est: quod tamen apud Mallos, liberam Indorum gentem, accidit. Nam & vrbs Mallorum erat, & à Mallis ictus fuit Alexander. Porro statuerant quidem Malli Oxydracis sese coniungere, atque ita prælium inire, sed Alexander itinere per arida & siticulosa loca facto eos præuerterat, priusquam aut Malli Oxydracis, aut Oxydracæ Mallis adiumento esse possent.* Inter eos qui apud Oxydracas hoc accidisse tradunt, est etiam Lucianus Dial. mortuor. 14, 14. Appianus lib. II. Ciuil. sub fin. L. Ampelius, qui vocat *Oxydracas*, & Stephanus in Ὀξυδράκαι, & Pausanias in Atticis. Verum Plutarch. cap. 110. & de fort. Alex. 1, 1. & 2, 29. item Strabo, scribunt in Mallis hoc esse gestum.

9, 4, 27. *NE COMMITTERET)* Istud *committere* absolute dictum volebat eruditissimus Vir ad Albinum Capitolini, vt in glossis *Commistere*, συμβάλλειν μάχην. Sed cum hic sequatur vox *obsidionem*, ad ipsam committendi verbum referri videbatur. Numquid autem scripsit Curtius, *monere cepit, (vt) omitteret, aut certe differret obsidionem.*

9, 4, 28. *DEMOPHOONTA)* Sic etiam vocat Diodorus 17, 98. Cleomantes Plutarchi c. 80. huc, opinor, nihil pertinet.

9, 4, 29. *NON PECVDVM FIBRAS)* Sensit igitur eo tempore (nam alias & ipse superstitioni deditus fuit) quod apud Ciceron. de diuin. 2, 24. Hannibal, *Rex* enim *Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti pugnari placeret: negabat se audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, carunculæ vitulinæ magis, quam imperatori veteri credere?*

9, 4, 33. *VELVT IN SOLITVDINE)* Sic apud Ioseph. de bel. Iud. 7, 6. Romani incendio porticus intercepti, in oculis suorum perierunt.

9, 5, 1. *EXCEPTVRI)* Iosephus ibid. narrat Artorium quendam ita salutem sibi parauisse inclamato Lucio contubernali, vt deslientem exciperet: si faceret, heredem ex asse sibi fore. Lucius ergo eum excepit, sed pondere desilientis, strato lapidibus solo illisus, statim exspirauit.

INCREDIBILEM) De eximio Coclitis Horatii facto Liuius 2, 10, 11. *rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.* Ouidius in epist. Paridis versu 60.

Vera

Vera loquar: veri non habitura fidem.

Sic enim lego. vulgo *vero non hab. fidem.* Seneca epist. 94, 51. *Duæ res plurimum roboris animo dant, fides veri, & fiducia: vtramque admonitio facit. Nam & creditur illi &c.* sic explicat quid sit *fides veri.* Ipse Ouid. Fastor. 3, 662.

- - - - *nostras peruenit ad aures*
Fama, nec à veri dissidet illa fide.

9, 5, 2. *NAMQVE)* Vox nihili, ab ineptis correctoribus intrusa. Sic cohæret oratio, *rem ausus incredibilem, in vrbem hostium se immisit.* nec habet illud *quum, quum ille rem ausus &c.* vnde se sustentet, nisi perperam inserta remoueas.

SALTV SEMET IMMISIT) Male narrat Orosius 3, 19. *cum murum ascendisset primus, vacuam ciuitatem ratus, solus introrsum desiluit.* Melius tamen auctore suo Iustino 12, 9, 5. *ad vrbem eorum ducit. Quam desertam à defensoribus cum de muro, quem primus ceperat, animaduertisset, in vrbis planiciem sine vllo satellite desiliit.* Si enim hoc verum, vnde illi hostes, qui statim *cum eum solum conspexissent, vndique concurrunt?* Vidit absurditatem Orosius, & leniuit, non sustulit. nec enim credibile est quicquam euenisse, vnde vacuam vrbem putare potuisset Alexander. parco cetera persequi, nec vacat. Paris autem animi, quamquam euentu dispari, militis cuiusdam Christiani facinus recitat Robertus Monach. Histor. Iherosol. lib. 6. à pr. qui sub Boamundo castellum Antiochenum oppugnans, ceteris *pulsis, suis in superiori turris fastigio remansit, cuius egregia funera vniuersus nostrorum exercitus vnanimiter planxit. Ille enim vt vidit se solum esse derelictum, tamen in se animum gerens inuictum, vt vrsus inter molossos cæpit se vtrinque defendere; lapidesque & cæmentum de parietibus auellebat, & super ipsos qui eum impugnabant proiciebat. Tandem mille sagittis onustus, vt vidit quod mortem non euaderet, mortem sibi accelerauit, quoniam cum clypeo & armis vbi turbam densiorem esse conspexit, in medium profilijt, suisque interfectoribus tormentum fuit.* in quos se iaculatus est. Alexandri autem factum, quo auctore nescio, sic recenset Fulgos. 3, 2, 6. *cum effractis scalis cum duobus tantum remansissent comitibus, quanquam multis acceptis vulneribus, nunquam de se hostibus dedendo verbum fecit, sed vt erat confossus, à muris saltu ad suos se recepit.* Porro temeritatis eam ob causam arguitur ab amicis apud Arrian. ex Nearcho 6, 2, 29. à Philippo apud Lucian. dial. mortuor. 14, 15. & ab Hegesippo 5, 19. vbi hæc res non incommode exponitur. Notandum etiam quod Eustathius ad Homer. Iliad. 5, 4. scribit, Indos aspectu desilientis territos recessisse paulisper, ex splendore armorum, non hominem quendam, sed spectrum in eos ferri arbitrati. Quod ex Plutarchi cap. 110. desumptum est.

9, 5, 4. *NE CIRCVMIRI POSSET)* Numquid hæc ex superioribus temere repetita? Videntur.

9, 5, 5. *VNVM)* Plutarch. cap. 110. *Assistebant ei Peucestas & Limnæus* (qui nostro *Timæus*) quasi statim à principio ipsi adfuissent. quod & similius vero. Nam & Arrian. 6, 2, 12. narrat, in eadem scala post Alexandrum statim adscendisse Peucestan, Leonnatumque & Abrean. deinde ceteros festinantes pondere suo rupisse scalas.

PROPIVS ACCEDERE) Eiusmodi pugnæ multæ narrantur ab auctoribus. de Agide Spartano habes supra 6, 1, 3. de Alcibiade apud Plutarch. in extrema vita. Adde Iosephum Iud. 7, 1. de Sabino.

9, 5, 9. *HVIVS MAGNIT. SAGITTÆ)* Vide supra ad 8, 9, 28. Xenophon. ἀναβάσ. lib. 4. de Carduchis: *Arcus ternum fere cubitum habebant, sagittas, binis cubitis longiores. Neruos, emissuri sagittas, versus imam partem arcus tendebant, pedem sinistrum adplicantes; sagittæ ipsos clypeos & loricas penetrabant.*

9,5,11. *SVBIECTO MVCRONE)* Rectissime *subiecto*, an damnes tamen, quod alicubi memini videre, *subrecto*? Acidalius. Ego quoque diuinabam, *subrecto*: adiutus non absimili loco Statii 11,563.

Vique super stantem, pronumque in pectore sensit,
Erigit occulte ferrum - - -

9,5,12. *PROCVL STVPENT. CETERIS)* Statius 9,538.

Non tamen ausa ensem, galeamue audacia cuiquam
Tangere, vix credunt oculis, ingentiaque horrent
Funera - - - -

9,5,13. *NE SIC QVIDEM)* Legendum ergo in Galtero:

Sed neque sic proferre potens venerabile corpus.

Raderus citauit: *Sed neque se &c.* Ipsum auctorem nancisci non potui. quod magnopere optabam, saltem vt viderem an ad supplenda Curtiana fragmenta præsidii aliquid inde peti potuisset.

9,5,14. *TANDEM PEVCESTES)* Hunc omnes testantur Alexandro periclitanti adstitisse. Plutarchus cap. 110. Arrian. 6,2,12. Diodor. 17,99. De Leonnato non omnes consentiunt, vt nec de Abrea Duplario. De Aristono nulla apud alios mentio in hoc Alexandri discrimine, alioqui inter primos etiam Alexandri duces, qui infra 10,6,16. de creando rege dixit sententiam. Raderus. *Peucestes Alexandri Magni seruator* hinc appellatur Plinio 34,8,23. Meminit eius solius in hoc negotio Iulianus in Cæsaribus.

9,5,15. *ARISTONVS)* Ἀριστόνυς πειραῖος πιθεύς. Arrian. 6,5,9. vbi inter corporis custodes numeratur. Apud Sabellicum vitiose *Aristonius*. Diuersus ab hoc Ariston Pæonum præfectus supra 4,9,24. Compositum nomen est, vt Μεγαστόνυς, Plutarch. Arato cap. LI. Eodem nomine statuarius apud Pausan. pag. 332,20.

9,5,16. *TIMÆVS)* Plutarcho cap. 110. est *Limnæus* & orat. de fort. Alex. 2,29. *Lemnæus.*

9,5,18. *SVBMISERAT CLYPEVM)* *Palladis Iliacæ scuto interiecto, regem protexerat.* Arrian. 6,2,8. & 13. Detraxerat id templo Mineruæ, cum primum in Ilium venisset. Arrian. 1,5,9. Ceterum festinabundus, vt apparet, Sabellicus, ex hoc Curtii loco male intellecto, scripsit; *Timæo & Peucestæ cadentibus, duos reliquos graniter vulneratos.* Cui tamen eodem libro in distributione prouinciarum post Alexandri mortem Babylonios euenisse tradit.

9,5,19. *TERRVISSET ALIOS)* Liuius 10,29,1. de P. Decio: *Romani duce amisso, quæ res terrori alias esse solet; sistere fugam &c.* Nam etiam *fama occisi vulnerative ducis, exercitui perniciosa*, vt Gruterus discurs. in Tacit. cap. 11. plurimis exemplis ostendit. Quibus addi potest Robert. Monach. Histor. Ierosol. lib. 6. à pr. *Eoamundus grauiter sagittatus est in femore &c. In eius infirmitate aliorum virtus corruit, quoniam vnusquisque miserabilem casum sui Ducis admodum doluit. Pugnam dimittunt &c.* apud Chrysostomum Περὶ παρθενίας cap. 14. virginitatem impugnantes inquiunt: τῆ φαλαγγὶ πεσούσῃ, πῶς ἀνάγκη τὸ φρόνημα διαφθαρῆναι τῷ ἐντείῳ. *Duce cadente ineuitabilem esse confusionem exercitus.* Liu. 29,34,18. *ceteros, ducis præcipue territos cæde, effuse fugientes &c.* Silius 4,102.

Ductore amisso pedibus se credere Celtæ.

Buchanan. hist. Scotic. lib. 5. *in ipso pugnæ ardore subornatur, qui Brittones moneret, vt Arcturo cæso, rebus perditis, suæ quisque saluti consuleret. Ea vox in fugam eos vertit.* Cui facto similimum de Iugurtha narrat Sallust. 101,8. & Pantaleon de viris Illustr. German. in Othone Magno: item Frontinus strategem. 2,4,9. idque faciendum docet Onosander cap. 23. Apud Marcellin. 16,29. *cataphractis equites viso rectore suo leuiter vulnerato &c. dilapsi qua quisque poterat, peditesque calcando cuncta turbassent &c.* Duo etiam exempla Zonaras, in Constantino Leonis, & Basilio Porphyrogenito refert, vbi propter equum ducis fortuito elapsum exercitus, occisum Imp. ratus fugeret. Hinc ergo occultare ducis casum consueuerunt viri prudentes, vt præter eos, quos Gruter. §. 11. eius discurs. adducit, in Brasida exemplum est apud Thucydid. 5,2,18. Huc autem proprie pertinet obseruatio Gruteri in extremo illo capite, *Vix inueniemus vicisse sine duce militem, nisi ira & indignatione ita recenti, vt sensum mali sui minime aut sentiret, aut perpenderet.* Subjicit deinde cum hoc Curtiano exemplum C. Attilii ex Polyb. 2,28. & Samnitium ducis ex Liuio 9,22,6. Quibus confer Baldevvinum regem, accepto graui vulnere ab equo defluentem, apud Albert. Aquens. Hist. Hierof. 9,22. *Quod sui commilitones vt viderunt, statim dolore inæstimabili commoti, amplius & validius cœperunt hostes cædere & persequi, quousque alij occisi, alij in fugam versi.* Zonaras de Scipione Iltergitanos oppugnante: *Neque prius vrbem cepit, quam ipsemet mœnia conscendere ausus, vulneratus est. Milites enim verecundantes, & illi metuentes, promptius subierunt, & potiti victoria, hominibus omnibus occisis, totam vrbem incenderunt.*

9,5,20. *NON SENIBVS &c. PARCITVR)* Idem Arrian. 6,2,16. Repete modo relata Zonaræ verba, & de eadem expugnatione Liuiana isthæc 28,30,4. coniunge: *Tum vero apparuit ab ira & ab odio vrbem oppugnatam esse, nemo capiendi vinos, nemo patentibus ad direptionem omnibus, prædæ memor est: trucidant inermes iuxta atque armatos, feminas pariter ac viros: vsque ad infantium cædem ira crudelis peruenit. ignem deinde tectis injiciunt, ac dirunt quæ incendio absumi nequeunt: adeo vestigia quoque vrbis exstinguere, ac delere memoriam hostium sedis cordi est.* Lucan. 2,105.

Non senis extremum piguit vergentibus annis
Præcipitasse diem: nec primo in limine vitæ
Infantis miseri nescentia rumpere fata.

Liuius 42,63,13. de expugnatione Haliarti: *In primo tumultu captæ vrbis seniores impuberesque, quos casus obuios obtulit, passim cæsi.*

9,5,21. *PTOLEMÆVM)* *In eo autem præcipue mihi errasse videntur qui Alexandri res conscripserunt, quod Ptolemæum Lagi F. vna cum Alexandro & Peucesta scalam conscendisse scribant, iacentemque obiecto scuto protexisse, ideoque Ptolemæum Soterem, id est seruatorem à militibus appellatum fuisse. quum alioqui Ptolemæus ipse scribat se huic pugnæ non interfuisse: sed eo tempore copiarum ducem aduersus alios barbaros pugnasse.* [Arrian. 6,2,23. vbi monet historicos, vt sint in tradendis rebus diligentiores.] At enim Pausanias in Atticis pag. 10. tradit Ptolemæum *Alexandro in Oxydracis periclitanti præ cunctis regis amicis auxilio fuisse.* Raderus. Stephanus Ὀξυδράκαι, vtramque opinionem tangit. L. Ampelius decus id Ptolemæo tribuit.

NON REFRAGATVS) Acidalius exturbat *non*, ego retinendum iudicem, nisi membranis absit. Non enim opus est, vt ironiam suspicemur, quoties occurrit vocula *scilicet*: interdum enim est serio valde affirmantis pro certo rem ita se habere: vt apud Ciceron. Epist. Famil. 13,26. *Peto igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere &c.* Eadem notio vocis *videlicet* in corrupto loco Liuii 23,12,14. *Hostium cepi bina castra, prædæ videlicet plena: & commeatum, frumentum & pecuniam date.* Legendum: *prædæ videlicet plena & commeatuum: frumentum & pec. date.* nec vero historici grauitatem eiusmodi ironiæ decent. Similis est locus Liuii 34,15,10. *Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum multos cæsos ait, numerum non scribit.* De Cato-

Catone obiter addo, idem elogium ei tribuere Plutarchum in vita cap. 27. Quintilianus 12, 1. mitius: *Cicero minime sui contemptor.*

TANTA COMPONENTIVM) Arrianus 6,2,23. de hac ipsa re: *Hæc mihi per digressionem dicta sint, vt in tantorum facinorum & casuum expositione posteri plus diligentiæ adhibeant.* Eadem querela Tacit. 3,19,3. *Adeo maxima quæque ambigua sunt, dum alij quoquo modo audita pro compertis habent; alij vera in contrarium vertunt: & gliscit vtrumque posteritate.* & 4,11,6. *Mihi tradendi arguendique rumoris caussa fuit, vt clarorum sub exemplo falsas auditiones depellerem &c.* Sic Thucydides 1,4,2.

9,5,25. *CRITOBVLVS)* *Critodemus* Arriano 6,2,17. vbi Philippus Acarnan, qui in Cilicia ad Tarsum curauerat Alexandrum? supra 3,6,1. an extinctus interim, an clinicam tantum, non vulnerariam professus? alii enim medicorum ophthalmici, alii clinici, alii vulnerarii, raro vnus omnes medicinæ partes profitebatur aut exercebat, vti nec hodie. vbi Osthanes? de quo Plinius 30,1,21. *Non leuem & Alexandri M. temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthanes, comitatu eius exornatus, planeque quod nemo dubitet, orbem terrarum peragrauit.* Sed Philippus Acarnan etiam vulnerarius fuit, vt ex 4,6,17. apparet. Sed postea extinctum credo. quando nulla amplius eius mentio. Raderus. De Osthane quod ait, dupliciter fallitur. nec enim eum medicum fuisse dicit Plinius, sed magum: nec de ipso vltima verba Plinii, *orbem terrarum peragrauit*, accipiunda; sed de arte seu professione magiæ. quod sequentia clamant: *Extant itaque & apud Italas gentes vestigia eius &c.* Sed ad Critobulum reuertimur: eiusque nomen secundum Popmam ex Plin. 7,37,2. affirmamus. *Magna & Critobulo fama est extracta Philippi regis oculo sagitta, & citra deformitatem oris curata orbitate luminis.* Philippo id acciderat in obsidio Methonæ apud Diodor. 16,34. Iustin. 7,6,14. hunc igitur etiam ex paternis medicis secum duxerat Alexander.

9,5,28. *SINE MOTV PRÆBVIT CORPVS)* Plin. 11,45. *Vatices C. Marium, qui septies Consul fuit, stantem sibi extrahi passum vnum hominem* (Chifflet ius recte *hominum*) *Oppius auctor est.* Cicer. Tusc. quæst. 2,22. *C. Marius cum secaretur, vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus.* vbi multa præclara de dolore tolerando, virisque digna.

9,5,30. *CERTIOREM SPEM)* Siue: *certiore spe salutis eius in castra se retulerunt.* Acidalius. Videtur non necessaria mutatio. Castra autem intellige, quæ ad vrbem erant, ne confundas cum iis quæ ad confluentes Acesinis & Hydraotis apud Arrianum 6,2,26.

9,6,1. *FAMAM MORTIS SVÆ)* Aliter paulo Arrian. 6,2,27. Diodor. 17,99. hanc etiam inter caussas numerat seditionis à Græcis concitatæ, quæ seq. cap. exponitur.

9,6,2. *QVIES NECESSARIA)* Sic de Carolo V. Surius ad An. MDXLVII. *Noribergæ dies quinque confirmandæ valetudinis caussa permansit.*

9,6,6. *AT CRATERVS)* Apud Arrian. 6,2,29. *Nearchus auctor est amicos qui eum deducebant factum eius reprehendisse, quod se tanto discrimini pro exercitu obiecisset: neque enim id ducis, sed militis officium esse.* Eadem Suidas in Ἀλέξανδρος, ex Arriano. Confer similimum locum Lucani 5,680.

Circumfusa duci fleuit, gemituque suorum
Et non ingratis incessit turba querelis:
Quo te dure tulit virtus temeraria Cæsar? &c.

Sic apud Gregoram 7,11. Imp. Michaël *à patre prolixe obiurgatur, quod Imperator, non ex Imperatorio debito rem gessisset, vitam suam sic obiectans casibus, & in suo corpore Romanorum salutem fortunæ velut per libidinem exponens.* & apud eundem 11,1. Andronico Iuniori eadem illa ab *vxore & ceteris omnibus* ingeruntur. Sic Philippum Augustum singulari pugna cum Atrebatum Comite congredi cupientem, ab amicis retineri facit Guillermus Philippid. lib. 2. idque factum huic comparat:

Talis Alexander castigabatur ab omni
Milite, cum medios muro se vertit in hostes.
Vnda (Vnde) fuit, paucis vix succurrentibus, hosti
Vi rapius, iusto perfusus membra cruore.

Coniunge quæ proposita sunt supra ad 3,2,1. *statuit ipse decernere.* & mox num. 8. *tot ciuium animas.*

VT NVNC EST TIBI VILIS) Acidalius *tò tibi vilis* expungit, putatque sufficere *vt nunc est.* probatque simili loco Curtii 5,5,10.

9,6,7. *TV NOS PRÆSTABIS INVICTOS)* Coniunge quæ notat Forstnerus ad illa Taciti 2,46,1. *Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quæ prosperè cecidissent, testabatur.*

9,6,8. *TOT CIVIVM ANIMAS)* Quæ omnes vnius spiritu trahuntur. Silius 4,103. de Chryxo Celtarum duce:

Vna spes animæ, tantusque pependerat ardor.

Cic. pro Marcello cap. 7. *Quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in rep. tam nihil vmquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam; & ex vnius tui vitam pendere omnium.* de eodem Lucan. 5,685.

Cum tot in hac anima populorum vita, salusque
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sæuitia est, voluisse mori - - -

Nam, vt ait Sen. de Clement. 1,4,2. Imp. *est vinculum, per quod Resp. cohæret. ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt &c.* Adde Lipsii politic. 2,1. Gruter. in Tacit. discurs. 3,9. & quæ supra sparsim notata, vel Index, vel addita textui parallela loca, in commune iungent.

9,6,10. *DE PERSIDIS REGNO)* Crimen hoc fortunæ facit Plutarch. de fort. Alex. 2,28. *Ferè in modum cassibus implicatæ, destitutus & auxilij inops agebat: non eo redactus, vt Susis, Babylone, vel Bactris potiretur, aut præclaram de Poro illam victoriam reportaret. nam qui arduas ac gloriosas res gerendas suscipiunt, ab illorum infortunio, si quod habent, saltem dedecus abest.* Vide & quæ sequuntur; est enim prolixus locus.

NE ADMIRARI QVIDEM) Nemo quidem vellet, vt periculis te exponeres: nec tamen, si faceres, miraretur. quippe cogitaret non iniquum esse, vt magnum ob præmium, magnum etiam periculum susciperetur. Nihil ergo mutandum: nec Acidalio credendum, qui pro *ne admirari*, reponebat *admittere.*

9,6,11. *NOVIT)* Acidalius *norit.* Rectius.

9,6,13. *IGNOMINIA NOTES)* De pœnis militaribus, & ignominiosis dimissionibus copiose ex Polybio Lipsius Mil. Rom. 5,18. & 19. Raderus.

9,6,17. *CONSIDERE IVBET)* Sic Alexander Imp. confessum obtulit Senatoribus. Lamprid. cap. XVIII.

9,6,18. *SED GLORIÆ)* Pal. 1. *non tam ætatis spatio, quam gloriæ.* Et nunquid ita scripsit Curtius?

9,6,19. *LICVIT PATERNIS OPIBVS)* Hic quoque secutus est auctorem generis Achillem: qui cum fatum suum ex matre didicisset, vt vel inglorius ad extremam senectutem peruenire posset: vel magna gloria compos, sed breuis

æui foret: elegit gloriam. Paria Curtianis his dixit apud Arrian. 5, 4, 11. *Quidnam magnum ac memorabile in vita egissemus, si desides in Macedonia satis habuissemus, laboris expertes, domos nostras tueri?* Confer Maximum Tyr. dissert. XXXV.

NE PIGRI QVIDEM) Arellius in Senecæ Suasor. II. *Erratis, si metuendam creditis mortem. Nulli natura in æternum spiritum dedit, statutaque nascentibus in finem vitæ dies est. Imbecilla enim nos materia Deus orsus est, quippe minimis succidunt corpora: indenuntiata sorte rapimur: sub eodem pueritia fato est; eadem iuuentus causa cadit.* Lepidus apud Sallust. H. 1, 2, 10. *Omnibus finem natura vel ferro sepsis statuit.* & Iug. 85, 30. *Ignauia nemo immortalis factus.*

NON ANNOS MEOS) Cestius apud Senec. Suas. VI. *Si ad desiderium populi respicis Cicero, quandoque perieris, parum vixisti: si ad res gestas, satis vixisti: si ad iniurias fortunæ & præsentem Reip. statum, nimium diu vixisti: si ad memoriam operum tuorum, semper victurus es.* Ad eam formam Sen. epist. 78, 34. ait ex Posidonio: *vnum diem hominum eruditorum plus patere, quam imperiti longissimam ætatem.* Vbi Lipsium & Muretum consule. Sic etiam Agricola Taciti 44, 3. *Quantum ad gloriam, longissimum æuum peregit.* Mamertinus in gratiar. actione cap. 14. *Itaque grandæuum iam Imperium videbitur his, qui non ratione dierum, aut mensium, sed operum multitudine, & effectarum rerum modo Iuliani tempora metientur.* Idem sensus in his Martial. 20, 53.

Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

9, 6, 20. *IMPERIVM*) Credo Pal. 1. rectius habere: *Orsus à Macedonia, imperium Græciæ teneo.*

MÆDISQVE) Nulla horum apud vllos scriptores, qui de Alexandro tradidere, mentio est. Radero teste. Esse autem Thraciæ gentem hoc nomine Macedoniæ vicinam, ex Stephano & Ptolemæo 3, 11. notum. Vide etiam Ortelium. Verum de his sermonem esse Curtio non videtur. cur enim post totam Thraciam, vnius nationis vocabulum nominet? Quare potius hic legerim, *Massique.* quæ gens vicina Triballis, & armis virisque valida: quamquam Raderus *Mædos* retinendos arbitretur.

ALIAM NATVRAM) Seneca de benef. 7, 2. *Non satis apparebat inopem esse, qui extra naturæ terminos arma proferret?* Sic Romani apud Tacit. Agric. 30, 6. *Postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur.* Videtur autem Curtius alludere ad notam fabulam de pluribus mundis, de qua infra 10, 5, 29. Iuuenalis 10, 167.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

9, 6, 21. *XXVIII. ÆTATIS ANNVM*) Non ergo conuenit Iustinus 11, 1, 9. cui *viginti annos natus* regnum orditur, nec Raderus prolusion. cap. 7. qui hoc gestum in vigesimum nonum Alexandri annum conjicit. Chronologos consule.

9, 6, 22. *DABO NOBILITATEM*) Aristippum Dionysius *iussit in conuiuio infimum omnium accumbere. hic Aristippus nihil offensus, Hunc, inquit, locum, ô rex, illustrare vis ac honorificum reddere. significans non locum reddere hominem viliorem; sed ex dignitate hominis, honorem addi loco.* Raderus ex Aristippo Laërtii cap. 18. Sic Cato nescio quod vile munus; Socrates carcerem cohonestauisse dicuntur. Sic Epaminondas *Telearchian ad magnam dignitatem ac maiestatem euexit.* Plutarch. in præcept. reip. gerendæ cap. 37. De locis obscuris per opera bellica nobilitatis supra ad 4, 9, 9. *nobilem sua clade facturus.*

APERIAM TERRAS) Id quoque præstitit. Nam ante eius expeditionem India, & quæ circa sunt, vix fando Græcis cognita. Plutarchum & Strabonem non vno loco testes eius rei habet.

9, 6, 24. *NIHIL PARVVM*) Hieronymus ad Lætam, in re dissimili, similem fere sententiam dixit: *Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt.* Pulchre Nazianzenus:

τὸ μικρὸν ὦ μικρὸν, ὅτου σωφρέιν μέλει.

AB INTESTINA FRAVDE) Alludit hunc sensum Italum adagium:

Da chi ben mi fido, guardimi Dio:
Da chi non mi fido, guardero io.

9, 6, 25. *IN THEATRO*) Ad ostium eius cæsus. Diodor. 16, 95. *occupatis* eius *angustiis* à Pausania, vt loquitur Iustinus 9, 6, 4.

PLVRES A SVIS) Saturninus apud Vopiscum cap. 10. *Nescitis amici quid mali sit imperare; gladij & tela nostris ceruicibus impendent; imminent hastæ vndique, vndique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur.* Sulpicius Ciceron. epist. ad famil. 4, 12. de nece M. Marcelli. *cui inimici propter dignitatem pepercerant, inuentus est amicus, qui ei mortem afferret.* Exempla dictaue alia quid opus addere?

9, 7, 1. *CARABACTRA*) Ortelius corruptam putat vocem, & *circa Bactra* legendum existimat. Constantiensis Ms. habet *Garabactra.* Glareanus existimat compositum ex *Cara* & *Bactra*, propter coloniam nouam eo deductam. Ortelii tamen coniecturæ fauet, quod Curtius ipse num. 11. addat: *Hæc circa Bactra gesta.* Raderus. Iuuat etiam Diodor. 17, 99. *Græci per Bactrianam & Sogdianam in colonias distributi &c.* Bongarsius etiam ita leg. coniecerat. *Sarbactran* habet L. Ampelius.

POPVLARIVM) Glareanus de Bactrianis interpretatur, Loccenius de Græcis: quod verum puto, ex verbis *qui validiores erant*; quæ res notat dissensum in eodem hominum genere. accedit, quod illi Bactrianos etiam ad defectionem perpulerunt: at quomodo potuissent, si quibusdam eorum occisis, genti tantam intulissent iniuriam?

CEPERANT) Acidalius sic recte legit. mutata etiam distinctione sensum expeditiorem reddidi.

QVASI) Quid sibi vult in ista re *quasi?* Emendo *casu*: pro quo solenni mutatione literarum in antiquioribus libris scriptum erat *quasu.* Acidalius. Recepit in textum Raderus.

9, 7, 4. *BICON QVIDAM*) Forte *Nicon.* aut cum Pal. 1. *Biton.* Græcum enim fuisse, tametsi Glareanus dubitet, omnia probant.

INVITATVMQVE) Non ergo duæ erant factiones, alterius Athenodorus princeps, alterius Bicon, vt putabat Raderus: sed Bicon ille sub Athenodoro erat; qui enim aliter ille regis nomen adsciscret, valida adhuc diuersa factione? aut qui fideret inimico inuitanti? Ceterum exempla quædam hoc modo occisorum reperies supra ad 6, 8, 16. quibus adde insigne illud apud Plutarch. in Demetrio cap. 47. item in Sertorio cap. 44. Warnefrid. de gestis Longobard. 1, 20. de Rodolpho: nec non Saxonem Hist. Dan. lib. 5. c. fin. de Frothone cum 2400. viris epulatum accersito à Britannorum rege. Zvvinger. theatr. vol. 18. lib. 5. p. 3465. de Sigismundo Battorio.

MACERIANVM) *Marcianum* putat legendum Glareanus, quod Marciani Medi essent. Omnia exemplaria habent *Maceriani.* vnde coniicit Raderus à Macis apud Stephanum dictos Macerianos. At ego non video vt à Μάκαι, quorum quidem & apud Plinium 6, 23, 13. mentio, fiat Μακεδανὸς gentile nomen: deinde

certum habeo, nullam tam obscuram gentem hic innui. quippe tam ignotum patriæ nomen absque vlla explicatione proferre, perinde fuerat, ac si plane reticuisset. Ceterum nec magni momenti res est, & in sola coniectura posita: nec enim alii scriptores huius Boxi meminerunt. ergo procliue aberrare à scopo. Non igitur ausim affirmare *Mauritanum* esse legendum, cum nihil habeam, quo id asseram, præter ductum literarum, nisi vnum vocabulum Boxi, quod nisi fallor, Mauritium est.

9,7,6. *CETERVM*) Sine dubio sic legendum, *non ceteri*. vidit etiam Acidalius.

9,7,8. *PER CRVCIATVM*) Vtrumque rectum, siue diuisim duabus, siue vna voce iunctim legas *percruciatum*. hoc tamen opinor elegantius. Ita supra 4,9,23. corrigebam *prærmatos*: & adducebam familiaria Curtio, *percuratum*, itemque *persanatum vulnus*. Eadem facie *percruciatum*, valet totum excruciatum. Acidalius.

IAMQVE CORPORI TORMENTA) Iuuat narrare similimum fortunæ lusum verbis Polybii 15,25. de Mœragene: *quum nihil eorum quæ dicebantur fateretur, est exutus. & erant iam qui torquendi instrumenta disponerent apparentque: alii flagra manibus tenentes suis, eum chlamydibus denudabant. Inter hæc accurrit aliquis apparitorum ad Nicostratum, & postquam aliquid ei in aures inmurmurasset, quicquid tandem illud esset, festinanter ab eo discessit. Nicostratus abeuntem è vestigio sequitur, tacitus ille quidem, sed femur assidue feriens. Mœragenes vero res tunc euenit dictu difficilis & stupenda. Stabant prope ipsum, hinc illi qui flagra tantum non ad feriendum iam intenderant: inde illi qui instrumenta ad torquendum disponebant & concinnabant. Postquam loco excessit Nicostratus, omnes sese inuicem intuentes, stupore sunt defixi, reditum Nicostrati præstolantes. Vbi aliquandiu est exspectatum, paulatim qui aderant, dilabi cœperunt, & Mœragenes nudus est relictus, qui postea per regiam transiens præter spem suam, nudus ad Macedonum quoddam tentorium regiæ vicinum deuenit.*

9,7,9. *IVSSI ERANT*) Hactenus *iusserant*. quod habebam pro typographico sphalmate, priusquam consensum editionum viderem, quas tamen in re tam certa nihil reueritus, reposui *iussi erant*: quod & Bongarsio placuisse, postea deprehendi. Sic apud Liuium 41,24,16. vitiose legitur *adsentierant*, pro *adsensi erant*.

9,7,11. *REVERTIT IN PATRIAM*) Diodorus 17,99. contra, omnes post Alexandri mortem concisos affirmat. Raderus. Exitum eorum narrat Diodor. 18,7. Redierunt tamen etiam multi ex aliis coloniis in patriam, cum quibus forte confudit Curtius quos non oportuit.

SCYTHARVM) Est qui reponat *Sogdianorum*, ex Diodoro. Sed nihil opus. Vere enim *circa Scytharum terminos gesta*, quæ in Bactris & Sogdianis acciderunt. Scythis enim hi populi finitimi.

9,7,12. *CENTVM LEGATI*) Probat hunc numerum Paschal. de Legat. cap. 9. vbi multa exempla numerosarum legationum. adde & supra alicubi. Verum Gentilis de Legat. cap. 3. monet moderationem tempori conuenientem adhibendam esse.

9,7,13. *INTEXTÆ AVRO*) Mss. nihilo deterius, *intexto auro*.

9,7,14. *STIPENDIO QVOD ARACHOS.*) Si Malli & Oxydracæ Arachosiorum stipendiarii fuere, quomodo libertatem per tot ætates inuiolatam iactabant? Stipendiarii quidem fuere, sed non serui, nec regem vllum, nec magistratum extra suam gentem agnouere, nec ipsi vni alicui parebant, sed rempub. liberam habuere, suisque legibus viuebant, quamuis Arachosiorum imperium agnoscerent, illisque stipendia penderent, vt Pœni Romanis, qui tamen nullum ex Romanis vel prætorem,

torem, vel præsidem prouinciæ, vel proconsulem ad excidium vsque suum admisere. Raderus.

9,7,15. *INVITATIS LEGATIS*) Id recte & more factum ostendit Paschal. de Legatis cap. 68. Ceterum coniicio leg. *legatis, regulisque gentium*. Talia exempla multa designat Index, voce *transpositio*.

AVREI LECTI) Athenæus 1,14. *Aliquando* (Alex.) *quadringentos duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis, sedentes ac reclinatos, conuiuio excepit.* Curtius tamen lectis recubuisse hic tradit. Et Athenæum reor de Susianis nuptiis locutum. Raderus. Eiusmodi conuiuia non reprehendit Plutarchus cum alibi, tum etiam in, non posse suauiter viui secund. Epicur. cap. 39. Ceterum maximo luxu celebrabantur eius conuiuia. *Agatharchides Cnidius* apud Athen. 4,14. *octauo libro Asiaticorum scribit, cum Alexandrum Philippi filium exciperent amici conuiuio, quæ bellaria mensis apponi debebant, inaurata* (auro bracteata) *fuisse, & conuiuas illis vti qui cuperent, aurum detrahere solitos, & cum ciborum purgamentis abjicere, vt eius luxus essent ac impensæ spectatores amici, famuli vero domini.*

AVLÆA) Hoc est *tabernaculum*, de quo Ælian. hist. var. 9,2,5. *centum lectorum spacij capax, quinquaginta columnis aureis intersinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum vero tectum erat inauratum, & magnifica arte varietateque concinnatum.* Athenæo 12,9. οἰκῳ ἐκ γραμματείου. Quod autem *purpura auroque fulgentia* facit Curtius, Virgilio congruit, qui *Purpurea aulæa facit* Georg. 3,25. *Attalica* Propert. 3, 32, 12. hoc est, auro intexta. nam ab Attali aula nomen accepisse putant: qui alioquin *aurum intexere* vestibus *inuenit*. Plin. 8,48,12. quod tamen non ita simpliciter accipiendum est.

NOVA IMMVTATIONE) Tolerat Acidalius; vt tamen præferat *imitatione*. quam hic non possum admittere, iam enim id consumpsit priore membro, *aut apud Persas vsque luxu*, subiungitque *confusis virisque gentis vitiis*. at si vetus Persarum luxus tantum adfuisset, cum imitatione Macedonum, vnius gentis fuissent vitia, non duarum. nec enim imitari potuissent Macedones, nisi quod iam apud Persas obtinuisset. At *noua immutatione* etiam ab ipsis quædam reperta vult ostentandæ luxuriæ, Persis incognita. Denique vocula *noua*, rectius *immutationi* iungitur, quam *imitationi*. quamquam ita præferat Pal. 1.

OSTENDENS) Hoc ferre vix possis nisi cum Acidalio legas *circumdederat*, paulo supra, non *circumdederant*. Coniecturam eam approbant Mss. merito igitur recepimus.

9,7,16. *DIOXIPPVS*) Hunc Athenæus 6,13. πυγμαχικὸν, *quinquertionem* appellat. Ælian. 12, 58. de eodem: *Dioxippus pugil Olympionices Atheniensis &c.* Plin. 35,11,23. pinxit *Alcimachus Dioxippum, qui pancratio Olympiæ citra pulueris iactum* (*quod vocant ἀκονίτῳ*) *vicit*. Raderus. Certamen autem hoc cum milite Macedone narrat etiam Ælian. hist. var. 10, 22. & Diodorus 17,100.

ET GRATVS) Sed tamen Plutarch. cap. 6. asserit, Alexandrum huiusmodi hominibus haud magnopere delectatum fuisse.

SAGINATI CORPORIS) Dousa Plautin. Explan. 4,24. f. legit *Saginam corporis*. certe Iustinus non vno loco, vt 21,2,1. 34,2,7. 38,8,9. *saginam corporis dixit*.

9,7,17. *HORRATAS MACEDO*) Diodorus simul Ælianusque *Corragum* appellant, quod verum hominis nomen fuisse credam. est enim Macedonicum: quo etiam apud Liu. 42,67,3. est Eumenis præfectus: quem Macedonem fuisse

certum est ex eodem 38, 13, 3. Sic & Demetrii filium vocatum existimo, licet apud Plutarch. Demetr. cap. LXXIV. edant *Corrabum*.

SECVM FERRO DECERNERET) De duello videndus Camerar. subcis. 2, 20. & qui ibi citantur.

9,7,19. GLADIOQVE) Conuenientius *gladio quoque*, nisi istud *que* valeat *quoque*, vt obseruare visus sum in Tacito.

9,7,20. OLEO NITENS, ET CORONATVS) Luctatores, & pancratiastæ potissimum vngebantur, non item pugiles, aut cursores, vt docet Mercurialis de arte gymnast. 1, 8. Faber tamen etiam pugiles ait inunctas gestasse vestes, sed non nisi ad subligaculum aut campestre, vocem vestis refert lib. 2. cap. 2. Agonistici. Nudum certe ait Dioxippum Curtius fuisse, nisi nudum exponas inermem comparatione Horratæ. coronatus autem, veluti vel prioribus olim certaminibus victor, vel quasi certus de futura etiam cum Horrata victoria. De coronis multa Faber in Agonisticis. Raderus.

ARMATO CONGREDI NVDVM) Narrant tamen Polydamanta Scotussæum Pancratiasten eo fuisse corporis robore simul & agilitate, vt leones interficeret, & cum armatis nudus congrederetur. Eusebius λόγῳ πρώτῳ: Πολυδάμας Σκοτουσσαῖος παγκράτιον νικήσας παρ' Ὤχῳ τῷ Περσῶν βασιλεῖ μάχηι μὲν χρόνον λέοντα διαχειρώμενον καὶ ἀπλισμένον, γυμνὸς πελεμῶν, παμμεγέθης ὑπάρχων καὶ ἀλκιμώτατος, legę; λέοντα διαχειρώμενον, καὶ ἀπλισμένοις γυμνὸς πολεμῶν. Sic in catalogo Olympionicarum, Olymp. 103. ὃς ἐν Πέρσαις παρὰ Ὤχῳ γενόμενος λέοντας ἀνῄρει, καὶ ἀπλισμένους γυμνὸς κατηγωνίσατο. Quibus confer Pausaniam lib. 6.

9,7,21. LANCEAM EMISIT) Sic apud Homer. Iliad. 3, 355. Menelaus in Paridem

- - - emisit longam lanceam.
Hic autem inclinatus est, & euitauit mortem nigram.

Adde supra 4, 6, 16. Dioxippus autem hoc inprimis callebat, quippe pugil: quorum præcipua *ars, ictum vitare non fuga, sed corporis inclinationibus & flexionibus.* Scaligerum poëtic. 1, 22. & Cælium Antiq. Lect. 13, 30. inprimis autem Fabri Agonisticon, & de arte gymnastica Mercurialem inspice.

9,7,23. TRISTIS SPECTAC. EVENTVS) Hoc est, molestus & ingratus. Tristior autem re ipsa apud Tacitum H. 2, 68, 3. *duobus militibus, altero legionis quintæ, altero è Gallis auxiliaribus, per tasciniam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius procciderat, insultante Gallo, & iis qui ad spectandum conuenerant instudia diductis; erupere legionary in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ.*

VERERATVR) Vocem, ab aliis immerito reiectam, ex Mss. editisque vetustioribus reposui.

9,7,24. AVREVM POCVLVM) Eodem fere modo furti suspicio impacta Iosephi fratribus: tum Æsopo, & aliis apud Plutarch. in præcept. Reip. ger. cap. LXXVII.

9,7,26. INDIGNAT. NON POENITENTIÆ) Potius indignitate ficti in se criminis, quam vlla veri pœnitentia commotum, necem sibi conciuisse. Aliorum explanationem haud admittunt sequentia; *vtique postquam falso insimulatum &c.* eo enim cognito non mutauit priorem opinionem, sed confirmauit. Vtique enim cogitabat plus in pectore ingenuo posse indignationem, quam in polluto pœnitentiam.

9,8,1. MILLE TRIGINTA CVRRVS) Valde mihi probabilis videtur Acidalii coniectura. *CCC. erant currus, quos quadriiugi equi ducebant.* Quæ deleui,

deleui, ait, è glossa puto irrupisse, sed glossa nec ipsa incorrupta. Fuerit & huic, & corruptioni eius origo talis. Ad marginem libri sui computarat aliquis & notarat numerum equorum, quot confierent, si quadriiugi traxissent trecentos currus. Itaque scripserat: *Equi mille CC.* quot omnino exsistunt è multiplicatione. Mox deinde librariorum errore centenarii notæ in denarii, quod facile, & passim in aliis sæpissime factum conuersæ &c. Acidalii coniectura eo videtur fide dignior, quod lectionem hanc corruptam esse satis ex 9, 4, 15. supra constat: vbi ambabus hisce gentibus in vniuersum *nongenti* tantum currus tribuuntur. *Quingentos* tamen Alexandro misisse tradit Arrianus 6, 3, 3.

9,8,2. AD MANSVETVDINEM) De domitis tigribus multa à nobis dicta ex Æliano, & aliis, ad XVII. epigramma Martialis lib. Spectac.

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo.

De leone dictum etiam spectac. ep. 9. Et lib. 1. epig. 105. de omnis fere generis domitis feris:

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet &c.

Sed tu Gesnerum consule, hæc omnia copiose pertractantem de animal. quadrupedibus. Raderus.

LACERTARVM) In Nysa Indiæ monte Plin. 8, 39, 4. lacertas ait longitudine 24 pedum reperiri. Tradit etiam Gesnerus quædam ex Bellonio.

DORSA TESTVDINVM) Concharum, conchyliorum &c. tanta est varietas, vt prope innumeræ horum sint formæ & discrimina. terga horum, & cutes, & testacea operimenta Curtius vocat dorsa, quorum haud dubie ingens numerus est Alexandro collatus, vt regi admirationem moueret. accedebat magnitudo & varietas testarum, de quibus toto lib. 3. copiosissime Vlysses Aldrouandus de Testaceis, vbi & iconas fere sexcentos testudinum & ostreorum expressit. Tu tantum Plinii 9, 10. locum de Indicis testudinibus inspicias. Raderus.

9,8,3. HAVD PROCVL AMNE) Indo ex Curtii sententia, iam Hydaspe & Acesine aucto, vt supra 9, 4, 1. docuerat. Sed Arrian. 6, 3. (cui facile hic subscribas) per amnem Hydraotem à Mallis nauigasse, donec veniret ad confluentem Acesinis & Hydraotis, tum perrexisse donec ad Indi & Acesinis confluentem appelleret. Raderus. Res secundum Arrianum ita habet. Hydraotes Acesini miscetur. eo subuectus Alexander locaturat castra: deinde expeditionem in qua ad periculum mortis venit, suscipiens, secundo amne defluxit in Acesinem, qui Mallos alluit, ibi cum ex vulneribus mortuus crederetur, veritus ne in castris ad Hydraotem tumultus existeret, eo nauigauit. Sed hæc interim facta Curtius iam percurrit, aut præteriit: persequiturque Alexandri nauigationem per Indum flumen. in quo nihil dissentit ab Arriano: nam ille 6, 3, 9. ait Craterum in ripa Indi iussum incedere.

IN FINES MALLORVM) Nam omnia antehac gesta apud Oxydracas Curtius acta docuit, cum, vt monui, alii apud Mallos facta affirmarint. Raderus. Rectius tamen scripsisset *per fines* iam enim supra 9, 4, 15. *in regionem Oxydracarum Mallorumque* peruenisse scripsit.

9,8,4. SABRACAS) *Abastanos* Arrian. 6, 3, 6. appellat. *Sambastas* Diodor. 17, 102. qui de his plura. Raderus. Nominat quidem eo loco Arrian. *Abastanas*, sed vt potius de alia gente loqui videatur. Bongarsius ad Iustin. 12, 9, 3. non dixit emendandum in Curtio *Sudracas*; minus hunc locum respexit; sed sup. 9, 4, 15. pro *Oxydracis* in suis exemplaribus *Sudracas* reperit. Nam ita multi codices præferunt.

Iusit

lusit ergo operam Vir Doctus, qui vel Bongarsium reprehendendum sibi putauit, vel in Curtio aliquid mutandum. Illud enim certum est fieri non debuisse; hoc debuisse, incertum est.

SEXAGINTA MILLIA) Recte sic emendauit Raderus, ex ipsa ratione, & auctoritate insuper Diodori 17, 102.

9,8,5. *TERRITI NOVA FACIE)* Quam auxit & velorum versicolorium aspectus. Nam, vt ait Plinius 19, 1, 21. *Tentatum est tingi linum quoque, & vestium insaniam accipere, in Alexandri Magni primum classibus, Indo amne nauigantis, cum duces eius ac præfecti (in) certamine quodam variassent insignia nauium: stupuerunt-que litora flatu versicoloria implente.*

9,8,8. *ALEXANDRIAM)* Testes Siculus 17, 102. & Arrian. 6, 3, 9. Raderus. Idem Arrian. 6, 3, 7. aliam ab eo conditam scripsit, ad confluentes Indi & Acesines, quæ huc non pertinere videtur. Hæc enim, vt ille ait, in *Sogdis* fuit exstructa: quos Diodor. 17, 102. *Sodras* videtur appellare. quod notandum, ne quis vrbem hanc ex numero earum putet, quas in Sogdiana condidit Alexander, supra 7, 10, 15. Adde & Solin. cap. LXXII. Plin. 6, 16.

EORVM QVI MVSICANI) Scribe *fines, qui Musicani appellantur.* & mox, *Finibus Musicani deinde in ditionem redactis.* Non enim gentis nomen est *Musicanus*, sed regis. Non inquam Μουσικανοὶ sunt populi, sed οἱ ὑπὸ Μουσικανῷ πεπυαίνοι. *Fines Musicani* dixit, quod Arrianus 6, 3, 10. πλὴν Μουσικανοῦ ἐπικρατείων: Diodorus 17, 102. πλὴν Μουσικανοῦ χώρων. Strabo lib. 15. p. 488. simpliciter πλὴν Μουσικανοῦ, & semel etiam πλὴν Μουσικανῶν χώρων. Ex quibus dubitari non potest, quin duo hæc Curtii loca insciti correctorum sint contaminata. Quæ res etiam labefactat speciosam Rubenii lectionem quam mox proponemus. Infra tamen num. 16. legitur *Rursus Musicani defecerunt.* vt hæream an ipsi potius Curtio sit imputandum hoc παρόραμμα.

9,8,9. *TERIOLTE)* Hic *Tityestes* est Arrian. 6, 3, 8.

9,8,10. *IVRE AMPLIORIS IMPERII)* Rubenius supra ad 8, 4, 21. locum hunc ita retulit: *iure amoris, amplioris imperij donatus est finibus. Musicanis deinde in ditionem redactis &c.* Verum siue coniectura hæc est, siue cuius codicis scriptura, adsentiri ei non possum, quia vt modo occupaui dicere, populi isti non dicuntur *Musicani*, primo casu pluratiui numeri, sed secundo singularis, *Musicani* videlicet regis subditi. deinde sane vix placeat istud *iure amoris*, & multo rectius magisque masculе sonat periodus, si cum vulgari distinctione sic concipias: *iure amplioris imperij donatus est.* taceo quod si de iure amoris dicturus fuisset, priori membro, vbi de absolutione agitur, potius inserturus fuisse videatur.

PRÆSIDIVM IMPOSVIT) Arce in eius vrbe exstrui iussa. Arrianum vide 6, 3, 12. Alii absurde, *imperium imposuit.*

9,8,11. *OXYCANVS)* Sic etiam Arriano 6, 3, 13. vocatur. Aliis Curtii editionibus cum Siculo 17, 102. & Strabone lib. 15. *Porticanus* vbi vitio typographico, non certe ex versione, quæ nec Casauboni est, legitur *Porticam terram*, pro *Porticanii terram.*

9,8,12. *MISIT LEGATOS)* Eodem fere modo Eretria à Quintio capitur, apud Liu. 32, 16, 19.

9,8,13. *DIRVTA ARCE)* Sic reposuerunt pro *dirupta*, quæ quidem sæpe scio confundi: hic tamen inclino, vt legatur, *direpta arce.*

SABI REGIS) *Sambum* appellat Arrian. 6, 3, 14. Fuit Sambus etiam Indiæ fluuius Arriano Indic. 1, 11. à quo terra & rex fortasse nomen traxerunt. Plura Siculus 17, 102. de rege *Sambo.* Plutarch. cap. 112. *Sabbam* appellat, Iustin. 12, 10, 2. *Ambigerum*,

bigerum, Oros. 3, 19. *Ambiram.* Raderus. Corruptum hoc nomen apud Strab. lib. 15. *Ad ipsam vero iam Patalenam Musicani terram dicunt, & Sabutæ Sindonaliam.* πρὸς πλὴν Σαβύτου Σινδοναλίων. vbi Eruditissimo interpreti *Sabutæ terra videtur esse quam Diodor.* 17, 102. *appellat πλὴν χώραν τῶν ὁμοφύλων Σαμβαστῶν.* Nequicquam. Sed legendum in Strab. πρὸς πλὴν Σάβᾳ, τὰ Σινδοναλία. vel ex Arriano 6, 3, 14. τὰ Σινδόμανα. ea enim vrbs caput erat istius regionis. *Sabum* ergo Strabo vocat hunc, vt Curtius, in quo tamen mox num. 17. etiam *Samus* est.

9,8,14. *SIMILE MONSTRI VISVM)* Quintilian. Declam. 255. *cuniculos fodere, & per occultos specus ingenti labore exhaustis terris in mediam subito emergere ciuitatem.* Curtianis autem confer hæc ex Claudiano de raptu Proser. 2, 163.

Ac velut occultus securum prodit in hostem
Miles, & effossi subter fundamina campi
Transilit inclusos arcano limite muros,
Turbaque deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros - - -

De cuniculis vide supra ad 4, 6, 8. Vegetium hic addimus 2, 11. *vt etiam cuniculorios haberent, qui ad morem Bessorum, ducto sub terris cuniculo, muriſque intra fundamenta perfossis, improuisi emergerent ad vrbes hostium capiendas.* vbi forte, pro *Bessorum*, substituendum *fossorum*, aut aliud quid. certe à Bessis rationem ducendorum cuniculorum didicisse Romanos, ludicrum esset dicere. sed nihil hic affirmo: nec enim otium est ista diligenter excutiendi. Ceterum aliquid simile habent ista Flori 2, 16, 14. *quasi enata subito classis erupit.* vbi monui hoc loco legendum: *vrbem cuniculo cepit. Id barbaris &c.* reddito pronomine, quod idem in præcedentis voculæ fine sonus absorbuerat. Apud Hirtium de bello Gall. 8, 43. in obsidione Vxellodunensi: *ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt, atque auersæ. quo facto repente fons perennis exhaustus tantam attulit opidanis salutis desperationem, vt id non hominum consilio, sed deorum voluntate factum putarent.*

9,8,15. *OCTOGINTA MILLIA)* Ex Curtianis exemplaribus inter se collatis, & Diodoro 17, 102. ita scribendum credidimus Radero.

9,8,16. *PITHON)* Arrian. 6, 3, 15. πίθωνα vocat. quem supra num. 9. earum regionum Satrapam constitutum fuisse dixerat. rectius tamen apud eundem Indic. 3, 11. scribitur *Pithon*, πείθων. quomodo & aliis appellatur. Aliæ edit. Curt. pessime, *Phyton.* Diodoro 18, 39. est Πείθων.

IN CRVCEM SVBLATO) Arrian. 6, 3, 16. περὶ τούτου κρεμῶσαι κελεύει. interpres, *laqueo suspendi iubet.* Verum Lipsius de Cruce cap. 4. vertendum fuisse docet: *crucifigi iubet.* Sic apud Photium pag. 213. accipio vocem ἀνείμασε.

9,8,17. *OPPIDVM)* *Harmatelia* dictum Diodoro 17, 103.

QVA ITER IN REGNVM) Non capio. forte *qua iterum regnum erat Sami.* vt velit supra etiam, Indum accoluisse Sami, vel Sabi, vt antea vocauit, subditos, deinde interiectis, vt fit, aliorum Dominiis, hic denuo regnum Sami fuisse. Ita sup. 7, 7, 4. *qua Bactra sunt.* Alii satis audacter mutant: *quod in regno erat Sami.*

9,8,18. *AGRIANOS MOENIA SVBIRE)* Leuis armaturæ equites, sed expeditos, vt hodie Pannones seu Vngari sunt, videntur Radero fuisse. Sed mirum si equites iussi sunt mœnia conscendere, hoc enim vox ista, *subire*, notat. sed supra quoque diximus, pedites fuisse Agrianos, quod vel vnius Arriani compluribus locis euidentissime probari posset.

9,8,20. *VENENO TINXERANT GLADIOS)* Acriter inuehitur Plin. in eos, qui venenis ad hominum exitium abusi sunt, quasi non sat multæ ad

interitum hominis viæ sint. nullam feram alieno veneno pugnare. & Ouid. Trist. 3, 10. de Sarmatis seu Getis queritur:

Pars cadit humanis misere confixa sagittis;
Nam volucri ferro tinctile virus inest. Et 5, 77.
In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum,
Telaque vipereo lucida felle gerat.

Et de Ponto 1, 2.

Qui, morsis sæuo geminent vt vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt. Raderus.

Adde Orosium 3, 19. f. ex Iustino 12, 10. 2. Hinc etiam *Toxici* vocabulum ortum, quasi sagittarii veneni, prætet Dioscoridem, Paul. Æginetam, Ætium &c. à Stephano in ea voce citatos, Festus, vt à Scaligero restitutus est, asserit. Lucan. 8, 303. de Scythis:

Spicula nec solo spargunt fidentia ferro;
Stridula sed multo saturantur tela veneno:
Vulnera parua nocent, fatumque in sanguine summo est.

velut explicans quod dixerat 3, 266. - - *tinxere sagittas Errantes Scythiæ populi* -- Adde Ælian. 9, 15, 9. Leonis Tactica cap. 18. tmemate 108. de Selauis: *sagittas habent veneno imbutas efficacissimo. Nisi enim, qui plagam accepit, vel theriacam bibat, vel aliud aliquod salutare præsidium, vel statim plagam omnem præcidat, ne latius serpat, vniuersum corpus pereat necesse est.* Eiusdem capitis tmemate 138. quo loco de Saracenis: *Nam* (necessario exprimenda hæc particula) *equi* (Saracenorum) *si pereant sagittis, & maxime* (sic verto) *veneno imbutis, aut simul intereunt, qui iis vehuntur; aut veneni vim scientes aufugient antequam percutiantur.* Præsupponit ergo, Christianis quoque licitum, certe solitum, sagittis venenatis vti. Ex Ælian. hist. anim. 6, 18, 11. patet, Indos venenatis telis etiam in venatione vsos. Idem de Elephantophagis Libycis prodit Agatharchides excerptorum apud Photium cap. 25. Baiuuariorum Leges tit. 3. l. 6. XII. sol. componere iubent, *si quis cum toxicata sagitta alicui sanguinem fuderit.* Didicisse hos homines à vespis autumat Ælian. hist. an. 5, 16. quæ *in viperam quam mortuam perspexerint insolantes, veneno aculeum imbuunt* (quasi Plinium supra citatum *falsi conuictum*) *vnde mihi homines disciplinam, non eam quidem bonam, veneno inficiendi sagittas hausisse videntur: cuius in Odyssea Homerus meminit his verbis:*

Pharmaca moriferas quærens ex ære sagitas
Vt linieret - - - - -

Ac sane Hercules Hydræ veneno iacula tinxit, sic vespæ viperinæ acerbitate aculeos inficiunt. Adde eundem 9, 15, 2. & de Hercule Pausan. in Corinthiac. Agatharchides de mari rubro 1, 7. apud Photium: *in summa arundinis parte pro ferro oblongum figura lapidem ponunt, fumibus constrictum, acutum supra modum, venenis vero mortiferis tinctum.* Apud Plin. 6, 29, 21. *Arabes Ascitæ appellati, piraticam exercent sagittis venenatis.* Morem illum nec dum exolescere apud Indos, argumento est quod Pontanus Amstelodamens. 2, 24. scribit Anno Chr. 1595. Batauis ad Bantam accidisse: *Nostrorum haud pauci sagittis illis venenatis icti, nisi carne & cute in totum excisa, curari potuerunt.* & mox: vbi de Bali insula: *armigeros regios prælongas hastas pugionesque flammiformes inaurato habuisse; & cannas, ex quibus sagittas efflarent cuspide venenatas.* Item de armis Bantensium: *Arma sua poliunt toxicoque plerumque in hunc finem inficiunt, vt vulnera lethalia percussis inferant.* Apud Reineccium, in histor. Henrici Leonis ex supplemento Arnoldi cap. 4. Scruii *tela habent toxicata, & quicquid vulnerauerunt, mortem euadere non potest.* De Strychno scribit Plin. 21, 31, 3. *Hoc est venenum, quod innocentissimi autores simpliciter doryenion appel-*

lauere, ab eo, quod cuspides in præliis tingerentur illo passim nascente. Passim venenatis sagittis vsi sunt Indi & alii nuper. Vide Asiam di Barros.

9, 8, 21. *INTACTVS EVASERAT)* Necessario inseres, *intactus tamen insuaserat.* Acidalius. Vix assentior.

9, 8, 23. *SANGVINE CONIVNCTVS)* Eadem de re Pausanias in Atticis disertius explicans, *nomine Lagi, re Philippi filium fuisse* dicit, propterea, quod Arsinoë mater iam è Philippo grauida, Lago tradita esset: qui quidem Lagus & eam ob causam exposuisse Ptolemæum postea videtur, vt narrat Suidas. Contra Iustin. 13, 4, 11. è *gregario milite*, ab Alexandro tantummodo *virtutis causa provectum* refert. Libenter iis assentimur, qui à Philippi familia haud alienum censent. Quod totum etsi Theophilus Antiochen. lib. 2. ad maternam prosapiam restrinxit, tamen nihil vetat, vt simul in Pausaniæ & Curtii placitis acquiescamus. Estque hinc forte, quod Theocritus Idyll. 17. Alexandrum Magnum & Ptolemæum generis conditores Herculem & Hyllum habuisse scripsit. Tametsi ipse Ptolemæus Lago patre se genitum credi maluerit: vnde & posteri Lagidarum nomen retinuere. Reineccius in regno Ægyptio Lagidarum. Hinc apud Propert. 3, 10, 40.

Vna Philippeo sanguine adusta nota

dicitur Cleopatra. Lagum vero non valde nobilem fuisse, argumento possit esse quod Plutarch. de ira cohibenda cap. 16. narrat: *Ptolemæus grammaticum ob inscitiam subsannans, interrogabat quis Pelei fuisset pater? respondit ille, Tu prius dic, quis Lagi fuerit pater? id dicterium obscuritatem generis regi exprobrabat.*

ET PACIS ARTIBVS) Acidalius mallet *sed pacis artibus*: aut *nec militiæ quam pacis art.* ego vulgatam satis fero. Par fere encomium P. Licinii apud Liu. 30, 1, 3. Syllæ apud Sallust. Iugurth. 96, 1. Ælian. 12, 16. Alexandrum Ptolemæo scribit inuidisse, fuisseque offensum illius τῇ δεξιᾷ. quod de dexteritate ingenii solertiaque potius, quam aut de prosperitate eius, aut comitate interpreter. Vide etiam quæ notat Gruterus ad illa Liuii 1, 34, 13. de Tarquinio Prisco: *fortunam benigno alloquio, comitate inuitandi, beneficiisque, quos poterat, sibi conciliando, adiuuabat.*

9, 8, 24. *SVORVM)* Forte *eorum.* Sebisius. Illud rectius.

QVAM REGIS) Scio quid velint dicere. Sed si recte examines, nihil opus esse deprehendes. Credo fuisse *regi.* Cum eo Macedonas certasse in Ptolemæum cura. Cum autem exponat regis solicitudinem pro Ptolemæo, satis etiam intelligitur, quanta reliquorum fuerit.

9, 8, 26. *PER QVIETEM VIDISSE)* Idem Cicero de diuinat. 2, 66. Strabo lib. 15. Iustin. 12, 10, 3. Oros. 3, 19. omnium clarissime Diodor. 17, 103. Raderus. Apud Ciceronem aliquot similia somnia memorantur, & de eorum natura disputatur. Eundem Alexandrum imaginatum esse Cassandrum poculum venenatum sibi miscentem tradit Valer. Max. 1, 7, 2. ext. Multa similia apud Patricium de regno 5, 8. Vide inprimis cap. 46. Tertulliani de anima. vbi inter alia: *Reuelantur & honores & ingenia per quietem, præstantur & medelæ &c.*

HERBAM) Di Barros in Asia Decad. II. lib VI. cap. IV. fere similem historiam de herba refert, cuius vel vnum folium commanducatum seruet vulneratos sagittis venenatis, pulchro epiphonemate addito: *così marauigliosa è la natura nell' antipatia delle cose, che non lascio alcuna senza rimedio, ne lo nise troppo lontano del suo contrario, se noi il sapessimo conoscere.*

9, 8, 30. *DEFLVXIT AD INSVLAM)* Dictam *Cillulam* [immo *Cilluta* pluraliter] vt Arrian. 6, 3, 27. habet; vt Plutarch. cap. 115. *Sillustin* vel *Psiltucin.* Loccenius. Ego putabam *Cilluta* nomen esse insulæ, quam infra 9, 9, 8. designat.

Compara auctores: videbis Cilluta ne vnius quidem dici itinere ab Oceano abfuisse; cum hæc ex descriptione Curtii, quatridui circiter itinere absuerit. Non vacat Arriani narrationem cum hac prolixius conferre, nec ostendere, quomodo ab eius mente, præsertim vbi de Leonnato loquitur, aberrarint interpretes. Monitus lector ipse dispiciat.

9,9,1. *CVPIDO INCESSIT*) Inconcinna structura, *visendi, adeundi*, & mox, *permittere*. Nisi alia desint (forte ista, *vt non vereretur sine regionis peritia &c.*) ausum tentare, *vt flumini ign. c. s. &c. permitteret.* vel potius *peru. cupido visendi &c. ad. 1. mundi, ingessit, sine reg. per. fl. ign. &c. permittere.* Acidalius. Potius credam excidisse nonnulla verba: aut fortassis vnum in fine sensus. Nam Mss. quidam omittunt *incessit*, quod sane vix tolerari etiam potest. eo igitur abiecto videatur leg. *peruicax cupido visendi &c. permittere coegit*, aut quid simile.

9,9,4. *NE NATVRAM*) Tacitus Agric. 33,12. *In ipso terrarum ac naturæ fine.* Ad quæ Virdungus ita notat: *Ridiculum: quasi illuc vsque tantum Natura: sed hæ sunt veterum hallucinationes, nescientium terram esse conditam*

\- - - - - in Orbem
Vndique surgentem pariter pariterque cadentem.

Manil. Astronom. Leges, si lubet, multa huiusmodi inepiarum & anilium delirationum apud Senecam patrem Suas. I. Ipse etiam Alexander apud Curtium κρεῖττον ὄζει, quum suis ingeris, ne Naturam quidem longius posse procedere &c. Vide similia supra ad 7,8, 12. verbo, *Tanti numinis.* Ex eodem fonte sunt & istæc Taciti Agric. 12, 6. *extrema & plana terrarum humili vmbra non erigunt tenebras.* Item Germ.45,2. *illuc vsque tantum natura.* Liu. 28,39,14. *Terrarum vltimus finis Oceanus.*

9,9,8. *ALIAM INSVLAM*) De qua supra ad 9,8,30. opinati sumus.

PAVLO LENTIVS) Apparet ita legendum esse, & quando Acidalio quoque sic visum, restitui. Idem pro *cursus reuerberabatur* legit *c. referebatur*, quod ita locuti Plaut. Asinar. 1,3,6.

Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert. Seneca Thyeste:

Sic incitatam remige & vento ratem
Æstus resistens remigi & vento refert. Ouid. Epist. Cydippes versu 41.
Ipsa velut nauis iactor, quam certus in altum
Propellit Boreas; æstus & vnda refert.

Nec dissimiliter Tacitus 2,23,4. *æstus eodem quo ventus ferebat.* Verum cum Mss. editique omnes in illud consentiant, retinendum arbitror: præsertim si *cursum* hic capias, non nauis, sed fluminis; quod fugisse videtur Acidalium. Cursus fluminis reuerberabatur, vt mox seq. numero. Hac notione apud Virg. Eclog. 8,4.

\- - *suos requierunt flumina cursus.*

9,9,9. *OCEANVS EXÆSTVANS*) *In litore Cambaiæ*, inquiunt Conimbricenses in meteoris tract. 8. c. 4. & seq. *quæ est in faucibus Indi, mare binis horis triginta circiter leucas accessu obtegit: binis, totidem recessu detegit. Itaque tanta rapiditate agitur, vt homines ingruentem è pelago vndam vix cursu euadant. Ne vero incautos æstus arripiat, cymbali sonitu admonentur. Nec naues ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum vsum defossas, in quibus mari abeunte consistunt. Postremo nec eodem diei tempore vbique æstus incipit ac desinit: quandoquidem singulis diebus vna fere hora mare tardius ascendit.* Quærunt deinde naturæ interpretes, quæ sit res, quæ tantos maris æstus cieat. vbi alii mundum aiunt esse animal, & in Oceani profundis nares habere, per

per quas emissa anima vel hausta, inflet maria, & resorbeat: alii arbitrantur sub Oceano, vel circa, quosdam genios versari, qui inuitent & recipiant mare: alii crediderunt à fluminibus ex altis montibus præcipitantibus, mare impelli: alii terræ situi aut motibus. [Galilæum in Syst. Copernicano vide.] alii Soli, alij aliis caussis æstus adscripsere. Sed tota prope sapientum & veterum, & recentium natio, rationes æstus Lunæ impressionibus assignant. Hanc sententiam etiam laudat & sequitur Conimbricensis Academia. Raderus. Vide etiam Aristot. in Problem. sect. 23. Meteor. lib. 2. summa. 1. Ptolem. 2, 12. Plutarch. de placitis Philosophorum. Senec. Natural. quæst. 2,28. Plin. 2,97. quos ad 6,4,19. citauerat Raderus. Item Stuckium in peripl. mar. Erythr. 3,14. Stevvechium ad Veget. 5,12. & Rhelicanum in Cæs. bel. Gall. 3,12. qui omnes vulgatam opinionem tuentur.

9,9,10. *IGNOTA VVLGO*) Imo ipsi Alexandro. nec in principe talium notitiam magnopere necessariam esse probat Alb. Gentil. de Legat. cap. 3. Vtilem tamen interdum esse, si absque maioris momenti rerum iactura possit comparari, vel hoc exemplo claret.

9,9,12. *FESTINATIO TARDA*) Liu. 22,39,13. *festinatio improuida est & cæca.* Quæ porro subjicit, iis similia sunt ista Taciti 2,23,2. *miles pauidus, & casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestiue iuuat, officia prudentium corrumpebat.* Liuii 22,19,10. *ruentibus in naues simul remigibus militibusque, fugientium magis à terra, quam in pugnam euntium modo. Vix dum omnes conscenderant, quum alij resoluunt oras, aut ancoram vellunt: alij, ne quid teneat, ancoralia incidunt: rapiumque omnia præpropere agendo, militum apparatu nautica ministeria impediuntur; trepidatione nautarum capere & aptare arma miles prohibetur.* Thucydidis 2,16,9. *Naues in angustum coactæ locum, à vento pariter & multitudine sua inter se quassatæ, tumultum præbuerunt. Nauis enim cum naue collidebatur, & à se inuicem contis detrudebantur, cum clamore & conuicio nautarum, dum pro se quisque ne sua nauis quassaretur, prohibere conatur, in quo strepitu & tumultu neque mandata gubernatorum, nec adhortantium voces audire poterant, neque remos in loco procelloso mouere, præsertim homines rei nauticæ imperiti.* Quibus in locis quid simile sit Curtiano, quid dissimile ipse perspicies. Addam etiam elegantem locum Polybii 6,42. *Semper enim pop. Athenienss. nauibus domino carentibus est similis: in quibus quoties aut propter metum hostium, aut ob sæuientis tempestatis periculum, vectoribus voluntas incessit in vnum consentiendi, & gubernatori parendi; suo quisque officio eximie funguntur omnes: vbi vero resumptis animis vectores aspernari cæperint, & aliis alia autumantibus, sententiis inter se dissidere; tum enimuero quum pars nauigationem cupiat persequi, pars instet aciter gubernatori, vt naues aliqua eiiciat; aliis rudentes explicantibus, aliis manu etiam iniecta contrahere iubentibus, dum inter se rixantur cuncti & seditionem mouent, tum procul spectantibus fœdum exisit spectaculum; tum ipsis qui in eadem iactantur naui, periculosissimus est hic status.*

HI DVM REMOS APTARI) Manifeste vitiosa: quæ traductione vnius verbi corrigimus in hunc modum: *hi dum considerent, remos aptari prohibebant.* Acidalius. Ex cuius mente sic etiam edidit Raderus.

9,9,20. *RECIPROCARE CEPIT MARE*) Adscribam insignem locum Arriani peripl. Erythr. 3,15. *Iuxta Barygazam derepente ipsum profundum, ac quædam continentis partes apparent siccæ & aridæ, quæ paulo ante nauigabantur. Ipsa quoque flumina hoc vniuersi maris æstu atque inundatione rehementissima sursum contra naturalem suum cursum feruntur ac rapiuntur. Quam sane ob causam ij, qui sunt huius ignari, primumque ad emporium illud appellunt, magno periculo in nauibus, vel subducendis, vel educendis confligitantur. Quoniam enim anchoræ propter inundationis nihil quicquam*

remittentis vim atque impetum nauibus retinendis minime pares esse possunt: idcirco ipsæ naues vi repentina in obliquum siue transuersum, rapido præcipitique fluxu cursuque abreptæ, atque ad paludes allisæ franguntur, minores vero euertuntur. Nonnullæ etiam vbi inundationis tempore ad fossas deflexerint, nisi statim traiciant, æstu subito implentur atque obruuntur. Quod de fossis ait, intelliges ex his verbis eiusdem loci paulo supra: *Flectunt cursum statim ab ipso fluuii ostio per paludes nauibus illis ante commemoratis, deinde remulco eas trahunt per certas quasdam & ordinatas mansiones: & accedente quidem æstu soluunt, recedente autem, in portus quosdam & in Cythrinos se recipiunt. Sunt autem Cythrini loca quædam fluuij profundiora.* Hinc forte intelligendus idem de expedit. Alex. 6, 3, 25. ξυμφεύγουσιν ὡς ἐς διέξοδον, *in fossam quandam confugiunt.* Idem Indic. c. 4, 2. *fossæ quinque stadiorum perductæ, naues traduxerunt æstu marino accedente.* Sed cur *accedente?* Diuersæ videntur fuisse fossæ: aliæ in transuersam ripam actæ portuum instar, vt ibi ab accedente æstu naues tutiores forent; aliæ in altum depressæ, vt eo recedente non destituerentur in sicco: de quibus & Conimbricenses supra ad 9, 9, 9. *Nec naues ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum vsum defossas, in quibus mari abeunte, consistunt.* De eodem æstu quædam etiam excerpamus ex Plinio 13, 25. *Qui nauigauere in Indos* (lege *Indo*) *Alexandri milites &c. tradidere &c. Eodem tractu insularum syluas operit æstus, quanquam altiores platanis populisque altissimis. &c. Harum minores totas integit mare: maximarum cacumina extant, ad quæ naues religantur; & cum recessit æstus, ad radices.*

9, 9, 23. PROCEDERENT) Imo *retrocederent*: si de equitibus capis hæc, illud tamen rectum, si de classe & nauibus. Sed quia de his sequitur, illud ad equites videbatur referendum.

9, 9, 27. PROCESSIT IN MARE) Arrian. 6, 3, 28. *Ipse Indi amnis ostia prætergressus in vasto pelago nauigauit, exploraturus* (*vt ipse quidem dicebat*) *an aliqua regio vicina mari appareret: meo vero iudicio præcipue, vt in Oceano qui vltra Indos est nauigasse diceretur.* Idem innuit Curtius, in quo sic scribo: *processit in mare, tandem voti sui compos: præsidibusque maris & locorum diis &c.* distinctio enerauerat sensum, nam illa *voti sui compos* cum sequentibus iungebantur. Quod sæpe fit egregiorum sensuum insigni damno. Succurrit exemplum in Liuio, quem auctorem quantum emendatiorem dare possem, saltem his notis aliud agendo correcta loca fidem facient. Apud eum igitur 6, 15, 15. scribe: *Cur quod in sinu vestro est, exuti iubetis potius, quam ponitis; nisi aliqua fraus subest? Quo magis aygui præstigias iubetis vestras, eo plus vereor, ne abstuleritis obseruantibus etiam occulti.*

9, 10, 2. VT PVTEOS FODERET) Iustin. 12, 10, 7.

VRBES PLERASQVE) *Et in his vna Barce nomine, vt Trogus scribit.* Sabellicus. Iustinum 12, 10, 6. vide. Fortasse & Xylenepolis Plin. 6, 23, 10. Cui forte hinc aliqua lux commodari possit. *Onesicriti & Nearchi nauigatio nec nomina habet mansionum, nec spatia, primumque Xylenepolis ab Alexandro condita, vnde experunt exordium, iuxta quod flumen, aut vbi fuerit, non satis explanatur.* Credibile enim est fuisse iuxta Indum. nam inde cepit illorum nauigatio. Arrianus Indic. 4, 1. *Primo itaque die quum è portu soluissent, per fluuium Indum ad amplum quendam alueum appulerunt &c.* Necesse igitur est, vt ad Indum sita fuerit Xylenepolis, & quidem trecenta circiter stadia à mari, hoc est in ipsa regione, vbi has vrbes conditas narrat Curtius. Interim nota mansionum spatia notari ab Arriano, quem id accepisse credibile est ex Nearchi & Onesicriti commentariis, in quibus tamen ea comparere negat Plinius. Sed ad Curtium reuertimur, quid est, quod ait *vrbes plerasque condidit.* An *plerasque* vrbium quas vspiam condidit? nugæ. at earum quæ vnquam in ea regione fuerunt? quis ex his verbis

bis hunc exsculpet sensum? Arrian. 6, 4. narrat nobis, in Pattalis arcem ædificasse, portusque & naualia, itidem ad lacum quendam haud procul ostiis Indi, alia naualia, portusque. ibi etiam præsidium reliquisse. qui ni fallor ipse locus est, vbi Xylenepolis sita esse debuit: sicut ex horum collatione auctorum ipse deprehendes. De quo fortasse Agatharchides excerpt. apud Photium c. 51. sentit: In his (insulis fortunatis) *mercatorias accolarum naues stationem habere videas, plerasque inde profectas, vbi iuxta Indum amnem nauale instituit Alexander.* Crediderim ergo pro *vrbes plerasque* legendum, *vrbes portusque.*

9, 10, 3. NEARCHO ATQVE ONESICRITO) Nearchus præfectus erat totius classis, Onesicritus gubernatorum, vt Arrian. Indic. 1, 8. & Plutarch. cap. 115. docent. Raderus. De iisdem supra dictum inter scriptores Alexandrinæ historiæ. Plin. 6, 22, 2. Onesicritum *classis* Alexandri *præfectum* vocat; & 2, 73, 5. *ducem.* Scilicet ipse sibi in scriptis suis honorem eum tribuit; sed falsi ab aliis arguitur. Nearchum in Patalis sepultum tradit Philostratus 3, 15. vbi & *classem Alexandri conuenisse tradit.* Quod haud multum aberrat à vero, & aliquomodo pro vero haberi potest. Certius tamen arbitror quod modo de Xylenepoli disputauimus. Hoc ad tempus pertinere credo, quod in Eumene cap. III. narrat Plutarchus. vbi typographico vitio, pro *cum classe ad Oceanum parabat mittere,* legimus *clam ad Oceanum.*

QVOAD TVTO POSSENT) Sic apud Liu. 22, 15, 6. legendum arbitror: *Qua tuto posset progressum prius recipere sese iusserat, quam in conspectum hostium veniret.* non, vt editus, *quam tuto.* Rectius vetusta editio Io. Andreæ, *quantum tuto.*

VEL EVPHRATE) *Nam & is in Oceanum se exonerat.* Raderus.

9, 10, 5. ARABITARVM) Alii *Abaritarum*, quod non tantum Strabo, Diodor. Arrian. Plin. quanquam leuiter dissentientes, falsum ostendunt, sed ipse Curtius mox: flumen *Arabum* incolæ appellant. à quo denominatos istos Arabitas certissimum est ex Arriano Indic. 4, 3. vbi *Arabium* vocatur.

GEDROSIORVM) Ita lege, non *Cedrosiorum.* est vbique Γ apud Græcos [vide tamen Diodor. 17, 104.] Gedrosiam describit Marcianus Heracleotes Ponticus in suo periplo I. *Gedrosia,* inquit, *à septentrione Drangiana & Arachosia circumscribitur, ab occasu vsque ad mare Carmaniam habet, ab oriente parte Indiæ quoad Indum flumen pertinet, vsque ad Arachosiæ iam dictæ terminos definitur. A meridie Indico Oceano clauditur.* Raderus.

9, 10, 6. HORITAS) Aliis Noritæ sunt, apud Diodor. 17, 105. Νωρίται. Plutarcho cap. 115. *Oreitæ,* vt & Arriano 6, 4, 7. Straboni, & Philostrato 3, 15. Stephano in Alexandria Νώρεται. *Noritæ* & Sabellicus vocat. Verum Dionysius versu 1096. Ὠρείτης: quomodo scribendum ait Eustathius, ad discrimen τῶν Ὠρειτῶν Euboici populi vt dubium non sit *Noritas* nihil huc pertinere. Eius tamen vitii fontem deprehendisse videor, simul enim vero & antiquo huius gentis nomine. *Horitas* dictos arbitror. id antique scriptum, HΩPITAI, vt H saltem esset ἰσόμυον, & adspiratio, non littera, cuius rei exempla apud Scaliger. in Eusebium. Alii ergo istud H cuius vsum non intelligebant, facile in proximæ figuræ literam N mutare potuerunt.

9, 10, 7. TRIA SIMVL AGMINA) Testatur hoc Geographus: *Copiis trifariam diuisis, ipse cum exercitus parte per Gedrosiam profectus est, à mari quingentis stadiis, vbi plurimum iter faciens; vt simul & classi oram commodam pararet; sæpe etiam mari appropinquauit, tametsi id inopes difficilesque & asperas actas habebat.* Raderus. Sæpissime autem sic diuisisse exercitum, vel in vno Curtio multa habemus documenta. Idque obseruat Marcellin. 21, 15. *Consilio solerti præuidit: & agminibus distributis &c. qui diffusi per varia opinionem numeri præberent immensi, formidineque cuncta comple-*

complerent. Id enim & Alexander Magnus, & deinde alij plures, negotio ita poscente, periti fecere ductores.

VRBEM CONDIDIT) Quam verisimile est fuisse Alexandriam Arianæ cuius mentio apud Strabon. lib. 11. quæ fortasse est *Alexandria condita à Leonnato iussu Alexandri in finibus gentis Arianæ, portu salubri.* Sic enim apud Plin. 6, 23, 10. legendum videatur. certe situs non abludit. Nec quicquam vetat eandem credere, quam Stephanus quintodecimo loco recenset in Ἀλεξάνδρεια. *in Arachosiis, iuxta Indiam.* Arachosii enim modo distinguebantur ab Arianis, modo sub ipsorum appellatione comprehendebantur. Locupletes eius rei testis Plin. 6, 20. & 21. Firmatur hoc negotium eo, quod Arachosios in illam deductam auctor addit. qui male apud Sabellicum *Amerchosii* leguntur. Nam quod eos Arachosios à Pontico mari secutos Alexandrum Raderus putat, error est ex corrupto Curtii loco 7, 3, 4. natus, vbi pro *Pontico* mari nos *Indicum* substituisse, minus minusque pœnitet. Nam etiam sequentia: *Hinc peruenit ad maritimos Indos*, id clare testantur: quippe Ichthyophagis (nam hos intelligit Curtius) Arachosii finitimi.

9, 10, 8. *AD MARITIMOS INDOS*) Omnia ex Diodoro 17, 102. hausisse videtur. De tuguriis etiam Arrian. 6, 4, 16. & Indic. 5, 15. *Iam tuguria ex conchis congestis facta, tecta ex piscium spinis.* De huius generis tectis è piscium ossibus erectis leges etiam apud Olaum Magnum. Idem Arrian. Indic. 4, 18. *erant captiui crassis corporibus, capite & vnguibus ferinis: siquidem vnguibus loco ferri vti dicebantur, piscesque iis discindentes: ligna etiam molliora iis secabant; ad duriora saxis acutis vtebantur: ferrum apud eos non erat. Ferarum, aut grandium piscium pellibus sese vestiebant.* Raderus. Arriani verba sunt: ἔσαν δὲ οἱ ἁλόντες τὰ μὲν ἄλλα σώματα δασεῖς, καὶ τὰς κεφαλὰς, καὶ τὰς ὄνυχας ὑπερμάκρους. quæ sic interpretor: *erant autem captiui tum reliquo corpore, tum etiam capite hirti; vnguibus autem quasi ferinis.* Sic sane reddidit Curtius vnde vnde acceperit. *Prominent vngues nunquam recisi: comæ hirsutæ & intonsæ sunt.* De iisdem hominibus multa etiam Strabo, Ælianus, & Agatharchides apud Photium cap. 12. &c. Plinius 9, 3, 4. *Gedrosos qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecti prodidere, in domibus fores maxillis belluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadrigenum cubitorum longitudinis reperta.*

9, 10, 11. *RADICES PALMARVM*) Strabo lib. 15. *Palmarum tamen & fructus, & cerebrum saluti fuit.* At Plin. 13, 4. ait *milites Alexandri palmis viridibus strangulatos fuisse.* Idemque ante Geographus docuerat: *crudæ palmæ multos suffocabant.* Arrian. 6, 4, 18. imperatum ait indigenis, *vt palmarum dactylos adferrent.* Raderus. De *palmæ medulla* vide etiam Philostratum in Apollon. 2, 11. de *radicibus* di Asia di Barros 2, 8, 3. vbi itidem refert eum cibum multis Albuquercii militibus lethalem fuisse. Est & apud Ciceron. aliquid in Verrin.

EA SOLA ARBOR) Hoc quidem & Maffæus affirmauit, sed Arrian. 6, 4, 12, alia narrauit. Raderus. Imo non alia: illi enim de Ichthyophagorum regione loqui videntur, Arrianus de Gedrosia, quam aliquanto meliorem fuisse etiam Strabo retulit. vide mox ad num. 18.

NE EQVIS QVIDEM) Iam etiam alia peste vexatos. Nam, vt ait Plin. 12, 8, 3. In Ariana *frutex pestilens raphani folio, lauri odore,* (sic distinguo) *equos inuitante, pene equitatu orbauit Alexandrum primo introitu: quod & in Gedrosis accidit.* Bis vult accidisse: vereor vt ex vero. cur enim primo periculo edocti, non abstinuissent equos? Suspicor reperisse apud alios in Ariana id accidisse; apud alios in Gadrosis. Sed illi de eadem re sentire potuerunt: cum Ariana interdum stricti⁊ius intelligatur; interdum latissime, quod ex ipso paulo ante asseruimus.

9, 10, 15.

9, 10, 15. *NE RESPICERE QVIDEM*) Idem accidisse Romanis scribit Appian. de B. Hispan. ad Pallantiam. Autariatæ solebant occidere suos, qui consequi agmen non poterant. Nic. Damascenus in Excerpt. Valesi. pag. 525. Marcellin. 17, 14. in dissimili clade: *inter vitæ mortisque confinia, aliorum adiumenta paria perferentium implorantes cum obtestatione magna deserebantur.* Plus pietatis ostenderunt Hispani ante prœlium Otumpanum. Hist. del Cortes. fol. 159. & alius quidam Hispanus in itinere Petri Aluaradi, de quo Carate Hist. del Peru 2, 10.

9, 10, 17. *PVDORE ANXIVS*) Omnia ab Alexandro simulata, testibus Arriano 6, 4, 23. & Strabone, existimata sunt, illumque hæc studio superandi Cyri & Semiramidis famam, non ignarum futurorum malorum aggressum. Raderus.

FINITIMARVM REGIONVM) *Drangenen* & *Arian* nominat Diodor. 17, 105.

9, 10, 18. *SOLA FERTILIS*) An *soli?* Sebisius. Acidalius corrigit *solo fertili.* quod quanquam edidit Raderus, vix præferendum puto Sebisiano. Cetera Strabo, & Arrian. 6, 4, 12. non valde fertile solum Cedrosiæ tribuunt: melius tamen quam vicinis Ichthyophagis. Vulgata lectio sensum haberet contrarium illi

\- - - *non omnis fert omnia tellus.*

quem quidem Curtii fuisse non puto. Simile mendum in Iustino fuerat 2, 4, 12. *Solæ terminos alternis defendentes,* pro *soli,* quod mutarunt qui credebant *soli* plurale masculinum esse, nec mulieribus conuenire.

9, 10, 19. *PROSPERO EVENTV*) Confirmat hoc Arrian. 7, 1, 24. & Indic. 4, 12. Nam Diodor. 17, 105. damnum accepisse scribit.

OZINEM) Arrian. 6, 5, 3. *Ordonem* appellat: *Alexandro iam Carmaniam ingresso, Craterus ad eum venit, reliquum exercitum & elephantos secum ducens, vnaque Ordonem, quem quod defectionem moliturus esset, ceperat.* De Zariaspe Satrapa nihil memini apud alios legere, nisi forte sit Baryaxes Medus apud Arrian. 6, 5, 13. affectati regni postulatus, & interfectus. Raderus. Videantur dissentire auctores; sed non dissentiunt. Tantum enim abest vt neget Curtius ab ipso Cratero adductos eos Persas, vt ipse quoque expresse id dicat 10, 1, 9. sed intellige primo nuncium misisse; mox ipsum venisse.

9, 10, 20. *SIBYRTIO*) *Sibyrtius* est Arriano 6, 5, 1. Raderus. Mendum est absque dubio, vt priscum sigma forma parum differens à beta huius locum occupauerit. Non enim Diodorus tantum, Iustin. 13, 4, 22. & ibi notati Σιβύρτιον vocant; sed ipse Arrian. 5, 1, 25.

MENON) Hunc supr. 7, 3, 5. innuit primum Arachosiorum, vicinorumque Gedrosorum, vt intelligi datur, prætorem fuisse, vt ab Alexandro subacti sunt. at Arrian. 6, 5, 1. longe aliter: *Postquam vero in Gadrosorum regiam peruenit, militibus ibi quietem dedit: Apollophanem, quod nihil eorum quæ imperata ei fuerant, perfecisset, satrapatu deponit, Thoante in eius locum suffecto: qui quum ex morbo decessisset, Sibyrtius ei successor est datus.* Verum ipse Arrian. Indic. 4, 12. *Apollophanem in prælio Leonnati cum Oritis casum* ait. quæ loca non video quomodo concilientur, nisi dicas postquam satrapia priuatus fuit, statim ad Leonnatum se contulisse, sponte an iussu regis.

IN CARMANIAM) Strabo lib. 15. *Die sexagesimo in Gedrosiorum regiam à finibus veniens, cum exercitum paululum quiete refecisset, in Carmaniam profectus est.* Nec dissentit Arrianus.

9, 10, 21. *ASPASTES*) Arrian. 6, 5, 1. de Sibyrtio: *Carmaniæ satrapa erat,*

erat, nuper admodum id muneris ab Alexandro consequutus : tum vero Arachosiorum & Gadrosiorum imperium illi collatum est. Carmaniam vero Tlepolemus Pythophanis filius tenuit. Idem Indic. 6,17. *Collecti undequaque barbari tuta munitaque Carmaniæ loca occupauerant. Nam satrapa eorum iussis Alexandri interfectus fuerat. Tlepolemus autem qui recens satrapatum inierat, nondum firmum imperium nactus erat.* Quæ non modo cum Curtio, sed nec inter se consentiunt.

9,10,22. *IMPEDIMENTA)* An *ad imp.* restituit equos & iumenta ad impedimenta vehenda ; quibus *deessent quæ sarcinas veherent*, vt dixerat paulo supra num. 12.

9,10,24. *ÆMVLATVS PATRIS LIBERI)* Arrian. 6,5,7. negat. Diodor. 17,106. affirmat : testatur & Plutarch. cap. 116. Bacchi vero seu Liberi patris ex India redeuntis triumphum Siculus 4,3. paucis hisce verbis spectandum proponit : *Liberum memorant impiis vbique grauiter multatis & benigne habitis ceteris hominibus, ex India in elephanto sublimem Thebas rediisse, & quia totum expeditionis interuallum trienne fuerat, Græcos propterea trieteridas celebrasse asserunt. Primum quoque omnium floliis tantæ expeditionis onustum, cum triumpho in patriam esse inuectum.* Raderus. Vide Indicem in *Glossis*. De Alexandro adde Liu. 9, 18,3. Plutarch. orat. 1, 15. vbi in magna gloria ponit hoc factum. Secus visum Athenæo 12, 9. vbi ex Ephippo narrat alios quoque deos æmulatum esse Alexandrum ; Ammonem, Dianam, Mercurium, Herculem. Ibidem etiam de Commodo narratur, Herculem dici voluisse, quod & ex scriptoribus vitæ constat. Bacchus autem præcipue ad imitandum placuit multis : Mithridatem, Antigonum, C. Marium, M. Antonium in scenam producit Schottus Obseru. Histor. 3, 3. Vbi ex Valer. Max. 3, 6, 6. & Plinio 33, 11, 14. notat Marium post victoriam Cimbricam cantharis potasse, quod in inclyto loco mouere non sustinuimus : præsertim cum & auctoritate nitatur maximi poëtæ Virgil. Eclog. 3, 68.

Parta meæ Veneri sunt munera - - - -

maximique Historici Sallust. Iugurth. 10, 4. vtroque verbo sine discrimine vtitur : *neque auro parare quæst, officio & fide pariuntur.*

SEPTEM DIERVM) Totidem & alii, vt Diodor. 17, 106.

9,10,28. *QVÆ REBVS FAMAM)* Deprompta ex Sallustii Catil. 8, 1. indicante Popma.

9,10,30. *NEC LVXVRIÆ CRVDELITAS)* Multis hoc relationibus auctorum ostendi possit : & Gruterus ad Suetonii Calig. cap. 11. iam id demonstrasse ait pluribus exemplis, ad librum 6. Annal. Taciti, capitis quinti extremo. Quæ annotationes forte cum aliis doctissimi diligentissimique Viri ineditis , vel perierunt militari licentia ; vel sub alienis dominis exspectant, quid porro fati se maneat. Vltima huius libri voce pro *obstat* credo fuisse *obstabat*. Tacit. 15, 35, 1. *Eius munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem à sceleribus cessabatur. Eisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur &c.* Crudelior adhuc Dracula Moldauus, qui plurimis Turcis palis transfixis, eodem loco conuiuium cum amicis iniit, inter gemitus morientium hilariter epulatus. Munster. Cosmograph. Lib. IV.

10,1,5. *CLEANDRI FVROR)* Vt eodem nomine, ita haud multum dispari fortuna vitæque exitu fuit Cleander Commodi libertus. De quo Lamprid. cap. 7. & Marcellin. 26, 15.

SERVO SVO PELLICEM) Quum maiorem indignioremque iniuriam ne excogitare quidem posset. Graphice describit Iustin. 16, 5, 2. in Clearchi Heracliensis tyrannide : *Ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, vxores eorum filiasque*

describit Athenæus 5, 7. de Bacchi triumpho vide & Pontan. progymnasm. 4, 29. Porro locum Curtii, sublatis duabus nothis vocibus, *statuit imitari*, sic constituo : *æmulatus non gloriam solum* &c. *sed etiam famam (siue* &c. *iussu) animo s.h.f. elato, vicos p. 9, i.e. floribus coronisque sterni iubet.* vt verbum *iubet* referatur ad participium *æmulatus.*

BACCHANTIVM LVSVS) Polyænus 1, 1, 1. haud absurde, omnia Bacchi orgia stratagemata fuisse asserit.

9,10,25. *FLORIBVS CORONISQVE)* Dictum supr. ad 5, 1, 20. Ælian. Var. 9, 8. *Dionysius iunior in Locrensium vrbem veniens &c. maximas ciuitatis domus occupauit, easque rosis, serpyllis, aliisque id genus floribus strauit.* & cap. 9. Demetrio *singulis anni partibus flores recentes substernebantur, vt in ipsis vestigia poneret.*

ALIA CANDIDIS VELIS) Quid si legas ; *ornari candidis velis, aliaque veste preciosa.* Vestis nomen late patens, etiam vela ista candida, quæ intellige ex Indica byisso confecta, comprehendit.

9,10,26. *CORONISQVE)* Præsertim ex hedera. Plin. 16, 34, 1. ex Theophrasto scribit *Alexandrum ob raritatem* (hederæ in illis partibus) *ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris.*

TIBICINVM CANTVS) Ne dubita pro *tubicinum* sic scribere. Hoc enim ad luxum comparatum erat instrumentum ; illud à bellicis rebus haud alienum. *Polycleus* apud Athenæum 12, 9. scribit *tibicinas semper & tibicines secutos eum in exercitu, ὠλητρίδας καὶ ὠλητὰς.* Etiam in hoc triumpho apud Arrian. 6, 5, 7. legitur *κῶμος αὐλούμενος &c.* Plutarch. cap. 116. *Circumsonabant omnia loca fistulis, tibiis &c.*

9,10,27. *PARTA PRÆDA)* An *parata ?* quomodo & editi quidam. sic sup. 4, 14, 11. Tacit. H. 1, 6, 4. *parata audenti materia.* quia tamen illud eundem prope sensum reddit, loco mouere non sustinuimus : præsertim cum & auctoritate nitatur maximi poëtæ Virgil. Eclog. 3, 68.

Parta meæ Veneri sunt munera - - - -

maximique Historici Sallust. Iugurth. 10, 4. vtroque verbo sine discrimine vtitur : *neque auro parare quæst, officio & fide pariuntur.*

SEPTEM DIERVM) Totidem & alii, vt Diodor. 17, 106.

9,10,28. *QVÆ REBVS FAMAM)* Deprompta ex Sallustii Catil. 8, 1. indicante Popma.

9,10,30. *NEC LVXVRIÆ CRVDELITAS)* Multis hoc relationibus auctorum ostendi possit : & Gruterus ad Suetonii Calig. cap. 11. iam id demonstrasse ait pluribus exemplis, ad librum 6. Annal. Taciti, capitis quinti extremo. Quæ annotationes forte cum aliis doctissimi diligentissimique Viri ineditis , vel perierunt militari licentia ; vel sub alienis dominis exspectant, quid porro fati se maneat. Vltima huius libri voce pro *obstat* credo fuisse *obstabat*. Tacit. 15, 35, 1. *Eius munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem à sceleribus cessabatur. Eisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur &c.* Crudelior adhuc Dracula Moldauus, qui plurimis Turcis palis transfixis, eodem loco conuiuium cum amicis iniit, inter gemitus morientium hilariter epulatus. Munster. Cosmograph. Lib. IV.

10,1,5. *CLEANDRI FVROR)* Vt eodem nomine, ita haud multum dispari fortuna vitæque exitu fuit Cleander Commodi libertus. De quo Lamprid. cap. 7. & Marcellin. 26, 15.

SERVO SVO PELLICEM) Quum maiorem indignioremque iniuriam ne excogitare quidem posset. Graphice describit Iustin. 16, 5, 2. in Clearchi Heraclien-sis tyrannide : *Ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, vxores eorum filiasque*

nubere seruis suis, proposita recusantibus morte, compellit &c. additque multas huic dedecori mortem antetulisse.

10,1,6. *PRODESSE REIS)* Quemadmodum Catum liberauit seueriori sententia Tiberius apud Tacit. 4, 31, 7. similis *operæ* sibi præstitæ *memor.*

LÆTI RECIDISSE IRAM) Vide Tacit. 6,3,5. 6,4,1. & 6,10,3. *quo lætius acceptum sua exempla in consultores recidisse.*

10,1,7. *MAXIMVM CRIMEN)* Mercerus ad illa **Tacit.** 2,50, 2. *Cæsarique connexa adulterio teneretur,* ostendit familiare principibus esse, vt omnia perperam facta ad crimen maiestatis trahant. Quamquam hoc loco verissima fuerit vox Alexandri. consentiunt enim scriptores, famam mortis eius, ex periculo apud Mallos Oxydracas spiritus fecisse præfectis eius, vt potestate sua, tanquam rationem non reddituri, pro libitu abuterentur.

10,1,8. *HOS QVIDEM VINXIT)* Et, quod apud Curtium deest, Arriano 6,5,13. teste occidit. Fallitur enim editor Curtii Allobrox, qui ad oram annotauit: *Dat veniam scelerum auctoribus humana censura; sed vexat & opprimit scelerum ministros.* Non dedit veniam Cleandro, Sitalci, Agathoni, Eraconi Alexander, sed omnes interfecit. Raderus. Firmant id reliqui scriptores, licet occisos non nominent. Iustin. 12,10,8. *Multæ deuictæ gentes præfectos suos accusauerunt; quos sine respectu amicitiæ, Alexander in conspectu legatorum necari iussit.* Diodor. 17,106. *Cum multos Satraparum & ducum per vim & iniuriam potestate abusos cognouisset, meritas illis pœnas irrogauit.* Plutarch. cap. 118. *Sumpsit de ducibus qui deliquerant supplicium.*

10,1,10. *NEARCHVS ET ONES.)* Plin. 6,23,16. *Festos dies ibi* (apud Susa) *agentem Alexandrum inuenerunt septimo mense, postquam digressus ab iis fuerat Patalis, tertio nauigationis.* Qui Diodor. 17,106. cetera concors, vrbem maritimam nomine *Salmunem* vocat. Reliqui, & præsertim Arrian. in Indicis, quem prolixe hæc omnia exponentem per te leges, vt solet fieri, varie dissentiunt. Qui tamen conciliari nonnihil possunt ex eo, quod bis ad Alex. peruenit Nearchus: semel in Gedrosis, iterum Susis.

10,1,11. *INSVLAM)* De hac Plin. 6, 21, 3. *Extra ostium Indi Chryse & Argyre fertiles metallis vt credo. nam quod aliqui tradidere aureum argenteumque iis solum esse, haud facile crediderim.* Periegetes versu 589. plura. Mela 3,7. *Ad Tamum insula est Chryse, ad Gangem Argyre, altera aurei soli (ita veteres tradidere) altera argentei.* Raderus. De variis locis vbi aurum reperiatur, agit Georg. Agricola de metallis lib. 2. à cuius principio locum hunc Curtii citans accepit de ostio Euphratis. in quo cum falli, satis apparet ex notatis.

INOPEM EQVORVM) Testatur hæc Maffeius in IV. hist. Indic. *In stabulo regio* (Goæ primum ab Lusitanis occupatæ) *reperti militares equi permulti, quos à Perside aductos (nam India eiusmodi armentis caret) Malabarici, & Canarini, & Narsingæ reges immenso parant precio.* Raderus. Quod negat Indiam equos habere, non solum aliis auctoribus contradicit, sed & nostro 8,14,2. 9,2,3. & passim.

10,1,12. *PLENVM BELLVARVM MARE)* De his Strabo lib. 15. Diodor. 17,106. Plin. 6,23,13. paucis: *Circa has* (insulas) *hydri marini vicenum cubitorum adnatantes, terruere classem.* Solinus cap. 55. *Indica maria balænas habent vltra stadia quatuor iugerum &c.* Consulendus hic Arrian. Indic. cap. 5. De belluis hisce & harum iconibus Rondeletius, & alii. Plurima Gesnerus lib. 4. lit. B. & C. in Balænis & Cetis. Raderus. Etiam apud Senec. Suasor. 1. exaggeratur *fœda belluarum magnitudo.*

TRVCI CANTV DETERRITAS) Scribsius malit *tubæ cantu*, & quodammodo iuuant Arrian. Indic. 5,18. *quantum capita ferre poterant, acclamasse; tubisque clamisse.* & Strabo lib. 15. *tubis belluas exterruit.* Verum tamen nihil incommodi habet vulgata lectio; sed eo melior est quod non tubam tantum, sed alium quoque clamorem non excludit; quo præter tubam vsos Macedonas, ex scriptoribus constat. Quamquam ne clamori quidem cesserint, sed fragori nauium obuiam venientium. Plin. 9,3,2. *Sed in mari belluæ circa solstitia maxime visuntur. Tunc illi ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectæ montium iugis procellæ ab imo vertunt maria, pulsataque ex profundo belluas cum fluctibus voluunt* (hoc est quod *æstu secundo eas ferri* dixit Curtius) *& alias tanta thynnorum multitudine, vt Magni Alexandri classis haud alio modo, quam hostium acie obuia contrarium agmen aduersa fronte direxerit: aliter sparsis non erat euadere: non voce, non sonitu, non ictu, sed fragore terrentur, nec nisi ruina turbantur.* thynnis tribuit Plinius, si tamen vitio caret locus; quod alii rectius physeteribus.

DETERRITAS SEQVI CLASSEM) Hoc sine Græcis vix intelligas. Quorum Strabo; *tubis belluas exterruit. Illæ vndas subeuntes, nauale certamen à puppi minabantur: verum subito cessauere.* Arrian. Ind. 5, 18. *cete exterrita in profundum sese abdidisse: neque multo post ad puppes emersisse.*

10,1,14. *ERYTHRÆ MONVMENTVM)* *De loci istius nomine non parum discrepat inter auctores.* Oaractam *vocat Arrian. Indic.* 6,18. Ogyris *dicitur Plinio* 6,28. *Melæ* 3,8. *Stephano, & Dionysio τῇ περιηγητῇ versu* 607. *Eratostheni apud Strabon. lib.* 16. Tyrina; *Nearcho apud eundem* Doracta: *denique Ptolemæo* (δυαρόχθα) Vorochtha *vel* Borochtha: *vnde fortasse mendosum illud* Doracta. *Nec de certo comperioque loci positu quicquam habent, quod plane liqueat. Nam Ogyrin siue Tyrinam aly paulo longius intra sinum Persicum collocant: aly eam inde duobus stadiorum millibus in altum mare, Oceanum scilicet, austrum versus submouent,* Καρμανίδ' ἐκφέρει ἄκρης, *vti canit Dionysius,* extra Carmaniæ promontorium: *quo, tanquam obice altero, sinus Persicus clauditur.* Fullerus Miscell. Sacror. 4,20.

10,1,15. *ADIICIEBANT)* Incolæ [immo ipsi, Nearchus & Onesicritus] adjiciebant, seu referebant inter alia. de hac Insula, in quam lixæ & mercatores traiecerunt, exacte Arrianus Indic. 5,20. & *Nosalam* appellatam, Solique sacram fuisse docet, sed fabulosa esse quæ de illa narrentur. Raderus. Quod eo loco de Nereide quadam addit Arrianus, fidem facit, eandem insulam hic intelligi, quæ Philostrato 3, 16. Σίλλης vocatur: itidemque centum à continente stadiis abesse dicitur.

10,1,17. *ANIMO INFINITA COMPLECTENS)* De his Alexandri molitionibus paullo fusius Arrian. lib. 7. initio. Plutarch. cap. 117. paucissimis: *Instituit Arabiam & Africam ambire, atque per columnas Herculis in mare mediterraneum decurrere.* Raderus. Apud Diodor. 18,4. hæc aliaque multa ardua atque magnifica in commentariis eius reperta enarrantur. Belle Lucan. 10,36.

> _ _ *Oceano classes inferre parabat*
> *Exteriore mari. non illi flamma, nec vndæ,*
> *Nec ferrilis Libye, nec Syrticus obsitis Ammon*
> *Esset in occasus, mundi deuexa secutus,*
> *Ambisseque polos, Nilumque à fonte bibisset:*
> *Occurrit suprema dies; naturaque solum*
> *Hunc potuit finem vesano ponere regi.*

Ita Cæsar apud Plutarch. c. 82. *instituebat Parthos bello petere. His subingatis per Hyrcaniam secundum mare Caspium & Caucasum ambire Pontum, atque ita Scythiam inuadere, incursatisque quæ Germaniæ circumiecta sunt, ac Germania ipsa, per Galliam regredi in Italiam, atque hunc committere imperii Romani Oceano vndique circumscripti orbem.* Similis Pyrrhi vesania apud Plutarch. cap. 29.

MARITIMA REGIONE) Arabia. Quam *nec Persarum, nec Macedonum postea reges, quamuis potentissimi, subigere valuerunt.* Diodor. 2, 1. Vide præcipue Arrian. qui vnus plura intelligendo huic libro conferet, quam omnes alii. Eustathius ad Dionys. vers. 995. notat Alexandrum ibi sedem imperii constituere decreuisse. Verum eam non perdomuit, quicquid dicant de thurifera regione, qui apophthegma eius adnotarunt, Leonidæ magnum thuris modum mittentis, vt ea regione subacta. Plutarch. apophth. cap. 36.

CARTHAGINI INFENSVS) Supra 4, 4, 8. Nec ignorabant aut negligebant astutissimi mortalium; sed *cum animaduertissent Alexandri ira magnas opes, vt Africæ quoque immineret, vnum ex ciuibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iusserunt simulato exilio ire ad regem, omnique studio in amicitiam eius peruenire: qua is potitus, consilia eius nota ciuibus suis faciebat.* Frontin. 1, 2, 3. Iustin. 21, 6, 1. Confer Augustin. Tom. II. pag. 772. C. 773. D. & Cedrenum pag. 385.

CVRSVM GADIS DIRIGERE) Quin & eo venisse, etiam in Britanniam & Orcadas, scripsit Cedrenus, reprehensus eo nomine à Camdeno in Britannia cap. de Britannorum moribus.

COLVMNAS HERCVLIS) Mira de his columnis, sed incerta. nam alii pro columnis promontoria ponunt, alii montes, alii statuas Herculis, alii turres, alii columnas æreas octo cubitorum: alii freti claustra, alii Gades, alii etiam quippiam vltra Gades situm. Nonnulli pro columnis habent Calpen, & Abilam, qui est mons ex aduerso Calpæ in Africa, quem Eratosthenes ait situm esse in Metagoniis Numidica gente. Strabo lib. 3. de Gadibus & columnis copiosissime disputat, quem lector ipse, si placuerit, videbit. locus enim est prolixior, quam vt huc transferatur. Interim Melam 2, 6. Solin. cap. 26. Philostrat. 11, 97 Nostrum Marianam de rebus Hisp. Periegetem, & ad illum Eustathium, Pindarum in Pythiis, Isthmiis & Nemeis inspice. Nam quæ à Strabone & Eustathio ex Pindaro landantur, hodie non apparent. Rader. Non temere autem de *columnis Herculis* mentionem injicit, sed designans, quod iam aliquoties dixit Alexandrum *cupiuisse expeditione vltra terminos Bacchi & Herculis progredi*: vt de hoc ipso eius consilio iudicat Plutarchus de fort. Rom. cap. 26.

10, 1, 18. *IBERIAM)* Varias Hispaniæ appellationes vide apud Mertam in Cosmographia.

ITALIÆQVE ORAM) Plutarch. ibidem: *Ego vero etiam Alexandri Magni mortem in parte felicitatis Romanæ pono, nisi magnis successibus & rebus clarissime gestis, injuperabili confidentia & elatione animi, qui stellæ instar ab ortu Solis in occasum transiliebat: ac iam in Italiam fulgorem armorum iaciebat &c.* Liu. autem 9, 17, 10. sentit si in Italiam transmisisset Alexander, Romanos non fuisse superaturum.

10, 1, 19. *THAPSACVM)* Ita legendum vidit ex Strabone lib. 10. & Arriano 2, 3, 7. Glareanus. Nec vllam dubitationem relinquit Plutarch. c. 117. Sed & Sabellicus idem sensit: quamquam ibi forte transpositis literis *Thapsacum* legatur.

SEPTIREMES OMNES ESSE) Vltimam vocem expungit Rutgers. Var. Lect. 3, 4.

CYPRIORVM REGIBVS) Ammian. 14, 27. *Tanta autem tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, à fundamento ipso carinæ, ad supremos vsque carbasos ædificet onerariam nauem, omnibusque armamentis instructam mari committat.*

10, 1, 20. *PHILIPPVM PRÆFECTVM)* Reor eundem olim Thessalorum equitatui præfuisse ad Arbela Balacro natum, de quo etiam Diodor. 17, 57. Rader. Quem erroris conuincit Arrian. 3, 2, 2. *Philippo Machatæ F. præside illius regionis constituto.*

10, 1, 22. *PASARGADAS)* Sagara legêre Sabellicus, & Cælius L. A, 15, 9. corrupto vsi exemplari, vt apparet.

10, 1, 24. *SED ETIAM AMICIS)* Sic apud Ioseph. 16, 2. Agrippa ab Herode *vna cum amicis maximis honoratur muneribus.*

TALENTVM QVATVOR MILLIA) Vix credibiles opes vnius Satrapæ. mox n. 34. Bagoas rem exaggerans, vt suspicari licet, ait *tria millia talentum condita esse cum Cyro.* Vultque illa ab Orsine sublata; atque hinc hominem prædiuitem factum. Quod consideranti vtique videbitur falso aucta 4000. talentorum summa. præsertim cum adjiciat multa alia dona preciosissima, veroque simile sit, non omnia largitum esse, sed sibi quædam retinuisse. Regias igitur opes posse derit: quod vix concedas. & si concedas, vtique non pertendas eo fuisse deuenturum, vt munificentia Alexandrum supergrederetur. At huius mille talenta Taxili dono data, quanta non admiratione modo, sed etiam inuidia prosecuti sunt amici? Vide supra 8, 12, 17.

10, 1, 25. *OBSEQVIO CORPORIS)* Quam sceleste deperiret propudium illud hominis ex Dicæarcho apud Athenæum 13, 8. & Plutarcho cap. 116. constat. Non omnino dissimilis est vesania L. Quintii, qui itidem in scorti sui gratiam nobilem barbarum occidit. Auctor Liu. 39, 42, 9. & Plutarch. Catone Mai. cap. 32. Sed quid ibi animaduerto monstri? De Catone censore lego: *Allegit in senatum collegam & amicum L. Valerium Flaccum.* Quid? ergo Flaccus censor erat, senator non erat? Ne dubita scribere: *Principem senatus legit &c.* & in textu: προσγράψας μὲν ἂν ὁ κάτων τῇ συγκλήτῳ τὸν συνάρχοντα &c. fuerat προσγράψας, vna literula temere inculcata eas excitauit turbas. Correctionis huius quem meliorem dabo prædem vademque ipso Plutarcho? In Æmilio cap. 65. τὸν δ' βυλὸς προσγράψαι μὲν Μάρκον Αἰμίλιον Λέπιδον, ἤδη πεπράκις ὑπατεύσαντα τοῦτον τῷ προσδήλων. vbi simul explicatam vides eam phrasin.

10, 1, 27. *ADSTRVXIT)* Negat Acidalius verbum *adstruere* reperiri pro subornare, submittere. vel si inueniatur, rectius tamen scribi *instruxit*, existimat. Ego etiam libentius ad crimina verbum struendi retulerim, si exemplaria patiantur: *Nam per gentes e. l. falsis criminibus structis (monitos tum d. e. d. q. ipse iussisses) interim &c.* sed nihil asseuero.

10, 1, 30. *SEPVLCHRVM CYRI)* De Sepulchro Cyri, quidque in eo repertum & lectum sit præter Curtium docent Strabo lib. 15. Arrian. 6, 5, 13. Plutarch. cap. 118. quos citat & confert Brissonius lib. 1. Forte ex hoc facto nata fabula, Kainan magni regis prioris mundi sepulchrum Alexandro M. in India monstratum fuisse: quod ex Iuchasin refert Schickardus in Tarich pag. 25.

10, 1, 31. *AVRO ARGENTOQVE REPLETVM)* Morem fuisse apud varias gentes tumulis inferendi thesauros ostendit Rosinus antiq. Rom. 6, 31.

10, 1, 32. *CORONA AVREA)* Sic etiam *Achillis monumentum coronauit, & Hephæstion Patrocli.* Ælian. hist. var. 12, 7. Eundem postea honorem ipse consecutus ab Augusto. adi Sueton. in vita 18, 1. & Caracallo apud Herodian. 4, 15.

10, 1, 35. *QVOD IMPVNE HABERE)* Ὁ ποδὰ κλέψας, ὀλίγα δὲς ἐμφύξιτας. Lampridius in Alex. Seuero cap. 18. Idem sensus in his Liuianis 1, 17, 9. *offerendum vltro rati quod amissuri erant.* & 6, 17, 9. *refracturoque carcerem minabantur: quum remisso, id quod erepturi erant, ex Sexto Manlius vinculis liberatur.* Pulchra ars & interdum vtilis, quæ seruare non possis, donasse potius videri, quam perdidisse. Hime-

Himerius apud Photium vbi Demosthenem inducit de reuocando Æschine consultantem: *Cum virumque acerbum sit, & edictum sponte soluere; & hæc sustinere præter voluntatem ex mandato: minus malum existimani sponte soluere, quam insuite tolerare.*

10,1,37. *SVPPLICIO INSONTIS)* Arrian. 6,5,20. non excusat Orsinis innocentiam. Plutarch. c. 118. à Macedone quodam apertum ait sepulchrum: *Hinc,* inquit, *cum Cyri conditorium apertum comperisset, interfecit auctorem, quamuis Peltæus esset non ex obscurissimis, qui id admiserat, Polymachus nomine.* Raderus. Apud Strab. culpa confertur in prædones ignotos.

REGNASSE FEMINAS) Arnisæus de republ. 2,12,1. plura dominationum muliebrium exempla adducit. Iunge quæ de Amazonibus notata sunt sup. ad 6,5,24. Addit *olim regnasse feminas:* at si Arriano 1,7,25. credimus, Alexandri tempore *vsitatum erat in Asia, iam inde à Semiramide, vt & virorum vxores regnarent.*

NOVVM EST REGNARE CASTRATVM). Imo secundum Plin. 13,4. nihil noui: *Clarissimæ omnium* palmæ, *quas regias appellauere ab honore, quoniam regibus tantum Persidis seruabantur, Babylone natæ vno in horto Bagoi. ita enim vocant spadones; qui apud eos etiam regnauere.* Intelligit, opinor, eum qui Dario regnum dedit sup. 6,3,12.

10,1,40. *RES SECVNDÆ)* Vide Gruteri discurs. in Tacit. cap. quinto.

10,1,41. *REGNA REDVXERAT)* Vulgati ante Modium *regnare dixerat.* Acidalius corrigit *regnare didicerat:* vt sit acerba irrisio, in contrarium accipienda. Summæ antea moderationis rex, & vere rex, victor tandem rex esse didicerat, quasi id vero regium, non ex æquo & iure agere, sed pro sua aut aliorum libidine grassari. Addit deinde aliam coniecturam *regnari didicerat.* quasi diceret hostibus victis ipsum victum regnatumque fuisse *vt ad scorti arbitrium aliis regna daret, aliis adimeret vitam.* At hanc correctionem respuit Raderus; illam sinceram & germanam scripturam arbitratur. Ego potius miror Acidalium, quo fuit acumine, non vidisse legendum, *hostibus victis regna reddiderat.* Notum de Poro: sed & aliorum exempla suggeret Arrianus.

10,1,43. *LITERAS ACCIPIT)* Vulgo, *literas à Cœno accipit.* Ad quod Raderus, à quo Cœno? nonne Cœnum 9,3,21. extulimus? Dicam quod sentio. Hæc Curtii verba *Iisdem fere diebus &c.* vsque ad illa *Igitur XXX. nauibus Sunium &c.* esse loco mota, & ad initium sexti libri quod ibi desideratur reuocanda. Sub illud enim tempus hæc à Zopyrione gesta Iustinus 12,1,4. docet. Itaque pro *Cæno,* hic lego *Amipatro,* & pro *India (dum ipse Indiam subigit) Asia* recipienda: quæ vox in aliis codicibus hic desideratur apud Curtium, scribiturque tantum de *rebus in Europa gestis,* vt *Asia* pro *India* sit reponenda. Hæc certa meo animo coniectura est. Raderus. Mihi præter insignem violentiam, nihil habere videtur certi. Vt enim patiamur ex Cœno Antipatrum, ex India Asiam, ex decimo libro sextum fieri; vnicum quo omnia ista quomodocumque niti videntur argumentum, valde lubricum est. Quippe Iustinus multa alio tempore gesta refert, ac Curtius. verbi gratia, cum primum Perfidem subigeret instituisse eum cum alia Iustinus 12,4,9. narrat, tum, vt *pupilli stipendia patrum traherent;* at secundum Curtium 10,4,8. diu postea id euenit. Ergo secutus Mss. Editorumque nonnullos importuna duo verba *à Cæno* eliminaui: quo facto tota ratio loci huius constare potest.

10,1,45. *SEVTHES)* Hanc aliasque lacunas DEO volente, supplementum nostrum farciet.

10,2,1.

10,2,1. *SVNIVM TRANSMITTVNT)* Accipio de mercenariis Harpali. De exulibus quidem Græcis haud accipiendum, vel cœcus videat.

10,2,3. *DVM AGITAT CLAM,)* Rectius sic distinguitur, quam in aliis; *Quod cons. dum agitat, clam literæ ei redduntur.* quid enim attinebat clam literas reddi Alexandro, & quidem eiusmodi literas? Sed nec illud placet: qui non possim credere, Alexandrum in ea magnitudine fortunæ atque gloriæ clam fuisse habiturum quem hostem peteret; etiamsi maxime potuisset. si tamen texit, omnibus aliis præfero scripturam B. 1. *Quod consilium clam agitanti literæ redduntur.*

A QVODAM VIATORE) *A Thimbrone, vno ex amicis,* Diodor. 17, 108. *à seruis suis,* Pausanias lib.2. qui quidem addit: *Sunt tamen, qui dicant Pausaniæ Macedonis dolo interisse.* Quomodo autem hic exponemus *viatorem?* nonne rectius in Mss. *auctore:* qui forte ad veram scripturam nos ducent: *à quibus interceptum Thymbrone quodam auctore, per insidias.* Vide Photii Biblioth. pag. 218. f.

10,2,4. *EXVLES PRÆTER EOS)* Plutarchus apophth. Lacon. c.59. addit eximios etiam Thebanos fuisse. vnde Eudamidæ Laconis dictum extat: *Cum Olympiis præconio ius fecisset omnibus exulibus, in suam cuique patriam redeundi, præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit, præconium, sed vobis, ô Thebani, gloriosum: solos enim vos metuit Alexander.* Raderus. Factum id per Nicanorem quendam. Demosth. pag. 183. f.

10,2,6. *ATHENIENSES)* Ex hac occasione nata est Himerii oratio apud Photium, *in qua Demosthenem inducit de reuocando Æschine consultantem: vulgato rumore Alexandrum exsules reuocaturum.* in cuius fine ista ὁ τὰς ἀπ' Ἰνδῶν φήμας ὡς ὄντως καὶ μάχιμος φοβούμενος, interpretor: *rumores ab Indis vsque huc perlatos, tanquam arma pugnasque* præsentes *metuens.*

10,2,8. *SENIORIBVS MILITVM)* Ostendet hic locus recte me coniecisse sup. 7,3,23. pro *seniorum* legend. *seruorum.* Septem enim millibus Macedonum quomodo carere potuisset, vt vni coloniæ tot assignaret? Vides hic post omnia fere bella profligata ex toto exercitu dimitti seniores, & tamen ex Diodoro 17, 109. & 18,4. constat, eos decem millium numerum non excessisse: aut si Iustin. 12, 12,7. sequimur, vndecim. Ne dicam, laturos molestissime fuisse, si post tot labores in coloniis barbaricis detinerentur, patriæ cupidissimi.

QVAS COLONIS REPLESSET) Appianus lib.1. Ciuil. Apud Romanos *coloniæ tanquam præsidia partis bello prouinciis imponebantur.* Britanni apud Tacit. Agric. 16,1. coloniam Romanam appellant *sedem seruitutis.* Vnde opportuno situ tres vrbes *Philippum non consumeliosius, quam verius, compedes Græciæ appellasse* Liu. 32,37,2. refert.

10,2,10. *PROFESSIONI ÆRIS PVDOREM)* Quæ intelligas ex his Senecæ de benef. 2,7. *Tiberius Cæsar rogatus à Nepote M. Allio prætorio, vt æri alieno succurreret: edere illum sibi nomina creditorum iussit. Hoc non est donare, sed creditores conuocare.* Vbi dubites annon legendum sit *Mallio.* nota ea familia ex Fulu. Vrsino, Glandorpio, & inscript. Vett. sed verius puto; *rogatus à Nepote Mario,* ex Tac. 2,48,3.

DECEM MILLIA TALENT.) Iustin. 12,11,3. *XX. millia.* Diodor. 17,109. cum Curtio: *Multosque ære alieno obstrictos esse edoctus, id totum vno die X. millibus talentum paullo minus dissoluit.* Quod Diodorus paullo minus addit, hoc Plutarch. cap. 120. & Curtius expresse, è decem millibus talentum, tantum CXXX. post exsoluta nomina superfuisse testatur. Arrian. 7,2,28. dimissis tantum in viaticum tot ait talenta donata, singulis nempe singula. Ergo cum decem millia, vt Diodorus

numerat, vndecim vt Iustinus, essent in patriam remissi, & singulis talentum esset oblatum, idem numerus talentorum cum Curtio & Diodoro & Plutarcho est expressus. Sed hic Plutarchus addit singulare quiddam de quodam Antigene Lusco falsa creditorum nomina professo, vt maiorem inde vim pecuniæ auferret. Raderus. De Arriani consensu fallitur. Ille enim 7, 1, 23. diserte scribit, largitionem hanc dissolutorum munerum *XXM talentum fuisse tradi.* Alia est largitio, de qua loco à Radero citato narrat.

10, 2, 12. *CANICIEMQVE CAPITVM*) Nondum enim dimissi erant seniores; sed id cum maxime agebatur, vt dimitterentur. Ipsum auctorem inspice.

10, 2, 16. *MECVM DEPORTARE*) Præ se ferebat enim reditum in patriam agitare, dubium an ex animo: sunt enim complures qui in Asia sedem imperii fuisse constituturum arbitrantur. Illud autem palam testabatur: pertinetque eo quod Plutarchus de liber. educand. cap. 34. refert, *Græcis mandasse, vt purpureas sibi vestes pararent, quippe domum reuersum è bello sacrificium de patria è barbaris victoria peracturum.* Quod tamen diuersim narrat Athenæus 12, 9. Verum vt dixi, Asiam potius habebat in animo, siue Arabiam regni sedem habiturus, vt tradit Eustathius ad Dionys. versum 995. ex Strabonis extremo sextodecimo: siue potius Babylonem, vt asserit idem Strabo lib. 15.

ADCLAMANTES) *Occlamantes* malim cum Acidalio. Raderus.

10, 2, 17. *DISCEDVNT*) Mss. *descendunt* probante Bongarsio. Cuius manum qui descripsit, hoc loco non potuit assequi. Video autem ἀνάβασιν Xenophontis allegari: credo quod inde nomen illi historiæ sit, *ascensus*, quia mediterranea loca altiora sunt mari. Vnde profectio ad mare καταβάσεις *descensus* vocatur, à mari ἀναβάσεις. dictum aliquid hac de re supra ad

10, 2, 18. *VNO ORE*) *Id militares animos altius coniectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque dissecti, vel paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent; tanta æqualitate & constantia, vt regi credderes.* Tacit. 1, 33, 7.

OMNES QVERI) Poterat abesse verbum *queri* relicto *Omnes* solo: vt apud scriptores Hist. Augustæ. Pollio in Valeriano cap. 1. *Quæ quum essent sæpius dicta, addiderunt OMNES: atque ita discessum est.*

10, 2, 21. *ESSE DESTITISTIS*) Alii *desistis*, aut *desistis*. Forte expuncto verbo substantiuo, legendum *me destituistis.* sup. 9, 2, 32. *desertus, destituus sum, hostibus proditus.*

CVM INGRATISSIMIS OPERIS) Non vltra vobiscum, inquit, quasi cum militibus aut ingenuis agere mihi decretum est, neque præmia dare aut munera; sed vt vilibus mercenariis, appendere debitam modo diurnamque vestram mercedem. *Operarum* scilicet vox ignominiam habet, quadratque in eos, qui viles & lucello tantum inhiantes. Σίφωνες est huic istud Cic. pro Sextio cap. 17. *Erat mihi conuentio non cum victore exercitu, sed cum operis conductis, & ad diripiendam vrbem concitatis.* Rubenii Electa pag. 39. f. Antea corrupte legebatur, *cum ingratissimis oportet.*

10, 2, 23. *ILLYRIORVM*) Diodor. 16, 2. *bello fractus ab Illyriis Amyntas vectigalia pendere victoribus cogebatur. Hi filium eius natu minimum Philippum, obsidis loco acceptum, Thebanis asseruandum tradiderunt.* Iustinus 7, 5, 1. *Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre daso obside redemit.* Ac sic ipse Philippo 7, 6, 4. *bella alia interposita pactione componit, alia redimit.* Ex Radero.

dero. Diodorus in Excerpt. Vales. pag. 338. φίλιππος δυλίυσεων Ἰλλυριῶν τὴν ἡγεμονίαν παρελαβών.

EX CRATIBVS SCVTA) Qualia paupertas & indigentia rerum necessariarum facit. Lipsium de Mil. Rom. 3, 2. vide. cui addes Frontin. 1, 7, 6. & Flor. 3, 20, 6. de Spartaco.

10, 2, 24. *QVINGENTA TALENTA*) Vide Plutarch. cap. 23. & de fort. Alex. 1, 3. *vbi ducenta talenta* produntur. Sed Arrianus 7, 2, 15. consentit Curtio.

10, 2, 25. *NEMPE IN ASIATICA PRÆDA*) Sic scilicet hoc dictum fuerit, vt apud Sen. epist. 19, 13. *In aspero & probo accipere*: & apud alios cum idem hoc, tum alia ad eam faciem plura. Acidalius. Nam Modius fecerat ex *As. præda.* quæ res induxit alios vt totum hoc pro glossemate haberent: sed non est. ostendit enim iniuria fastidire Asiam, quibus inde tot tantaque fuissent commoda. Habetque illa vocula *nempe* insignem vim inculcandi cum quadam exprobratione personæ caussæue de qua agitur meritum. Apud Liu. 34, 5, 10. Valerius abrogari L. Oppiam suadens, pro matronis: *Iam vrbe capta à Gallis, quo redempta vrbs est? nempe aurum matronæ consensu omnium in publicum contulerunt.*

10, 2, 26. *ETIAM SPEI VESTRÆ*) Non præsentia modo dilapidarunt, sed ne spem quidem, quæ omnis in armis, plura acquirendi sibi reliquerunt, ipsa arma pignori tradentes. Mirum autem hoc sub Alexandro licuisse. Sane Romanis moribus, ipsaque euidenti ratione, id vetitum. l. 3. §. 13. de R. M. *Miles, qui in bello arma amisit, vel alienauit, capite punitur.* Vbi verbum *alienandi*, quod & in l. 14. §. 1. eo. repetitur, etiam ad pignoris nexum extendi docet l. vlt. Cod. de reb. alien. non alien.

10, 2, 27. *IN QVOD IMPENDITVR*) Scilicet venter. Sebisius.

CVM PERSIS) Nempe de quibus Diodor. 17, 108. & ipse Curtius 10, 3, 10.

10, 2, 29. *QVANTVM SINE REGE*) Polyæn. 4, 3, 7. *mandauit, vt armati Macedones seorsim à ceteris starent: è regione vero Persæ. Qui cum discessissent: Desigite, inquit, Macedones ducem quem volueritis: Ego vero Persis viar militibus, si viceritis, faciam omnia quæ volueritis: sin victi fueritis, experti vos nihil per vosmet ipsos posse quidem, quietem agite.*

10, 2, 30. *DESILVIT DEINDE*) Similis constantiæ documentum dedit Sigismundus Imp. apud Æn. Siluium Commentar. in dicta Alphonsi 3, 39. *Conspirauerant Hungari aduersus Sigismundum, armatique regiam intrauerant, aut capturi regem, aut si id non succederet, occisuri. quos vt ad se irrumpentes cognouit, accepto pugione in medium progressus, Ecquis, inquit, vestrum, manus in me iniiciet, aut quidnam feci, quod me regem vestrum occidere vultis? prodeat è vobis si quis audet, & cum me solo solus congrediatur. Ea voce & audacia obstupuere coniurati, & sibi quisque timens abiere.* Ceterum Alexandri factum hoc, non tam animi magnitudini, quamquam & huic, quam prudentiæ adscribo: nec enim aliud supererat vindicandæ maiestati, quam neque suadendo neque minando periclitantem conseruare poterat, vt ita necessario ad vltimum ei præsidium deueniendum, & velut de summa rerum cum militibus suis decernendum fuerit. Hoc ergo, aut similia, non vnus ille fecit, sed Cæsar, & Alexander Seuerus, & Augustus *Quirites* appellando suos milites, vnoque verbo omnes, non sine quadam ignominia exauctorando, eandem plane iecerunt aleam. Quin & minorum ducum constantia, paucorum pœna sæpe tumultuantium agminum repressit audaciam. Vide Tacit. 1, 38. *Puniri* enim *quandoque possunt, qui cohiberi non possunt.* Idem H. 4, 27, 7.

Ceterum de variis remediis contra militum seditionem, accurate satis Forstnerus ad Tacit. 4,2,1.

NOTATOS QVOQVE) Raderus ex Acidalio, *notatisque.*

ARMATORVM) Quædam editt. *armentorum.* & hanc lectionem probat Popma, sed non satis recte, lege *armatorum,* quod & confirmat Iustin. 12,11,8. *E tribunali in concionem armatam inermis ipse desilit, & nemine prohibente tredecim correptos manu sua ipse ad supplicia duxit.* Loccenius.

NEC AVSOS) Forte, *nec ausis.*

10,3,1. *NIHILO AVSOS GRAVIORA)* Sic scribe. De cetero, sublata hic à Modio deinceps recte, quæ pro Curtianis diu se gesserant, etiam post indicium Glareani: nec abest, quin paucula quædam auctoris absint & desint. Acidalius. Quem sequitur Raderus: sed & Aldus illa omisit. Nos ad vitandam confusionem alias orituram non reiecimus, sed vt aliis locis supra, inclusimus vncis.

10,3,4. *OBEDIENTER AC PIE)* De Macedonibus sermo est. at de Persis acceperat Brisson.

10,3,10. *NVNC PRIMVM PROFITEOR)* Alii *non nunc primum.* sed negationem illam eiiciendam alibi monueram: & iam video monuisse sic Acidalium. qui iure miratur aliis id non animaduersum. Est autem profecta illa corruptio ab iis, qui *sed* absque *non* reperiri nefas existimarent: nec sentirent eam esse formam, qua Cic. ad Attic. 12,24. *Occidimus,* inquit, *occidimus Attice, iam pridem nos quidem, sed nunc fatemur.* Nec longe abit Demetrius apud Liu. 40,15,8. *Non hodie me primum fraxer accusat: sed hodie primum aperte.* Cyrus apud Xenoph. lib.1. *Quod Cooptaui vos equidem amici, non quod nunc primum vos probauerim, sed quod viderim vos inde vsque à pueris ea quæ ciuitas nostra honesta censet, studiose facere.*

DELECTVM IVNIORVM) Triginta Persarum millia Macedonicis armis disciplinaque institui iussit. Vide Plutarch. cap. 83. Diodor. 17,108. Arrian. 7,1,25. Iustin. 12,12,4.

OBSEQVIVM AC PATIENTIA IMPERII) Satis hoc ostendit Brissonius lib. 2. de regno Pers. pag. 24.

10,3,12. *DARII FILIAM)* Diodor. 17,107. *Susam profectus Statiram Darij filiam natu maiorem sibi matrimonio iunxit: minorem vero Drypetim Hephæstioni vxorem tradidit, amicorum etiam nobilissimis noui coniugij auctor fuit, & generosissimas Persarum virgines in matrimonium collocauit.* Adde Iustin 12,10,9. Plutarch. cap. 120. M. Paul. Venetus 1,31. contractas eas nuptias scribit in ciuitate Balac. quam veterum Susa fuisse, ex eo coniicit Reineccius. Cratero tum temporis Amestrin, Oxathræ fratris Darii filiam in matrimonium dedit; Diodor. 20,109. quam Amastrinem vocat Arrian. 7,1,19. vbi de his nuptiis plura. Vide & Ælian. 8,7. cum Athenæo 12,9. Depingi eas curarunt Hispani in arcu suo triumphali, quem erexerunt inauguratione Alberti & Isabellæ principum, initio huius sæculi, Antuerpiæ. Statuerat etiam *homines multos ex Asia in Europam, & rursum ex Europa in Asiam transferre: vt per connubia & necessitudines continentes orbis maximas concordia mutua & cognationis amicitia inter se deuinciret.* Diodor. 18,4.

10,3,13. *GENITOS ESSE VOS MIHI)* Quia nunc in vnam velut gentem coaluimus, gerite vos pro popularibus ciuibusque meis potius, quam pro extraneis: illorumque numero mihi haberi credite. Nihil huc pertinent liberi Macedonum ex captiuis geniti: quos frustra nituntur huc trahere.

10,3,14. *EIVSDEM IVRIS)* *Vndecunque originem duxerint.* c. ad decorem. de instit. Innocent. III. Epist. 9,95. Bzou. Annal. Eccles. MCCVI, 2.

10,3,15.

10,3,15. *HAC ORATIONE HABITA)* Recte hæc & sequentia, ad ea: *Quousque animo tuo &c.* omittit Raderus. Est enim manifestum supplementum, quod tamen etiam cum auctore nostro pugnat. ille enim supra num. 4. ostendit ante concionem hanc interfectos fuisse seditiosos, aut potius contumaces illos: hoc supplementum vero affirmat postea demum id accidisse.

10,4,2. *MERGI IN AMNEM)* Quod hic *externi moris supplicium,* idem apud Liu. 1,51,12. *nouum genus lethi vocatur.* de Turno Herdonio: *vt indicta caussa, noua genere lethi, delectus ad caput aquæ Ferentinæ, crate superne iniecta, saxisque congestis, mergeretur.* Apud Germanos olim *ignauos, & imbelles, & corpore infames cæno ac palude, iniecta insuper crate, mergebant.* Tacit. Germ. 12,2. Vnde fortassis manauit hodieque receptus mos, meretrices in amnes mergendi, quem tantopere mirabantur in Concilio Basil. Italici proceres. Sic & Amulius Romulum Remumque spurios in *profluentem abjici* iussit. Flor. 1,1,2. Ad ignauiam vero sic punitam alludere videantur Hippomedontis verba apud Statium 9,506. relata supra ad 3,5,5. *non in acie saltem.*

10,4,4. *POSTQVAM VERO COGNITVM EST)* Omnia hinc ad finem vsque capitis inserta sunt ab alio quodam, qui lacunam hanc sic expleuit. absunt ab antiquioribus exemplaribus, & Radero. Nos quia historiæ nonnihil lucis addunt; reliquimus: insignita tamen notis supplementi, vncisque inclusa. ne deinceps fallant viros doctos etiam pro Curtianis.

PERSIS DVCATVS DATOS) Sic apud Tacit. 1,41,5. seditiosos milites *nihil æque flexit quam inuidia in Treuiros:* quorum fidem suæ præferri indignabantur.

10,4,7. *PRIORES IN THEATRO SEDES)* Quo exemplo *Augustus etiam milites à plebe discretos habuit.* apud Sueton. 44,3. Scaliger poëtic. 1,21. Adde Tacit. 6,3,1.

CORONATOSQVE SEDERE) Περιόδιον τὸ ἀγῶνος vocat Strabo pr. lib. XIV. Paschalius de coron. 8,4. ostendit in triumphis non ipsum tantum Imp. sed & milites coronatos fuisse.

10,4,8. *DEFVNCTORVM LIBEROS)* Athenienses lex erat, vt liberi eorum qui pro patria cecidissent, publice educarentur. Cuius meminerunt Plato extremo Menexeno: Thucydides 2,8,62. & Aristides Panathenaico. Qua in re dignum visum cap. 56. centur. 2. Subcisiu. Camerarii, quod pene totum exscriberem. *Præ ceteris autem Veneti longissimi temporis recepta obseruatione, non tam grati, quam liberales & munifici ita erga patres sunt, vt etiam in liberos eorum, ea liberalitas propagetur, qui vel in toga, vel sago, patriæ vilem operam præstiterunt. Non solum enim stipendia & salaria parentum defunctorum filiis superstitibus, veluti hereditario iure conferuntur: sed etiam filiæ nubiles ex fisco honorificè ditantur, vt studium & cupiditas inseruiendi, & etiam moriendi pro patria & rep. spe recompensationis, eis stimulis exacuatur. Hoc etiam regibus Castiliæ consuetum fuit; ita enim Franciscus Ximenius Cardinalis & prorex Hispaniæ, scribit ad Carolum V. Cæsarem, quum filium alicuius de regno bene meriti in præfecturam parentis defuncti substituisset. inter alia Regum nostrorum, eam semper consuetudinem memorabilem fuisse constat, vt quæ inclitis factis beneficia parentes meruissent, ea quoque illis decedentibus, ad eorum filios transferrentur, præsertim si dum regi seruirent, morerentur. Nam ita homines alacriores ad munera commissa fidelius obeunda redduntur, si suæ quoque virtutis præmia ad liberos esse transferenda intellexerint, quos naturali quodam affectu quam maxime ornatos & promotos cupiunt. Idipsum obseruauit ante plusculos annos fortissimus & bellicosissimus Rex Poloniæ Stephanus, postquam Liuoniam Mosco extorsisset. Ita enim de eo*

scribit Reinoldus Heidensteinius de bello Moscou. lib. 6. In toto hoc bello id ex lege obseruatum fuerat, vt si qui in eo periissent, qui publicas possessiones iure aliquo tenerent, eadem liberis eorum, quamuis infantibus, partim etiam puellis, confirmaret. Hactenus ille. De Saracenorum in Hispania rege Isen, idem obseruat Rodericus Toletanus hist. Arab. cap.19. *Cum suorum aliquis morte propria vitam, aut gladio finiebat, paternum stipendium filio quantumlibet paruulo erogabat, donec aetate perfectus, militiae abscriberetur.* Hi ergo proprie dicuntur *epigoni* Iustino 12,4,11. *Sic* etiam *vocabantur eorum posteri, qui cum Adrasto & Polynice Thebas oppugnauerant* : vt notat Diodor. 4,68. Strabo lib. 7. & Euseb. num. DCCCXXII. Ad horum igitur exemplum *Epigonos* illos vocari voluit Alexander, quasi in perpetuum Macedonica militia stabilita, vt scilicet aetate aut vulneribus fessi raptiue, subinde à *posteris* suis, hoc enim sunt *epigoni*, exciperentur. Arrian. autem 7, 1, 25. & 7, 2, 8. appellationem eam restringit ad XXX Persarum millia Macedonicis artibus instituta. Videntur autem & hi & illi, tanquam in vnum corpus coaliturі, eodem hoc nomine fuisse vocati. Ceterum *militum bello caesorum* vxores pecuniae distributione consolatus est Michaël Rangebe apud Zonaram. Romanae leges etiam pupillis eiusmodi varia solatia constituerunt. Vide Fabrum semestr. 3,8.

10,4,9. *AB OLYMPIADE*) Quo tempore accidit illud fama celebratissimum, vt nimirum Hephaestione literas secum inspiciente, annulum quem digito detrahebat, ori eius imprimeret. Vide Plutarch. Apophth. c. 39. & orat. de fort. Alex. 2,17. Criminationes autem matris haesisse in regis animo, argumento est illud eius apophthegma : cum enim Antipatrum nonnulli commendarent quod seueram integramque vitam degeret ; ait, Antipatri quidem exteriora dealbata sunt ; intus vero totus est purpureus. Plutarch. Apophth. c. 39.

ITAQVE EVOCARI SE) Praeter hanc causam, alia longe fortior fuit, metus nimirum ex rege, quem aperit eius vox apud Plutarch. apophth. c. 50. *Si Parmenion insidiatus est Alexandro, cui tandem credendum erit ? sin vero, qui agendum est?*

10,4,11. *HEPHAESTION MORITVR*) Mortem eam praedixit Pithagoras vates apud Appianum de bell. Ciu. lib. 2. Arrian. 7,3,36. & Plutarch. c. 124. Mortuus autem est *ad Ecbatana*. Aelian. hist. var. 7,8.

VNICE DILIGEBAT) Aelian. histor. var. 12,7. *Alexander Achillis monumentum coronauit, Hephaestion Patrocli : significans, se ita charum Alexandro esse, vt Patroclus fuisset Achilli.* Testatur & Probus in Eumene : Alexandrum cum semper *plurimi fecisse.*

INCREDIBILI ADFECTVS DOLORE) Sen. Epist. 113. *Alexander modo occiso amico* (Clito) *modo amisso* (Hephaestione) *iacebat in tenebris : alias scelus, alias desiderium suum maerens, victor tot regum atque populorum, irae tristitiaeque succubuit.*

QVAE REGIAM MAIESTATEM) Iustin. 12,12,12. *contra decus regium* ait fecisse. Adde Plutarch. c. 123. & ceteros. Id, opinor, voluit Lucianus in dial. Mortuor. objiciens ex persona Philippi, *quod Hephaestionem plus quam esset satis amarit.* Nam in luctu quoque modum esse seruandum, praesertim imperantibus, praeter alios ostendit Patricius de regno 5,17. *Non enim eadem decora principibus viris & imperatori populo, quae modicis domibus aut ciuitatibus* ; vt recte dixit apud Tacit. 3,6, 2. Tiberius. Ideo Gregoras consolans Andronicum Iun. in obitu matris hortatur eum, vt potius ceteram Alexandri constantiam, quam hanc in lugendo mollitiem imitaretur.

10,4,12. *MEDICVM SVSPENDI*) Plin. 29,1,26. hoc non meminerit. Ait enim : *Nulla lex, quae puniat insitiam capitalem, nullum exemplum vindi-*

ctae &c.

ctae &c. Sed fortassis suum tantum aeuum respicit. Medici nomen fuisse *Glauciae*, ex Arriano 7,3,11. discimus. Plut. c. 123. *Glaucum* vocat. Illud autem *suspendi*, de cruce intellige ; collatis quae reperies sup. ad 9,8,16.

LVCTVM CONTINVAVIT) Rectius, *diem atque noctem luctu contin.* Sed de his, quando Curtium non habent auctorem, soliciti non sumus. Ceterum Polyaen. 4,3,31. Arrian. 7,3,19. & reliqui scribunt, Alexandrum ad minuendum luctum, Cossaeorum terram subegisse. Nimirum *negotia pro solatio* fuere, vt est apud Tacit. 4,13,1. Adde Platon. Menexeno, Tom. II. pag. 248. C.

ALIA NONNVLLA) Qualia enumerat Arrian. 7,3,9. &c. Vbi post alia cum Plutarcho cap. 123. & Aeliano 7,8. scribit, inter cetera moestitiae signa iussisse, non homines modo, sed *equos & mulos etiam tonderi.* quod etiam in Massagetis morte Persas fecisse narrat Herodot. 9,24. & Plutarch. Aristide c. 29. & in Pelopidae nece Plutarch. in vita c. 61. Turcarum equi prosequuntur heroum funera versis instrati sellis. Spandugin. apud Sansouin. dell'. Orig. de' Turchi fol. 131. Alexandrum etiam iussisse *passim incendi Aesculapij fana*, Arrianus ibid. & in Epictetum 2,22. tradit. Exprobrasse casum illum Aesculapio apud legatos Epidauriorum Arrian. 7,3,13. narrat. *Muros Ecbatanorum arcis euertisse*, Aelian. 7,8.

10,4,13. *SACRIFICARI IVSSERIT*) Describit eam rem praeter auctores hist. Alexandrinae, Lucianus, in *calumniae non temere credendum*, non minus eleganter, quam copiose. *Apud Alexandrum grauissimi criminis reus fiebat, qui colere & adorare Hephaestiona nollet. nam posteaquam is viuis excessit, amore victus Alexander effuso animo ad reliquam funeris magnificentiam additum voluit, vt mortuus inter deos Hephaestion haberetur. Continuo ei templa ciuitates pleraeque dicarunt, delubra condiderunt, aras, sacra, ferias nouo deo sanxerunt. Iusiurandum omnium religiosissimum Hephaestionis nomine fuit. Capitale erat si quis hac parte vel contaretur, vel neglectim coleret. Hic euiratus affectus, haec vesania, fuit assentatoribus occasioni accendendi inflammandique regis. Narrabantur insomnia, visae Hephaestionis vmbrae, praedicabantur illius responsa. Denique aras & sacra dicata sunt familiari & malorum vindici deo. Proinde cum his Alexander initio mire oblectaretur, tandem ita captus est, vt fidem quoque adhiberet, gloriaturque quod non modo diis genitus esset, sed deos quoque ipse faceret. Quo tempore quantum putamus amicorum Alexandri afflixit Hephaestionis diuinitas?* Subjicit deinde de Agathocle Samio memorabile exemplum, ob eam rem valde periclitati. Eandem insaniam insaniuit in Antinoo suo Hadrianus, de quo praeter alios multos Theodoretus lib. 8. de Martyribus ita : *Hadrianum Imp. Rom. ferunt puerum Antinoum in deos retuliſſe, temploque illi exstructo omnibus imperio Rom. subiectis, vt diuinis honoribus eum prosequerentur, edixisse.* Tertullian. lib. 2. ad nationes, eam rem acerbe exprobrat gentilibus.

IN FVNVS) Quod late describit Diodor. 17,115. vbi itidem 12000. *talentum* constitisse traditur : adsentiente Iustino 12,12,12. Nam Plutarch. c. 24. & Arrian. 7,3,15. rotundiore *myriadis* numero, *decem* tantum *millia talentum* numerant. quod precium exacte supputat Georg. Agricola lib. 3. de precio veterum monetarum, *Vngaricorum* 5090909. *duodenarios tres, duplum vnum, simplum vnum.*

10,4,14. *NE BABYL. INGREDERETVR*) Ex hac historia nata est apud Senec. Suasoria IV. vnde multa peti possunt huc facientia. Meminit & Appianus lib. 2. ciuilium.

VITAE PERICVLVM PORTENDERE) Quam rem variis etiam ominibus testatam ferunt. Inter quae Nicephor. Gregor. fin. lib. 10. scribit, *triremi confensa è capite excidisse regium capitis tegimentum circa medium flumen, quod vnus aliquis è nautis cito accepit natans, & id manu ferre simul & natare non potis, capiti suo imposuit,*

enatat.

enatauit, ad regem attulit. Rex ei, quia regium capitis decus seruarat, talentum dedit, sed quia capiti suo imposuerat, hominem capite mulctat. Sed Gregoras fabellam narrat nullo certo auctore, ait Cæs. Bulengerus. Imo Diodor. 17, 116. idem tradidit; & Arrian. 7, 3, 23. ab omnibus fere Alex. historiæ scriptoribus proditum innuit. Sed & *cum manibus* Babylonis *propinquasset, coruos inter se dimicantes, coram eo concidisse.* Plutarch. Alex. cap. CXXIV. & Zonaras narrat. Somnio quoque præmonitum ferunt, vt à Cassandro caueret; Valer. Max. 1, 7, 2. ext. vide. Valde suspicor ad hæc tempora pertinere, quod ex Nicandro refert Athenæus 15, 9. *apud Coos è statua Alexandri enatam fuisse, quam vocant Ambrosiam.* id enim significare videbatur ipsum dehinc vitam cum immortalibus acturum. Plura apud ordinarios auctores: quæ quia per se manifesta, raro monemus. Fabulam autem putamus, quæ de arboribus in India fatidicis, commentitia Alexandri epistola, aliique nugatores garriunt.

QVIBVS SPRETIS) Præcipue confirmatus à philosophis, isthæc eluantibus, & contemnenda iudicantibus. Diodor. 17, 112. Sic apud Marcellin. 23, 12. Hetrusci aruspices, qui leonem occisum Iuliani mortem portendere significabant; *callebantur philosophis refragantibus, quorum reuerenda tunc erat autoritas, errantium subinde, & in parum cognitis perseuerantium diu.*

10, 4, 15. *LEGATOS VNDIQVE)* Quod merito felicitatis argumentum esse Paschalius legati c. 86. affirmat, & aliquot exemplis illustrat. Ceterum Diodor. 17, 113. explicat causas harum legationum, vt & Arrian. 7, 3, 21. vbi etiam disquiritur, an & Romani in iis fuerint. Oros. 3, 20. (in quo & ridiculo mendo *Hispanus Maurinus*, pro *Hisp. & Maurus*) ex *plurima parte Italiæ* venisse tradit: Iustin. 12, 13, 1. *nonnullas quoque ex Italia.* Liu. 9, 18, 5. studio extollendi Romana temere videtur prolapsus vt diceret, *Alex. M. ne famæ quidem populo R. cognitum fuisse.* Quod tamen persuasit Viro Magno in notis ad Lampridium. Verum *ex iis qui de Alexandri rebus gestis scripserunt, Aristus & Asclepiades* legatorum Rom. expressam mentionem fecerunt apud Arrianum. Quibus addi potest Clitarchus apud Plin. 3, 5, 30. Hispanos quidem & Gallos Babylonem tum misisse, ait Hist. Miscella 7, 14. ex Orosii 6, 21, loco notabili: vbi cum Alexandri gloria comparat Augustum, itidem longinquis remotissimarum gentium legationibus aditi. Adde vitam Ludevvici Pii, ex Annal. Pithœi, pag. 366. Ceterum vt ex istis legationibus, ceteraque frequentia Babylonem tum confluentium immensas opes sibi comparauerit Antimenes Rhodius, apud Aristot. lib. 2. οἰκονομικῶν perscriptum habes.

VT CVNCTÆ GENTES) Hæc quoque ex Iustino ad verbum desumpta. Excipiuntur tamen Romani, multorum vindiciis. vtique vero Arabes quamquam vicini, quos ideo bello aggredi meditabatur, *quod soli ex omnibus gentibus legatos ad eum non misissent*, vt tradit Strabo lib. 16. post pr. & in fine, cum Arriano 7, 4, 6.

10, 4, 16. *LEGATOS OMNES)* Quos quo ordine audiuerit, enarrat Diodor. 17, 113. Athenæus 12, 9. tradit *in hortis ipsi statutum fuisse aureum solium, & lectos argenteis fultos pedibus, in quibus sedens cum amicis, legationibus responsa dabat.* Simile quoddam de ordine audiendi de Carolo Magno Siluius ex Blondo 2, 1. *Conuentum in Aquisgrano habuit, in quo ante omnes monachum audiuit, qui à Hierosolymorum patriarcha munuscula quædam attulerat: deinde Adzani Hostensis Hispaniarum vrbis præfecti nuncium, qui ipsam dedens vrbem, præfectum & Saracenos omnes illam inhabitantes Christianam fidem accepisse renunciauit. Tertio loco Danielem Michaëlis Siciliæ præfecti legatum &c.*

10, 4, 17. *CONVIVIVM)* Alexander Babylone sedem imperii collocare destinauerat, *videns eam & magnitudine, & rebus cæteris excellere*; vt ait Strabo lib. 15. Ibi

15. Ibi ergo dum esset, variis oblectamentis animum recreare, opumque magnitudinem ostentare ceperat. Prætereo *thronum aureum*, varieque gemmatum effigiatumque, in quo *titulus sequens & Græcis &* (nequid ad fidem deesset) *Latinis literis sculptus inhærebat:*

Ortus & Occasus, Aquilo mihi seruit & Auster.

quem ex historia fabulosa fabricauit Guido Bituricensis in libro exemplorum: versu scilicet effecto ad eum qui in Siculi regis Roberti gladio legebatur:

Apulus & Calaber, Siculus mihi seruit & Afer.

prætereo itidem eiusdem farinæ alia. Illud constat ex toto fere orbe varii generis artifices ad eum venisse, & ingentia munera promeruisse. Quo tempore & ridiculum illud accidisse puto, quod Maximus Tyrius narrat dissert. 19. Venisse Babylonem Ionem quendam qui *offulas paruas rotundasque quas in hunc vsum fecerat, tam certo ictu in mucronem acus ex distanti loco dirigebat, vt nunquam ab acie eius aberraret.* Ait venisse πρὸς τὸ μέγαν βασιλέα, *Ad magnum regem.* Id non de Persarum rege, sed Alexandro accipiendum apparebit ex Quintiliano 2, 20, 5. vbi itidem de hac μεγαυχίᾳ mentio habetur. Præcipue autem frequenter per eos dies conuiuatus est, *centum quotidie minas impendens*, vt apud Athenæum 4, 10. Ephippus scribit. Adde Athen. 12, 9. pag. 537. Tum & instituta *melomachia*, apud eundem 7, 1. Conuiuiis autem otium non esse terendum Imperatori, ostendit Facius in polit. Liuiana errore 33. Turpius autem illud fuit, quod *certamen* etiam & *præmium proposuit potandi meri.* Plutarch. cap. 119. Quod tamen apud eos quibus vtilis videtur fallacia Christianum vocari, hodieque non rarum esse, merito dolet Latherus de censu 1, 10, 41. Lege & Athenæi 10, 10. De Culeno Scotorum rege prodit etiam Boëthius lib. 11. *Ludos* eiusmodi *potatorios* instituisse.

THESSALVM MEDICVM) Lege *Thessalum Medium*, Μήδιον nomen erat homini; Thessalia patria. Indicauimus hunc errorem iam sup. 3, 13, 1. eoque in nomine locum Arriani emendauimus. Hausit hæc homo, quisquis fuit, ex Iustino 12, 13, 7. vbi mendum hoc pridem sustulit Leopard. emend. 17, 10. m. Larissæum autem fuisse, vt in Arriano correximus, etiam Strabo auctor est lib. 11. *Ab Armeno nomen habere Armeniam affirmant Cyrsilus Pharsalius, & Medius Larissæus, qui cum Alexandro militarunt.* Eum inprimis fuisse solitum cum Alex. compotare, Plutarch. de animi Tranquill. cap. 22. memorat, & de sanitate tuenda cap. 8. vbi itidem in quibusdam exemplaribus editur *Medicus.* Etiam Zonaras in hoc nomine corrigendus, qui Μηδίου vocat. Summum adulatorem fuisse testatur Plutarch. de adul. & amici discr. cap. 31. cum quo familiariter ceteroqui versatus, in vltima sibi valetudine tesseris quoque lusit. Idem de fort. Alex. 2, 14. Μήδειον appellat Athenæus 10, 9. vbi & conuiuium hoc describitur.

10, 4, 18. *HERCVLIS SCYPHO)* De quo plura Dempsterus in Rosini antiquit. 5, 30. ex variis auctoribus. Quibus adde Lipsium ad Senecæ epist. 83, 32. *Alexandrum intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit.* & Tiraquell. ad Alex. ab Alex. 3, 10. Athenæus 10, 9. tradit, poculum, quod vltimum ebibit Alexander, duos congios cepisse.

10, 4, 20. *PRÆGVSTATÆ POTIONI)* Sic apud Tacit. 13, 16, 3. *Innoxia adhuc [ac præcalida] & libata gustu potio, tradiuer Britannico: dein postquam seruore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum.*

10, 5, 2. *DIGNVM TALIBVS VIRIS REGEM?)* Intercerat sensus non omitti signum interrogationis, quod omnino addi debere certum ex Iustino 12, 15, 5. Ita apud Vell. Paterc. 2, 14, 3. Liuius Drusus *cum vltimum redderet spiritum, intuens circumstantium, mœrentiumque frequentiam, effudit voces, conuenientissimam conscientiæ*

scientiæ suæ: Ecquando, inquit, propinqui, amicique, similem mei ciuem habebit respublica? Sic apud Sueton. 99, 2. Augustus *amicos admissos percunctatus* legitur, *Ecquid iis videretur mimum vitæ commode transegisse?*

10, 5, 3. *INCREDIBILE DICTV)* Miratur & Valer. Max. 5, 1, 1. ext. *quanquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit. Quis autem illam osculari non curreret, quæ iam fato oppressa, maximi exercitus complexui, humanitate, quam spiritu vinidiore fuffecit?* Ceterum qui ad eum salutandum ingressi erant, transibant, aliaque ianua egrediebantur. Lucianus Pseudomant. *Eraique è regione ianuæ patefactum aliud ostium ad exeundum: cuiusmodi ægrotante Alexandro Macedonas in Babylone feciße ferunt: cum illi grauissime affectum ipsum obsessa regia intueri, & supremum alloqui cuperent.*

10, 5, 4. *DETRACTVM ANNVLVM DIGITO)* Consentit Lucian. in dial. Diogenis & Alexandri: Dexippus apud Eusebium: Iustinus, & reliqui. Probus in Eumene: *Alexander morienx anulum suum dederat Perdiccæ, ex quo omnes coniecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi eius in suam tutelam peruenissent.* Ex hoc actu, & aliis exemplis obseruat Kirchman. in Cancellario 4, 2, 6. priscos principes sigilli sui custodes ipsos fuisse. Hereditatis autem transmissæ indicium id habitum, ex Valer. Max. 7, 8, 5. 8. & 9. Casaubonus ad Sueton. Aug. 94, 18. tradit, putatque id causse fuisse, cur Tiberio morienti Caius annulum adimeret, apud Sueton. 73, 4. Quod nec analogia priuati iuris caret, vt scilicet ita videretur totius patrimonii ius traditum, quomodo *clauibus traditis mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur* l. 74. de contrah. empt. Ergo Alexandri exemplo Masinissa Micipsæ maximo natu filiorum, Supplem. Liu. 15, 18. & Augustus vndecimo consulatu ægrotans, *Agrippæ anulum porrexit*, apud Zonaram. Vide Kirchmann. de annul. cap. 22. apud Saracenos idem obtinuit: vnde *annulus chalifatus* legitur apud Elmacin. 2, 7. in cæde Alamini. idque *signum esse principatus apud Agarenos*, ait Constant. Porphyrog. de administr. Imp. c. 21. Sane vetustissimis temporibus, quem loco sibi proximo viuentes etiam esse Reges volebant, ei dabant annulum digito suo detractum, vt de Pharaone legimus Genes. 41, 42. de Ahasuero 8, 2. Et hæc quidem est communi scriptorum calculo tradita narratio. Testamenti tamen mentionem nonnulli faciunt: agnoscitque Marcellin. 23, 17. *testamento nationem omnem in successoris ritus iura translatam.* idque Rhodi depositum fuisse tradit Diodor. 20, 82. & ex eo diuisionem prouinciarum factam, Excerpta Chronologica Latinobarbara adiuncta Eusebio pag. 58. & 64. Quomodo alia quoque regna testamento translata scimus. Vide Tholos. de Rep. 7, 12. Sed ex hagiographis Machab. 1, 1, 7 *diuisisse regnum suum* dicit, *cum adhuc viueret.* Ceterum hunc Perdiccam cum alio nominis eiusdem Macedoniæ rege, mire confundit Iornandes de reb. Geticis c. 10. *aduersus Perdiccam Macedoniæ regem, quem Alexander, apud Babyloniam ministri insidiis petens interitum, Athenienſium principatui hereditario iure reliquerat successorem.* Testamentum autem ab Alexandro factum negant & hæc Lucani 10, 43.

Qui secum inuidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium; nulloque herede relicto
Totius fati, lacerandas præbuit vrbes. Inf. 10, 10, 5.

10, 5, 5. *QVI ESSET OPTIMVS)* *Non volebat dicere, se heredem constituere, qui maxime dignus imperio foret: sed regnum suum fore in potestate occupantis, fortioris scilicet.* Nicol. Loënsis Miscell. Ephil. 5, 18. vbi ostendit *optimum* esse ἀφαιρετον. Diodoro 17, 117. & 18, 1. qui nempe bello sit optimus: male autem *dignissimum* reddidisse Iustinum 12, 15, 8. Vbi Soceri mei notam vide. Loccenius ait omnes istas voces

ces eodem recidere, nec sane multum interest: nisi quod interpretatione sua Iustinus ostendit se verum eius vocis sensum non percepisse.

10, 5, 6. *EXSTINGVITVR)* Dum duodecim annos regnasset, vt docent oracula sacra Machab. 1, 1, 8. S. Hieronymus ad XI. Daniel. Tertullian. contra Iudæos cap. 8. non plures numerant, nec mensem addunt. Addit annis XII. Sicul. 17, 117. menses septem. item Olympiadum descriptio in Olymp. 114. anno primo. Lampрid. in Alexandro cap. 5. [vbi Casaubonus] eo die decessisse ait, quo Alexander Seuerus est natus. Io. Georg. Hervvartus signat ex Lampridio Cal. Octobris, quas Lampridius non expressit. Arrian. 7, 5, 17. vitæ annos XXXII. menses VIII. regni an. XII. menses VIII. tribuit. Probus in Eumene. Liu. 9, 19, 10. & 45, 9, 3. annos XIII. Cic. Philipp. 5, 17. vitæ annos XXXIII. assignat. quibus Iustin. 12, 16, 1. mensem addit. Eusebius XXXII. dat ætati, duodecim imperio. Clemens Alexandrin. lib. 1. XVIII. (XII) Nicephorus Constantinop. dat illi annos vitæ XXXV. vel XXXVI. quod omnino falsum est, inquit Andr. Schottus. Habet tamen suffragatorem Taricium Mircondum in Persicis, qui: *Vixit triginta sex annis, regnauit septendecim.* Chronic. Alexandrinum XXXII. annos vitæ duntaxat dedit. [Item Hieronym. in Daniel. cap. 8. & 11.] Noster Salianus ostendit Alexandrum obiisse anno Mundi 3730. Sextæ ætatis 214. Anno imperii Asiæ 7. regni 13. Iaddi pontificis vltimo, Olymp. CXVI. Anno I. Archonte Hegesia, Vrbis Cond. 429. Dictatore L. Papyrio Cursore, Mag. Eq. Q. Fabio Max. Rutiliano, & mox L. Papyrio Crasso sine Coll. Ante Christum natum 323. Cui velut exactissimo Chronologo libenter subscribimus, præsertim cum sententiam multis rationibus & testibus confirmet. Raderus. Agell. 17, 21. Alexandri regnum includit annis vndecim. Porphyrius apud Euseb. duodecim. cum quo consentit supputatio Clementis in 1. Stromatum, & Hieron. ad cap. 11. Danielis. Buntingus computat *vixisse præcise annos 32. menses 10. & dies 22. mortuum 9. die Iunij, si annos Iulianos retro cogitemus, die Saturni. Anno Mundi 3646. ab Vrbe Cond.* 430. Funccius & Chytræus obitum eius ponunt ad an. V.C. 428. Bucholcerus & Beroaldus ad an. 429. adsentiente Censorino cap. 21. Sleidanus de quatuor monarch. 409. Nicephori Patriarchæ Chronographia tribuit illi ætatis annos 35. aut secundum alios 36. imperii 18. Plutarch. Sympos. 8, 1. refert eodem die excessisse, quo & Diogenem: quod itidem narrans Laërtius, subjicit: *Erat autem senex Olympiade* CXIII. Ridicule. quid enim hoc ad rem? Sed fefellit interpretem scripturæ vitium ἢν ὁ γέρων καπὶ τῶν τρίτων &c. Ὀλυμπιάδα. cum legendum sit ἢν τοιαῦτα. Nempe reperto Alexandri & Diogenis obitum in vnam diem incidisse, ex notiori casu tempus ignotioris quoque reperit. Idem notarunt Ὀλυμπιάδων Ἀναγραφή, & Suidas Διογένης; vt tamen in tempore non omnino consentiant. Ait Bizarus hist. Pers. lib. 2. à veteribus memoriæ proditum, illum, qua die in lucem editus fuit, eadem vita functum esse. docet deinceps eam fuisse VI. Thargelionis: extinctum fuisse 4. Cal. Quintiles. quod etiam notat Reusner. in diario historico. Adde Ælian. hist. var. 2, 25. Reliqua petiisse videtur Bizarus ex Chronolog. Mercatoris, vbi vide. Scalig. de emend. temp. lib. 1. constanter affirmat decessisse Alexandrum feria quinta XXV. Iulii. Ceterum *inter omnes* (certe præcipuos) *constat anno vitæ trigesimo tertio eum obiisse.* Salmasius ad Solin. c. 40. ex Iosephi lib. 1. aduersus Appion. Non igitur immerito Scalig. ad Euseb. MMCCLXII. dicit *diem obitus Alexandri doctis ignotum*; cum in tot sententias diuersi abeant: ex quibus eligat quiuis quam maxime probandam putet. Certum est, vt apud Tac. 2, 73, 2. dicitur, obiisse *haud multum triginta annos egressum*: ob quam rem inter alias, ibi comparatur Germanico. Sed & patrum memoria multi egregii principes, vt est nunc sæculi captus, intra id spatium expirauerunt. Continuat. Sleidani l. 32. vide. Mihi inanem rerum humanarum pom-

pam, & fugaciſſimæ felicitatis breuem vmbram conſideranti, valde nunc animo obuerſantur illa Chryſoſtomi εἰς τ̀ εὐαγγελισμὸν τῆς ἁγίας, λογ. τ. Οὐδεὶς βασιλέων ὑπῆρξεν ἀθάνατος, οὐδὲ τὸ κοινὸν πάλαι ἐξέφυγε, πάντας μεθίησι θάνατος, ὡς διαπόντης· πάντας λοιμὸς ἔσβεσεν οἱ σπάλαθρες. οὐδεὶς βασιλέων τ̀ θ ἕδρα πυλῶνα διέφυγε. πάντας κοινὸς, πάντας ὁ πάροδος φθάνει. οὐδεὶς οἰκίαν ὑπερῴκησε δίκτυα, οὐδεὶς πὰς οἰκίαν παγίδας ἐξέφυγεν.

10,5,10. *INVIDIA DEVM*) Vide Gruterum ad iſta Liuii 10,13,6. *Fortunam ipſam vereri, ne cui deorum nimia iam in ſe & conſtantior, quam velint humanæ res, videatur.*

10,5,12. *CERNEBANT*) Habeo pro gloſſemate: quo genere iniuriæ præ ceteris contaminatus eſt Curtius.

SINE HEREDE REGNI) Suffecerat hoc, aut illud, *ſine certo regis herede*. Certe vtrumque coniunxiſſe non videtur Curtius. Certos autem liberos Alexandro non fuiſſe (ex iuſto nimirum & irreprehenſibili matrimonio) ex iis quæ dicuntur apud Auctorem 10,6. conſtat, & inſinuat Tacit. 2,73,3. Germanicum eo quoque anteponendo, quod *vno matrimonio, certis liberis egerit*. Eſſe autem inprimis magnum imperii munimentum, ſi ſucceſſor certus ſit, omnes norunt. Vnde Eliſabetham grauatim de herede regni agi ferentem, donec exorarent ſtatus regni Britannici, vt ſucceſſorem declararet, non deſtiterunt. Vide Cambdenum, & Sauilium in dedicat. Chryſoſtomi.

10,5,15. *CERTIORA VISURI*) Forte *certamina*. Sebiſius. Non aſſentior. proſpectabant tanquam viſuri audituue certiora de morte regis, quam, vt ſolet in eiuſmodi affectibus, quia non putauerant tam cito adfuturam, iam etiam cum adueniſſet, vix poterant credere.

10,5,17. *COMIS DETONSIS*) De hoc more Briſſon. de regno Perſ. lib. 3. Alexander ab Alex. 3,7. & ibi Tiraquellus, Pontan. pr. Annotat. ad Progymnaſma LVIII. lib. IV. Vide inprimis Kirchman. de funer. Rom. qui omnem iſtum apparatum lugubrem fuſe exponit. & quæ obſeruat Gronouius ad Statium Sylu. c. 54. In ſacris quoque literis eius moris exempla & veſtigia ſunt, Iobi 1,20. & Eſaiæ 15,2. Conferluctum ob mortem Germanici in Sueton. Calig. 5,3.

ASSVETI SVB REGE VIV.) Inde *ſuetus regibus oriens* apud Tacit. H. 4,17,7. Plutarch. Anton. c. 13. Orientales vocat *homines ſeruire aſſuetos, & regnari quærentes*. Vide Flor. 2,20,4. e.

10,5,20. *ALTERA EX NEPTIBVS*) Arrian. 7,1,19. hanc vocat *Drypetin*.

10,5,23. *OCHO SÆVISSIMO*) Ochus cognomento Artaxerxes *ſæuitia & atrocitate*, vt Plut. in vita c. 49. ait, *omnes ſuperauit*; qui *regiam cognatorum cæde & ſtrage principum repleuit*. Iuſtin. 10,3,1. Ocham ſororem, atque eandem ſocrum viuam capite defodit, & patruum cum centum & amplius filiis ac nepotibus eodem die interemit. Vide Val. Max. 9,2,6. ext. Ælian. hiſt. var. 6,8. Athenæum 4,10. & Diodor. 16. Popma. Vide & Reineccium tom. 2.

VNVM SVPERESSE) Oxathrem ſcilicet, inter amicos ab Alexandro receptum. Loccenius.

10,5,24. *ACCIDENTIS*) Hoc eſt procidentes ad genua eius, exorandi ſcilicet cauſſa, vt ipſorum miſerta cibum caperet. Vulgo *adſidentes*, male. correximus ex Mss. excerptis.

QVINTO DIE) Vulgo ſeptimus inediæ dies, vt criticus, habetur Ietalis. Macrob. in Somn. Scipionis 1,6. *Hoc obſeruatum eſt, quod ſine hauſtu ſpiritus vltra horas ſeptem, ſine cibo vltra totidem dies vita non durat.* Cteſias tamen in Perſicis tradit Oebaram *decem dierum inedia ſe confeciſſe*.

10,5,27. *FORTITVDO*) Tot exemplis hactenus relatis teſtata. Non tamen omittimus memorabile hominis apophthegma, quod vim eius animumque penitus aperit, ab Auſonio in gratiarum actione relatum: *Quum legiſſet illos Homericos verſus, quibus, Hectore prouocante, è nauem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, vnum deligi placeret, ſortis euentus; trepida vbi conceptione votorum Iouem Opt. Max. totus precatur exercitus, vt Aiacem, vel Tydei filium, aut ipſum regem ditium Mycenarum ſorturi patiatur Agamemnonem: Occiderem, inquit, illum, qui me certiorem nominaſſet.* Iure igitur eum introducit Lucianus in dial. mortuor. *omnibus in re militari ſe præſtantiorem* affirmantem, & Sabellicus in exemplis 1,5. omnibus haud dubie præponit. Sunt tamen qui alios æquent aut anteponant: de quibus in proluſionibus dixit Raderus: & nos eramus dicturi, ſi tempus aut locus pateretur.

QVORVM HÆC SOLA VIRTVS VVIT) An huc reſpexit Vir Eximius, qui Iacobo Britanniæ Regi dedicauit Chryſoſtomum: *In reliquis artibus ita excellis, vt quas ſingulas ij, qui illis artibus præſunt, tenent ſinguli, eas tu teneas vnus vniuerſas.* Hieronym. Epiſt. 2,22. *Ita in ſingulis virtutibus eminebat, quaſi ceteras non haberet.*

10,5,28. *LIBERALITAS*) Cuius teſtes Laërtius in Xenocrate: Fulgoſ. 4,8,1. cap. *de liberalitate*, cuius principatum Alexandro tribuit: Plutarch. apophth. c. 37. Phocione cap. 120. Alex. c. 70. & de fort. 1,14. 2,1. & 4. continuator Sleidani lib. 16. (ſtudioſorum enim vtilitati inſeruiens, nouos etiam auctores nominare non faſtidio; vt qui delectum librorum habere non poteſt, vtatur eo cuius copia offertur; præſertim vbi ſimilia exempla congeruntur. quæ tamen eo loco leguntur, deprompta ſcias ex Camerar. ſubciſiu. 1,4. & 2,55.) Ælian. hiſt. var. 1,25. Marcellin. 25,14. Imp. Iulianus id aliquoties prædicauit, *Alexandrum Magnum vbi haberet theſauros interrogatum, apud amicos, beneuole reſpondiſſe*. Dictum id alludere videtur Martialis 5,43. vbi Raderum vide. & Piccardus decade 14,6. obſeruat. Cœlius 7,28. & 13,33. Sextus Empiric. contra Mathemat. c. 17. Valer. Max. 4,3,3. & 4. ext. Sen. de benef. 2,16. Guido Bituric. in exemplis: Schönborn. polit. 2,33. Patric. de regno 7,11. aliique paſſim. Quæ fama pellexit ſophiſtam illum quem Agell. 17,21. explodit, vt liberalitatem à neſcio quo in Carneadem collatam, non ab alio quam Alexandro profectam crederet. Quare memoria labi Raderum ad Martial. 6,10. putem, vbi ait Alexandrum mendico ſtipem negaſſe; ei tribuens, quod Antigono Senec. de benef. 2,17,1. Vix enim reperias Alexandrum quicquam cuiquam denegaſſe, qui dignus beneficio videretur. Cum igitur ſuæ magnanimitatis hunc fructum tulerit Alexander, vt etiam ab illis ad quos ex eius liberalitate nihil peruenit, tantis feratur laudibus; merito noſtræ etiam Muſæ deprædicandis eorum virtutibus gaudent, quorum beneficia ſenſimus.

CLEMENTIA IN DEVICTOS) Alioſque: vt inſigne exemplum eſt apud Marcellin. 14,38. Sed de deuictis Oſimenſis Epiſc. ad Carolum V. verbis Guicciardini hiſt. lib. 16. *Alexandri Magni & Iulij Cæſaris nomen clarius fecit animi illa magnitudo, qua hoſtibus veniam dederunt, victis regna reſtituerunt; quam tot victoriæ, totque tropæa.*

10,5,29. *GLORIÆ CVPIDO*) De qua Val. Max. 8,14,2. ext. Lucian. citato loco ſupra in ſcriptor. hiſt. Alexandr. voce *Oneſicritus*. Simocatta 4,13. Dio Chryſoſt. orat. 4. Philo lib. 2. de Cherubim: Sen. Suaſor. I. Philoſtrat. 2,4. Maxim. Tyr. diſſertat. 19. Qua de cauſſa optauit ſibi plures mundos, quos ſubigeret. quo ſorte tralii poſſit Sen. de benef. 7,2. & epiſt. 91,23. Vide Glycam: Ælian. hiſt. var. 4,29. Plutarch.

arch. de animi tranquill. c. 6. & Cedrenum. Quam eius cupiditatem merito miratur Augustus apud Plutarch. apophth. cap. 46.

10,5,30. *OLYMPIADA*) Quam charissimam ipsi fuisse, præter alia docet Curtius 3, 6, 15. vbi medicus eius nomine sæpius ingesto, vitales ægroti spiritus excitat. quomodo & Fabianus apud Sen. Suasor. I. idoneum locum censet, vnde argumentum dissuadendi, ne Oceano se credat, sumatur: *Memento Alexander, matrem in orbe victo adhuc magis, quam pacato relinquis.* Item Cestius ibidem. Eius igitur caussa etiam cum patre simultates exercuit. Arrian. 3, 1, 24. omniaque deinceps illius impotenter facta tulit; quanquam sentiret esse prægrauia. Idem 7, 3, 33.

PHILIPPVM VLTVS) Quæ tamen vltio non tam ex pietate profecta creditur, quam ad suspicionem (nam ipse paternæ necis particeps habebatur) diluendam: vel etiam ne cuiquam regem occidisse impune foret. Quod inprimis regibus esse cordi prudenter monuisse Sigismundum Imp. viduam quandam Hungaram, in cuius arce conspiratione procerum nonnullorum captiuus detinebatur, scribit Æn. Syluius de dictis Alphonsi lib. 3. Vide & sup. ad 5, 13, 28.

10,5,31. *IN AMICOS BENIGNITAS*) Hephæstion apud Photium Cod. CXC. *de Alexandro rege commemorat, dum Ephesi Palamedem per dolum occisum in tabula spectaret, turbatum animo fuisse, quod illi per fraudem interempto similis esset Aristonicus Alexandri in pilæ lusu socius. Tanta nimirum erat Alexandri animi mansuetudo, tantumque amicorum studium.* Osculandi eius ius amicis fuisse, etiam cum deus credi vellet, constat ex Arriano 4, 2, 28. & aliis.

10,5,32. *VENERIS*) De coniugibus, sed & concubinis Alexandri, vide Reineccium. *Ad insaniam amore puerorum exarsisse* tradit Athen. lib. 13. pag. 603. Cuius rei vestigia passim in Curtio quoque. Magis igitur merito laudem hanc Germanico tribuere videtur Tacit. 2, 73, 3. Alexandro hac in parte similis fuisse fertur amator eius atque æmulus Turcorum Imp. Selynes: qui apud Tuberonem lib. 10. hist. extremo, *fertur in libidinem masculorum paulo propensior fuisse. Aly nulla eum nisi ex permisso voluptate vsum affirmant.*

INGENTES DOTES) Scribendum *ingenij dotes*, prolixe ostendit, me plane assentiente, Acidal.

10,5,33. *ILLA FORTVNÆ*) Quæ *plerumque suam naturam corrumpit*, sup. 3, 2, 17. Tacit H. 1, 15, 5. *felicitate corrumpimur.* Liuium 9, 18, 1. de hoc ipso Alex. confer. Adde Plutarch. Eumenc.

DIIS ÆQVARE SE) Quapropter Mandanim ex Indicis philosophis *Alexandri nuncij ad Iouis filium vocabant* apud Strabon. lib. 15. sed ille nec paruit, & negauit esse filium Iouis. Eadem de caussa vituperatur à Dione Chrysost. orat. 64. sed prolixius ea de re supra tractatum.

COELESTES HONORES ACCERSERE) Schragius, cuius opera Manuscriptorum Codd. excerpta optima nactos nos esse, supra prædicauimus, adnotauerat hic illa Suetonii de Caligula 22, 5. *diuinam maiestatem asserere sibi cœpit.* Credo quod hoc etiam loco substitutum hoc verbum vellet pro *accersere*. non aduersor.

QVAS ANTE VICTORIAM) De moribus loquitur. *quos* ergo scribendum.

10,5,34. *IRACVNDIAM*) Quam vt dissuaserit Aristoteles, Ælian. hist. var. 12, 54. memorat. De ira cohibenda libri sunt Senecæ & Plutarchi. Collegit nonnulla Cælius Rhod. 23, 20. &c.

CVPIDINEM VINI) *De Alexandri bibacitate* vide Plut. Sympos. 6, 1. Dion. Chrysost. orat. 64. Iulian. in Cæsar. Athenæum 10, 10. Ælian. hist. var. 2, 41.

Liu.

Liu. 9, 18, 4. Lamprid. in Alex. c. 30. Plin. 14, 5. Camerar. subcisiu. 1, 94. Ex quibus apparet recte sentire Cœlium Rhodiginum, qui contra Arrian. 7, 5, 23. Alexandri ebrietatem excusantem disputat Lect. Antiqu. 22, 20. quem & vide 29, 17. 9, 11. & 28, 30.

10,5,35. *PLVS DEBVISSE FORTVNÆ*) Pausan. in Corinth. ait, id vnum ex sententia non cessisse, quod Mimantem fodere non potuit. Vnde Nicetas in Balduino: *Ne Alexandro quidem ferunt omnia successisse ex sententia.* Verum auctori subscribit Gentilis de arm. Rom. 2, 12. vbi exactissime quæstionem hanc pertractat. Contra Plutarch. duabus orat. de fortuna Alexandri pertendit, virtutem in eo priorem fuisse, quam ei laudem elegantissimis his verbis vindicat & Apuleius lib. 1. Florid. *Solus à condito æuo, quantum hominum memoria extat, inexuperabili imperio orbis auctus fortuna sua maior fuit: successusque eius amplissimos & prouocauit vt strenuus, & æquiparauit vt meritus, & superauit vt melior: solusque sine æmulo clarus adeo vt nemo eius audeat vel sperare virtutem, vel optare fortunam.* Qui locupletem insuper testem habent Demosthenem epist. 1. de concordia: *Si quis Alexandrum eo fortunatum putat, quod ei prospere successerunt omnia: is illud reputet, eum agendo & laborando, & audendo, non desidendo fuisse fortunatum.* Inuidenda laus Syllæ apud Sallust. Iug. 95, 5. *felicissimo omnium ante ciuilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit.* Ceterum neque virtutem sine fortuna magnopere proficere; neque fortunam sine virtute certo fundamento niti, supra ad 8, 10, 18. monuimus.

SOLVS OMNIVM) Immo apud Vellei 2, 35, 3. Cato *semper fortunam in sua potestate habuit.* Sed longe diuerso modo. Alexandro solebat euenire, quod malebat; Cato malebat, quod euenerat.

10,5,36. *VITÆ FINEM EVNDEM*) Quam felicitatem obtigisse Selyni Turcorum Tyranno tradit Tubero fine lib. 10. histor. verbis Liuianis, quæ sup. ad num. 31. retulimus.

10,5,37. *QVAM VT VNVS*) De imperio Rom. Tiberius apud Tacit. 1, 11, 2. *Solam Augusti mentem tantæ molis capacem &c. Quam difficile sit imperatorem in locum boni principis legere*, ostendit dignus notatu locus in Vopisci Aureliano c. 40.

ETIAM MINIMÆ PARTI) Plutarch. de fort. Alex. 2, 12. *Demetrius, cui Alexandreæ potentiæ parvam Fortuna portiunculam contulerat, passus est se Catæbatem (Iouem Elicium* reddit Turneb. aduers. 9, 9.) *tanquam deum qui in terras descendisset appellari &c.* Vide eundem in Demetrio c. 20.

10,6,1. *CETERVM BABYLONE*) His quæ postea narrantur, ingens haud dubie lumen accederent, decem libri quos de rebus post Alexandrum gestis Arrianus, aut quatuor quos Dexippus conscripsit. Iuuant sic quoque nonnihil à Phothio inde excerpta, quem vide Cod. XXCII. & XCII.

10,6,4. *DIADEMA*) Quod primus Macedonum vsurpauit, si vere Iustin. 12, 3, 8. Postea duces quoque eius, sumpto regio nomine, vsurparunt. de qua re Plutarch. in Demetrio cap. 20. De Persis vide Brisson. lib. 1. de Regno Pers. pag. 7.

10,6,6. *ACCOMMODASSE REBVS HVMANIS*) Quemadmodum vates de Catone

Tertius è cœlo cecidit Cato - - -

Et de I. Cæsare Pelignus olor. Ouid. Metamorph. 15, 816.

Hic sua complenit, pro quo Cytherea laborat,
Tempora, perfectis quos terris debuit annis,
Vt deus accedat cœlo, templisque colatur. Raderus. Eodem tendit illud Virgilii de Marcello, Æn. 6, 869.

Ostend-

Ostendent terris hunc tantum fata - - - & vsitata acclamatio: *Serus in cœlum redeas - - - -* Horat. Carm. 1, 2, 45.

10, 6, 7. *AB IMMORTALITATE SVBDVCITVR)* Fateor me non intelligere hoc ænigma: nisi quod de corpore capiendum autumo. eum sensum rectius efficias ita, *quod semper immortalitati subducitur*, quia nempe mors & sepulchrum istud sibi vindicat. Sciebant enim etiam eos qui pro diis tum colebantur, fuisse mortuos.

10, 6, 8. *CORPVS SINE SPIRITV)* Maximus serm. 9. *Epaminondas cum magnum & pulchrum videret exercitum sine duce; Quanta, inquit, bellua, caput nullum habes.* Vide Polit. Lipsii 5, 14. & inprimis alibi citatum Gruteri discursum in Tacitum. Scitum illud siue Demadis, siue Leosthenis dictum, nam vtrique tribuit Plutarch. in apophth. cap. 42. & de fort. Alex. 2, 9. de hoc Macedonum exercitu, similem esse Cyclopi excæcato.

10, 6, 9. *ROXANE PRÆGNANS)* Consentit his Plutarch. c. 130. Iustin. 12, 15, 9. quæ mox peperit filium, cuius nomen quærit Lambinus ad Probi Eumenem nota 108. putatque ex Probi Phocione conjici posse, Philippum fuisse appellatum; Trogo autem Herculem nominari. At Herculem Iustin. 11, 10, 3. ex Barsine filium Alexandri facit: quod agnoscit ipse Lambin. ex Diod. 20, 20. ad illum Probi locum in Phocione nota 42. vbi verba auctoris: *causam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem iussus est dicere*, mauult accipere de Philippo Alexandri, vt ei videtur filio, quam de Aridæo Philippo Alexandri fratre: ad quem tamen haud dubie pertinent. Verum autem nomen filio Roxanes fuit Alexander, quod certum est ex Pausaniæ Atticis & Bœoticis, item Dexippo apud Photium & Eusebium. Adde Porphyrium mox ad 10, 6, 11. Diod. 19, 115.

A QVIBVS REGI VELITIS) Infantibus enim & pueris regibus tutores & curatores dantur etiam inuitis, quod pluribus IC. auctoritatibus multisque ex antiquitate exemplis prolixe ostendit Tiraquellus de iure primogeniorum 40, 207. &c.

10, 6, 10. *TVM NEARCHVS)* Operæ precium est conferre deliberationem à proceribus Hungariæ institutam post excessum Alberti regis, à P. Callimacho eleganter perscriptam, ab initio rerum à Wladislao gestarum: vnde pauca maxime huc pertinentia excerpam. *Et primo quidem nihil exaudiebatur, præter voces felicem faustumque partum reginæ ominantium, asserentiumque minime prius de nouo rege referendum, quam illa peperisset &c. Valuisseque publicus fauor &c. si Ioan. Huniadianus &c. vrgentium periculorum non admonuisset &c. Præterea in partu reginæ, etiam vt votis omnium correspondisset, dum puer coalesceret, parum momenti fore constabat, ad regni curam, & tutelam, quum interim virorum animi muliebre regimen asperarentur, propter imbecillitatem* (impotentiam videtur voluisse dicere) *plerumque illi insitam sexui: &, si curatores postumo assignarentur, intelligebant regium fastum, regiasque cupiditates in paulo ante paribus conditione vel perferre, vel explere durissimum fore.*

10, 6, 11. *E BARSINE FILIVM)* Is Hercules dictus. Iustin. 12, 15, 9. quem postea Cassander occidi iussit. Iustin. 15, 2, 3. Diodor. 20, 28. Pausan. in Bœoticis. Corrigendus in eius mulieris nomine Porphyrius apud Eusceb. in regno Macedonico: Καπέλπη ὁ Ἀλέξανδρος παῖδας, Ἡρακλέαν ὃν Μαρσύης τῆς Φαρναβάζου, Ἀλεξανδρόν τε ὃν Ῥωξάνης τῆς ἐξυάρτου τοῦ Βάκτρων βασιλέως. scribe ὃν Βαρσίνης, quam hic Pharnabazi filiam facit, Plutarch. c. 36. & Eumene cap. 2. Artabazi, Arrian. 7, 1, 18. Darii regis. Sed in nomine consentiunt.

10, 6, 14. *CVR PERSAS VICERIMVS)* Acutius foret omittere particulam interrogantem: aut si tenere malis, rescribere *vicimus*, extrita è medio syllaba

syllaba quæ temere inculcata fuit, vt solet, & in Liuio 45, 22, 5. factum: *nec tam exitu eorum* (bellorum) *quod vindicatis, quam principiis, quod non sine caussa suscipiatis, gloriamini.* scribendum enim, *quod vincatis.*

10, 6, 15. *SEDE ALEXANDRI)* Si noster ex fide hæc narrat, hinc stratagema suum desumpsit Eumenes, cuius hominem prudentissimum, ipsum architectum fuisse libens credebam: vt nempe ab Argyraspidibus receptus, cum satis sciret haud in longum dicto audientes sibi habiturum, nisi arte exprimeret obsequium, quod auctoritate non poterat; in castris suis aureum solium cum diademate & sceptro, armisque quibus Alexander solebat vti collocari iuberet, iuxta quod de communibus rebus consilia capientes, non ab Eumene, sed Alexandro regi sibi viderentur. Vide Diodor. 18, 60. Probum & Plutarch. in Eumene cap. 23. & Polyænum 4, 8, 2.

10, 6, 18. *PERVICACIVS OBLATVROS)* Talis accismus Augusti apud Tacit. 1, 3, 3. qui nepotes suos *principes iuuentutis appellari, designare consules, specie recusantis flagrantissime cupiuerat.* Eodem etiam libro Tiberii dissimulata cupiditas traditur. Ibidem 3, 35, 3. Blæsus procos. Africæ nominatus *respondit specie recusantis &c.*

10, 6, 20. *HOMINES NON FERENT)* Suspectum hoc mihi: neque dum istud plane probo: *in istius humeros ruat hominis: certe non ferent.* Acidalius. Ego nihil mutandum arbitror, nec eneruandam vim violentissimi sensus, Perdiccam regnare prohibeant dii, & prohibebunt vt auguror. quidquid autem illis tandem decretum sit, id certo mihi constat, homines non passuros. nec iam loquor de nobilioribus quam Perdicca est, quorum quidem maxime refert obuiam iri conatibus hominis; sed omnino de aliis cuiuscunque conditionis Alexandri commilitonibus: modo viri sint, animosque mares habeant. Ego quidem meique similes, qui seruitio mortem anteponimus, compertum habemus, viros fortes nihil inuitos perpeti, nec posse cogi, vt quod nolint faciant. Hic illorum verborum sensus est haud dubius.

DE NOBILIORIBVS) Quorum vt dixi maxime interest, vilioribus non subjici. Tendunt eo verba Augusti apud Sen. de clementia 1, 9, 11. ad Cinnam: *Cedo, si spes tuas solus impedio. Paullusne te, & Fabius Maximus, & Cossi, & Seruilii ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina præferentium, sed eorum qui imaginibus suis decori sunt?* Sed quinam amicorum Alexandri nobiliores Perdicca? erat enim *stirpe regia genitus*, vt patet ex 10, 7, 8. Sed Leonnatus ibidem itidem; & forte proximiori gradu Alexandrum hic contigerit. Aridæus autem Alexandri frater erat, Ptolemæus consobrinus. Quin & Neoptolemus Alexandri auunculus adhuc supererat, de quo Arrian. fine lib. 2. cuius nullam à Curtio mentionem fieri miror.

10, 7, 2. *ARIDÆVS PHILIPPO GENITVS)* Ex Philinna Larissæa: quam Ptolemæus apud Athenæum 13, 5. saltatricem fuisse refert; at Iustin. 13, 2, 11. 13, 3, 1. Larissæum scortum. Ex Pompa. Adde Plutarch. c. 136.

NVNC SOLVS HERES) Nam Barsines filius Hercules, velut captiuæ, negligebatur. Raderus. Non modo velut captiuæ, nam & Roxane captiua fuit, sup. 8, 5, 29. & 10, 3, 12. sed quia Barsinen iustæ vxoris loco non habuerat. Porro militis istius, quisquis ille fuit, sententiæ velut data opera contradicit Themistius orat. 12. *Alexandro apud Babylonem defuncto, Macedones successorem nullum idoneum repererunt: sed Ptolemæo Lagi filio Aridæum stolidum prætulerunt, tanquam pecunias mortui fratris loco, superstiti persoluerent, non imperium conferrent, cuius hæres ille minus est, qui illud conseruare, ac tueri nouerit.* Quæ sequuntur in Curtio: *præteritur à nobis*, in memoriam reuocant ista Taciti 3, 18, 6. *Mihi quanto plura recentium, seu veterum reuoluo, tanto magis ludibria mortalium cunctis in negotiis obuersantur. quippe fama, spe, veneratione*

Potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat. Etiam prouidentiæ id tribuit Sen. de benef. 4, 31, 1. *Interdum solemus dicere: Quid sibi voluit prouidentia, quæ Aridæum regno imposuit? Illi putas hoc datum? patri eius datum est, & fratri.*

10, 7, 5. *IMPENSA PROBRA*) Malim *intensa*, hoc est, intenta. Quæ Pithon oblique iecerat, eo tendebant vt Aridæum probris & contumeliis exagitaret, inuisumque popularibus redderet: verum id contra euenit. Signum defectus, quod hic notarant, *quæ* * *magis ipsi*, sustuli: nihil enim deest.

DVM MISERENTVR) Solet hoc fieri, & plerumque perperam. Est enim etiam misericordia affectus, vt reliqui cæcus & improuidus, & in deteriora ferri pronus, quoties ratione non regitur. Vide Sen. de Clement. 2, 4. Ergo & in sacris interdicitur Deuter. 19, 13. & 21. Fauorem autem ex commiseratione nasci solere certum est. quo intuitu sic emendandum putabam in Tacit. 14, 58, 5. *magni nominis miseratione reperturum bonos &c.* quo loco DEO volente plura. Interim Iustin. 37, 2, 3. & ibi citatos vide.

10, 7, 10. *SVFFRAGARI REIP.*) Locus sane difficilis: quem sic restituere conatus Acidalius: *Suffragari reip. de nouo rege paulo ante recepto robur ætatis: experiretur modo stirpem Philippi, & filium ac fratrem regum duorum: sibimet ipsis potissimum crederent.* quod quidem in textum recepit Raderus. Prætulerim tamen Sebisii coniecturam: *suffragarij* (sic enim habent impressi quidam) *reip. de nouo rege paulo ante concepto, robur ætatis experirentur: modo st. Ph. e.f. a. fr. r. d. sibimet* (semet credo voluit scribere) *ipsis potiorem crederent.* Rectius enim vtique *robur ætatis* opponitur *regi paulo ante concepto* (Roxanes vterum intelligit) quam verbo *suffragari* iungitur. vltima autem iuuidiæ plena sunt in tutores pueri regis, si tamen puer nasceretur, iacta: tuos & mox num. 14, arguit *affectasse nihil ad ipsos pertinens regnum.* & supra 10, 6, 21. *sub tutelæ specie regnum occupaturos esse.*

10, 7, 11. *NVLLVM PROFVNDVM MARE*) De hac similitudine dictum sup. ad 9, 4, 22.

10, 7, 12. *QVAM SPERAVERAT*) *Quem sperauerant* legendum contendit Acidalius. Cuius sententiam, vt solet, in textum recepit Raderus.

POENITEBAT POENITENTIÆ) Saluianus lib. 5. hac fere loquendi forma de peruersis pœnitentibus: *Quomodo igitur tales ipsos pœnitentiam se egisse non pœnitet?* Qui fortean respexerit ista Tertulliani de pœnitentia cap. 5. *Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciat.* Scilicet hæc non est μετάνοια ἀμεταμέλητος Apostoli ad Corinth. 2, 7, 10. qua non fruuntur, nisi quos erratis cognitis, secundum præscripta domini dolor mœrorque & pudor intrauerit. Sic Augustin. Confess. lib. IX. sub fin. *dolorem meum alio dolore dolebam.* Ceterum rebus aduersis ita fieri, vt nulli consilio acquiescant homines, pulchre ostendit Virdungus ad Taciti Agric. 38, 2. *eligere latebras, ac statim relinquere.*

10, 7, 14. *NOVIQVE REGIS SATELLES*) MSS. delent coniunctionem, cum sequenti verbo, *minabatur.* probe. Sed si cui vulgata potior, tamen hoc de ipso Meleagro capio, eoque iungendum puto sequenti verbo; *nouique regis satelles sequitur. Phalanx &c. imperij vires remansuras esse.* Quanquam Modius Acidalio probante; *satelles. Sequitur phalanx &c.* Sed vt dixi *satelles* hic intelligitur Meleager. nec enim *turbam satellitum*, cuius postea mentio, habuit, priusquam plurium consensu rex esset declaratus. Itaque vulgatis ante Modium assentior. nisi quod cum illo τὸ *gaudebant* eliminem.

HASTIS

HASTIS CLYPEOS QVATIENS) Morem cum sæpe expressit Ammian. quæ loca obseruauit doctissimus Lindenbrogius ad auctorem istum 14, 8. *Hastisque feriens scuta, qui habitus iram pugnantium concitat.* vbialii quoque scriptores citantur. quibus adde Polyb. 15, 12. *Romani more patrio clamorem tollunt, & gladiis ad scuta concrepant.* Fit autem hoc nimirum ad terrorem aduersariis incutiendum, vt indicat ex Polybio Liuius 28, 29, 4. *ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit. &c.* Quapropter & venatoribus elephantorum obseruari scribit Ælian. hist. anim. 8, 10. Eodemque opere 16, 25, 1. tradit Persas ne strepitum eiusmodi paueſcerent, equos suos adsuetudine condocefecisse. quod si fecissent Scythæ fratres, equos eorum terrere non potuisset Aiax, & pedestre certamen inire coactos vincere, apud Philostratum in Heroicis.

IMPERII VIRES) *Vires* malim cum Acidalio.

10, 7, 16. *CONCLAVE ADSERVARI*) MSS. *obseruari*, vnde Palmerius *obseruari*, quod verbum hic optime conuenire iudico. & firmatur è seq. versu *claustra perfracta sunt.* Et sane facilis est verborum illorum permutatio, quam & factam credunt viri docti in illis Flori 3, 6, 10. *Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis nauibus, quasi portam obseruauit.* Nam alii libri, *obseruauit.* vbi tamen & alterum toleres, haud itidem opinor, in Tertul. apolog. cap. 7. *quis cruenta, vt inuenerat, Cyclopum & Sirenarum ora iudici reseruauit?* conuenientius enim ingenio scriptoris, *reseruauit.*

PTOLEMÆVS QVOQVE) *Eundem etiam* Pausanias in Atticis affirmat *Alexandro mortuo, iis qui ad Aridæum Philippi F. regnum vniuersum deferebant, restitisse, regnumque in plures diuidendi autorem in primis extitisse.*

10, 7, 18. *DEMPTIS GALEIS*) Quod & fecit Craterus, in prælio quo occisus est. Arrianus apud Photium. Item Sacrouir apud Tacitum, 3, 41, 4.

QVI CVM PERDICCA ERANT) In Græco auctore vnde hæc transtulit Curtius videtur fuisse, τὸν μὲν Περδίκκαν, vt ex toto negotio hic prodiret sensus: *precari Perdiccam cepere, vt abstineret bello, regique & pluribus cederet. Prior Perdicca cum suis arma deposuit, regique idem fecere.*

10, 7, 19. *NE A CORPORE*) Raderus, nescio quo auctore, negationem expulit: voluitque Meleagrum suasisse Perdiccæ vt discederent à corpore Alexandri, quo nimirum facilius circumuenirentur, quos defuncti regis reuerentia hactenus texissent. Sed certe præstat ille sensus, *ne discederent*: Sic enim putabant se certo loco, velut carceri includi, vbi, quando inimicis libuisset, iniuriæ opportuni forent. Nam de reuerentia defuncti regis superuacuum est dicere, quum iam effracta claustra, commissam pugnam, illata vicissim acceptaque vulnera legeris. Deinde credibile magis est ne à corpore discederent suasisse, vt scilicet tanquam honoris caussa defuncto hærerent, vt apud Tacit. 3, 5, 2. nam locum eiusdem 1, 7, 4. huc non trahendum, in notis ad locum istum defendi.

10, 7, 20. *IN CAMPOS*) Alii *in campos. & Perd.* Vnde patet legendum, *in campo: sed &c.*

10, 7, 21. *ABRVPISSE*) Forte *abrupisse se.*

10, 8, 1. *NI OCCVPETVR*) Sic edi curauimus cum Radero. vide notata ad 7, 6, 14.

MEMINISSE EVM) Perdiccam. falsus est qui hoc *eum* ad Aridæum refert. sequentia satis id euincunt.

QVEM METVAT) Nam *naturale est & odisse, quem times; & quem*

metueris, infestare si possis. Minucius Felix. vbi rescribo, *quem oderis*; est enim gradatio, metus odium generat, hoc nocendi cupiditatem. Similia dicta nonnulla vide apud Gilbertum Cognatum adagio 1316.

10,8,2. *PATIEBATVR MAGIS)* Non tam consilio, quam ignauia, & imbecillitate animi. vt in ipsum quoque iure expetat Vitellianum elogium, *non iam imperator, sed tantum belli caussa erat.* Tacit. H. 3,70,8. Quantum diuersus ab eo frater? qui *mori mauult quam precario rex esse*, sup. 9, 2, 34. Interdum tamen acres etiam principes multa præter animi sui sententiam pati coguntur, quomodo Tacit. 1, 10, 4. prodit, Augustum *multa Antonio, dum interfectores patris vlcisceretur, multa Lepido concessisse.* Quid hodieque patiantur principes, ipsi nouerint. vix enim quemquam huius molestiæ exsortem reperiri consentaneum est.

SILENTIVM PRO IMPERIO) Vulgo *qui tacet consentire videtur*, vtique si posset contradicere. Imbecillis autem stulteque verecundi silentii nonnulla exempla, interque ea hoc ipsum Aridæi, refert Gruterus ad ista Liuii 42, 1, 8. *silentium nimis aut modestum, aut timidum:*

10,8,3. *ANIMI VVLTVSQVE CONSTANTIA)* Non dissimile exemplum est apud Sicul. 19, 51. de Olympiade, ad quam interficiendam cum Cassander ducentos satellites misisset, omnes eius conspectu & maiestate territi refugerunt. Iam de Mario Velleius 2, 19, 4. *ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus, natione Germanus, qui forte (ab) imperatore eo bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium, magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abiecto gladio, profugit è carcere.* Scripsere de eodem Mario Val. Max. 2, 10, 6. Plutarch. in eius vita c. 65. & Appian. de bell. ciuilibus. Raderus. Adde Iustin. 32, 1, 6. de Philopœmene: de Pyrrho Plutarch. in vita c. 72. de Dario, eundem in Artoxerxe c. 47. de Carolo V. Camerar. subcisiu. 1, 30. de Iacobo Magnæ Britanniæ rege, Continuatorem Sleidani Lundorpium.

10,8,6. *SEDITIONE PROVISA)* Aldini exemplaris lectionem hic sequimur, cui & Mss. fauent. at illa vulgatis aliis, Acidalioque maxime displicet. omnia igitur mutarunt, voluntque regem à militibus interrogatum, non à Meleagro, quod quidem ipsis plane absurdum videtur. Ergo vt suam sententiam tueantur, illud *prouisa* mutarunt in *professa*, aliaque fecere quæ nunc non exequor. Tantum aio recte scribi: *Atque ille seditione prouisa, cum regem adisset, interrogare eum cepit, an Perdiccam comprehendi ipse iussisset? Ille Meleagri instinctu se iussisse respondit.* Totum negotium sic se habuerit. Leonnatus cum equitibus in campos se receperat: at Perdicca sperans pedites quoque se pellecturum, in vrbe subsitit. vbi Meleagri insidiis petitus, ad Leonnatum & equites se recipit. Interim percrebuerat rumor Perdiccam iussu Meleagri interemptum esse. Macedones igitur, pedites inquam, indigne ferentes viri tam clari grauem casum, vt est vulgus mutabile subitis, conceptum paulo ante odium in commiserationem viri vertit, & præ se fert velle necem eius vlcisci. Eam rem in suam perniciem eruptura præuidens Meleager, adit regem, & militibus coram interrogat, an Perdiccam comprehendi ipse iussisset? sperans confitente rege omnem inuidiam, omneque periculum posse declinari. Quo fere fine Tiberius apud Tacit. 1, 8, 5. quæsit ex Messala, *num se mandante eam sententiam dixisset?* ad inuidiam, inquam, appetitæ dominationis euitandam, si eius sententiæ alium auctorem, ipso confitente, posset ostendere.

10,8,9. *INTRA SE QVOQVE VOLVENTES)* Vel *quinque volentes*, vel *quoque* (id est, vnoquoque) *volente* legendum putat Acidalius: prius ego etiam olim diuinaueram. idemque Bongarsio placuerat.

EX

EX COMPARATIONE REGIS NOVI) Sic apud Suetonium Calig. 6, 4. *auxit gloriam desideriumque defuncti* (Germanici) *etiam atrocitas insequentium temporum.* Plutarch. extremo Artoxerxe: *Clemens habitus est & popularium amans, præcipue ob filium Ochum, qui sæuitia & atrocitate omnes superauit.* Plura forte aliquando ad ista Taciti 14, 51, 3. de Burro: *ciuitati grande desiderium eius mansit, per memoriam virtutis, & successorum alterius segnem innocentiam* (quod apprime quadrat in Aridæum) *alterius flagrantissima flagitia & adulteria.* Hinc relicto successore Tiberio suspectus Augustus fuit, tamquam *comparatione deterrima gloriam sibi quæsiuisset.* Tacit. 1, 10, 9.

10,8,10. *REQVIREBANT)* Expungebam hanc vocem: eandemque reperio fuisse mentem Acidalio.

QVANDOCVMQVE) Acidal. legit, *quando tanta oblata esset occasio*: & occasionem, dubius tamen, interpretatur de morte Alexandri; quo quadrat illud Taciti H. 1, 21, 4. *opportuni magnis conatibus transitus rerum.* Mihi tamen præplacet recepta lectio, *quandocumque*: vt primum excutiendi Macedonici iugi nacti fuissent occasionem, ei non esse defuturos.

10,8,12. *FAMES ESSE CEPIT)* Tentat Acidalius, nec tamen probat, *fames excepit.*

10,8,13. *TVTIOR ALIENA SEDES)* Non omnino dissimile quod & miratur Tacitus 2, 17, 3. *mirumque dictu, duo hostium agmina diuersa fuga, qui siluam tenuerant, in aperta; qui campos adsiterant, in siluam ruebant.* Scilicet *omnia metuenti præsentia maxime displicent*, vt ait idem H. 3, 85, 2. Tarentini sub Rege Pyrrho τὴν πόλιν ὡς ἀσφαλεστάτην ἐς τὰς ἀρχὰς ἀπεδείξαντο, Appian. in Excerpt. Vales. Talis facies Romæ sub Decemuiris Liu. 3, 38, 12.

10,8,16. *INTER SE CERTANTIVM PRÆMIA)* Quæ consideratio sæpe pacem persuasit infensissimis. Apud Sallust. Iug. 79, 3. *ne mox victos victosque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt.* Quem ad locum multa proferre poterit, quisquis nostrum auctorem illum notis illustrandum sibi sumpserit.

10,8,17. *CVM CIVIBVS)* Idem inculcat Cæsari Sallustius de Republica. Agesilaus apud Xenophont. *Hostis loco ciuem nullum habebat.*

10,8,18. *ALTERA LEGATIONE)* Cassiodor. Var. 3. ep. 4. *Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma mouere.* Vide Paschal. Legat. c. 6.

10,8,21. *FRATRIS CLARITATE SVPPRESSAM)* Acidalius mauult *suppressæ*: non male. præsertim si & sequentia leuiter emendes; *Ingentem spem indolis ante eum diem fr. cl. suppressæ, in eo moderata excitauit oratio.* Si tamen pro *spem* legas *speciem*, quæ sæpe se inuicem loco pellunt, quadrabit *suppressam.*

10,9,1. *INSOCIABILE EST REGNVM)* Ita Alexander Dario pacem petenti respondet supra 4, 11, 22. ex Iustino 11, 12, 15. *neque mundum posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo regna salua terrarum statu habere.* Ita Ennius quoque apud Ciceronem offic. 1, 8. *Nulla sancta societas nec fides regni est.* Homerus Iliad. 2, 204.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς - - - - - -

Vbi Scholiastes. Hanc causam esse voluit (vt ex Aristotele annotauit Delrius) Musæus, cur aquila tres pullos excludens duos nido deturbet, vnum educet. Seneca in Agamemn. vers. 259.

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. Lucan. 1, 93.
Nulla fides regni sociis; omnisque potestas

Impatiens consortis erit - - - Statius Theb. 1, 129.
- - - & summo dulcius vnum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

Idem suprema docet apud Matthæum 12, 25. veritas: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Eleganter etiam Cyprianus; *vnquam regni societas aut cum fide cæpit, aut sine cruore cæpit? (desiit?)* Hinc illa Ciceronis in Cæsarem inuectio, quam primo de officiis leges. Simanca de Rep. 2, 3. Plura super his doctissimus noster Adamus Contzen Pol. 1, 14. & disertissimus Pontanus progymn. 13. par. 2. vol. 3. Raderus. Inde apud Tacitum 13, 17, 1. Neroni Britannicum opprimenti *plerique ignoscebant, antiquas fratrum discordias, & insociabile regnum extimantes.* Adde Lipsi. polit. 2, 2. Clapmar. arcan. cap. 22. & latissime Tiraquell. de iure primigen. 4, 13. & seqq.

10, 9, 2. *CONLEGERE VIRES)* MSS. *Conlisere.* quod possis explicare, primo inter se depugnasse, & commisisse communes vires; mox dispersisse in regna plura.

CVM CORPVS ONERASSENT) Corpus supra modum onustum, obesumque redditum, à ceteris membris amplius sustineri non potest. duces ergo illi qui ad imperium se habebant, vt membra ad corpus, illi fulciendo non amplius sufficiebant: postquam excesserat Alexander, qui vnus tantæ moli par videbatur. Similia Petronii Dis ad Fortunam: *Ecquid Romano &c.* & Horat. Epod. 16. *Suis & ipsa Roma viribus ruit.* Adde Liuium præfatione, & Florum 3, 12, 6.

10, 9, 3. *PROINDE IVRE)* Hic est locus, vnde potissimum de Curtii nostri æuo coniectura capitur. De qua re proleg. cap. 1. respice, vbi diuersas doctorum opiniones retulimus: ex quibus eam quæ Vespasiani temporibus adscribit, meliorem deprehendisse videor, hoc etiam argumento, quod Augusto posteriorem fuisse constet ex eo, quod plurimis locis Diodorum aperte, non secus atque Polybium Liuius, interpretatus est: priorem autem Traiano coniicio ex iis quæ de mari rubro adfert, omnia ex antiquis petita; cum sub Traiano tamen eo vsque pateret imperium, & quædam magis comperta afferri potuissent, ipsiusque principis, aut Romani certe populi, honorifica haberi mentio, quam per optimam occasionem non videatur omissurus fuisse. Cum iis qui sub Augusto vixisse putant, sentit Wolfius rer. memor. centur. 1. & sentire videtur Barthius ad Claudiani Rufin. 1, 275. Verum aduersar. 54, 7. non vult esse tam veterem vt plerisque videtur. Ioan. Isac. Pontanus eleganti ad Vossium epistola, tendit de Traiani temporibus hæc interpretari. Verum Rutgersii sententiam (Vespasiano coæuum facit) auctoris verbis apprime conuenire, ostendit Clarissimum literarum lumen Ger. Vossius, in eximio illo opere de historicis Græcis & Latinis, Latin. 1, 28. quod si aliquanto maturius adipisci licuisset, in tribus prioribus proleg. capp. admodum iuuari, in eo etiam de scriptoribus historiæ Alexandrinæ, omni fere cura leuari poteram. Nam de illis quoque diligentissime inquisitum est ei de Hist. Græc. 1, 10. & 24. Male sit iis, qui turbas has exitiabiles fouere, & quantum in ipsis est, immortales reddere gaudent: nam & elegantissimum illud opus serius inspexisse, inter intercommoda damnaque furialis huiusce belli numero.

NOVVM SIDVS ILLVXIT) Similima hæc Senecæ de Claudio: *Sidus hoc, quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat.* imo dicas ab alterutro desumpta. Lipsius ad Senecæ consol. ad Polyb. cap. 32. Agnoscas in pluribus scriptoribus multa, alia aliis Curtianis componenda; quæ occurrerint, dabo. Florus præfatione 8. *mouet lacertos, & præter spem omnium, senectus imperij, quasi reddita iuuentute reuiroscit.* Prudentius lib. 2. contra Symmachum, in prosopopœia Romæ:

Senium

- - - Senium omne renascens
Deposui, vidique meam flauescere rursum
Caniciem - - - - Symmachus Epist. 10, 22. *Fecistis vt vrbs eana luxuriet in primam reducta lætitiam, & ver illud quondam vigentis ætatis.* Virgil. Georg. 1, 468.

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Quem versum sublegit Sedulius 2, 244. leuiter mutans; *Impia perpetuam &c.* Cic. pro Flacco c. 40. *O nox illa, quæ pene æternas huic vrbi tenebras attulisti &c.* Liu. 6, 17, 5. *Non obuersatam esse memoriam noctis illius, quæ pene vltima atque æterna nomini Romano fuerit?* Tacit. H. 1, 11, 5. *inchoauere annum sibi vltimum, Reip. prope supremum.* Eumenius paneg. ad Constantium Cæs. c. 2. *De te igitur mihi* (obiter corrigo *Dei ig. mihi*) *Cæsar inuicte, hodierna gratulationis exordium, diuinus ille vestræ maiestatis ortus, ipso quo illuxit auspicio veris illustrior.* Quos imitatus Rubeus ad Sixtum V. in dedicatione histor. Rauenn. *Qui felici suo Pontificatu, quasi salutari nobilissimoque exorto sydere optatissimam terris quietem, & vbertatem induxerit.*

10, 9, 6. *CERTE DIVTVRNA POSTERITAS)* Ea dici potuere Vespasiano, non parenti modo, sed iam auo. Sane similis Curtiano isti est locus Silii Italici 3, 625. vbi Iupiter sic Vespasiani huius filium compellat:

Tunc, ô nate deum, diuosque dature, beatas
Imperio terras patrio rege, tarda senectam
Hospitia excipient cœli, solioque Quirinus
Concedet, mediumque parens fraterque locabunt.
Siderei iuxta radiabunt tempora nati.

Clare Domitianum, non diui modo filium, appellat; sed etiam diuos daturum ait. Nec aliter Papinius Silu. 1, 1, 74. ad eundem Domitianum:

Salue magnorum proles, genitorque deorum.

Item 4, 3, 53. *Salue dux hominum, & parens deorum.*

Quare palpus iste Curtii optime conuenit Vespasiano; non item Traiano *ἀνωμάλῳ.* Vossius.

10, 9, 7. *MORTE DEPONEBAT)* Malim *morte ponebat.*

10, 9, 9. *OSTENTARE EI CEPIT)* Suffecerat *ostentare* nec dubito quin reliqua sint ab aliena manu. Mss. tamen tenent.

10, 9, 12. *LVSTRARE MILITES)* Illustrat hunc Curtii locum Io. Meursius Vir Græce Latineque egregie doctus, in Græcia Feriata, voce *Xanthica*, his verbis: ΞΑΝΘΙΚΑ *Macedones celebrabant, eratque militum lustratio:* Hesychius. Ξανθικὰ, ἑορτὴ Μακεδόνων, Ξανθικοῦ μηνὸς, ἢ Ξανθικοῦ ἀγομένη. ἴσῃ δ' καθάρσιον τῶν στρατευμάτων. Sed corruptus ille locus. *Nam cur Xanthici mensis nomen bis commemorat? deinde, quonam mensis die actum festum? Rejicio illud posterius* Ξανθικοῦ, *à librario oscitante geminatum, & restituo* Ξανθικοῦ μηνὸς ἢ ἀγομένη. *Nempe ad diem VIII. Xanthici* [quem Aprili fere respondere putant.] *celebrari id festum solitum Hesychius scripserat. De lustratione militum, quod subiungit, tunc peracta; eam ita describit Liu. 40, 6, 1.* Forte lustrandi exercitus venit tempus; cuius solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ & prior pars ad dextram cum extis, posterior ad leuam viæ ponitur: inter hanc diuisam hostiam copiæ armatæ traducuntur, præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab vltima origine Macedoniæ regum, deinde rex ipse cum liberis sequitur. proxima est regia cohors, custodesque corporis: postremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit. Mos erat, lustrationis sacro peracto, exercitum decurrere; & diuisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ. *Et mox 40, 13, 3. in*

Demetrij

Demetrij Oratione ad patrem Philippum. Quis dies? quo luſtratus exercitus, quo inter diuiſam victimam prælatis omnium qui vnquam fuere Macedoniæ regum armis regiis, duo ſoli tua tegentes latera, pater, prænecti ſumus, & ſecutum eſt Macedonum agmen. *De eadem luſtratione, ſed non adeo plene, Curtius &c.* Raderus. De canibus ſimile quid refert Hiſt. del Cortes fol. 227. b. vbi de Pazuecenis: *s contrò per la uia molte ſaette fite per la terra, & alla intrada della terra certi huomini che facenano quattro quarti un cane, & l'uno & l'altro era ſegno di guerra.*

VLTIMO IN CAMPO) Partes illæ præciſæ vtrimque in vltimis campi illius, in quo luſtrabatur exercitus, partibus ponebantur. *vltimo* ergo hic pro extremis campi partibus accipitur. Raderus. Ponebantur in dextro ſiniſtroque latere, aut quaſi margine, campi.

10,9,21. *EIVS NOMINE ABVTENTIS*) *Rex nomine eſt quis ſæpe, vim alter obtinet*, inquit ſenatius apud Gruterum, qui ex Tacito 6, 43, 4. ſubjicit: *Tum Hiero puerilium Tiridatis increpat: neque penes Arſacidem imperium, ſed inane nomen apud imbellem externa mollitia, vim in Abdageſis domo.* Conſulatur Plin. orat. ad Traian. cap. 88. Raderus. *Abutentis* editi, pro *abuentes*, vt in Mss. fere ſemper ſcribi competio: quod hoc loco monuiſſe, in ſimilium etiam patrocinium valere poſtulo.

LOCI RELIGIONE) Nihil ſacrum aut religioſum impiis & hoſtibus. Sic Virg. Æn. 2, 560. Pyrrhus Priamum - - *altaria ad ipſa trementem Traxit &c.* [Adde Xenophont. lib. 6. hiſt. Græc. de Mantineis in templum Dianæ confugientibus: Appian. Mithrid. de Pruſia.] Modeſte & pie Alexander ſup. 4, 4, 13. victoria in Tyrios vſus. De aris & aſylis templorum ſtatuarumque copioſe Alexander Neapol. 3, 20. De confugiis Chriſtianorum etiam iuriſconſulti. Alii tamen ſcriptores luſtin. Arrian. Diodor. Oroſ. negant interfectum, additque Diodorus 18, 3. Lydiæ prætorem factum. Raderus. Alii quidem ſcriptores interfectum nec tradunt, nec negant: at Diodorus expreſſe affirmat ſequenti ſtatim capite: itemque Arrianus apud Photium.

10, 10, 1. *IMPERIVM DIVIDI*) Talem diuiſionem regnorum perniciem eſſe docet Arniſ. de Rep. 2, 2, 7. & Tholoſan. lib. 25. Porro diuiſio prouinciarum inter duces Alexandri pleriſque memoratur, quorum conſenſum aut diſcrepantias, itemque deprauationes ſecundum literarum ſeriem, velocioris intellectus ergo, vt vides ſubiecimus.

REX QVIDEM SVMMAM) Aridæus toti imperio cum regia poteſtate, ſiue nomine potius, præfectus eſt. Idem tradit Diodorus 18, 2. Appianus Syriacis. Dexippus apud Phot. Cod. 82. & Euſebium. Arrianus apud Photium Cod. 92. Excerpta Chronologica Latinobarbara. Cum autem vniuerſo imperio, quod vtique Macedonum erat, præpoſitum hunc legiſſet idem, inferiore loco imaginatus eſt Macedoniæ regnum, antiquis videlicet finibus tum ei traditum; totumque imperium quatuor in partes diuſum fuiſſe. Quod forte acceperit ex D. Hieronymo, qui eundem errorem errauit ad Daniel. cap. 8. quem, vt ſolet, clauſi oculis ſequuntur alii.

Amyntas Nicolai F. vt coniicio, *Sogdianos* accipit. Iuſtin. 13, 4, 23. ex noſtra correctione, quam proponimus ſtatim, vocabulo *Archon*. Hunc ergo intelligit etiam Curtius inter eos, de quibus ait: *qui Indiæ, quique Bactris & Sogdianis &c. præerant &c.* in iiſdem imperiis relicti. Fuit enim hic Sogdianorum prætor. Vide ſup. 8, 2, 14. & Bactrianorum, Arrian. 4, 3, 14.

Antigenes præficitur *Suſis*. Vide infra *Suſiana*.

Antigonus Philippi F. cum *Pamphylia* & *Lycia Phrygiam* obtinere iuſſus. Curtius. Diodorus 18, 2. Appianus Syriacis. Arrian. lib. 1. & 9. apud Phot. qui *Lycaonas* etiam nominat l. 9. vbi hæc ſors ei confirmatur. Dexippus *Pamphyliam* & *Cilices* vſque

vſque ad *Phrygiam* tribuit, quo loco apparet κι ſyllaba temere duplicata, κατὰ χιλίαρχον factum, ex κατὰ λυκίαν. Certe idem auctor apud Euſebium diſerte ei *Lyciam* adſcribit: *Phrygiam* autem minorem. Cedrenus tamen etiam *Ciliciam ad Taurum* ei largitur. Iuſtinus 13, 4. ſolius *Phrygiæ* meminit. Latinobarbarus alia omnia: *Illam autem, qui circuit contra Aquilonis partes, & illam, qui habet Ircaniam, Antigono donauit regnare.* Poſtea vero toti fere *Aſiæ* imperauit: vt fere omnes citati produnt; & cum his adiuncta Euſebiana, in ſucceſſione regum Macedoniæ.

Antipater ſub Alexandro *Macedonibus, Theſſalis, Thracibusque* præfuerat, ſupra 10, 4, 8. tum exercitus per *Europam* dux conſtituitur. Arrianus lib. 1. apud Phot. Iuſtinus *Macedoniam & Græciam*; Diodor. *Macedoniam cum vicinis populis* attributam ei ait: quod eodem recidit. Dexippus apud Photium Cod. 82. latius: *vniuerſæ Macedoniæ & Græciæ, Illyriis item, & Triballis, atque Agrianis, omnibusque adeo iis, quibus in continente* [Europeæ] *fuerat ab Alexandro adhuc ſuperſtite cum plena & ſumma poteſtate imperator præfectus.* Idem apud Euſebium Caſſandrum filium collegam ei adiicit. Item Arrianus: *Quæ vltra Thraciam vſque ad Illyrios, Triballos, & Agrianos pertinent; ipſaque adeo Macedonia, & Epirus ad Ceraunios vſque montes pertingens, cum Græcia vniuerſa Cratero & Antipatro obuenerunt.* Latinobarbarus: *Spaniam autem vſque Alyo fluuio & Eracleoticum terminum, Antipatum ordinauit regnare.* vbi quid per *Spaniam* intelligat, non video. non enim *Iberiam*, vt opinor, quanquam ſic in margine notatum video à Magno Editore: ſed qui non tanti quiſquilias iſtas æſtimarit, vt ſerio mentem intenderet. Forte Græcus auctor ſcripſit τὴν Ἑσπερίαν Antipatro data, hoc eſt occidua imperii: quod ille mutarit in *Spaniam*, reperto regionem illam aliquando Heſperiam fuiſſe vocatam. *Alyo fluuio* Halyn intelligere videtur; *Eracleotico termino* columnas Herculis deſignat. Euſebiana *Ponticam regionem* adſignant Antipatro, quo auctore, non exputo. Nam Cedrenus inde ſumpſit. Verum Antipater haud diu poſt ipſe pro arbitrio diſtributis prouinciis, priſtinum arbitrium rerum Europæarum ſibi retinuit. Diod. 18, 38. Arrian. lib. 9.

Arceſilaus ſortitur *Meſopotamiam*. Diodor. Cedrenus. Dexippo eſt *Archelaus*. vitioſe, vt videtur: nam etiam Iuſtino eſt *Arceſilaus*. Oroſio tamen fine lib. 3. *Arcelaus*. & fuerit forte Archelaus Androclis F. cuius mentio apud Arrianum 3, 6, 6.

Archon Babyloniam. Diodorus. Ex quo emendandus Iuſtinus 13, 4, 23. loco corruptiſſimo, vbi fere omnia confuſa & luxata ſunt, vt mox videbimus. hic igitur legendum: *Babylonios Archon* (ſic & Oroſius vocat) *Pellæus*. Illud de Babylonia certum, non Peucesti, cui ademptis Perſis imperiti librarii Babylonios adiecerunt, ſed Archoni vel Archonti huic hos euenisse. de *Pellæo* patriæ nomine coniectura tantum eſt. Vulgo fuerat *Archos Pelasgos*, quaſi nomen homini fuerit *Archos*, prouinciæ *Pelasgi*. quod ſua ſponte falſi manifeſtum eſt. In quibuſdam MSS. eſt *Argos pellagas*. inde coniicio patriæ nomen adiectum fuiſſe, vt Archon hic Macedo fuerit Pella oriundus. Quam quidem coniecturam inſigni fulcimento firmat Arrianus Ind 3,10. Ἄρχων ὁ Κλεινίου, κατὰ Δημόνικον ὁ Ἀγησιάου &c. ἔτι μὴν Πελλαῖοι. *Archon Cliniæ F. Pellæus.* alium autem à noſtro fuiſſe vt credas, nulla ratione poteris. Sic igitur totus iſte Iuſtini locus emendandus videtur: *Bactrianos Amyntas* (de quo paulo ſupra) *ſortitur, Sogdianos Philippus; Stagnor Parthos; Hyrcanos Phrataſernes; Armenios Neptolemus; Perſas Peucestes; Babylonios Archon Pellæus; Arceſilaus Meſopotamiam.* Quomodo & in Oroſio reponendum omnes nunc videre poſſunt.

Aridæus quidam apud Arrian. & Diodor. *Phrygiæ* ab Antipatro præponitur: poſtquam Alexandri corpus in Ægyptum tranſportaſſet. non autem fuiſſe *regem Aridæum*, vt in Iuſtino 13, 4, 6. editur, ex multis Diodori lib. 18. locis colligi poteſt.

Asander. vide *Cassander.*

Atropates Mediæ maiori præficitur. Orosius, cui *Atropatus* est. Iustino *Acropatos.* Diodoro Ἀτρόπης mendose, vt animaduertit etiam Bongarsius. Fuerat autem iam olim Mediæ præfectus ab Alexandro. Arrian. 4, 3, 18. qui eius filiam Perdiccæ despondit. Arrian. 7, 1, 19. Turpe mendum in Iustino & Orosio: *Mediæ maiori Acropatos, minori socer Perdiccæ præponitur*, tolle illud *minori*, & constabunt sibi omnia.

Axiarches. Vide *Oxyartes.*

Cassander Antipatri F. in *Cariam* mittitur. Curtius. Diodorus. Iustinus. Orosius. Arrianus lib. 1. apud Phot. nam libro 9. ibid. & in excerpto Dexippi vitiose scribitur *Asander*, vt aduertit And. Schottus. Balbutire mihi videtur etiam de Caria Cassandro tradita Latinobarbarus: *Phrygiam autem & illam magnam Cassaria Deassandro tradidit.* Lyciam ad Hellespontum assignat ei Cedrenus. vel potius *Lyciam ac Hellesp.* vt legendum sit Λυκίας καὶ Ἑλλησπόντου. vt quidem extat in Eusebianis. Iustinus denuo eius inducta mentio, stipatoribus regis satellitibus præficit: quod forte postea factum, non suo loco retulit Iustinus. nam a patre equitum chiliarcha constitutus est. Arrian. lib. 9. demum eo mortuo Macedoniæ regnum obtinuit. Quo forte intuitu Dexippus apud Euseb. λόγῳ πρώτῳ patri collegam datum autumat.

Cleomenes additur Ptolemæo qui prouinciam *Ægypti* assignatam illi traderet. Iustinus. Fuerat enim Cleomenes Alexandriæ ædificandæ præfectus, non quidem vt architectus (quo nomine non recte cum Dinocrate confunditur) sed vt satrapa, vel potius iuxta nostrum supra 4, 8, 5. *Africæ vel Ægypti vectigalibus* præpositus: vbi quædam de eo disputata. Iustinum obscure satis loquentem, cum modo dictis egregie explicat Dexippus: *Cleomenes ab Alexandro rege huic Satrapiæ (Ægyptiæ) impositus, vicariam Ptolemæo præstare operam iussus est.* quod & Arrianus firmat. Quem postea occidit Ptolemæus, Perdiccæ fauentem, vt refert Pausanias.

Clitus Lydiam accepit ab Antipatro. Arrian. lib. 9. Diodor. 18, 39. Qui non potest esse alius quam superbus ille apud Plutarch. de fort. Alex. 2, 12. de quo sup. ad 8, 1, 20. Quod & Iustin. 13, 6. 16. firmat: *Clito cura classis traditur.* Tunc enim victoriam illam naualem de qua Plutarchus, & Iustini prolog. XIV. obtinuerit. Vide Diodorum 18, 72.

Craterus Alexandri F. ex Oreside quæ Macedoniæ pars est. Arrian. Indic. 10, 11. Alexandri iussu in Europam proficiscebatur, *Antipatri loco Macedonibus, Thessalis Thracibusque præfuturus*, sup. 10, 4, 8. hoc interim mortuo, regiæ pecuniæ custos constitutus, Iustin. & cum Antipatro *Macedoniam* vicinaque regna obtinere iubetur. Arrianus. Curatoris etiam officio, quæque ad regiam pertinent tutelam, mandatis. Dexippus.

Extarches vide *Oxyares.*

Eumenes Hieronymi F. Cardianus Arrian. Ind. 3, 12. apud L. Ampel. vitiose *Carduenus. Cappadociam* cum *Paphlagonia* habuit, cum præcepto *vt regionem eam vsque ad Trapezunta defenderet, & bellum cum Ariarathe gereret* qui solus detrectabat imperium Macedonum: & Alexandro alibi occupato ius regni retinuerat. Curtius. sic enim legendum: addita coniunctione post *defenderet*, quam etiam ex Mss. restituit Liuio 28, 10, 3. Sigonius: *Bruti ambobus, & vt cum Annibale bellum gererent.* Nam *Ariarathe* non *Arbate* legendum clare ostendunt Plutarch. Eumene cap. 5. Arrianus. Dexippus. Diodorus, lib. XXXI. Appian. in Mithridat. Ex quibus auctoribus haurire poteris, quæ promisimus supra ad 3, 4, 1. Latinobarbarus: *Paphlagoniæ autem in Cappadocia Eumenium scriba memoratum præordinauit regnare.* vbi *scriba* non est ὁ συγγραφεύς, sed quarto casu τὴν γραμματέα. Iustinus eadem: sed adiuncta Eusebiana vnam *Cappadociam* largiuntur. quibus, vt solet, assentitur Cedrenus. *Cares* etiam post adiecit Perdicca, *Lyciamque & Phrygiam.* Iustin. 13, 6, 14.

Laomedon Mitylenæus Syriam cum *Phœnice* Curtius. Diodor. Iustin. Oros Dexippus. Arrian. Inde pulsus postea à Ptolemæo. Diodor. 18, 43. Appianus Mithrid. Quamquam ei satrapiam suam iam confirmasse videretur Antipater, altera diuisione apud Arrian. lib. 9.

Leonnatus Euni F. Pellæus Arrian. Ind. 3, 12. *Phrygiam* minorem Hellespontoque adiunctam Curtius. Iustin. Diodor. Arrian. Dexippus. Probus Eumene: *Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem iacet, atque Hellespontum.* Eusebiana. Pausanias Atticis. Appianus Syriacis. Latinobarb. *Ponton autem Leonnæ dixit regnare.* quod de Hellesp. accipe.

Lysimachus Agathoclis F. Pellæus Arrian. Indic. 3, 12. *Thraciam adpositasque Thraciæ Ponticas gentes* obtinere iussus. Curtius. Diodorus. Cedrenus. τὸ εἰς δεξιὰ τοῖς πόλεσι τὸ πόντου ἡμιόλιον. *prouinciam quæ Pontum nauiganti bus ad dextram iacet.* Dexippus apud Eusеb. nam apud Photium *Thraciam & Cherronesum* adscriptas ait. *vsque ad mare quod Salmydessum Ponti Euxini vrbem attingit*, vt addit Arrianus.

Meleager Neoptolemi F. Arrian. 3, 2, 24. secundum Curtium & Arrian. occisus est ante diuisionem factam quod veritati consonum arbitror: nec enim ante hunc occisum Perdicca tantum potuisset. Non ergo miror de prouincia ei tradita dissentire scriptores, cum ei qui non amplius in rebus humanis exstabat, nulla fuerit adsignata. Cedrenus ergo cum Eusebianis *Paphlagoniam* ei tribuit; Diodorus *Lydiam*, Latinobarbarus *Syriam* quæ *Cœle* dicitur, & *Phœnicem.*

Menander in *Lydiam* mittitur Curtius. Iustin. Dexippus. Arrian. vel potius remittitur. Statim enim à pr. Alexander eum ibi satrapam constituerat. Arrian. 3, 1, 27.

Nearchus Androtimi F. Cretensis, Arrian. Indic. 3, 12. *Lyciam & Pamphiliam* sortitur. Iustinus.

Neoptolemus ex Æacidarum gente. Arrian. 2, 5, 11. *Carmaniæ* præficitur. Dexippus. Verum dubito, num *Armeniæ* legi verius sit ex Plutarchi Eumene cap. 7. Quamquam ne de nomine quidem res satis certa. *Armeniis* apud Iustinum emendatum *Tleptolemus* præficitur: qui tamen in Mss. legitur etiam *Neptolemus.* Apud Diodorum tamen & Arrian. lib. 9. *Carmaniæ* præficitur *Tlepolemus.* De quo nomine infra.

Nicanor nominatur apud Iustinum. Cuius tamen Mss. magnopere turbant: ex quibus omnia potius elicias, quam Nicanorem. Immo *Stagnorem* quendam signare videntur, cui & 41, 5, 1. *Parthos* ait traditos. Ceterum *Nicanori* cuidam *Cappadociam*, in altera diuisione tribuit Antipater. Arrianus lib. 9. Diodor. 18, 39. Appian. de B. Mithrid. Est quidem Nicanor alius Σιλευκῶ, ὁ καὶ Νικάνωρ, διὰ τὸ ἀναβῆναι εἰς Βαβυλῶνα, καὶ κομίσαι τὸν Βαρβάρων, Cedrenus: sed qui nihil huc pertinet.

Oropius partem *Sogdianæ* tenuit. Dexippus.

Oxyartes siue *Oxathres* Alexandri socer *Bactrianam.* Eusebiana. Cedrenus. *Paropamisadas.* Diodorus 19, 14. qui tamen & *Bactrianorum* regem facit. Latinobarbarus: *Super Parapamisodum autem Oxydarcum ordinauit regnare.* Idem Dexippus. Arrianus. Iustinus, si legas; *Parapamisadas, fines Caucasi montis Oxyartes accepit.* quod & vidit ex Diodoro Bongarsius.

Perdiccas Orontis F. Macedo ex Oreside, Arrian. Indic. 3, 12. Imperium diuidens suo arbitratu, Curtius. Arrianus. Appianus. Iustinus. sibi sumit, *vt cum rege esset, copiisque præsset quæ regem sequebantur.* hoc est, vt rex esset. Curtius. Vnde & *Macedonicum* ei *regnum* euenisse credidere Cedrenus & Iornandes Getic. c. 10. qui & *Atheniensium* principatum adiicit. Ob eam vero potestatem regni procuratorem faciunt Arrianus, & Diodorus. *Archistratigum* Latinobarbarus. *Phrygiæ maiori* præficit Dexippus apud

apud Eusebium: si tamen illud excerptum est Dexippi. nam apud Phot. Arriano consentit.

Penceſtas Alexandri F. Miezæus, Arrianus emendatus Indic. 3, 11. *Perſidis* satrapa constitutus ab Alexandro, Arrian. 6, 5, 1. in ea prouincia remanet. Diodorus. Iustin. emendatus. Latinobarbarus: *Perſidam totam Perco donauit.* Confirmauit ei poteſtatem eam Antipater etiam. Arrianus lib. 9.

Philippus præficitur *Dragænæ*, Cedrenus. siue potius *Drangianæ*, vt in Eusebianis, quæ Cedrenus sequi videtur: Φίλιππος Δραγγιανῆς. Δραγγιανὴ est Diodoro, quæ Cedreno Δραγάνη. de Drangis supra quoque dictum ad 8, 2, 17. Diodorus Philippo *Bactrianam* & *Sogdianam* tribuit. quem minorem facit Latinobarbarus: *Togdianiam* (Sogdianam intelligit) *Philippo minori dedit dominare.* Cui consentit & Dexippus. & Iustinus, si legas; *Sogdianos Philippus, Siagnor Parthos, Hyrcanos Phrataſernes &c.* Quæ quidem lectio conciliaret auctorem non magis aliis, quam sibimetipsi. si tamen malis ita iungere *Parthos Philippus*, intelligere poteris de posteriori diuisione apud Arrian. l. 9.

Philo accipit *Illyrios*, Iustinus. Orosius. *Mediam* dant Cedren. & Eusebiana. Sed pro Φίλων ibi scribendum Πάιων, reliqui auctores conuincunt. Philonis istius iidem non meminerunt; vt vix firmum inter Alexandri duces locum tueri possit, qui vnius Iustini, eiusque ipsius dubia adhuc lectione nititur.

Philotas obtinet *Phrygiam ad Helleſpontum* primo, Diodor. 18, 12. deinde *Ciliciam*, Curtius. Arrian. Diodorus. Dexippus. Iustin. Orosius. Latinobarbarus: *Ciliciam autem & Isauria, & omnia circuitu eius Philone ordinauit.* Sed prouincia ei haud multo post adimitur. Iustin. 13, 6, 16. ob amicitiam Antigoni, vt coniicio ex Diodoro 18, 62. *Ciliciæ* autem imponitur

Philoxenus, Iustin. ibid. Is opinor qui sub Alexandro oræ maritimæ præfectus fuerat. Plutarch. cap. 37. Prouinciam ei confirmat Antipater apud Arrian. l. 9.

Phrataphernes sub Dario quoque prætor *Hyrcanorum* fuerat, Arrian. 3, 2, 7. dedit se Alexandro apud nostrum 6, 4, 23. à quo in prouinciam restituitur, 8, 3, 17. vbi pro *Mardos cum Tapuris*, videtur legendum *Parthos*, ex dicto Arriani loco, & Cedreno; qui ait in hac prouinciarum diuisione obuenisse ei *Parthiam* & *Hyrcaniam*: certum autem est relictum tantum in imperio quod antea habuerat, non nouum ipsi adiectum aut datum. Idque confirmant Diodor. & Eusebiana. *Hyrcaniam* tantum assignat Iustinus cum Dexippo, in quo corrupte Ῥαδυφίσνης scribitur.

Pithon Agenoris F. quod nomen etiam sæpe scribitur *Python*, de quo Latinobarbarus: *India autem, quæ dicitur sub Indo, & vsque Hydaſpem, fluuium extendens, Pythonæ dominare præcepit.* Quæ intelligi as ex Dexippo: *Pithon quidam* (nempe Agenoris, nam de Crateæ filio supra dixerat, *horum* (Pori & Taxilis) *finitimis imperauit, exceptis Parapamiſadis.* Iustinus. Orosius: *In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris F. mittitur.* quo Iustini loco eum cum altero Pithone confundunt. Huius etiam sortem ratam habuit Antipater. Arrian. lib. 9. *Indorum ea ora, quæ Parapamiſadis adiacet, Pithoni Agenoris F. tributa.* Nam ab ipso Alexandro acceperat. Arrian. 6, 3, 9.

Pithon Crateæ vel *Crateuæ F. Alcomenæus*. Arrian. Indic. 3, 11. qui tamen *Eordenſem* facit 6, 5, 9. *Parthum* Diodorus 19, 14. sed *Parthinum* scribi poterat rectius: cuius nationis meminit Appian. pr. Illyric. & quos citat Reinecc. in Regno Illyr. *Mediam obtinere iuſſus.* Curtius, Diodorus. Dexippus. Arrianus vtroque loco. Contra quos parum valet auctoritas Cedreni, & Eusebianorum, qui *Phrygiam* & *Lydiam* ei dant; aut Latinobarbari, qui *Syriam vsque Meſopotamiam* videtur assignare.

Porus regnum suum retinuit. Iustinus. Orosius implicite. Dexippus expresse. Ratio-

Rationem aperit Arrianus lib. 9. *De proximis deinde ſatrapiis ea quæ ad Indum fluuium eſt, & Patala vrbs, quæ in illa India eſt maxima, Poro regi ceſſit: at quæ ad Hydaſpen fluuium pertinet, Taxilæ item Indo, attribuitur. quando non facile eſſet ipſos dimouere, qui ab Alexandro ipſo in imperio conſtituti, magnam ſatis potentiam nacti eſſent.* Quod etiam de ceteris prouinciarum prætoribus intellige: quibus fere vides pristinum ius esse relictum. Adde Diodor. 18, 39.

Ptolemæus Lagi F. Eordenſis, Arrianus 6, 5, 9. *Satrapes Ægypti & Africæ gentium, quæ in ditione erant.* Curtius. vbi pro *Satrapes* lego *Satrapiam*, sustinetur enim hic sensus à proxime præcedenti verbo *obtineret.* Ceterum idem fere dicunt Cedrenus. Eusebiana. Iustinus. Orosius. Constantinus Manasses. Diodorus. Dexippus, & Arrianus vtriusque locis. Latinobarbarus: *Ægyptum autem, & quæ circa eum, vsque superiorem Lybiam Philippo, qui vocabatur Ptolemæus, donauit.* quod etiam aliquanto inferius repetit. Fuerit Græce. Πτολεμαίῳ τῷ λεγομένῳ φιλίππῳ, *Ptolemæo qui Philippi filius dicebatur.* Quippe regis eius filium habitum sup. ad 9, 8, 23. ostensum est. Huius quoque sortem ratam habuit Antipater, cum etiam si voluisset, non potuisset extorquere homini præpotenti. Diodor. 18, 39. & Arrian. lib. 9.

Scythæus in Iustini exemplaribus editur: sed corruptus est locus; nec quisquam opinor inter istos Alexandri duces hoc nomine reperitur.

Seleucus Antiochi F. Iustin. 15, 4, 3. *Syria* & *Babylone* potitur, Cedrenus, Eusebiana. Dexipp. Latinob. Appianus. quod quidem Arrianus & Diod. 18, 3, 9. docent in posteriori diuisione demum accidisse: licet priori tribuat L. Ampelius. & sane à Perdicca *Babylonios Archon* acceperat, vt supra ostensum. At in hac distributione præficitur equitatui amicorum (sic enim sup. ad 6, 9, 21. τὴν ἱππαρχίαν τῶν ἑταίρων reddidimus) quem prius Hephæstion, exinde Perdiccas habuerat. quod erat munus summæ dignitatis. Ἡγεμὼν τῆς ἵππης τῆς ἑταιρικῆς vocatur ab Appiano. Diodorus. de qua re Dexippum & Arrianum vide. Ideoque *ſummum caſtrorum tribunatum* interpretatus est Iustinus. Postea à *Babylonia* incipiens *tenuit regna Perſidis*, imperiumque suum *auxit mirum in modum*, Marcellin. 14, 2, 6. vt pluribus imperitaret gentibus, quam post Alexandrum quisquam vnus. Appianus Syriacis.

Sibyrtius, Diodoro 19, 14. *Sibyritus*, nanciscitur *Arachoſiam* & *Gedroſiam*, Diodor. Dexippus. Iustinus. Latinobarb. *Arachoſia autem & Cedruſia Sibartam ordinauit regnare.* Firmauit & huic imperium suum Antipater. Arrianus lib. 9. Ei Antigonus tradidit Eumenis proditores Argyraspidas. Plutarch. Eum. cap. 34. Sic enim ibi legendum pro *Ibyrtio* monuit Bongarsius ad Iustin. hoc loco. Hic autem etiam ab ipso Alexandro præfectus iis regionibus fuerat. Curtius 9, 10, 20.

Siagnor vide in *Nicanor.*

Siaſander Cyprius consequitur *Ariam* & *Dranginam* ab Antipatro. Diod. 19, 14. Arrian. quam prius habuerat.

Siaſanos Solius ex eadem inſula, Diodorus. Dexippus. Iustinus. qui postea ab Antipatro *Bactrianam* & *Sogdianam* accepit. Arrianus. Diodorus. pro *Ariana* nobis *Arabiam* obtrudit Latinobarbarus: *Arabiam autem totam Siaſanoro donauit.*

Taxiles itidem regnum suum retinuit, vt Porus.

Tiepolemus Pytophanis F. Carmaniam Alexandro largiente tenuit. Arrianus 6, 5, 1. Quapropter nequicquam *Perſidem* ei tribuit Cedren. qui & vitiose *Tripolemum* vocat, Eusebiana sequutus. *Carmaniam* enim ei à Perdicca quoque tributam constat ex Diodoro. Latinobarbarus etiam *Germaniam* hoc est *Carmaniam Tripolemo* adiudicat. Dexippus *Neoptolemo*: sed vtrobique corruptum esse nomen, certum est ex supra dictis, item Arriani apud Phot. lib. 9. & Diodor. 18, 39. vbi firmatam ei ab Antipatro hanc prouinciam.

uinciam legimus. Apud eumdem tamen Diodorum 19, 14. *Polemon* appellatur. Huius autem *Tlepolemi* prouinciam *Carmaniam*, ab *Armenia Neoptolemi* vix certo distinguas, adeo & hominum illorum & locorum nomina, per vicinitatem soni mutuæ corruptioni sunt opportuna.

Habes nomina procerum, in quos prægrandis imperii membra distributa sunt. Ad pleniorem autem tam magnæ rei intellectum, ipsas etiam prouinctas, quibusque traditæ fuerint, eadem serie percurremus. Quod quanquam tædii nonnihil & laboris plurimum habeat (nam de temporis penuria diu queri eius est, qui possit perdere) tamen vtilitatis facilitatisque caussa, quam ipse æstimare poteris, lubenti animo suscipimus. Notandum autem plurimam istarum prouinciarum partem breui in pauca regna cessisse: Macedoniæ Antipatri, Asiæ Antigoni, Ægypti Ptolemæi, Syriæ Seleuci, Thraciæ Lysimachi, & Indiæ Sandrocotti. qui ceteros commilitones suos potentia vitaque multum supergressi feruntur. Igitur

Ægyptus ab Alexandro pluribus præsidibus credita, Curtius 4, 8, 4. post mortem eius tota traditur *Ptolemæo*. cuius posteri ad Augustum vsque ibi regnauere.

Africa etiam, quoad perdomita erat, eidem *Ptolemæo* tribuitur. Ex cuius familia Ptolem. cognomento Apion, Cyrenarum regnum, quod habebat, in pop. Romanum testamento transtulit. Iustinus 39, 5, 2.

Agriani iussi *Cratero* & *Antipatro* parere, post mortem Crateri cum ceteris Macedonici regni accessionibus, in vnius *Antipatri* arbitrium concedunt.

Arabia quatenus perdomita fuerat, *Ptolemæo* assignatur. Maiorem tamen eius partem *Seleucus* tenuit, Appiano teste.

Arachosia diu sub *Sibyrtio* fuit. postea accessit etiam imperio *Seleuci*.

Arbelitis regio apud Diodor. 18, 39. & Arrian. lib. 9. *Amphimacho* traditur; mox cum vicinis regionibus in *Seleuci* potestatem concedit.

Aria Stasanori primum à Perdicca: deinde ab Antipatro *Stasandro* subjicitur. Inter vtramque diuisionem biennio minus interfuit.

Armeniam Tlepolemo obuenisse Iustinus videtur tradere, siue potius *Neoptolemo*, vt in eo nomine disquisitum est nobis. Postea & ipsa concessit in *Seleuci* ditionem. Appianus.

Asia quæ minor dicitur *Antigono* fere tota diu paruit. cuius ἐπίτροπος & curator factus fuerat. Appian. sed &

Assyria aliquamdiu. Quapropter in prima diuisione eam illi obuenisse credidit auctor anonymus apud Eusebium.

Babyloniam prius *Archon* habuisse videtur: mox *Seleucus*, qui etiam inuasam *Antigono* egregie recuperauit. Appianus.

Bactriana ulterior, vt Iustinus ait priores præfectos retinuit. quod Curtius & Arrianus confirmant. Inter quos eminebat *Oxathres*, vel *Oxyartes*, Alexandri socer, qui & rex Bactriorum vocatur à nonnullis. Ergo de citeriore videtur intelligendum, cui à Macedonibus siue *Philippus* siue *Amyntas*; & mox *Stasanor* impositus legitur. Totam postea possedisse fertur *Seleucus*.

Cappadocia Eumeni data est vel potius dicta, nam tum in hostium erat potestate. Probus. Ariarathis nimirum. Quo interfecto, cum etiam Eumenes hostis à Macedonibus appellatus esset, ademptæ prouinciæ *Nicanor* quidam præficitur. Postremo *Seleucus* obtinuit.

Caria data *Cassandro* Diodor. 18, 3. mox *Eumeni*. Iustin. 13, 6, 14. cui illam cum vita extorsit *Antigonus*.

Carmania commissa *Tlepolemo*, videtur mox *Seleuci* imperio accessisse.

Cher-

Cherronesus Thracia *Lysimacho* paruit. Dexippus. Arrianus.

Cilicia amplissima regio in partes diuisa fuisse videtur. quarum eam quæ ad Phrygiam pertinet, *Antigonus* obtinuerit. nisi tamen error est in Dexippi aliorumque scriptura, vt supra monui. Verius ergo dicemus totam *Philotæ* primum, mox *Philoxeno* fuisse traditam. Ad postremum *Seleucus* ea potitus est.

Drangiana secundum aliquos *Philippo* obuenit. potiores plurésque *Stasanori*, qui *Stasanor* est Iustino, tribuunt. Altera diuisione *Stasandro* fuit commissa.

Epirus cum Macedonia adhæsit *Antipatro*.

Gedrosiam Sibyrtius habuit.

Græciam Antipater: dein *Polyperchon*. Iustinus 13, 6, 9. à quo translata in *Cassandrum* filium, effecit, vt ab initio ei tradita videretur Dexippo apud Euseb. & Latinobarbaro.

Hyrcania Phrataphernis mansit. quo pulso aut mortuo adjicitur imperio *Seleuci*. Latinobarbarus *Antigono* frustra tribuit.

Illyrij Philoni cuidam apud Iustin. tradi videntur, verum vitiosa est lectio. Cum Macedonia mansisse penes *Antipatrum*, haudquaquam ambigitur.

Indiæ maior pars sub *Taxile* & *Poro* mansit; adiectis etiam aliis quæ prius non possederant. Certe *Pithon Agenoris F.* Parapamisadis propinqua tenuit. hoc est *colonias in Indis conditas* vt Iustinus explicat: κατοικίας ἰδίας (Ἀλεξάνδρου) Strabo lib. 15. vocat: aitque à *Seleuco* postea traditas esse *Sandrocotto*, qui sub ea tempora amplissimam Indiæ regionem possidebat. Iustin. 15, 4. Appianus. *Sandrocottum* vocat Arrianus 5, 1, 25.

Isauria Latinobarbari calculo *Philotæ* tribuitur, cum Cilicia. nec abhorret à vero vicinia locorum.

Lycaonia Antigono data. Arrian. lib. 9, vnaque vicina *Lycia*. quam frustra *Cassandro*, Cedrenus & Eusebiana; *Nearcho*, Iustinus asserunt. Eam *Antigono* extorquere cupiens Perdiccas, *Eumeni* demandauit. Sed ille prævaluit.

Lydiam Menandro tribuunt plures: *Meleagro* Diodorus; *Pythoni* Eusebiana & Cedrenus. Cessit in ditionem *Antigoni*, ejecto *Clito*, quem Antipater præfecerat. Diodor. 18, 52.

Macedonia demandatur *Cratero* & *Antipatro* penes quem post mortem illius manet, & in *Cassandrum* transmittitur. cui ea de caussa obuenisse dicitur apud Dexippum Eusebii, & Appianum. Cedrenus, qui *Perdiccæ*, & Latinobarbarus, qui *Aridæo* tribuunt; non terram Macedoniæ, sed imperii arbitrium intellexere.

Mediam Atropates regebat Alexandri auctoritate, & mox affinitate Perdiccæ, supra proprias vires, validus. Ideo quamuis *Pithon* Mediæ præficeretur, ipse tamen permissu Macedonum, dein etiam inuitis ipsis portionem eius tenuit, quæ ab ipso vocata fuit Atropatia. Strabo lib. 11. Cetera *Seleucus* postea occupauit, occiso *Antigoni* Satrapa *Nicatore*, secundum Appianum.

Mesopotamia post *Arcesilaum* & *Amphimachum* Satrapam accipit *Blitorem* imponente *Antigono*. Ad postremum *Seleuco* subjicitur.

Palæstina in Eusebianis *Antigono* tribuitur. At ex Iosepho aliisque constat *Ptolemæo* paruisse, cum vicina Syriæ parte. Eius tamen præsidia eiecerat Antigonus. Appian. diuque inter eos, postea etiam inter Seleucidas Syriæ reges, & Ptolemæos Ægypti, de eius possessione pugnatum est.

Pamphylia Antigono data, retentaque contra *Eumenem*. Iustin. 13, 6.

Paphlagonia cum Cappadocia eosdem dominos habuit.

Parapamisadæ commissi *Oxyartæ*, cui videntur à *Sandrocotto* fuisse erepti.

Parthia

Parthia Phratapherni tradita erat: mox *Philippo*, vel secundum Iustin. *Stagnori* mandata; tandem accessit *Seleuco*.

Patala traduntur *Poro*. Arrian. lib. 9.

Persidem Tripolemo quidam (*Tlepolemum* videntur velle) potiores *Peucestæ* tribuunt. Postea cum omnibus circa regnis *Seleuco* paruit.

Phœnice cum Syria & forte Palæstina *Laomedonti* obuenit. vide *Syria*.

Phrygiam maiorem accepit *Antigonus*; quæ ad Hellespontum pertinet, *Leonnatus*. Sunt qui *Pythoni*, *Cassandro*, *Perdiccæ*, *Philotæ* tribuant, quos falli puto. *Eumeni* Perdiccas postea adiecerat; sed obtinuit validior *Antigonus*: cum interim *Leonnatus* occubuisset.

Pontus haud dubie maiori ex parte *Lysimacho* obtigit, pro quo *Antipatrum*, aut *Leonnatum* falso videntur substituere. *Eumenes* tamen etiam partem eius acceperat, confinia vtriusque ex Curtio, Dexippo, Arriano colligere poteris.

Sogdiana Philippo prius, vel *Amyntæ*: dein *Stasanori* data fuit. At Dexippus *Oropium* præfecit, ignoratum aliis. Ad vltimum *Seleucus* possedit.

Susiana post Perdiccæ finem, in præmium nauatæ operæ *Antigeni* traditur, Argyraspidarum duci, ab Antipatro. Arrian. lib. 9. pro quo, vitio manifesto, apud Diodorum 18, 39. legitur *Antigonus*. cui geminum mendum sup. quoque in Curtio 8, 14, 15. sustulimus. De ista satrapia Antigenis, ipse Diod. 18, 62. Pellenæum fuisse colligas ex Plutarcho de fort. Alex. 2, 15. & 16. nisi forte legendum ibi Πελλαίῳ. Eiusdem, puto, mentionem facit idem Auctor in Alex. cap. CXX.

Syria Laomedonti fuerat tradita; quem *Ptolemæus* expulit: vicissim pulsus ab *Antigono*. postea *Seleucus* totam obtinuit. cui ea caussa statim adiudicatam putabant Dexippus Eusebianus, cum Cedreno. inter *Pithonem* & *Meleagrum*, nescio quo auctore, partitur eam Latinobarbarus.

Tapyri amissis satrapis suis, cum Parthis & Hyrcanis accesserunt *Seleuco*. Appianus.

Thracia quidem *Lysimacho* obuenerat, qui & magnam eius partem obtinuit: superabant tamen adhuc nationes regesque liberi, à quorum Seutha, ipse captus fuit. Plut. apophth. c. 49. non enim interfectus, vt Arrianus videbatur scribere. cum enim ipse postea multam eius mentionem faciat; apparet τὸ ἀνηρέθη accipiendum, vt debellatus intelligatur, non etiam vt occisus.

Triballi cum Macedonia paruerunt *Antipatro*. Sed hæc hactenus.

10,10,4. *DECRETVM EST VT*) Hæc verba superflua videntur.

10,10,5. *TESTAMENTO*) Vide sup. ad 10,5,4.

10,10,8. *EXPEDITIVS AVGERE*) Sen. epist. 101, 2. ex P. Syro, *Facilius crescit dignitas, quam incipit*. Vide Flor. 2, 2, 2. a.

10,10,9. *SEPTIMVS DIES*) Ælian. hist. var. 12, 64, 2. *triginta diebus inhumatum iacuisse* narrat. Fieri potest, vt neuter fallat. Raderus. qui mox subjicit de corpore in Ægyptum auecto, quasi sentiret Ælianum triginta dies computasse à morte Alexandri, donec Alexandriæ humaretur: sed ex Diod. 18, 28. patet biennium extractum fuisse, antequam id fieret. Luctum ea super re Olympiadis exponit Ælian. hist. var. 13, 30. Apud Lucianum in Dial. mort. ait Diogeni: *Etiamnum in Babylone iaceo tertium iam diem: porro Ptolemæus ille satelles meus, si quando detur ocium ab his rerum tumultibus qui nunc instant, pollicetur in Ægyptum deportaturum me.*

10,10,10. *MESOPOTAMIÆ ÆSTVS*) Vid. Strabo lib. 16. Plut. Alex. c. 66. Ammian. 18, 17. *Vbi solis radiis exarserit tempus, in regionibus æstu ambustis.*

PLE-

PLERAQVE ANIMALIA) An rectius *plerumque*?

10,10,12. *NVLLA TABE*) Contra Lucianus in dial. Philippi & Alexandri, facit *istius cadauer porrectum iacere, turgidum sane, & iuxta aliorum corporum morem contactu suo omnia labefactans*. Pro Curtio tamen, & qui alii cum eo sentiunt, sit; quod constat eximia corporis temperie fuisse præditum eum hominem, vt ex eius ore ac membris omnibus fragrantia mire suauis defluxerit, auctore Zonara, ex Plutarchi Sympos. 1, 6. *ita vt tuniculæ fragrantia replerentur aromatum odorem æmulante*. Credibile tamen est, non ita plane neglectum iacuisse, præsertim in tanto æstu. id enim contra omnem morem atque rationem fuisset factum: nec impedire poterant istæ turbæ, quin saltem ad durationem melle perfunderetur. quod etiam ita gestum non absurde propugnes adiuuante Statio Sylu. 3, 2, 117.

Duc & ad Æmathios manes, vbi belliger vrbis
Conditor Hybleo perfusus nectare durat.

Fabulam autem illam fuisse sparsam verisimile est, ad eximendam opinionem de veneno regi dato. Vide Gregorii Horstii problema, *an cadauer humanum aliquot septimanis incorruptum nullo artificio accedente durare possit*.

10,10,13. *ÆGYPTI CHALDÆIQVE*) Morem Ægyptiorum hunc purgandi cadauera, & odoribus imbuendi, exponit diserte Herodot. 2, 86. Scripsit & Lucianus de hoc more περὶ πένθους, *de luctu*. Vsi sunt veteres in condiendis corporibus mortuorum sale, nitro, cedro, asphalto, melle, cera, myrrha, balsamo, gypso, calce. Caput octauum Io. Kirchmanni lib. 1. de funer. Rom. consule. Alexandrum quoque Neap. 3, 7. & Tiraquellum. Gretserum de funebri Christianorum ritu. Raderus. Ἐνταφιαστὰς reddiderunt LXX. Genes. cap. L. *in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit*, ait Augustin. fin. lib. I. locut. de Genesi.

ATTRECTARE EVM) Quid si legas *deum*? comparat enim quodammodo hic mortales cum diis. Raderus. Idem mihi videbatur. eadem antithesis in Iustino 2, 12, 10. *quam nullæ sint mortalium aduersus deos vires*. & quod illi ius fasque esse precantur eodem tendit, quo Vitellii adulatio apud Dionem lib. 59. qui interrogatus à Caio, num se vidisset cum Luna congredi, respondet, ὑμῖν μὲν τοῖς θεοῖς, δέσποτα, μόνοις ἀθεμίτως οὐκ ἐξέστι. *Solis mihi, domine, fas est inuicem videre & conspici*. sic ergo & attrectare.

RELICTVM ODORIBVS SOLIVM) Ita sunt hæc iungenda. Diodor. 18, 26. *cadaueri loculus mallei ductura ita fabricatus erat, vt probe quadraret, quem vsque ad medium aromatis, quæ & fragrantiam & durationem cadaueri præberent, referserant. Supra capulum &c.* pergit exponere quod dicit Curtius, *capiti adiecta fortunæ eius insignia*. Aureum autem fuit hoc solium, ex more Persarum de quo Brissonius. Sic apud Florum. 4, 11, 11. Cleopatra *in differto odoribus solio, iuxta suum se collocauit Antonium*. quo loco etiam de hoc Curtiano diximus. Ceterum aureum istud solium diu postea sublegit Ptolemæus Cocces, aut *Coccyx* (si recte Strabonem lib. 17. emendaui in prologis Trogi) substituto vitreo. Apud Eustath. in Dionysii vers. 254. idem narratur verbis Strabonis.

10,10,14. *VENENO PLERIQVE*) Ex quibus hodie supersunt Iustin. 12, 14, 6. Ouid. in Ibin. v. 297. Suidas. Plin. 30, 16, 4. Vitruuius 8, 3. nonnulli apud Diodor. 17, 118. Plutarch. c. 129. Tacit. 2, 73, 2. Arrian. 7, 5, 14. Bassianus Caracalla apud Dionem. Iornandes de reb. Get. c. 10. Ælian. hist. an. 5, 29, 7. Orosi. 3, 20. Plutarch. de inuidia c. 5. Constantinus Manasses. Dio Chrysost. de fortuna orat. 64. ex emendatione Casauboni. Pausanias in Arcadicis dubitat an veneno ex Stygis fonte perierit. Alii morbo ex vinolentia contracto decessisse tradunt. vt Ephippus apud

Athenæum 10, 9. Probus de regibus. Plutarch. c. 129. Euseb. de vita Constant. 1, 3. Ælian. hist. var. 3, 23. Solin. cap. 15. Zonaras. Liu. 8, 3, 7. Arrian. 7, 5, 14. Sen. epist. 83, 32. Nam Statius Sylu. 4, 6, 72. vtram opinionem sequatur his verbis;

Cum traheres letale merum - - -

in incerto est. L. Ampelius non immerito dubitat, *vinolentia* Alexander, *an veneno* pericrit. Contra opinionem de veneno stygis militat, quod diu postea cadauer incorruptum mansit, etiam ab Augusto conspectum, vt Sueton. scribit. Sed id fieri non potuisset, si stygis aqua septica fuisset extinctus. Vide Scalig. Exerc. ad Cardan. 141, 2.

IOLLAM) Idem reperies apud Plutarch. c. 129. & in Hyperide c. 4. Arrian. 7, 5, 14. Iustin. 12, 14, 6. Oros. 3, 20. Vitruuium 8, 3. Qui omnes egregie confirmant emendationem Casauboni in Dionis orat. 64. legentis, ὅπ τ' Ἀλέξανδρον (ἀπο-κτεινάι) Ἴολας καὶ κύλιξ. pro δἔλ@ καὶ Κίλιξ. Tamen à Cassandro poculum illud traditum significant Val. Max. 1, 7, 2. ext. & Suidas. Diodor. 17, 118. filium Antipatri poculum regi tradidisse scribit: nomen haud adjicit.

ANTIPATRVM) Dio Chrys. dicto loco ait de occidendo eo deliberasse Alexandrum. cuius apophthegma relatum est sup. ad 10, 4, 9.

10, 10, 16. *IN MACEDONIA GIGNITVR)* Imo in Arcadia. Locum hunc Curtii diligentissime explicat Nicol. Loënsis epiphill. 3, 10. Item Leopard. emendat. 4, 8. Vide & Iustin. 12, 14, 7. d. Adde Tzetzem in Lycophronis Alexandram, Virgil. Æneid. 7. Didymum Homeri interpretem Iliad. 19. Vibium Sequestrum citatos à Philandro ad Vitruuium 8, 3. Item Tertull. c. 50. de anima.

VNGVLAM IVMENTI) De hac re vide modo citatos. Hoc modo noto, Aristotelem inuidia grauari, quasi ipse Antipatro consilium id dederit, venenique eius naturam detexerit. Sane & Alexandrum ab eo alienum fuisse, & ab Alexandro ipsum, constare potest ex Plutarch. c. 98. item de sui laude cap. 19. & de profect. virtut. sent. c. 10. Ergo Plin. 30, 16, 4. *Vngulas tantum mularum repertas, neque aliam vllam materiam quæ non perraderetur à veneno Stygis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia excogitatum.* Adde Plutarch. c. 129. Arrian. 7, 5, 14. Diodor. 17, 118. Quod quidem vtcunque traditum, in sectam Aristotelis post multa sæcula acutè vindicauit Bassianus Caracalla apud Dionem.

DVNTAXAT PATIENS) Sequebatur *esse constat*: quod merito, vt manifestam repetitionem priorum, cum Acidalio expungimus.

10, 10, 19. *INTERFECTIS OMNIBVS)* Cassander Antipatri interfecit Olympiadem Alexandri matrem, Diodor. 19, 61. Iustin. 14, 6, 11. Eusebius. Pausan. in Atticis. Alexandrum eius ex Roxane filium, cum ipsa matre, Diodor. 19, 104. Eusebius. Herculem alterum eius filium, Pausan. in Bœoticis. Ergo Iustin. 16, 2, 5. ait *Cassandri domum Alexandro M. stirpis extinctæ pœnas luisse.* Ex Radero. Adde Reineccium in Regno Maced. Iosippum Hebr. à pr. Iustin. 13, 2, 3. 16, 1, 15. 16, 2, 5.

10, 10, 20. *CORPVS EIVS)* Pompa qua translatum fuit exactè describitur à Diodoro 18, 26.

A PTOLEMÆO) Ælian. hist. var. 12, 64. elegantem fabulam narrat: eum diu iacuisset insepultus Alexander, Aristandrum vatem rem exprobrasse ducibus, adiecto felicem fore, qui corpus Alexandri in sua prouincia haberet. Quo inductum Ptolemæum id clam auexisse, decepto etiam Perdicca, qui persecutus eum fuerat. legendum enim Πθλεμαῖ@ ὃ τὸ σῶμ@ ἐξεκλεψε. non, vt vulgo, ἐξεφίλυψε.

MEMPHIM) Pausanias Atticis: Ptolemæus *iis Macedonibus, quibus negotium datum erat vt Alexandri cadauer Ægas reportarent, vt sibi illud traderent persuasit, acceptumque Macedonico ritu in Memphi condidit.* Adde Diodor. 18, 29. Arrian. apud Photium.

ALEXANDRIAM) Secus quam voluit Alexander apud Iustin. 13, 4, 6. quæ verba reperiuntur sup. 10, 5, 4. Vide notas Amantissimi Soceri ad Sueton. Aug. 18, 1. *Conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum è penetrali subiecisses oculis,* (Augustus) *coronâ aurea imposita, ac floribus aspersis veneratus est.* de eo Lucan. 8, 694.

Cum tibi sacrato Macedon seruetur in antro

in apostrophe ad Ptolemæum: & 9, 154.

- - - - adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam.

quod *in dolorem sæculi, inuidiamque fortunæ, in conditorio seruari,* eleganter ait Plin. 37, 2, 6.

NOMINI HONOR HABETVR) Varius atque multiplex, præsertim gesta eius extollendo. de qua re Iulianus orat. 1. haud inepte iudicasse videtur; *omina illa, & responsa, aut per visum obiectas species* de Alexandro vulgata, *à poetica licentia non multum recedere.* Ceterum quantus eius memoriæ sit honor habitus ex subiectis passim cognosces. *Dicuntur iurari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento.* idque Macrianorum familiam obseruasse tradit Pollio in Quieto ex XXX. Tyrannis. Eius effigie Augustus signauit. Sueton. Aug. 50, 1. Idem eius sepulchrum curiosè inspexit; corpusque honore affecit: vt paulo supra dictum. *Magnus* est cognominatus, quod cognomen *externorum nulli verius iustiusque contigit,* iudicio Sabellici exempl. 6, 3. Creditus est in somnis apparere, & quæ agenda essent præcipere. quam famam commento suo firmauit Eumenes, de quo sup. ad 10, 6, 4. & apud Plutarch. c. 11. de alio insomnio. item Antiochus Soter, qui cum Gallis pugnaturus, militibus hoc somnio audaciam fecit, Alexandrum adstitisse sibi, vtque tesseram daret νικαίνει iussisse; ita victoria potiturum. Iam æra Alexandri in *Orientis partibus* obseruata, haud leuis honor est. alios nec minores his, & multis modis plures, quos collegeramus, in commodius tempus differimus.

Ματαιότης ματαιοτήτων, τὰ πάντα ματαιότης.

VNVM EST NECESSARIVM.

IN TOTVM OPVS CVRTIANVM LOCVPLETISSIMVS INDEX

IN QVO

E ternis numeris primus Librum notat; secundus Caput libri; tertius Versiculum seu sectiunculam capitis.

Absolute positi numeri ad textum referuntur: quibus C. litera præfixa est, Commentarios respiciunt: S. indicio est Supplementum intelligi: V. ad Varias Lectiones ablegat.

Quoties numeris integra vocabula subiiciuntur, argumento sunt, plures ad vnum versiculum notas in Commentariis inueniri; ea vero quæ indicatur, pertinere ad notam, quæ ab ciusmodi verbo incipiat.

A. Litera *reperitur multis nominibus præsertim orientalibus præfixa. C. 6, 4, 25. exemplis ibi citatis adde* Sisenem, *quod nomen Iosepho* 11, 4. *effertur* Sisines; *Luciano de amicitia*, Sisinnes; *Arriano* 1, 8, 3. Asisines. *sic* Muratem, *&* Amurathem *promiscue inuenias. C.* 4, 6, 15. Speculator, *quem D. Marcus* 6, 27. Σπεκουλάτορα *vocat, Iudæo quem Schickardus de iure regio* 2, 1. *citat* Aspeclator *est* אספקלטור *conieci id accidisse ex præfixo articulo, qui ab ignaris linguæ coniunctus fuerit nomini. Firmani eam opinionem alia hoc genus exempla, præsertim ex Arabico sermone petita: vt cum* Al-coranum, Al-chymiam, Al-manacum; *pro* corano, chymia &c. vsurpamus. *vide infr.* Satrapa.

A *frequens terminatio est vocabulis vrbium* C. 8, 10, 21. Mazagas. eodem refer C. 9, 1, 14. *Indica præsertim oppida vt plurimum ita desinere notaui. Idem obseruaui de* Caricis, Labranda, Alabanda &c. *apud Strabonem* lib. 14. *ab Alabando vocata, deo ipsorum. Ciceronem vide de natura deor.* 3, 19. *&*

Stephanum in Ἀλάβανδα. *sic* deba *terminatio notat vrbem, vt ex historia Hierosol. incerti auctoris, quam Bongarsius edidit, disco* Philippopolim *Macedoniæ aliquando* Pulpudeba *vocatam fuisse. errorem quidem istius hominis animaduerto, sed quia ad nostrum instituum non pertinet, dissimulo. Sic apud Liuium 33, 2, 2. Cariæ Castellum est* Tendeba, *sed vitiosa lectione nequiter occultatum*: cum his copiis Pausistratus tendebat in Stratonicensi agro locum peropportunum, ignaris regiis qui tenuerant, occupauit. *lege*; Tendeba in Straton. agro: *& mox n.* 4. Dinocrates regius præfectus recuperandi castelli caussa primo castra ad ipsa tendebat, mouit inde ad alterum castellum &c. *lege*; ad ipsa Tendeba mouit; inde &c. Τίνδηβα *sunt Stephano. vt forte hoc Tenis oppidum significet, à quo & Tenedus vocata est. apud Parthos olim Armenioque certa notabat vrbem, inde sunt* Dadocerta *apud Stephanum*, Tigranocerta, *apud Tacitum & alios*, Vologesocerta *apud Plinium*, *ex nominibus conditorum.*

A *interdum pro* ab *scribitur. & vicissim, exempla subministrabunt* V. 3, 9, 10. V. 9, 2, 29. &c. *Sæpius confunditur cum* ad, *vt* V. 8, 9, 5. *pro* à Mer. regione, *in aliis est*, ad Mer. regionem: V. 9, 2, 29. abfuerit, afuerit, & affuerit. C. 7, 1, 29. Auersaremur, & aduersar. V. 8, 13, 23. auersus, & aduersus. V. 10, 5, 3. amissurus, & admiss. *sic apud Vitruuium in præfat. lib.* 2. *lego.* Nouitas populum cum aduertisset, *non* auertisset. *quomodo apud Tacit.* 1, 41, 1. gemitus ac planctus militum aures oraque aduertere.

à, de *&* è, *aliud pro alio poniur* V. 4, 13, 13. *a*, & *ci. syllaba ob similitudinem ductuum confundi possunt, vt* V. 8, 4, 25. *ex* duas, *factum est*, ducis. *simili errore* C. 3, 1, 29. f. *pro* ducibus, *operæ fecerunt*, duobus. *a & e. crebro permutantur: vt* V. 7, 11, 23. Cophes, & Cophas. V. 9, 3, 23. retractantes, & retrect. *sic* V. 10, 1, 32. 10, 7, 5. &c. *a & o.* V. 3, 10, 8. calles, & colles. V. 9, 4, 19. aduocata, & aduocato. *sic* V. 9, 6, 15. 9, 7, 17. 9, 10, 5. &c. *a & v.* V. 7, 10, 11. adduxerunt, & adduxerant. V. 8, 1, 46. abstulerunt, & abstulerant: *quod in ea temporum permutatione frequenter euenit. neque leuicula hæc notare piget, ob vsum quem interdum ad emendationem auctorum præstant hoc genus obseruatiunculæ, si cum iudicio adhibeantur. quod semel dictum volo.*

à defectione *h. e. post defect.* 6, 1, 20. à fronte, à tergo. 3, 8, 27. 4, 15, 22. C. 5, 12, 8. à latere ipsius, 3, 5, 15. h. e. *qui circa eum proximi: indeclinabile*, vt à manu, *pro* amanuensis. *Sueton. Aug.* 67, 5. Thallo à manu crura effregit. *eadem vis particulæ huic apud nostrum* 3, 1, 19. vt à tergo tuta relinqueret. *simile hoc apud Cæsar. de bell. Ciu.* 2, 34. relicti ab iis, qui vna procurrerant leuis armaturæ, circumueniebantur. *eodemque modo possis accipere præcedentia*: leuis armaturæ interiecti complures. à Persepoli profectus. 5, 6, 19. *notetur præpositio adpositæ vrbis nomini.* sic 4, 7, 2. à Gaza copias mouerat. 4, 7, 5. à Memphi eodem flumine vectus. *sic apud Liu.* 26, 15, 9. eques citus ab Roma venit. *Sueton. Aug.* 95, 1. reuerso ab Apollonia. *Tacit.* 15, 6, 2. exercitum Rom. à Tigranocertis deductum.

ab *&* ad, *cum compositis suis sæpissime inter se permutantur, vt* V. 8, 1, 44. abducere *&* adducere. V. 6, 8, 22. vt in Agell. abiectis, *&* adi. V. 8, 1, 49. ablata *&* allata. *sic* C. 4, 4, 5. V. 8, 10, 24. 9, 6, 20. 10, 5, 19. &c. abripit & arripit. V. 4, 4, 5.

ab animis vultus dissentiunt. 6, 1, 17.

ab eo, *post eum.* 5, 2, 5. ab Tanai. 7, 4, 15.

Abaritæ. 9, 10, 5. *vide* Arabitæ.

Abdalla. C. 4, 1, 19.

Abdera. S. 2, 3, 14.

abdere se in saltu. 8, 2, 37. abdita tecta, *occulta.* 8, 4, 13.

abdicare patrem. 4, 10, 3. *noue & acute dictum. alias enim abdicantur liberi, non patres.* abdicare *namque est* patris factum, quod est familia abjicere, vt *interpretatur Nonius. sed hic ipsa sermonis nouitate non minus argute quam inuidiose perstringitur Alexandri insolentia, qui reiecto Philippo Hammonem sibi patrem optauerat. Ceterum verba certis ritibus solennia, ad alia quoque negotia apte detorquere ingeniosum habetur. ita laudat Tacitus* 13, 14, 2. *illud Neronis*; ire Pallantem vt eiuraret.

Abdolonimus. C. 4, 1, 19.

abducere equites. 10, 7, 21. equos. 7, 1, 34. iumenta. 6, 6, 15. *quem* in regiam, capite velato. 6, 8, 22. *vbi alii habent* adducere.

abest *cui* cura, fortuna, h. e. *illis caret aut destituitur.* 3, 2, 1. abesse spatium vnius iugeris. 5, 1, 26. *tot* stadia ab *aliquo loco.* 3, 4, 2. 5, 8, 2. inde *tot* stadia. 3, 8, 24. haud amplius quam *tot* stadia. 5, 13, 11. *tot* stadiis. 4, 10, 15. 5, 13, 9. haud procul castris. 7, 5, 13. haud procul à fine mundi. 9, 6, 20. procul mari. 9, 9, 6. montibus longius. 3, 9, 10. absit inuidia. 10, 2, 24. 10, 9, 6. absens dicit caussam. 6, 9, 28.

abferre, *pro aufferre.* V. 7, 1, 10.

Abgarus. C. 4, 1, 19. *Abdolonimus. Nicephoro Histor. Eccles.* 2, 7. *est* Augarus *per notissimam literarum B. & V. cognationem.*

abhorret animus à fuga. 5, 8, 10 an. facinore procul. 6, 7, 11. ingenia à luxu. 4, 6, 3. carmen auribus peregrinis. *hoc est, quod abhorreant aures non adsuetæ.* abhorrere, *pro discrepare, differre. sic* abhorrere à more, sermone. 6, 9, 36. abhorret cultus à priuato paululum. 3, 6, 19. *gens* cultu vitæ à ceteris. 5, 6, 17. mare colore à ceteris. 8, 9, 14. vehiculum cultu à vilioribus. 3, 1, 14. abhorrentia moribus. 7, 8, 11. munia ministeriis seruilibus. 8, 6, 2.

Abiasares. V. 8, 12, 13. V. 9, 1, 7.

Abii Scythæ, *aliis* Auii. C. 7, 6, 11. ἄβ. *& pauperem notat.* βί *& enim & vitam & victum significat. sic & Galli* gaigner sa vie, *&* Hispani gannar su vida. *Sic etiam sentit Nic. Damascenus in Excerpt. Vales. p.* 513.

abigere equos. 7, 9, 16. abacta iumenta. 5, 13, 25. *de* abigeis & abigeatus *crimine vide Langlæum semestr.* 8, 1. *erudite disserentem.*

abjicere amiculum. 3, 12, 5. insignia imperii indecore. 3, 11, 11. magis quam ponere pocula. 8, 1, 44. corpus humi. 10, 5, 19. pronum corpus in humum. 5, 12, 8. viscera canis discissæ ab vtraque parte *campi* 10, 9, 12. abiecti & infracti. 6, 2, 21. *pro supplicibus & humilibus.* C. 3, 12, 11.

abire domos. 8, 6, 20. è conspectu. 8, 3, 5. impune. V. 4, 16, 18. retro 3, 8, 1. abire *iussus legatus.* 7, 11, 23. *quia nimirum ipsius postulata valde displicuerant. sic apud Liuium* 6, 17, 11. *Circiensibus & Veliternis iniungitur*, facesserent propere ex vrbe ab ore atque oculis pop. Romani. & 42, 48, 3. *Persei legatis* denunciatum, extemplo mœnibus vrbis Romæ, Italia intra trigesimum diem excederent. *ita Iugurtha legatique eius* Italia decedere *iubentur, apud Sallust.* Iug. 28, 2. & 35, 9. *Aristagoras* è Sparta ante solem occidentem, Herodot. 5, 50. *ea denunciatione legatus intelligebat, nihil sibi profuturum ius gentium, si vltra præfinitum tempus moraretur.* abeuntium agmen. 5, 13, 13.

Abisares. 8, 12, 13. legatos ad Alex. mittit. 8, 13, 1. Poro belli socius. 8, 14, 1. eo victo iterum legatos mittit. 9, 1, 7. morbo interit. 10, 1, 20. successore filio. 10, 1, 21.

Abistamenes. 3, 4, 1.

abluere corpus. 3, 5, 2. 4, 1, 22. corpus aqua. 3, 5, 5. abluitur *cui* squalor. 4, 1, 23.

Ablynceste. V. 5, 2, 5.

abnuere multa adfirmatione, animi constantia, vultu, sibi quicquam cogitatum esse. 6, 11, 35. constanter, se dedisse fidem. 6, 7, 7. abnuens, *absolute, pro negans.* 5, 3, 13.

(quod abominor) 7, 4, 12.

Abrahamus Aben Phareg Msuli *historiæ de Alexandro scriptor.* C. proleg. cap. 4.

abripit belluam Neptunus. 4, 4, 5. *aly* arripit. *celeritatem simul & violentiam indignantis notat. sic Macedones* 3, 5, 8. *queruntur regem suum* diuelli à se & abripi, *(9. legunt* abrumpi) *scilicet ab iniquis infestisque numinibus. eiusdem ergo originis verbum vsurpatur Tacito in morte Germanici* 2, 82, 6. *& filiorum Agrippæ* 3, 6, 3.

abrumpere, *diuellere, separare*, equites à cetero exercitu. 10, 7, 21. *sic* abrupti à ceteris. 3, 11, 18. abrupta à ceteris agmina. 4, 15, 22. partem viscerum suorum. 6, 9, 19. *cui* spem gratiæ, *h. e. præcidere.* 10, 8, 17. abrumpunt iter fossæ. 5, 5, 1. abrupta petra, *prærupta, ardua, abscissa, vt mox.* 7, 11, 2. rupes. 8, 11, 3. abrupta simulachrorum membra, *præcisa, præfracta.* 5, 6, 5. abrupta, *de*

generauit in obruta. V. 4, 15, 23. *quia* a *in* o *facile corrumpitur, & participia verborum* rumpere *& ruere sæpissime confunduntur.*

abscindere lignum, *præcidere.* 9, 5, 22. abscisa & abscissa. V. 3, 11, 25. abscissa undique petra, *abrupta.* 7, 11, 2. abscissæ rupes. 5, 3, 17. abscissa vestis, *diruptа, lacerata, in tuctu.* 3, 11, 25. 10, 5, 10. abscissum caput. 8, 3, 9.

abscondit fumus cœlum, velut nube, *tegit, occulit.* 6, 6, 30. abscondere miserias. 5, 5, 11. paucitatem. 4, 14, 14. pedites. 8, 13, 17. siros solerter. 7, 4, 24. abscondi in domo matris iuuenes, *ne videlicet ad militiam pertraherentur. ibi versari, vt Achilles in Scyro insula.* 7, 1, 37. abscondi caligine. 7, 4, 29. absconditus in armamentario. 6, 7, 23. absconditi cursus. 7, 10, 3.

absistere *sc. obsidione.* 8, 11, 2. bello. 10, 7, 18. *vbi q.* abstinere, *cognato sensu.*

absoluere, *liberare quem ab imputato crimine,* sententia sua, 7, 2, 8. cognita caussa. 6, 10, 3. absolui nemo potest, nisi qui dixerit caussam. 7, 2, 9. absolute dicta ad sensum commodum ex adiectis restringenda. C. 4, 11, 17.

absorbet mare quidquid ingeritur, *haurit, & inglutit, vt non exstet.* 4, 2, 19. humorem siccitas. 7, 5, 5. absorbetur interdum syllaba, si aut sequens iisdem literis constet, aut ea omissa, nihilominus tolerabilis sensus exeat. *vide* V. 7, 7, 27. idem fit in singulis literis. *vt* 7, 6, 26. *legitur*, qua munimenta, *quum emendandum sit*, quam munimenta, *vide infra.* Quam.

abstergentur remi, collisis nauibus. 9, 9, 16. *Membranæ Modij* impingique *pro* abstergique. *sed librarius non intellexit vocem* abstergeri, *quæ est* abrumpi, *vel decurtari, παραφθορᾷ. A. Hirtius de bello Alexandrino cap.* 15. Nullius remi detergerentur. *Vide & Gifanii Indicem Lucretianum in voce* Abstergeri. Loccenius. abstergere *&* detergere *idem est & valet quod* frango, *vt Virgilius* 1, 108. Franguntur remi; *vel* abscindo. *Hirtius &c. Cæsar de bello ciu.* 1, 38. aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. Abstergo *&* abstergeo, detergo *&* detergeo *dicitur, secundi & tertii ordinis.* Raderus. *Adde his quæ notaui in Indice Floriano voce* Detergere. absterssis lachrimis. 5, 5, 8. oculis amiculo. 6, 9, 33.

abstinere armis. 7, 6, 11. bello *(aliquo* absistere) 10, 7, 18. cædibus. 3, 12, 19. cibo. 4, 10, 23. cibo & luce. 10, 5, 24. consilio. 8, 3, 6. corporibus, & cultu feminarum. 5, 6, 8. ne quidem equis. 9, 10, 12. lachrimis. 5, 4, 24. latratu. 9, 1, 31. nominibus, *nomina reorum premere & reticere.* 6, 9, 3. ne sacris quidem. 10, 1, 3. iussit abstineri cædibus. 5, 13, 19. 8, 10, 10.

abstrahi, *vi abduci.* 8, 1, 41 ad capitale supplicium. 3, 7, 2. vix inde (*à corpore defuncti*) abstractus est. 10, 4, 2.

absumpto, *consumpto, impenso, collocato,* biduo in has cogitationes. 3, 6, 8. quatriduo. 4, 7, 15. *tot* absumpti sunt dies in &c. 6, 5, 32. 8, 6, 11. *tot* millia in congiarium. 6, 2, 10.

Abulites. 5, 2, 8. Abuliti restituta satrapia Susiæ reg. 5, 2, 17. Alius hoc nomine in Ctesiæ Persic. cap. 62.

abundare, *adfluere, largiter instructum esse,* auro. 10. 1, 11. copia commeatuum. 6, 4, 21. opificum. 4, 2, 12. rerum. 4, 10, 13. iuuentute. 4, 4, 20. abundans copia rerum terra. 5, 2, 1. frumento & pecoribus regio. 9, 6, 3. multitudine *Mazæus.* 4, 16, 2. abundantes omni copia rerum vrbes. 5, 1, 4. præda *milites.* 9, 2, 10. abunde, *satis superque,* constantis animi. 6, 7, 13.

abuti nomine regis in perniciem *cuiusquam, sub inuidia regii nominis exitium alteri moliri.* 10, 9, 21. sanguine *quorum.* 8, 7, 11. abusus libertate. 8, 2, 2.

Abydus. S. 2, 3, 23. Abydenus ager. S. 2, 4, 13. *ciuitas fuit Troadis, secundum Ptolemæum long.* 55, 20. *lat.* 41, 15.

ac, *propter similitudinem literarum confunditur interdum cum* &, V. 3, 8, 23. 4, 12, 12. *interdum cum* vt, *exemplum in* V. 5, 1, 33.

Acadera. 8, 10, 19. Acadræ *populus Sinarium est Ptolemæo long.* 175. 0. *lat.* 26, 0. *& vrbs* Achatara, long. 178, 20. *lat.* 21, 15. item alia vrbs Acadra *long.* 167. 0. *lat.* 4, 50. *sed nulli horum consentiunt Curtiana* Academa.

Acar-

Acarnan natione. 3, 6, 1. Acarnanes equites. 3, 2, 16.

accedere *Vide* adcedere. *Rationem quippe, quam visum in his talibus sequi placeat, quum illa certa sit & immutabilis, hic præsertim in Indicibus, vbi quærentem quam breuissima via duci interest, ob inconstantiam & varietatem incommodus & importunus.*

sic ergo & accendere, *quære in* adcendere, *atque ita deinceps cetera.*

accipitres aurei. 3, 3, 18.

acer consilio, *acutus & perspicax.* 7, 2, 53. acri impetu, *forti, valido.* 3, 13, 8. acrior cupido. 6, 5, 32. flatus. 4, 2, 8. nemo acrior vindex. 5, 12, 5. *exactior, & inexorabilior.* acrius cupere. *validius.* 7, 8, 20. fugere. 8, 14, 37. inire prœlium. 5, 3, 10. quam cautius dimicare. 8, 11, 15. quam constantius. *hoc est, primo quidem impetu valido, sed cito remittente ardore.* 4, 6, 14. acrius, *acerbius,* quam vellet. 4, 13, 8.

acerbitas inimicorum Philotæ, bonitatem regis vincit. 6, 8, 22. *hoc est, tanta iis odiorum atrocitas fuit, vt non ante desiuerint calumniari quam regem, quamquam optimum & clementissimum, in Philotæ perniciem impellerent. sic* acerbitates pro *inimicorum odiis contumeliisque legis apud Tacitum* 2, 71, 3. acerba mors. 9, 6, 19. *immatura, deductum hoc à fructibus arborum, qui ante maturitatem acerbi sunt. sic in Ouidij Fastis* 4, 647. Et pecus ante diem partus edebat acerbos.

acerui strues*que*. 8, 4, 11. ac. frumenti. 4, 10, 12.

Acesines. 9, 3, 20. *Gangem* auget. 8, 9, 8. Hydaspi confunditur. 9, 4, 1. *&* 8.

Achæi. S. 1, 7, 30. *in acie Alex.* 4, 13, 29. Megalopolitanis pecuniam pendunt. 6, 1, 20. Achaia. 4, 5, 14.

Achilles cum captiua coit. 8, 4, 26. Homero præcone felix. S. 1, 4, 2. & amico Patroclo. S. 2, 4, 4. ab Achille genus duxit *Alex.* 4, 6, 29. 8, 4, 26. qui illius lyram requirit. S. 2, 4, 2. tumulum coronat. S. 2, 4, 3. eum expeditionis suæ commilitonem optat. S. 1, 11, 6. Achillcus fons. S. 2, 7, 24.

Achmetes Molla, *siue* Meulana Achimetes, *hoc est, sapiens siue doctor Achm. rythmicis versibus librum historiæ Alexandri Magni composuit, & Emiris Suleimanis nomine publicauit edidit. Hic ab eo vicissim donis eximiis liberalissime cultus, fructum sui laboris vberem tulit.* Leunclauius hist. Musulm. lib. X. extremo. p. 438.

acies (*oculorum*) fallitur. 7, 11, 21. acies (*bellica*) explicatur, *hoc est, in patenti loco, idoneoque spatio diffunditur, occupatque formam, quam antea inopia loci efficere non potuerat.* 4, 14, 12. in campo. 4, 12, 19. stat, *nimirum instructa.* 3, 9, 1. acies cohærent, *commissa virimque pugna implicantur.* 3, 11, 5. Laconum. 6, 1, 11. & 12. Macedonum. 3, 2, 13. Persarum. 3, 9, 1. acie ancipiti (*vndique circumfusa*) opprimi. 3, 7, 9. acies aurea. 3, 3, 26. clypeata. 7, 9, 9. dispar. 3, 3, 26. equestris. 7, 9, 13. exhausta. 4, 14, 14. fluctuans pauore, *inclinans, nutans.* 3, 10, 6. fluens effuse in *hostem, irruens, incumbens.* 6, 1, 6. fulgens auro, purpura. 3, 10, 9. gestans prædam, non arma. 3, 10, 9. inculta. 3, 2, 13. instructa. 4, 13, 21. pedestris. 3, 9, 4. 4, 12, 13. 5, 13, 8. rarior. 4, 15, 20. similis vallo. 4, 15, 15. torua. 3, 2, 13. turbata. 4, 15, 22. vana. 4, 14, 8. & exhausta. 4, 14, 14. versatilis. 4, 13, 32. vltima. *hoc est, extrema pars acici.* 4, 15, 17. acie *quem* vincere, *hoc est, prælio.* 4, 1, 13. acierum descriptiones apud Curtium haud accuratæ. C. 4, 13, 22. *Peregrini.*

acinaces. 10, 1, 31. acinacis vagina. 3, 3, 6. acinacem stringere. 7, 4, 19. 8, 3, 4. *vbi* V. acinacim acinace stricto. 4, 15, 30. 5, 9, 10. *Acinacem Græci deducunt παρὰ τὴν ἀκὴν, quod acutissimam aciem, siue ἐξόντως habeat, vnde Herodoto dictum putant ἀκινάκην, quod ἀκείαν ἴσχῃ ἀκὴν, quod aciem haberet celeriter penetrantem. Licet existimare acinacem Turcico gladio persimilem fuisse, à fine modice reflexum, non falcis instar, versus aciem, sed in tergum recurrum, proinde male quibusdam pro falcato ense accipitur, quem Græci κοπίδα nominant.* Raderus ad 3, 3, 6. Idem *ex Hesychio, Polluce, Herodoto, Iosepho* 20, 7. *Moschopulo, & Suida ostendit breuem fuisse gladium ex Arrobio lib. 6. Luciano in*

Scytha, Clemente Alex. in admonitione ad gentes, Ammianoque, Scythas acinacem pro deo colusisse. Ceterum quod de vagina mutata dicit Curtius, non capiendum videtur ita, vt gladii quoque formam mutatam exiſtimes ; ſed vaginæ ornatum ſignificari puto, qui aliis gentibus alius fuerit. Nam Diodorus à Radero aduocatus, de alia armorum mutatione loquitur, ea nimirum quam exponit Curtius 4,9,3.

acroamaticæ diſciplinæ. S. 1,3,5. Ita reconditam *philoſophorum doctrinam appellatam eſſe, quaſi* auditoriam, quia nullis literis comprehenſa erat, ſed viua præceptoris *voce docebatur, confirmor opinione* Henr. Stephani in Theſ. Gr. L. tomo 1. p. 295.

acuere gladios in *aliquem.* 6, 9, 20. *Dictum de auctore coniurationis.* acuit egeſtas induſtriam. S. 2, 1, 8. neceſſitas ignauiam. 5, 4, 31.

aculeus *pro* eculeo *ſeu* equuleo. V. 8, 7, 5. aculeo amiſſo corpore. 4, 14, 3.

ad, *confuſum cum* id. V. 5, 4, 17. ad hoc, *in hunc finem.* 3, 11, 11. *& 3, 5, 9. ſi tamen genuina eſt lectio.* ad hoc, *pro inſuper, præterea.* 5, 13, 13. 9, 10, 13. ad hoc accedere. 7, 1, 15. adhæc *eſt in* V. 5, 4, 24. 7, 2, 3. 9, 10, 13. &c. *eodem ſenſu.* ad quem modum, *quemadmodum.* 8, 5, 19. ad Cauſaſum proceſſit. 7, 3, 19. *quidam omittunt* ad, *haud ſine exemplo, vt* 3, 4, 1. peruenerat regionem. ad noctem, *pro vſque ad* n. 3, 2, 3. ad vltimum vitæ. 3, 12, 18. *ita Plautus Moſtell.* 3, 1, 55. hic manebo potius ad meridiem. *ſic* ad vltimum. 5, 12, 11. *alio ſenſu* ad vltimum, *nempe pro denique, poſtremo.* 3, 12, 20. 5, 1, 38. *item alio, pro breuiter, ad ſummam : quomodo & vocem* denique *vſurpari ad Horum notauimus.* 1, 16, 3. 3, 4, 7. ad, *pro circiter, tot* millia. 3, 3, 13. 5, 1, 40. 5, 5, 5. 7, 8, 7. 8, 12, 11.

Ada. S. 2, 8, 19. Alexandro Alinda tradit. S. 2, 8, 22. ei delicatos cibos mittit. S. 2, 8, 24.

adapertæ ad criminationem aures. 9, 7, 24.

Adami ficus. C. 9, 1, 10.

Adarchias. 5, 2, 5.

adbreuiatio *ſæpe corruptioni anſam dedit, e.g.* V. 6, 7, 20. pro regem, *eſt* rem. V. 6, 9, 2. *pro* quoniam, *eſt* quam &c.

adcedere (*adire, quod etiam pro illo ponitur.* V. 4, 10, 20.) diſcrimen. 4, 14, 24. tribunal propius. 9, 3, 3. ad fontem. 5, 13, 24. adceſſit ad illa hoc quoque. 10, 3, 8. **iſt noch darzu kommen.** adcedere propius. 5, 11, 5. 7, 5, 40. 9, 5, 5.

adcendere (*ab ad & candere*) aceruos ſtrueſque. 8, 4, 11. arenas adcendit vapor ſolis, *torret & feruefacit.* 4, 7, 6. 7, 5, 3. oram *quam* calor æſtatis. 3, 5, 1. faces. 8, 11, 21. ignem flatu. 4, 2, 13. lumina. 10, 5, 16. *transfertur deinde ad alia, quibus quocumque modo calor ignisue tribui poteſt. ſic* adcendere alacritatem. 4, 2, 20. amorem regis in ſe, *concitare & augere.* 10, 1, 29. animum (*ad iram & cupidinem vindictæ*) 7, 11, 6. fiduciam, *augere.* 4, 2, 10. iram pertinacia. 7, 6, 24. prœlium. *vt magis exardeat.* 4, 15, 19. & 23. 5, 2, 5. ſitim. 7, 5, 2. ſuos clamore. 6, 1, 10. territos ad pugnam. 4, 15, 28. adcenditur deſiderium. 7, 5, 7. faſtidio præſentium penitus hærens amor *abſentis.* 8, 3, 6. adcenſus cupidine. 6, 5, 25. 10, 1, 16. ira. 4, 6, 24. adcenſa cupidine. 6, 5, 25. adc. eſt concio, *irritata.* 6, 11, 8. adcenſi cupiditate. 5, 10, 1. felicitate ad ſpernendum periculum. 8, 13, 13. ira. 5, 13, 16. ſupplicio. 10, 3, 4.

adceptat humus occultum opus. 4, 6, 8. *libenter cedit operi.*

adcerſere *Latinum verbum eſſe negat Lambinus ad Probi Dionem. ſane frequentiſſime loco eius* arceſſere *reperias in Mſſ.* quod quidem vt indubiæ Latinitatis, *tutius eſt amplecti. ceterum* adcerſere *eſt adcire, aduocare.* 4, 13, 18. 10, 8, 2. exercitum ab Tanai 7, 4, 15. manum validiorem. 3, 13, 1. adcerſi à *quo.* 6, 11, 27. adcerſiri. 7, 6, 14. & 15. *transfertur etiam ad inanima, vt ægritudo adcerſit ſpecies imminentium rerum, hoc eſt, efficit vt dormientibus obuerſentur.* 3, 3, 2. adcerſere gloriam ex periculo, *efficere vt inde proueniat.* 8, 13, 25. *ita* honores cœleſtes. 10, 5, 33. *affini verbo Tacitus H.* 4, 80, 4. vocare offenſas *dixit.*

adcidit fremitus à litore, *aduenit.* 4, 4, 6. *idem vocabulum* clamori verbiſque *tribuit Tac. H.* 4, 29, 4. *&* 4, 70, 3. adcidere genibus. C. 10, 5, 24. *ita Tacitus* 15, 53, 2. H. 3, 38, 6. aduolui genua *eſt Salluſtio Inſert.* 5, 26. *& Curtio.*

adcipere Auſtrum, *hoc eſt, ad meridiem ſpectare.* 8, 9, 3. *Vidi qui* aſpicere *mutare vellet. Simplicius id erat, non tamen verius. Quæſo enim an non ita æque eleganter? Elegantius etiam : & exempla paſſim obuia, quorum vnum habe è Plinij Laurentino lib. 2. ep.* 17. Ad hoc patentibus feneſtris fauonios accipit tranſmittitque. *Plura & hic ſunt, & in Tuſcis, quos deſcribit lib. 5. ep. 6.* Acidalius. adcipere (*nanciſci*) à *quo* auctoritatem diuinitatis, *vt deus credatur.* 8, 5, 18. bellum, *illatum ſuſtinere.* 7, 7, 17. conditionem deditionis, **eingehen.** 7, 11, 27. conditiones pacis. 4, 11, 19. deditos in fidem, *recipere.* 9, 7, 14. dona. 4, 2, 3. epiſtolam à *quo.* 7, 2, 21. fidem. 6, 4, 14. fidem in *aliquid.* 4, 1, 9. 6, 11, 29. gentem in deditionem. 7, 6, 7, gloriam à maioribus, *quaſi hereditate tranſmiſſam.* 4, 14, 25. imperium *cuius, recipere.* 4, 2, 2. impetum fluminis, *ſuſtinere.* 5, 1, 28. iniuriam. 6, 8, 8. leges. 4, 5, 7. ab aliquo. 8, 5, 9. literas. 3, 6, 4. 6, 4, 8. lumen. 7, 3, 9. omen. *ample-ſli, & velle vt pro eius ſignificatione res exitum ſortiatur.* 5, 2, 15. *vide Florianum indicem.* poculum. 3, 6, 9. regem conuiuio, *excipere.* 8, 4, 22. regnum. 4, 1, 18. *&* 22. 10, 10, 1. regna. 10, 10, 8. ſignum tuba. 3, 8, 23. ſocietatem *cuius* recipere. 4, 2, 2. veſtem regalem. V. 3, 3, 15. vitam. 6, 8, 8. 7, 10, 9. vrbes in fidem, *fidem ipſis dare, ſub imperio ſuo ſaluas & incolumes fore.* 5, 6, 2. 9, 1, 23. vulnus. 4, 6, 12. 7, 7, 18. vulnera. 4, 6, 24. adcipiunt *fluuium* campi, *admittunt, excipiunt.* 5, 3, 2. lucem aditus ſpecus. 8, 2, 21. adcipere *quid* in contumeliam, *habere pro contumelia.* 5, 2, 19. & 21. *quem* hoſpitaliter, *excipere.* 8, 12, 15. in fidem vrbes. 8, 6, 2. 9, 1, 23. *quos* in medium agmen. 2, 9, 6. in ſinum. 3, 11, 24. adeipe me prædem. 5, 4, 13. adcepiſſe *quid* fama, *inauditiſſe. 9, 9, 6. ſic* adcepi ita ex Dario. 10, 1, 34. adcipiendo operi obſtat ventus, *dictum ſicut ſupra* adceptare opus. 4, 2, 8. ad adcipienda imperia conuenire, *ad excipienda mandata.* 4, 13, 17. adcipitur amnis rubro mari, *recipitur.* 8, 9, 6. clades. 4, 12, 10. adcepto nuncio. 3, 7, 1. adceptus in fidem. 4, 1, 6. adcepta eſt à *quo* condicio. 9, 7, 18. excuſatio. 8, 1, 19. adcepta fide, *ſaluo conductu, vt nunc vocant.* 6, 5, 22. adcepta facile eſt ratio conſilii, *probata.* 3, 7, 10. aliqua vox aſperior, *audita, excepta.* 7, 1, 22. adceptum, *gratum,* animis regnantium armentum. 8, 12, 11. adceptum, *ſuſceptum, iudicatum,* pro triſti omen. 4, 8, 6. adcepti obſides. 9, 1, 22. adceptis obſidibus. 9, 1, 14. adcepti in fidem. 8, 2, 19. 9, 8, 8. adceptæ in fidem vrbes. 3, 10, 7. adcepta in fidem oppida. 9, 8, 13. aduerſo corpore vulnera. 9, 5, 16. adceptior, *gratior,* vulgo. 7, 2, 33. adceptiſſimus *cui.* 7, 2, 11.

adciri, *arceſſiri, vocari.* 3, 2, 9. 5, 12, 7. adcita ex Græcia claſſis. 4, 1, 36. adciti ex India elephanti. 5, 2, 10.

adclamantes *ſeditioſe.* 10, 2, 16. adclamatio pertinax. 10, 7, 6. adclamationes. 7, 2, 7. 9, 4, 23. fauſtæ. S. 1, 8, 17.

adcolæ *vicini* Oceani. 4, 5, 5. 10, 10, 4. rubri maris. 3, 2, 9. 4, 12, 9. ſedis *Hammoniæ.* 4, 7, 18. Tanais. 6, 6, 13. graues, *moleſti.* 6, 2, 13.

adcommodauerunt artifices diis imaginem *talem. hoc eſt, commodauerunt, & quaſi vtendam dederunt, quum propria eorum imago non eſſet.* 4, 7, 23. *ſic* adc. dii *Alexandrum* rebus humanis. 10, 6, 6. *ita corrigendum putabam. Auctorem de cauſſis corruptæ eloqu.* 12, 2. hoc primum habitu cultuque (*eloquentia*) commodata (*erat,* commoda) mortalibus. adcommodatus, *aptus,* aulæ & ingenio adſentantium. 8, 8, 21.

adcuſatiuis Græcis *ſæpe vtitur noſter. vide* V. 8, 3, 1. 9, 1, 5. 9, 2, 2. 9, 10, 6. 10, 1, 16. &c. *item* adcuſatiuis Latinis veteris formæ, *vt quum pro* æquantes, *eſt* æquantis. V. 5, 1, 32. *ſic apud Salluſt.* H. 4, 2, 18. incolumis, *adcuſatiuus eſt ; totuſque locus ſic conſtituendus :* circumgredimur exercitus ſine frumento, ſine auxiliis, fortuna, aut noſtris vitiis adhuc incolumis. *De huiuſmodi adcuſatiuis vide Priſcianum lib.* 7. Sic V. 4, 13, 4. diſcordis.

adcuſatores. 10, 1, 2.

Addæus. S. 2, 10, 13.

addere *quos* imperio ſuo, *adiicere.* 10,

5, 7. addito, *adhibito*, metu mortis. 8, 3, 5. addita auctori ab aliis. *vide* Gloſſema.

addicere *cui* credulitatem ſuam, *quaſi adiudicare, & propriam, ſiue mancipio dare.* 7, 7, 8. addictus opibus Darii. C. 4, 1, 16.

addubitare, *ſubdub.* 10, 9, 14.

adducere auctores defectionis. 10, 1, 9. commeatus. 4, 2, 2. equum. 6, 5, 19. iumenta. 8, 4, 19. Perſas, *ad defectionem ſcilicet.* 5, 9, 15. *alii legunt abducere ; quæ varietas etiam conſpicitur in* V. 6, 10, 34. *& ſupra indicata eſt.* adduc. præfectum. 6, 4, 24. adduci ad *aliquem.* 3, 3, 3. captiuos in regiam. 6, 2, 9. non poteſt fieri vt adducar, *nempe ad credendum.* 10, 2, 19. adductus, *deductus*, ad periculum mortis. 10, 8, 5. vſque ad mortis metum. 6, 8, 5. moles nulla ope humana adductæ, *admotæ.* 8, 10, 32.

celeritas Alexandri laudata. 5, 5, 3. 5, 8, 1. 7, 4, 1. famæ. 7, 2, 15. fluminum prærapida. 9, 4, 10. hostium. 8, 14, 19. cel. ingens. 4, 4, 1. naturalis. 7, 6, 23. celeritatis præmium. 5, 13, 4. præmia multa. S. 2, 2, 12. celeritate quanta poterat. 3, 7, 1. quanta maxima potuit, contendit ad. 4, 8, 10. cel. *cuius* deprehensis. 5, 13, 7. celeriter. 4, 1, 5.

Celes. C. 4, 1, 10.

Celonæ. S. 10, 4, 16.

Celtæ. C. 4, 1, 10. m. Germani. S. 1, 12, 7. *nam quod ibi narratur, Celtis scriptores tribuunt: id ergo decus Germani Gallique scriptores suæ quique nationi vindicant. At ex ipso locorum positu constat ad Germanos potius quam Gallos pertinere. & si quis obiiciat Celtarum nomine Gallos intelligi scriptoribus Græcis; id ita concesserim, ne tamen negetur, etiam sæpissime Germanis tribui. quomodo apud Suidam v.* Γερμανικός. *&* Κελτοί, Germani, Celtæ vocantur, qui circa Rhenum fluuium habitant. *Pausan. l.* 9. p. 572. & l. 5. p. 308. *scribit* Alcen feram gigni ἐν τῇ Κελτῶν γῇ, *at in Germania* (*non Gallia, vt interpres exponit*) *Alcen gigni, vel ex Cæsare de bello Gall.* 6, 27. *in Zonaræ versione idem error sæpius admittitur, quo loco narratur Tiberius ab Augusto missus* ἐπὶ τὰς Κελτὰς ἐφολκάσων. *Ita Dio. l.* 59. p. 656. *Germanos in quos expeditionem facturus erat Caius*, Κελτὰς *appellat.* ἐκ Κελτῶν *Danubium seu Ister um oriri scribit Eustath. in Dionys. Vide Cluuer. Germ. ant.* 1, 2. *&* 3. *Lansy Consultat.* 359. *f. p. m.* 919.

censere. 10, 6, 18. censeo magnopere, vt. 4, 11, 12. censuerant, cessuerant. V. 7, 1, 1.

Centaurorum fabula vnde orta. C. 3, 2, 16. f.
Cephaleon hist. C. proleg. c. 4.
Ceramicus sinus. S. 2, 10, 29. *long.* 57, 0. *lat.* 36, 0. *Ptolem. in Asiæ tab.* 1.
Cercetæ. 6, 4, 17. *long.* 67, 0. *lat.* 47, 40. *Ptolem. in Asiæ tab.* 2.
Cercinites lacus. S. 2, 3, 14.
Cercidas. S. 1, 5, 14.
Cereris fanum. S. 1, 14, 1. Mileti. S. 2, 7, 23.
cernere monstra, indicia. 9, 9, 10. paucitatem. 5, 13, 22. cernens cuncta. 8, 13, 16.
certamen contendentium 9, 2, 32. militum ingens inter ipsos. 7, 6, 26. mœroris. 10, 5, 9. edictum in noctem. 4, 13, 14. egregium. 5, 2, 4. ingens. 9, 4, 13. nauale. 4, 3, 12. 9, 9, 16. vtriusque partis tantum. 7, 6, 9. tentatum. 4, 15, 12. varium. 8, 14, 28. certamen inire. 5, 13, 13. certat pro se quisque euadere. 9, 4, 33. certabant subire lectisam, *h. e. certatim subibant.* 7, 6, 8. certantes inter se. 10, 8, 16. de virtute militari. 5, 2, 2. certandum armis. 10, 8, 12.
certe *peculiari vsu.* 7, 4, 19. & 35. 7, 6, 22. certe possessio. 6, 3, 5. certum est adgredi, *decretum.* 4, 13, 9. penetrare. 9, 3, 13. certum habeo. 7, 11, 12. & 24. certior factus. 8, 3, 13. certiores necessitatis suæ *quos* facere. 9, 10, 17. certiora cognoscere. 5, 13, 2. cert. oraculis tormenta. 6, 10, 29.
ceruical Regis Persarum. S. 2, 3, 12. *in Athen. pag.* 514. *f. pro vnię leg.* χρυσῆ.
ceruix grauiter icta. 9, 5, 17. icta saxo. 7, 6, 22. ceruicem cuius amplecti. 3, 12, 27. *hactenus proprie sumitur hoc vocabulum, figurate* ceruix rigida *dicitur* 6, 3, 6. *animus parendi insolens. quam haud semel Iudæis exprobrat DEVS. Vide Gebhardi Crepundia, pag.* 172. *f.* ceruicibus suis impositam vrbem ratus, *tamquam frenum, aut onus sibi impositum, ne quassare ceruicem, & erecto vertice viribus suis vti posset.* 7, 7, 1. *sic* in quorum ceruicibus stamus. 7, 7, 11. **Einem auff dem Halse ligen.**
cessare. 3, 11, 5. paulum. 7, 7, 15. in excolenda gloria. 9, 6, 21. quid cessatis? 4, 16, 5. quid cess. occidere? 6, 11, 14. nunquam cessans. 7, 2, 26. nec cessatum est ab his. 9, 10, 17. cessat vsus oculorum. 10, 5, 16.
ceterum *pro* sed. cupido haud iniusta quidem, ceterum intempestiua. 4, 8, 3. *Sic* 3, 1, 8. & 10. 3, 6, 14. 4, 10, 6. 4, 11, 2, 4, 12, 20. 4, 13, 38. 5, 9, 10. 6, 9, 18. de cetero, **hinfort.** 4, 8, 14. 8, 3, 7. 8, 7, 16. ceteri. 5, 13, 19.
Cethim, Macedonia. C. 4, 2, 1. *Sunt tamen qui dissentiant. Reinecius in regno Cilicio, aliique Cilicibus id nomen asserunt.*
cetra. 3, 2, 5.
Chæron. S. 1, 14, 31.
Chæronea. S. 1, 8, 2. *long.* 52, 30. *lat.* 37, 35. *Ptolem. in Europæ tab.* 10. ibi Philippus Athenienses vicit. S. 6, 1, 1. eam victoriam sui operis fuisse iactat Alex. 8, 1, 23.
Chalcedon. S. 2, 3, 19. *long.* 56, 6. *lat.* 43, 6. *Ptolemæus in Asiæ tab.* 1.
Chalcis. S. 1, 7, 30. *long.* 53, 30. *lat.* 38, 0. *Ptolem. in Eur. tab* 10.
Chaldæi sectæ nomen. C. 4, 12, 4. C. 5, 1, 22. *Chald.* vates. 3, 3, 6. Alexandro Babylone occurrunt. 5, 1, 22. ei mortem prædicunt. 10, 4, 14. S. 10, 4, 36. sed ab eo deridentur. S. 10, 4, 39.
Chalistenes. V. 8, 5, 13.
Chalybes. 6, 4, 17.
Chamus an Hammon? C. 4, 7, 5. *Hammonis.*
Chares histor. C. proleg. c. 4. *alius* imp. Athen. S. 1, 5, 26. *al.* 4, 5, 22.
Charidemus. S. 1, 14, 21. expulsus Athenis. 3, 2, 10. iugulatur. 3, 2, 19.
charitas mutua. 6, 7, 4. pristina. 6, 9, 4. in regem. 7, 10, 9. charitate eximia diligere. 3, 6, 1. regis flagrare. 3, 6, 17. charus in paucis. 6, 8, 2. principibus. 7, 2, 33. charior regi an popularibus, *dubium.* 9, 8, 24. nihil patria charius. 5, 5, 20. nihil spiritu. 6, 4, 11. chariſſimus amicorum. 6, 7, 28. chariſſima sui pars, *liberi & vxores.* 4, 3, 20. chariſſimi amicorum. 7, 1, 1.
Charon histor. C. proleg. c. 4.
charta. V. 8, 9, 15.
Charus. 8, 11, 10.

charus principibus. 7, 2, 33. pariter ac venerandus. 3, 6, 20. charior regi an popularibus *dubium.* 9, 8, 24. charius nihil est patria. 5, 5, 20. chariſſimus amicorum. 6, 7, 28. chariſſimi. V. 7, 1, 11.
Cheronea. V. 8, 1, 23. *sic scribitur apud Agathiam poëtam* Χαιρωνίδος, *cum debuisset* χωρ. *de qua re docte disserentem vide Rualdum in vita Plutarchi cap. vlt. ad ieſtim.* 13.
chiliarchæ. 5, 2, 3.
Chius insula. S. 2, 3, 21. *long.* 54, 20. *lat.* 36, 36. *Ptolemæus in Europ. tab.* 10. præsidiis Persicis tenetur. 3, 1, 19. *in ea cognominis vrbs* Chius. S. 2, 12, 20. occupatur à Pharnabazo. 4, 5, 15. in Chium vrbem præsidium introducitur. 4, 1, 37. Chii. S. 1, 5, 17. Chiorum insula. S. 2, 7, 5. legati de præsidio *Alex.* queruntur. 4, 8, 12. optimates. S. 2, 12, 20.
chlamyde sibi dempta Darii corpus contegit Alex. C. 5, 13, 31.
Choaspes amnis delicatam vehit aquam. 5, 2, 9. 5, 3, 1. *alius.* 8, 10, 22.
Chœrilus malus poëta. 8, 5, 8. C. proleg. c. 4.
Chorasmii. 7, 4, 6. 8, 3, 16. Chorasmiis præerat Phrataphernes. C. 8, 1, 8. *Chorasm. long.* 117, 0. *lat.* 42, 0. *Ptolemæus in Asiæ tab.* 7.
Chospes. V. 8, 10, 22.
Chous. V. 3, 1, 19.
Chrysolaus. 4, 8, 11.
cibaria cocta. 9, 10, 16. cocta sex dierum. 8, 4, 20. cibus modicus. 7, 7, 5. cib. sat at. 3, 2, 15. cibi insalubres. 9, 10, 13. soliti. 3, 10, 8.
cicatrix infirma, *nondum satis coalita.* 7, 7, 9. obducta. 9, 6, 1. obducta est. 9, 8, 27. ceruicis obd. 7, 9, 11. vulneris obd. 4, 6, 24. vulneri obducta. 8, 10, 31. *Seneca epist.* 2, 4. venit vulnus ad cicatricem *dixit.* cicatrices gratuitæ. *vulnera (pro his enim cicatrices eo loco ponuntur) sine digna mercede accepta.* 8, 7, 11. horribiles. 5, 5, 13. veteres. 10, 5, 13 quot cicatrices, totidem corporis decora. 4, 14, 6.
cidaris. 3, 3, 19. C. *Hoc.*
ciere, *excitare*, fluctus. 4, 3, 17. fi tantos. 10, 7, 11. pugnam acerrime, *pro pugnare.* 8, 14, 9. *ita Iustin.* 2, 12, 23. ciere bellum.
Cilicia. 5, 4, 2. vastatur. 3, 4, 4. tribus asperis aditibus intranda. 3, 4, 7. calore æstatis accenditur. 3, 5, 1. Socrati tradita. 4, 5, 9. Philotæ destinata. 10, 10, 2. inundata cruore Persarum. 9, 2, 23. Ciliciæ *situs.* 3, 4, 6. *long.* 68, 0. *lat.* 36, 50. *Ptolem. in As. tab.* 1. angustiæ. 4, 13, 6. calles angusti. 4, 9, 22. fauces. 7, 4, 4. Ciliciæ præest Arsanes. 3, 4, 3. ex Cilicia profugi Græci. 4, 1, 39. Cilicium mare. 3, 1, 12. V. Cilicum. *long.* 65, 0. *lat.* 36, 40. *Ptolem. in Asiæ tab.* 4.
Cinædopolis. S. 2, 10, 29.
Cineas. S. 1, 5, 14.
cingere agmen valida manu. 4, 13, 30. vndique domum. 6, 8, 20. sepire *dixit Tacit.* 1, 5, 5 cingitur vrbs amne. 8, 10, 23. arx muro. 7, 6, 10. nemora muris. 8, 1, 12. cingi fluctibus. 3, 1, 13. cinctus ferro. 6, 10, 21. gladio. 6, 7, 29. 9, 7, 19. zona muliebriter. 3, 3, 19.
circa *aduerb.* 4, 12, 20. circa ortum lucis. 5, 3, 7. circa regem esse. 3, 1, 17. qui circa reginam erant. 4, 10, 25. circa Syſigambim, *proxime adstantes.* 4, 15, 10.
circuire. *vid.* circumire.
circuli suspensi. 6, 5, 16.
circumagere equos, *conuertere.* 3, 11, 14. & 15. signa. 4, 6, 14. in frontem circumagi. 4, 13, 32.
circumdant lectos aulæa. 9, 7, 15. circumdare capiti diadema. 6, 6, 4. muros corona. 4, 6, 10. vrbem corona. 7, 6, 19. muro. 7, 6, 25. circumdatus eques in vtrumque latus. 4, 6, 3. equitatus. 4, 9, 17. nemori murus. 7, 2, 29. circumdatum triplici muro nemus. 4, 7, 20. circumdato vallo. 3, 2, 2. circumdati armatis. 7, 9, 3. exercitu. 3, 8, 4.
circumduci, **herumbführen.** 3, 8, 15. circumductus, *circumdatus, inclusus,* vndique telis. 4, 6, 26.
circumferre clypeum ad ictus. 9, 5, 1. oculos manusque ad &c. 4, 14, 9. merum. 7, 4, 7. *ita Hor.* 4, 1, 4. circ. sanguinem. circumferri ad nutum licentium. 5, 12, 2. circumfe-

cumferens oculos. 6, 11, 36. 10, 6, 17. spolia profundo ventre. 10, 2, 26. arma. 6, 1, 4. *vide Flor. Indicem.*

circumfluere. 8, 8, 12. res secuadæ vos circumfluunt. 10, 2, 22.

circumfundere, *sicut &* circumdare, *duplicem significationem habet. nam & id quod circumdat, & cingit, & quod circumdatur vel cingitur*, circumfundi *recte dicitur. Priori significatu*, circumfunditur à lateribus equitatus. 3, 9, 12. pauciorib. multitudo. C. 4, 13, 6. circumfusi. 8, 14, 31. circ. amici. 7, 5, 9. *cui* barbari. 4, 15, 21. vehiculis ab vtroque latere. 9, 1, 16. *Posteriore*, circumfusi vndique. 3, 11, 4.

circumiecti campi. 3, 1, 3. circumiecta nemora. 3, 10, 2. nem. vallesque. 4, 12, 23.

circumire. C. 3, 2, 14. *circ. Ita Iustin.* 11, 9, 8. *non* circuire, *vt alij, neque id tamen constanter, scribunt.* circumibat rex agmen pedes. 7, 3, 17. circumire agmina. 4, 13, 12. (*sic & al. ediderunt*) currus. 4, 15, 15. hostem. 3, 8, 27. & 28. locum. 4, 15, 1. **einen vmbweg nehmen.** milites. 8, 4, 9. mœnia. 7, 5, 32. circumibat mœnia classis. 4, 3, 14. circumire opus nauigiis. 4, 2, 21. prætergressos. 3, 9, 11. saltum. 6, 5, 17. 7, 7, 33. tabernacula. 5, 9, 16. tergum occulte. 3, 11, 13. vltimos hostium. 3, 8, 28. circumgredi terga hostium, *est Tacito* 4, 73, 2. circumit vrbem classis. 4, 3, 16. circumiri. 3, 7, 9. 9, 5, 3. & 4. circumitur cornu. 3, 11, 2. circumiri breui spatio. 5, 4, 26. à multitudine. 4, 13, 30. circumitus (*ita quoque non* circuitus, *scribitur in Sueton. Cæs.* 25, 1.) rupis comprehendit *ter* stadia. 6, 6, 24. maior, tutior. 4, 16, 7. circumitu *quid* petere, *non rectæ, sed per ambages.* 9, 3, 14. *sic* circumitu rupes petere. 3, 11, 19. *rectius quam vt al.* circumitus, rupes, petere.

circumpendentes margaritæ. 8, 9, 24.

circumpendentia arma. 9, 10, 26.

circumquaque amnem. 7, 5, 17. *al. omittunt* amnem.

circumsideri arcem. 3, 1, 8.

circumsistere cum. 7, 5, 24.

circumspicere locum fugæ. 8, 14, 24.

circumstare. 5, 9, 10. circumstans exercitus. 9, 3, 15. circumstantes. 8, 2, 5. amici. 3, 5, 9. lectum. 10, 5, 2. regem spadones. 5, 12, 9. circumstantium turba. 6, 10, 36.

circumueliuntur equites. 4, 15, 5. circumuehi aciem. 4, 16, 2. nauigio arcem. 9, 4, 8. terga hostium. 8, 14, 21. circumuecti petram. 7, 11, 14.

circumueniunt magnitudinem operum cauernæ. 5, 1, 28. *eleganti ſſime ſonat vincere, dolo velut quopiam & occulta prævalentia superare, vt exponit Barthius Adversar.* 52, 16. *Sicut apud Senec. Epist.* 108. circumscribere gulam & ventrem. adfine est τὸ φθάνειν, *vincendi* significatu. circumuenire aciem. 4, 13, 30. circumueniri. 4, 13, 34. 9, 1, 17. malo ancipiti. 4, 15, 9. ab iis, qui &c. 8, 13, 15, **hinderſchlichen werden.**

citari nominatim. 10, 6, 2. *Brissonii Lexicon vide.* citato gradu. 4, 16, 6.

citi equites. C. 4, 12, 4. *conciti.*

citharœdus. S. 1, 3, 24.

Citici. S. 2, 4, 9. *long.* 66, 15. *lat.* 35, 0. *Ptolemæus in Asiæ tab.* 4.

citra exitium. S. 1, 7, 32. *sine exitio, vt non deueniatur ad exitium. Plinius* 11, 49, 3. genitalia citra perniciem amputare.

ciuilis cultus. 9, 8, 23. habitus. 6, 6, 2. 6, 11, 1. ciuis, *subditus.* 8, 14, 46. ciuis, *qui alibi plerumque* popularis. 5, 13, 26 ciu. clarus. 6, 9, 27. Lycius. 5, 4, 11. qui ciuem ex voce cognouisset. 5, 13, 26. ciues, *subditi, alibi* populares. 6, 3, 5. boni. 10, 7, 4. impii. 6, 9, 4. ingratissimi (*sic milites suos appellat Alexander, vt Cæsar* Quirites, *iudicio Berneggeri*) 10, 2, 27.

Cius. S. 2, 6, 20.

CL. & D. *confunduntur, vt* clari, & Darii. V. 4, 1, 17.

clades, *de morte Alexandri.* 10, 6, 6. cl. belli. 7, 9, 22. aliena. 8, 2, 27. cognita. 10, 1, 45. ingens. 4, 12, 15. terrestris, naualis. 4, 3, 14. clade omni *quos* vastare. 4, 1, 10. cladibus belli domiti. 4, 1, 5.

clamantes, *inclamantes, inuocantes*, Darium regem. 4, 16, 15. clamitare. 6, 7, 27. clamitantes. 9, 8, 7. clamor in prœliis. C. 7, 4, 13. f. C. 8, 11, 8. *Alacritatis. Adde Amiratum polit.* 14, 5. exercitus. 7, 11, 25. alacritatis index. 8, 11, 8. 9, 2, 30. hostium. 7, 9, 13. militum. 9, 8, 6. natantium mutuus. 4, 9, 20. prœliantium. 4, 6, 14. 8, 10, 18. clamor alacer. 9, 4, 23. auditus. 4, 4, 6. dissonus. 5, 12, 14. inconditus & trux. 3, 10, 1. cl. gemitusque inconditus. 4, 15, 29. cl. ingens. 4, 12, 23. lugubris. 3, 12, 3. 10, 3, 5. ortus cum ploratu. 9, 3, 16. sublatus. 4, 15, 19. tumultuosus. 10, 2, 13. varius ac dissonus. 5, 12, 14. implet valles. 4, 12, 23. oritur. 9, 3, 16. perfertur ad *quem.* 5, 12, 13. refertur totis castris, *redditur.* 5, 12, 14. tollitur, redditur. 3, 10, 1. clamore suos inuicem accendere. 6, 1, 10.

claritas fratris. 10, 8, 21. iuuenis. 7, 1, 2. rerum. 7, 6, 20. vrbis. 4, 6, 30. vetusta. 6, 2, 11. tam clarus ciuis. 6, 9, 27. cl. militiæ domique vir. 7, 2, 33. cl. operibus bellicis. 8, 1, 20. prœlio. 3, 11, 8. clara vrbs. 6, 2, 15. clari inter suos iuuenes. 4, 1, 17. clarior bello quam post victoriam. 8, 9, 1. cl. indole animi &c. 6, 2, 9. clarissimus omnis ætatis ac memoriæ rex. 3, 5, 5. clarissimi sunt habiti, qui. 10, 5, 37. clarif. genere famaque inter. 3, 13, 15.

classici *scil. milites, vel nautæ.* 4, 3, 10. classis Macedonum accita. 4, 1, 36. C. 4, 3, 11. cl. ædificanda. 9, 3, 22. adpulsa est. 9, 10, 1. dispersa 9, 9, 11. & 19. classes tot nauium missæ. 5, 8, 16. piraticæ. 4, 8, 15. Punicæ. 4, 2, 11.

Clarius Apollo. S. 2, 7, 3.

clauæ pro telo. 9, 4, 3.

claudere agmen. 4, 12, 6. & 11. iter sepe. 6, 5, 15. *vbi legitur* cludere. portas. 9, 8, 17. claudit Hellespontus terras. 4, 14, 9. tergo petra claudebat. 8, 2, 20. *vide & Varias.* clauditur agmen. 3, 3, 21. agm. curribus. 4, 12, 10. Persis iugis montium. 5, 4, 5. regia. 9, 3, 18. clausi nemoribus greges. 8, 1, 11. clausæ erant aures. 8, 1, 24. portæ. 9, 1, 27. clastrum obiicitur. 4, 5, 21. cl. perdomitorum. vrbs. 7, 6, 13. *Vide Tacitii Indicem in* clastra. *& Plin. proœm. libri III. f.* clastra Nili fluminis. 4, 8, 4. portus. 4, 5, 19. cl. perfracta sunt. 10, 7, 17.

Claudius & Tiber. Impp. confusi. C. 4, 3, 23. *Ad.*

Clazomenæ. S. 2, 7, 4. continenti iunguntur. S. 2, 7, 8. *long.* 57, 0. *lat.* 38, 36. *Ptolem. in As. tab.* 1.

Cleander. S. 2, 12, 11. *al.* 3, 1, 1. cum Græcis militibus in Asiam aduectus. C. 4, 3, 11. prætor regius. 7, 2, 19. *Parmenionem occidit.* 7, 2, 29. 10, 1, 1. Cleandri furor. 10, 1, 5. supplicium. C. 10, 1, 8.

Clearchus histor. C. proleg. c. 4. *alius.* S. 1, 5, 29. *al.* sagittariorum dux. S. 2, 10, 14.

Clemens poëta res Alexandri perscribit. C. proleg. c. 4.

clementer. 4, 11, 16. clementia *Alex.* regis. 5, 3, 15. 9, 1, 23. in captiuos, 5, 7, 1. in deditos. 7, 6, 17. 8, 14, 41. in deuictos. 7, 9, 18. 10, 5, 28. clem. regum ducumque non in illorum modo, sed & ipsorum qui parent, ingeniis sita est. 8, 8, 8. clem. communicanda. 8, 8, 12. clementior alueus, *lenior, non ita præceps.* 5, 3, 2. sic *Tacito* clementer adiri *dicuntur, quæ non sunt nimis alta nec abrupta.* 12, 33, 3. H. 3, 52, 1. & clementer editum iugum. *German.* 1, 4. *a mat vocis huius metaphoricum vsum Apuleius, quam ei restituo in pr. Floridor. vbi de aquila*: nutu clementi (*non* clementi) læuorsum vel dextrorsum labitur: *sic mox subjicit*: modico caudæ gubernaculo.

Cleo. 8, 5, 8. C. proleg. cap. 4.

Cleochares. 8, 13, 2.

Cleopatra *Alexandri nouerca.* S. 1, 1, 10. Olympiadi superinducta. S. 1, 9, 2. ad suspendium adigitur. S. 1, 9, 29. eius soboles intercepta. S. 2, 2, 3. *alia Alex. soror.* S. 1, 9, 15. paternum regnum inuadit. S. 10, 4, 10.

Cleomenes. 4, 8, 5.

Cleophes (*an* Cleophis?) 8, 10, 22.

Cleotimus. S. 1, 5, 14.

clientum fides & honor. C. 7, 4, 21. *in Sallustio quoque Cat.* 59, 3. *pro* libertis & calonibus, *reponendum videtur* lib. & clientibus.

Climax. S. 2, 11, 18.

Clitarchus histor. C. proleg. c. 4. S. 1, 13, 25. *citatur.* 9, 5, 21. 9, 8, 15. *alius.* S. 1, 5, 15.

Clitus Alexandri seruator. S. 2, 5, 16. 2, 7, 16. præest equitibus. 4, 13, 26. *Alexandri*

andri iactationem reprimit, 8, 1, 28. eumque sibi irasci cogit. 8, 8, 7. Clito destinata prouincia Artabazi. 8, 1, 19. Clitum iure interfectum Macedones decernunt. 8, 2, 12. 8, 8, 6. *alius cognomento* albus. S. 10, 4, 4. *hic ni fallor est, qui* Lydiam accepit, *& nauale victoriam obtinuit.* C. 10, 10, 1. Clitus *alius* Bardylis filius. S. 1, 12, 13. exsulatum abit. S. 1, 12, 35. Cliti plures. C. 8, 1, 20.

cliui modici ac molles. 8, 11, 5.

cludere *pro* claudere. 6, 5, 15.

Cluuerius. C. proleg. cap. 4.

clypeata acies. 7, 9, 9. clypeati. 7, 9, 2. 8, 14, 3. clypeus putris. 10, 1, 31. clypeo exceptus. 6, 1, 5. cl. excipere caput. 6, 1, 15. excipere tela. 6, 1, 4. protegere corpus. 6, 1, 14. clypeus æreus. 9, 7, 19. *Vide Rosin. pag.* 799. *f.* 2. clypei ænei, repleti arena. 4, 3, 25. militares. 8, 5, 4.

Cnidii. C. 3, 7, 4. *Caunios. long.* 56, 15. *lat.* 36, 0. *Ptolem. in Asi. tab.* 1.

coagmentatus smaragdo & gemmis habitus. 4, 7, 23.

Cobares. 7, 4, 8.

cocta cibaria. 8, 4, 20. 9, 10, 17. coctilis laterculus. 5, 1, 25. & 29.

codices sacri. S. 2, 11, 29.

Codomannus. S. 2, 1, 2.

Cœle Syria. 4, 5, 9. *long.* 68, 40. *lat.* 33, 4. *Ptolem. in Asi. tab.* 4.

cœlestes. cœlum. cœlare. (*sic quidem ego scribi malim*) relata sunt in cœlestis, cælum, cælare, *&* celare.

cœlibes magnarum rerum administrationi admoti. C. 3, 3, 23. *Haud.*

cœnæ coquus optimus, frugale prandium. S. 2, 8, 25.

Cœnos. S. 2, 10, 26. sui agminis dux. 3, 9, 7. in subsidiis. 4, 13, 28. *vulneratus.* 4, 16, 31. expeditam habens manum. 5, 4, 20. ex amicis *Alex.* 6, 8, 17. Philotæ fororius. 6, 9, 30. tertiæ partis exercitus dux. 8, 1, 1. Beziram obsidet. 8, 10, 22. grauius agmen ducit. 8, 12, 1. in læuum *Pori* cornu inuehitur. 8, 14, 17. exercitus caussam agit. 9, 3, 3. morbo extinctus. 9, 3, 20. *ideoque falso iactantur* Cœni literæ ad Alex. C. 10, 1, 43. *De nomine hoc, vnde ortum sit, vide auctorem Etymologici.*

cœpisse iter. 5, 1, 13.

coërcere defectionem. 7, 6, 15. impetum. 8, 13, 9. coërcetur fluuius crepidinibus. 5, 1, 28. coërcitus ripis amnis. 6, 4, 6. coërcitum flumen. 9, 9, 9. coërciti. 8, 7, 8. coërcita angustiis ripis flumina. 9, 2, 17.

cœnum decoctum. 4, 3, 25.

cœrulea fascia. 3, 3, 19.

cogere agmen. *de ἐφοδιασμοῖς.* 3, 3, 25. exercitum. 4, 6, 2. amnis iter cogit, *angustioribus ripis.* 6, 4, 6. ripæ cogunt amnem in tenuem alueum. 7, 10, 2. cogi in arctius. 7, 3, 9. cogitur regio in arctissimum. 8, 2, 20. cogi in tenuem alueum. 9, 4, 9. coactus terræmotu, absistere. 8, 11, 2.

cogitare facinus. 6, 11, 37. *sic Sueton. Tib.* 19, 2. fac. tantum in *quem.* 8, 6, 30. nefas in *quem.* 6, 7, 30 rem pulcherrimam. 8, 7, 10. de periculo suo. 6, 8, 5. cogitaui, volui, *confessio de parricidio.* 6, 11, 14. cogitata res, *insidiæ structæ.* V. 7, 5, 21. cogitatum parricidium *&* consummatum, *opponuntur.* 6, 10, 14. *sicut* cog. *&* perfectum *in Sueton. Calig.* 12, 6. cog. scelus. 5, 10, 15. 6, 11, 32. abnuens, quidquam sibi in regem cogitatum esse. 6, 11, 35. cogitatis omnibus, *expensis & consideratis.* 5, 10, 5. cogitatio periculi. 7, 8, 4. digna animo tuo, sed altior nostro. 9, 3, 9. cog. subit. 7, 1, 4. cogitationes secretæ. 10, 8, 9. vanæ. 4, 10, 3. variæ. 8, 3, 14. commouent animum. 8, 3, 14.

cognatio, *h. e. cognati.* 8, 2, 31. propinqua. 5, 3, 12. cognatione longa annexus stirpi reg. von weitem. 4, 1, 19. cogn. longinqua contingere *quem.* 10, 10, 19. propinqua *quem contingere.* 6, 11, 20. cognati (speciali significatione ex Persico more) Darij in fugam effusi. 4, 15, 29. Regis. 3, 3, 14. cognatorum principes. 4, 11, 1.

cognomen est Troglodytis. 4, 7, 18.

cognoscere *ex quo* acta. 5, 13, 7. arcana & secreta. 7, 7, 24. certiora ex. 5, 13, 3. cuncta. 6, 11, 9. ordine cuncta. 6, 7, 25. quæ ex. 6, 7, 19. quid ex extis. 7, 7, 25. vetustatem. 4, 8, 3. cognoscere de. *caussæ cognitionem suscipere.* 9, 8, 9. cognito aduentu. 7, 9, 20. dolo. 9, 7, 7. errore. 8, 12, 8. tumultu. 6, 11, 20. cognita cæde. 7, 2, 28. caussa. 6, 10, 3. 10, 1, 7. clade. 10, 1, 45. fama. 8, 14, 41. voluntate. 7, 2, 31. cognito excidio. 9, 1, 18. vulnere. 7, 6, 6. cogniti fama. 8, 10, 1.

cohæret *nauis naui.* 4, 4, 8. muris turris. 4, 4, 11. cohærent acies. 3, 11, 5. proræ. 4, 3, 14. res inter se, *connectuntur.* 5, 1, 1. tempore. V. 5, 1, 2. cohærentes. 3, 11, 4. rami. V. 5, 4, 24. nobiscum gentes sacris, moribus, commercio linguæ, *h. e. coniunctæ.* 6, 3, 8. cohærentia serie iuga. 7, 3, 21.

cohibere tela, *inhibere.* 7, 4, 35. cohiberi in vinculis. 6, 2, 11. cohibiti iugis montium Aquilones. 8, 9, 12. cohib. intra castra. 10, 3, 6.

cohors amicorum *Alex.* 6, 2, 11. *qui* corporis custodes. 6, 2, 40. *vocantur. hi enim erant ex* cohorte amicorum prima, *vt adpellatur* 6, 7, 17. cohors regia. 9, 10, 26. puerorum nobilium. 8, 6, 7. 10, 7, 16. *vide Lipsium ad Tacit.* 6, 9, 2. *Liuium* 45, 6, 7. cohors sacra Thebanorum. S. 1, 8, 7. cohortes quingenariæ. 5, 2, 3.

Cohortanus. 8, 4, 21.

coire, *conuenire.* 10, 6, 15. coit agmen vtrumque. 10, 8, 23. coibant agmina. 10, 9, 15. armati. 6, 8, 23. arm. ad nemus. 7, 2, 19. armati ad regiam. 8, 1, 47. frequentes. 10, 3, 6. ad *quem.* 7, 2, 20. ad præstanda iusta. 10, 8, 18. ad sonum notæ vocis, vt ad signum. 4, 15, 33. in regiam. 6, 8, 17. 10, 8, 14. amicis animis. 8, 12, 9. coëuntes aquæ è fastigio in vallem. 8, 2, 23. coituri, *conuenturi.* 4, 13, 4. coitus *y conuentus*, amnium. 9, 4, 9. coit structura in modum carinæ, *coniungitur, & ex latiore spatio in angustius contrahitur.* 7, 3, 9. *sic* in arctius coire. 8, 11, 8. amnes in arctius coëunt. 5, 1, 14. coëuntes rami. 5, 4, 24. in arctum ripæ. 8, 13, 9. coire, *iungi*, connubio cum *qua.* 8, 1, 9. nuptiis. 9, 1, 26. stupro cum *quo.* 5, 1, 37. stu. cum liberis. 8, 2, 19. cum captiua, *scil matrimonio.* 8, 4, 26. *ita* coëuntes, *matrimonium contrahentes.* 8, 4, 27.

Cola piscis. C. 4, 3, 10.

colere, *seruare, & tamquam numen aliquod reuerenter habere*, amicitiam cum fide. 8, 2, 32. fidem. 7, 8, 29. fortitudinem, fidem. 10, 3, 9. arbores, *tamquam numina.* 8, 9, 34. nomen. 10, 7, 15. nom. *cuius* inter deos. 10, 3, 3. regem diuinis honoribus. 4, 7, 28. quem eximia religione. 4, 3, 21. loco parentis. 8, 8, 2. impensius. 6, 10, 22. coli inter deos. 8, 5, 11. colere quos, *ornare, augere*, donis. 8, 5, 11. brachia & lacertos auro. 8, 9, 21. colere *pro habitare.* 7, 8, 30. *sic* Æthiopes colunt. 4, 7, 18. gentes. 9, 9, 2. Scythæ super Bosphorum. 6, 2, 15, *&* 8, 1, 7. vltra Tanaim. 7, 4, 6. *&* 32. regionem. 7, 7, 4. ripam. 9, 2, 3. vrbem. 4, 8, 6. agros, *γεωργεῖν.* 5, 5, 24. 9, 1, 36. sine tributo. 5, 3, 15. hortum stipe. 4, 1, 19.

collabi. collachrymari. *&c.* *Vide* conlabi. conlachrymari. *&c.*

collis editus. 4, 12, 18. 4, 13, 35. colles. C. 3, 10, 8. *Nudos.* editi. 7, 10, 16. magni. 7, 4, 27. nudi, gelu rigentes. 3, 10, 10. frondibus læti imminent. 5, 4, 8.

colloqui. collucere. *&c.* *Vide* conloqui. conlucere. *&c.*

collo *quem* admouere. 3, 12, 27.

colluuio. *Vide* conluuio.

Colœne Diana. S. 2, 6, 16.

Colonæ. S. 2, 4, 14. *Corn. Nepos in Pausania.* 4, 3, 3.

coloniæ conditrix, maior patria *dicta.* 4, 3, 22. coloniæ Græcorum Ioniæ. 4, 1, 10. adtributæ. 9, 7, 11. diffusæ. 4, 4, 20. conditores suos loco parentum colunt. C. 4, 2, 10. *Parentum. sic Dio orat.* 37. *ad Corinth. de Syracusanis:* ὥσπερ ἐκεῖνοι τιμῶσι τὴν μητρόπολιν. obstant res nouare cupientibus. 10, 2, 8. *Tacit. Agric* 16, 1. in colonias deducti Græci milites. 9, 7, 1.

color herbæ. 9, 8, 27. maris. 8, 9, 4. *&* 14. oris mutatus. 4, 6, 18. 4, 15, 11. piscium diuersus. 6, 4, 18. vndarum. 10, 1, 13. cumdem omnia colorem ducunt. 10, 3, 13. colore sanguinis suffuso. 4, 10, 2.

columen ac sydus Macedoniæ *Alex.* 9, 6, 8.

columna monumentum Regis, *inscripta literis.* 10, 1, 14. columnæ auratæ. 8, 9, 26.

comæ prominent hirtæ. 5, 6, 18. hirsutæ,

futæ, intonſæ. 9, 10, 9. intonſæ C. 4, 13, 5. *Marcellin.* 16, 29. *de Germanis*: comæ fluentes horrebant.

comes *opponitur* cuſtodi. 5, 11, 2. deſertorum. 7, 2, 6. puero datus. 3, 6, 1. comes. *in femin.* 8, 3, 2. comites amentiæ. V. 6, 9, 5. fortunæ. 5, 11, 5. fugæ. 5, 4, 34. fugæ pauci. 4, 16, 8. comitibus datis. 3, 13, 3.

comeſſabundus, *comeſſando tempus terens*, exercitus. 9, 10, 26. rex. 5, 7, 10. *Livius* 9, 17, 15. *de hoc ipſo*: per *Indiam* tenulento agmine comeſſabundus ineeſſit. comeſſantes. 8, 10, 18. 9, 10, 27.

cominus, eminus. 7, 8, 18. com. em. peti. 6, 1, 4. com. congredi. 6, 1, 15. conſerere pugnam. 3, 11, 4. dimicans. 8, 2, 37. impulſi gladio. 4, 4, 11. prœliari. 8, 14, 3. pugnare. 8, 11, 14.

comitari fugientes. 5, 6, 15. parricidas. 5, 13, 16. patrem. 3, 8, 12. 6, 5, 4. regem. 8, 2, 36. venantem. 5, 1, 41. 8, 6, 4. vxorem. 4, 10, 18. comitante manu. 6, 5, 11. comitantibus paucis. 5, 13, 18. hos duo millia comitata ſunt. 3, 2, 7. comitatus *paſſim*, pueris. 10, 8, 3. comitata *CCC.* feminarum Thaleſtris. 6, 5, 26. comitatus grauior, *pro comitibus onerosis*. C. 4, 12, 2.

comitas epulantium. 8, 6, 14. Regis. 8, 6, 20. multa. 8, 4, 23. com. habetur, vulgati corporis vilitas. *courvoiſie*. C. 5, 1, 38. comiter alloqui. 9, 10, 21. exceptus. 6, 5, 3.

commeant quadrigæ. 5, 1, 25. commeare mari libero. 4, 4, 20. commeatus largus. 7, 3, 18. exercitui ſuppetit. 3, 3, 27. commeatu omni abundans terra. 5, 2, 1. commeatus *in plurali*, *vires*. 4, 2, 2. 6, 4, 21. 9, 10, 5. vndique aduecti. 6, 2, 15. præmiſſi. 8, 10, 13. commeatuum penuria. 6, 6, 19.

commemorare acta bellaque majore voce. 8, 1, 30. clementiam, vim. 9, 1, 23.

commendare poſteritati tuum nomen ſanguine noſtro. 9, 3, 5. *noſtro ſang. & periculo efficere, vt nomen tuum ad poſter. perueniat, ab eaque magni fiat.*

commercium aliarum gentium. 6, 10, 23. linguæ. 5, 5, 18. 6, 3, 8. 7, 5, 33. vitiorum. 8, 9, 19. commercio nullo mutuos vſus velle. 7, 3, 5.

commigrare Alexandriam ex. 4, 8, 5.

commilito idem & rex. 3, 5, 8. commilitones. 6, 10, 8. ſaucii. 7, 6, 8.

committit moles vrbem continenti. 4, 2, 16. *Vide Sauaron. in Apollinaris carm. pag. 8. m.* rami arborum implexi committunt ſyluas. 5, 4, 4. committere maria. 3, 1, 13. victoria, quæ natura dirempta ſunt. 7, 7, 14. Caucaſo Taurus mons committitur, **ſtoßt daran.** 7, 3, 20. Hydaſpes amnis Aceſini. 9, 4, 1. nondum commiſſum opus, **zuſammen gefügt.** 4, 2, 21. *alio ſenſu* committere nefas. 4, 10, 29. obſidionem. C. 9, 4, 27. nec committam, vt. 6, 10, 4. committere quæ, **in geheim vertrawen.** 6, 7, 4. *ſe cui.* 4, 13, 14. *cui* ſalutem ſuam. 3, 6, 4. *quid* fidei tutelæque *cuius*. 8, 1, 21. ſalutem &c. fid. tut. *cuius*. 6, 9, 21. committitur prœlium inter. 7, 4, 33. commiſſa cuſtodiæ *cuius* pecunia. 6, 11, 6. cuius fidei turba. 3, 13, 6. commiſſæ cædes. 8, 2, 6. ſi quid commiſſum eſſet. 3, 8, 3. commiſſa prœlia. 4, 1, 35.

commouit membra calor. 8, 4, 12. varíæ cogitationes animum. 8, 3, 14. vos multitudo. 9, 2, 22. commouere arma Cretæ. 4, 1, 38. concionem oratione. 6, 9, 28. lachrimas. 5, 5, 7. ſaxa. 5, 3, 20. commotus exſpectatione. 4, 10, 26. indignitate dedecoris. 9, 5, 11. interitu militum. 8, 11, 17. non odio, ſed miſeratione. 8, 14, 41. nece, *iratus*. 4, 2, 15. periculo. 6, 9, 10.

communicare cum Rege liberos, *h.e. ex Rege concipere*. 6, 5, 30. communicanda cum his clementia. 8, 8, 12. communicata cum *quo* res. 6, 7, 21. commune Mitylenæorum, *pro Republica*. 8. 2, 12, 25. τὸ κοινὸν vocat Arrian. 2, 1, 6. vbi *non bene verſum* multitudo. Sic in libb. Juris, & Inſcript. Vet. apud Gruter. MIX, 5. quam ſic emendo. *Commun. L. reſtitutum in maiorum leibertatem, Romæ, Jouei Capitolino, & populo Romano, virtutis, beniuolentiæ, beneficique cauſſa erga Luciorum commune, & Graca*: Λυκίων κοινὸν τὸ ἡμισάμενον τῶν πάντων δημοκρατίαν, τῇ Ῥώμῃ, Διὶ Καπιτωλίῳ, καὶ τῷ Δήμῳ τῷ Ῥωμαίων, ἀρετῆς ἕνεκεν, καὶ εὐνοίας, καὶ εὐσεβείας τῆς εἰς τὸ κοινὸν τῶν Λυκίων. commune vtrique iter. 7, 4, 15. cum eo nomen. 8, 11, 10. in com. conſulitur. 5, 9, 14. 9, 1, 21. in com. conſulto opus eſt. 10, 6, 15. communia bona priuatis præponenda. S. 1, 7, 9. Sic *Seneca de Clement.* 1, 4, 4. ſanis hominibus publica priuatis potiora ſunt.

communire caſtra. 5, 5, 1. & 8. 6, 4, 3.

commutare naturam. 10, 1, 40. habitum. 4, 1, 22.

comœdi corrumpendis moribus nati. S. 1, 3, 29. *Vide Auguſtin. de ciuitate DEI, compluribus locis.*

compacti artus. S. 1, 2, 9. compages operis verberatæ fluctibus ſe laxant. 4, 3, 6. ſaxorum laxata. 4, 4, 12.

comparare exercitum. 4, 14, 12. inſidias *cui*. 9, 7, 4. inſ. capiti *cuius*. 6, 9, 17. arma ſumma cura. 4, 9, 3. comparata ad vſum, ad oſtentationem ſupellex. 5, 6, 3. comparatæ in caput eius inſidiæ. 6, 2, 4. *cui* inſidiæ in diem tertium. 6, 7, 6. comparari, *conferri*, ſtirpi regiæ. 8, 4, 25. in comparatione meliorum viliora contemnuntur. 3, 11, 20. ex compar. regis noui deſiderium excitabatur amiſſi. 10, 8, 9.

compedes. 4, 14, 23. compedibus aureis vinctus Darius. 5, 12, 20.

compellatus nomine. 4, 13, 20.

compellere *quos* ad deditionem. 9, 1, 19. ad pacem. 4, 2, 15. fugam *quorum* fortuna *quo* compulit. 5, 1, 3. compellere populares ad defectionem. 10, 1, 45. *quos* in fugam. 9, 4, 5. in vrbem. 4, 1, 31. prœlio in vrb. 8, 10, 4. virum, imitari. 9, 1, 35. compellens (*cogens, coarctans, & quaſi comprimens*) terram in arctas fauces mare. 3, 1, 13. compelli ad deditionem. 8, 13, 2. ad ded. metu. 8, 2, 25. ad vilitatem ſui. 5, 9, 7. rabie, vt. 8, 8, 2. compulſi intra munimenta. 8, 11, 1.

compenſare facinora miniſterio. 10, 1, 2.

comperit abeſſe. 4, 10, 15. diuertiſſe. 4, 9, 1. comperimus eſſe. 3, 1, 13. comperit præceſſiſſe. 3, 13, 1. comperimus famam fuiſſe vanam. 10, 10, 5. comperiſſe *ex quo*. 6, 7, 18. comperto aduentu. 7, 7, 31. errore. 3, 12, 6. comperta cæde. 8, 3, 16. comperta defectio. 7, 6, 16. dubitatio. 8, 10, 10. comperta trepidatione. 5, 13, 19. compertum eſt aduentare. 7, 4, 21. adu. Regem. 8, 2, 15. pro comperto fuit. 7, 1, 6. hæc ex vate comperta. 7, 7, 22. auditu, oculis habere *quæ* comperta. 5, 4, 10.

complectitur, *comprehendit, continet*, ambitus operis *tot* ſtadia. 5, 1, 26. vrbem murus. 8, 10, 25. complecti circumitu *tot* ſtadia. 7, 11, 2. arx ambitu *tot* ſtadia complexa. 5, 1, 31. complexus (*opere*) quidquid loci. 4, 8, 2. complecti armatos, *complexu occupare*. 5, 4, 32. *quem* medium. 8, 1, 46. dextram. 6, 7, 8. haſtam manu. 7, 4, 37. ramos. 9, 5, 13. regem *an permiſſum?* C. 6, 7, 34. ſaxa. 5, 3, 20. ſaxa manibus. 7, 11, 15. complecti prouincias, *imperio*. 6, 3, 4. *quid* oratione. 4, 16, 10. imperium mente, *deſtinare*. 9, 2, 11. animo infinita. 10, 1, 17.

compleuerat aciem ruina. 4, 15, 16. complere caſtra vocibus ſeditioſis. 10, 2, 12. cuncta pauore. 3, 13, 10. iter odoribus. 8, 9, 23. loca agminibus. 4, 1, 1. ripam. 8, 13, 10. gemitu tabernaculum, caſtra. 5, 12, 12. templa. 4, 4, 14. veſtibulum. 10, 8, 8. vrbem luctu ac mœrore. 10, 5, 8. completa ſors. 10, 6, 6.

complures dies. 3, 7, 15.

componere ſe in habitum corporis. 10, 5, 3. turbata. 7, 10, 13. componentes vetuſta monumenta. (οἱ ξυγγράφουσιν.) 4, 5, 21. compoſitus in adulationem vates. 4, 7, 26. compoſitum agmen. 4, 10, 9. 6, 4, 14. ex compoſito, **angelegt.** 7, 1, 5. 9, 7, 24. compoſitæ res, *ordinatæ*. 3, 1, 1. compoſitis omnibus, 8, 5, 3. quæ in rem videbantur eſſe. 6, 2, 21. rebus, *ordinata Rep.* 4, 7, 5. 5, 9, 8. his ita compoſitis. 7, 3, 1. his comp. 8, 4, 1. Compoſita inter ſe, aut cum ſimplicibus permutata ſæpe reperias in Variis Lect. vt 4, 2, 16. 4, 3, 22. 4, 4, 5. 4, 5, 11. 4, 6, 9. & 29. 4, 8, 2. 4, 14. 4. & 23.

4. & 23, 4, 15, 9. 5, 2, 10. 5, 3, 5. & 9. & 21. 5, 4, 4. & 25. 5, 5, 7. & 15. 6, 7, 31. & 32. 8, 4, 26. 8, 6, 28. 9, 1, 14. 9, 3, 22. 9, 6, 2. 9, 7, 21. 9, 10, 10. 10, 1, 27. & 39. 10, 2, 8. 10, 8, 11.

compos mentis. 3, 5, 4. 3, 6, 15. 6, 3, 15. 7, 6, 22. 8, 4, 15. vix c. m. 8, 14, 33. voti, *qui obtinuit quod volebat.* 9, 9, 28. compotes sui. 4, 12, 17. *idem quod* c. mentis. 10, 8, 3.

comprædendit Bessus Darium. 5, 13, 6. circumitus rupis tot stadia. 6, 6, 24. flamma sepulchra. 8, 14, 8. ignis cuncta. 6, 6, 30. incendium turres. 4, 3, 4. comprædendere læua lanceam. 7, 1, 14. pinnas. 7, 8, 25. *quem.* 9, 7, 7. ramos. 7, 8, 14. Regem. 5, 9, 2. Reg. palam. 5, 10, 5. comprædendi, *capi.* 5, 12, 15. 5, 10, 7. à proximis amicorum. 8, 1, 47. comprædendendi coniurati. 6, 8, 20.

comprimitur, *reprimitur, coercetur*, indignatio, seditio. 7, 2, 31. compressa licentia, violentia. 10, 3, 2.

computare. si bene computo munera fortunæ. 9, 6, 19.

con' *pro* non *in Var.* 7, 9, 9. 8, 14, 12.

conati. 7, 9, 7. *Sic Livius* 34, 38, 3.

concedunt gloriam dii. 7, 7, 28. concedere reuerentiam pristini status. 5, 13, 27. victoriam. 5, 5, 1. concessa *quibus* dignitas. 5, 13, 27. concedere, *recedere*, in arcem. 5, 3, 11. retro. 3, 4, 5.

conchis structa tuguria. 9, 10, 10.

conciliare sibi animos pecunia. 10, 2, 3. conciliatus *cui* ætatis flore. 7, 9, 19. conciliati *cui* summo studio. 7, 1, 11.

concilium & consilium. C. 5, 8, 6. Græcorum. 6, 1, 19. mortalium. 6, 11, 25. aduocatum. 5, 8, 6. frequens. 8, 6, 28. habitum. 9, 10, 5. concilio plebis habito. 10, 2, 3. concilio dimisso. 6, 11, 11.

concione aduocata. 9, 4, 19. 9, 7, 5. *Cicero Verr.* 3, 80. dimissa. 7, 2, 11. 10, 8, 7. concio inclinata ad misericordiam. 6, 9, 28. infesta. 7, 2, 1. sæua 10, 3, 1. versa in seditionem. 10, 7, 1. vniuersa. 7, 2, 3. vniu. accensa est. 6, 11, 8 vniu. effusius fiens. 9, 3, 3.

concipere ignem, *haurire flammam, inardescere. sic* concepto igne. 4, 3, 4. 5, 7, 5. 6, 6, 31. 8, 10, 8. vela concipiunt vim venti, *quum inflantur.* 4, 3, 2. medicamentum concipitur venis, *quum in venas penetrat.* 3, 6, 11. conc. dolorem animis. 10, 4, 4. impetum occidendi regis. 5, 12, 1. iram. 8, 1, 31. tantum iræ. 8, 1, 43. quidquid irarum. 7, 1, 25. metum ex hoste. 8, 14, 12. *quid* animis. 3, 2, 12. 5, 10, 9. *Sic Plin.* 36, 15, 31. *sub fin. quæ neque concipi animo, nisi ab iis qui videre, neque humano sermone enarrari possunt.* concipere quid praua mente. 8, 5, 5. spem ex vobis. 10, 2, 21. spem falso nuncio. 9, 6, 1. humana mente concipi, *cogitari.* 4, 13, 13. concipi ex vultu, conjici, *aliter leg.* conspici. 5, 11, 8. conceptus ex fonte amnis. 6, 4, 5. concepta altiore consilio. 6, 11, 28. Concipere *proprie feminarum est, vt* conceptus est mas, *in vtero.* 10, 6, 21. *ab hac significatione ceteræ promanant, quod ira, spes, metus, alia proinde in animo concipi videantur, atque in vtero fœtus.* ita ponitur verbum הרה ψ. 7, 15. concipiet prauitatem.

concitat celeritatem ira. 7, 6, 23. concitare animum in iram. 10, 1, 36. belluam in fugam. 8, 14, 34. equum. 8, 12, 8. 8, 14, 17. milites nuncio. 7, 2, 28. nauem remis. 4, 3, 2. *quos* ad arma. 7, 6, 15. remos. 9, 4, 13. turmas in. 4, 16, 21. concitatur calcari equus. 7, 4, 18. concitatus spiritus. 3, 10, 2. concitata quinqueremis in. 4, 4, 7. concitatum vento mare. 4, 3, 17. concitati equi. 4, 9, 5.

concitus calcaribus equus. 7, 4, 36. conciti equites. C. 4, 12, 4.

conclamant, *quasi vna voce exclamant*, omnes, paratos ipsos. 5, 13, 5. temulenti. 7, 4, 7. vniuersi. 8, 11, 22. pariter. 10, 7, 3. concl. duceret. 4, 1, 29. *sic apud Tacit.* 1, 8, 6. conclamant patres.

concordia & pax firmata. 10, 8, 23.

concreta, *frigore condensata*, glacies. 5, 6, 14. concretum gelu. 8, 4, 6.

concubini pellicum suarum milites. 10, 2, 27.

concupiscis quæ non capis. 7, 8, 13. concupiscens talia. 8, 5, 6. concupiscentiæ ingentes. 8, 6, 18.

con-

concurrunt auxilia ex. 7, 4, 5. concurrere hosti recta fronte. 4, 13, 16. ad opem ferendam. 5, 7, 6. concurrentia in eosdem tela. 3, 11, 4. concursatio, **scharmützel.** 8, 14, 24. concursus aquarum. 9, 4, 9. terrarum. 5, 4, 23. concursu in regiam facto. 10, 4, 5.

concussit *quos* pauor. 8, 2, 24. concutit Asiam strepitus armorum. 4, 1, 20. concutere imperium magno motu. 4, 14, 20. arietibus munimenta. 8, 2, 22. concutientes rami *pro inuicem concussis, sed rectius* concurrentes. 5, 4, 25.

condidit Luna nitorem sideris sui. 4, 10, 2. condit se nexus. 3, 1, 17. condunt Solem nubes. 4, 7, 13. condere gladios, **einstecken.** 10, 9, 5. lucem, *obnubilare diem.* 8, 13, 24. militem, *abscondere milites.* 8, 1, 4. *quos.* 7, 7, 32. condere se in specus. 5, 6, 17. conditur fulgor *Solis.* 7, 8, 12. fulg. lucis. V. 7, 11, 21. conditus amnis, *absconditus, subter terram labens.* 6, 4, 5. condita fluctibus *bellua.* 4, 4, 4. lux. 8, 4, 3. vis hostium. 7, 11, 18. conditum in sepulchro corpus. 10, 1, 30. conditæ fruges. 7, 4, 24. *Alia significatione* condere mores gentis, *instituere.* 8, 4, 28. oppida. 7, 10, 15. 9, 3, 23. Parthos. 6, 2, 14. vrbem. 4, 4, 15. 4, 8, 1. 5, 1, 24. 5, 6, 10. 7, 7, 1. 9, 10, 7. vrbes. 9, 6, 23. 9, 10, 2. 10, 2, 8. condita à Cyro vrbs. 7, 6, 20. à Gr. vrbs. 6, 2, 15. conditum oppidum. 9, 8, 8. conditi à Libero patre incolæ oppidi. 8, 10, 11. conditis vrbibus. 9, 1, 6. condenda vrbs. 7, 3, 23. condere *pro instaurare.* C. 5, 8, 1. conditor carminum. 8, 5, 8. conditores *vrbis.* 4, 1, 15.

conditio deditionis, *accord.* 7, 11, 27. accepta est. 9, 7, 18. de conditione deditionis legati. 9, 8, 12. conditiones pacis. 4, 11, 19. pacis nouæ. 4, 11, 1. conditio, *sors, fortuna*, misera. 7, 1, 37. *est vbi* conditio *pro matrimonio sumitur, vt* regnum occupari posse conditione. 4, 11, 13. *si nempe Darij filiam ducat Alexander. sic apud Iustin.* 11, 7, 8. & 18, 5, 3. *ad vtrumque autem sexum ea vox pertinet, quamquam ad feminas restringere videatur Vives in August. de Ciuit. DEI* 6, 10. *ad ista verba Senecæ:* quosdam tamen (*deos*) cœlibes relinquimus, quasi conditio defecerit. *Adde Herald. in Arnob. lib.* 4. *pag.* 140.

condonare *cui* decus capitis, *ex gratia concedere*, χαρίζεσθαι. 5, 8, 13.

conductus mercede. 5, 12, 2. merc. miles. 4, 13, 31. conducti mercede. 5, 1, 42. 5, 3, 6. merc. *milites.* 3, 2, 9. pedites. 3, 9, 2. conducta mercede Græcorum tria millia. 4, 5, 18. conducendus miles. 3, 2, 16. mil. ex Peloponneso. 8, 1, 1.

conferre in quos magna, *dare quibus magna.* 6, 9, 19. conferre se, *abire, se transporter*, in regiam. 10, 4, 21. se quo. 8, 2, 9. conferre, *congerere*, sarcinas in medium. 6, 6, 14. conlato pede, *iunctis.* 3, 11, 5. conlatæ è fontibus aquæ. 7, 11, 3.

conferti. 7, 9, 7. conferta robora. 5, 2, 13.

confestim. 4, 12, 1.

conficere itinera equo. 8, 9, 29. vestes, purpuram. 5, 2, 18. confectus vulneribus. 4, 6, 25. confectæ mœrore virgines. 3, 11, 25.

confidere felicitati suæ. 7, 7, 28. fortunæ. 7, 9, 11. turbæ. 9, 2, 25. confisus beneuolentiæ ac fidei. 4, 10, 16. felicitati. 3, 13, 4. fortunæ suæ. 7, 11, 27.

configere sagittis. 7, 5, 40. confixus telis. 10, 4, 18.

confinis Hyrcaniæ gens. 6, 5, 11. Scythiæ regio. 8, 2, 14. confinium regionum. 8, 1, 8.

confirmatus, *valetudini restituus.* 8, 14, 45. confirmati animi. 10, 6, 20. confirmatis animis. 4, 15, 14. & 19. 5, 1, 9. confirmandus pudor. 8, 2, 13.

confiteri crimen. 6, 11, 31. facinus. 6, 11, 37. verum. 3, 2, 11. de se. 6, 10, 9. æquo animo. 8, 1, 25. confessus Nicomacho. 6, 10, 7. facinus. 8, 8, 2. dixisse. 3, 2, 20. confiteor me famulam. 3, 12, 25. confiteri *aliquem* deum. 8, 5, 10. confessus *crimen* sua sententia damnatur. C. 6, 10, 4. *Mea.* Confessio imbecillitatis extorta. C. 4, 14, 18. *Quam.*

confligere cum. 9, 2, 19.

confluunt vndique legati Babylonem. 10, 4, 15.

confodere exanimem. 7, 2, 27. plerosque

roſque. 6,5,17. *quem* lanceis. 7,1,9. *quos.* 8,14,16. quos telo, 4,16,23. confoſſus. 8, 11,15. elephantus. 8,14,40. conf. iaculis. 9,5,17. vulneribus equus. 8.14,34. multis vuln. 5,13,25. confoſſi haſtis equi. 3,11, 11. confoſſa iumenta. 5,13,25.

confugere ad arma & manus militum. 6,9,24. in arcem. 3,1,6. 9,8,12. in montes. 8,10,19. in templum. 10,9,21. in templa. 4,4,12. & 13. in vrbem. 10,8,13.

confundit æſtus (*maris*) diſpares vndas, *miſcet.* 9,9,7. pallor confudit notas oris. 8,3,13. confundere ſumma imis. 8, 8,8. Aceſines Hydaſpi confunditur. 9,4, 8. confuſus ira, pudore. 7,7,28. confuſo ore. 6,7,18. confuſi eques pedeſque. 4, 16,11. confuſæ voces. 9,6,15. confuſa vtriuſque gentis vitia. 9,7,15.

congerere frondem. 8,10,17. opes in *vrbem.* 5,6,3. ſaxa. 8,2,24. tela in *quem.* 8, 14,38. congeſtæ in illam ſedem opes. 5, 1,10. congeſta alimenta. 7,11,1.

congiarium militum. 6,2,10.

congredi & fugere *oppoſita.* 9,5,19. congr. armato nudum. 9,7,20. totis viribus. 6,1,10. cominus. 6,1,15.

congregare ſe. 5,13,18. congregari. 8, 2,15. congregata tot millia. 9,2,21.

coniectare è. 7,8,2. *quid* ex eo. 9,9,27. coniectans. 3,11,1. 4,13,11. coniectari. 4,10,31. quantum procul coniectari poterat. 4,9,11. coniectura anceps. 6,11, 21.

coniungere amicitiam. 4,7,9. *quam* ſecum matrimonio. 6,9,30. ſe *cui.* 8,13, 4. 5,12,19. coniunguntur res opere ipſo, *iunctim traduntur.* 5,1,2. primi vltimis. *vltimis ſc. primos conſequentibus.* 5, 13,10. coniunctus *cui* intima familiaritate. 7,2,35. ſanguine. 9,8,22. coniuncti ſontium, *propinqui.* 6,11,20. coniuncta prœlio, *quæ ſtatim poſt illud acciderunt.* 5,1,3. coniunctæ genere ac nobilitate nuptiæ. 9,1,26. *hinc dicitur* coniunx, *vt* Artabazi. 3,13,13. Darii captiua. 3,11,24. Darii pulchritudine venerabilis. 3,11,24. coniugem viro reddere. 6,2,8. Memnonis. 3,13,14. coniuges. 6,3,5. amicorum, propinquorum. 3,3, 26. prætorum. 3,13,6. vnicum ſolatium. 5,5,15. coniuges liberoſque alio mittere. C. 4,3,20. coniugales ludi. V. 5,1, 34. coniugii ſanciendi mos. C. 8,4,27. Coniunctione duarum vocum interdum peccatur. *vt* V. 7,2,36. *pro* cum fide, *eſt* confide. *ſicut è contra vna vox diuellitur.* V. 7,6,20. Samiram in quos, *pro* Semiramin quos. coniunctio interdum *additur in aliis libris, in aliis omittitur.* V. 7, 5,22. ac à ſemet, *pro* à ſemet. *item* vinctos, *pro* & vinctos. *vide* C. 3,6,1. *Fidus.* C. 4,11,18.

coniurare in cædem *cuius* cum. 7, 1,6. coniurati. 6,8,20. coniuratio contra Darium. 5,9,1. ciuium impiorum. 6,9,4. *coniurationis iudicium principi non contemnendum.* 5,11,11.

conlabi, *deficere*, ſincken. 7,6,22. inter quorum manus. 4,10,19. conlapſus. 8,2,39. inter manus. 8,2,39.

conlachrymari. 10,4,6.

conlaudare fidem. 10,9,10. conlaudatus. 7,2,17. multum. 7,5,38. conlaudati. 8,6,19.

conlidere vires. C. 10,9,2. mare nauigia inter ſe conlidit. 4,3,17. conliduntur inter ſe naues. 9,9,16. conlidi magno motu. 8,9,8.

conligere. V. 10,9,2. diſperſos. 8, 14,22. mentem, *recipere animum.* 8,6,22. vires, *rectius* conlidere. C. 10,9,2. ſinum veſtis nodo, *conſtringere.* 6,5,27. conlig. vaſa. 6,2,16. *Milites quando diſceſſum parant, & ad iter ſe accingunt, vaſa conligunt. Hinc in prouerbij ritum abiit,* vaſa conligere, *Varro de re ruſtica lib.* 1. c. 1. p. m. 53. ſarcinas colligere: Annus octogeſimus, *inquit*, admonet me, vt ſarcinas colligam, antequam proficiſcar è vita. *Poema.*

conloqui familiariter cum. 6,8,16. conloquentes inter ſe. 8,4,14. conloquentium inter ſe voces. 7,1,25. conloquia captiuorum. 5,6,16.

conlucent caſtra fulgore. 3,3,3. ignes totis caſtris. 3,8,18. conlucentes faces. 3,8,22.

conluuio hominum. 10,2,6.

con-

connectendi diligentiam prætermittunt interdum hiſtorici. C. 9,1,17. connexæ inter ſe ſerie laminæ. 4,9,3. *vinculis* quadriremes. 4,3,17.

conniti. 9,5,13. ad ſurgendum. 7, 3,13. conniti debeo, vt ſim dignus. 5,8, 7.

connubio coire cum *qua.* 8,1,9.

conqueri. 6,2,18. mortem *cuius.* 7,2,35.

conquirere duces. 9,9,1.

conruit pronus. 8,5,24. accipitres roſtris inter ſe conruunt. 3,3,18. ruere *enim eſt cum impetu ferri. Cicero ad Attic.* 7,20. *de Cæſare:* At illum ruere nunciant. *vt igitur à* currendo concurrere, *quod alij in Curtio ſubſtituerant; ita à* ruendo conruere.

conrumpere. *Vide* corrumpere.

conſalutare *quem.* 7,8,5. conſalutatus rex. 10,7,7.

conſanguinei. 6,9,12.

conſcendere currum. 5,10,12. equum. 5,13,15. equos. 10,8,4. nauigium. 4,3,7. nauigia. 4,4,5.

conſciens. V. 6,11,14. conſcientia. 7, 2,12. ſceleris. 6,9,32. obſtrepente. 6,10, 14. optima. 6,10,2. ſtimulante. 5,11,7. conſcius facinoris ſernus. 8,3,9. *cui* ſceleris. 6,10,20. conſcii. 3,13,17. *ſibi* ſermonis. 7,1,21.

conſecranci. C. 9,2,28. *Commilitonem.* conſecrare quam immortalitati, *deam facere.* 10,5,30. conſecrari immort. 9,6, 26. conſecrata immortalitas. 8,5,17. deo ſedes. 4,7,16.

conſeneſcere in eodem ſtatu. 10,2,22.

conſenſerunt petendum eſſe. 5,5,21.

conſeptum, *ſeptum*, locus ſepe clauſus. C. 9,1,32.

conſequi. 3,12,1. qui non poterant, *ſequi.* 7,3,18. fugientem, *adſequi.* 4,9,25.7,2,1. hoſtes ſtrenue. 5,4,34. Scythas. 7,8,22. ſpolia. 4,9,19. timidiſſimum quemque mors conſequitur. 4,14,25. conſequendi cupiditas. 5,13,12. pœnitentia conſequuta, *ſequuta*, eſt crudelitatem. 8,8,23. *ex conſequenti intelligenda quædam apud auctores.* C. 6,1,17.

conſerere pugnam, *miſcere*, cominus. 3,11,4. nexu alium *truncum* alii. 6,5,15. conſeritur ſermo. 8,12,9. prœlia. 8,13, 12. conſerti. 3,11,4. *ſcil.* globis, *vt loquitur Marcellin.* 14,6. conſerta ſunt armis arma, vir viro. 3,2,13. nauigia. 4,3,18. robora virorum. 3,2,13, ſcuta ſuper capita. 5,3,23. vinculis erant vehicula, *conligata.* 9,1,17. conſeri, *ferri*, frumento. 7, 4,26. conſitæ arbores. 6,5,14. conſita palmetis inſula. 10,1,14. manu nemora. 7,2,22.

conſeruare ſe ac regnum. 5,9,3. conſeruata ad vltimum fides in. 6,5,2. à quo vrbs. 3,4,14.

conſidere, ſubſidere, einſincken. 8,10,26. *ita de nauigiis deſtitutis in ſicco.* 9,9,12. conſedit puluis. 5,13,12. conſidere, *ſedere*, iuſſi amici. 7,7,9. 9,6, 16. legati. 7,6,6. 7,8,9. filium in conſpectu *parentum*, nefas *Perſis.* 5,2,22. in ſede. 8,4,15. *in Var. eſt* ſede deſedere, *pro* ſede ſedere, *omiſſo* in. conſid. in ſella. 5,2,13. 8,4,17. conſidere *notat quoque ſubſiſtere, fixa ſede, aut certe caſtris locatis. ſic opponitur* progredi. V. 8,4,4. conſ. occultum. 7,7,31. in nouam vrbem. 7,3,23. in *campo.* 6,6,24. colle. 4, 12,18. in ripa. 8,13,5. *alij omittunt* in. in rupe. 3,1,4. in ſylua. 8,1,5. haud procul. 4,12,4. conſedit auis in turre, *eo ſe dimiſit, ibi requieuit.* 4,6,11.

conſignare acta. 7,8,29.

conſilium, *pro conſiliariis*, aduocatum. 4,11,1. 5,8,6. amicorum aduoc. 6,8,1. conſilium adhibere. 4,13,3. ad conſ. referre. 4,11,10. in conſ. vocari. 3,8,6. in conſilio fortunam meam habuit, *inquit Alex. de Dario.* 3,5,12. *quaſi diceret, ea ipſa fortuna quæ rerum euentum moderari poterat, me prodidit, & Dario ſuggeſſit, quid faciendum eſſet, cum ſciret euenturum mihi hunc morbum, quo conatibus illius obuiam ire prohiberer. Incertus in paneg. ad Conſtantinum* c. 4. *hoc vocat* in conſilio diuinum numen habere. *Paulo alio ſenſu* fortunam ſuam quiſque in conſilio habet, quum de aliena deliberat. 5,5,12. *h. e. ſuam fortunam conſiderant, & ſecun-*

dum il-

eum illam aduersus alios se gerunt. sic fere metum in consilio habere, *dixit Liuius* 36, 7, 4. fortunam (*nempe quo inclinatura esses*) *idem* 36, 8, 6. fortunam publicam, *Seneca de ira* 1, 11, 9. *videlicet* viribus *eius* æstimatis, *vt ibid. addiuit. vide Gronou. ad Statij Sylu.* 3, 3. *sic in l.* 1. *C. qui & aduersf. quos non restituantur, eleganter ait Imp. Alex.* in consilio cognoscentis esse oportere, *hoc est, considerandum esse cognoscenti num diligens paterfamil. fuerit &c. Imitatus Liuium simulque explicans Bracellus elegans historicus lib.* 1. *belli Hispani de Venetis*: apparebat belli eos euentum expectare, fortunam in consilio habituros. *Sic & Cic. pro Cluent. cap.* 58. consilium & imperium *quomodo differant.* C. 5, 1, 9. consilium Perdiccæ. 10, 7, 8. defectionis. 7, 6, 24. fugæ. 5, 8, 10. insidiarum. 5, 12, 5. proditionis agitatum. 4, 5, 17. sceleris dilatum. 5, 12, 1. occidendi. 8, 7, 1. reuertendi, fugiendique. 7, 2, 4. traiiciendi. 10, 2, 4. aliud atque aliud. 5, 12, 10. subjicit animus. 6, 6, 27. altius. 6, 11, 28. adprobatum. 6, 11, 29. commune. 10, 9, 11. felix euentu. 4, 1, 33. fidele. 6, 4, 8. 7, 4, 18. grauius, *de coniuratione.* 6, 9, 13. initum. 8, 8, 21. magnum. 4, 16, 28. muliebre præceps magis quam necessarium. 8, 2, 29. nouum initum. 6, 8, 15. par magnitudini animi. 10, 5, 31. præceps. 7, 7, 20. non ratione prudentius, quam euentu felicius. 4, 1, 33. salubre. 3, 4, 3. 3, 7, 10. 5, 12, 8. salubrius. 7, 11, 22. sceleſtum. 3, 7, 13. & 15. 8, 6, 23. solers. 7, 7, 39. spretum. 3, 2, 18. stolidum. 3, 8, 6. temerarium. 7, 2, 37. vtilius quam gratius. 7, 4, 14. suppetit. 5, 9, 1. consilii salubris ratio adcepta est. 3, 7, 10. veri periculosa libertas. 6, 10, 26. consilium fugæ agitare. 5, 8, 10. à præsenti necessitate repetunt in lubrico stantes. 6, 4, 10. consilio suo, *propria voluntate.* 4, 15, 12. consilia cauta pro ignauis fastidiuntur. S. 1, 10, 10. speciosis præferenda. S. 2, 10, 8. diuersa. 9, 1, 20. incerta. 10, 8, 7. nudata. S. 1, 5, 2. saniora. 4, 1, 9. turbida eorum qui sibi suadent. 7, 4, 11.

consistere. 4, 12, 16. 5, 13, 23. **still stehen.** 7, 5, 6. & progredi, *opposita.* 4, 15, 16. consistit agmen. 3, 8, 24. 4, 16, 3. rex inter primos. 5, 3, 9. rex in hac vrbe. 5, 1, 36. sanguis. 9, 5, 29. turba feminarum circa eam. 3, 11, 25. const. in limine. 10, 8, 3. consistere in muris. 5, 1, 19. in ea sede, **sich niderlassen.** 7, 5, 28. post torm. 7, 9, 3. post *quos.* 10, 6, 19.

consobrinus *pro patruele.* C. 6, 9, 17.

ad consolandam patientiam verberum. 8, 6, 25. ad consolandas quas ire. 3, 13, 6.

